ANNALES
ECCLESIASTICI
FRANCORUM.

Auctore CAROLO LE COINTE Trecensi, Congreg. Oratorij D. N. IESV CHRISTI Presbytero.

TOMVS TERTIVS.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.
M. DC. LXVIII.

CHRISTIANISSIMO

LVDOVICO XIV.

FRANCORVM NAVARRÆQVE

REGI.

QVÆ *duobus Annalium Tomis*, REX CHRISTIANISSIME, *Maiorum Tuorum Gesta iam complexus sum, ea sunt adeò illustria & augusta, vt calamo manum si tertiò admouerem, Maiestati Tuæ rem gratam me facturum penè diffiderim. Ob oculos*

obuersabatur superiorum Voluminum materia. Terrarum Orbis Idololatriâ, Hæresi, Schismate, totus fœdabatur. Ex errorum tenebris primus erumpebat Rex Francorum, diúque solus splendidissimâ Catholicæ Religionis face conspicuus emicabat, ceteros Dynastas densissimis vmbris vndequaque stipantibus. E Francia lux veræ Fidei latè per vicinas Regiones sese diffundebat; trans Oceanum per Britanniam, trans Pyrenæos montes per Hispaniam, trans Rhenum per Boioariam, atque inde trans Alpes per Longobardiam, felicissimo vbique successu, vel euersis Idolis, vel Hæresi sublatâ. Diu, fateor, tantis,

quæ commemoraui, decoribus obstupui. Sed vbi primùm emersi ab admiratione, subsequentiúmque Regum præclara facinora quâ par erat attentione contemplatus sum, Nepotes Auis fortitudine, Iustitiâ & Pietate simillimos conspexi, cognouíque priuatas eis non deesse causas, ob quas apud Te, REX AVGVSTISSIME, *acceptissimi fierent. Hac securitate fretus Maiestati Tuæ tertiam lucubrationum mearum partem offero, quâ Dagoberti Magni duo filij, Sigibertus Tertius & Clodoueus Secundus; Nepotes quatuor, Clotarius Tertius, Childericus Secundus, Dagobertus Secundus & Theodoricus Tertius repræsentantur.*

Sex hi Reges, cùm pueri vel infantes adhuc essent, adeundi Regni ius adepti sunt, decessorum vel obitu vel spontaneâ cessione. Sigibertus nondum quadrimus à Dagoberto Patre Rex Austrasiæ constitutus est; robustiorem ætatem haud attigerat Clodoueus Sigiberti frater, cùm in Neustrasiam & Burgundiam eidem Dagoberto Patri successit. Pueritiam agebat Dagobertus, cùm Sigibertum Patrem amisit; multoq́ iuniores erant Fratres eius patrueles, Clotarius, Childericus & Theodoricus, cùm orbati sunt Clodoueo Patre. Tutelam Austrasiæ, donec Sigibertus adolesceret, Dagobertus Pater prudentibus Administris commisit.

Sublato è viuis Dagoberto, Neustrasiam & Burgundiam Nanthildis Clodouei Mater administrauit. Bathildis, post ipsius Clodouei mortem, vniuersæ Franciæ filiorúmque tenerrimam adhuc ætatem gerentium curam suscepit. Hæc est prima Tui Principatûs adumbratio, REX INVICTISSIME. *Quinto ætatis anno Rex esse cœpisti. Regni gubernandi sollicitudinem omnem in se recepit* ANNA *Regina, vsáque consilio incomparabilis Viri, quem anteà* LVDOVICVS *Parens Tuus felicissimæ Recordationis, Adalgiselo, Ægane, Erchinoaldo maiorem iudicarat, Te, Sigiberto, Clodoueo, Clotario, ceterísque Regibus suprà*

memoratis longè auguſtiorem reddidit, ſéque Nanthilde ac Bathilde multò præſtantiorem oſtendit inſigni rerum geſtarum ac penè incredibilium gloriâ.

Quieſcebat omnis Francia, cùm Nanthildis & Bathildis Maritos ſuos ſepelierunt; grauiſſimi belli nonus annus aperiebatur, cùm ANNA LVDOVICVM IVSTVM *Sibi Regnóque ereptum defleuit. Hoſtes, licèt plurimas Arces, Ciuitates ac Prouincias amiſiſſent, abſtinuerunt à bello recuperatorio, collectóque numeroſiſſimo diuerſarum Gentium exercitu Franciam ipſam adorti ſunt, rati illam Rege puero facilè ſubiugatum iri. Commiſſo prælio*

profligati

profligati sunt quinto Principatûs Tui die. Secuta mox totius Belgij trepidatio, legionibus Tuis prope Metropolim castra metantibus. Obsessa postmodum & expugnata Vrbs ad Mosellam munitissima, quam tanti faciebant, vt eâ quondam propugnatâ palàm exclamarent scribeéntque liberatos se metu, ne Belgium Francis cederet, & Cæsarea Dignitas è familia, quam à duobus seculis & ampliùs exornabat, in aliam transferretur. Hoc fuit initium Victoriarum, quas Matre Regnum administrante reportasti. Intra tres primos menses Tuæ Dominationis, asserta Franciæ securitas, liberatâ Rupe-Regiâ; toti Bel- A. 1643.

gio timor incussus, profligatis Hispanorum copiis; Theodonis-villa ad deditionem coacta; obsidionis ante quadriennium solutæ memoriâ penitus deletâ, ipsóque Cæsare propter Electorum viciniam, quorum suffragiis Cæsareus Titulus confertur adimitúrque, non mediocriter territo. A. 1644. *Anno sequenti, aucta plurimum gloria. Flandriæ, quam Pater intactam reliquerat, Vrbes non paucæ Tuam in potestatem redactæ; capta Greuelinga; ora maritima subacta. Victi ad internecionem in Brisigoia Germani; Philippo-Burgum, Spira, Vvormacia, Moguntiacum, obuia quæque aceruatim ad vtramque Rheni ripam occupa-*

ta oppida. Postero anno[a], *par successus in Belgio, in Hispania, in Germania. Multæ Arces Vrbésque Artesiæ, Flandriæ, Catalaniæ, Tuis Ditionibus adiectæ. Germani rursum in Sueuia debellati; vindicata Suecorum cædes; capta Nordlinga, miles ad Danubium effusus. Anno insequenti*[b], *peruasa Flandria; Cortracum ad Lysam, Dunquercha ad Oceanum, aliáque loca vi hostibus adempta; copiæ, quas Ordines Fœderatarum Prouinciarum in auxilium postularant, ad Fossam vsque Brugensem, anteà vix auditam, intrepidè profectæ; Belgium Tuis turmis è Francia in Bataniam, vicissim è Batauia in*

[a] A. 1645.
[b] A. 1646.

Franciam peruium; legiones Danubium transgressæ; penetrata Bauaria; hostes quoque profligati in Italia Insulísque adiacentibus, & è toto Principatu Plumbinensi procul summoti; ne Tuis Trophæis vel vna deesset tot Nationum, de quibus Parens Tuus ab initio belli per annos octo sæpissimè triumpharat.
[a] A. 1647. *Anno proximo* [a]*, Bauarus ad paciscendas inducias adactus. Magnificentiore deinde apparatu, quàm*
[b] A. 1648. *olim Imperatorum, acta Tua* [b] *Quinquennalia in Belgio, in Hispania, in Bauaria, in Vvestphalia. Cæsi ad Lensium in Artesia Hispani fugatúsque Cæsaris frater. Traiecto Ibero expugnatâque Dertusâ*

perterrita ulterior Hispania. Bauarus in pœnam violatarum induciarum factus extorris, vixque in extera Ditione trans Oenum pluuiis intumescentem securus, Tuis agminibus illum ultra Danubium, ultra Lycum, ultra Isaram insecutis. Pax apud Monasterium Vvestphalorum inita; quies Germaniæ Sueciæque parta; Sociis Tuis amplissimi Principatus Auitique Tituli restituti; Tuo Regno tres additæ Diœceses spatiosissimæ, necnon Alsatia, Suntgouia, Brisacum. Regi puero quid felicius, Matri Regenti quid optatius contingere potuit?

Aliis artibus studuerunt Nanthildis & Bathildis. Vtraque, quam

initio ſui Regiminis pacem nacta eſt, quibuſcumque potuit modis, fouit ac conſolidauit. Neutra ignorabat Principatum Regis adhuc pueri ciuilibus diſcordiis valdè obnoxium eſſe. Nanthildis, quandiu Coniugi ſuperſtes vixit, nec domeſtico nec externo bello fuit inquietata. Bathildis tumultum Auſtraſianum prudenter compeſcuit abſque vllà Regni Regiæve Dignitatis imminutione. Sigibertum Matre deſtitutum grauiores diuturnioréſque motus exercuerunt. Radulphus Thuringiæ Gubernator, qui Samonem finitimorum Slauorum Regem crebris congreſſibus vicerat, proſperis intumuit euentibus, & Sigiberti

Regis pueritiam adeò despexit, vt eius exercitum adoriri non dubitarit. Sigibertus, licèt vndecimum vitæ annum adhuc ageret, interfuit prælio; suorúmque stragem ægerrimè tulit. Vbi verò viribus & industriâ vegetior per ætatem factus est, ab insequendis perduellibus non destitit, donec eos perdomuit ac Thuringiam recepit. En altera Tui Principatûs imago, REX GLORIOSISSIME. *Factis Tuis Quinquennalibus, annum vndecimum vix attigeras; cùm tumultus in meditullio Franciæ concitatus est, auctâque postmodum per multas Prouincias factione rebellio Ciuitates nec paucas nec* A. 1649.

ignobiles ad Sequanam, ad Ligerim, ad Meduanam, ad Axonam, ad Mosam, ad Ararim, ad Rhodanum, ad Carantonum, ad Dorodoniam, ad Garumnam, ad vtrumque mare peruasit. Multò felicior Tibi quàm Sigiberto successus in tanto discrimine. Carebat Matre Sigibertus. ANNA *Tibi non defuit. Hæc inter tot procellas stetit imperturbata, cúmque ex iis etiam, qui longo rerum vsu prudentes habebantur, quidam seruiendum tempori, componendorúmque motuum causâ nonnihil de iure Regio remittendum sentirent, effato nec à Te nec à Tuis Nepotibus satis vnquam laudando constantissimè*

pro-

pronuntiauit malle se extrema quæque vel ipsam mortem subire, quàm pati, vt se Regnum administrante, quidpiam vel minimum fieret, propter quod aliquando de Regia Dignitate tantillum imminuta conqueri posses. Eâ magnitudine animi, non tantùm iter [a] in Nortmanniam, in Burgundiam, in Aquitaniam nullâ interpositâ quiete suscepit, vt Te perduellibus in disiunctissimis locis opponeret vbique Nominis Tui Maiestate formidabilem, sed & postquàm Tibi legitimam ætatem adepto Regiminis habenas tradidit [b], à latere Tuo, seu rursus in Aquitaniam, seu sæpiùs in Campaniam, in Picardiam, in Bel-

[a] A. 1650.

[b] A. 1651.

gium aut Lugdunum proficiſcereris, per annos octo non receſſit. Illo temporis ſpatio tot tantaſq; res confeciſti proſperis vbique ſucceſſibus, vt Orbem vniuerſum in admirationem Tuarum Victoriarum rapueris. Ipſos exercituum Duces, qui Tuis nuper imperiis obſecuti Belgium ac Germaniam omnem timore compleuerant, reos perduellionis factos mox perterruiſti, docuiſtique diuerſis in locis à Te facilè vinci poſſe, qui priùs vbique ſteterant inuicti, cùm pro Tua cauſa militauerant. Alios prælio fudiſti ad Axonam, alios in agro Santonico profligaſti; vtroſque ſuperaſti exterarum etiam Gentium, quas anteà Tuo Nomine debellarant,

auxiliaribus copiis fultos. Non paucos, quos defectionis pœnituit, veniâ clementissimè donasti, Tuísque statim copiis iterum præfecisti pugnaturos rursum cum quibuslibet hostibus, nec minùs frequenter aut minùs magnificè quàm anteà triumphaturos. Ceteros, qui Benignitatem Tuam experiri tam citò noluerunt, è Tuis Regnis discedere vi coegisti; extorres memorabilibus vicisti prælijs, Ciuitates obsidione seu cingerent, seu liberare vellent; illos etiam, quod Tibi valdè gloriosum fuit, per eos, quos ad se quondam traxerant, in fugam egisti. Quid dicam de tumultu ad Rhenum? Dux strenuus, qui terrâ maríque sub auspiciis Pa-

gium aut Lugdunum proficiſcereris, per annos octo non receſſit. Illo temporis ſpatio tot tantaſq; res confeciſti proſperis vbique ſucceſſibus, vt Orbem vniuerſum in admirationem Tuarum Victoriarum rapueris. Ipſos exercituum Duces, qui Tuis nuper imperiis obſecuti Belgium ac Germaniam omnem timore compleuerant, reos perduellionis factos mox perterruiſti, docuiſtíque diuerſis in locis à Te facilè vinci poſſe, qui priùs vbique ſteterant inuicti, cùm pro Tua cauſa militauerant. Alios prælio fudiſti ad Axonam, alios in agro Santonico profligaſti; vtroſque ſuperaſti exterarum etiam Gentium, quas anteà Tuo Nomine debellarant,

auxiliaribus copiis fultos. Non paucos, quos defectionis pœnituit, veniâ clementissimè donasti, Tuísque statim copiis iterum præfecisti pugnaturos rursum cum quibuslibet hostibus, nec minùs frequenter aut minùs magnificè quàm anteà triumphaturos. Ceteros, qui Benignitatem Tuam experiri tam citò noluerunt, è Tuis Regnis discedere vi coegisti; extorres memorabilibus vicisti præliis, Ciuitates obsidione seu cingerent, seu liberare vellent; illos etiam, quod Tibi valdè gloriosum fuit, per eos, quos ad se quondam traxerant, in fugam egisti. Quid dicam de tumultu ad Rhenum? Dux strenuus, qui terrâ maríque sub auspiciis Pa-

rentis Tui maximam ſibi laudem pepererat, ipsámque factionem Tuis armis in Aquitania penè deleuerat, cùm vix quidquam ad decoris cumulum deeſſet, oblitus gloriæ iam partæ, malíſque conſiliis abreptus deſciuit ab officio, ſeceſsítque in remotiſſimas Regni partes, vbi nec propugnaculis, nec arcibus, nec præſidiis, nec ipsâ quâ plurimùm pollebat belli peritiâ ſe tutum putauit, niſi reatum faſſus ad asylum Tuæ Clementiæ confugeret. Quippe aliorum exemplis edoctus HENRICO MAGNO *Te parem Manſuetudine nouerat, ſciebátque Victoriam, quotieſcumque Franci prælio inter ſe decertarent, expanſis alis ad ea*

castra festinare solitam, in quibus miles tripudiando Nomen Tuum ingeminaret.

Intestinis autem bellis tam feliciter conficiendis sic incumbebas, vt extera nec negligeres nec intermitteres. Hostis vaferrimi simul ac potentissimi versutiam cauisti prudentiâ, vim armis apertè repulisti. Vt vel copias conscribere cessares, vel Christianæ tranquillitatis osor habereris, renouandæ quietis desiderio se teneri sæpè finxit, & locum, vbi conuentus pro sancienda Pace fieret, indici per simulationem postulauit. Toties spem suam vidit euanescere, fortissimos enim exercitus comparasti, nec affectati belli suf-

picionem incurristi. Testes Tuæ synceritatis fecisti Nuncium Apostolicum & Oratoris Veneti tunc absentis Secretarium, quorum colloquium elusit post inanem ostentationem literarum, quas non restituendæ per Europam, vt iactitabat, tranquillitati, sed fouendis, vt optabat, per Tua Regna discordiis ingeniosissimè accommodarat. Summus Pontifex, Senatus Venetus, quorum studio negotium ex vtriusque partis consensu pactóque promouendum erat, totus Orbis, qui spem magnam ex ea congressione concipiebat, his dolis illusus. Alterâ vice, simili conuentui Nuncius Apostolicæ Sedis & Orator Venetus, ne ludibrio rur-

ſum haberentur, intereſſe conſtantiſſimè recuſarunt, licèt à Te non ſemel rogati. Doluiſti Tuæ cauſæ deeſſe teſtes tantæ auctoritatis, quorum relationi nemo non crediddiſſet. Miſiſti tamen Oratorem, qui pro Te tranſigeret, & vt ipſimet perduelles Te Pacis cupidiſſimum deinceps vel inuiti faterentur, Virum ad obeundam Legationem elegiſti, qui non erat in Tuo Comitatu, perduellionemq; pro viribus ab initio fouerat fouebátque. Poſt ſuum è Regnorum colliminio reditum hic diſſimulare non potuit Hiſpanos à Pace, cuius ſe cupientiſſimos ſimulabant, animo eſſe auerſatiſſimo. Tot fictiones à ſuſcepto conſilio Te mi-

nimè reuocarunt. Pacato Regno, cùm exercitus Tui per Belgium, per Hispaniam, per Italiam victores circumducebantur, auctoq; Sociorum numero rei per tot disiunctissimas Prouincias meliùs adhuc gerendæ spem maximam faciebant; Oratorem acturum de Pace
* A. 1656. *Madritum vsque sponte direxisti.* *Quòd certè non satis è Tua Dignitate fecisse videreris, nisi quæcumque publicæ tranquillitatis conciliandæ gratiâ suscipiebas, honorificentissima Tuæ Maiestati duxisses. Ex illo conatu, qui totus ad instaurandam Populorum quietem spectabat, nullus Tibi fructus, vberrimus verò cessit ex belligerandi ne-*

cessitate.

cessitate. Tuas Victorias in Italia non retardarunt auxiliares Cæsaris copiæ. Valentiam ad Eridanum non expugnasti modò, sed & vicinis Vrbibus tantum timorem intulisti, vt hostes de illius recuperatione ne quidem cogitarint, quamuis ab annis duobus ac viginti, quibus bellum iam flagrauerat, haud passi fuissent vel exiguum illius Regionis vicum in Parentis Tui Tuâve vel Fœderatorum potestate permanere. Gubernator Mediolanensis, cùm iudicaret è re sui Regis id esse potissimùm, vt ei Ditio Mediolanensis integra seruaretur, ipsumq́ Regem ab initio belli sic sensisse probè sciret, aut suppeditandas sibi

vires, quibus id agere posset quod à se postulabatur, aut seriò de Pace transigendum rescripsit. Optimè consulebat Vir vsu rerum probatissimus, neutrum tamen iteratis sæpè literis obtinuit, quia primum nimis difficile, odiosum alterum. Interim
ᵃ A. 1657. *Cæsar obiit ᵃ. De auxilio, quod nuper Hispanis cùm in Italia tum in Belgio præstiterat, questus es per Oratores apud Collegium Electorale. Primarij Electores oblatam inde sibi occasionem rati, vt colloquio de Pace rursum instituendo allaborarent, opus tam pium promouere tentarunt. Eos elusit Orator Hispanus, eâdem vsus arte procrastinandi, quâ quondam in Conuentu Monaste-*

rienſi; priorem dilationem poſt aliquot annos; cùm tumultus in Francia ciebantur, laudauerat Rex Catholicus; ne poſteriorem ita laudaret, præter alias res vetuerunt, amiſſio plurimarum Vrbium, præliorum infelices exitus, Belgij, ſi quæ vnquam, maxima trepidatio. Eâdem enim æſtate, copias ſuas in Flandria bis cæſas luxit, ſemel ad Dunquercham, iterum ad Brugam; Vrbéſque ſibi per vim ad Oceanum, ad Lyſam, ad Schaldim ademptas audiuit numero penè ſupra fidem, Dunquercham, Greuelingam, Bergas, Furnas, Dixmudam, Ypram, Menenam, Aldenardam, aliáſque complures non parui nominis.*

* A. 1658.

Cùm bellum adeò ſtrenuè gereres, REX INVICTISSIME, *nec vllam ſpem ineundæ Pacificationis ab hoſte malis ac cladibus tam benè aſſueto conciperes, ex improuiſo coram Tua Maieſtate ſtitit ſe Vir Nobilis ab Hiſpania, qui nullâ morâ Paci præluſit, pactus inducias, necnon locum ac tempus ad habendum colloquium. Totum tunc Orbem duplex inceſſit admiratio; vna, quòd tam facilè bello abſtinueris in medio curſu tot Victoriarum, & Tuis ipſe Trophæis, quod nullus vnquam vi facere potuiſſet, ſpontaneâ voluntate modum impoſueris; altera, quòd Hiſpani tam ſubitò ab antiqua exciderint conſtantia, quam crebra Pro-*

uinciarum ac Regnorum amissio per tot annos non labefactarat. Pacem tamen reuocare, quæ per annos quinque ac viginti longè exularat, res cunctis visa est & magna & difficilis. Ambages omnes, quibus felices exitus eiusmodi negotiorum non retardari modò sed etiam impediri sæpè solent, egregiis artibus sustulisti. A.1659.
Fortes enim exercitus conscripsisti, qui, nisi Pax fieret, fines Tuarum Ditionum latiùs quàm anteà dilatarent; &, vt Tuo Nomine paciscceretur, elegisti tot prosperorum successuum, quibus ab inito Regno gauisus eras, præcipuum auctorem, cui suos Hispania nec Albornozios nec Mendozios nec Ximenios æqui-

parare posset. Ex Pacis conditionibus, Franciæ, quà Hispaniam spectat, celeberrimos adiecisti Comitatus, Ruscinonensem ac Confluentinum cum parte Ceritaniæ; quà Belgio contermina est, Artesiam addidisti fermè integram, Vrbésque nobilissimas ac munitissima Castra cùm in Ducatu Luxemburgico, tum in Comitatibus Flandriæ & Hannoniæ. Regnum latiùs amplificaras, nec dubium videbatur quin adhuc magis amplificaturus esses, nisi bellum terminaretur. Non Te latebat hostem, vt Pacem maiore dispendio redimerent, ab Antecessoribus Tuis præter ea, quæ flagrante discordiâ sibi compararat, alia postu-

lasse. Multò æquiorem Te præstitisti; armis parta ne quidem retinere voluisti ex integra parte, locis nec paucis nec contemnendis, quæ vi coacta deditionem fecerant, in Belgio, in Comitatu Burgundico, in Italia, in Hispania sponte cessisti, vt variæ Gentes seruatâ rerum præteritarum memoriâ virtutem, quâ Tuis armis resisterent, agnoscerent sibi defuisse, deforeq́ue si bellum aliquando recrudesceret. Deinde vt eò cupidiorem Pacis & Æquitatis Te cuncti faterentur, non tam res Tuas quàm Amicorum & Sociorum curare visus es. Multi Principes cùm Germaniæ tum Italiæ, quos vel amicitiâ vel fœdere Tibi de-

uinxeras, Auita bona recuperarunt, quibus exutos se iamdudum dolebant. Id solâ Tui Nominis auctoritate factum commemorant, palámque prædicant nihil timendum, nihílque non ei sperandum, quem Tibi vel Amicum vel Fœderatum dixeris. Eâdem Pacificatione ad felicitatis cumulum Tuo Thalamo desponsa Serenissima THERESIA, *Regis Catholici ex priori coniugio proles vnica, Proto-Nobilissimi Delphini aliorumq́ liberorum Mater futura.*

Quis ANNÆ *Reginæ lætitiam verbis assequi possit, cùm hinc Filium, inde Fratrem conspexit* A. 1660. *in mutuos amplexus ire, veteres*

vtriusque Gentis inimicitias obliuione sepeliri, Fratris Filiam ad Pacem arctius consolidandam ex Nepte Nurum sibi fieri? Fuit hæc à Deo merces tot laborum, quos ab excessu LVDOVICI IVSTI *constantissimè pertulit, tot itinerum, quæ generosissimè confecit; tot precum, quas assiduè fudit ac fundendas curauit. Erat Pacis amantissima. Testis insignis illa Legatio, quam statim ac administrationem Regni suscepit, in Germaniam Tuo Nomine direxit. Testes & aliæ, quas in Italiam, in Angliam, in Sueciam, in Daniam misit, vt vbique bella cùm intestina tum extera per Oratores Tuos componeren-*

tur. Sedati motus Italiæ, Pace inter Summum Pontificem, Rempublicam Venetam Fœderatosq; Principes restitutâ. Redintegrata Suecos inter ac Danos concordia, quam vtrique per Oratores suos Tibi acceptam retulerunt. Pacificata quoque Germania per Tractatum, quem Oratores Tui Suecique percusserunt cum Cæsarianis. Ad tantum decus haud accedit Bathildis. Hæc Clotario Filio vix pubescente nuntium seculo remisit, ingressaq; Cœnobium Kalense, quod à Clotilde Clodouei Magni vxore in agro Parisiensi inchoatum, ædificiis ac reditibus plurimùm auxerat, reliquam cum Monialibus vitam transegit.

Erat & ANNÆ in deliciis quod à fundamentis erexit ad muros Parisienses Regale Monasterium, nec ei minus quàm Bathildi desiderium vitæ cum Sanctimonialibus agendæ, sed singulari prorsus sapientiâ, quid difficillimis temporibus Regina Regno, Filio adhuc adolescentulo Mater deberet, attentissimè perpendit, vsque laudabili temperamento Monasterium voluntariis secessibus sic frequentauit, vt nec Vtilitati Tuæ, nec suæ defuerit Pietati.

Pace Francos inter ac Hispanos restitutâ creuit in dies ANNÆ felicitas. Hæc Nurus habuit Regalibus Natalitiis insignes ac porphy-

rogenitas, suísque Filiis natos vtriusque sexûs liberos amplexibus fouit. In Francia perpaucæ Reginæ per duos Filios Auiæ factæ Nepotes Neptesq́ viderant; nulla duas Nurus in sua familia conspexerat Regiis incunabilis claras. Id decoris ANNÆ *reseruatum, quæ raro quoque Priuilegio Filia, Coniux, Soror, Mater & Amita Regum esset. Vix illarum laudum aliquæ Nanthildi ac Bathildi competunt. Nanthildis Vxor Dagoberti, Mater Clodouei, nec Filiam, nec Sororem, nec Amitam Regum se dixit, vitamq́ clausit Clodoueo Filio nondum coniugato. Plures Titulos haud meruit Bathildis, Regum*

Vxor duntaxat ac Mater; è tribus Filiis natu minimum reliquit superstitem, alios in adolescentia mortuos defleuit.

Vt Pace Franciæ redditâ Felicitas ANNÆ, *sic & Tua Gloria,* REX AVGVSTISSIME, *plurimùm aucta est. Abhinc impensissimæ Tibi curæ fuit, vt in Tuis Ditionibus Artes colerentur, abundarent Opes; Scientiæ florerent, vigeret Iustitia, Pietas triumpharet. Artes complures, quarum peritiâ Franci ceteris Nationibus antecellunt, reddidisti florentiores; alias, quas maximo suo detrimento negligebant, velut exules reuocasti; vtrisque Ciuitates & Oppida in*

Tuis attribuisti Regnis. vbi exercerentur. In Vrbe Regia celeberrimas Academias instituisti, laudasti lucubrationes eruditorum virorum, ipsos Auctores cùm Francos tum exteros Regalibus præmiis sic affecisti, vt æquiori Titulo Parens Literarum hactenus nemo meruerit appellari. Codicem Legum publicasti Tuo Nomine, dies elegisti, quibus ipse ius cuique diceres, zelo Iustitiæ Theodosiis, Iustinianis, Carolis, Ludouicis non æquandus modò sed anteponendus. Edictis non minùs piis quàm seueris in reos blasphemiæ, in monomachos, in contemptores Pontificiorum Diplomatum animaduertisti, propagandæque potiùs

Fidei quàm augendarum opum ſtudio Populis Tuis, vt negotiationem apud remotiſſimas quaſque Prouincias exercerent, Orientalium Gentium amicitiam ſocietatémque conciliaſti. Maiores Tui gloriâ longè Tibi ſunt inferiores, quia tamen iiſdem exercitationibus animum cogitationemq́; applicuerunt, rerum ab illis geſtarum, quamdiu pace frui licuit, enarrationem Tibi placituram confido. Ius ore proprio dixerunt; egregia ſuæ Pietatis apud poſteros reliquerunt monumenta, quæ nunc etiam ſuperſunt. Plerique Pacem coluerunt ſtudioſiſſimè. Clotarius quietè tranquilléque regnauit; Sigibertus pacato ſemel Re-

gno reliquam vitam pacificè traduxit. Est & inter Te illósque, quod ad Pacem spectat, non leue discrimen. Conseruandæ tranquillitati sic operam dederunt, vt ceterorum negotiorum penitus obliti videantur. Tu Cæsarem, qui bellicosum Ducem cum numerosis copiis in Pomeraniam direxerat, à suscepto inquietandorum Suecorum consilio reuocasti; varia finitimarum Gentium cum iisdem Suecis dissidia composuisti; Turcas imminentes Germaniæ profligasti memorabili cis Arabonem certamine; Thuringiæ Metropolim, quæ rebellauerat, ad eas redegisti angustias, vt à primario Imperij Electore veniam defectionis

humillimâ prece postularit; Mauros ad Africæ littora naualibus prælijs attriuisti; Franciæ fines inermis & absque bello per Belgium propagasti; Dunquercham Tuis iterum Trophæis adiunxisti, pactus amicabili transactione cum Britannis, vt relictâ Galliâ suam in Insulam sponte se reciperent. Post diuturnum igitur ac difficile bellum, pace sic vsus es, vt & tuendæ Populorum Tuorum quieti prudenter inuigilaueris, & Ditiones Tuas famámque non cessaueris adaugere. Sociis tutissimo fuisti præsidio; Cæsari, Germanis, Hungaris, auxilio singulari; Turcis, Mauris, aliísque Mahumetanis Gentibus, incredibili terrori.

Porrò res humanæ ſuas habent viciſſitudines, nec in eodem ſtatu diu permanere poſſunt. Europa rurſum turbari cœpit orto inter duos è Tuis Sociis, REX SAPIENTISSIME, *diſſidio non paruo. Vterque apud Te queſtus eſt de hoſte, vterque ſpem maximam in fœdere Tecum facto collocauit, vterque Te ſecum in belli ſocietatem vi Tractatuum priùs initorum trahere voluit. Doluiſti natas inter Amicos diſcordias, illas quamprimùm ſopire conatus es per Oratores. Vbi verò neceſſe viſum eſt alterutri fauere, partem amplexus es, quam æquitas ſuaſit amplectendam. Mox in idem conſilium Danus conſpirauit. Nec palàm nec clàm*

desuerunt aduersarij, quibus odio pars quam fouebas. Ne quid cautiores molirentur, Tuæ Maiestatis auctoritate prohibuisti; missis in Vvestphaliam copiis audentiores debellasti, Pacémque coegisti cum Tuis Amicis vel inuitos redintegrare. Auctor belli, licèt præpotens, vbi se Sociis destitutum vidit, resciútque se multis Insulis in nouo Orbe à Te spoliatum, paratámque à Te classem, quâ Britanniam ipsam adorireris, inclinauit ad Pacem, quam facili negotio confecit, quia in votis eam habebas, nec arma sumpseras aliâ mente, quàm vt vtriusque partis, anteà Tibi fœderatæ, saluti tranquillitatíque consuleres, quicquid

enim detrimenti capiebant capturæve erant, id aut Amicis Tuis aut Sociis rursum futuris illatum arbitrabaris. Hîc dubius hæreo, Tuámne prædicem Prudentiam, an animi Magnitudinem? Si quid aliquando de Tua cum Anglis amicitia remitteretur, magnum in Dunquercha momentum fore prouidisti; florente Pace Vrbem illam, statim ac licuit, iterum adiecisti Franciæ; Britannos per amicam compositionem è Gallia sine bello neminéque Tuorum amisso submouisti. Enatâ discordiâ non passus es occasionem elabi, quâ Tuum Nomen in America celebrares, vt nulla pars Orbis Tuas inposterum Laudes sileret,

victoriis enim Europam, Asiam famâ, terrore Africam nuper impleueras.

Ab Orbe Maioribus Tuis incognito, REX VICTORIOSISSIME, *in Galliam Belgicam, vbi regnarunt, alia Te lis euocauit. Illorum Regum temporibus, in ea Belgij parte, quæ venit in controuersiam, duæ tantùm Ciuitates conspiciebantur, Tornacum & Cameracum; in reliqua regione Castra tantùm erant aut Municipia, vbi ædificata primùm Monasteria, deinde Vrbes nôbilissimæ. Præcipuam tantæ mutationis laudem merentur Antecessores Tui, quorum Gesta tertius hic lucubrationum mearum Tomus*

amplectitur. Antiquis enim Cœnobiis suas origines vel incrementa debent, Amandopolis, Melbodium, Niuigella, Gislenopolis, Sonegiæ, Montes, Audomaropolis, Gandauum. Illa autem Monasteria Reges suprà memorati vel erigenda curarunt, vel à Dei seruis atque ancillis priùs constructa locupletarunt reditibus, suísque Præceptis ac Regali tuitione munierunt. A Sancto Amando, qui Dagoberto Magno eiúsque Filiis ac Nepotibus coætaneus vixit, condita sunt Monasteria, cùm Gandensia in tenui Municipio, regnante eodem Dagoberto, tum Elnonense ad confluentes Elnonis in Scarpum, vbi

Amandopolis, in fundo, quem habitatoribus vacuum Clodoueus Secundus Regiâ liberalitate concessit; à Sanctis Iduberga & eius Filia Gertrude Niuigellense sub Sigiberto Tertio; ab Adroaldo Neophyto sub Clodoueo Secundo Sithiuense, vbi nunc Audomaropolis; à Sancto Gisleno ex Sigiberti Tertij munificentia Cellense, in loco syluestri, cui nomen tunc Vrsidungus, hodie Oppidum Sancti Gisleni; à Sancto Vincentio Sonegiense sub eodem Sigiberto Tertio; à Sancta Vvaldetrude sub Clotario Tertio Castrilocense à Castro sic nuncupatum, vbi Montes hodiernæ Hannoniæ primaria Ciuitas; à Sancta Aldegunde

Melbodiense ad Sabim sub Childerico Secundo; ab aliis alia quoque non pauca quæ prætermitto, quia nec apud posteros adeò illustria, nec contiguis aucta sunt Vrbibus. Florebat in illis Monasteriis Abbatum Abbatissarúmque singularis Pietas. Præthereà per omnem Prouinciam sese diffundebat vigilantissimorum Episcoporum zelus incredibilis, vt & in Fide Christiani roborarentur, & ab Idolorum cultu reuocarentur Pagani. Totus ille Galliæ Belgicæ tractus ad Diœceses Tornacensem & Cameracensem vicináſque Taruannensem ac Traiectensem spectabat. Eâ ætate Tornacensem Ecclesiam rexerunt, Sanctus

Acharius,

Acharius, Sanctus Eligius, Sanctus Mummolinus. Cameracensem Pontificatum gesserunt, Sanctus Autbertus, Sanctus Vindicianus: Diœcesi Traiectensi præfuerunt, Sanctus Ioannes, Sanctus Amandus, Sanctus Remaclus, Sanctus Theodardus, Sanctus Lambertus. Ecclesiæ Taruannensis post longum Interpontificium curam suscepit Sanctus Audomarus. Grandia certè nomina, multísque elogiis æquiparanda.

Ceteras Franciæ Prouincias, vbi par Episcoporum, Abbatum, Abbatissarúmque sanctitas refulsit, Synodíque pro Hæresibus extirpandis instaurandâque Ecclesiasticâ Disci-

plinâ frequenter habitæ sunt; lubentissimè peragrarem, REX CHRISTIANISSIME, *si mihi liceret è Belgio recedere, quò Tuæ me Victoriæ non inuitum ex America traxerunt; vt rursum in Te Magnitudinem animi cum insigni Prudentia coniunctam demirarer. Vbi oblata belli causa*[a]*, ne quis eam auidiùs à Te arreptam criminaretur, amicè Tibi reddi sæpè postulasti, quod armis repetere iam poteras. In expostulationibus sesqui-annum frustrà consumpsisti. Pax interim fracta*[b]*, quam Tecum Angli pepigerant. Hispani, quandiu dissidium illud foueri posset, arbitrati sunt nihil sibi timendum, sedulò tamen*

[a] *A.* 1665.

[b] *A.* 1666.

animum rebus Belgicis applicuerunt, Castrúmque Regium ad Sabim à fundamentis excitarunt, rati hoc propugnaculo Metropolim Belgij securam fore. Sera subiit eos pœnitentia, quòd, Vrbium inter Sabim ac Mosam sitarum factâ permutatione, viam Tuis legionibus in Brabantiam aperuissent. De obice opponendo consilium inierunt, locum elegerunt operibus munitionibúsque sepiendum, ídque validissimo fuit apud omnes Nationes argumento, quòd totam controuersiam armis ferróque dirimi vellent. Pacificationis igitur, quam optaras, spe sublatâ, Belgico Te bello accinxisti, licèt Anglicanum adhuc

flagraret, multúmque de Tuis viribus aliò distraheret. Ad Arcem Regiam, quam singulari diligentiâ magnóque sumptu sinistræ Sabis ripæ imponebant, iter cum exercitu suscepisti, nemo aditum interclusit, aduentûs Tui vulgatâ famâ diffugerunt artifices, diffugerunt & præsidiarij milites opere imperfecto, vt in maximis trepidationibus fieri consueuit. Moram ibi fecisti, donec Arx perficeretur, renuntiatúmque esset, quid tandem consilij super salute Belgij Rex Catholicus in tanto discrimine cepisset. De Pace, cui Te faciles aures præbiturum spoponderas, nihil relatum. Vlteriùs progressus, Hannoniæ, Brabantiæ,

ceteríſque Ditionibus Hiſpanicis, quæ Moſam Schaldímque interiacent, ingentem metum incuſſiſti. Ab amne Sabi copiis Tuis iter in Brabantiam interiorem patebat. Qua de re cùm Brabantini conuenirent, ne deinceps alueis fluminum ſe tutos ex aliis partibus putarent, viam Tuis exercitibus ab Oceani littore remotiſſimo patefeciſti, Colmâ, Lysâ, Schaldi, Tenerâ, & Foſſâ Brugenſi traiectis; quin & hoſtem acie profligaſti trans illum Canalem; tractúmque terrarum, qui Lyſam inter ac Schaldim medius eſt, in prouinciam redegiſti. Mira ſanè res. Vnâ æſtate[a], *à Sabis ripa,* a. A. 1667.
quam muniebant, Hiſpani procul

ſummoti, biſque prælio fuſi, ſemel vltra Foſſam Brugenſem, iterum in finibus Hannoniæ ac Brabantiæ; Tornacum & Tornaceſium Regno Franciæ reſtituta; Duacum, Orchiacum, Iſla, totáque Gallo-Flandia recuperata; expugnatæ in aliis Prouinciis Vrbes non paucæ, Bergæ ad Colmam cum vicinis Furnis occupatæ, Cortracum aliáque ad Lyſam capta oppida, ſubiugata infra Tornacum ad Schaldim Aldenarda, ſubactum ad Teneram Aloſtum; Reginæ Chriſtianiſſimæ in Tornaceſio & in Gallo-Flandria decretus exhibitúſque Triumphus. Quantarum Victoriarum hoc præludium?

A ripa Sabis in Tornacesium, tum in Gallo-Flandriam profectus es, REX INVICTISSIME. *Decebat animi Tui Magnitudinem, vt si quæ Belgij Ciuitas Regali quondam Titulo gauisa esset, hanc oppugnares. Ea verò prærogatiua soli Tornaco competebat, vbi Regiam Sedem Reges Francorum olim constituerunt. Ab annis fermè quindecim repertus apud Tornacum locus, vbi sepultus Childericus Clodouei Magni Pater, effossáque varia ornamenta quibuscum terræ mandatus fuit. Hoc casu, Tornaco vindicatum* Regalis quondam Ciuitatis *nomen, quod ei ante annos ferè mille à celeberrimo Scrip-*

tore[a] *attributum. Nec id leui ceſſit indicio, quòd Tornaceſium rurſus intra Franciæ fines futurum eſſet. Omnes in eam opinionem iuerunt, poſtquàm ſepulchralis illa Childerici Regis gaza Lutetiam allata eſt, & in Armario Luparenſi, Te iubente, collocata. Nemo non exiſtimauit, apud Tornacenſes, Francicæ Dominationis; apud Te, amiſſi Tornaceſij memoriam ad multos annos reſricatam eſſe. Regiam ſupellectilem magno ſtudio Gubernator Belgij procul à Tornacenſium conſpectu, procúlque cùm à Belgio tum à Franciæ limitibus in remotiſſimam Germaniæ Prouinciam tranſportarat, vt apud*

[a] *Vrbs Tornacenſis, quæ quondam Regalis Ciuitas.* Audoenus in vita S. Eligij.

Tornacenſes

Tornacenses Childericus obliuione denuò sepeliretur, Tuumq́ animum cogitatio recuperandi Tornacesij nusquam subiret. Ignorari potuit Childerici Regis sepultura, nequaquam verò zelus Tornacensium erga Maiores Tuos Franciámque feruentissimus. Auditâ Caroli Sexti morte, cùm Ciuitates penè omnes Cis-Ligeritanæ vel ab Anglis vel à perduellibus detinerentur, Tornacenses, quamuis vndequaque cingerentur ab hostibus, & in vltimis Regni partibus siti essent, Carolum Septimum Patris sui legitimum hæredem agnouerunt, statímque per Nuncios protestati Tornacesium annis iam nongentis ad Franciæ Co-

ronam nudè & ſine medio [a] *pertinuiſſe, in præmium fidei tot ſeculis inuiolatæ, Regales literas inſtantiſſimè poſtularunt, quæ Tornaceſium Coronæ Francicæ inſeparabiliter vnitum, nec vllâ vnquam occaſione ab illa ſeparandum Feudíve Titulo Regiæ proſapiæ Principi cedendum declararent. Rex poſtulationi tam laudabili lubentiſſimè annuit, & eâ quâ par erat amicitiâ Populum adeò fidelem ſemper fouit, fouerunt & Succeſſores, donec cogente neceſſitate Franciſcus Primus à Caroli Septimi Diplomate receſſit. Gallo-Flandriam, quæ Coronæ Franciæ tunc etiam immediatè ſubiacebat, eadem quæ Tornaceſium*

[a] *Nuëment & ſans moyen.* Ita ſcribit Carolus VII. in literis ad Tornacenſes, datis menſe Ianuario, anno Regni primo.

calamitas inuoluit. Vtramque Prouinciam ipſe recuperaſti, Tornaco Tornaceſij capite, Duaco & Iſlâ Gallo-Flandriæ primariis Vrbibus obſeſſis & expugnatis. Feliciſſimum hoc Tuarum Victoriarum initium, vnde per varias Dynaſtias, quas Anteceſſores Franciſci Primi ſuas eſſe dixerunt, fama latiſſimè percrebuit, Te damnis, quæ Franciæ per Madritenſem Tractatum illata ſunt, reſarciendis diligenter incumbere.

Singulari verò prouidentiâ contigit, REX CHRISTIANISSIME, *vt eodem tempore, quo partem illam Galliæ Belgicæ Tuis Regnis adiiciebas, res in ea ſeptimo ſeculo*

ſub Anteceſſoribus Tuis maximo Chriſtianæ Religionis incremento geſtas ex variis Auctoribus fide digniſſimis exſcriberem. Illâ enim ætate floruerunt Viri ſanctitate conſpicui, qui tanquam Patroni vel Apoſtoli à pleriſque Belgarum hodie coluntur; ab Audomaropolitanis Sanctus Audomarus; à Bergenſibus Sanctus Vvinnocus; à Cortracenſibus & Antuerpienſibus Sanctus Amandus & Sanctus Eligius; à Gandauenſibus Sanctus Bauo; à Melbodienſibus Sancta Aldegundis; ab Hamaticenſibus Sancta Rictrudis; à Marchianenſibus Sancta Gertrudis cognomento Senior; ab Amandopolitanis Sanc-

tus Amandus; à Condatensibus Sanctus Vvasnulphus; à Gislenopolitanis Sanctus Gislenus; à Laubacensibus, Alnensibus, Vvaslerensibus & Crispiniensibus Sanctus Landelinus; ab Altimontensibus & Sonegiensibus Sanctus Vincentius; à Niuigellensibus Sancta Gertrudis Iunior; à Montensibus Sancta Vvaldetrudis; à Bruxellensibus Sancta Gudila; Sanctus Adalbaldus à Duacensibus; à Tornacensibus Sanctus Eligius, qui & insignem Abbatiam Sancti Martini, quam Regali præsentiâ cohonestasti, in colle Tornaco tunc imminente à fundamentis extruxit.

Gesta tot Sanctorum, qui vixe-

runt in Belgio, per annos quâ potui diligentiâ & fide digessi. Alia quoque multa, quæ pertinebant ad eandem Regionem, in hac tertia operis à me suscepti parte complexus sum, nec ceteras Franciæ Prouincias, quæ magnam etiam scribendi materiam præbuerunt, negligendas duxi. Si quid in illa lucubratione Tibi placiturum est, id vt meæ gratitudinis obseruantiæque monumentum habere velis, enixè submisséque postulo

CHRISTIANISS. MAIESTATI TVÆ

Deuotissimus ac fidelissimus Cliens & Subditus
CAROLVS LE COINTE, Congregationis Oratorij D. N. IESV-CHRISTI Presbyter.

Lutetiæ Parisiorum,
anno 1668.

REGES FRANCORVM.

TABVLA PRIMA,

A Priamo vſque ad obitum Clotarij I.

PRIAMVS Rex Francorum, anno 382.

MARCHOMIRES Rex Francorum, anno 389.

FARAMVNDVS Filius Marchomiris, Nepos Priami, regnare cœpit anno 417. obiit anno 426.

CLODIO poſt patrem regnauit anno 426. obiit an. 446.

MEROVEVS patri ſucceſſit anno 446. obiit anno 456.

CHILDERICVS regnum ſuſcepit anno 456. obiit an. 481.

CLODOVEVS regnum iniit anno 481. factus eſt Christianus anno 496. obiit anno 511. Reliquit quatuor filios, qui paternam hæreditatem in quatuor partes diuiſerunt.

- THEODORICVS Rex anno 511. obiit anno 534.
  - THEODOBERTVS R. an. 534. obiit an. 548.
    - THEODOBALDVS II. R. an. 548. ob. an. 555.
- CLODOMERES Rex anno 511. vitam clauſit anno 524.
  - THEODOBALDVS I. Rex anno 524. deſiit viuere an. 526.
  - GVNTHARIVS Rex anno 524. deſiit viuere an. 526.
  - CLODOALDVS R. anno 524. regnum amiſit anno 526.
- CHILDEBERTVS Rex anno 511. obiit anno 558.
- CLOTARIVS Rex anno 511. totius Franciæ Monarchiam obtinuit anno 558. obiit anno 561.

TABVLA SECVNDA,

Ab obitu Clotarij I. vſque ad annum Chriſti DCXXXII.

CLOTARIVS I. obiit anno 561.

CHARIBERTVS R. an. 561. obiit anno 567.

GVNTCHRAMNVS R. an. 561. obiit anno 593.

CHILPERICVS Rex anno 561. obiit an. 584.

SIGIBERTVS Rex anno 561. obiit anno 575.

CLOTARIVS II. Rex anno 584. totius Franciæ Monarchiam obtinuit anno 613. Dagobertum filium Regem Auſtraſiæ præfecit anno 622. obiit an. 628.

CHILDEBERTVS II. R. anno 575. Guotchramno patruo ſucceſſit anno 593. obiit anno 596.

DAGOBERTVS Rex Auſtraſiæ anno 622. Monarchiam Francorum obtinuit anno 628. partem Aquitaniæ Chariberto fratri dedit anno 629. iterum Monarcha factus eſt anno 630.

CHARIBERTVS II. R. a. 629. ob. an. 630.

THEODOBERTVS II. R. an. 596. obiit an. 612.

THEODORICVS II. Rex anno 596. fratri Theodoberto ſucceſſit an. 612. obiit anno 613.

CHILPERICVS II. Rex anno 630. obiit eodem anno.

SIGIBERTVS II. filius Theodorici II. natu maximus, Rex anno 613. extinctus eſt eodem anno.

TABVLA TERTIA,

Ab anno Chriſti DCXXXII. vſque ad annum DCLXXX.

DAGOBERTVS Francorum Monarcha Sigibertum filium Regem Auſtraſiæ præfecit anno 633. obiit anno 638.

SIGIBERTVS III. à patre conſtitutus eſt R. Auſtraſiæ anno 633. obiit anno 654.

CLODOVEVS II. R. an. 638. Monarchiam Francorum obtinuit an. 654. obiit an. 655.

DAGOBERTVS II. in Hiberniam ablegatus eſt an. 654. regnum Auſtraſiæ recoperauit an. 673. obiit an. 680.

CLOTARIVS III. Monarcha anno 655. Childerico fratri ceſſit Aoſtraſiam anoo 660. obiit an. 669.

CHILDERICVS II. Rex anno 660. Monarchiam Francorum obtinuit anno 669. obiit anno 673.

THEODORICVS III. Rex anno 673. extincto Dagoberto II. Monarchiam Franc. obtinuit anno 680.

ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM.

HISTORIA, quam Tullius lucem veritatis appellauit, res ipsas, quas illustrare verásque manifestare debet, opacissimis obuoluit tenebris, & vtrùm veræ sint an falsæ, Lectori sæpè in dubio relinquit, nisi fulciatur subsidio Chronologiæ, quam non immeritò lumen illius & oculum nuncupaueris. Ea ratio superioribus Annalium, quos vulgamus, Tomis plerumque nos mouit, vt in Characteribus Chronologicis, quos Auctores suppeditatunt, aut explicandis aut corrigendis haud parum immoraremur. Nec in alia materia versari potest initium huiusce tertij Voluminis, ducitur enim à Principatu Sigiberti quem Dagobertus Austrasiis Regem præfecit, & ab anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio quo Sigibertum à Dagoberto patre Regem institutum contendimus. Quæ duæ res simul conuenire nequeunt, nisi priùs examinentur totidem Characteres Fredegarij, quorum alter eget interpretatione quia bifariam intelligi potest, alter emendatione quia fuit deprauatus. Prior sic occurrit capite duodeseptuagesimo Chronici Fredegariani. Dagobertus, *cùm iam anno* VII. *regnaret, maximam partem Regni patris (vt suprà memini) assumpsit, Burgundias ingreditur.* Posterior sic capite septuagesimo-quinto. *Anno* XI. *regni Dagoberti, cùm Winidi iussu Samonis fortiter sæuirent, & sæpè transcenso eorum limite Regnum Francorum vastando Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis* I.

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1.

vrbem veniens, cum consilio Pontificum seu & Procerum, omnibúsque Primatibus Regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in Auster Regnum sublimauit. Circa priorem duplex est opinio. Perpauci, quos nihilominùs sequimur, annum Regni septimum, quo Dagobertus Burgundiam ingressus est, interpretantur ab eo tempore quo Clotarius Dagobertum filium apud Austrasios regnare permisit, plerique ab obitu Clotarij patris. Posterior Character corruptus fuit, & anni XI. loco reponendus est annus XII. Argumenta, quibus sententiam nostram ad annos Christi sexcensimum duodetricesimum & sexcentesimum tricesimum-secundum Tomo secundo confirmauimus, superuacaneum esset hîc repetere, nec alia deerunt, quibus eædem assertiones infrà comprobentur.

II. Chronologiæ, quâ nixi sumus hactenus, epitomen paucis accipe. Clodoueus Magnus, cuius obitum in annum Christi quingentesimum decimum-quartum Sigebertus alíique quamplurimi reiiciunt, ex hac vita discessit anno Christi quingentesimo vndecimo, vt docent multa, quæ de illius filiis in Marij Chronico scripta reperiuntur. Clotarius Primus Regnum post patrem tenuit non annis vno & quinquaginta, vt ex Gregorio Turonensi plerique contendunt, sed annis duntaxat quinquaginta, vitámque clausit anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo. Chilpericus obiit anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto, regnauit enim annos viginti-tres, ídque palàm prædicat Gregorius Turonensis, dum Sigiberto Chilperici fratri tribuit annos regni quatuordecim [a], & ipsum Chilpericum anno Childeberti post Sigibertum patrem regnantis nono [b] mortuum tradit. Clotarius Secundus anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto regnum suscepit, & teste Fredegario [c] desiit viuere anno Regni sui quadragesimo-quinto, id est, anno Christi sexcentesimo duodetricesimo, cùm, iuxta stylum Fredegarianum, annos completos tres & quadraginta, duósque regnasset incompletos. Idem Clotarius, cùm ageret annum Regni tricesimum-nonum, vt Fredegarius manuscriptus [d], Anonymus in Gestis [e] Dagoberti Regis, & Aimoinus [f] constantissimè testantur, ipsum Dagobertum filium natu maiorem Austrasiæ Regem constituit. Itaque Dagobertus anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo Regnum auspicatus est, & Principatûs quem gessit annus duodecimus, quo Sigibertum filium Austrasiæ Regem præposuit, cum anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio comparatur. Hæc breuiter de Characteribus Chronologicis. Narrationem rerum gestarum nunc aggrediamur.

[a] Lib. 4. c. 46.
[b] Lib. 6. capp. 33. 46.
[c] Cap. 56.
[d] Apud Hadr. Vales. lib. 18.
[e] Cap. 12.
[f] Lib. 4. cap. 8.

AN. CH. 633.
DAGOB. R. 12.
SIGIB. III. R. 1.

ANNVS
CHRISTI 633.
DAGOBERTI R. 12. 6.
SIGIBERTI III. R. 1.

DAGOBERTVS anno Regni sui duodecimo, id est, anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio, cùm hyemem in Austria transegisset, priusquàm in Neustriam rediret, Sigibertum filium Austrasiis præficere statuit. I.
Fredegarius id consilij captum ab eo tradit, quia Slaui cognomento Winidi, de quibus sæpè loquitur, frequentibus irruptionibus Austriam lacessebant. *Cùm Winidi*, inquit [a], *iussu Samonis* (is Slauorum Rex erat, de quo verba non semel iam fecimus) *fortiter sæuirent, & sæpè transcenso eorum limite Regnum Francorum vastando Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis vrbem veniens, cum consilio Pontificum, seu & Procerum, omnibúsque Primatibus regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in Auster regnum sublimauit, sedémque Mettis ciuitatem habere permisit.* Dagobertus cùm Sigibertum Regni consortem fecit, exemplum Clotarij patris imitatus filio nullam concessit è ciuitatibus, quas prisci Reges Austrasiæ cis Arduennam syluam & Vosagum montem aut in Aquitania Prouinciâue possederant. Id constat ex Fredegario & ex Desiderio Cadurcensi Antistite, vt anno sequenti ostendemus. Marculfus [b] formulam habet Regij Diplomatis, vt fidelitatis sacramentum Regis filio promittatur, quem Rex in parte Regni sui Regem constituit. *Ille Rex illi Comiti. Dum & nos vnà cum consensu Procerum nostrorum, in regno nostro illo gloriosum filium nostrum illum regnare præcepimus, ideo iubemus vt omnes pagenses vestros, tam Francos, Romanos, vel reliquas nationes degentes bannire*, id est, edicto conuocare, *& locis congruis per ciuitates, vicos & castella congregare faciatis. Quatenus præsidente Misso nostro illustri viro illo, quem ex nostro latere illuc pro hoc direximus, fidelitatem præcelso filio nostro, vel nobis, & leode*, id est, fide, *& samio*, restituendum putamus, sacramento, *per loca Sanctorum, vel pignora quæ illuc pro eodem direximus, debeant promittere & coniurare.* Res sanè obseruatu digna, reliquias Sanctorum in eam rem à Rege mitti solitas, vt illis tactis sacramentum fidelitatis præstaretur.

DAGOBERTVS SIGIBERTVM CONSTITVIT REGEM AVSTRASIÆ.

[a] Cap. 75.

[b] Lib. 1. c. 40.

II. Sigibertus, cùm apud Austrasios regnare cœpit, annum agebat ætatis suæ quartum, donec autem adolesceret párque fieret tractandis negotiis, Dagobertus, vt Fredegarius [c] scribit, *Hunibertum Coloniæ vrbis Pontificem & Adalgiselum Ducem Palatij, ad Regnum gubernandum instituit*, siue, vt Author Chronici Sanbenigniani ex Fredegario refert, *Cunibertum Coloniæ vrbis Pontificem, & Agalgisum Ducem, instituit gubernare Palatium & Regnum.* Anonymus in vita Pipini Ducis, Sigebertus Gemblacensis in vita Sigiberti Regis, aliique recentiores, cùm Pipinum in Austrasia sub Clotario & Dagoberto Regibus, necnon etiam post mortem Dagoberti sub Sigiberto Rege potentissimum aduerterent, facilè crediderunt præcipuam authoritatem in Austrasia penes Pipinum illis etiam temporibus fuisse, quibus Sigibertus Regnum tenuit patre Dagoberto in viuis adhuc superstite. *Dagobertus*, inquit Sigebertus, *filium suum Sigebertum in regnum Austrasiorum sublimauit, sedémque Regis Metis vrbem habere permisit, partem etiam thesaurorum sufficientem tradidit, & hoc totum Edicto Regali & Procerum attestatione authorizauit. Tutelam verò Regis, cuius pueritia timebat, commisit Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi, & Adelgiso Duci, curam verò regni Austrasiorum & prouidentiam omnium imposuit Pipino Principi.* Sed

[c] Cap. 75.

ADMINISTROS STATVIT CHVNIBERTVM EP. COLONIENSEM ET ADELGISVM DVCEM.

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. I. RETENTO IN NEVSTRIA PIPINO.

aliter se res habuit. Etenim Dagobertus, simul ac in Burgundiam ac Neustriam Clotario patri successit, Neustrasiis Consiliariis totum se tradidit, eisque auctoribus Proceres Austrasiorum, qui ipsum secuti erant, vt quisque opibus & dignitate eminebat, suspectos ac inuisos habuit, totóque ferè decennio quo patri superuixit, apud se retinuit in Neustria, ne quid rerum nouatum in Austriam reuersi molirentur. Sic Pipinus, qui potentiâ ceteris Austrasiis præstabat, ad obitum vsque Dagoberti remansit in Neustria. Interim Dagobertus Sigibertum filium Austriæ Regem præfecit, totámque Regni administrationem esse voluit penes Chunibertum Antistitem Coloniensem & Adalgiselum Ducem qui vices Pipini Maiorisdomûs ageret. Mortuo demum Dagoberto Pipinus domum reuersus est, adiunctóque sibi Chuniberto Episcopo vetere amico Regnum Austriæ, sicuti sub Dagoberto antè fecerat, iterum sub Sigiberto puero gubernauit. Audiendus ea de re Fredegarius [a]. *Cùm Pipinus Maiordomûs post Dagoberti obitum, & ceteri Duces Austrasiorum, qui vsque in transitu Dagoberti suæ fuerant ditioni retenti, Sigibertum vnanimi conspiratione expetissent, Pipinus cum Chuniberto, sicut & priùs amicitiæ cultu in inuicem conlocati fuerant, & nuper sicut & priùs amicitiâ vehementer se firmiter in perpetuo conseruandâ obligant, omnésque Leudes Austrasiorum secum vterque prudenter & cum dulcedine adtrahentes, eos benignè gubernantes, eorum amicitiam constringunt sempérque seruandam* Fredegarium paucioribus verbis ita reddidit Aimoinus [b]. *Pipinus, qui sub Dagoberto assiduè cum aliquibus ex Austria Primoribus Palatium incoluerat, eo obeunte ad Sigebertum se confert, iunctóque tum Chuniberto Pontifice (vt pridem) amicitiarum fœdere, vtilia cum eo Regi memorato ministrabat consilia.*

[a] Cap. 85.

[b] Lib. 4. c. 36.

III. Dagobertus Rex, cùm *Sigibertum filium suum in Auster Regnum sublimauit*, non tantùm *Hunibertum Colonia vrbis Pontificem, & Adalgiselum Ducem Palatij, ad Regnum gubernandum instituit*, sed & *thesaurum, quod sufficeret, filio tradens, condignè (vt decuit) eum huius culmine sublimauit, & quodcumque eidem largitus fuerat, sigillatim Praeceptionibus roborandum decreuit. Deinceps Austrasij eorum studio limitem & Regnum Francorum contra Winidos vtiliter defensare noscuntur.* Hæc Fredegarius [c].

[c] Cap. 75.

IV. Sub initium huius anni, cùm Dagobertus in Austrasia versabatur, filiúmque Sigibertum Regem Austrasiæ nondum constituerat, existimamus assignatos fuisse limites, qui Diœcesim Constantiensem ab Augustana disterminarent. Post longum interpontificium, vt ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quartum [d] obseruauimus, Augusta * Vindelicorum, à qua dicti sunt Augustenses Episcopi siue Augustani, Wicterpum Episcopum accepit, cùm Dagobertus Austrasiæ cum regio titulo ex Clotarij patris cessione iam præesset. Antistite, qui Diœcesim Augustanam regeret, sic ordinato, necesse fuit fines describere, qui Constantiensem Episcopatum ab Augustano separarent. Auctor Chronici Constantiensis de Martiano Episcopo sic loquitur. *Sub isto Martiano circa annum Domini* VI.C.XXXV. * *Episcopatus Constan. per Dagobertum Magnum Regem Francorum fuit limitatus, prout in aurea Friderici Primi bulla continetur.* Constat autem id gestum esse ante annum Christi sexcentesimum tricesimum-quintum, illo enim anno Dagobertus non erat ampliùs Rex Austrasiæ, quam Sigiberto filio lubenter antè biennium cesserat. Præpositio, *circa*, cùm annum, cui præponitur, non denotet determinatè, sed vaga sit, & ad vnum ex præcedentibus aut subsequentibus, qui tamen non multùm sit remotus, ex natiua significatione referri possit, commodè aptatur opinioni nostræ, quæ biennio tantùm distat ab anno Christi DCXXXV. fitque eò probabilior, quòd supponit Dagobertum in Austrasia tunc & regnasse & degisse. Sedebat igitur in Cathedra Constantiensi ad Rhenum Martianus Episcopus, cùm Sigibertus Austrasiæ Regno potiri cœpit. Dictus est etiam Martinus & Marianus, successitque in Episcopatum Bosoni, de quo nos Tomo superiori ad annum Christi DCXXVIII [e].

LIMES INTER EPP. CONSTANTIENS. ET AVGVST. QVANDO CONSTITVTVS.

[d] Numm. 19. 20.

* Ausbourg.

* Id est. DCXXXV.

[e] Num. 22.

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1. V. VI.

Auctor Chronici Constantiensis auteam Friderici Augusti bullam, quam sub Martiano Episcopo in textu superiùs allegato citauit, integram anteà descripserat. Ceterùm ex illius lectione difficultates oboriuntur duæ nec leues. Prima nascitur ex Characteribus Chtonologicis, altera ex enumeratione Episcopatuum qui adiacent Constantiensi.

Bulla legitur *data Constantia, anno Dominica Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo quinto, Indictione quartâ, v. Calend. Septem. regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore Augusto, anno regiminis eius quarto, Imperij verò primo.* Corrigendus est mensis, quia quinto Kalendas Septembres anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo-quinto currebat adhuc Indictio tertia, & Fridericus, qui decimo-quarto Kalendas Iulij Romæ coronatus fuerat Imperator ab Hadriano Papa, nondum redierat Constantiam. Iter Friderici Româ Vormaciam accuratè descripsit in ipsius Friderici Gestis Otto Episcopus Frisingensis eius patruus. Inprimis diem, quo coronatus est Imperator, ita notauit [a]. *Cum benedictione debita Imperij coronam accepit, anno Regni sui* IIII. *mense Iunio*, XIIII. *Kalend. Iuly.* Tum subiecit [b] excidium Spoletanorum & positionem castrorum Cæsareorum in confiniis Anconæ, viámque, quam Fridericus ex agro Anconensi in Veronensem atque inde Ratisponam tenuit, sic delineauit [c]. *Fridericus victor inclytus, triumphator, ab Anconensium territorio castra mouens, per Senogalliam, vbi Senones Gallos olim Romani mansisse autumant, Fanum & Imolam transiens, Apennino transmenso, in plano vlterioris Italia iuxta Bononiam super Rhenum resedit. Inde per planam Italiam transmisso, iuxta beati Benedicti Cœnobium, nauibus Eridano ad campestria Veronensium reuertitur, circa principia mensis Septembris, &c. Princeps transitis locorum angustiis*, id est, claustris Veronensium vbi structæ fuerant insidiæ, *iam cunctis emensis periculis, nocte illâ in Tridentino territorio castra latus locauit. Dehinc per Tridentum vallémque Tridentinam transiens ad Bauzanum vsque peruenit. Inde multis se ad propria dispergentibus domicilia, per Brixinoram iter agens, ad Baioaria planitiem eodem fermè quo inde egressus fuerat tempore, vertente anno rediit, &c. Post hac mediante Octobre Imperator Ratisponam Norici Ducatûs Metropolim, curiam celebraturus ingreditur.* Denique Ratisponâ Imperatorem ad partes Rheni Vormaciámque profectum sic asseruit [d]. *Inde ad partes Rheni se conferens, proximum Natale Domini Vormacia celebrauit.* In bulla igitur, cuius Characteres Chronologicos hîc examinamus, loco diei quinti ante Kalendas Septembres restituendus videtur dies quintus ante Kalendas Decembres. Ceteri Characteres optimè quadrant, quia Conradus Rex Romanorum obiit decimo-quinto Kalendas Martij, anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo-secundo, & in Comitiis, quæ tertio Nonas eiusdem Martij habita sunt, successor electus est Fridericus. Qua de re sic prælaudatus Auctor capite vltimo libri primi de Gestis iam laudatis. *Conradus proximâ à capite ieiunij sextâ feriâ, id est*, XV. *Kal. Martij vitam finiuit.* Et capite primo libri secundi. *Anno ab vrbe conditâ .... ab Incarnatione verò Domini* MCLII. *decedente ab hac luce vernali tempore, id est, sextâ feriâ proximâ (vt dictum est) in ciuitate Babenbergensi piissimo Rege Conrado;* III. *Nonas Martij, id est, tertiâ feriâ post, Oculi mei, in oppido Franconefurt, de tam immensa transalpini Regni latitudine, vniuersum (mirum dictu) Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in vnum corpus adunari potuit. Vbi cum de eligendo Principe Primates consultarent (nam id iuris Romani Imperij apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prarogatiua) tandem ab omnibus Fridericus Sueuorum Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorúmque fauore in Regem sublimatur.* Prætereà legitur [e] diploma *datum Constantia, decimo Kalendas Aprilis, Indictione decimâ-quintâ, anno Dominica Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo-secundo, regnante Domino Friderico Romanorum Rege glorioso, anno verò regni eius primo.* Atque ita fit, vt annus

[a] Lib. 2. c. 22.
[b] Lib. 2. c. 23.
[c] Lib. 2. capp. 24. & seqq.
[d] Lib. 2. cap. 28.
[e] Apud Baron. an. 1152.

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1.

Christi millesimus centesimus quinquagesimus-quintus cum anno Friderici Regis quarto, Imperatoris primo, comparetur.

VII. Episcopatum Constantiensem ab adiacentibus ita separat Fridericus Augustus in sua bulla. *Distinguimus terminos Parochiæ inter Constantiensem Episcopatum & cæteros adiacentes, sicut ab antecessore nostro, felicis memoriæ Dagoberto Rege, tempore Marciani Constantiensis Episcopi distinctos inuenimus, videlicet versùs Orientem inter Constantiensem & Augustensem Episcopatus, sicut Hilera fluuius cadit in Danubium, ac deinde vsque Vlmam villam nostram; versùs Aquilonem verò inter Episcopatus Wirtzburgensem & Spirensem vsque ad marcam Francorum & Alemannorum; ad Occidentem verò per syluam Schwartzwalds in pago Brisgowe inter Argentinensem Episcopatum vsque ad fluuium Blechatha, qui dirimit Mortnaw & Brisgow, inde per decursum eiusdem aquæ vsque ad Rhenum fluuium; inter Basiliensem verò Episcopatum, vbi fluuius prædictus Blechatha cadit in Rhenum, & sic per ripam Rheni inter præmemoratam syluam Schwartzwaldensem vsque ad fluuium Ara; ac deinde inter Losanensem Episcopatum per ripam Aræ vsque ad lacum Tausch, inde ad Alpes, & per Alpes ad fines Rhetiæ Curiensis, ad villam Montigel.* Hæc enumeratio Episcopatuum, qui Constantiensi adiacent, sapit ætatem Dagoberto longè recentiorem, temporibus enim Dagoberti nondum erectus erat Episcopatus Wirtzburgensis, & Burchardus, qui fuit primus Episcopus Wirtzburgensis, Præsulatum longè seriùs iniit, obiítque sub finem octaui seculi regnante Carolo Magno. Fridericus igitur, si benè opinamur, medio seculo duodecimo, qualem tunc videbat esse, Constantiensem Episcopatum descripsit, meminitque Dagoberti Regis, quia nouerat eo regnante actum olim de finibus Episcopatús Constantiensis, sed malè sibi persuasit limites tunc constitutos esse, quibus Episcopatus iste circumscriberetur vndequaque, Dagobertus enim terminos tantùm collocandos curauit, qui Constantiensem Episcopatum ab Augustano recenter instaurato separarent.

VIII. CHARTA PRO COENOBIO S. MAXIMINI TREVIR.

Pro Cœnobio sancti Maximini iuxta muros Treuirenses, cui Memilianus Abbas tunc præfuisse dicitur, Præceptum pridie Nonas Aprilis, cùm Sigibertus Rex Austrasiæ nondum institutus esset, hoc anno, Regni Dagobertini duodecimo, Moguntiæ datum circumfertur hoc modo. *In nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. Omnium Christianorum nouerit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, cum conuenienti consilio Episcoporum meorum Comitúmque, Legatas de mea parte ad Abbatem Memilianum direxi, mandans ei vt diligenter inquireret, indéque per seipsum indicaret, quibus authoribus illud Monasterium S. Maximini constructum, vel cuius imperio à pristinis temporibus esset subiectum. Hanc Legationem Abbas cum fratribus sollicitè percipiens, perlectísque in eodem loco quibusdam vetustissimis chartulis inuentum est, idipsum Monasterium Constantini Imperatoris fuisse Regale templum, atque iussu eius dedicatum in honore S. Ioannis Euangelistæ à S. Agritio venerabili Archiepiscopo, in quo videlicet templo (vt idem Pater Monastery nostræ Regalitati patefecit certâ relatione) Helenâ sacrâ Dei famulâ petente & fauente supradictus Imperator pauperes Christi congregauit, eísque virum Dei Ioannem præposuit, vt in seruitio Dei semper vacarent, & pro se orationibus insisterent, & insuper illius loci habitationem aliæ personæ nolint subdere, nec suæ suorúmque Imperatorum potestati. His rebus ita esse firmiter intellectis, Regio more constituo atque firmissimâ iussione præcipio, vt nullus vnquam proteruè illud Monasterium, in quo Abbas supradictus præesse videtur, audeat inire, vel vllam inhumanitatem illi violenter inferre. Igitur vt assidua recordatio mei meorúmque præsentium maneret in prædicto Monasterio, ipsorum S. Maximi præbendariorum victualia sub præmemorato Imperatore constituta, meis ex parte prædiis augere curaui, quorum nomina hæc sunt, Kannis, Crassiacum, Lunewich, Regiodola, Vallis, Polich, Budeliacum, Taleuane, Laonia. Hæc loca ad Regiam curtem, quæ dicitur Decima, pertinent, quam curtem cum omnibus rebus ad eam pertinentibus, hoc est, quicquid prædij visus sum habere à fluuio qui nun-*

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1.

cupatur Rubera, vsque ad syluam quæ dicitur Ider, S. Maximino Præsuli in perpetuam hæreditatem contradidi. Insuper etiam cum consilio & rogatu meorum Principum, cæteris ibi Deo deseruituris, hanc legem firmiter & perpetualiter inposterùm habendam decreui, scilicet vt centenorum ibidem Monachorum semper integra maneat & inconuulsa congregatio, excepto si Imperatorum Principúmue per secula succedentium beneuolentiâ prædiis augmentetur vel thesauris. Et si propter paganorum vel infidelium Christianorum deuastationem eisdem Christi seruitoribus penuria vltra modum ingruerit, & per thesauri effusionem expelli nequiuerit, Dei Omnipotentis, & mei meorúmque successorum habeant licentiam, allodium cum familia à fidelibus illo contradicentibus dandi & vendendi, antequàm Dei destruantur seruitia. Et vt istius chartulæ confirmatio firma in æuum permaneat, describi eam præcepi, & nostro sigillo eam inde firmaui. Actum pridie Nonarum Aprilis, anno regni nostri duodecimo, Moguntiæ fæliciter. Amen. Signum Dagoberti Regis. Gaspar Bruschius, apud quem legitur hoc Præceptum in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, duodecimum Dagoberti Regis annum cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio comparat, versatur enim in eorum sententia, qui Clodouei Primi mortem in annum Christi decimum-quartum supra quingentesimum teiiciunt, & Dagobertum existimant annis sexdecim post obitum Clotarij patris imperasse, atque anno Christi sexcentesimo quadragesimo-septimo interiisse. Duodecimus Dagoberti Regis annus anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio meliùs illigatur. Hoc anno Pascha celebratum est quarto Nonas Aprilis. Dagobertus exeunte anno superiore Natiuitatem Dominicam Remis celebrarat, indéque accesserat ad Rhenum vt rebus Austrasiæ tutiùs consuleret. Itaque Pascha celebrare potuit Moguntiæ, ibíque Præceptum emittere pridie Nonas Apriles, antequam Metas proficisceretur, vbi Sigibertum filium paulò pòst in regni consortium vocauit. Nullum igitur falsitatis argumentum eruitur à nota temporis, sed aliunde sumuntur quamplurima. Præcipua tantùm indicasse sufficiet. Dagobertus *potentissimum* se dicit, Regem potentissimum fuisse non inficiamur, sed eo vsum epitheto in contextu Diplomatis negamus, quia in ceteris Præceptis ab eo emissis nihil simile reperitur. Deinde Agritium vocat *Archiepiscopum*, vox autem Archiepiscopi seriùs à Francis vsurpari cœpit. Prætereà regiam suam dignitatem appellat *Regalitatem* vocabulo prorsus inusitato. Denique, quod in mentem Regis Francorum cadere non potuit, cùm Imperatores procul Treuiris tunc imperarent, insinuat Monasterium sancti Maximini, *Imperatorum Principúmue per secula succedentium beneuolentiâ, prædiis* augmentari posse *vel thesauris*. Potiorem sibi fidem non conciliat emunitas, quam Memilianus Abbas à Constantino Augusto concessam tradit laudátque Dagobertus; quis enim credat aliquod Monasterium Constantino adeò charum fuisse, vt illum locum inposterùm nec suæ nec eorum qui posteà in Imperium successurì erant, potestati subiacere voluerit. Ceterùm Bruschius Memiliano, quem Dagoberto Regi coætaneum agnoscit, decimum-tertium locum tribuit inter Abbates Monasterij, quod sancti Ioannis primùm, deinde sancti Maximini titulo notum fuit ad muros Treuirenses. Primo loco nominat Ioannem; secundo Fibicium; tertio Odilardum, cuius ætate sanctus Athanasius Treuiris exulauit; quarto Tranquillum, cuius temporibus sanctus Maximinus, à quo deinceps nomen Monasterio fuit, in eodem Cœnobio sepulturam accepit; quinto Emerentianum; sexto Maurelianum; septimo Honestum; octauo Remigium; nono alterum Fibicium, qui anno Christi duodequingentesimo Episcopus ex Abbate constitutus est; decimo Volmarum; vndecimo Rodingum; duodecimo Hundilandum; decimo-tertio Memilianum, de cuius successoribus agemus alio loco.

OSTENDITVR FALSA.

ABBATES S. MAXIMINI.

IX.

ABLEBERTVS EP. CAMERACENSIS MORITVR.

Hoc anno, priusquàm Sigibertus à Dagoberto patre Rex Austrasiæ constitueretur, discessit è viuis Ablebertus Episcopus Cameracensis. Illi sex annos in Pontificatu tribuit Gazæus ab anno videlicet Christi sexcentesimo

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1.

duodequadragesimo ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum, multi apud Locrium ab anno Christi sexcentesimo vndequadragesimo ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quintum. Molanus Ableberti mortem refert circa annum Christi sexcentesimum quadragesimum, Miræus eodem anno Christi sexcentesimo quadragesimo. Robertus Autbertum, qui Ableberto successit, ordinatum ait duodecimo Kalendas Aprilis anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, Sammarthani duodecimo Kalendas Aprilis anno Christi sexcentesimo vndequadragesimo. Dies ille, quo varij Scriptores diuersáque Martyrologia ordinationem Autberti consignant, adimit omnem controuersiam, notatur enim in Kalendario literâ C, hæc autem litera regnante Dagoberto, sub cuius Principatu Autbertus Pontificatum iniit, per mensem Martium Dominicalis fuit hoc duntaxat anno, qui sexcentesimus tricesimus-tertius Incarnationis Dominicæ numeratur. Sedit igitur Ablebertus ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-tertium. Qui recedunt à nostro computo, Dagoberti regnum vltra sexdecim annos, vitámque vltra annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum perperam protendunt. Baldericus [a] Ablebertum sanctum, binominem & fratrem beatæ Gudilæ prædicat elogio satis prolixo, cuius exordium tale est. *Post Bertoaldum successit B. Ablebertus, qui ita in catalogo Episcoporum nominatus, ab incolis verò & vicinis Emebertus dicebatur. Hic ex Bracbatensi pago oriundus, parentibus siquidem & vitæ & generis dignitate clarissimis, patre videlicet Witgero Comite, sancto viro, atque Amalbergâ matre editus est. Cuius etiam quatuor sorores fuerunt hæ, Reinildis, Sarachildis, Ermelindis, beatissima quoque Gudila, iunior ætate, sed non minùs præstantior sanctitate*, &c. Ablebertus, qui post Bertoaldum sedit, & Autbertum in Episcopatu antecessit, frater Gudilæ dici nequit, Episcopus enim Cameracensis, qui Gudilæ frater fuit, sorori superstes vixit, erátque adhuc in viuis Gudila cùm Autbertus Episcopus Amalbergam velauit, quapropter Gudilæ frater, qui Cameracensem Diœcesim gubernauit, non alius nobis videtur ab Hildeberto qui Pontificatum post Vindicianum Autberti successorem gessit. Hactenus Emebertum ab Ableberto & ab Hildeberto nullus distinxit, fatentur omnes Ablebertum aut Hildebertum binominem fuisse. Balderico, qui Bertoaldi successorem Ablebertum & Emebertum promiscuè vocat, adstipulantur Neoterici, sed cùm Episcopus Cameracensis, qui sedebat eo tempore quo beata Gudila obiit, in eiusdem Gudilæ vita [b] quam Hubertus Balderico antiquior scripsit, Gudilæ frater dicatur & Emebertus vocetur, Hildebertus binominis potiùs quàm Ablebertus censeri debet. Falluntur igitur, qui beatum Emebertum, cuius memoria Malbodij celeberrima est, vnum eundémque faciunt cum Ableberto, de quo vnum duntaxat pronuntiare possumus, quòd Ecclesiæ Cameracensi post Bertoaldum præfuerit, cetera enim quæ illi tribuuntur, sancto Emeberto Vindiciani successori conueniunt.

[a] Lib. 1, cap. 16.

[b] Apud Bolland. d. 8. Ian.

X. AVTBERTVS SVCCEDIT.

Ableberto mortuo, successit Autbertus. *Exigente*, inquit Fulbertus [c], *forte mortalis natura, contigit Ablebertum Cameracensis Sedis Episcopum deposito carnis onere, de hoc mundo transisse. Diuinâ igitur operatione cuncta salubriter disponente, Autbertus vir conspicuus & successor emeritus, proficiens de virtute in virtutem, eiusdem Sedis Pontificalem sortitus est dignitatem.* Autberti decessorem Ablebertum vocat Fulbertus, est enim antiquior Balderico, qui primus Ablebertum cum Emeberto sanctæ Gudilæ fratre confudit. Ordinationi Autberti, quæ duodecimo Kalendas Aprilis consignatur, interfuerunt [d] Leudegiselus Episcopus Remensis Metropolitanus, Aicharius siue Acharius Episcopus Nouiomensis, & Attila siue Attola Laudunensis Episcopus, quorum iam meminimus. In viuis supererat Rex Dagobertus, Fulbertus enim Autbertum sic laudat. *Constitutus in sede Pontificali, qualis quantúsque in ea vixerit, non est nostra possibilitatis euoluere*, &c. *Dagobertus, qui tunc temporis inter Francigenas*

[c] Apud Sur. d. 13. Decemb.

[d] Gall. Christ. tom. 1.

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1.

MVNERIBVS AFFICITVR A DAGOBERTO REGE.

cigenas Regni Monarchiam regebat, celeberrimæ opinionis nunciis ſemel excitatus, depoſito faſtu Regalis Excellentiæ, crebrò ad eum veniebat, & licèt terreni Regni imperio ſublimatus, cupiebat tamen de cœleſti acquiſitione à viro Dei ædificari. Qui cùm eum de temporalis Regni ſollicitudine, de futuri ſeculi beatitudine, de iudicij metu, de ſpe æternitatis familiari colloquio præmoneret, ille eum libenter audiebat, & audito eo multa faciebat, non vt inceſtus Herodes videbatur audiſſe Iohannem arguentem, ſed vt Ezechias fidelis Eſaiam conſolantem. Verùm æſtimari non poteſt, quanto Regis animus reſultabat gaudio, quòd tanti viri hoſpitio recipi, benedictione foueri, collocutione meruiſſet ædificari. Igitur ne ingratus tantis beneficiis videretur, æſtuabat animo, quonam modo vberiùs ſancti viri gratiam ſibi conciliaret. Tandem à quodam familiari eius audiuit, hoc nullo alio pacto faciliùs ſe poſſe promereri, quàm ſi res Eccleſiæ beatæ Mariæ, cui ipſe Pater venerabilis deſeruiebat, de ſuo iure augendas curaret, nihil enim in rebus tranſitoriis Epiſcopo placere, præter quod expenderetur in vſus Eccleſiæ. Tunc Rex, vt erat hilaris dator, fratribus qui in Oratorio beatæ Mariæ famulabantur, vnum Regalis munificentiæ fiſcum donauit ad ſubſidia temporalia fratrum, cui Onengantiquitas nomen impoſuerat. Apud Miræum [a] in Faſtis Belgicis Dagobertus Rex pro familiaris amicitiæ gratia, quâ ſingulariter Aubertum Epiſcopum proſequitur, fratribus in Cameracenſi Eccleſia beatæ Mariæ famulantibus Onengiam * & Quarubium *, inter Valentianas & Condatum, donat.

[a] *Die 13. Dec.*

* *Onaing.*

* *Conroube.*

XI. FIT PATER SPIRIT. LANDEL.

Autbertus initio ſui Pontificatûs Landelinum de ſacro fonte ſuſcepit. Temporibus Dagoberti Regis natus eſt Landelinus ex nobiliſſimo Francorum genere in villa quam Vallem * vocant. Locus ille Diœceſis etiamnum eſt Cameracenſis, quamuis pertineat ad hodiernum Arteſiæ Comitatum, vnâque tantùm leucâ diſtet à Bapalma Boream versùs. Lege vitas [b] ſanctorum Landelini & Autberti cum Annalibus Hannoniæ [c]. Sic tamen illos interpretare Scriptores, vt cenſeas Landelinum in lucem editum regnante tùm in ſola Auſtria Dagoberto, natus enim videtur annos circiter decem cùm baptizatus eſt. Infrà de illius ætate fuſiùs diſputabimus aliâ occaſione.

* *Vaulx.*

[b] Apud Sur. dd. 15. Iun., 13. Dec.

[c] Lib. 3. cap 7.

XII. SIGIRANNVS ABDICAT SE ARCHIDIAC. TVRON.

Sigirannus, quantùm ex eius vita colligere poſſumus, circa hæc tempora ſe abdicauit Archidiaconatu Turonenſi, & vt regularis diſciplinæ præceptis imbueretur, ſe ſocium dedit Faluio Epiſcopo, qui nuper ex Hibernia venerat in Turoniam, & ſanctis operibus oculos omnium in ſe conuertebat.

XIII. BERTINVS, MOMMOLINVS, EBERTRAMNVS, FIVNT MONACHI LVXOVIENSES.

Hiſce temporibus, cùm Audomarus nondum Epiſcopus electus eſſet, Walberti Luxouienſis Abbatis diſciplinæ ſe commiſerunt Bertinus, Mommolinus & Ebertramnus. De Bertini patria, genere & natalibus ſuprà diſſeruimus. Mommolinus & Ebertramnus erant Conſtantiâ ciuitate Alemanniæ oriundi, ſtirpéque prænobili, quam Mommolinus, vt ferunt res eius geſtæ manuſcriptæ, præcipuè humilitatis velo occulere ſatagebat. Familiaritatem auxere multùm inita ſimul politioris literaturæ ſtudia, & ſociata ſingulorum innatæ pietatis ſymbola firmauere. Porrò cùm Luxouium perrexerunt, omnes eas iam diſciplinas animo capeſſiuerant, tum quæ ingenuas nobilium mentes conderent, tum quæ ad pietatem integritatémque morum vel plurimùm conferre noſcuntur. Mommolinus æuo paulò prouectior erat Bertino & Ebertramno.

XIV.

In vita ſanctæ Auſtrebertæ, quam Philibertus Gemmeticenſis Abbas Monaſterio Pauliacenſi primam Abbatiſſam præpoſuit, occurrunt quatuor duntaxat Characteres Chronologici. Primus petitur ab eius ortu qui contigit regnante in Neuſtria Dagoberto. Secundus ſumitur à Pontificatu Audomari Taruannenſis Antiſtitis, ad quem confugit ne nuptui traderetur. Tertius pertinet ad Pauliacenſem præfecturam, quam ſuſcepit, poſtquàm quatuordecim annos in Cœnobio Portenſi tranſegiſſet. Quartus ducitur ab obitûs die, qui Dominicus fuit, & cum quarto ante Idus Februarias coincidit. Ioannes Malbrancus [d] priores duos Characteres illigauit annis ſeptimi ſeculi triceſimo-tertio & duodequinquageſimo, nec in illis duabus notis temporum caſtigandus

[d] Lib. 3. c. 10.

AN. CH. 633. DAGOB. R. 12. SIGIB. III. R. 1.

videtur, quamuis in multis aliis turpissimè deliquerit. Nata est igitur hoc anno sancta Austreberta, de cuius patria & parentibus sic Author vitæ [a]. *Erat in Palatio sapedicti Principis Dagoberti vir honestate vita valdè venerabilis, moribus honestus, sapientiâ clarus, consilio prouidus, priorum Regum ex prosapia oriundus, officio etiam, vt fertur, Comes Palatinus, nomine Badefridus. Hic accepit vxorem Alemannorum Regis ex prosapia, nomine Framehildem. Erat verò elegans & ipsa facie, sed nimirum elegantior sanctitate. Horum autem conuersatio qualis quantáue in terris extiterit, miraculorum gloriâ hodiéque populis declaratur. Erant enim, vt diximus, in caducis seculi honoribus valdè sublimes, sed in animi probitate sanctiores, fide firmi, caritate pracipui, iustitiâ insignes, spe longanimes, eleemosynis deditì, pauperum in susceptione valdè sollsciti. His igitur talibúsque virtutum floribus ornati, Spiritûs Sancti templa meruerunt effici, vt pòst manifestissimis claruit indiciis. Nam quemadmodum, sicut in Euangelicis inuenitur paginis, Elisabeth illa noua Domini Praecursoris mater, Spiritu Sancto repleta, concessum sibi diuinitus natum antè sentire meruit, quàm videre; sic & hac Deo acceptabilis mulier B. Framehildis, eodem illustrata Spiritu, longè antè prolem suo sexui consimilem nascituram prasciuit, qua in domo Domini & mater efficeretur, & columna Christiani populi. Denique adueniente tempore, quo in huius mundi vmbrosa caligine ex vterinis tenebris illa clara lucerna deberet erumpere, supradicta genitrix Angelicâ super hoc meruit honorari visione, cuius ex alloquio & nomen nascitura virginis, cuiúsue apud Deum meriti futura esset, addidicit. Igitur Taruanensi territorio exorta illa puellarum gloria, à parentibus, vt sibi reuelatum fuerat, vocitatur Austrebertha, priùs à Deo praelecta, quàm in matris aluo concepta; priùs Angelorum cœtibus cognita, quàm mundo nata. Necdum eius videbantur membra, & iam in populis eius praeconabantur gesta. Diligenti demum curâ genitorum alitur, ac magistris strenuis imbuenda traditur.* Scribebat hic Authot, cùm in viuis superetat testis oculata miraculi ab Austreberta gesti in Cœnobio Portensi. *Dum hae*, inquit, *Christi famula die quadam in ordine vicis sua hoc in opere laboraret, habebat secum vnam tantùm adolescentulam, qua apud eam fuerat educata, & hoc miraculum narrare consueuit, qua hue vsque viuit in corpore.* Errant igitur qui dissentiunt ab eo Scriptore, & Austrebertæ patrem comminiscuntur Wlfoaldum, qui Maioratum domûs Regiæ sub Austrasiæ Regibus Childerico Secundo & Dagoberto Secundo, Dagoberti Primi nepotibus gessit. Aduersùs eiusmodi homines, præter Authorem suprà citatum, qui patrem Austrebertæ non Wlfoaldum sed Badefridum vocat, non Ducem aut Maiorem domûs, sed Comitem Palatinum appellat, pugnat ipsamet Austrebertæ patria, nam Taruanense territorium, vbi natam fatentur, ad Neustriam pertinebat non ad Austriam in qua natus est Wlfoaldus.

S. AUSTREBERTÆ ORTUS, PARENTES, PATRIA.

[a] Apud Sur. d. 10. Febr.

XV. Wandregisilo, cùm in Bobiensi Monasterio versaretur, *incidit sancta quadam cogitatio, vt ad limina Apostolorum Romam proficisci deberet, Christóque duce, quod piè tractauit, deuotè impleuit*, teste vitæ Scriptore [b] peruetusto. Anno sequenti agemus de illius reditu in Franciam.

WANDREGISILUS IT ROMAM.

[b] Apud Sur. die 22. Iul.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

ANNVS
CHRISTI 634.
DAGOBERTI R. 13. 6.
SIGIBERTI III. R. 2.

ANNVS Christi sexcentesimus tricesimus-quartus cum anno Dagoberti Regis decimo-tertio coincidit. Ad hunc annum pertinent ea quæ Fredegarius narrat capitibus sui Chronici septuagesimo-sexto & septuagesimo-septimo, quamuis annum duodecimum Dagoberti Regis præfixerit, expuncto enim anno XII. annum XIII. reponendum esse iam monuimus. I.

Capite septuagesimo-sexto ita scribit Fredegarius. *Cùm anno XII.* (lege XIII.) *regni Dagoberti, eidem filius nomine Chlodoueus de Nanthilde Regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum, eorúmque admonitione, per pactionis vinculum cum Sigiberto filium suum firmare dinoscitur, & Austrasiorum omnes Primati, Pontifices, ceteríque Leudes Sigiberti, manus eorum ponentes insuper sacramentis firmauerunt, vt Neptricum & Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodonei post Dagoberti discessum aspiceret. Auster verò idémque ordine solidato, eò quòd & de populo & de spatio terra esset coaquans, ad regnum Sigiberti idémque in integritate deberet aspicere, & quicquid ad regnum Austrasiorum iam olim pertineret, hoc Sigibertus Rex sua ditioni regendum reciperet, & perpetuò dominandum haberet, excepto Ducatu Denteleni, qui ab Austrasiis iniquiter abstultus fuerat, iterum ad Neustrasios subiungeretur, & Chlodonei regimini subiiceretur. Sed has pactiones Austrasij terrore Dagoberti coacti, vellent nollent, firmare visi sunt; quod posteà temporibus Sigiberti & Chlodonei Regibus conseruatum fuisse constat.* Hæ voces (*post Dagoberti discessum, quicquid ad regnum Austrasiorum iam olim pertineret, hoc Sigibertus Rex sua ditioni regendum reciperet, & perpetuò dominandum haberet*) apertè declarant Sigibertum à Dagoberto patre Regem Austrasiæ fuisse præpositum eodem prorsus modo quo ipsemet Dagobertus Austrasiæ Rex constitutus fuerat à patre Clotario, qui sibi retinuerat, teste Fredegario [a], *quod Ardenna & Vosagus versus Neuster & Burgundiam excludebant.* Cadurcenses populi transligeritani, quamuis olim Regibus Austrasiæ parere consueuissent, ad Sigibertum iampridem Austrasiæ Regem haud deuoluti sunt antequàm Dagobertus moreretur. Id liquet ex literis quas post Dagoberti Regis obitum Desiderius Cadurcensis Episcopus Sigiberto Regi statim direxit [b], cùm ditio Cadurcensis sub eius potestatem primùm deueniret. *Dum*, inquit, *& contigit de præcelso Domno nostro genitore vestro, quod nec pietati vestra tam citò fuerat optabile. Vos, reuerentissime Domine, tam de nos seruos vestros, quàm & de cunctos fideles integram dignamini habere mercedem. Vt quos genitor vester piè enutriuit, vester rigor æquanimiter portet.* II.

CLODOVEVS NASCITVR.

[a] Cap. 46.

[b] Epist. 3.

Capite septuagesimo-septimo Fredegarius hæc habet. *Radulfus Dux filius Chamari, quem Dagobertus Toringia Ducem instituit, pluribus vicibus cum exercitu Winidorum dimicans, eósque victos vertit in fugam. Huius victoria superbiâ elatus, & contra Adalgiselum Ducem diuersis occasionibus inimicitias tendens, paulatim contra Sigibertum iam tunc cæperat rebellare. Sed, vt dictum est, sic agebat; qui diligit rixas, meditatur discordias.* III.

RADVLFVS REBELLAT.

Monachus Sandionysianus caput septuagesimum-sextum Fredegarij reddidit in Gestis Dagoberti Regis capite tricesimo-secundo, prætermisit autem caput Fredegarij septuagesimum-septimum quod erat de rebus Thuringicis, eiusque loco inseruit [c] Præcepta pro suo Monasterio, quæ Dagobertus Rex ex IV.

[c] Capp. 33. 34.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

MVNIFICENTIA DAGOBERTI ERGA COENOBIVM S. DIONYSII.

Austria reuersus emiserat. *Per idem*, inquit, *tempus Dagobertus Rex Parisius rediens, atque in amore sæpedictorum Martyrum Dionysij sociorúmque eius, propter magnificas, quas ad eorum veneranda sepulcra cotidie Dominus operabatur, virtutes, magis ac magis gliscens, areas quasdam infra extráque ciuitatem Parisij, & portam ipsius ciuitatis, quæ posita est iuxta carcerem Glaucini, quam negociator suus Salomon eo tempore prauidebat, cum omnibus teloneis, quemadmodum ad suam cameram deseruiri videbatur, ad eorum Basilicam tradidit, & per Præcepti sui auctoritatem perpetualiter id mansurum esse, proprij nominis subscriptione atque annuli impreßione firmauit. In ipso quoque tempore annuale mercatum, quod fit post festinitatem ipsorum excellentißimorum Martyrum prope idem Monasterium, eidem sancto loco & fratribus Deo & sanctis Martyribus ibidem deseruientibus concessit, & exinde huiusmodi Præceptum firmare studuit, vt omne teloneum vel quicquid ex eo fisci partibus sperare poterat, & quod in ipsa ciuitate, seu in omnibus locis reliquis, infra ipsum pagum Parisiacum inibi denominatis, ab ipsa festiuitate vsquedum illud mercatum finiretur, iure exigi quacumque iudiciariâ potestate valuisset, pro æterna retributione, atque vt eisdem Dei seruis deuotiùs pro eo omni tempore futuro diuinam delectaretur exorare Clementiam, totum ex integro absque vlla exceptione siue diminutione in eorum vsibus perpetualiter sanciret esse indultum.* Tunc & eidem Basilicæ traditam à Dagoberto putamus villam Stitpiniacum * in pago Wilcassino, de qua loquitur idem Author capite vicesimo-secundo, sed adulterinam existimamus Dagoberti chartam, quæ donationem hanc in tempora Aigulfi Abbatis reiicit.

*Estrepagny.

V.

FABVLA DE BONIS SADREGISELI REFELLITVR.

Idem Monachus ad hunc annum, Dagoberti Regis decimum-tertium, ista subiungit [a]. *Anno XIII. regni sui, cùm Sadregiselus Dux Aquitanorum à quibusdam hominibus interfectus esset, de quo suprà mentionem fecimus, quòd propter contemptum sui eum flagellis affici & barbæ rasione deturpari in sua infantia Dagobertus iusserit, & ob hoc patrem metuens tutelam sanctorum Martyrum expetierit, & cùm haberet ipse Sadregiselus filios in Palatio educatos, qui cùm facillimè possent mortem patris euindicare noluerunt, propterea posteà secundùm legem Romanam à regni Proceribus redarguti, omnes paternas possessiones perdiderunt. Cúmque omnia ad regalem fiscum fuissent recepta, præcellentißimus Rex Dagobertus Ecclesiæ Christi Martyrum Dionysij sociorúmque eius, easdem villas iamdicti Sadregiseli, id est, Nouientum * in paga Andegauense, Parciacum *, seu Nuiliacum *, necnon Padentiniacum *, & Pascellarias *, atque Anglarias * in pago Pictauense, aliásque quamplures cum salinis supra mare, quarum nomina hic recensere longum duximus, deuotißimè tradidit, medietatémque earum in stipendiis fratrum Deo ibidem seruientium contulit, atque eos turmatim adinstar Monastery Agaunensium sine sancti Martini Turonis psallere instituit, & aliam medietatem matricularìis ac seruitoribus ipsius Ecclesiæ concessit, nihil exinde ad suum opus retinere volens. Easdem villas infra vnius Præcepti conclusionem nominatim inserens, propry nominis subscriptione atque annuli impreßione firmauit. Quarum nomina si aliquis diligentiùs perquirere voluerit, ipsam Præceptionis cartam in archiuo ipsius Ecclesiæ requirat, & vt reor, viginti & septem villarum nomina inibi inserta inueniet.* At vt Sadregiselum Dagoberti pueri iussu flagellis affectum ac barbæ rasione deturpatum fuisse suprà negauimus, ita quæ de illius nece facultatibúsque proximè narrata sunt, commentitia censemus. Lege Hadrianum Valesium libro vndeuicesimo rerum Francicarum ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-quintum, vbi iure subdubitat an Sadregiselus vnquam fuerit. Iacobus Doubletus, qui tot chartas è Tabulario Sandionysiano publicauit, non protulit Dagobertinam, quæ sancti Dionysij Monasterio villas Sadregiseli traditas esse testaretur; satísque esse duxit, si palàm asseteret donationem illam contineri cùm in antiquo eiusdem Cœnobij Codice manuscripto quem descripsit, tum in chartis Clodouei Secundi & Caroli Magni quas in lucem edidit. Sed cùm duæ chartæ, quas laudauit, subdititiæ sint, & fragmentum quod ex vetusto Codice recitauit, è charta Caroli Magni desumptum videatur, tantùm abest vt causæ, quam propu-

[a] Cap. 35.

* Nogent.
* Parcay.
* Neully.
* Pondentigny.
* Paschelles.
* Anglas.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

gnandam suscepit, einsmodi probationes præsidio possint esse, quin potiùs sunt nocnmento. Chartam Clodouei Iunioris, vt omittamus cetera, falsam arguunt hæ subscriptiones. *Palladius Bituricensis Episcopus obtulit. Chlndowius filius Dagoberti gloriosissimi Regis subscripsit, signum Arnulfi Metensis Episcopi, signum Eligij Aurificis Noniomensis Episcopi, signum Landerici Parisiorum Episcopi, signum Maurini Senonensis Archiepiscopi, signum Syluini Remensis Archiepiscopi, signum Frenemundi Andegauensis Episcopi, signum Vnberti Lemonicen. Episc. signum Aygulfi Abbatis B. Dionysij, signum Gondoeni Comitis Nortmanniæ, signum Werpieni Comitis Britanniæ, signum Charimundi Comitis Flandrensis, signum Mummoli Præfecti, signum Dadonis Rothomagensis Archiepiscopi & Cancellarij Regis. Data in mense Octobri, anno 7. regni nostri Clipiaco Palatio, feliciter in Dei nomine. Amen.* In catalogis enim Antistitum Bituricensium, Senonensium, Remensium, Andegauensium & Lemouicensium, Palladius, Manrinus, Syluinus, Frenemundus & Vnbertus illâ ætate non reperiuntur. Deinde anno Clodouei Regis septimo, qui cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto coincidit, Arnulfus Metensium quondam Episcopus non erat ampliùs in viuis, & longè seriùs in Francia nomen Nortmanniæ cœpit audiri. Chartam Caroli Magni, quæ non tantùm viginti-septem, vt in Gestis Dagoberti Regis legitur, sed quadraginta-sex villarum donationem continet, æquè suppositītiam cùm ex Episcoporum subscriptionibus quas alibi examinabimus, tum ex eo maximè deprehendimus quòd data dicitur *apud vrbem Suession. 11. Kalend. Sept. Indictione quintâ, anno Pontificatûs Domini Leonis Papæ III. 16. Imperij verò Domini Caroli Serenissimi Augusti 11. regnique Francorum 44. Domno Leone Papâ residente Suessionis in generali Synodo.* Nam Leo Synodum in vrbe Suessionensi non habuit, & anno sui Pontificatûs decimo-sexto, Caroli Augusti vndecimo, id est, Christi octingentesimo vndecimo in Italia versabatur; addequòd Imperij Caroli annus vndecimus per mensem Augustum cum anno Regni Francorum quadragesimo-tertio componitur, & Indictio quinta per eundem mensem Augustum anno Leonis Papæ decimo-septimo, Caroli Imperaroris duodecimo, Christi octingentesimo duodecimo conuenit.

VI. MONASTERII PVELLARIS AB ELIGIO CONDITI COEMETERIVM

Eligius hoc circiter anno, cùm Monasterium puellarum in ciuitate Parisiensi condidisset, postremò Basilicam, vbi corpora earumdem Monialium sepelirentur, extra ciuitatem in honorem beati Pauli construxit. De vtroque opere sic Audoenus in eius vita. *Videres illuc trahere vndique velut vtilissimam apem, cuncta Monasterio necessaria, vasa simul & vestimenta, necnon & sacra volumina, aliáque quamplurima ornamenta. Nam quicquid huic sexui congruere necessarium foret, vt piissimus Pater solerti satis in omnibus diligentiâ ac solicitâ curâ prouidit. Cumque omnis opera cunctaque domus necessaria in eo loco expleta essent atque perfecta, vnum adhuc restabat, vile quidem, sed necessarium ædificandum domicilium. Et cùm non haberet terræ copiam, omnia etiam essent domibus occupata, adiacebat ei ad opus necessarium area quædam fiscalis exigua. Præcepit ergo metiri terram, vt sciret quantùm esset, & confestim ad Principem perrexit, suggessit aream, & sine mora obtinuit quod petierat. Cúmque reuersus locum adiisset, ac lineâ iactatâ amplitudinem habitaculi consideraret, inuenit ampliùs quasi pedem in terræ amplitudinem quàm ipse nuntiauerat Regi. Ex quo tristis effectus, quippe qui nulli volens mentiri, Regi esset mentitus, relicto protinus opere, ad aulam repedat mæstus, & mox vt Principem adiit, solo illicò corruit, mendacium indicauit, aut veniam aut mortem poposcit. Sed cùm Rex tam paruissimæ rei causam agnouisset, magis in stuporem versus, eius iniuria condoluit, móxque ad circumstantium conuersus multitudinem, inquit. Ecce quàm præclara & venerabilis Christi fides! Duces mei & Domestici spatiosas surripiunt villas, & Christi famulus propter fidem quam habet in Domino, non palmum quidem passus est celare de humo. Sic ergo clementer Eligio consolato, duplicauit donum quod dudum tribuerat pusillum. Cuncta opere Monasterij peracto, atque omnibus ædificiis Ancillarum Dei expletis, ædificauit postremò Basilicam in honore sancti Apostoli Pauli ad Ancillarum Dei corpora*

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

EXTRA VRBEM PARISIENSEM.

sepelienda. Cuius tecta sublimia operuit plumbo cum elegantia. Qua in Basilica beatus quoque Quintinianus iacet Abbas humatus. Ædificauit etiam, immóque renouauit Basilicam in honore sancti Martialis Lemonicensium Pontificis & Confessoris. Quá vtique vrbanè stabilitâ, plumbo eius cooperuit tecta. Olim cœmeteria intra ciuitatum pomeria non includebantur. Ecclesia igitur sancti Pauli, quam Eligius sepeliendis Monialium corporibus destinauit, extra muros fuit, neque id potest in dubium reuocari, seculo enim decimo-tertio nuncupabatur adhuc Basilica sancti Pauli * de Campis, vt Iacobus Breulius [a] in Antiquitatibus Parisinis obseruauit. Est autem hodie Ecclesia parochialis intra muros ipsius vrbis, ibíque requiescunt ossa Quintiniani Abbatis, & anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo scriptum fuit hoc epitaphium cum allusione ad ea quæ de eodem Abbate ex vita sancti Eligij suprà recitauimus.

* S. Paul des Champs.
[a] Lib. 3.

Quintinianus ibi iacet, Abbas esse beatus
Qui scriptis fertur Patrum, sed canonizatus
Neudum comperitur, vt ab Ecclesia veneretur.

VII. Monasterium puellare, cui sancta Aurea præfuit, erat in media ciuitate, complectebatúrque illam insulæ partem, quam vulgus etiam circuitum * sancti Eligij vocat. Basilicam habebat sancto Martiali dicatam, quam certè capacissimam fuisse docet virginum numerus centenario ter maior sub ipsius Aureæ præfectura. Ex illo templo lapsu temporis facta sunt duo, vnum ex choro, alterum ex naui, primum retinet adhuc nomen sancti Martialis, secundum dicitur sancti Eligij. Audoenus narrat insigne miraculum quod Eligio præsente contigit, cùm reliquiæ sancti Martialis in Ecclesiam illius nomini sacram deferebantur. *Erat*, inquit, *haud procul à tramite claustrum tetri carceris, vbi tenebantur septem viri siue innocui siue noxij sub tertia custodia abditi. Cùm ergo Eligius, veluti quondam Dauid ante Arcam exultans atque tripudians, cum Reliquiis & præfato agmine in voce exultationis præteriret, mox vt contra ergastulum esse cœperunt, repentè gestator pignorum graui pondere depressus, solo fixus restitit. Quem cùm singuli compellerent gressum quantocyùs mouere, id se posse nullatenus voce publicâ est confessus. Dúmque ita stantes singuli obstupescerent euentum rei, cœpit vinctis in carcere quasi leue tonitru audiri, & statim vis quadam cum magno impetu adueniens, totum validè nimis concussit carcerem ab imis, confestim seris omnibus effractis, nexibúsque dissipatis, ostia obserata patuerunt inclusis. Illicò ergo vestigia depressa ferentes pignora leuigarunt, & rei carcerem egressi Ecclesiam petierunt. Omnes igitur qui aderant, in stuporem versi cœperunt attollere nouitatem miraculi, ac merita duorum coniuncta simul Sanctorum, Martialis laudem, Eligij prædicare fauorem.*

* la ceinture de S. Eloy.

ELIGIVS INSIGNIS MIRACVLIS

VIII. Idem Author huic miraculo subiungit alia quæ Deus per sanctum Eligium operari dignatus est, cùm incendium Lutetiæ restinxit, contractum sanauit, aridam manum curauit, duos claudos sanitati restituit, cæcum illuminauit. Deinde multas Sanctorum thecas enumerat, in quibus fabricandis Eligius artem suam exercuit. *Inter cetera bonorum operum insignia, multa Sanctorum auro, argentóque & gemmis fabricauit sepulchra, id est, Germani, Seuerini, Piatonis, Quintini, Luciani, Genouefæ, Columbæ, Maximiani, & Loliani ac Iuliani, adhuc autem & aliorum multorum. Sed præcipuè beati Martini Turonis ciuitate, Dagoberto Rege impensas præbente, miro opificio ex auro & gemmis contexit sepulchrum, necnon & tumbam sancti Briccij, & aliam, vbi corpus beati Martini dudum iacuerat, vrbanè composuit. Magnum insuper beneficium eidem Ecclesiæ apud Regem obtinuit, namque pro reuerentia sancti Confessoris Martini, Eligio rogante, omnem censum, qui Reipublicæ soluebatur, ad integrum Dagobertus Rex eidem Ecclesiæ indulsit, atque per chartam confirmauit. Ab eo tempore omne sibi ius fiscalis census Ecclesia vendicat, & vt vsque hodie in eadem vrbe per Pontificis literas Comes constituatur. Præterea Eligius fabricauit & mausoleum sancti Martyris Dionysij Parisius ciuitate, & tugurium super ipsum marmoreum miro opere de auro & gemmis, cristam quoque & species de fronte magnificè composuit; necnon & axes in*

MVLTAS THECAS SS. FABRICAT.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

circuitu altaris auro operuit, & posuit in eis poma aurea rotundilia atque gemmata. Operuit quoque & lectorium & ostia diligenter de metallo argenti. Sed & tectum throni altaris axibus operuit argenteis. Fecit quoque & repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinsecus ad pedes sancti Martyris fabricauit. Tantúmque illic, suppeditante Rege, suam exercuit industriam, atque ita suum diffudit specimen, vt penè singulare sit in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione vsque in hodiernum diem. Obserua illum Audoeni textum non sic explicandum, vt omnes thecas suprà recensitas Dagoberto regnante fabricasse censeatur, nam teste eodem Audoeno corpus sancti Quintini sub initium sui Pontificatûs reperit, deinde corpora sanctorum Piatonis & Luciani Martyrum aliquot annis seriùs inuenit. Egimus alibi de sancto Germano Parisiensium Episcopo, de sancto Seuerino Abbate Agaunensi, de sancta Columba Virgine ac Martyre Senonensi, & de sancta Genouefa Parisiensi Virgine, sermonem quoque faciemus inferiùs de sanctis Martyribus Quintino, Luciano, Maximiano ac Loliano seu Iuliano.

IX. Hisce temporibus Eligius eiúsque sodalis Audoenus tantâ virtute pollebant, vt ipsis Episcopis quamuis adhuc laici præferrentur, aut saltem æquarentur. Id expressis verbis de Audoeno testatur Fridegodus manuscriptus. *Tanta erat*, inquit, *in viro Dei sapientia, vt cùm adhuc Ordinem Sacerdotalem non haberet, penè omnibus tunc Franciæ vel Galliæ Sacerdotibus in sapientia præferretur, vel, vt indulgentiùs dicam, æquaretur.* Hanc periodum Surius mutatâ particulâ perperam in alium sensum detorsit, vt ad annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum factâ collatione probabimus. Eligij nondum Episcopi mirabilem zelum prædicat sexta Synodus Aurelianensis aduersus hæreticum congregata, de qua sic Audoenus [a] sanctissimi quoque consilij particeps. *Vnus hæreticorum pulsus à partibus transmarinis, Galliarum prouinciam petiit, qui aggressus illicò ciuitatem, quæ olim Edua, nunc autem Augustidunus vocatur, adiit, ibi quoque degens cœpit tam cautè quàm fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cùm in Palatio ad aures Eligij peruenisset, cœpit vigilanter, sicut semper pro huiusmodi causa solicitus erat, cum Audoeno ac ceteris Catholicis viris tractare, quemadmodum hanc pestem palàm omnibus manifestatam detegerent. Itaque non destitit Episcopos commonendo & Optimates, quousque ex iussu Principis Sacerdotale Concilium apud vrbem Aurelianensem congregaretur, vbi præfato hæretico in medio deducto conabantur eum docti quique diuersis ex causis interpellare, sed nullo poterant genere concludere, tantâ quippe dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maximè putaretur astrictus, ibi quasi anguis lubricus quibusdam foraminibus lapsus eorum se fronti opponeret. Cúmque nullo genere à quoquam posset concludi aut superari, extitit è nostris quidam per Dei prouidentiam doctissimus Episcopus, nomine Saluius, qui ita ei in omnibus obuiauit, vt ingens pro hoc fieret nostris & gaudium & spectaculum, nam omnes versutias cunctásque eius artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palàm funditus detexit. Sic quoque aduersùs eum omnium Episcoporum sententiâ prolatâ, ac per singulas ciuitates super eius nomine decreto constituto, cum sibi merito dedecore eliminauerunt à finibus Galliæ.* Addit Audoenus plerosque hæreticos ab Eligio adhuc laico exagitatos fuisse. *Sed & alium*, inquit, *nihilominùs apostatam cùm comperisset Eligius euertere plebem Parisius, grandi afficiens dehonestate exterminauit ab vrbe. Similiter & alium, qui Episcopum se simulans circuibat villas & plateas decipiendo populum, diu carcere maceratum eiecit à finibus regni Francorum: necnon alios atque alios diuersis artibus populum subuertentes grandi semper auctoritate est persecutus. Valdè enim oderat omnia hæreticorum vel schismaticorum cunctorúmque præter catholicam doctrinam figmenta, & iugi instantiâ eorum insectabatur vesaniam.* Saluius Episcopus, quem Audoenus adeò commendat, Martyr in Actis eiusdem Audoeni vocatur à Fridegodo. Non alius haberi debet à Saluio Valentinensi Episcopo, de cuius ætate Nomenclatores hactenus variè disputarunt. Superioribus Tomis, quatuor duntaxat Episcopis Valentiæ celebraui-

SYNODVS AVRELIAN. VI.

[a] In vita sancti Eligij.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

mus; Apollinarem, qui Concilio Epaonensi sub Sigismundo Burgundiæ Rege interfuit, potuítque peruenire ad annum Christi quingentesimum tricesimum-quartum, quo Franci Valentiam ceteráſque Burgundiæ ciuitates in suam potestatem redegerunt; Gallum, qui Concilium Aurelianense quintum anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo suâ subscriptione roborauit; Maximum, qui Abstemium Diaconum ad Concilium Lugdunense secundum anno Christi quingentesimo sexagesimo-septimo direxit; & Ragnoaldum, qui Synodis Matisconensibus, primæ anno Christi quingentesimo octogesimo-tertio, secundæ anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto subscripsit. Horum Episcoporum series, quia subscriptionibus Synodorum nititur, improbari non potest. Malè texitur à Chenutio, qui beatum Apollinarem circa annum Christi quadringentesimum decimum-quintum sedisse scribit, eique subrogat Maximum, tum Emilianum, Saluium, Antonium, Gallum, & Raynaldum seu Ragnoaldum. Seuertius Apollinarem, Gallum, Maximum & Ragnoaldum æquo collocat ordine; Ragnoaldo subiicit Emilianum, tum Insildum siue Ingildum, qui Concilio Cabilonensi subscripsit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, deinde Saluium & Antonium. Apud Robertum Ragnoaldo succedunt Elephas, Aigulphus, Lambertus, tum Iosaldus siue Ingildus, qui Concilio Cabilonensi præsens interfuit, & eidem Iosaldo siue Ingildo postponuntur Æmilianus, Saluius, Antonius. Apud Sammarthanos Ragnoaldum sequuntur Elephas, Aigulfus, Ingildus, qui sedit in Concilio Cabilonensi, Lupicinus qui *documento Caroli Magni subscripsit*, Saluius, Antonius. Suo loco mouendus est Lupicinus, quia floruit ætate Caroli Magni. Ragnoaldo successit Elephas, huic Saluius, qui triumphauit de hæretico in Synodo Aurelianensi sexta priusquàm Eligius & Audoenus ad Episcopalem dignitatem promouerentur, Saluio Aigulfus, cuius meminit Fredegarius capite vltimo sui Chronici ad annum Clodouei Regis quartum, seu Christi sexcentesimum quadragesimum, vt suo loco dicturi sumus.

X. ADO, RADO ET DADO FRATRES.

Sigebertus ad annum à Clotarij Regis obitu sextum, quem anno Christi sexcentesimo tricesimo-septimo perperam illigat, sic scribit. *Florebant in Francia hoc tempore tres fratres, Ado, Rado, Dado, qui & Audoenus dictus, qui suam ergà Deum deuotionem ostenderant, singuli singula Cœnobia fundando, ex quibus Dado fuit Referendarius Dagoberti Regis. Referendarius autem dicebatur, ad quem publica conscriptiones referebantur, vt per eum anulo seu sigillo Regis confirmarentur. Hos ad hoc animarat Eligius artifex, iamdudum in aula Regis Lotharij clarus, qui etiam ex dono Dagoberti Regis Sollemniacum Monasterium construxit, &c. Sanctus verò Dado, qui & Audoenus, intra Brigensem saltum Cœnobium construxit, quod Rasbacis dicitur, in quo sanctum Agilum primum Abbatem præfecit.* Mens Sigeberti non fuit, vt Rasbacense Monasterium illo anno conditum affeteret, sed cùm Audoenum eiúsque fratres in existimatione tunc fuisse testaretur, captâ inde occasione sermonem de Rasbacensi Cœnobio & de Agilo Abbate obiter instituit. Hoc tamen anno, Christi sexcentesimo tricesimo-quarto, post Clotarij Regis obitum sexto collocanda videntur initia Monasterij Resbacensis. In vita enim sancti Agili, quam Auctor coætaneus literis commendauit, Oratorium Resbacense dedicatur octauo Kalendas Martias, eodémque anno Kalendis Maiis Agilus in Synodo Clipiacensi primus Abbas Resbacensis superstite in viuis Dagoberto Rege constituitur. Ista verò conueniunt anno Christi sexcentesimo tricesimo-sexto, frustráque obiicies anno illo bisextili, qui Dominicalibus literis G & F præditus fuit, diem octauum ante Kalendas Martias, cui litera D præfigitur, cum Dominico non coincidisse. Nam toto Dagoberti post Clotarij patris obitum Principatu, qui decem fermè annis durauit, litera D Dominicalis fuit anno duntaxat sexcentesimo tricesimo-secundo post intercalationem bisexti, eodémque anno dies octauus ante Kalendas Martias, quia prædictam intercalationem anteceſſit, in Sabbatum incidit literâ Dominicali E tunc currente. Nec Antistites, qui solennitati dedicationis

AN. CH. 634.
DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

tionis interfuerunt, de Dominico die cogitarunt, sed tantùm de die qui beato Petro sacer esset, quoniam in eius honorem templum illud ædificatum fuerat, vt post biennium ex prælaudata sancti Agili vita probabimus.

XI.
TRIA CONSTRVVNTVR COENOBIA SVB REGVLA S. COLVMBANI.

Anonymus, qui vitam sancti Faronis Meldensis Episcopi sub Hildegario Episcopo ætate Caroli Magni conscripsit, cùm in eadem vita de filiis Autharij sermonem habiturus esset, vitam beati Columbani à Iona scriptam consuluit, ideóque prætermisso Radone fratrum minimo, quem nec Columbanus vidit, nec Ionas commemorauit, solos Adonem & Dadonem his commendauit elogiis. *Maior natu Ado nomine, semetipsum suis voluptatibus abdicauit, pòstque intra Iotri saltum Monasterium ex beati Regula Columbani construxit. Iunior verò nomine Dado intra Briegensem saltum supra fluuiolum Respacem ex supradicti viri Regula Monasterium clarissimum Deo dicauit.* At legimus in manuscripto Codice vetustissimam sancti Audoeni vitam, cuius Auctor discipulos ipsius Audoeni sibi notos fuisse testatur his verbis. *Ad miracula quoque eius transeat oratio, & quæ à discipulis eius narrantibus agnoui, pauca ex multis curabo annectere.* Hic autem Scriptor, cui fidem indubitatam sua ætas conciliat, tres Autharij siue Addecharij, vt vocat, filios, Adonem, Dadonem & Radonem initio suæ lucubrationis ita recenset. *Temporibus Clotarij gloriosi Principis filiíque Regis Chilperici, in prouincia Galliarum, Suessionico oppido orti sunt tres venerabiles viri ex vno semine generati, gratiâ Dei cælitus illuminati, Ado, Dado & Rado.* Ab illo numero non recedunt Anonymus in vita sancti Agili, Fridegodus in Actis sancti Audoeni, & Aimoinus [a] in sua Historia. Sed Anonymus, quamuis Fridegodum & Aimoinum ætate præcesserit, in eo corrigi debet, quòd Radonem Audoeno seu Dadone seniorem constituit. Facilè lapsus est in hunc errorem, quia falsò credidit tres filios Authario iam natos fuisse, cùm sanctus Columbanus ex Neustrasia pergens in Austrasiam adiit Wlciacum, vbi tunc Autharius cum familia sua morabatur. Aimoinus *hos fratres* ad Monasteriorum erectionem *exemplo sanctissimi viri* putat *excitatos esse Eligij. Ille enim à Rege Dagoberto petierat condonari sibi villam in pago Lemouicino sitam, Solemniacum cognominatam. In qua & Monasterium construxit, & Congregationem Deo seruientium Monachorum statuit.* Id verò nostram Chronologiam non parum confirmat, nostro enim calculo Monasterium Solemniacense, de cuius primordiis suprà disseruimus, vetustius est Iodrensi, Resbacensi & Radolio, quæ constructa sunt ab Adone, Dadone & Radone fratribus.

XII.
IODARIENSE AB ADONE.

Horum fratrum, vt Acta sancti Agili testantur, *maior natu, Ado nomine, semetipsum cum propriis voluntatibus ac copiis abdicauit, verùm etiam in proprio solo intra Iorani saltus, ope venerabilis fratris, videlicet Audoeni, super amnem Maternam * Monasterium ædificauit, cui Iotrum * nomen imposuit, atque ex rebus propriis fœcundissimè ditauit, in quo etiam monasticè, secundùm Beati Columbani instituta, vnà cum caterua præclara religionis maxima supero Regi Christo militauit.* Eadem planè de Adone scribit Fridegodus in vita sancti Audoeni. *Primogenitus Ado cuncta mundi huius obstacula contemnens, semetipsum abnegans, voluntatibúsque propriis renuntians perpetualiter diuino beneficia in castris Regis æterni militare elegit, & Monasticam appetens vitam, mortiferam mundi huius calcauit dulcedinem. Monasterium Iadariense super fluuium Materna in proprio solo, secundùm Regulam sæpedicti almi Columbani, adiuuante beatissimo germano suo Audoeno, ditatum rebus & omnibus bonis Ecclesiasticis viriliter condidit.* Breuiùs Aimoinus. *Ado spretis secularibus pompis construxit Monasterium in saltu Iodrensi super Matronam fluuium, quod nominauit Iodrum, in quo ipse sub Regula sancti Columbani Deo vsque ad diem seruiuit vltimum.* Vnde corrigas Tritemium [b] in viris illustribus Ordinis Benedictini, & Wionem in priori Appendice ad Martyrologium Benedictinum, vbi volunt Adonem sancti Columbani discipulum ac Monachum Luxouiensem extitisse. Breui spatio temporis interiecto Iotrense Monasterium, quod virorum fuerat, cœpit esse puellarum, nam sancta Bertila, quæ Cœnobij Kalensis à Batilde Regina Clodouei Regis vidua fundati

[a] Lib. 4. c. 41.
[b] Lib. 3. c. 91.
* la Marne.
* Iouarre.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

curam prima suscepit, inter Iotrenses Moniales sub Teutecluldc Abbatissa vitam priùs duxit, vt Author vitæ synchronus [a] docet cum Menardo [b] & Breuiario [c] Kalensi.

Vetus Anonymus, qui vitam sancti Audoeni scripsit, Adonem filiorum, quos Hurharius suscepit, natu maximum ita laudat. *Primogenitus verò Ado floruit ordine Monastico, Religiosámque appetens vitam mundi huius calcauit malitiam.* Deinde sermonem de Radone sic instituit. *Rado autem Palatij thesaurorum custos effectus, seculi dignitatem adeptus, timore Domini præcinctus, eleemosinis largus fideliter sibi commissa custodiuit, atque in fascibus intrepidus ministrauit.* Eadem de Radone narrat Fridegodus in Actis sancti Audoeni. *Rado extremum natiuitatis ordinem tenens thesaurorum regalium summus procurator effectus est, quos iusto dispensans ordine fideliter & Christianè custodiuit, nichilominus in*

XIII. RADOLIUM A RADONE.

sæculi dignitatibus sanctæ quoque Religioni subditus, in præceptis Domini iustus & timoratus, in diligendo amabilis, in eleemosynis largus, prouidus militando, iustè piéque viuendo, in commissis sibi Palatinis fascibus viriliter fidelitérque ministrauit. Vterque prætermisit Radolium Monasterium ad Matronam ab eodem Radone conditum, cuius ita meminit peruetustus Anonymus in vita sancti Agili iam laudata. *Rado thesauros prædicti Regis* (nempe Dagoberti) *sub cura sua habens, animæ redemptam inæstimabili pretio margaritam cælestibus signanter commiserat gazis. Proinde super iamdictum amnem* Maternam *in patrimonio proprio Monasterium ædificauit, quod ex suo nomine Radolium nominauit.* Et Aimoinus, loco quoque citato. *Rado zelo fraterni studij animatus, dum thesauris præesset regalibus, & ipse in paterna hæreditate ædificauit Cœnobium, quod ex proprio nomine vocauit Radolium.* Hoc Monasterium situm est ad sinistram Matronæ ripam infra Cœnobium Iotrense iuxta vrbem cui nomen Feritas * sub Iotro, dicitúrque Radolium * ad Matronam, & est hodie Prioratus Ordinis Cluniacensis subditus Charitati * ad Ligerim. Sanctus Rado memoratur in Appendice ad Martyrologium Gallicanum.

XIV. RESBACENSE A DADONE.

Porrò Beatus Audoenus, ne impar in bonis operibus videretur suis esse fratribus, ipse etiam fabricauit Monasterium intra Brigensem saltum, quod Hierusalem ab eo quidem est nominatum, sed nunc à fluuiolo, super quem est situm, Resbacense dicitur Monasterium teste Aimoino. *Idem verò Monasterium possessionibus optimis, ornamentis Ecclesiasticis, libris atque aliis diuersis rebus, ad Dei seruitium pertinentibus, deuotus adimpleuit, ibidémque sanctorum Monachorum multitudinem constituit, atque Abbatem ex discipulis almi Columbani virum regularibus disciplinis apprimè eruditum, nomine Agilum, eisdem præposuit. Iámque meditabatur, vt cunctis sæculi dignitatibus abiectis, soli Deo in Monasterij claustris absque impedimento se ad seruiendum subderet. Resistebant autem tam Rex quàm cuncti Optimates eius tunc piæ voluntati, dicentes eum potiùs plurimorum consulere debere vtilitati, quàm suæ tantùm singularitatis facere deliberationem. Videns verò vir Deo dilectus ratione se pariter & auctoritate astrictum (sciebat enim scriptum omnibus, Potestatibus sublimioribus subditi estote, &, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari) ab hac intentione ad tempus ardentem retraxit animum.* Hæc Fridegodus. Audoenus igitur Monasterium Rasbacense * construxit, priusquàm Rothomagensis Episcopus fieret. Agilus, qui primus huic Cœnobio præfuit, inter Monachos Luxouienses anteà sub sanctissimis Abbatibus, Columbano, Eustasio & Walberto, diu vixerat, vt constat ex Authore vitæ synchrono, qui prolixâ fidelique narratione primordia Resbacensis Monasterij sic exposuit. *Audoenus cognomento Dado præfato Regi* Dagoberto *præ cunctis aulicis est amabilis atque Referendarius constitutus, gestans eius anulum quo signabantur publicè totius Regni potiora signa vel Edicta. Cùm ergo assiduè moraretur in Palatio, beatum Eligium, qui inter reliquos Regni Proceres sapientiâ, opere atque virtutibus enitebat, vinculo sibi vnanimis dilectionis copulauit. Quapropter illius vsus consilio nitebatur molimine studij inrefragabilis intra Bragiensem saltum propriis sumptibus in remotis locis Monasterium construere. Cùm igitur ardentissimo desiderio hoc votum magnoperè*

[a] Apud Duchesn. tomo 1. collect. hist.
[b] Libro 1 die 4. Nouemb.
[c] Die 5. Nou.

* *la Ferté sous Iouarre.*
* *Ruel sur Marne.*
* *la Charité sur Loire.*
* *Rebais.*

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

*complere satageret, atque eandem siluam frequenter eâ deuotione animi circuiret, comperit tandem inter duas mucras adiacentias ex fisco quodam Nantolialinse, sed tunc ad villam, quæ Mailus dicitur, aspicere. Has denique suis petitionibus per confinia sua, Regis largitione ac munificentiâ adeptus, quod summoperè optabat, omissâ dilatione implere procurauit. Factum est autem, vt quadam die peragrans præmemorata eremi confinia eo mentis ardore, quo superna prærogatiua gratia situm Ecclesiæ construendæ congruum ei dignaretur ostendere, deueniret super torrentem, quem veteres incolæ Resbacem dixerunt, atque in eodem loco qui prisco vocabulo propter geminum lacunar gemellus marcasius nuncupabatur. Ibi verò dum paululùm subter pomorum arborem substitisset, facto in ea velociùs vmbraculo silentium imperat, significans fessa membra quieti velle concedere, quò secretiùs posset orationi incumbere. Diutiùs ergo dum prostratus solus orasset, surgens ab oratione vidit in aere nubem splendidam radiis coruscis figuram Crucis prætendentem, ex cuius claritate tantum lumen per tres continuatim noctes emicuit, vt eius fulgore videres in eodem loco clarè omnia velut in meridie, cùm vndique noctis esset consueta obscuritas. Per tres etiam dies ros ibidem visus est in modum Crucis à mane vsque ad vesperam, donec triduano expleto iéiunio vnà cum beato Farone Episcopo Ecclesiæ fundamenta locaret. Sícque diuinâ gratiâ disponente factum est, vt vbi orans subter pomiferam arborem iacuerat, ibi in schemate Crucis templum Domino ædificaretur. Intereà venerabilis Audoenus compertâ laudabili famâ Beati Agili, quæ vniuersam repleuerat Galliam, prudentissimi Faronis Episcopi potitus consilio satagebat assiduis persuasionibus nunc affatu nunc scripti prece, amicitiæ fœdere illum sibi coniungere, quatinus prædicto quod ædificabat Monasterio posset eum Abbatem præficere. Illud reuerà videbatur vsquequaque impossibile eò quod Metensium plebs gaudebat quandoque sub illius Pontificatu insigniri miraculis, & Lingonensium concio eius virtutibus decorari, & Vesuntionensis populus benedictionibus suffragari, & quod maius erat & æquius cuncta Luxoniensium Congregatio concors eum sibi vendicabat alumnum, quò illìc Pastor existeret, vbi comam deposuerat & miraculis coruscantibus euitebat. Cernens quippe venerabilis Audoenus hoc certamen conflictationis aliter minimè se dari posse, nisi Regiæ potestatis censura modum imponeret, adhibitis secum Eligio vnanimi amico & Pontifice Farone Regali Serenitati postulantia verba infert, quatinus posset vt cupiebat de tanti viri iocundari solamine. Inter huiusmodi sanctissimum conflictationis agonem, medium se in æquitate opponens Rex taliter fatur. Vestris precibus acquiescentes sufficiens Metensibus arbitramur fore illius miraculi donum, quod in porta vrbis diuinâ per eum operante misericordiâ patratum est, quando hominem à dæmone liberauit; & Lingonicæ plebi, quòd in eorum præsensia claudo gressus restituit; & Vesuntionensi populo quòd inter cetera quæ coram eis operatus est, muto loquelam quam natura negauerat, & surdo auditum reddidit, insuper etiam paralyticos curauit; & Luxoniensibus fratribus, quoniam illis præsentibus mortuum suscitauit, qui dum lauaretur in thermis, ab altero submersus necatus est; nobis saltem liceat illius præcipuis radiantem virtutibus contemplari fulgorem. Igitur egrediens è Luxonio per Edictum Regis beatissimus Agilus ingreditur Palatium, quod Compendium * dicitur, stipatus decore Pontificum Amandi ac Faronis, & fultus nitore Optimatum, Celsi, Audoeni atque Eligy, qui scilicet baltheo Pontificale dogma luculentissimè præmonstrabant. Aspiciens denique tranquillissimus Rex claritatem vultûs Beati Agili, taliter eum affatur. Propterea, venerende Pater & Sacerdes Dei, te accersiuimus, vt tuo affatu dulcissimo, diuini verbi poculo exuberante nostrum sitientem spiritum repleamus, atque magnificis tuis exemplis populus nobis commissus suffragetur, quin nosmet tuis sacris orationibus commendantes ratum censemus per consilium Episcoporum nostrorum & Optimatum dispensatorem te diuini verbi in regno nostro fore. Denique persuasi precibus fidelis nostri ac Referendary Audoeni committimus tibi ex nostra Præceptione magisterium operandæ Monastery structuræ, quòd ipse ædificare desiderat ob amorem Dei & congregandi illic Monachorum agmina. Hac quippe Regiâ deliberatione accessit venerabilis Agilus ad opus iamdictum iuncto sibi in collegio duodeno fratrum numero.*

* Compiegne.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

Quocirca insistens cœpto operi assiduâ sollicitudine perduxit ædificia Ecclesiæ vsque ad perfectionem fastigij.

XV. Wandregisilus, cùm Romæ versabatur, vt Author vitæ scribit [a], *in visu admonitus, vt Galliarum repeteret rura, iter conuertit ad Alpes. Remotior enim volebat conuersari, & peregrinam pro Christo ducere vitam non mediocriter appetebat, si Dominus votis eius annueret. Disposuerat namque in Hiberniam insulam nauigare, sed diuina pietas hoc magnificum munus ob multorum instructionem, Galliarum populis reseruauit. Cum autem non modico sudore, tamen delectabili, Alpibus transcensis, arua iam tereret Gallica, causâ hospitij Monasterium petiit, cuius est vocabulum Romanis, situm vltra saltum Iurensem. Pater ergo loci venerabiliter & monasticè eum suscepit, ac debitum præbuit obsequium, vt eius vita præscribit laudabilis canon. Cognouitque vir Domini Religionem Monasticam ibi pollère, deditque operam, vt Monachorum iungeretur sodalitati. Amplexus autem obedientiam, per decem fermè annorum curricula sub institutione regulari, felici deuotione Domino militauit.* Istud Monasterium in Codice, quem clarissimus vir Antonius *de Wyon* Dominus *d'Herouual* nobis communicauit, cognominatur *Romanum, & vltra Iuranenses partes* æquè constructum habetur. Fuit proculdubiò vnum è Cœnobiis, quæ sancti Romanus & Lupicinus fratres in illis locis condiderunt rexerúntque. Wandregisilo ibi commoranti visio cælestis exhibita est, quæ Godonem eius nepotem, pro quo creberrimis precibus aures Domini sollicitabat, vanitatibus mundi derelictis ad castra Christi deuotissimè conuolaturum significauit. Nihil aliud occurrit in eius vita, quod toto illo tempore, quo illic conuersatus est, in hosce Annales referendum videatur. Condatescensi Monasterio tunc præerat Iniuriosus Abbas, de quo sermonem ante triennium iam fecimus.

[a] Apud Sur. die 22. Iul.

WANDREGISIL. REDIT ROMA. DEGIT IN MONASTERIO SALTVS IVRENSIS

XVI. Hoc circiter anno Faluius Episcopus, cuius mentionem anno superiori fecimus, Romam cogitauit. Sigirannus, qui Turonensis Archidiaconus anteà fuerat, magistrum secutus est impigrè. Quod videntes nonnulli pij viri se socios addiderunt. Omnia loca sancta, quæ in itinere iis occurrebant, summâ pietate perlustrantes tandem Romam tempore vindemiæ peruenerunt. Lege vitam sancti Sigiranni [b].

FALVIVS EP. ET SIGIRANNVS EVNT ROMAM.

[b] Tomo 2. Biblioth. Labb.

XVII. Hoc anno, vt ex prædictis patet, Rictrudis Adalbaldo Maurontum peperit. Alcuinus [c], à quo Neoterici descripserunt, Maurontum à Richario Presbytero è Britannia reuerso baptizatum & à præsentissimo periculo diuinitus in tenerrima ætate liberatum ita tradit. *Richarius prædicationis officio in Britannia peracto, cum multiplici verbi Dei fructu reuersus est in patriam, ne dum in altera messe quæreret mercedem, in propria perderet. Quodam tempore visitauit equitando quandam Deo deuotam fœminam, Rictrudem nomine, & cùm iam post dulces vitæ epulas & post colloquia salubria, ipse vir Dei ascenso equo ad propria remeare disposuisset, fœmina prædicta, iuxta morem, equitantis vestigia Patris secuta est, habens in vlnis filium suum, vt paruulus quoque benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipse antè sacro baptismate regenerauerat. Accipiente itaque infantem equite venerando seu ad benedicendum seu ad osculandum, antiquus hostis, omnibus bonis inimicus, immisit equo ferocitatem, qui huc illúcque dentibus frendens, pedibúsque calcitrans, & toto corpore insaniens, inconsueto impetu per campum discurrere cœpit. Quod pauida cernens mater, oculos auertit ne morientem videret filium, quem seruus Dei, saniente equo, manu tenebat. Familia verò pro morte pueri vel casu viri Dei strepere, plangere, eiulare non destitit. Sed dextera Christi, quæ Petrum trepidantem leuauit, ne mergeretur in vndis, puerum cadentem subleuabat, ne alliderectur in terris. Nam oratione à famulo Dei factâ, puer incolumis quasi auicula peruenit ad terram, & equus redditus est mansuetudini suæ. Et mater quidem filium suum super terram sanum & ridentem suscepit in vlnas suas, ipse tamen Sacerdos Dei non equo iter agere, sed asello mansuetissimo ex eo tempore voluit.* Subiicit Alcuinus Dagobertum in agrum Pontinum venisse, vt sacrosanctis orationibus Richarij se commendaret. Cetera non pertinent ad Dagoberti

[c] In vita sancti Richarij.

NASCITVR S. MAVRONTVS, BAPTIZATVR A RICHARIO PRESBYT.

AN. CH. 634. DAGOB. R. 13. SIGIB. III. R. 2.

Principatum. Ab agro Pontrino non procul aberant possessiones Adalbaldi, quas Authhor Chronici Marchianensis docet *in pagis, Flandrensi, Legiensi, Adartensi, Austrebatensi, & Pabulensi* sitas fuisse.

Authhor Historiæ Suessionensis asserit Ecclesiam sancti Stephani Protomartyris hoc anno Suessione constructam fuisse ab Anserico illius vrbis Episcopo, qui Canonicos Deo famulaturos ibi collocauit.

XVIII. ANSERICVS EP. SVESS. CONSTRVIT ECCLESIAM SANCTI STEPHANI.

XIX. NASCITVR S. AVSTRVDIS.

Hoc eodem anno Salaberga Blandino Basoni tertiam prolem peperit, nomine Austrudem, de qua sic ex manuscripto Codice Lucas Dacherius in nonnullarum sancti Ioannis Laudunensis Abbatissarum nomenclatura, quam operibus Guiberti Abbatis beatæ Mariæ de Nouigenro subiecit. *S. Austrudis B. Salaberga filia, ab incunabulis Deo à sanctissima genitrice consecrata, vix duodennis cùm videret se ab illustrissimo simul & opulentissimo iuuene ad nuptias expeti coniugio, immò & sæculo renuntians, patriámque deserens Laudunum venit, & magno Cleri ac populi concursu excepta, & ad Monasterium deducta Monasticum habitum sub religiosa sanctæ matris disciplina suscepit. Octo pòst annis, defunctâ matre, in Abbatissam electa est anno ætatis suæ vigesimo, & annuente Clodoueo Secundo Francorum Rege, acclamantibus regionis Proceribus vniuersis, à Peregrino Laudunensi Episcopo post impertitam benedictionem instituitur.* Id verò contigit exeunte anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, cùm Clodoueus Lauduno totâque Austrasiâ potiebatur, & luco Peregrini restituendus est Attola, qui Laudunensis Episcopus tunc erat. Austrude sorore iuniores fuerunt duo fratres Eustasius & Balduinus, quorum ille obiit cùm in annis puerilibus adhuc constitutus esset, hic Leuiticum munus in Ecclesia Laudunensi gessit.

XX. FILII EDVINI REG. NORDANHVMB. MITTVNTVR IN FRANC.

Hoc anno, vt Beda initio libri tertij docet, Oswaldus Edelfridi, qui genti Nordanhumbrorum ante Eduinum præfuerat, filius vtramque Nordanhumbrorum prouinciam siue regna Deirorum ac Berniciorum recuperauit. Tunc Edelburga Regina, quæ post Eduini mariti sui mortem anno priori cum filia Heonfreda, Vulcfrea filio, & Iffi Osfridi priuigni filio ad Eadbaldum fratrem suum Cantij Regem confugerat, vereri plurimùm cœpit, ne Rex Eadbaldus ambos pueros Oswaldo Regi traderet, eósque, vt idem Author [a] scribit, *metu Eadbaldi & Oswaldi Regum misit in Galliam, nutriendos Regi Dagberto, ibíque ambo in infantia defuncti, & iuxta honorem vel regiis pueris vel innocentibus Christi congruum in Ecclesia sepulti sunt.* Eadburga Dagobertum cognatione contingebat, auum enim maternum habuerat Charibertum Regem Franciæ, propatruum Dagoberti.

[a] Lib. 2. c. 20.

XXI. CHARTA PRO MONASTER. S. DIONYSII EXAMINATVR.

In Antiquitatibus Dionysianis occurrit charta, quâ Dagobertus Rex concedit *Sancto Dionysio Martyrum egregio & fratribus ibidem Deo seruientibus, villas quasdam, quæ sita sunt in pago Biturico, scilicet villam quæ vocatur Vallis *, quæ sita est super fluuium Carum, ac villam quæ vocatur Argenterias * sitam super Magneuriam fluuium cum omnibus appendiciis earum.* Sed falsissima est subscriptio. *S. Dagoberti gloriosissimi Regis. S. Chludouuy fily Dagoberti. S. Arnulfi Metensis Episcopi. Data per manus Dadonis regiæ dignitatis Cancellarij. Hoc actum est Parisius fæliciter in Dei nomine. Amen. Data 4. Idus Aprilis, Indictione 12. 13. regnante Dagoberto Rege.* Anno quidem Dagoberti Regis decimo-tertio natus est Clodoueus. At Arnulfus Metensis olim Episcopus in eremum pridem secesserat, & Indictio duodecima cum anno Dagoberti Regis decimo-tertio non coincidit.

* *Vaux.*
* *Argentiere.*

AN. CH. 635. DAGOB. R. 14. SIGIB. III. R. 3.

ANNVS CHRISTI 635.
DAGOBERTI R. 14. 8.
SIGIBERTI III. R. 3.

I. [a] Cap. 78. BELLVM VASCONICVM.

ANNO Christi ſexcenteſimo triceſimo-quinto, ſiue, vt Fredegarius [a] loquitur, *anno XIV. regni Dagoberti, cùm Waſcones fortiter rebellarent, & multas predas in regno Francorum, quod Charibertus tenuerat, facerent, Dagobertus de vniuerſe regno Burgundiæ exercitum promouere iubet, ſtatuens eis caput exercitûs, nomine Chadoindum Referendarium, qui temporibus Theuderici quondam Regis multis præliis probabatur ſtrenuus. Quocum XI. Duces cum exercitibus, id eſt, Arimbertus, Amalgarius, Leudebertus, Wandalmarus, Waldericus, Ermenricus, Barontus, Ariardus ex genere Francorum; Ramlenus ex genere Romanorum; Willibadus Patricius ex genere Burgundionum; Agino ex genere Saxonum, exceptis Comitibus plurimis, qui Ducem ſuper ſe non habebant, in Waſconiam cum exercitu perrexiſſent, & tota Waſconia patria ab exercitu Burgundiæ fuiſſet repleta, Waſcones de intermontium rupe egreſſi ad bellum preperant. Cúmque præliare cœpiſſent (vt eorum mos erat) terga vertentes, dum cernerent ſe eſſe ſuperandos, in faucibus vallium montis Pyrenæi latebram dantes, ſe locis tutiſſimis per rupes eiuſdem montis conlocantes latitarunt. Exercitus poſt tergum eorum cum Ducibus inſequens, plurime numero captiuorum Waſcones ſuperatos, ſeu & ex his multitudine interfectis, omnes domus eorum incenſas, pecuniis & rebus exſpoliant. Tandem Waſcones oppreſſi ſeu prædomiti, veniam & pacem à ſupraſcriptis Ducibus petentes, promittunt ſe gloriæ & conſpectui Dagoberti Regis præſentaturos, & ſuæ ditioni traditos cuncta ab eodem iniuncta impleturos. Feliciter hic exercitus abſque vlla læſione ad patriam fuerunt repedati. Sed Arimbertus Dux maximus cum ſenioribus & nobilioribus exercitûs ſui per negligentiam à Waſconibus in valle Subola fuit interfectus. Exercitus verò Francorum, qui de Burgundia in Waſconia acceſſerat, partâ victoriâ redeunt ad proprias ſedes.* Vallis Subola, quam alij Codices Rubolam & Subolanum, Aimoinus Robolam, recentiores Seulam * & Solam vocant, alluitur Saſone * fluuio; Malleone * oppido non obſcuro celebris eſt; olim Aquenſi *, hodie Olorenſi ſubeſt Epiſcopo; nomen dedit Vicecomitibus Solenſibus ſeu de Subola, quorum commendatione ſuam vtriuſque Waſconiæ notitiam clauſit Arnaldus Oihenartus. Bellum Waſconicum compendiosè narrat Aimoinus [b], in eóque fallitur, quòd Audoenum appellat quem alij Chadoindum & Adoindum nominarunt. Non negamus Audoenum, qui & Dado ſæpè nuncupatur, hoc anno Referendarium Dagoberti Regis extitiſſe, ſed plures Referendarios eodem tempore fuiſſe nihil vetat, certè Dado ſiue Audoenus alius ab Adoindo ſeu Chadoindo fuit, nam Fredegario, Monacho Sandionyſiano & Aimoino teſtibus, dux copiarum contra Waſcones directarum, quem Aimoinus Audoenum, alij Chadoindum & Adoindum vocant, ſub Theodorico Rege multis præliis inclaruit, ad illam verò gloriam iunior erat Audoenus anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio, quo Theodoricus regnum & vitam amiſit.

* la Soule.
* le Saiſon.
* Mauleon.
* d'Acqs.

[b] Lib. 4. c. 28.

II. [c] Cap. 37. * Ville Compain lez Champeaux en Brie. * Tyuernon.

Eodem autem tempore, quo bellum Waſconicum gerebatur, *deuotiſſimus Rex Dagobertus*, ſi Monachus Sandionyſianus vera ſcripſit [c], *Eccleſiam Chriſti Martyrum Dionyſij ac ſociorum eius heredem proprierum fecit Præceptorum ſubſcriptionibus de Campania * villa, quæ ſita eſt in pago Camliacenſe, quam eidem Regi quædam materfamilias nomine Theodila tradiderat; & de Tibernione *, quæ ſita*

AN. CH. 635.
DAGOB. R. 14.
SIGIB. III. R. 3.

*est in pago Aurelianensi, quam idem Rex cum sancto Ferreolo Augustidunensi Episcopo commutauerat; necnon de Clippiaco * superiore, & Idcina * atque Salice * seu Aquaputta *, quæ omnes constant in pago Parisiaco: seu etiam de Latiniaco *, quæ sita est in territorio Meldico, quam ipse Rex cum Bobone Duce, & Tacilone Comite Palatij, de suo proprio fisco commutauerat. Sanctorum semper auxilium contra visibiles & inuisibiles aduersarios expetens, vt sicut ei tempore pubertatis in somnis prædicti Martyres promiserant, ab imminentibus angustiis eum eriperent, atque ei & in vita & post mortem pollicita suffragia ferrent. Super hæc verò centum vaccas inferendales, quæ ei de Ducatu Cinomannico annis singulis soluebantur, fratribus inibi Deo seruientibus per proprij Præcepti subscriptionem, vt eisdem pro eo Dominum & sanctos Martyres deuotiùs delectaretur exorare, visus est omni futuro tempore annuatim concessisse.* De auxilio, quod Dagoberto nondum Regi à beato Dionysio sociisque Martyribus collatum volunt, quid sentiremus, exposuimus suo loco. In Antiquitatibus Dionysianis nihil occurrit de Campania villa, de Clippiaco superiore, de Idcina, de Salice & de Latiniaco; fit autem mentio Tibernionis & Aquæputtæ, ita tamen vt ea, quæ ibi de Tibernione leguntur, à præcitata narratione plurimùm dissideant.

* le Haut-Clichi.
* Idcine.
* Saulx.
* Puteaux.
* Lagny.

III. Regium Præceptum, quo Dagobertus villam Tibernionem Monasterio sancti Dionysij concedit, in Antiquitatibus Dionysianis [a] datum reperitur anno Regni octauo, falsúmque redarguitur cùm ex hac temporis nota, tum ex aliis circumstantiis quas ad annum Christi tricesimum supra sexcentesimum expendimus. Multò meliùs hæc donatio anno decimo-quarto Dagoberti Regis à Monacho Sandionysiano consignatur. Præceptum Dagoberti Regis à scriptis Monachi Sandionysiani rursum discrepat, nam præter Tibernionem villas alias enumerat, Tauryacum videlicet & Rubridum in pago Aurelianensi, Monaruillam & Wasconisuallem in territorio Stampensi, quas Monachus Sandionysianus ne quidem nominat; hic verò villarum longè aliarum, quæ in Præcepto Dagoberti desiderantur, mentionem facit. Denique, si Monacho Sandionysiano fides est, Ferreolus Augustodunensis Episcopus Tibernionem cum Dagoberto Rege commutauit; prædictum autem Præceptum non indicat à quo quóue modo Dagobertus Tibernionem acquisierit, & in alio, quod hoc anno, Dagoberti Regis decimo-quarto, datum extat, videtúrque dignum cui fides habeatur, ipsemet Dagobertus factâ commutatione non Tibernionem in pago Aurelianensi à Ferreolo Augustodunensi Episcopo, sed Sarclitas * in territorio Stampinsi sitas à Ferreolo Episcopo Augustodunensi & à Deodato Abbate sancti Symphoriani accipit. Hoc Præceptum tale est. *Dagobertus Rex Francorum vir illuster Windelberto Duci. Quicquid ad alendos pauperes plenâ deuotione conferimus, retributionem mercedis ob hoc in futurum habere confidimus. Igitur cognoscat industria vestra nos villam nuncupante Sarclitas, super fluuium Ioina sitam in pago Stampinse, quam de domno Ferreolo Augustidunensis vrbis Episcopo, vel à Deodato Abbate, seu Clericorum & Ecclesia vel Basilica Domni Symphoriani, vbi deseruire noscuntur, contra alia villa Amica nomine quæ est in territorio Masilienst commutauimus, pro mercedis nostræ compendium ipsas Sarclitas cum omni integritate vel merito suo, ad Matricularios Domni Dionysij Martyris, vbi ipse preciosus Domnus in corpore requiescit, qui ad ipsa Basilica vel infra eius atrio, ad matriculas residere videntur, vnde quod iuxta eisdem in reliquo ampliare voluerit ad eorum substantiam hoc plenâ deuotione concessimus. Præcipientes ergo vt à præsente die suprascripta curte Sarclitas, cum domibus, mancipiis, vineis, syluis, pascuis, farinariis, gregibus, cum pastoribus, adiacentiis, vel omni integritate & termino suo, sicut ab antè dicta sancta Ecclesia Augustidunensi, vel Domni Symphoriani fuit, cum omni soliditate possessum, dum hoc nos, vt diximus, datâ aliâ villâ communi conuenientiâ commutauimus, possideant. Ideo quod ex nostra largitate pro animæ nostræ salute ad ipsos Matricularios Domni Dionysij, absque introitu Iudicum, fuit perenniter Deo propitiante concessum, nec Abba, nec alia qualibet persona, rem ipsam de donatione ipsorum Matriculariorum, quoque tempore non præ-*

[a] Lib. 3. cap. 5.
DAGOBERTVS TRADIT COENOBIO S. DIONYSII
* Saclé.
SARCLITAS

AN. CH. 635. DAGOB. R. 14. SIGIB. III. R. 3.

ſumat auferre, ſed per manum Abbatis eorum in quo eſt ipſorum pauperum victus aſſidualis, exinde in Dei nomine miniſtretur, & quicquid de freciis aut de reliquis exinde fiſcus augmentare potuerat, ad ipſos pauperes proficiat in augmentis. Vnde ipſis, vel qui eis ſucceſſerint, delectet pro regni noſtri ſtabilitate, vel animæ noſtræ ſalute crebriùs exorare, & vt hæc Præceptio inconuulſis temporibus debeat perdurare, propriâ manu decreuimus roborare. Vrſinus obtulit. Dagobertus Rex ſubſcripſit. Datum ſub die decima-quinta Kalend. Auguſtas, anno decimo-quarto regni noſtri Clipiaco fæliciter. Amen. Ferreolus Auguſtodunenſis Epiſcopus, qui nominatur in hoc Diplomate, ſucceſſit Auſpicio, cuius meminimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-quintum, Conciliόque Cabilonenſi ſub Clodoueo Rege, Dagoberti filio, ſubſcripſit. Monaſterium ſancti Symphoriani, cui Deodatus Abbas tunc præerat, multis ſeculis ſuos habuit Abbates, hodie eſt tantùm Prioratus in ſuburbio Auguſtodunenſi. De Matricularijs Monachis ſancti Dionyſij agemus inferiùs.

IV. Extat & in Antiquitatibus Sandionyſianis aliud Præceptum regium, quo Dagobertus hoc anno, Regni ſui decimo-quarto, Aquamputtam, cuius mentio eſt apud Monachum Sandionyſianum, Monaſterio ſancti Dionyſij poſſidendam ſic concedit.

ET AQVAMPVTTAM.

Dagobertus Rex Francorum vir illuſter. Homo ſemper & incolumis etiam, & ac ſi in ægritudine poſitus, pro ſalute animæ ſuæ attentiùs debet vigilare, vt in futurum valeat mercedem conquirere. Igitur nos pro Dei intuitu vel remedio animæ noſtræ donamus ad Monaſterium ſancti Dionyſij, vbi ipſe precioſus Domnus in corpore requieſcit, & vbi nos ſepeliri cupimus, donatúmque in perpetuum eſſe volumus, villam noſtram, quæ vocatur Aquaputa, ſitam in pago Pariſiaco, cum omni iure & ſoliditate ſua. Quapropter per præſentem ceſsionem decreuimus, quòd perpetualiter, Domino protegente, manſurum eſſe volumus, vt ipſa villa cum omni integritate vel adiacentiis ſuis per præſentem auctoritatem iure firmiſsimo perueniat ad memoratum Monaſterium vel Dodone Abbate qui ibidem rector præeſſe videtur, itaut in poſtmodum cum terris, domibus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmue decurſibus, gregibus cum paſtoribus, adiacentiis, appendiciis, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, ſicut vſque hactenus à fiſco noſtro fuit poſſeſſa, ita ex noſtra indulgentia pro anima noſtra ſalute vel ſtabilitate filiorum noſtrorum ad ipſum ſanctum locum, vel ad ipſos fratres qui ibidem Deo deſeruiunt, noſtris & futuris temporibus proficiat in augmentis. Et vt hæc ceſsio conſeruetur, nos eam, prout potuimus, ſubter firmauimus, vel de annulo noſtro ſigillari iuſsimus. Vrſinus obtulit. Dagobertus Rex ſubſcripſit. Datum ſub die Kalend. Auguſt. anno decimo-quarto regni noſtri Clipiaco fæliciter. Amen. Dodoni Abbati, qui nominatur in hac charta, ſucceſſit Chunaldus, huic Aygulfus, vt alibì probauimus [a]. Quapropter ſubdititium arbitramur Præceptum, quo Dagobertus hoc eodem anno dicitur tradidiſſe *villam, quæ vocatur Malliacus *, in pago Biturico ſitam, à Caro * fluuio duobus millibus diſtantem, fratribus Monachis deſeruientibus ad Baſilicam Domni Dionyſij Martyris peculiaris Patroni, vbi præeſſe videtur Aigulphus Abba;* nec aliter docent hæ ſubſcriptiones, *Dagobertus Rex ſubſcripſit. Dado Cancellarius obtulit. Signum Arnulfi Metenſis Epiſcopi. S. Eligij Nouiomenſis Epiſcopi. S. Aygulfi Abbatis Monaſterij Domni Dionyſij. Datum in menſe Octobri, anno quartodecimo regni noſtri. Actum in Dei nomine Clipiaco Palatio fæliciter. Amen.* Arnulfus enim in eremum pridem abietat Epiſcopatu dimiſſo, Eligius infulis Pontificalibus nondum cingebatur, & Aigulfus adminiſtrationem Monaſterij Sandionyſiani nondum ſuſceperat.

[a] Ad an. Chr. 630. num. 11.

* *Maillay.*

* *le Cher.*

V. Ceterùm prædictæ chartæ, per quas Dagobertus Sarclitas & Aquamputtam Monaſterio ſancti Dionyſij tradidit, in Antiquitatibus Dionyſianis [b] rectè aſſeruntur datæ Clippiaci. Dagobertus enim bellum Waſconicum hoc anno per Legatos geſſit, cúmque Clippiaci reſideret nuntium de rebus in Waſconia feliciter geſtis accepit, nec ampliùs diſſimulandum ratus Legationem direxit ad Britannos, vt damna priùs illata quamprimùm reſarcirent, alioquin minatus eſt ſe quantocyùs in Britanniam immiſſurum copias Burgundicas quæ de Waſconibus

[b] Lib. 3. cap. 3.

AN. CH. 635.
DAGOB. R. 14.
SIGIB. III. R. 3.

conibus nuperrimè triumpharant. Totum hoc negotium, quod Dagoberto Regi prosperè cessit, ita describit Fredegarius [a]. *Exercitus Francorum, qui de Burgundia in Wasconia accesserat, partâ victoriâ redeunt ad proprias sedes. Dagobertus ad Clippiacum residens, mittit nuncios in Brittaniam, vt quæ Brittones malè admiserunt, velociter emendarent, & ditioni suæ se traderent. Alioquin exercitus Burgundiæ, qui in Wasconia fuerat, de præsente in Brittanias debuisset inruere. Quod audiens Iudicaile Rex Brittanorum, cursu veloci Clippiacum cum multis muneribus ad Dagobertum perrexit, ibíque veniam petens cuncta, quæ sui regni Brittaniæ pertenentes Leudibus Francorum inlicitè perpetrauerant, emendandum spondidit, & semper se & regnum, quod regebat, Brittaniæ subiectum ditioni Dagoberti & Francorum Regibus esse promisit. Sed tamen cum Dagoberto ad mensam vel ad prandium discumbere noluit, eà quòd esset Iudicaile religiosus & timens Deum valdè. Cúmque Dagobertus resedisset ad prandium, Iudicaile egrediens de Palatio, ad mansionem Dadonis Referendary, quem cognouerat sancta religionis sectantem, accessit ad prandium. Indéque in crastino Iudicaile Rex Brittanorum Dagoberto valedicens, in Brittaniam repedauit, condignè tamen à Dagoberto muneribus honoratus.* Iudicael ad Iudwalum Comitem, qui Childeberti Primi Regis ætate floruit, & sancto Samsoni Dolensium Episcopo amicitiâ coniunctissimus extitit, suam referebat originem, spreto Comitis titulo quo maiores gauisi fuerant, regium sibi nomen arrogarat, & nonnullis Dagoberti copiis in agro Cenomannico debellatis animos in spem maximam erexerat. Hæ causæ dissidij fuerunt. Legationis in Britanniam missæ princeps erat Eligius, de quo sic Audoenus in eius vita scribit. *Rogatus à Rege Legatione fungi partibus Britanniæ, nihil ille cunctatus perrexit tam ocyùs, quàm Christi caritate securus. Quò cùm peruenisset, Britannorum Principem adiit, causas pacti indicauit, pacis obsidem recepit. Et cùm nonnulli iurgia eos vel bella mutuò sibi indicere æstimarent, tantâ præfatum Principem benignitate & mansuetudine ac lenitate attraxit, vt etiam secum eum adducere facilè suaderet. Commoratus ergo ibi aliquamdiu, rediens domum perduxit secum Regem cum multo exercitu generis sui. Eúmque Crioilo in villa Regi Francorum præsentans, pacificè confœderauit. Qui copiosa munera intulit, sed vberiùs muneratus ad propria rediit.* Crioilum Hadrianus Valesius Rioilum aut Roroialum interpretatur, Surius corruptè legit Priulum, alij habent Clippiacum, & hæc lectio videtur omnium optima, quia Fredegario [b], Monacho [c] Sandionysiano & Aimoino [d] consentanea est. Iudicael Eligij viri sanctissimi colloquiis in Britannia non parum profecit, videndíque Audoeni, de cuius virtute tam præclari sermones ab amico habebantur, ardentissimo desiderio flagrare cœpit. Audoeni famam non minuit sed auxit conspectus, & Iudicael in Britanniam reuersus ea, quæ de mundi contemptu ab Audoeno Eligióque audierat, jugi meditatione sic apud se reuoluit, vt relicto sæculo Monasticam vitam profiteri posteà decreuerit.

[a] Cap. 78.

IVDICAEL ADIT DAGOBERTVM.

[b] Cap. 78.
[c] Cap. 38.
[d] Lib. 4. c. 29.

MVLTVM PROFICIT COLLOQVIIS ELIGII ET AVDOENI.

Circa hæc tempora, cùm Dutioterus Ecclesiam Redonensem administra- VI.
bat, prope muros Redonenses erectum est Monasterium sancti Melanij, cui primus Abbas præpositus fuit Bertulfus, qui posteà in Concilio Cabilonensi vices eiusdem Dutioteri Episcopi gessit, vt post annos nouem dicturi sumus. Dutioterus Pontificatum auspicatus est anno Christi sexcentesimo tertio, cùm Victurius eius decessor anno priori viuere desiisset. Lege catalogum Redonensium Antistitum in Armorica sacra.

COENOBIVM S. MELANII ERIGITVR.

Illis temporibus, cùm Dagobertus regnabat, & Dado siue Audoenus offi- VII.
cio Referendarij fungebatur, si plerisque neotericis fides est, serpens inusitatæ immanitatis ad Sequanam in agro Rotomagensi stabulans nauigia quamplurima ditis amplexibus illigauit ac depressit; homines, armenta, pecudes miris modis corripuit trucidauitque; vrbem denique deleturus erat funditus, nisi Romanus Ecclesiæ Rotomagensis Pontifex belluæ sæuientis feritatem diuinæ virtutis fiduciâ domari ac debellari posse docuisset. Illud prodigium in Elogio sancti Romani sic refert Ioannes Dadreus. *Temporibus Dagoberti inclyti Franco-*

AN ROMANVS EPISC. ROTOMAG. SERPENTEM DOMVERIT

AN. CH. 635. DAGOB. R. 14. SIGIB. III. R. 3.

rum Regis accidit quoddam mirabile in oculis habitantium Rothomagi. Erat quidem serpens miræ magnitudinis prope vrbem in loco palustri, qui per multos annos deuorabat homines & iumenta, neque tutum erat ciuibus exire vrbe. Beatus autem Romanus loci Episcopus, Deo plenus tantam calamitatem conspiciens cogitabat de remedio liberandæ vrbis ab hoc malo. Accipit è carcere vnum criminosum multis latrociniis & homicidiis infamem & conuictum. Qui cùm ad locum serpentis venissent facto super eum signo Crucis per sanctum Dei virum mitis & mansuetus sicut agnus redditus est. Et sic facilè ab homicida adductus est ad vrbem, vbi in conspectu plebis combustus est, eiúsque cineres in fluuium vrbi propinquum dispersi sunt. Huius autem miraculi fama volat per totum regnum, & maximè peruenit ad aures Regis & totius curiæ. Quo audito stupefactus mandat Episcopum vrbis, vt ad se veniret, quò posset ab eo de toto negotio informari. Qui quidem adueniens narrauit Regi quomodò res tota gesta fuerit. Vnde Rex & curiales valdè mirati sunt & gauisi. Sed vt tanti miraculi memoria non periret, prædictus Rex de consilio & suasu Domini Dadonis sui Referendarij, qui posteà Audoenus appellatus est, & fuit successor sancti Romani regnante Clodoueo Dagoberti filio, liberè concessit Ecclesiæ Rothomagensi, vt quot annis in perpetuum posset in die Ascensionis, quo tale prodigium acciderat, vnum incarceratum liberare de quocumque crimine forefecisset. In vitæ Authore quem Rigaltius publicauit, & in illius Authotis abbreuiatore, qui lectiones Breuiarij Rothomagensis à nobis suprà recitatas contexuit, de sancto Romano nihil tale legitur, ideóque multi commentum putant, quamuis ex eiusmodi miraculi fabula Priuilegium azyli ac dimittendi malefici, posterioribus temporibus à Regibus Francorum emanarit. Horrenda eluuies, vt alio loco dictum est, defrænato impetu ruptis aggeribus inundauit, ac penè mersit Rotomagum. Romanus verò præpotenti Christiani nominis fiduciâ, tumentibus aquis, vt subsiderent, intráque suum se alueum reciperent, imperauit, actutum velut sorbentibus sese vorticibus pristina vrbi facies ac trepidantibus ciuibus securitas restituta est. Fortè contigit, vt pro inundatione illa, quam ὕδρων Græcè dixisse fas erat, subsequentibus seculis terribilem excetram quis comminisceretur, sicut Poetæ fabulati sunt in causa Herculis; nam teste Isidoro Hispalensi Originum libro vndecimo [a] *dicunt hydram esse serpentem cum nouem capitibus, quæ Latinè excetra dicitur, quòd vno cæso tria capita excrescebant, sed constat hydram locum fuisse euomentem aquas vastantes vicinam ciuitatem, in quo, vno clauso meatu, multi erumpebant, quod Hercules videns, loca ipsa exussit, & sic aquæ clausit meatus, nam hydra ab aqua dicta est.* Nonnulli, qui meliùs sentire se putant, alium ab Episcopo qui Dagoberto Regi familiaris esset, Romanum faciunt, cuius feretrum hodie tanta in veneratione Rotomagi est, cúmque diu pòst sub Carolo Simplice Rolloni primo Normanniæ Duci synchronum vixisse tradunt, sed illius nominis Episcopus Rolloni coæuus Rothomagi non sedit. De Regiis Diplomatibus, quibus Priuilegium suum Rothomagenses tuentur, déque Apologeticis sermonibus quos Adrianus Behotius edidit, agemus suis locis, prout occurrent.

[a] Cap. 3.

VIII. Anonymus in Gestis Dagoberti, postquàm de pace cum Wasconibus & Britannis inita disseruit, copiosum hunc de conuentu Bigargiensi sermonem proximè subiungit [b]. *Eodem anno Dagobertus Rex postquàm omnes gentes, quæ in circuitu regni sui erant, subiugauerat, & opitulante Domino iam pace firmatâ, filiósque suos Sigebertum & Hludowium, vt suprà diximus, Reges designauerat, consilio diuinitus inspirato, conuocatis filiis, omnibúsque totius regni Primatibus, X. Kal. Iunias* (Aimoinus [c] habet Maias) *in Palatio Bigargio Placitum generale instituit. Cumque vt Francorum Regibus mos erat, super solium aureum coronatus resideret, omnibus coram positis ita exorsus est. Audite me, ô vos Reges & dulcissimi filij, omnésque Proceres, atque fortissimi Duces Regni nostri. Priusquàm subitanea transpositio mortis eueniat, oportet pro salute animæ vigilare, ne fortè inueniat aliquem imparatum, eíque sine aliquo respectu præsentem lucem auferat, atque perpetuis tenebris, & æternis eum tormentis tradat. Quin potiùs, dum proprio li-*

[b] Capp. 40. 41.

CONVENTVS BIGARGIENSIS EXPLODITVR.

[c] Lib. 4. c. 30.

AN.CH. 635. DAGOB. R. 14. SIGIB. III. R. 3.

bertatis iure subsistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam quærat mercari perpetuam, vt inter consortium iustorum desiderabilem valeat adipisci locum, & retributorem sibi præparet Dominum, atque ex rebus transitoriis ad loca venerabilia Sanctorum in alimoniæ pauperum curet impendere, quatenus ab ipso Domino fructum indeficientis Paracliti inter astra matutina mereatur refoueri. De cuius fonte viuo perfectâ fide poscenti non subtrahitur poculum, nec minuitur alueus, sed potius quisquis hauserit irrigatur dulcedine cælitus, atque suauis ei flagrat odor balsami paradisi. Et ideo ego disentiens conscientiam ac mei cordis excessum, atque considerans examinationem superni Regis iudiciúmque ipsius metuens, necnon etiam verens pœnas hominum infœlicium, maximè autem concupiscens gloriam infinitam iustorum, & præcauens illud, ne vltimus dies iuxta dispensationem Domini, nos de memoria Sanctorum, vel consolatione egentium, pigros inueniat, ita nobis sanâ mente sanóque consilio placuit, & vt iam diximus, deuotio animæ admonuit, pro æterna retributione testamentum condere, in qua Basilicas Sanctorum penè omnes Regni nostri temporibus nostris nominatas propriis nostris donationibus hæredes fieri præciperemus, & pro immutabili beneficio quatuor vno tenore, vnáque temporis momento, vobis omnibus conscientibus firmare decreuimus, & quicquid vbique ad loca Sanctorum per eadem nunc ad præsens contulimus, infrà simili adnotatione conteximus. Ex quibus vnum Lugduno Galliæ dirigimus, alium verò Parisius in Archiuo Ecclesiæ commendamus, tertium Mettis ad custodiendum domno Abboni donamus, is erat Goericus Episcopus Metensis cognomento Abbo; *quartum autem, quem & in manibus tenemus, in thesauro nostro reponi iubemus. Hæc igitur propria extat nostra deuotio, & hæc Domini nostri consolatio, qui perfecta vota dignanter excipit; quia videlicet illi certa fiducia in die necessitatis manebit, quisquis locis Sanctorum, atque Sacerdotibus & egenis hîc alimoniam tribuit, quoniam Scripturâ teste fœneratur Domino qui miseretur pauperi, & ipse regnator Olympi vicissitudinem reddet ei. Vnde, sicut diximus, pro remedio animæ nostræ ipsa conditio admonuit, vt post discessum, quandoquidem Deus iusserit, nostrum, Sacerdotes qui in illo tempore in locis infra scriptis officij curam gesserunt, sicut in præsenti pagina continetur, absque vllius expectata traditione præsentaliter cum omni integritate recipiant, atque ad suprascripta loca Sanctorum in reliquum cuncta aspiciant, & sub integra emunitate pro nostra mercede ibidem in perpetuum proficiant. Cúmque vnusquisque eorum sibi collata tempore illo receperit, nomen nostrum in libro vitæ omnimodis inserat, & omnibus Dominicis diebus, seu præcipuis Sanctorum sollemnitatibus per omnia recenseat. Illud verò, quod ad medelam animæ nostræ pleniùs pertinere confidimus, per hanc paginam vos, Sacerdotes, temporibus illis in ipsis sanctis locis consistentes, & officia inlibata procurantes, per cælestem Regem coniuramus, cùm sibi collata vnusquisque perceperit, insequentibus diebus, tribus annis, Missas pro nobis celebrent, & sacrificia misericordissimo Regi pro sarcina commissa peccatorum soluenda omnibus modis afferant. Hoc verò testamentum Domino iudice ac teste præcipuè per hanc paginam omnibus qui aderant consentientibus committimus dulcissimus filiis nostris Sigeberto & Hludowio Regibus, quos nobis Christi largitio concessit habere in prolem, aut quos adhuc Dominus dederit filios, qui nobis succedere debeant, vt hoc commune nostrum decretum faciatis in omnibus conseruare, & hæc collata nostra non præsumatis conuellere. Sed per omnipotentis nominis Trinitatem, vel virtutes Archangelorum, Patriarcharum, & Prophetarum, Apostolorum, atque Martyrum, omniumque Sanctorum, & tremendum diem iudicij, seu aduentum Domini nostri Iesu Christi, ante cuius conspectum resurgere videmur, coniuramus, quatinus statuta nostra, quæ præsens declarat scriptura, stabili firmitate perpetim faciatis custodire. Nos autem præsentes Cartas testamenti pro nostra in perpetuum mercede propriâ studemus roboratione firmare, & omnibus, qui adestis, Episcopis, Abbatibus, Proceribus, atque magnificis viris ad præsens iubemus vestris subscriptionibus vel signaculis adfirmare. Et iterum iterúmque, sicut suprà diximus, vos, Reges & dulcissimi filij, vel qui postmodum nobis successuri sint, admonemus, quatinus facta nostra nullomodò præsumatis conuellere, si ea quæ post nostrum discessum statueritis*

AN. CH. 635. DAGOB. R. 14. SIGIB. III. R. 3.

inconuulsa manere vultis, quia illud nolo dubitetis, quòd successores & vos habituri eritis, & si nostra non conseruaueritis, nec vestra statuta stabilia esse credatis. Cúmque hoc Rex omnibus intentè audientibus prudentissimè perorasset, cuncti longæuam ei vitam pacémque Regni gratanter optantes, prædictum testamentum cum ipse Rex quàm omnes Regni Primates alacriter firmauerunt. In quo etiam non immemor peculiaris Patroni sui Domni Dionysij, quamuis eidem iam plurima prædia contulerit, villam nomine Braunadum inserere studuit. Ordinatísque ritè omnibus, quæ ad Regni honorem pertinebant, omnes cum gaudio ad propria remeare concessit. Illud verò testamentum, quod in thesauro suo reponi iusserat, vsque hodie in Archiuo Ecclesiæ beatorum Martyrum Dionysij ac sociorum eius venerabiliter custoditur. Denique eodem tempore plumbum, quod ei ex metallo censitum in secundo semper anno soluebatur, libras octo millia ad cooperiendam eandem supradictorum beatorum Martyrum Ecclesiam eo ordine concessit, vt tam per regales, quàm & per easdem villas, quas ipse antè eidem sancto loco contulerat, in alio semper anno adduceretur, & à gentibus vel thesaurariis ipsius venerandi Monastery traderetur, quatinus sicut ipse Basilicam eorumdem Martyrum deuotissimè tegere videbatur, ita ipsis intercedentibus eum omnipotens Deus vmbrâ suarum protegeret alarum. Nam & Præceptum exinde taliter firmare studuit, vt omni pòst futuro tempore à Regibus succedentibus eadem traditio inuiolabiliter obseruata custodiretur. Hadrianus Valesius [a] conuentum Bigargiensem inter fabulas reiicit argumentis non inualidis quæ consule. Vnum, quod ceteris longè præstare credimus, addemus ex temporis nota. Iuxta Fredegarij calculum, annus Dagoberti Regis decimus-quartus initium sortitur à Kalendis Martiis. Conuentus Bigargiensis à Monacho Sandionysiano & ab Aimoino refertur anno decimo-quarto Dagoberti Regis, habitúsque dicitur decimo Kalendas aut Iunias, vt Anonymus scribit, aut Maias, vt Aimoinus contendit. Illorum autem dierum neutro celebratus est, fuit enim posterior bello Wasconico, pacéque Clippiaci pòst initâ cum Iudicaele Britannorum Comite, nec vnquam sibi quis persuadebit Dagobertum in exequendis per Duces & Oratores negotiis adeò felicem ac diligentem extitisse, vt intra duos aut tres menses bellum Wasconicum per Legatos gesserit confeceritque, rerum in Wasconia prosperè gestarum nuncium acceperit in agro Parisiensi, Clippiaco direxerit Oratores in Britanniam, Iudicaelem Britannorum Comitem ad se venientem in amicitiam teceperit Clippiaci, regiisque muneribus donarum in patriam pace firmatâ remiserit.

[a] Libro 19.

IX. Quæ de Conuentu Bigargiensi scripta sunt à Monacho Sandionysiano, compendiosiùs exhibentur ab Aimoino [b], sed orationi quam Dagobertus in illo Conuentu ad filios suos regnique Proceres habuisse dicitur, Aimoini Interpolatot hæc tegij testamenti fragmenta inseruit. *In nomine Trinitatis Domini Dei omnipotentis, Apostolicis Patribus, Pontificibus videlicet ac Abbatibus, & reliquis Sacerdotibus intra regnum nostrum consistentibus, Dagobertus Rex Francorum. Quantùm intellectualis sensus humani potest mente sagaci pensare, atque solerti indagatione perpendere, nihil ampliùs valet in huius sæculi luce ac fugitiuo gaudio lucrari, quàm quod de rebus transitoriis, locis venerabilibus quis studeat in alimomoniam pauperum impendere, quatenus per fragilitatem naturæ generaliter patiuntur, priusquàm subitanea transpositio eueniat, pro salute animæ inuigilent, vt non inueniatur quisquam imparatus, vel sine aliquo respectu discedat è sæculo. Quin potiùs, dum propria libertatis iure subsistis, ex caducis substantiis intra æterna tabernacula vitam studeat mercari perpetuam, vt inter iustorum consortium desiderabilem valeat locum adipisci,* &c. *Itaque nobis sanâ mente sanóque consilio placuit, & (vt diximus) donatio diuina nos admonuit, vt pro salute nostra & pro æterna retributione conscribendum præciperemus testamentum, & pro immutabili beneficia quatuor vno tenore firmauimus instrumenta, & quicquid vbique per loca Sanctorum contulimus, inibi simili annotatione contexuimus,* &c. *Donamus igitur ad Basilicam sancti Vincentij Parrhisiis, vbi sepulturam, quandoquidem Deus iusserit, habere disponimus, donatúmque in perpetuum esse decreuimus, villam cognominatam*

[b] Lib. 4. c. 30.

AIMOINI INTERPOLATOR REIICITVR.

AN. CH. 635. DAGOB. R. 14. SIGIB. III. R. 3.

Cumbis in pago Parrhisiaco, quam Vrsa filia Alderici tenuit. Pari modo ad Basilicam sancti Petri Apostoli Parrhisiis, vbi sancta Genouefa requiescit in corpore, villam Draucrunm in Brigeio. Ad Basilicam Domine sancta Columba & Domini sancti Lupi Senonis, villam Grandemcampum in Gautineusi. Spuriæ huius Interpolationis Author Monachum sancti Vincentij prope Parisios teúmque mendaeij se prodit, cùm fingit in beati Vincentij Monasterio, vbi pater Clotarius auúsque Chilpericus quiescebant, sepeliri quoque voluisse Dagobertum, qui locum in quo tumularetur nullum vnquam elegit præter sancti Dionysij Basilicam, quam quinto ab vrbe Parisiensi milliario in vico Catholacensi construxit.

X. NASCITVR S. CLOTSENDIS.

Hoc anno Rictrudis Adalbaldo peperit Clotsendem, quam *egregius Pontifex Amandus, quia sacris dignisque manibus è fonte salutari excepit, in omnibus Deo dignam reddidit*, vt Hucbaldus Monachus Elnonensis in ipsius sanctæ Rictrudis vita testatur.

XI. FILIBAVDES EPISC. VICO-IVL.

Illis temporibus florebat Filibaudes Episcopus Vicoiuliensis, eiúsque filius Philibertus adhuc adolescens Audoeno charissimus in aula Dagoberti Regis magnam de se spem concitabat. Vitam sancti Philiberti, rogante Choschino Cœnobij Gemmeticensis Abbate, scripsit Anonymus. Istius lucubrationis varia iam fragmenta publicauit Andreas Duchesnius [a], opus autem integrum nacti sumus cum primogenia phrasi, quæ desideratur in Surio [b]. *Sanctus Philibertus Elisano territoria ortus, seculari prudentiâ non indoctus, vndique iuxta morem gentis strenuus, vrbe Vico-Iulij est nutritus, ea de causa maximè quod genitorem ipsius Filibaudem obtentum regio munere, laicali amministratione cessante, ciues loci illius expetissent Pontificem. Qui cùm prædictum adolescentem bona indolis florere cerneret, eum Regi Dagoberto commendare studuit, qui inter reliquos Francorum Reges fortissimus fuit. Tunc ille nobilitatis lampade fulgens consortium indeptus est Audoeni Optimatis, qui sub aureo baltheo Deum valdè diligens, inter reliquos Regni Proceres valdè habebatur illustris.*

[a] Tomo 1. collect. Hist. Franc.

[b] Die 20. Aug.

PHILIBERTVS AVLICVS IN AMICITIA AVDOENI.

XII.

Hoc anno, vt ex Gestis [c] sancti Sigiranni sæpiùs iam citatis patet, *datâ sibi occasione vt fertur pro quibusdam causis dirimendis, beatus Sigirannus à Roma progrediens iterum ad Flaucadi amicitiam repedauit, siue quia ab eodem in Regis Palatio pridem fuerat collocatus, cum quo etiam diutiùs moras innectens, suisque mellifluis affaminibus se illi conglutinans, in eius amorem non mediocriter est illapsus, qui nimirum coniuncti in sancta meditatione tractare cœperunt qualiter pro Dei amore locum instituerent vbi sub norma ac sancta religione Deo deseruientes Monachi vitam præsentem transigere quiuissent. Tunc quidem locum compendiosum, vt illis visum est, qui Millepecus dicitur, intra saltus Brionia elegerunt, ibíque ad opus prædictum, prout posse fuit, quantocyùs ædificare cœperunt. Etenim licèt per tempus exiguum, vt fieri assolet primitus, paruulam tamen construxit cellulam in eodem loco, & in sancta religione non minimùm est solidatus.* Atque hæc origo fuit insignis Monasterij, cui nomen Millepecus seu Millebeccus * ac Milibeccus in Diœcesi Bituriecensi.

[c] Apud Labb. tomo 2. Biblioth.

INITIVM MONASTERII MILLEPEC.

* *Meobec.*

XIII.

Tinidorus seu Tenenanus * Leonensis Episcopus ad Deum migrauit hoc eodem anno, decimo-septimo Kalendas Augustas, quo die celebris est eius memoria. Lege Armoricam Sanctam. Successit in Episcopatum Houardonus.

* *S. Tenenan.* EPISCOPI LEONENSES.

AN. CH. 636. DAGOB. R. 15. SIGIB. III. R. 4.

ANNVS CHRISTI 636. DAGOBERTI R. 15. 9. SIGIBERTI III. R. 4.

I. ANNO Christi sexcentesimo tricesimo-sexto dedicatum est Oratorium Monasterij Resbacensis octauo Kalendas Martias, eodémque anno Kalendis Maiis in Synodo Clipiacensi primus Abbas Resbacensis institutus est Agilus ex Monacho Luxouiensi. Dies quo solemnitas dedicationis impleta est, diésque quo Synodus est habita, notantur in vita sancti Agili. Non ita liquet de anno, quem probabili tamen coniecturâ sic assecuti sumus. Monasterium Solemniacense, cuius initia collocantur anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo, Resbacensi vetustius est, Eligius enim, qui Cœnobium Solemniacense construxit, Adonem, Dadonem & Radonem, vt singuli singula Monasteria conderent, exemplo suo prouocauit testibus Aimoino [a] & Sigeberto [b], idcóque primordia Monasterij Resbacensis ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-quartum retulimus. Oratorium autem eiusdem Cœnobij dedicari potuit exactò ferè biennio, id est, octauo Kalendas Martias, hoc anno, quo Dagobertum Clipiaci versatum esse didicimus ex Fredegario [c] infrà citando. Nec ea dedicatio seriùs videtur differenda, peracta est enim regnante Dagoberto, vt Anonymus in vita sancti Agili testatur. Hæc pertinent ad dilucidationem temporis, nunc ordo postulat vt rem ipsam describamus.

[a] Lib. 4. c. 41.
[b] In Chron. ad annum 637.
[c] Cap. 78.

II. ORATORIVM RESBACENSE DEDICATVR. *Beatus Audoenus in fundo suo Monasterium condidit ad torrentem Resbacensem, cúmque beati Petri Apostolorum Principis Oratorium cuperet dedicari, ei rei operam suam nauauit Faro sanctissimus, quippe in cuius Diœcesi extructum esset, atque Audoenus eius loci ordinationem omnem ex eius consilio facere decreuerat. Ipso autem dedicationis die paruum quidem sed egregiè politum marmor Pontifices benedicentes, cùm deinde altari imponere vellent, humi collapsum, ita duas in partes scissum est, vt ferro sectum videri posset. Id conspicati Antistites Faro & Amandus Proceréfque Audoenus & Eligius in terram sese prosternunt, Deóque preces offerunt, inde ab oratione surgentes, marmor Crucis signo consignant, móxque adeò inter se partes coalescunt, vt nullum fracturæ vestigium cerneretur.* Hæc manuscripti Codices apud Surium in vita sancti Faronis. Auctor verò coætaneus in vita sancti Agili scribit ista contigisse octauo Kalendas Martias, & præter illam diei circumstantiam, ex qua deprehendimus hunc annum, qui literâ Dominicali D. præditus fuit, habet alias silentio non omittendas. *Iam magna Sollemnitas*, inquit, *huius Templi dedicationis instabat dies, & venerabilis Audoenus, quia eandem Ecclesiam in honore beati Petri Apostolorum Principis ædificabat primam, illo die quo beatus Apostolus primùm cathedram Antiochiæ sedit, dedicare peroptabat, id est, octauo* KL. *Martij. Proinde accersitis Pontificibus prænotatis vnà cum Eligio, sicut mos Ecclesiasticus obtinet, templum dedicaturi intrant. Huic etiam intererat Monachorum decus Ado & modestus Agilus. Cúmque petram ex Pario marmore decentissimè politam cernerent super altare inæqualiter iacere, & eam vellent immutare quatuor columnæ & vera mundi luminaria, è manibus eorum elapsa terrâ tenus ruit, móxque per medium scissa est tam directè, ac si quispiam ferro eam secuisset. Stupenda res & admiranda. At Præsules cum Optimatibus paululum attoniti astantes repentè sese humo prosternunt, orationi incumbunt, pugnis pectora tundunt, lachrymis facies rigant, adeò vt pauimenta humectarentur. Nihilominùs eos, qui intererant, repentinus stupor inuaserat. Porrò tamen dum diutiùs orassent, surgentes*

plenis singultibus, signautésque lapidem Crucis signo in virtute Christi continuò ita reiunctus est solidè, velut si numquam fractus fuisset. Illud etenim vsque hodie manet admirabile, quòd in eadem petra remansit pro signo ad memoriam vt creditur futurorum, per eundem locum per quem fracta fuerat, veluti gracilis fili figura. Ceterùm quia beatus Amandus officium dedicationis solempniter impleuit, & super illud altare Missam eo die celebrauit, placuit venerabili Audoeno illius nomen in eodem marmore altis celare literis, atque propter plurima visionum seu miraculorum prodigia beatus Audoenus cum prædictis Pontificibus eundem locum Ierusalem nominauit, desiderans illic habere collegium pacis & vnanimæ fraternitatis contemplationem, vt ipso nomine prædicaret locus, quod gremio continebat. His ita completis, fecit venerabilis Audoenus hoc Monasterium locupletissimè populosum, ditans illud optimis possessionibus, libris, ornamentis Ecclesiasticis atque villis. Quin etiam postpositâ altitudinis potentiâ assiduis meditationibus moliebatur abiectis fugacibus seculi opibus in eadem Manasterio sub Monastica professione Christi militiam gerere. Sed cùm Rex ac cuncti Proceres Francorum illi in hoc facto nollent acquiescere, voluntati eorum cessit, committens potestati Regia etiam illud Monasterium. Proinde in Episcapali Synodo, quæ KL. *May in Clipiaco eo anno est habita beatum Agilum præcellentissimus Rex in memorato Cœnobio præfecit Abbatem.*

AN. CH. 636.
DAGOB. R. 15.
SIGIB. III. R. 4.

AGILVS FIT PRIMVS ABBAS RESBAC.

III. Auctor in Agili virtutes inde excurrit, eiúsque hospitalitatem præcipuè commendat hoc etiam miraculo à Deo probatam. *Dum quadam die vespere circumiens officinas Monasterij (fuerat enim eatenus nobilium hospitum obsequiis occupatus) pergeret ad xenodochium, quod illius ordinatione & iuuamine venerabilis Audoenus ibidem constituerat, quo pauperum necessariis subueniretur, vnius tantùm potitus fratris solatia, qui vocabatur Brandolinus, audiuit ad portam Monasterij, veluti plangentis hominis exilem vocem, apertâque fenestrâ, qua portæ inhærebat, cernit ante fores pauperem iacere vlceribus plenum (erat enim adhuc quiddam diei) petentem se hospitio recipi. Conuersúsque ad fratrem ait. Ecce quomodò aliis vtilitatibus occupati tanta neglеximus, perge ergo velociùs, & para ei refectionem. Eo quidem abeunte, ille aperto ostio quod portæ inhærebat (claues quoque inde habere consueuerat, quoniam consuetudo talis erat, quòd ianitor vt signum pulsabatur ad completam, confestim portas Monasterij firmans ei claues deferebat) ait ad pauperem. Veni, frater, en faciemus tibi prout competit. Ea autem respondente præ doloribus vlcerum ambulare minimè posse, enimuerò membra illius ac si leprosi inspiciebantur lurida, suis humeris eum imponens detulit in domum absque vllo pondere, posuitque super sedile iuxta focum, hyems quippe erat, accipiénsque vrceum & lintea, cùm super manus eius vellet aquam infundere, illicò disparuit, ac tanta fragrantia iocundi odoris eandem domum repleuit, velut si multa ibidem odoramenta aromatum redolerent.*

CLARET HOSPITALITATE.

IV. Agilo Abbate, complures è Proceribus ad Resbacense Monasterium confluxerunt, ibique Monachorum numerus adeò creuit, vt octogenarius fieret. Præ ceteris commendatur Philibertus, sic enim prosequitur Auctor proximè citatus. *Multi ex Primoribus Palatij atque Proceribus patria eius illustrati exemplo seculi honorem pro nihilo habentes peroptabant sub illius regimine in præfato Cœnobio Monachicam ducere vitam, in tantùm vt ex eis octogenarius compleretur numerus. Nonnulli etiam semet orationibus illius commendantes, atque illud Monasterium rebus ac facultatibus locupletantes fecere ditissimum. Inter quos beatus Filibertus Elisano territorio ortus, séque suísque omnibus abdicatis venerabilis Audoeni potitus consilio, prædicto Abbati se subdens, munerauit sæpedictum Monasterium copiosissimis donis auri argentíque ac supellectili variâ, atque demum illiccine comâ depositâ sub perfectæ religionis norma superno Regi Christo strenuè militauit.* Philibertus, cùm Resbacum se contulit, natus erat annos viginti, sic enim in eius vita Monachus Gemmeticensis, cuius fragmenta Duchesnius [a] iam publicauit. *Cùm Philibertus iuuenis quatuor annorum polleret lustris, diuina præcepta audiens, elegit Christi discipulus fieri propriis omnibus derelictis. Nec tamen se suo arbitrio credidit, quia hoc quippe didicit, vt præesse non audeat qui subesse non di-*

PHILIBERTVS FIT MONACHVS RESBAC.

[a] Tomo 1. collect. Hist. Franc.

AN. CH. 636. DAGOB. R. 15. SIGIB. III. R. 4.

dicerit, nec obedientiam subiectis imperet quam Prælatis exhibere non nouerit. Sed Dei seruum inquirere studuit, cuius vehemens religio probatissima foret. Agnito igitur quodam Dei milite, Agilo nomine, qui praerat Cœnobio Rasbacensi, quod Sanctus Audoenus cum suis consortibus in propria construxerat tellure, & ipsum virum Dei ibi instituerant de Monasterio Luxouiensium Patrem, quicquid habere potuit in eleemosynam erogauit, nec quicquam exinde amicis vel parentibus gratis aliquid tribuit, sed totum ac si regalia negotia sibi credita cautè & fideliter dispensauit. Cúmque ad prædictum Cœnobium peruenisset, beatus Agilus illum grauanter recepit. Ibique vir Domini Philibertus comam deposuit, ac iugum Christi suaue & onus leue suscepit, tantóque religionis culmine excreuit, ut viris perfectioribus imitabilis fieret.

V.

FLORBERTVS FIT ABBAS GANDENSIS.

a Nu. 98. 99.

b Die 6. Febr.

Amandus Gandam reuersus Florbertum Gandensibus Monasteriis Abbatem hoc anno præfecit. Obiit enim sanctus Florbertus Kalendis Nouembris, anno regiminis vicesimo-primo, Clotarij Regis secundo, vt Bollandus ex antiquis monumentis in commentario [a] præuio vitæ sancti [b] Amandi testatur, id est, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-septimo, non autem sexcentesimo sexagesimo-quarto, vt ille propter rationes, quas suis locis refutauimus, perperam interpretari cogitur. Theodoricus Abbas Trudonensis in vita sancti Bauonis ait Florbertum Abbatem ab Amando constitutum fuisse, vt nouellæ adhuc plantationi prouideret, dum Amandus Euangelium Dei populos edocebat. *Quia*, inquit, *ipse* Amandus *incumbebat prædicationi, necesse visum fuit constituere, qui prouideret nouella adhuc plantationi.* Vix enim fieri poterat, vt Amandus & Gandensium Monasteriorum curam gereret, & variis negotiis, quibus frequenter implicabatur, procul ab iisdem Cœnobiis operam nauaret.

VI.

c Cap 78.

REGEM ADEVNT VASCONES,

ET EBRIGISILVS RECLVSVS BITVRICENSIS.

Dagobertum Regem, cùm Agilus Abbas Resbacensis institutus est, hoc anno Clipiaci degisse diximus suprà. Id confirmatur auctoritate Fredegarij [c], qui de Vasconibus ad hunc eundem annum ita loquitur. *Anno XV. regni Dagoberti, Wascones omnes Seniores terræ illius cum Amando Duce ad Dagobertum Clippiacum venerunt, ibíque in Ecclesia sancti Dionysij regio timore perterriti confugium fecerunt. Clementiâ Dagoberti vitam habent indultam. Ibíque Sacramentis Wascones firmantes simul & promittentes, se omni tempore Dagoberto & filiis suis regnóque Francorum esse fideles. Quod more solito, sicut semper, fefellerunt, vt post hæc probauit euentus. Permissu Dagoberti Wascones regressi sunt in terram Wasconiæ.* Fortè ad hæc pertinet tempora, quod de Ebrigisilo Recluso Bituricensi ad aulam Regiam profecto sanctus Audoenus in vita sancti Eligij sic enarrauit. *Cùm Eligius Monasterium suum in territorio Lemonicino visitasset, atque inde rediens Bituricas deuenisset, voluit videre quemdam, qui illic morabatur, inclusum, nomine Ebrigisilum, cuius bona fama ab omnibus tunc Bituricæ vrbis hominibus celebrabatur. Qui videlicet inclusus indiscreta suæ institutionis rigorem seruans, nec faciem quidem suam Eligio tunc præbuit videndam, sed solummodò per fenestram & ipsam infecto vitro clausam, sicut cæteris consueuerat, eulogiam reddidit. Cui Eligius post aliquantulam collocutionem, cùm videre eum non quiuisset, vltimò valefaciens ait. Hîc te, frater, videre non potui modò, videbo proculdubiò citò in aula Regis Clipiaco. At ille cùm id nunquam fore protestaretur, eia, inquit Eligius, eia, probabis hoc in die illa, cùm te illuc coram populis & Principibus visurus sum in palàm. Verùm post breue tempus sequitur effectus eius sermonem. Nam talis quædam extitit causa, vt eundem inclusum cellulæ suæ claustris patefactis Palatium Regis adire necessitas certa compelleret, vbi ab Eligio honorificè susceptus est. Contigerat enim, vt ibi tunc adesset, & inter dulcia colloquia honestè valdè & iocabiliter increpatus, demum post transactam petitionem ad propria est regressus.*

VII.

IVDICAEL ET IVDOCVS COMITES RENVNTIANT SECVLO.

Hoc anno Iudicael Britannorum Comes, eiúsque frater Iudocus nuncium seculo remiserunt. In vita sancti Iudoci, postquàm actum est de fœdere, quod Dagobertus Rex anno superiore Clippiaci cum Iudicaele percussit, hæc proximè subiunguntur. *Regressus consequenter vir Dei Rodichaelus Rex in Britanniam, & regnum relinquere præmeditatus & patriam, ac vitam ducere Monasticam,*

cam,

AN. CH. 636. DAGOB. R. 15. SIGIB. III. R. 4.

*cam, fratrem suum iuniorem se, beatum scilicet Iudocum, conueniri fecit, de suscipienda regni gubernatione, vt in suo permanere posset proposito, & Monachorum fratrum cohabitatione. Frater autem eius beatus Iudocus * non minùs eo feruens in diuina dilectione, induciis deliberandi per octo dies à Rege fratre suo vix impetratis, die noctúque anxiâ cogitare cœpit intentione, quomodo relinquere posset, immò effugere & regnum & patriam, ac fratris sui, qui regnabat, declinare maleuolentiam. Ipso igitur in Monasterio Lammailmon (in quo literas didicerat) moram faciente, & orationi frequentiùs hac de causa incumbente, contigit per illud Monasterium vndecim peregrinos præterire, prætendentes quòd Romam vellent proficisci. Hos itaque insecutus secretò, & eis associatus venit Parisius; verùm vtrùm cum eis vlteriùs progrederetur in dubio positus tandem à Spiritu Sancto, qui gressus eius dirigebat, in omnibus vtile consequutus, ab itinere tantùm frequentato à populis, & à strata declinauit publica, dimissisque sibi à Deo transmissis itineris comitibus, ad Pontini * festinauit confinia, quæ antiquis plena nemoribus, deserta erant & inuia, & ab hominum cohabitatione remota, bestiis solummodò, feris & auibus habitabilia.* Florentius Abbas, qui vitam hanc ex antiquiore libro à se excerptam testatur [a], viuebat anno Christi decimo-quinto supra millesimum, Rodichaelum Regémque perperam vocauit quem Iudichaelem ac Comitem appellare debuit. *Parisiis*, vt Saussaius obseruat [b], *quo loco sanctus Iudocus peregrinus hasit, hausítque vitæ cælestis ineundæ spiramina, Ecclesia extat parœcialis, titulo eius glorioso nobilitata.* Iudocus postquàm Pontiuense territorium ingressus est, vt Florentius prosequitur, *delectatus locorum vastâ solitudine, super fluuium Alteiam * disposuit habere habitationem. Sed à Duce Haymone obuiam ei facto, forsitan ad hoc à Deo misso, retardatus est ab hoc proposito per spatium septem annorum, infra quos, & literas magis addidicit, & sacros ordines suscepit. Qui tandem Sacerdos effectus, filium iamdicti Ducis, qui eum in maxima habebat veneratione, de sacro suscepit fonte, quem vocauit Vrsinum. Elapso autem septennio, iuxta desiderium iampridem conceptum, ad vitam transiens solitariam, mansit in loco qui dicitur Brahic*, vt anno Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio dicturi sumus. Iudicael ægerrimè tulit fratrem è Britannia fugisse, tamen à sancto proposito non destitit, sed abdicatâ seculi pompâ se recepit ad Monasterium sancti Ioannis Baptistæ in Gaelo, vbi Monachum induit, vitámque admirabilem consummauit decimo-septimo Kalendas Ianuarij, quo die colitur in Martyrologio Gallicano. Quot annos sub Monastica disciplina traduxerit, haud scimus. Cenalis [c] fallitur, cùm Iudicaelem, vt Cœnobio se includeret, beati Maini seu Meuennij Abbatis exhortationibus impulsum scribit, nam beatus Meuennius sanctis Episcopis Samsoni & Magloriо coæuus vixit. Totius erroris causam ostendimus in obitu sancti Machutis, cùm Leontium Burdigalensem Episcopum, qui funus sancti Machutis anno Christi quingentesimo sexagesimo-quinto in Diœcesi Sanctonensi curauit, obseruauimus à multis confundi cum Leontio Episcopo Sanctonensi, qui sexagesimo pòst anno Synodum Remensem suâ subscriptione communiuit.

* Iosse.

IVDOCVS VENIT PARISIOS.

* le Pontieu

[a] Apud Sur. die 13. Dec.

[b] Die 13. Dec.

SECEDIT IN TERRITORIVM PONTIVENSE.

* Authie.

IVDICAEL MONACHVM INDVIT.

[c] Lib. 2. perioch. 6.

VIII. Hoc anno Gertrudis puella coniugium adolescentis nobilissimi generosè respuit. *Hoc primum*, inquit Author vitæ coætaneus, *electionis sibi in Christi seruitio initium fuit, sicut per iustum & veracem hominem comperi, qui præsens ibi aderat. Dum Pippinus genitor suus Regem Dagobertum in domo sua ad nobile prandium inuitaret, aduenit ibidem vnus pestifer homo, filius Ducis Austrasiorum, qui à Rege & à parentibus puellæ postulauit, vt sibi ipsa puella in matrimonium iungeretur secundùm seculi dignitatem. Propter ambitionem & mutuam amicitiam placuit Regi, & patri puellæ suasit, vt in sua præsentia illa cum matre sua euocaretur. Illis autem ignorantibus propter quam caussam vocauerit infantem, interrogatur inter epulas à Rege, si illum puerum auro fabricatum, sericis indutum, voluisset habere sponsum. Illa autem quasi furore repleta, respuit illum cum iuramento, & dixit. Nec illum, nec alium terrenum; nisi Christum volo habere sponsum. Itaut ipse Rex & Proceres sui valdè mirarentur super iis, quæ à parua puella, Dei iussione, dicta erant. Ille verò*

GERTRVDIS PVELLA CONIVGIVM RESPVIT.

AN. CH. 636. DAGOB. R. 15. SIGIB. III. R. 4.

puer recessit confusus, iracundiâ plenus, sancta Dei puella ad suam se conuertit genitricem. Post annos verò XIV. cùm pater eius Pippinus de hac luce migrasset, &c. Quòd autem communicato parentum consilio de Gertrude desponsanda, Pipinus pater post annos quatuordecim dicitur obiisse, si Bollando [a] in notis ad vitam sancti Emeberti credimus, id de quatuordecim annis ætatis ipsius Gertrudis accipiendum videtur, vt nimirum anno, quo Pipinus ex hac vita discessit, Gertrudis annorum fuerit quatuordecim, non autem quòd ab illa sollicitatione quatuordecim anni effluxerint. Existimamus mendum potiùs in numerum annorum quàm in phrasim irrepsisse, & Pipinum annos duntaxat quatuor non autem quatuordecim vixisse post conuiuium, in quo Dagobertus Rex verba fecerat de Gertrude in coniugium tradenda. Ambæ sententiæ in vnum calculum recidunt, supponúntque Gertrudem annorum quatuordecim fuisse, cùm patrem amisit anno Christi sexcentesimo quadragesimo. Nullius verò fidei sunt quæ de Gertrude narrantur à Neotericis illo quadriennio, quod mortem Pipini Ducis antecessit, non enim Gertrudi Niuellanæ conueniunt, sed alteri Gertrudi Pipini Herstalli filiæ, quæ, ne nubere cogeretur, in agrum Herbipolensem * cum Atalongo Presbytero & Bernardo Diacono fugit, vt suo loco dicturi sumus.

[a] Die 15. Ian.

* Wirtzbourg.

IX. ORTVS S. LAMBERTI.

Hisce temporibus natus est sanctus Lambertus. Super istius ortûs epocha duæ sunt sententiæ. Prioris, quam sequimur, Author fuit Nicolaus Leodiensis Canonicus, qui sancti Lamberti ortum his Characteribus consignauit. *Eo tempore, Eraclius post Facam Romani fastigium adeptus erat Imperij; eam verò partem regni Francorum, quæ Austria dicitur, Dagoberti Regis filius Sigebertus admodum iuuenis, prudenter sub patre gubernabat, per Cunibertum Coloniensem Episcopum, & Maioremdomûs Pipinum primum, viros fide, iustitiâ, consiliis conspicuos.* Posteriorem publicauit Ægidius Aureæ Vallis Monachus, qui Lambertum *anno ætatis suæ vigesimo-primo* in Episcopali sede collocatum scripsit. Hanc opinionem in commentario præuio [b] vitæ sancti Amandi iam explosit Bollandus, qui Lambertum, priusquàm ad Episcopatum promoueretur, ad annum ætatis suæ vigesimum-septimum peruenire censuit. Nos infrà multis argumentis probabimus sanctum Theodardum, cui Lambertus in Pontificatum successit, necatum esse anno Christi sexcentesimo duodeseptuagesimo, eóque computo Lambertum ostendemus Antistitem creatum fuisse anno vitæ tricesimo-secundo. Sed nec vitio caret textus Nicolai suprà recitatus, nam Pipini Maiorisdomûs loco Dux Adalgiselus restitui debet.

[b] Die 6. Febr.

X. VITÆ SCRIPTORES.

Antequàm res à beato Lamberto gestas aggrediamur, operæpretium ducimus differere de Scriptoribus, à quibus potissimùm fuerunt in literas relatæ, vt intelligas quis cui meritò sit anteponendus. Omnium antiquissimus nomen suum reticuit, magna ex parte per fragmenta publicatus fuit à Duchesnio [c], coætaneum se ostendit his verbis. *Electus Dei Landebertus Pontifex perrexit ad Monasterium, quod vocatur Stabolaus, nec ampliùs in obsequium eius remanserunt quàm duo pueri. Qui vnus ex eis nomine Theodoenus multùm nobis de vita & operibus eius solitus est narrare.* Hunc Anonymi nomine citabimus. Ætate proximus fuit Godeschalcus Diaconus sub Agilfrido Episcopo, qui quartus post sanctum Lambertum sedit; priorem Authorem, vt ex vtriusque collatione constat, legit expoliuitque; Renerus verò Monachus prædictum Anonymum haud nouit, sic enim locutus est de Godeschalco. *Vitam sancti Lamberti primus, iussu Agilfridi Episcopi scripsit Godeschalcus Diaconus, ipsius Congregationis Clericus, qui fuit tempore Pipini & Caroli Magni.* Canisius tomo secundo antiquæ lectionis, Godeschalcum publicauit, ratus illum ipsum esse quem Godeschalcus præ manibus habuit, errorem ostendit Godeschalcus editus à Chapeauillo. In catalogo Leodiensium Antistitum Stephanus post Agilfridum sexto loco numeratur, & in Sigeberti Chronico Pontificatum dicitur adeptus anno tertio supra nongentesimum, hic autem *Stephanus ex Clerico Metensi Episcopus Leodiensis*, vt Sigebertus in libro [d] de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus testa-

[c] Tom. 2. coll. Hist. Franc.

[d] Cap. 126.

tur, *vitam & passionem sancti Lamberti scriptam incultiùs à Godescalco Clerico, scripsit urbaniùs ad Hermannum Coloniæ Archiepiscopum, & cantum nocturnum in honore eiusdem Martyris.* Anselmus Canonicus Leodiensis elogium sancti Lamberti inseruit Historiæ Leodiensi, quam vsque ad obitum Wasonis Episcopi, siue vsque ad annum Christi millesimum duodequinquagesimum perduxit teste Ægidio Monacho. Nicolaus æquè Canonicus Leodiensis librum suum de vita sancti Lamberti Wederico Letiensi Abbati inscripsit, Wedericus autem electus est Abbas Letiensis anno Christi millesimo centesimo vigesimoquarto, vt ex illius Cœnobij Chronicis attestatur Chapeauillus in notis, quibus ipsam Nicolai epistolam dedicatoriam illustrauit. Renerus ad sanctum Laurentium prope Leodium Monachus, qui vitam quoque sancti Lamberti literis commendauit, Nicolao Canonico prænominato synchronus vixit, florebat enim circa annum Christi millesimum centesimum tricesimum. Denique Ægidius aureæ vallis in Diœcesi Treuirensi Monachus, qui suam Historiam anno Christi millesimo ducentesimo quinquagesimo-primo scribere desiit, encomium sancti Lamberti, quod Anselmus Canonicus ediderat, multis additionibus auxit. In annotando tempore, quo Lambertus natus est, Nicolaum potiùs quàm Ægidium secuti sumus, quia Nicolaus Ægidio præstat antiquitate, & Ægidij sententia non est consentanea constitutionibus Ecclesiasticis, quæ Pontificem anno ætatis vicesimo-primo consecrari minimè permittunt. AN. CH. 636. DAGOB. R. 15. SIGIB. III. R. 4.

XI. PARENTES.

Vitam sancti Lamberti sic orditur Anonymus. *Gloriosus vir Landebertus Pontifex oppido Triiectinse oriundus fuit, & altus, ex parentibus locupletibus secundùm dignitatem seculi. Inter Præsides illius temporis venerandus & longâ prosapiâ Christianus.* Similia scribit [a] Godescalcus, & Lamberti patrem Aptum appellat [b], matrem verò vocatam fuisse Herisplendem Nicolaus Canonicus & Renerus Monachus, aliique recentiores tradiderunt. Quod autem Ægidius addit Lambertum, vt baptizaretur, oblatum fuisse Remaclo, id à vero prorsus alienum videtur, quia Remaclus Episcopatum post annos ferè septemdecim ab ortu Lamberti suscepit.

[a] Cap. 1. [b] Cap. 10.

XII.

In Diœcesi Bituricensi duo Monasteria, Millepecense videlicet ac Longoretense, primum conditorem agnoscunt B. Sigirannum. Alterum altero paulò antiquius in vita S. Sigiranni exhibetur. Recentius ædificari cœpit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-primo, & obsoleto Longoreti nomine vocatur hodie Cœnobium B. Sigiranni. Vtriusque fundatio notatur in Dagobertino Diplomate, quod Chopinus [c] & ex eo Sammarthani [d] publicarunt. Hi fatentur vltrò tabulas eiusmodi, quæ Dagoberto tribuuntur, suspectas videri, & adulteratione non carere. Credimus alterum prædictorum Monasteriorum sub Dagoberto Rege, alterum sub Rege Clodoueo erectum fuisse, & ex duobus Præceptis, quorum primum Dagobertus, vltimum Clodoueus emisit, vnum esse conflatum, quod à Dagoberto datum dicitur. Pro Millepeco scripsit Dagobertus, pro Longoreto Clodoueus. Prioris Præcepti hæc fragmenta colligi possunt ex vulgato Diplomate. *Ecclesias cum decimis videlicet, & earum exequiis, ac omni Ecclesiastica reditione, & etiam quidquid vel incultum, vel cultum terræ, seu viarum publicarum vectigalibus, ac syluarum pascariis, necnon & capite censúque ex omnibus hominibus ad ipsam curiam pertinentibus, omnia nempe quæ esse videntur à decursu Andriæ *, vsque transcursum Crosæ *, circa fines Biturigensis ac Pictauensis confinij, quæ omnia meæ ditioni, ac propriæ potestati consistunt, dono & concedo, ac perpetuo tenore habenda confirmo regali potentiâ & dignitate, Sigiranno, Sigilaici filio Turonorum Episcopi, catenus qui sæcularibus pompis abrenuncians castitate custode virtutum, Deo placere gestiens, inibi ex meis propriis rebus ac facultatibus Cœnobiale Monasterium, vt animo concepit, construere liceat.* Et inferiùs. *Ob firmitatem igitur perpetui tenoris huius nostri doni, locum quem sibi Sigirannus iam dicit præuidisse fore aptum ad construendum Basilicam in honore sancti Petri, quem etiam Millepecum vocat, cum omnibus Ecclesiis iam constructis,*

[c] Lib. 2. Monast. [d] Tomo 4. Gall. Christ.

PRÆCEPTVM REGIS PRO COENOBIO MILLEPEC.

* l'Indre. * la Creuse.

sin construendis denotari præcipimus, & cum omnibus tam decimis, quàm pedagiis, atque pascariis, & vectigalibus, ac cunctis exitiis terrarum & syluarum, quidquid inde videlicet culti vel inculti esse videtur, vt dictum est, infra metas supradictorum finium, quatenus superuenientes Reges se defensores & auctores esse debere recognoscant huius Regalis Cœnobij, ab omni insectatione persecutorum, si aliquid quispiam quasi ex nostro dono, feodo, vel aliquo fraudulento ingenio præripere præsumpserit; ego nempe Dagobertus, & Clodoueus filius meus, Regali potentiâ & dignitate propriis manibus firmamus, authorizamus & confirmamus hoc donum. Ad posterius verò Præceptum pertinent ista. *Est locus non longè à confinibus Pictauensis seu Turonensis pagi, vberrimus pascuis pecorum ac iumentorum, irriguus decursibus aquarum, qui Longoretus à commanentibus vocatur, quem mihi placet dare Sigiranno, qui ab Archidiaconatu Turonensium se fæliciore vitâ frui desiderans, sub Monachali norma, cum iam sibi iunctis fratribus, existentem vitam transigere inibi profitetur. Itaque quampluribus præsentibus ex meis Magnatibus hunc supradictum locum in decursu Clasiæ * consitum, ac sanctæ Dei Genitricis & semper Virginis Mariæ honore prænotatum,* &c. Item alia quæ bis aut ter repetuntur ad commendationem beatissimæ Virginis, cui Longoretense Monasterium, vt beato Petro Millepecense, dicatum fuit; necnon Characteres Chronologici qui desumuntur à Pontificatu Wlfoldi & ab Indictione sexta, designant enim annum Christi sexcentesimum quadragesimum-octauum, siue annum vndecimum Clodouei Regis, & annum septimum à Flaucadi morte, quâ auditâ Sigirannus Millepeco Longoretum cum nonnullis Sodalibus se primùm contulit, vt Author vitæ iam laudatus testatur. Agemus iterum suis locis de primordiis Monasterij Longoretensis & de Regio Clodouei Diplomate, hæc autem sufficiant de Præcepto, quod pro Millepecensi Cœnobio Dagobertus hoc circiter anno sub finem sui Principatûs videtur emisisse.

* la Clayse.

XIII. In Antiquitatibus Sandionysianis [a] duæ chartæ hoc anno, Dagoberti Regis decimo-quinto, datæ reperiuntur, vna tertio Kalendas Augustas, altera Kalendis Nouembribus. Prior, quæ donationes amplissimas in Diœcesibus Lemouicina Pictauiensique complectitur, demonstratur falsa, tum quia meminit *Godini Lugdunensis Archiepiscopi*, cuius nomen in catalogis Antistitum Lugdunensium non extat, tum quia varias ostentat subscriptiones Episcoporum, qui vel ignorantur, vel in habitu laicali tunc erant. *Signum Palladij Archiepiscopi. Signum Landerici Episcopi. Signum Laudomeri Episcopi. Signum Fraudoberti Episcopi. Signum Astery Episcopi. Signum Eligy Episcopi. Signum Franemundi Episcopi. Signum Sylnini Episcopi. Signum Loradi Episcopi. S. Maurini Episcopi. S. Clari Episcopi. S. Gradoni Episcopi. S. Iohannis Episcopi. S. Burgundophari Abbatis. S. Leobasary Abbatis Sancti Dionysij. S. Mummoli Præfecti. S. Gundoeni Comitis. S. Charìulfi Comitis. S. Audini Comitis. S. Drictoaldi Comitis. S. Charimundi Comitis. Dado Archiepiscopus Rotomagensis Ecclesiæ consentiens subscripsit. Data tertio Kal. August. Regni nostri anno 15. Actum est Compendio Palatio fæliciter. Amen.* Posterior, quâ Dagobertus Rex *Monachis Basilicæ Domni Dionysij, vbi Abbas Algulphus praeesse videtur, villam nomine Noth *, & alteram quæ vocatur Pascellarius *, cum adiacentiis suis sitas in Bituricensi pago, & mancipia vtriusque sexûs, cum pratis, campis, syluis, aquis, aquarúmue decursibus* concedit, æquè subdititia redarguitur hisce subscriptionibus. *Signum Dagoberti Regis. Signum filij eius Chloudowei. Signum Eligij aurificis sui. Signum Dadonis Cancellary sui. Signum Geremari Abbatis. Signum Aigulfi Abbatis. Datum sub die Kalend. Nouembris, anno decimo-quinto regni nostri. Actum Clipiaco Palatio fæliciter. Amen.* Aigulfus enim, vt alibi iam insinuauimus, hoc anno nondum gaudebat Abbatis titulo, idque manifestissimè constat de Geremato, qui Monachum induit anno vndecimo post Dagoberti Regis obitum, vt Author vitæ testatur his verbis. *Dagoberto mortuo, anno XI. regnante Clodoueo Rege correptus est beatus Geremarus in viam salutis æternæ. Videns ergo quoniam nihil in mundo perpetuæ mercedis animæ suæ acquirebat, sed magis detrimentum perpetuum sibi præparabat, ad-*

[a] Lib. 3. cap. 3.

CHARTÆ PRO COENOBIO S. DIONYSII EXAMINANTVR.

* Nots.

* Peschelles.

hortante eum Audoeno adiit Regem Clodoueum, petiitque ab eo, vt filio suo quod pater eius concessit concederet, & capitis comam ei deponere liceret, seque Deo in Monasterio ad seruiendum traderet. Permissione autem Regis, licet abnegantibus Francis, tonsurauit eum beatus Audoenus, deditque ei Monachilem habitum. AN. CH. 636. DAGOB.

Aimoinus res quas Fredegarius & Monachus Sandionysianus hoc anno, R. 15. Dagoberti Regis decimo-quinto, gestas narrarunt, exscripsit capite tricesimo-primo libri quarti, & Interpolator in fine eiusdem capitis hæc de Abbatibus sancti Vincentij seu Germani prope Parisios adiecit, quæ nec apertè veritati repugnant, nec aliis testimoniis fulciuntur. *His diebus vitâ decedente Gauscione sancti Germani Abbate, Germanus regiminis locum suscepit.* Post Droctoueum sancti Vincentij Abbatem, quem Fortunatus Auctor synchronus laudauit à prædicto Interpolatore recensentur Scubilio, Desiderius, Gauscio & Germanus, de quibus altum est apud alios Scriptores silentium. Pauca de singulis iisdémque penè verbis refert, quæ simul in hunc annum coniicienda censuimus, nè fastidio legentibus esset nomen Interpolatoris toties repetitum. Capite decimo-sexto libri tertij sic loquitur. *Per idem tempus*, nempe quo sanctus Germanus Parisiorum Episcopus ad Deum migrauit, *defuncto sanctissimo Droctoueo Abbate, Scubilio Abbas ei successit in regimine.* Capite nonagesimo-secundo eiusdem libri, sic. *His diebus*, id est, anno vndecimo Theodorici Regis, *defuncto Scubilione Cœnobij sancti Vincentij Abbate, Desiderius ei successit in regimine.* Capite octauo libri quarti, sic. *Hac etiam tempestate*, anno videlicet tricesimo-nono Clotarij Regis, *Desiderio Abbate Monasterij sancti Germani diem obeunte, Gauscio successit in regimen.* Capite tricesimo-primo eiusdem libri, sic. *His diebus*, hoc est, anno decimo-quinto Dagoberti Regis, *vitâ decedente Gauscione sancti Germani Abbate, Germanus regiminis locum suscepit.* Tomo superiore probauimus Droctoueum Abbatem obiisse anno Christi quingentesimo octogesimo-primo, siue anno quinto postquàm beatus Germanus Parisiensis Episcopus ex hac vita sublatus esset. Cetera cum Fredegario nostrâque Chronologiâ sic compone. Desiderius Scubilioni succedit anno vndecimo Theodorici Regis, siue anno Christi sexcentesimo-sexto. Gauscio Desiderio succedit anno tricesimo-nono Clotarij Regis, siue anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo. Germanus Gauscioni succedit hoc anno, Dagoberti Regis decimo-quinto, Christi sexcentesimo tricesimo-sexto. Rexerunt igitur Monasterium Scubilio per annos viginti quinque, Desiderius per annos sexdecim, Gauscio per annos quatuordecim. Ceterùm Interpolator Aimoinianus, vt ex textibus suprà recitatis liquet, Scubilionem eiusque antecessores appellat Abbates sancti Vincentij, successores verò vocat Abbates sancti Germani, insinuátque Cœnobio, quod sancti Vincentij Monasterium anteà dicebatur, inditum fuisse nomen sancti Germani regnante Clotario Secundo. Refragatur autem Anonymus in vita sancti Baboleni, Sigefridum enim *Ecclesiæ sancti Vincentij Parisiensis* Abbatem nuncupat sub Clodoueo Francorum Rege, Clotarij Secundi nepote. Quapropter deinceps pro diuersis Auctoribus, quorum lucubrationibus vtemur, vnum idémque Cœnobium, modò sancti Vincentij, modò sancti Germani Monasterium nominabimus.

SIGIB. III. R. 4.

XIV. ABBATES S. VINCENTII PARIS.

XV. Eodem circiter tempore, quo Germanus Monasterium S. Vincentij seu Germani Parisiensis administrandum iuxta calculum Interpolatoris Aimoiniani suscepit, alius Germanus, patriâ Treuirensis, qui ante aliquot annos in Monasterium à Romarico constructum cum fratre Numeriano secesserat, adiit Luxouium, & in Abbatis Walberti disciplinam se tradidit. Qua de re sic Bobolenus in illius vita. *Tantam Dominus gratiam ei dedit, vt nullus esset qui non cuperet vitam & mores illius imitari. Tum deinde assumpsit secum B. Chuanem magnæ religionis virum ex genere Burgundionum, & accipiens salubrius consilium, Monasterium antiquorum opere constructum, cuius vocabulum est Luxouium, ambo pariter cum suis Sodalibus expetunt. Erat autem Pater Monasterij illius Waldebertus*

GERMANVS FIT MONACHVS LVXOVIENS.

nomine, vir egregius, ex genere Sicambrorum, & magnæ conuersationis vitæ. Cúmque eos aspexisset Sacerdos Dei, omnes vnanimiter hilari vultu intra Monastery septa recepit ouans. Ingressus verò homo Dei cum suo fratre Monasterium, mortificationem carnis, & sanctæ religionis vitam, & obedientiam ambo spontaneâ voluntate depromunt. Walbertum dicit *ex genere Sicambrorum*, id est, ex antiqua Francorum nobilitate, qui sedes olim fixerant in Sicambria, sic enim Clodoueus Rex apud Gregorium Turonensem [a] à Remigio Remorum Antistite Sicamber appellatur, *mitis depone colla Sicamber.*

[a] Lib. 2. c. 31.

---

637. Dagob. R. 16. Sigib. III. R. 5.

ANNVS
CHRISTI 637.
DAGOBERTI R. 16. 10.
SIGIBERTI III. R. 5.

I. Nascitvr S. Evsebia.

ANNO Christi sexcentesimo tricesimo-septimo, Rictrudis Adalberto tertiam prolem peperit Eusebiam. Hæc enim teste Hugbaldo in ipsius Rictrudis vita duodennis erat, cùm Gertrudi proauiæ in Hamatici Cœnobij administrationem successit. Gertrudem autem anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo ex hac vita sublatam fuisse docebimus infrà. Ceterùm *Eusebiam Nanthildis Regina* (in exemplaribus Hugbaldi perperam legitur Mathildis) *Dagoberti coniux ex sacro fonte suscepit*, donauítque Verniaco, villâ in agro Suessionensi sitâ, de qua sermo in obitu ipsius Eusebiæ recurret [b].

[b] Ad an. 660. n. 11.

II. Caldeoldvs Episc. Viennens.

Vltimis Dagoberti Regis temporibus Hecdico siue Edicto Viennensium Episcopo successit Cadeoldus, qui variis nominibus Caœldus, Caocoldus, Cacoldus, Caldeoldus, Cadeolus, Cadoldus & Clodoaldus appellatur, confunditúrque etiam à multis cum Edaldo & Eoldo, quorum alter anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo sedit, alter quartum post locum in catalogo Viennensium Antistitum obtinere debet, vt suis locis ostensuri sumus. Tomo primo, ad annum Christi quingentesimum tricesimum-quartum, quo Burgundiæ Regnum in Francorum potestatem deuenit, obseruauimus multa Cœnobia sub Burgundionum Regibus in Diœcesi Viennensi floruisse, deinde auctum esse illorum numerum sub Regibus Francorum. Citauimus veterem Auctorem [c], qui vitam edidit sancti Clari Abbatis Viennensis, & florentissimum Viennensis Ecclesiæ statum sub Cadoldo Pontifice sic descripsit. *Erat tunc temporis vir strenuus & Deo placitus, Viennensis Ecclesia Pontifex Cadoldus. Monasteria tam virorum quàm Sanctimonialium, sub sancta professione viuentium piá districtione, tam in ciuitate quàm extra muros ciuitatis, hæc præcipua erant quæ regebat. Grinianensium Cœnobia, à sanctis Pontificibus vrbis fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli martyris condita venerabantur, Sanctimonialium beatæ virginis Columbæ, triginta Monachas habens. Nam Grinianensium loca quadringentos Monachos alebant. Porrò sancti Petri Monasterium ad Australem partem vrbis situm, quingentes penè Monachos continebat. Sanctorum Geruasij & Protasij venerabilis memoria, quinquaginta. Similiter S. Ioannis Baptistæ Monasterium, quinquaginta. Similiter sancti Vincentij martyris, quinquaginta. Sancti quoque Marcelli martyris Cœnobium, triginta. Sanctæ Blandinæ viduarum Sanctimonialium locus, viginti-quinque. Sancti Andreæ infra mœnia vrbis, centum. Iterum aliud S. Andreæ, centum. Sancti Nicetij, eius vrbis gloriosi Episcopi, quadraginta. Sancti Martini Cœnobium, centum quinquaginta Monachos sub districtione regulari viuentes, adunates tenebat. Porrò in domo maiori sanctorum martyrum Apostolicam vitam tenentes, in vnúmque viuentes, plurimi Clerici erant, itaut turmis*

Coenobia Grinian.

[c] Apud Bolland. d. 1. Ian.

AN. CH. 637. DAGOB. R. 16. SIGIB. III. R. 5.

diſpoſitis myſteria peragerent. Apud ſanctum Seuerum quoque cœtus Clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia Sanctorum in vnum conuerſantium habitacula ad ſexaginta, ſub cura Pontificis degentia, in Viennenſi Diœceſi ſatis ordinabiliter ſita erant.

III. Illis diebus piiſſima vidua in vico habitabat, qui Bellicampus dicitur, & deuotè ad memorias ſanctorum Martyrum apud Viennam orandi gratiâ occurrebat cum Claro filio, *Claro autem puero Cœnobio ſanctorum Monachorum apud memoriam Beati Ferreoli Martyris tradito, ipſa nouiſſimum diem apud ſanctam Blandinam clauſit. Clarus itaque puer ſanctè in Monaſterio nutritus eò profecit, vt ſibi Monaſterium viduarum ad cuſtodiendum poſtmodum crederetur. Abbas factus in Monaſterio ſancti Marcelli à ſancto Pontifice vrbis, Clarus nomine, clarus virtutibus, clarus omnis religionis obſequio, ſtrenuus omni actione ſuâ, curam ſibi impoſitam per Dei gratiam ſollicitè adminiſtrabat.* Matrem Monaſterij febricitantem curauit, Monachum à dolore viſcerum ſanauit oleo ſancto, vineam grandine perditam ſuis precibus reſtituit, ſigno Crucis exemit hominem à periculo ſubmerſionis, dæmonem ſæpè profligauit, vixítque vſque ad tempora Georgij Epiſcopi, quem in Præſulatu anteceſſerunt ſancti Caldeoldi ſucceſſores Landalenus & Bobolinus.

CLARVS ABBAS

MIRACVLIS CLARET.

IV. Si fides eſt Adoni, *Caldeoldus Epiſcopus Viennenſem Eccleſiam rexit vſque ad tempora Theodorici Regis*, vixítque ſynchronus Sergio Papæ & Iuſtiniano iuniori Imperatori, ſed hæc ſententia ſtare non poteſt cum Actis Synodi Cabilonenſis, quibus Landolenus Caldeoldi ſucceſſor regnante Clodoueo Theodorici patre ſubſcripſit anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto.

EPISCOPI VIENNENS.

V. Sanctus Caldeoldus colitur decimo-nono Kalendas Februarij. Præter Adonis Martyrologium lege Benedictinum & Gallicanum, necnon alia multa quæ Bollandus ad illum diem allegauit. Ex Monacho & Abbate Grimanenſi ſeu Grinianenſi factus fuit Epiſcopus Viennenſis, ſi fidem habemus Wioni, qui vitam beati Clari citat, ſed ex ea nemo confecerit illum Monachum fuiſſe, nedum Abbatem Grinianenſem potiùs quàm ſancti Petri, ſancti Marcelli, ſancti Vincentij, aut alicuius alterius ex enumeratis iſthic Cœnobiis. Certè ex ſancti Clari vita, cuius textum ſuprà deſcripſimus, id vnum elicitur, quòd Caldeoldus Epiſcopus cuncta Diœceſeos Viennenſis Monaſteria, quæ plurima tunc erant, fouerit, rexerítque maxima cum pietate & ſingulari prudentia, non autem quòd eorum nonnulla conſtruxerit, aut aluerit vniuerſa, vt vult Sauſſaius, multò minùs quòd in quopiam illorum aut Monachus, aut Abbas vixerit, vt contendunt Scriptores Benedictini, qui ſuo Sodalitio hunc Pontificem adſcribunt.

AN SANCTVS CALDEOLDVS MONACHVS FVERIT.

VI. Exeunte hoc anno beatus Audomarus ex Monacho Luxouienſi factus eſt Epiſcopus Morinorum. Nam teſte Folchardo [a] Pontificatum iniit ſub Dagoberto Rege, tenuítque per annos triginta, priuſquàm incideret in morbum quo extinctus eſt, nec obiit ante annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum, vt ad illum annum probabimus. Textus Folchardi de Audomari Præſulatu & Taruannenſis Eccleſiæ ſtatu talis eſt. *Fama eius longè latéque diffuſa, vſque ad Dagoberti Francorum Regis notitiam peruenit. Multis inde labentibus annis, ab eodem Rege & omni populo vocatus & electus, ſancto Aichario Nouiomenſi agente Epiſcopo, ad inſtituendum & gubernandum Taruanenſis vrbis populum, cum multa animi humilitate Epiſcopi ſedem & dignitatem ſuſcepit. Plebs Taruanenſis, licèt longè ante eius aduentum, à beatiſſimi Martyris Dionyſij ſociis Fuſciano & Victorico verbum Dei accepiſſet eo tempore quo egregius Chriſti Martyr Quintinus apud Ambianenſes prædicabat, multa tamen Taruanenſium turba etiamnum idolorum cultum conſectabatur. Cùm enim Fuſcianus & Victoricus à Taruanenſibus profecti, in Ambianenſi territorio Martyrium obiiſſent, mox Taruanenſes ad dæmonum cultum relapſi fuere, nec ij duntaxat, qui nomen Domini anteà recipere noluerant, ſed illi etiam, qui à ſanctis Martyribus baptizati fuerant, pari errore implicati, idola colebant.* Multò diſtinctiùs de crebra Taruannenſium

[a] In vita ſancti Audomari.

AVDOMAR. FIT EPISC. MORINOR.

AN. CH. 637. DAGOB. R. 16. SIGIB. III. R. 5.

apoſtaſia diſſerit Malbrancus [a], *Taruannenſes*, inquit, *cùm primores illi Apoſtoli* Fuſcianus & Victoricus *in Ambianico agro vitam pro Christi nomine poſuiſſent, mox ad dæmonum cultus ſunt relapſi ab anno 302. Bellè quidem iterum ab idololatria reuocauit Victricius* Epiſcopus Rotomagenſis, *ſed eam anno 407. repetere cœperunt. Tertiò per Antimundum & Athalbertum inuecta fides ſedem accepit quietiorem, ſed annus 552. eam expuit expulítque; factus etiam Taruannenſium ſtomachus multiplici eiectione magis, quam aliàs, nauſeabundus. Præterea ſæuiſſima perſecutiones & Sacerdotum penuria effecit, vt in gente, quæ ſuapte indole, propter morum feritatem & inſolentiam ad prauum eſſet procliuior, vix vllum religionis veſtigium reſtaret. Siquidem Breuiaria omnia & manuſcripti Codices tradunt Audomarum Taruannenſes, cùm eos primùm adiit, omnino comperiſſe deprauatos, ſana ad eius dicta obdurniſſe, plurimùm denique deſudaſſe, priuſquàm in lætum Eccleſiæ gremium adduxerit.*

[a] Lib. 3. c. 11.

STATVS ECCLESIÆ TARVANN.

VII. LAVS AVDOMARI.

Morinorum Diœceſis duas amplectebatur ciuitates Taruannam & Boloniam. Epiſcopus pro temporum occaſione in alterutra ſedebat. Audomari Præſulatum Folcbardus à rebus Taruannenſibus orditur, Malbrancus à Bononicis. Vtraſque redigemus in epitomen. Audomarus vtrobique, Bononiæ ſcilicet ac Taruannæ templa purgauit, feruidas habuit ad populum conciones, magnam hominum multitudinem ad Chriſtianam fidem perduxit, frequentibus miraculis ac prophetiæ dono plurimùm inclaruit. Apud Malbrancum exoptat è Luxouio ſocios ſibi connecti, quorum conſortio & religioſa mens foueatur, & Euangelicus creſcat labor; Mommolinum, Bertinum, Ebertrannum alicuius molis negotia retardant; intereà datur Agilus Euangelicis excurſionibus iamdudum aſſuetus. Luxouienſes Aſcetas, qui partem laboris ſuſciperent, expetitos ab Audomaro non negamus, ſed Mommolinum, Bertinum & Ebertrannum Waldebertus Abbas è Cœnobio diſcedere non eſt paſſus, quia perpaucos annos in Monaſticis rebus exegerant. De itinere Agili ad Morinos nulla fit in eius vita mentio, tamen, quia colitur in illa regione, non dubitamus, quin aliquando, cùm Reſbacenſis Abbas iam eſſet, Audomarum Epiſcopum libenter adierit iuueritque.

VIII. FELIX FIT EP. LEMOVICENSIS.

His etiam temporibus, cùm Eligius adhuc laicus eſſet, Simplicio ſucceſſit in Epiſcopatum Lemouicenſem Felix, de cuius promotione hæc leguntur in vita eiuſdem Eligij. *Dum* Eligius *adhuc ſub laicali habitu eſſet, præſagus futura prænuntiauit. Ex quibus nocte quadam dum conſuetas orationes expleſſet paululum in diſcubitu requieſcens cœpit ſubitò in ſomniis vehementer ſatagere, quem mox Clericus excitum, cùm cauſam viſionis illius interrogaret, huiuſmodi ab eo reſponſum audiuit. Nuper, inquit, Simplicius Lemouicinæ vrbis Epiſcopus migrauit de mundo, & ecce modò iam Felix, qui Sacerdotio ſortitur, Miſſos ad nos deſtinauit, vt eius parti ſolatium præbeamus; cum ipſis quidem nunc loquebar; ſolliciti ergo nunc eſtote, haud procul enim ſunt. Dixit & conquieuit. Et ecce poſt eius verba cùm lux diei daret initium, cœperunt repentè prædicti nuntij veſtibulum domûs pulſare, qui illicò ingreſſi nuntiant Epiſcopi mortem cunctáque ita eſſe geſta, ſicut iam Eligius prædixerat. Tunc verò offerentes copioſam pecuniam à Felice pro adminiculo Epiſcopatûs miſſam nullatenus ſuadere potuerunt, vt quippiam ex eadem acciperet, ſed protinus ingreſſus ad Principem cuncta quæ petierant obtinuit, & ſic demum eoſdem ad propria remeare fecit.* Hunc Audoeni textum à Neoterico interpolatum putamus. Nam nec Felicem adeò flagitioſum arbitramur, vt pecuniam pro adipiſcendo Epiſcopatu ad Eligium miſerit, nec Eligium exiſtimamus ſceleri adeò fauiſſe, vt eum rogarit Epiſcopum fieri, qui Pontificatum palàm per ſimoniam ambiret. Addequòd eandem Eligij vitam, quam ſanctus Audoenus conſcripſit, in alio loco, vbi de ſimonia pariter agitur, iterum interpolatam oſtendemus poſt ſeptennium in notis ad decimum-ſextum Canonem Concilij Cabilonenſis tertij.

ELIGIVS MVLTA PRÆDICIT.

IX. Eligius adhuc quoque laicus Domnolo Abbati quædam prædixit haud reticenda, quia paſtoris diuturnam ab ouili abſentiam apertè condemnant. *Accidit*

cidit etiam, inquit Audoenus, *vt quidam Abbas, vocabulo Domnolus, visitationis gratiâ ad eum quondam profectus, diutiùs apud eum commoreretur, cui Eligius nocte quadam post quietem secretiùs euocato dixit. Tu hic securus consistis, sed Monasterium tibi commissum vehementer inimici impulsu quatitur, ac dæmonum procellis fortiter conquassatur. Vidi enim in visione noctis flumen ingens multâ vi super eum irruere, & nonnulla ædificia funditus ad solum vsque diruere. Quomobrem perge, quæso, nisi onerosum est, & vide vtrùm erga fratres cuncta prosperè agantur. Tunc Abbas sollicitudine cumulatus protinus itinere arrepto regressus est ad Cœnobium, & priusquàm ingrederetur Monasterium, ei nuntiatum est duodecim ferè fratres, dæmonum instinctu, proposito Monachi relicto clanculè de Monasterio fuisse egressos, & huc illùcque vagari incertos seculique actibus esse iam deditos. Sic ergo præfatus Abbas, Eligij verba non sine admiratione reminiscens, Domini in eo gratiam mirabatur diffusam. Interim verò de salute fratrum sollicitus ad eos inuestigandos properat quantocyùs, & nonnullos ex eis repertos ad Cœnobium reduxit, aliquantos tamen longiùs profugatos nusquam comprehendere potuit.* AN. CH. 637. DAGOB. R. 16. SIGIB. III. R. 5.

X. LVLLONIS ACTA EXAMINANTVR.

Ad hæc postrema Dagoberti tempora pertinent quæ narrantur ab Authore coætaneo in vita sancti Sulpitij Bituricensis Episcopi [a]. *Faciente cupiditate Dagobertus Rex præcepit fautori suo Lulloni homini feroci moribus & sine vllo vestigio misericordiæ, vt plebem Bituricam insueto censu imponeret, & sub pensione censûs viuerent, & Regis imperio deseruirent. Quâ afflictione vniuersus populus regionis illius congregatus ad memoratum virum Dei* Sulpitium *tanta multitudo plangentium conuenit, & eleuatâ lamentatione & confusâ voce deprecantes virum Dei, vt sibi subueniret deberet. Ille motus pietate, non sustinens eorum eiulatum & lacrymas cum Clericis indicto ieiunio per triduum Domini postulauit misericordiam, vt memorati populi sui releuaret afflictionem. Misit ergo quemdam de suis Clericis nomine Ebrigiselum, qui memoratum Regem pro hoc redarguere deberet, & denuntiaret ei celerem interitum, nisi fuerit hoc celeriùs emendatum. Hoc facto Rex metu deterritus, confestim præcepit populum suum de ipso censu releuari, & descriptionem ipsam, quæ facta fuerat, reddi. Et populus ille ob ipsa afflictione releuatus hodiéque in pristinam remanet libertatem. Nihilominùs fame vltione diuinâ creditur & Regem & satellitem suum post breue spatium interiisse.* Alter Author æquè coætaneus, qui fusiori stylo vitam sancti Sulpitij scripsit, *Bituricam plebem cum Ecclesia Sacerdotibus nefando censu* conscriptam testatur, deinde post tributi abrogationem ait adiectum mirabiliter à Rege, *vt generalis daretur auctoritas, ne inposterùm impia executio iteraretur in plebem.* Hæc narratio partim videtur vera, partim falsa. Credimus insuetum censum, quo populus Clerúsque Bituricensis grauaretur, impositum fuisse à Dagoberto, deinde abrogatum expostulatione Sulpitij Episcopi, sed nobis persuadere non possumus hunc Præsulem Regi proximam mortem denuntiasse, nisi quod factum fuerat quantocyùs emendaretur; multò minùs existimamus eundem Regem, qui postulatis Antistitis statim annuerit, ac tributum imperatum exigi vetuerit, diuinâ nihilominùs vltione ac fame interiisse. Fabulam illam satis refellit Fredegarius [b], cùm morbum, quo Dagobertus consumptus est, ita describit. *Anno XVI. regni sui Dagobertus profluuio ventris in Spinogelo * villa super Segona fluuio, nec procul à Parisius, ægrotare cœpit; exinde ad Basilicam sancti Dionysij à suis defertur. Post paucos dies cùm sua vita sentiret periculum, Æganem sub celeritate ad se venire præcepit, se iam discessurum sentiens, Reginam Nanthildem & filium suum Chlodoueum eidem in manu commendans, consilium Æganæ pergratum habens, quòd cum eius instantia regnum streuuè gubernare posit. His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum*, id est, decimo-quarto Kalendas Februarias, vt dicemus anno sequenti, principium enim annorum ducimus à Kalendis Ianuariis.

[a] Ap. Bolland. die 17 Ian.

[b] Cap 79.

* Epinay sur Seine.

DAGOBERTVS REX ÆGROTAT.

XI. CVM NEPOTE ÆQVIVOCO SÆPE CONFVNDICTVR.

Porrò, cùm Dagobertus de quo nunc agimus, & alter Dagobertus, eius ex Sigiberto filio nepos, in Alsaria finitimisque regionibus regnauerint, & Diœceses, Argentinensem, Nemetensem, vicinásque multis adornarint Ecclesiis

AN. CH. 637. DAGOB. R. 16. SIGIB. III. R. 5.

ac Monasteriis, posterióťque hactenus in notitiam paucis admodum Scriptoribus venerit, inde fit vt pleríque, quibus Dagobertus Secundus manet incognitus, vtriusque gesta Dagoberto Primo perperam attribuant. Errorem huiuscemodi commisit Iodocus Coccius in Dagoberto Rege, Argentinensis Episcopatûs Fundatore præuio, quem in Austrasia tediuiuum, notisque illustratum publico donauit anno Christi millesimo sexcentesimo vicesimo-tertio. De Dagoberto Secundo fusè præ ceteris disseruit Godefridus Henschenius in diatriba de tribus Dagobertis, quam quatuor libris in lucem emisit anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-quinto, sed cùm gloriæ Dagoberti Secundi præcipuè studeret, ad eum non pauca detorsit, quæ Dagoberto Primo conueniebant. Præterea sæpè vterque Dagobertus de vna eadémque Ecclesia benè meritus est, & quid eidem Basilicæ Dagobertus Primus, quid Dagobertus Secundus contulerit, difficile est distinguere. Nihil hactenus à nobis de Dagoberto Rege narratum putamus, quod ad Gesta Dagoberti Primi non pertineret. Occurrent & alia, quorum auctor idem Dagobertus fuit, seriùs tamen à nobis recitabuntur, quia, propter scribentium discrepantiam, sub Sigiberto Tertio, vel etiam sub Dagoberto Secundo commodiùs examinabuntur. Exemplum hîc damus. Quæritur vtrùm à Dagoberto Primo, an à Dagoberto Secundo fundatum sit Cœnobium Weissenburgense? Pro Dagoberto Primo stat Coccius, Henschenius pro Dagoberto Secundo. Quid sentiamus, exponemus ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum, cùm agemus de Principio, qui regnante Sigiberto Tertio factus est post Athanasij mortem Argentinensis Episcopus ex primo Abbate Weissenburgensi.

638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

ANNVS

CHRISTI 638.
SIGIBERTI III. R. 6.
CLODOVEI II. R. { 1. 2. / 1. }

I. DAGOBERTI REGIS OBITVS.

DAGOBERTVS Rex Francorum, cùm vxorem suam Nanthildem ac filium Clodoueum, prout anno superiori prælibauimus, Egæ tuitioni commisisset, ceterisque etiam Optimatibus & Pontificibus Neustriæ ac Burgundiæ accersitis, filio eos, eisque filium commendasset, decimo-quarto Kalendas Februarij diem extremum clausit ineunte anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo, Regni sui decimo-sexto exeunte. *Conuocatis Primoribus Palatij*, inquit Author * Gestorum, *filiumque & vxorem eis, & ipsos eidem cum fidelitatis sacramento vt moris est commendans, matriculariis quoque iamdictæ Basilicæ beatorum Martyrum*, Dionysij videlicet ac sociorum, *de villis Acuciaco * & Cusduno *; imméque Magno-villare *, & Mediano-villare *, atque Gellis * Præceptum fieri iussit. In quo etiam Sarclidas, quam anteà iisdem contuleras, inseruit. Omnibúsque Optimatibus dolore consternatis, virtute quâ potuit benignissimè consolatus est, & inter cetera quæ ad memoriam reducere longum est, hæc intulit. Quamuis miserrimus homo, quamdiu incolumis est, semper præ oculis debeat habere futuram Omnipotentis Dei discussionem iudicij, in ægritudine tamen positus de illius piissima misericordia nullomodò debet desperare, sed pro salute animæ suæ attentiùs eum oportet inuigilare, & de propriis rebus quantùm possibile est in alimoniis pauperum semetipsum redimere, quatenus apud misericordissimum iudicem æternam post obitum valeat retributionem adquirere. Idcircò ego pro remedio animæ meæ matriculariis Basilicæ Domni Dionysij peculiaris Patroni nostri, in qua ipse pretiosus Martyr cum sociis suis corpore quiescit, & nos sepeliri optamus, villas quæ*

* Cap. 43.
* Acuçay.
* Cosdun.
* Gremuillers.
* Moyenuillers.
* Gelles.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

in præsenti continentur Præcepto præsentaliter cum omni integritate conferimus, & sicut à fisco nostro hactenus fuerunt possessa, ita ex nostra indulgentia propter adquirendam animæ nostræ salutem, vel pro filiorum nostrorum stabilitate, prædictis matriculariis, qui in præfata Basilica vel atrio eius deseruiunt, præsenti & futuro tempore in perpetuum proficiant, nullusque de filiis aut Regibus vnquam nostris successoribus, nec Pontifex, nec Abba ipsius Monasterij prædictas villas, & Sarclidas, quam anteà iisdem fratribus contulimus, ab eis auferre præsumat, si iram Dei & offensam Domni Dionysij non optat incurrere. Quod si quis præsumpserit, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi cum Sancto Martyre, & ipsis matriculariis exinde rationem deducat. Annualis enim victus inde Deo donante, vt credimus, sæpedictis pauperibus poterit sufficere, vt semper pro anima nostra & ipsos & successores eorum nostrâ pasti eleemosynâ pleniùs atque deuotiùs delectet orare. Nos verò præsens Præceptum iam minimè valemus subscribere, quia inualescente ægritudine calamus in manu nostra trepidat. Et propterea rogamus dulcissimum filium nostrum Hludowium Regem, vt per signaculum sui nominis illam cartam adfirmet, & Dado eam offerat, Optimates nostri illam subscribant. Cúmque Rex hic loquendi finem fecisset, filius eius Rex Hludowius ipsum Præceptum secundùm iussionem patris, offerente Dadone Referendario, subscripsit, omnésque Proceres qui in præsenti aderant propriis eundem subscriptionibus firmauerunt. His taliter expletis, post paucos dies XIIII. *Kal. Februarias, Christianissimus Rex Dagobertus humanis rebus exemptus est. Intolerabilis autem luctus subitò repleuit Palatium, vniuersúmque Regnum ob ipsius mortem acerbissima occupauit lamentatio.* Doubletus nostrâ ætate scripsit [a] inter Monachos Dionysianos quatuor adhuc esse matricularios, quibus ex officio id curæ incumbit, vt omnem chori supellectilem argenteam atque auream custodiant, & res sacrosancto Missæ sacrificio necessarias in summo altari per vices suas præparent. De Sarclidis peculiare Præceptum anno Regni decimo-quarto Dagobertus emiserat, vt suo loco notauimus. In Antiquitatibus Dionysianis [b] extat charta, quæ fidem mutuatur ex Gestis Dagoberti Regis, completitúrque donationem quam proximè recitauimus ex iisdem Gestis. Leguntur & tres aliæ, quarum prima, quæ temporis notâ caret, meminit *Ansoaldi Pictauorum Episcopi*, secunda datur Aureliæ Kalendis Septembribus anno Dagoberti Regis vicesimo-quinto, tertia Spinogili Kalendis pariter Septembribus anno Dagoberti Regis tricesimo, deprehenduntúrque commentitiæ, quia multò seriùs in Pontificatum Didoni successit Ansoaldus, & annum Regni decimum-sextum Dagobertus haud expleuit.

[a] Lib. 1. c. 24.

[b] Lib. 3. cap. 3.

II. SEPVLTVRA.

Sepultus est Rex Dagobertus, vt Fredegarius [c] testatur, *in Ecclesia Sancti Dionysij, quam ipse priùs condignè ex auro & gemmis & multis pretiosissimis speciebus ornauerat, & condignè in circuitu fabricare praeceperat, patrocinium ipsius pretiosum expetens. Tanta opes ab eodem, & villæ, & possessiones multæ per plurima loca ibi sunt conlatæ, vt miraretur à plurimis.* Nullam prætermisimus è chartis Dagobertinis, quas Iacobus Doubletus [d] pro Monasterio Sandionysiano publicauit, accuratè singulas examinauimus contulimúsque cum antiquis Authoribus qui Gesta Dagoberti Regis in lucem emiserunt; nonnullas quidem vt spurias reiecimus, sed eiusmodi animaduersione, quam necessariam plerique iam iudicarunt, nec fidem abrogauimus Fredegario, cuius authoritas pluriniùm valere debet, nec intendimus litem mouere Monachis Sandionysianis, qui donationes in illis chartis contentas à multis retrò seculis possident. Vt enim sua Fredegario fides constet, & Dagobertus suâ munificentiâ rapiat omnes in admirationem, non opus est donationibus, quas chartæ illius nomine vulgatæ complectuntur; pauciores, quas probauimus, abundè sufficiunt: ceteras, quas explosimus, non negamus concessas fuisse Monasterio Dionysiano, sed eas seriùs in aliud tempus reiiciendas arbitramur. Simili modo non inficiamur Dagobertum in Basilica sancti Dionysij semper quieuisse, licèt eius monumentum, quod ad dexteram maioris altaris ostenditur, censeamus minimè vetus, quia liliis vndique ornatur.

[c] Cap. 79.

[d] Lib. 3. cap. 3.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. I. III.

Monachus Sandionysianus [a], qui Gesta Dagoberti Regis edidit, asserit se *in vetustißima charta, quam, vt ferebatur, beatus Audoenus Episcopus scripserat,* miraculum legisse, quod Dagoberto Regi post eius mortem contigit hoc modo. *Legationem tum fortè illustris defensor Pictauensis Ecclesiæ Ansoaldus in partes Siciliæ agebat. Eâ peractâ, cùm nauali reuerteretur subsidio, applicuit ad quandam breuem Insulam, in qua venerentißimus quidam senex, cui nomen erat Iohannes, solitariam ducebat vitam, ad quem mare commeantium, vt orationis eius fulcirentur solatio, plurimi ventitabant. In hanc ergo Insulam tanti viri meritis redimitam appulsus diuino nutu Ansoaldus, dum de cælestibus gaudiis cum eo sermocinaretur, interrogat senex, vnde vel cur venisset. Igitur cognito de Galliis qua de causa missus fuisset, rogat senex vt Dagoberti Regis Francorum sibi mores studiumque exponat. Quod cùm ille diligenter fecisset, senex addidit, quòd dum quadam die, vtpote iam fractus ætate, & fatigatus vigiliis, quieti paululum indulsisses, accessisse ad se virum quendam canitie venerandum, séque expergefactum admonuisse, quatinus properè surgeret, & pro Dagoberti Regis Francorum anima diuinam clementiam exoraret, eò quòd ipso die spiritum exhalasset. Quod dum facere maturaret, apparuisse sibi haud procul in pelago teterrimos spiritus vinctum Regem Dagobertum in lembo per spacium maris agitantes, atque ad Vulcania loca, inflictis insuper vulneribus, trahentes, ipsúmque Dagobertum beatos Dionysium & Mauricium Martyres, & sanctißimum Confessorem Martinum ad sui liberationem continuis vocibus flagitantem. Nec mora, intonuisse cælum, fulmináque per procellas disiecta, intérque ea repentè apparuisse præcellentißimos viros niueis comptos vestibus, séque tremefactum ex eis quæsisse quinam essent, illósque respondisse, quos Dagobertus in adiutorium vocauerat, Dionysium scilicet & Mauricium ac Martinum esse, vt eum ereptum in sinu Abrahæ collocarent. Itaque hostes humani generis velociter insequentes, animam quam verberibus minísque vexabant exemptam ad æthera secum leuasse canentes; [Beatus, quem elegisti & assumpsisti Domine, inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domûs tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.] Hæc in memorata charta inter alia ferebantur, quæ non tam verisimilia, quàm verißima, vt arbitror,* verba sunt Authoris, *videri possunt. Quoniam idem Rex cùm & alias longè latéque Ecclesias ditasset, tum præcipuè horum copiosißimè locupletauit. Vnde & eorum post mortem flagitabat auxilium, quos præ ceteris se dilexisse meminerat.* Eiusdem prodigij meminit post Monachum Sandionysianum Ludouicus Pius in literis ad Hilduinum Abbatem Monasterij Sandionysiani, quæ præfixæ habentur Areopageticis ab eodem Hilduino conscriptis. *Prædecessores nostri, gloriam huius eximij testis & amici Dei* (loquitur Ludouicus de sancto Dionysio) *non inaniter coluerunt, qui dum eius sacras exuuias in terris ob amorem & honorem Domini nostri Iesu Christi, apibus quibus poterant honorauerunt, per eius preces dignißimas honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cælestibus meruerunt, vt videlicet vnus ex priscis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem pretiosißimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium, sicut diuina ac celebris ostensio perhibet, à pœnis est liberatus.* Aimoinus, vt eidem visioni potiorem fidem conciliaret, chartam in qua continebatur audacter attribuit Audoeno, licèt Monachus Sandionysianus, à quo narrationem mutuatus est, his verbis *(vt ferebatur)* ostenderit haud certò se sciuisse verùm illa Audoeni esset. *Hæc,* inquit Aimoinus [b], *vir ille venerabilis Ioannes Ansoaldo retulit se vidisse. Quæ ille in Gallias reuersus, sancto Audoeno narrauit, qui ea in vna conscripta chartula posteris reliquit in ordinem Historiæ digerenda.* Sigebertus addit multos Sanctos de Dagoberto Rege questos esse, quòd eorum Ecclesias expoliasset, vt vnam Dionysij Basilicam exornaret. *Dagobertus Rex Francorum moritur, de quo per visionem cuidam reuelatum est, quòd anima eius ad iudicium rapta sit, & multis Sanctis contra eam pro exspoliatione suarum Ecclesiarum reclamantibus, cùm eam iam mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, interuentu Sancti Martyris Dionysij Parisiensis, cui ipse maximè deuotus fuerat, à pœnis liberata est.* Multas Ec-

[a] Capp. 41 45.

AN EREMITÆ IN SICILIA POST MORTEM APPARVERIT?

[b] Lib. 4. c. 34.

clesias à Dagoberto spoliatas, vt Dionysianam ditaret, æquè testantur in suis Chronicis Monachi Sanbenignianus & Besuensis, nec mislam faciunt prædictam visionem, quæ nunc etiam exhibetur intra Basilicam sancti Dionysij ad sepulchrum ipsius Dagoberti Regis in lapide sculpta, vbi dæmones ipsum in cymba per mare agitantes, & Sancti de cælo descendentes, eundémque è manibus dæmonum eripientes repræsentantur. Saussaius decimo-quarto Kalendas Februarij Dagobertum inter Pios annumerat. Bollandus in catalogo Sanctorum eo die vel prætermissorum vel in alios dies reiectorum obseruat eundem Dagobertum in multis Codicibus manuscriptis Sanctum ac Beatum appellari, tamen non arbitratur vsquam coli. Quiescit Dagoberus in Basilica Monasterij Dionysiani, & ab illius loci Monachis nec Beatus nec Sanctus prædicatur, in eadem enim Æde pro illius anima preces quot annis funduntur. Certè qui Beatum aut Sanctum vocant, solâ innituntur visione, quam superiùs ex Monacho Dionysiano recitauimus. Ioannes Beslius in Pictauiensium Antistitum catalogo hanc Historiam dubiæ prorsus fidei putat, piéque vulgatam à Monacho Chronologiæ parum gnaro, qui Dagoberti Regis & Ansoaldi Defensoris, pòst Episcopi Pictauiensis, tempora non benè distinxent. Hadrianus Valesius [a] *hoc miraculum*, quod *Aimoinus, Sigebertus, & Iohannes Besuensis, alijque Monachi & credidere facillimè, quale acceperant, & libentissimè transcripsere*, palàm ait *à suburbani Monasterij Dionysiaci Monacho de industria excogitatum fictúmque non ob aliud, quàm vt cordi esse Sanctis Basilicarum & sepulchrorum suorum structuras & ornamenta, & Beatorum patrocinium profusione opum redimi posse, posteris persuaderet, Principésque isto Dagoberti exemplo ad similia facienda incitaret*. Ansoaldus post Dagoberti Regis obitum vixit annis plusquàm quinquaginta-quinque, vixque credi potest Legationem ad Siciliæ partes egisse, cùm Dagobertus ex hac vita discessit. Fredegarius suum Chronicon scripsit post annum Christi sexcentesimum duodesexagesimum, siue post annos viginti à morte Dagoberti Regis, nec vllam mentionem fecit prædicti miraculi, quod tamen, si contigit, sciri potissimùm spargíque debuit in vulgus illo temporis spatio, cùm facti memoria recens esset. Hæ duæ res nos adducunt, vt super ea visione sententiam eandem cum Beslyo & Valesio feramus, licèt optimam opinionem de Dagoberti salute semper conceperimus, quia resipuit à vitiis, pœnitentiæ non fictæ quamplurima dedit signa per multos annos, Pontificum atque aulicorum pietate præstantissimorum consortio delectatus est, largas pauperibus erogauit eleemosynas, Ecclesias & Monasteria condidit ac locupletauit, *fuitque*, vt Anonymus [b] in Gestis Regum Francorum loquitur, *enutritor Francorum, seuerissimus in iudiciis, Ecclesiarum largitor, ipse enim eleemosynarum copiâ de fisco Palatij per Ecclesias Sanctorum primus distribuere censum iussit*. Ceterùm caue ne Dagoberto tribuas omnium Cœnobiorum fundationes, quas Iodocus Coccius in suo Dagoberto rediuiuo complexus est, cùm enim laudare vellet Dagobertum Clotarij filium de quo nunc inquirimus, duos Dagobertos, vnum Clotarij Secundi filium, alterum eiusdem Clotarij pronepotem, simul confudit, & priori Dagoberto multas laudes affinxit, quæ posteriori prioris nepoti conueniebant.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

[a] Lib. 19.

[b] Cap 41.

IV. AN ALIAS SPOLIARIT ECCLESIAS, VT DITARET DIONYSIAN.

Vt autem adulatoribus non assentimur, qui Dagobertum commendant à rebus quas non gessit, ita fidem non habemus calumniatoribus, qui reum flagitiorum quæ non commisit eundem Regem constituunt. Multas Ecclesias, vt Dionysiana magnificentiùs exornaretur, à Dagoberto spoliatas esse Neoterici passim scribunt, id verò commentitium censemus. Apud Aimoinum capite vicesimo libri quarti hæc leguntur. *Exinde Dagobertus, dum patrium sæpè studet Neustriæ inuisere regnum, prioris oblitus bonitatis, non solùm Ecclesiarum, verùm etiam quorumque locupletium inhians rebus, improbus effectus est prædo. Nam inter alia Ecclesiarum Galliæ spolia ex occasione Basilicæ Domni* (apud Franciscum Duchesnium *Diui*) *Dionysij exornandæ, direptas valuas fusili ære fabrefactas à templo sancti Hilarij Pictauensi fertur abstulisse, quas dum per Oceanum in Sequanam*

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

deuehi iußisset, vt per eam Parisius vsque ducerentur, vna earum fluuio absorpta, nec postmodum dicitur fuisse reperta. Luxuriæ tam inęffrenatè se tradidit, vt exceptis tribus, quæ cum nomine cultu etiam fulciebantur regio, plurimus concubinarum illi obsequeretur numerus. Auersum itaque cor eius à Deo fuisse æstimabatur, prorsúsque abalienatum, nisi in semet reuersus, peccata sua eleemosynis redimere deliberasset. At Aimoinus perperam suis scriptis hanc inseruit periodum. *Nam inter alia Ecclesiarum Galliæ spolia, ex occasione Basilicæ Domni Dionysij exornandæ, direptas valuas fuisse fusili ære fabrefactas à templo Sancti Hilarij Pictauensis fertur abstulisse, quas dum per Oceanum in Sequanam deuehi iußisset, vt per eam Parisius vsque ducerentur, vna earum fluuio absorpta, nec postmodum dicitur fuisse reperta.* Nihil enim apud Fredegarium in Chronico, nihil apud Anonymum in Gestis Regum Francorum, nihil apud Monachum Sandionysianum in Gestis Dagoberti Regis simile reperitur. Fredegarius, quem Aimoinus præ oculis habuit, de Dagoberto sic scripsit capite vndesexagesimo. *Anno* VIII. *regni sui, cùm Auster regio cultu circuiret, quamdam puellam nomine Ragnetrudem stratui suo adsciuit.* Et capite sequenti. *Reuersus in Neptrico, sedem patris sui Chlotarij diligens, aßiduè residere disposuit. Cùm omnis iustitiæ, quam priùs dilexerat, fuisset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum & Leudium sagaci desiderio vellet omnibus vndique spoliis nouos implere thesauros. Luxuriæ super modum deditus. Nam tres habebat maximè adinstar Reginas, & plurimas concubinas. Reginæ verò hæ fuerunt, Nanthildis, Vulfgundis & Berthildis. Nomina concubinarum, eò quòd plures fuissent, increuit huic Chronicæ inseri. Quòd cùm auersum fuisset pluries cor eius (sicut suprà meminimus) & à Deo cogitatio eius receßisset, tamen posteà, atque vtinam illi ad mercedem veram lucri fuisset, nam & eleemosynam pauperibus supra modum largiter erogabat. Si huius rei sagacitatem cupiditatis instinctus non præpedisset, Regnum (creditur) meruisset æternum.* Vox *Diuus*, quæ in Duchesniano Aimoini textu legitur, non est Aimoini, nec reperitur in Codice Seguieriano, Aimoinus hac voce nunquam vsus est, licèt sæpè laudarit Dionysium, Martinum, Remigium, aliósque, quos semper Beatos aut Sanctos, numquam Diuos appellauit. Alium Scriptorem, qui Basilicas à Dagoberto Dionysianæ exornandæ ergò spoliatas innuat, Sigeberto vetustiorem reperiri non arbitramur. Hic Author scripsit ineunte duodecimo seculo, & fabulam, quam Monachus Sandionysianus excogitauit, auxit altero commento, quod absurdius priore nemo non iudicabit; quis enim credet Sanctos inter se altercatos esse, & animam Dagoberti à pœnis interuentu beati Dionysij liberatam fuisse, *cùm eam iam mali angeli vellent ad pœnas inferni rapere, multis Sanctis contra eam pro expoliatione suarum Ecclesiarum reclamantibus?*

V. AN TRANSTVLERIT CORPORA

Inter Sanctos, qui de Dagoberto questi dicuntur, à Nicolao Gislio præcipui nominantur Hilarius Episcopus Pictauiensis & Firminus Episcopus Ambianensis, quorum corpora in Monasterium Dionysianum ab illo Rege translata perhibentur.

VI. S. HILARII EPISC. PICTAV.

Annis post Sigebertum ducentis idiomate Gallicano exaratum est magnum Franciæ Chronicon, in quo prima mentio fit Hilarij ex Pictauiensi vrbe auecti. *Dagobertus, quem initio principatûs præclarißimæ virtutes commendabant, transuerso animo esse cœpit. Quippe qui ministrandi iuris specie Franciæ Regni vrbes prouinciásque cùm visitaret, quosque vi adhibitâ spoliabat. Et, tanquam diui Dionysij obsequiis omnia deberentur, æneas ingenti pondere valuas, lauacrum insuper, vbi baptismatis mysterium Sacerdotes explebant, vnà cum diui Hilarij corpore, nullâ compensatione sacrilegij factâ, ad diuum Dionysium mari ex Pictauis transtulit. Nec tamen totâ prædâ potitus est. Altera enim portarum, dum naui per Oceanum exportanda committitur, in fluctus delapsa, perpetuò latuit. Verùm quia malè agentibus occasio aliqua peccandi in promptu suffragatur, causam sacrilegij esse dicunt, Pictauorum rebellionem, quos vt compesceret Dagobertus, omnia ad se belli iure pertinere ratus, postquàm agros peruasisset, vrbem quoque depopulatus esset, mœnibus omnibus dirutis solum arare, & in eo salem disseminare ad inducendam*

sterilitatem iubet. Hæc Gaguinus [a] ex magno illo Chronico, in quo additur nouam vrbem alio loco fuisse reædificatam. Quæ quàm credibilia videri debeant, vel ipsa templa loquuntur, quorum quædam aliquot ante Dagobertum seculis extiterunt. Præterea Pictauorum rebellionem, quam à Dagoberto seuerissime castigatam volunt, fabulis accensendam putamus, tum quia nullum illius vestigium superest in Fredegario aliisque coætaneis aut supparibus Authoribus, qui per annos digesserunt res à Dagoberto gestas, ex quo Prouincias Transligeritanas obtinere cœpit; tum quia Neoterici non conueniunt de tempore. Gaguinus, aliique non pauci defectionem Pictauiensium proximè subiiciunt Baptismo Sigiberti. Dubletius [b], aliique, qui sentire se meliùs existimant, aliquot annis seriùs differunt, ac Pictauienses cum Wasconibus in Dagobertum coniurasse contendunt. Neutra verò sententia stat cum probatis Authoribus. Consule Fredegarium. Dagobertus Pictauienses, quibus ab obitu Clotarij patris imperabat, post Sigiberti Baptismum rebelles non experitur, ditiones, quæ Chariberti fratris fuerant, nemine prohibente vel tumultuante recipit, ac paulò pòst in Austriam proficiscitur, vt audaciam Winidorum contundat, & anno Regni sui decimo-quarto per Legatos in vltimis finibus Nouempopulaniæ triumphat de Wasconibus, qui defectionis quam moliebantur socios nusquam habuerunt Pictauienses à quibus procul aberant. Corpus igitur sancti Hilarij Pictauiensis quondam Antistitis in Basilicam Dionysianam prope Parisios iussu Dagoberti Regis translatum fuisse, rectè inficiaberis.

AN. CH. 638.
SIGIB. III. R. 6.
CLOD. II. R. 1.

[a] Lib. 3. c. 5.

[b] Lib. 2. c. 41.

VII.
ET SANCTI FIRMINI EPISCOPI AMBIAN.

Pro Translatione sancti Firmini Iacobus Dubletius in Antiquitatibus Dionysianis, & Lucas Dacherius in notis ad opera Guiberti Abbatis, hæc citant ex manuscripto Codice, quem Dubletius antiquissimum vocat, séque præ manibus habuisse dicit. *Tempore gloriosi ac piissimi Regis Francorum Dagoberti, Hunnorum gens corde ferocissima, procera corpore, bellis assueta, plùs de propriis viribus, quàm de diuino præsumens adiutorio, circumiacentes prouincias sibi tyrannicè subiugabat. Nec istud ei sufficiens videbatur, sed audiens præcellentem Regni Francorum Regísque gloriam, idem Regnum ausu temerario suo dominatui submittere proposuit. Initóque consilio cum Flandrensibus eos sibi ad propositi consortium facinoris conciliat, freta pariter ciuium vrbis Ambianensium auxilio & consensu. Et ecce præparatis ad bella necessariis, casûs sibi futuri nescia cum suis complicibus versùs Franciam mouet castra; quod quidem peruigilem Regis Dagoberti prouidentiam latere non potuit. Qui conuocans fidelissimorum sibi Francorum militiam totam de diuino & speciali sui Francorúmque Protectoris machary scilicet Dionysij sociorúmque eius patrocinio, celeriter suis occurrit aduersariis ad locum qui Leo tunc temporis dicebatur. Quid plura? venit dies certaminis, & diu multùm hinc inde certatum est, Hunnis cum sociis complicibus acriter decertantibus feruore & desiderio consummandæ, prout æstimabant, nequitiæ, Francis è contrario pro patria libertate. Intereà diuina clementia, quæ superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, Regis Francorúmque fidem & animi pietatem misericorditer respiciens & perfidam Hunnorum superbiam, istorum brachia confortauit, aduersarios in tantùm humilians vt vix saltem vnus euaderet, qui belli euentum ad patriam reportaret, & facta est in eodem loco à Francis tanta strages, tantáque Hunnorum sanguinis effusio, vt idem locus qui priùs Leo vocabatur, extunc & deinceps gentis illius idiomate diceretur Lions ensantéz *, quod Latinè leo in stagno sanguinis potest dici. Hunnis, vt dictum est, penitus interemptis, nec sibi tamen Dagoberti præcellentissimi Regis ira deferbuit, donec de ciuibus vrbis Ambianensium, qui Hunnorum contra se tyrannidi consenserant, condignam acciperet vltionem; quod eosdem ciues non latuit. Qui non immeritò vehementer tremefacti propriâ eos remordente conscientiâ, quâ se iudice nemo nocens absoluitur, communicato inter se consilio, Episcopus eiusdem ciuitatis, & Clerus, & populus, corpus gloriosi martyris & Episcopi eiusdem vrbis Firmini, aliásque reliquias cum thesauris Ecclesiæ ad quoddam municipium, quod Pinquigniacum * dicitur, transtulerunt; quod idcirco factum est, quia ciuitas parum munita contra Regis impetum videbatur. Castrum autem & naturâ loci,*

* ensantez, idem est ac ensanglantez.

* Pequigny.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

& manuali artificio, & bellatorum audaciâ fortißimum, & velut inexpugnabile putabatur. Sed non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum. Igitur Rex strenuißimus Dagobertus cum Francorum exercitu prædictam adiens Ambianensium ciuitatem paucis obstantibus sine multa difficultate ingreditur. Hostes cum regia indignatione aggreditur, quosdam interficit, aliis carcerali custodia mancipatis, nonnulli verò fuga præsidio mortis periculum euaserunt. Rex igitur Dagobertus gloriosâ de hostibus potitus victoriâ, ne, quod absit, ad gloriosos Protectores suos macharium scilicet Dionysium sociósque eius reus ingratitudinis remearet, diuino tactus spiramine, hoc deliberauit apud se, quod munus eis omni thesauro pretiosius in recompensatione ab eis impensi sibi manifesti patrocinij reportaret. Vnde dispositis ex parte regia in præfata ciuitate custodiis, versùs Pinquigniacum vertit exercitum, vbi certißimè ab incolis didicerat propter metum Regiæ Maiestatis venerabile corpus sanctißimi Martyris & Episcopi Firmini cum aliis fuisse reliquiis occultatum. Sed quid facerent custodes municipij eiusdem, nisi quod ipsa rerum necessitas facere compellebat, arma deponunt, se & sua Regiæ voluntati subiiciunt, ipse verò misericorditer ergo ipsos se habuit, sicut Regiam in tali articulo decuit dignitatem. Subiecto sibi præfato municipio, Rex prouidus & discretus, vt opere compleret, iure victoris vtens cuius sunt omnia quæ fuerant deuictorum, accedit ad locum vbi pretiosas Sanctorum reliquias repositas fuisse didicerat, corpúsque venerabile Sanctißimi Martyris & Episcopi Firmini cum omni reuerentia leuat de latebris, indignum indicans ossa tanti Martyris diutiùs in tenebris occultari. Deinde conuocatis Magnatibus Francorum exercitûs, eis auctoritate Regiâ præcipit vt inde sacratißimum corpus cum honore debito summóque ad dilectum sibi præ ceteris Ecclesiam transferrent, ipso cum suis familiaribus humiliter subsequente. Venerabilis autem conuentus eiusdem Ecclesiæ audiens Regem cum nobili triumpho reuertentem de prælio, secúmque pretiosas deferentem reliquias, occurrit ei solenniter, ipsúmque cum hymnis & laudibus, sicut Regiam Maiestatem decuerat, in Ecclesiam introduxit. Rex verò sacratißimi corpus Martyris, quod secum detulerat, veluti thesaurum impretiabilem super altare Sanctorum Martyrum propriis manibus deuotus obtulit, quod Conuentus cum ineffabili gaudio suscipiens, super altare Sanctæ Trinitatis, quod in choro Monachorum situm est, sublimiter & honorificè collocauit. Multa sunt, quæ fidem huic narrationi denegandam suadent.

VIII. Primò, Dagobertum nec Hunni bello lacessiuerunt, nec Ambianenses ad vltionem prouocauerunt factâ defectione. Dagobertus impetum retardauit Winidorum, qui crebris irruptionibus Thoringiam fatigabant; Wascones vicit, qui Regibus Francorum parere dedignabantur; Iudicaelem Britannorum Comitem, qui Regium titulum vsurpabat, in officio continuit; armis nihil aliud tentauit.

IX. Secundò, Flandrenses Ambianensibus non erant contermini regnante Dagoberto. Audoenus, qui Dagoberto coætaneus vixit, Flandrensium meminit in vita sancti Eligij; vetustiorem Authorem, qui de Flandrensibus quicquam scripserit, nondum vidimus. Flandria autem, vt Bollandus[a] in commentario præuio ad vitam sancti Anscharij Archiepiscopi Hamburgensis obseruauit, *eam solùm tum continebat ditionem, in qua hoc tempore visuntur Brugæ * celebre emporium; oppida, Slusa *, Damnum *, Ardenburgum *, Middelburgum *, & Isendicum **. Codex igitur quem Doubletius laudat, opus est Authoris nec valdè antiqui nec multùm eruditi, qui qualem Flandriæ Comitatum posterioribus seculis intuebatur talem temporibus Dagoberti fuisse sibi persuasit, sicque ostendit fidem sibi non magis habendam esse quàm iis quorum scripta iam contempsimus, quia Wasconiam, quæ ciuitates aliquot in Nouempopulania tunc complectebatur, agro Pictauiensi vicinam finxerunt.

[a] Die 3. Febr.

* *Bruges.* * *l'Escluse.* * *Damme.* * *Ardembourg.* * *Middelbourg.* * *Isendick.*

X. Tertiò, reliquiæ beati Firmini, qui Martyrium sub Diocletiano & Maximiano Augustis consummauit, apud Ambianum incognitæ delituerunt vsque ad Pontificatum Saluij, qui regnante Theodorico, Clodouei & Bathildis filio, Dagoberti nepote, Præsulatum iniit. Quamuis ceteræ deessent rationes, hæc

AN. CH. 638.
SIGIB. III. R. 6.
CLOD. II. R. 1.

hæc vna sufficeret essétque decretoria. Historiam Inuentionis ac Translationis corporis sancti Firmini Episcopi & Martyris integram suo loco recitabimus ex Codice Corbeiensi, interim per antecessum, vt assertioni nostræ potiorem fidem adhibeas, hæc accipe fragmenta. *Tempore Theuderici Regis, gratiâ immensa Maiestatis obtinuit quidam nobilissimus vir Saluius, vt infulatum Apostolatûs officij sanctæ Sedis Ambianensium susciperet, & gubernaculo recti tramitis plebem suæ ditioni commissam regere studeret.* Et paucis interiectis. *Totum regnum Francorum Theudericus Rex suo consilio ordinabat, & barbaras nationes feruido gladio eius consultu suæ potestati subiugabat. Is autem venerabilis Præsul Saluius pabulo sanctæ prædicationis corda populorum assiduâ profectione reficiebat, & ad pascua æterna refectionis inuitabat. Cœpit diligenter in arcano sui cordis voluere quo in loco sanctissimum ac desideratissimum thesaurum quæreret, sed propter fragilitatem humanæ conditionis præsumere non audebat. Sciebat verò, quòd in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis requiescebat, quam beatus Firminus Confessor Christi construxerat. Qui & pro sorte nominis, & pro merito dignitatis, in hac ciuitate clarissimus extitit Pastor, & in ipsa Ecclesia suam elegerat fieri sepulturam. Designatum namque locum beatus Saluius sciebat, sed in quo loco beatus Firminus Martyr conditus esset, funditus ignorabat.* Ambianum nec Theodorico Primo, Austrasiæ Regi, Clodouei Magni filio; nec Theodorico Secundo, Burgundiæ Regi, Childeberti Secundi filio paruit; Theodoricus igitur, quo regnante Saluius Ambianensem Episcopatum obtinuit, inter Dagoberti posteros haberi debet, seu nepos eius fuit seu trinepos, duo enim è Dagoberti prosapia regnarunt Theodorici, quorum prior Dagoberti nepos extitit, posterior prioris pronepos cognomento Kalensis. At textum, quem suprà citauimus, intelligendum esse de Dagoberti nepote docet apud Bollandum [a] in notis ad vitam beati Saluij vetus Author, qui de prædicta sancti Firmini Martyris Inuentione sic scribit. *Ad Palatium Theodorici Regis repentinus intonuit nuncius. Atque cùm huiusceemodi sermo ad aurem ipsius Principis, vel præcellentissimæ collateraneæ suæ Rodehildis Reginæ perlatus fuisset, tunc ipsi ambo amore Christi & Angelo pietatis repleti, oculos ac manus ad æthera suspendentes, cœperunt immensas Deo Omnipotenti agere gratias, qui tali scilicet pignere eius regni tempore hanc vrbem Ambianensem dignatus est declarare.* Theodoricus enim Dagoberti nepos vxorem duxit nomine Rodehildem seu Rothildem, vt testatur Fridegodus in vita sancti Audoeni.

[a] Die 11. Ian.

XI.
ITEM S. SATVRNINI EPISCOPI TOLOSANI.

Neoterici præter Diœceses Pictauiensem & Ambianensem, quas sacris pignoribus à Dagoberto Rege spoliatas fuisse volunt, vt templum Sandionysianum illustriùs decoraretur, addunt & Tolosanam, è qua post Chilperici II. mortem à Baronto Duce transmissum dicunt corpus sancti Saturnini Tolosanorum Apostoli & Martyris, cuius posteà redditi loco tria contendunt à Tolosanis esse tradita Monasterio Sandionysiano, corpus videlicet beati Patrochi Episcopi Gratianopolitani & Martyris, corpus S. Hilarij Gabalitani Episcopi & Confessoris, & corpus beati Romani Presbyteri & Monachi. Dubletius [b], vt hanc opinionem confirmet, è Codice Sandionysiano, quem peruetustum esse ait, hæc citat verba. *Corpus Sancti Saturnini in Ecclesiam beati Dionysij Areopagitæ delatum, in eius absentia Tolosana prouincia occulto Dei indicio, iusto tamen, adeò graui plagâ percussa est, vt nec fœminæ eorum parere possent nec animalia. Vnde Tolosani necessitate compulsi, Cœnobium beati Dionysij humiliter adierunt suppliciter obsecrantes, vt ad mitigandum tantæ plagæ infortunium corpus eis sui primi Pontificis restituere non retardarent, pro eo tum habitâ recompensatione iustissimâ. Abbas verò & conuentus moti misericordiâ eorum petitionibus assensum benignissimè præbuerunt. Ipsi autem accepto corpore sanctissimi sui Pontificis, ad propria cum gaudio remearunt. Quo in sua Sede restituto, Deo miserante sanata est plaga illa, & cœperunt parere mulieres eorum & animalia. Tolosani verò suæ promissionis non immemores, & vitium ingratitudinis detestantes, vice recompensationis ad præfatum Cœnobium transtulisse dicuntur corpus B. Patrocli Martyris & Episcopi, S. Romani de Blauia * Presbyteri & Monachi, necnon & corpus sanctissimi Hylarij Gaualitanæ vrbis Episcopi & Confessoris.*

[b] Lib. 2. c. 42.

AN EIVSDEM S. SATVRNINI LOCO ACCEPERIT CORPORA SS. PATROCLI EP. ET MART. HILARII EP. GABALIT. ET ROMANI MONACHI?

* Blaye.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

XII. Vt isti narrationi fides astrueretur, probandum prius erat reliquias Sanctorum, Patrocli, Hilarij & Romani, Tolosam Gratianopoli *, Gabalo & Blauiâ delatas fuisse. Id autem à vero quàm sit alienum, Guido Abbas Monasterij Sandionysiani testatur in vita sancti Hilarij Gabalitani Episcopi, quam his verbis absoluit. VIII. *Kalendas Nouembris humana deseruit, atque ad æterna migrauit, cuius sacro corpore Gaualitana * ciuitas insignita multis annorum curriculis, eius gauisa est præsentiâ & consolata miraculorum frequentiâ. Multo autem euoluto tempore, sacrata eiusdem beati Pontificis membra translata fuerunt in Basilicam beatissimi Dionysij Areopagitæ, ipsâ die videlicet quâ XI. Kalendas Septembris celebratur octaua Assumptionis beatæ & gloriosæ sempérque Virginis Mariæ. Denique locata sunt in vna absidarum prædictæ Basilicæ, vbi beati Hilarij à fidelibus venerantur merita & expetuntur suffragia, necnon probantur beneficia auxiliante Sancto Sanctorum Domino nostro Iesu Christo.* Guido viuebat anno Christi millesimo trecentesimo, recentiora sunt igitur ea quæ Dubletius vulgauit, nec multùm vetustus est Codex quem exscripsit. Sanctus Hilarius Ecclesiæ Gabalitanæ præfuit regnante Theodoberto Clodouei Magni nepote, & Aruernensi Concilio subscripsit anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto. Beato Hilario antiquior fuit sanctus Romanus Presbyter, quem sancto Martino synchronum fuisse, & apud Blauiam quiescere testatur Gregorius Turonensis in libro [a] de gloria Confessorum, vbi sic scribit. *Habetur in hoc territorio* Burdegalensi *& Sanctus Romanus Presbyter, quem vt scripta eius vita edocent, Martinus noster sepultura locauit. Est autem sepulchrum eius contiguum Blauiensi castello super littus amnis Garonnæ, in quo sæpiùs naufragio perituros virtutis suæ saluat occursu. Quod & nos valdè in grandi necessitate experti sumus.* A tempore quo Gregorius librum de gloria Confessorum scripsit, effluxerunt anni circiter quadraginta vsque ad illud quo beati Romani reliquias à Tolosatibus Abbati Sandionysiano traditas aiunt, eas Blauiâ Tolosam tunc delatas probent oportet. In Martyrologiis Vsuardi, Romano & Gallicano coluntur sanctus Hilarius octauo Kalendas Nouembris & sanctus Romanus octauo Kalendas Decembris. Haud æquè notus est beatus Patroclus. In Codice quem Dubletius laudat, Martyr prædicatur & Episcopus omisso sedis nomine. Dicitur ab eodem Dubletio Gratianopolitanus Episcopus, sed in nomenclaturis Antistitum Gratianopolitanorum nullus occurrit Patroclus. In Martyrologio Romano mentio fit vnius tantùm Patrocli, qui numquam Episcopus fuit, & Trecis * in loco Martyrij quieuit, vsquedum sub annum Christi nongentesimum sexagesimum à Brunone Coloniensium Archiepiscopo Susatum * translatus est, vt Bollandus [b] in prolegomenis ad eius Translationem testatur. Monachi Sandionysiani sanctum Patroclum Episcopum & Martyrem venerantur pridie Kalendas Februarias, vt illo die scribunt Saussains, & ex Saussaio Bollandus; sed quis iste sit Patroclus, nec hi Scriptores, nec alius quispiam prodit.

* *Grenoble.*
* *Ianouls.*
[a] Cap. 46.
* *Troyes.*
* *Soest.*
[b] Die 31. Ian.

XIII. MVNIFICVS ERGA COENOBIVM S. DIONYS.

Ex prædictis alia non assume quàm quæ concludi volumus. Dagobertus Rex Ecclesiam Dionysianam & ditauit latifundiis & Sanctorum exuuiis plurimùm illustrauit, sed aliis Galliarum Basilicis scelestè nihil abstulit. Quas Sanctorum reliquias in Monasterio Dionysiano collocandas curauit, eas aut oblatas acceperat, aut petitas impetrarat; sic ab Heraclio Augusto scapulam Ioannis Baptistæ obtinuisse fertur [c]. Eidem Cœnobio prædia vel fiscalia vel iure permutationis acquisita contulit, vt villam Sarclitas, quam à Ferreolo Augustodunensi Episcopo & à Deodato Abbate sancti Symphoriani factâ commutatione cum villa Amica in Massiliensi territorio sita sibi compararat. Nihil flagitij commissum est in eiusmodi donationibus. Ascetæ Dionysiani plures alias donationes vtriusque generis, quibus à posteris Regibus atque Optimatibus aut aucti sunt aut se auctos existimarunt, vni Dagoberto acceptas retulerunt. Id animaduertendum duximus, nec alius fuit disquisitionis nostræ scopus.

[c] Dublet. lib. 1. cap. 24.

XIV. Ad commendationem Dagoberti Regis omittere non debemus, quòd *omnia vetera Legum in melius transtulit, & vnicuique genti*, nempe Francis, Ala-

mannis & Baiuuariis, *scripta tradidit*, quæ deinceps perseuerarent. Brunnerus AN. CH.
in Indice Chronologico, quem primæ Annalium Boicorum parti subiecit, ad 638.
annum Christi sexcentesimum quadragesimum-primum hæc habet. *Hugiberto*
apud Boios imperante, à Dagoberto Boicæ Leges absoluta vulgataque sunt. Malè SIGIB.
Principatum vitámque Dagoberti Regis ad annum vsque Christi sexcentesi- III. R. 6.
mum quadragesimum-primum prorogat. Malè quoque illum Hugibertum si- CLOD.
ue Huchbertum libro quinto [a] Annalium Boicorum confundit cum altero II. R. 1.
Huchberto Theodoberti Ducis filio, qui laudatur in annotationibus Arnonis [a] Num 4.
Episcopi, & à nobis ad annum Christi quingentesimum duodenonagesimum [b] [b] Num. 9.
commemoratus est. Haud tamen inficiamur Ducatum seu Præfecturam Boioa-
riæ penes Huchbertum fuisse, cùm Dagobertus Boicis Legibus vltimam ma-
num imposuit. At secundum hunc Huchbertum in catalogo Ducum seu Præ-
fectorum Boioariorum collocamus medium inter Thassilonem seu Thessalo-
num, cuius meminimus ad annum Christi sexcentesimum decimum-septi-
mum [c], & Theodonem Quartum, de quo sermonem ad annum Christi sex- [c] Num. 4.
centesimum quadragesimum-sextum faciemus. Serie Ducum Boioariorum sic
explicatâ, nunc ex antiquarum Legum Codice, quem Fridericus Lindenbro-
gius publicauit, accipe prologum præfixum Legi Baiuuariorum, vt intelligas
esse verissima, quæ de Lege Francorum, Alamannorum & Baiuuariorum, in
melius à Dagoberto Rege translatâ præmisimus. *Theodericus Rex Francorum*
cùm esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo Legibus antiquis eru-
diti erant. Ipso autem dictante iussit conscribere Legem Francorum & Alamanno-
rum & Baiuuariorum vnicuique genti, quæ in eius potestate erat, & secundùm con-
suetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, & improuisa & incomposita reseca-
uit, & quæ erant secundùm consuetudinem paganorum, mutauit secundùm Legem
Christianorum. Et quidquid Theodericus Rex propter vetustissimam paganorum con-
suetudinem emendare non potuit, posthæc Childebertus Rex inchoauit, sed Chlo-
tharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per viros inlustres,
Claudium, Chadum, Indomagum, & Agilulfum renouauit, & omnia vetera Le- IN MELIVS
gum in melius transtulit, & vnicuique genti scripta tradidit, quæ vsque hodie per- TRANSFERT
seuerant. Hoc decretum est apud Regem & Principes eius, & apud cunctum popu- LEGES.
lum Christianum, qui infra Regnum Meruwungorum consistunt. Quamuis autem
singulorum Regum, qui laudantur in hoc prologo, studium ac curam in con-
dendis Legibus haud tacuerimus, tamen in hunc annum, quo Principatus Da-
goberti clauditur, vltrò reiecimus exscribendas Sanctiones, quæ pertinent ad
nostrum institutum, quoniam obseruare non potuimus, quid quóue tempore,
Theodoricus Primus, Childebertus Secundus, Clotarius Secundus, & ipse-
met Dagobertus in illo opere vel immutarint vel addiderint.

Lex Baiuuariorum amplectitur titulos vnum & viginti. XV.

Primus titulus est totus de rebus Ecclesiasticis, & diuiditur in quatuordecim BAIVVAR.
capita. XVI.

Primum caput liberam concedit potestatem cuilibet libero Baiuuario, vt DE REBVS
alodem suam vel quamcumque rem ad Ecclesiam donet. *Si quis liber per-* ECCLESIÆ.
sonâ voluerit, & dederit res suas ad Ecclesiam pro redemptione animæ suæ, li- XVII.
centiam habeat de portione sua, postquàm cum filiis suis partiuit. Nullus eum pro-
hibeat, non Rex, non Dux, nec vlla persona habeat potestatem prohibendi. Et quid-
quid donauerit, villas, terram, mancipia, vel aliquam pecuniam, omnia quæcum-
que donauerit pro redemptione animæ suæ, hoc per epistolam confirmet propriâ manu
suâ ipse, & testes adhibeat sex vel ampliùs. Si voluerit, imponant manus suas in
epistola, & nomina eorum notentur ibi, quos ipse rogauerit. Et tunc ipsam episto-
lam ponat super altare, & sic tradat ipsam pecuniam coram Sacerdote, qui ibidem
seruit. Et posthac nullam habeat potestatem exinde quidquam auferre, nec ipse, nec
posteri eius, nisi Defensor Ecclesiæ illius per beneficium præstare voluerit ei, sed apud
Episcopum defendantur res Ecclesiæ, quidquid à Christianis ad Ecclesiam Dei da-
tum fuerit.

AN. CH. 638. SIGIA. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

XVIII. Secundum caput est de his, qui contra Legem Ecclesiam fraudare voluerint. *Si quis contra res Ecclesiæ iniustè agere voluerit, vel de rebus Ecclesiæ abstrahere voluerit, siue ille qui dedit, vel de hæredibus eius, aut qualiscumque homo præsumpserit, inprimis incurrat Dei iudicium & offensionem Sanctæ Ecclesiæ, & Iudici terreno persoluat auri vncias tres, & illas res Ecclesiæ reddat, & alias similes addat Rege cogente, vel Principe qui in illa regione Iudex est.*

XIX. Tertium caput est de furtis Ecclesiæ. *Si quis res Ecclesiæ furauerit, & exinde probatus fuerit, de qualicunque re niumgeldos, id est, nouem capita, restituat. Et si negare voluerit, secundùm qualitatem pecuniæ iuret in altari de qua Ecclesia furauerit. De vna Saiga solus iuret. De duabus Saigis vel tribus, & vsque ad tremissem, cum vno sacramentali iuret. Deinde vsque ad quatuor tremisses cum tribus sacramentalibus iuret. Et si ampliorem pecuniam furauerit, aut caballum, aut bouem, aut vaccam, vel quidquid plus valet quàm quatuor tremisses. Et si negare voluerit, tunc cum* VI. *sacramentalibus iuret, & ipse sit septimus, in altari coram populo & Presbytero. Si autem de ministerio Ecclesiæ aliquid furauerit, id est, calicem, aut patenam, vel pallam, aut qualemcumque rem de infra Ecclesiam furauerit, & probatus fuerit, triuniumgeldo soluat, hoc est, ter nouem restituat. Et si negare voluerit, secundùm qualitatem pecuniæ iuret cum* XII. *sacramentalibus in ipso altari.* Sacramentales vocabantur ij, quorum testimonio & iuramento seu sacramento se reus purgabat à crimine. *Saiga*, in Lege [a] Alamannorum, *est quarta pars tremissis, hoc est, denarius vnus; duæ Saigæ, duo denarij dicuntur. Tremissus est tertia pars solidi, & sunt denarij quatuor.*

[a] Cap. 6.

XX. Quartum caput est de his, qui seruo vel ancillæ Ecclesiæ fugam suaserint. *Si quis seruum Ecclesiæ, vel ancillam ad fugiendum suaserit, & eos foras terminum duxerit; & exinde probatus fuerit, reuocet eum celeriter, & cum* XV. *sol. componat auro adpretiatos, pro qua re præsumpserit hoc facere. Et dum illum reuocat, alium mittat in loco pro pignore, donec illum reddat, quem in fuga duxit; & si non poterit illum inuenire, tunc alium donet similem illi, & XV. sol. componat. Ita & de ancilla, secundùm quod valet, similiter faciat.*

XXI. Quintum caput est de his, qui seruum Ecclesiæ sine mortali crimine interemerint. *Si quis seruum sine mortali culpa occiderit per præsumptionem, duos similes restituat pro illo quem occidit, & si negare voluerit, cum* XII. *sacramentalibus iuret in altari, in illa Ecclesia, cuius seruum occidit.*

XXII. Sextum caput est de his, qui res Ecclesiæ igne cremauerint. *Si quis res Ecclesiæ igne cremauerit per inuidiam more furtino in nocte, & inuentus fuerit, si seruus est, tollatur manus eius, & oculi eius, vt ampliùs non valeat facere malum, Dominus verò eius omnia similia restituat, quidquid in illo incendio arserit. Et si liber homo hoc præsumpserit facere, & res Ecclesiæ igne cremauerit, & probatus fuerit, componat hoc secundùm Legem; id est, inprimis donet* LX. *sol. auro adpretiatos propter præsumptionem, quia talia ausus fuerat facere. Postea omne culmen quod in illo incendio cecidit, cum* XXIIII. *sol. componat, & quidquid ibi arserit, omnia similia restituat. Et quanti homines ibi intus fuerint, & inlæsi de incendio euaserint, vnicuique cum sua breuawuti componat. Et si ibi aliquis læsus fuerit vel mortuus, ac si ipse cum propria manu fecerit, sit secundùm personam vniuscuiusque componat. Et si hoc negare voluerit, cum* XXIIII. *sacramentalibus nominatis iuret in altari Euangelio superposito coram Defensore Ecclesiæ. Et quisquis de rebus Ecclesiæ furtiuis probatus fuerit, ad partem fisci pro fredo præbeat fideiussionem, & donet vadium de* XL. *sol. & tantùm soluat, quantùm Iudex iusserit, & quantùm duriùs soluerit, tantùm firmior erit pax Ecclesiæ.* Vox *breuawuti* barbara est & obscura. In Lege Alamannorum [b] explicatur de plagis interiorum membrorum. *Si interiora membra vulnerata fuerint, quod brefwnt dicunt, cum* XII. *sol. componat.* Non aliter sumitur in Lege Baiuuariorum, titulo tertio [c]. *Si ceruella in capite appareant, vel interiora membra plagata fuerint, quod brafawnt dicunt, cum* XII. *sol. componat.* Et Titulo quinto. *Si eum plagauerit, vt ceruella appareant, vel in interiora membra vulnerauerit, quod brefawnt vocant, &c.* At per

[b] Capp. 65. §. 25.

[c] Cap. 2.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

Sanctionem quam examinamus, nulla vulneris inflictio punitur, illæsi enim euaserunt ex incendio, quicumque intra Ecclesiam erant, in quam ignis est immissus. Recurrendum ad aliam interpretationem, quam ipsa Lex Baiuuariorum subministrat Titulo [a] nono, qui *de incendio domorum & earum compositione* inscribitur. Ibi enim *bresawnt* non ad vulnus interioris membri sed ad vitæ discrimen vel desperationem sic refertur, *Si ignem posuerit in domo, itaut flamma eructet & non perarserit, & à familiis liberata fuerit, vnumquemque de liberis cum sua bresawati componat, eò quòd illos in vnwan quod dicunt, in desperationem vitæ fecerit.* Sensus igitur Legis est, vt incendiarius, qui tectis Ecclesiæ ignem iniecit, periculum componat, in quod vocauit vnumquemque illorum qui intus erant, licèt nullus aut læsus sit aut mortuus. Cùm quis autem in discrimen aliquod adducitur, eum *in vnwant* esse dicit Lex Baiuuariorum. Tria occurrunt exempla Titulo tertio. Vnum capite secundo. *Si quis alium de ripa vel de ponte in aquam impinxerit, quod Baiuuary in vnwant dicunt, cum* XII. *sol. componat.* Alterum capite quarto. *Si alicui scalam iniustè ciecerit, vel quodcunque genus ascensionis, & ille desuper fuerit relictus, quod in vnwant dicunt, cum* XII. *solid. componat.* Tertium capite sexto. *Si quis cum toxicata sagitta alicui sanguinem fuderit, cum* XII. *sol. componat, eò quòd in vnwan.*

[a] Cap. 4.

XXIII. DE ASYLO ECCLESIÆ.

Septimum caput est de eis, qui confugium ad Ecclesiam fecerint. *Si culpabilis aliquis ad Ecclesiam confugium fecerit, nullus eum vi abstrahere ausus sit, postquàm ianuam Ecclesiæ intrauerit, donec interpellat Presbyterum Ecclesiæ vel Episcopum. Si Presbyter representare ausus non fuerit, & si talis est culpa vt dignus sit disciplinâ, cum consilio Sacerdotis hoc faciat, quare ad Ecclesiam confugium fecit. Nulla sit culpa tam grauis, vt vita non concedatur propter timorem & reuerentiam Sanctorum, quia Dominus dixit.* [*Qui dimiserit, dimittetur ei; qui non dimiserit, nec dimittetur ei.*] *Si quis autem homo contumax & superbus timorem Dei vel reuerentiam Ecclesiarum sanctarum non habuerit, & fugientem seruum suum, vel quem persecutus fuerit, de Ecclesia vi abstraxerit, & Deo honorem non dederit, componat ad ipsam Ecclesiam cum* XL. *sol. Iudice cogente; & pro fredo ad fiscum* XL. *sol. vt sit honor Dei, & reuerentia Sanctorum, & Ecclesia Dei semper inuicta sit.*

XXIV. DE CLERICIS ET MONACHIS.

Capita, octauum, nonum, decimum & vndecimum, sunt de compositione pro plaga vel nece Clerico aut Monacho illata.

XXV.

Si quis ministros Ecclesiæ, id est, Subdiaconum, Lectorem, Exorcistam, Acolythum, Ostiarium, de istis aliquem iniuriauerit, aut percusserit, vel plagauerit, vel occiderit, componat hoc dupliciter, sicut solent componi parentes eorum. Ii qui sunt ministri altaris Dei duplicem compositionem accipiant. Alij autem Clerici componantur, sicut parentes eorum, seu propinqui.

XXVI.

Monachi autem, qui secundùm Regulam in Monasterio viuunt, & illi dupliciter componantur secundùm genealogiam suam, & reuerentia sit Dei, & pax eis, qui illi deseruiunt.

XXVII.

Si quis Presbyterum vel Diaconum, quem Episcopus in parochia ordinauit, vel qualem plebs sibi recepit ad Sacerdotem, quem Ecclesiastica Sedes probatum habet, iniuriâ affecerit, vel plagauerit, tripliciter eos componat. Si autem occiderit Presbyterum, soluat CCC. *sol. auro adpretiatos: si aurum non habet donet aliam pecuniam, mancipia, terram, vel quidquid habet, vsquedum impleat. Diaconum verò, cum* CC. *sol. soluat. Vtrosque ad illam Ecclesiam, vbi ministri fuerunt, Episcopo requirente, & Iudice cogente, qui in illa prouincia sunt ordinati. Et pro fredo in publico soluat solid.* LX. *vt exinde sit reuerentia Sacerdotum & honor Ecclesiasticus non contemnatur, neque presumptio crescat in plebe.*

XXVIII.

Si quis Episcopum, quem constituit Rex, vel populus sibi elegit Pontificem, occiderit, soluat eum Regi vel plebi, aut parentibus secundùm hoc Edictum. Fiat tunica plumbea secundùm statum eius, & quod ipsa pensauerit, auri tantùm donet, qui eum occidit; & si aurum non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, villas, vel quidquid habet, vsquedum impleat debitum. Et si non habet tantam pecuniam, seipsum & vxorem & filios tradat ad ipsam Ecclesiam in seruitium, vsque-

AN. CH. 638. Sigib. III. R. 6. Clod. II. R. 1.

dum se redimere posit. Hoc per imperium Regis vel Iudicis fiat. Et illa pecunia in vsu ipsius Ecclesiæ, vbi Pontifex fuit, ibi sit firmata vsque in perpetuum. Et si Episcopus contra aliquem culpabilis adparet, non præsumat eum occidere, quia summus Pontifex est, sed mallet, id est, in iudicium vocet, *eum ante Regem vel Ducem, aut ante plebem suam. Et si conuictus crimen negare non posit, tunc secundùm Canones ei iudicetur. Si talis culpa est, vt deponatur aut exilietur, de homicidio, de fornicatione, de consensu hostili, si infra prouinciam inimicos inuitauerit, & eos perdere voluerit quos saluare debuerat, pro istis culpis damnetur.*

XXIX. De Monialibus.

Caput duodecimum est de Sanctimonialibus. *Si quis Sanctimonialem, hoc est, Deo dicatam, de Monasterio traxerit, & eam sibi in coniugio duxerit contra Legem Ecclesiasticam, requirat eam Episcopus ciuitatis illius cum consilio Ducis: velit, nolit, tamen reddat eam ad illud Monasterium, vnde eam tulit, & componat ad illud Monasterium dupliciter, sicut solet componere, qui alienam sponsam rapit. Scimus illum crimini esse obnoxium, qui alienam sponsam rapit, quantò magis ille obnoxius est crimini, qui Christi vsurpauit sponsam? Et si noluerit emendare & reddere, expellatur de prouincia, dicente Apostolo. [Auferte malum à vobismetipsis.] Et iterum. [Tradite huiusmodi sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini.]*

XXX. De continentia Clericorum.

Caput decimum-tertium est de Presbyteris & Diaconis, ne habitent cum mulieribus. *Vt nulli Presbytero vel Diacono liceat habere secum in domum extraneam fæminam, ne per illam occasionem decipiatur, & pollutus offerat sacrificium Deo, nec plebs per eius offensionem corruat & plagam sustineat. Propterea qui gradu Sacerdotali fulciuntur, extranearum mulierum interdicta consortia cognoscant, hac eis tantùm facultate concessâ, vt matres, filias, atque sorores inter domorum suarum septa contineant. In his enim nihil suspecti criminis æstimare fœdus naturale permittit, illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio. De ceteris causis Presbyteri, Diaconi vel Clerici, ab Episcopis secundùm illorum Canones iudicentur.*

XXXI. Caput vltimum est de colonis & seruis Ecclesiæ, diuiditúrque in sex articulos.

XXXII. De colonis et seruis Ecclesiæ.

I. De colonis, vel seruis Ecclesiæ qualiter seruiant, vel qualia tributa reddant, hoc est, agrarium secundùm æstimationem Iudicis, prouideat hoc Iudex; secundùm quod habet donet. De triginta modiis tres donet, & pascuarium desoluat secundùm vsum prouinciæ.

XXXIII. *II. Andecingas legitimas, hoc est, perticam decem pedes habentem, quatuor perticas in transuerso, XL. in longo, arare, seminare, claudere, collegere, & trahere, & recondere. Pratum arpento vno claudere, secare, collegere, & trahere. A tremisse vnusquisque accola ad duo media sationis excollegere, seminare, collegere, & recondere debeat. Et vineas plantando claundere, fodere, propaginare, præcidere, vindemiare.*

XXXIV. *III. Reddant decimum fascem de lino. De apibus decimum vas. Pullos quatuor. Oua quindecim reddant.*

XXXV. *IV. Parafredos donent, aut ipsi vadant, vbi eis iniunctum fuerit. Angarias cum carro faciant vsque L. leugas, ampliùs non minentur* *, id est, non longiùs ducantur. Angaria est munus personale, & angariare idem sonat ac cogere.

* Minare gallice mener

XXXVI. *V. Ad casas dominicas, stabulare, fænile, granicam, vel tuninum recuperandum, pedituras rationabiles accipiant; & quando necesse fuerit omnino componant. Calcifurnium vbi prope fuerit, ligna aut petras L. homines faciant, vbi longè fuerit, C. homines debeant exire: & ad ciuitatem, vel ad villam, vbi necesse fuerit, ipsam calcem trahant.* Per tuninum siue tunninum intellige cellarium, seu locum tunnis reponendis destinatum.

XXXVII. *VI. Seruus autem Ecclesiæ secundùm possessionem suam reddat tributa. Opera verò tres dies in hebdomada in dominico operet: tres verò sibi faciat. Si verò Dominus*

XXXVIII. *eius dederit ei boues, aut alias res quas habet, tantùm seruiat, quantùm ei per possibilitatem impositum fuerit, tamen iniustè neminem opprimat.*

De poena mortis.

Secundus titulus est de Ducibus & de causis quæ ad eos pertinent, distin-

guitúrque in viginti capita, vnde censuimus exscribendum quod sequitur AN. CH.
de pœna mortis rarissimè vel ipsis homicidis infligi solita. *Vt nullus Baiuua-* 638.
rius alodem aut vitam sine capitali crimine perdat, id est, si aut in necem Ducis SIGIB.
consiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, aut ciuitatem capere ab III. R. 6.
extraneis machinauerit, & exinde probatus inuentus fuerit, tunc in Ducis sit po- CLOD.
testate vita ipsius, & omnes res eius & patrimonium. Cetera verò quæcunque com- II. R. I.
miserit peccata, quousque habet substantiam, componat secundùm legem. Si verò non
habet, ipse se in seruitio deprimat, & per singulos menses vel annos quantùm lu-
crare quiuerit, persoluat cui deliquit, donec vniuersum debitum restituat. Si quis
Ducem suum occiderit, anima eius pro anima illius mortem quam intulit recipiat,
& res eius infiscentur in publico in sempiternum.

Tituli, tertius, quartus & quintus sunt de compositionibus, quæ pro ra- XXXIX.
tione diuersorum scelerum sanciuntur. Sextus ad hos Annales magna ex par-
te pertinet, distribuitúrque in tria capita, quorum primum est de nuptiis in-
cestis prohibendis, secundum de diebus Dominicis obseruandis, tertium vt
liberum sine mortali crimine non liceat inseruire. Postremum omittemus,
duo verò priora recitabimus, nihílque prætereà de Lege Baiuuariorum.

I. Nuptias prohibemus incestas. Itaque vxorem habere non liceat socrum, nu- XL.
rum, priuignam, nouercam, filiam fratris, filiam sororis, fratris vxorem, vxoris DE INCE-
sororem: filij fratrum, filij sororum inter se nulla præsumptione iungantur. Si quis STIS CON-
contra hæc fecerit, à loci Iudicibus separetur, & omnes facultates amittat, quas fis- IVNCTIO-
cus adquirat. Si minores personæ sunt, quæ se inlicitâ coniunctione polluerunt, ca- NIBVS.
reant libertate, & seruis fiscalibus adgregentur.

II. Si quis die Dominico operam seruilem fecerit liber homo, id est, si bouem XLI.
iunxerit, & cum carro ambulauerit, dextrum bouem perdat. Si autem sepem clau- DE DIE
serit, fœnum siccauerit, aut messem secauerit, aut collegerit, vel aliquod opus ser- DOMINI-
uile fecerit die Dominico, corripiatur semel vel bis; & si non emendauerit rumpa- CO.
tur dorsus eius L. *percussionibus. Et si iterum præsumpserit operare die Dominico,*
auferatur de rebus eius tertia pars, & si nec sic cessauerit, tunc perdat libertatem
suam, & sit seruus qui noluit in die sancto esse liber. Seruus autem pro tali crimi-
ne vapuletur, & si non emendauerit, manum dextram perdat. Quia talis causa
vetanda est, quæ Dominum ad iracundiam prouocat, & exinde flagellamur in fru-
gibus, & penuriam patimur. Et hoc vetandum est in die Dominico; vt quamuis in
itinere positus cum carro, vel cum naue, pauset die Dominico vsque in secundam
feriam. Et si noluerit custodire præcepum Domini, quia Dominus dixit, nullum opus
seruile facias in die sancto, neque tu, neque seruus tuus, neque ancilla tua, neque
bos tuus, neque asinus tuus, neque vllus subiectorum tuorum; & qui hoc in itine-
re vel vbicunque obseruare neglexerit, cum XII. *sol. condemnetur.*

Lex Alamannorum distinguitur in nouem ac nonaginta capita, in quibus XLII.
multa sunt conformia titulis Legis Baiuuariorum suprà recitatis. LEGES A-

Primum caput est de liberis, qui semetipsos vel res suas ad Ecclesiam Dei LAMANN.
tradere volunt. *Si quis liber res suas vel semetipsum ad Ecclesiam Dei tradere* XLIII.
voluerit, nullus habeat licentiam contradicendi, non Dux, non Comes, nec vlla per- DE REBVS
sona, sed spontaneâ voluntate liceat Christiano homini Deo seruire, & de propriis re- COLLATIS
bus suis semetipsum redimere. Et qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus suis ECCLESIÆ.
ad Ecclesiam, vbi dare voluerit, firmitatem faciat, & testes sex vel septem adhi-
beat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & coram Sacerdote, qui ad eandem
Ecclesiam deseruit, super altare ponat, & proprietas de ipsis rebus ad ipsam Eccle-
siam in perpetuum permaneat. Et si aliqua persona, aut ipse qui dedit, vel aliquis
de hæredibus eius, posteà ipsas res de illa Ecclesia abstrahere voluerit, vel aliquis
homo qualiscunque persona hoc præsumpserit facere, & effectum quem inchoauit non
obtineat, & Dei iudicium incurrat, & excommunicationem sanctæ Ecclesiæ, &
mulctam illam quam charta continet persoluat, & res illas ex integro reddat, & fre-
dum in publico soluat, sicut Lex habet.

Secundum caput est de liberis, qui res suas ad Ecclesiam Dei tradunt, & XLIV.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

in beneficium sub vsufructuario accipiunt. *Si quis liber res suas ad Ecclesiam Dei dederit, & per chartam firmitatem fecerit, sicut superiùs dictum est, & posthac à Pastore Ecclesiæ per beneficium susceperit ad victualem necessitatem conquirendam diebus vitæ suæ, & quod spondit, persoluat ad Ecclesiam censum de illa terra, & hoc per epistolam firmitatis fiat, vt post eius discessum vllus de heredibus non contradicat. Et si contigerit vt post mortem eius qui dedit illas res, filium relinquat, & forsitan ipse filius vult dicere quòd hereditas paterna sit sibi legitima ad possidendum, & pater eius non dedisset, nec firmitatem fecisset, non liceat ei iurare; sed ipsa charta quam pater eius fecit præsens veniat, & illi testes qui manus suas in chartam miserunt, vnà cum Presbytero Ecclesiæ, sicut Lex habet, ita testificentur, quòd ipsi ad præsens fuissent, & oculis suis vidissent, & auribus audissent, quod pater eius illas res ad Ecclesiam dedisset, & chartam fecisset, & illos ad testes aduocasset; hoc per sacramentum dicant, quòd nos veri testes sumus. Posthac Pastor Ecclesiæ res suas possideat, & ille præsumpter qui contradixerit, illam mulctam quam charta continet ad Ecclesiam persoluat. Si autem illa charta aut arserit, aut perdita fuerit, quam ille homo fecit, tunc liceat illi heredi cum testibus nominatim quinque, ipse sit sextus, in ipsa Ecclesia iurare, quòd pater eius nec chartam fecisset, nec ad illa loca sancta dedisset, & si hoc præsumpserit facere, illas res possideat.*

XLV. DE ASYLO ECCLESIÆ. Tertium caput est de liberis vel seruis qui ad Ecclesiam Dei confugiunt. *Si quis homo aliquem persequens fugitiuum, aut liberum aut seruum, & ipse intra ianuas Ecclesiæ confugerit, nullus habeat potestatem per vim abstrahendi de Ecclesia, nec eum infra ianuas Ecclesiæ occidendi; sed ex timore Dei honorem Ecclesiæ impendat, & Sacerdotem interpellet pro seruo suo. Roget sibi eum reddere, & donet legitimum wadium, vt illam culpam illi seruo concessam habeat. Tunc ille Presbyter reddat in pace seruum domino suo. Si autem Presbyter neglexerit reddere, aut contradixerit illum seruum, apud se illum contineat, & curam de illo habeat, vt exinde fugitiuus non euadat. Et si euaserit ille, Presbyter sine vlla dilatione perquirat, & domino restituat; & si ipsum inuenire non potuerit, similem ipsius aut pretium pro eo soluat. Si autem vi abstraxerit, & iniuriam Ecclesiæ fecerit, componat* XVIIII. *sol. ad Ecclesiam, & fredum soluat in fiscum* LX. *sol. quia contra Legem fecit, & Ecclesiis honorem non impendit, & Dei reuerentiam non habuit; & vt alij cognoscant, quòd sit timor Dei in Christianis, & honorem Ecclesiis impendant.*

XLVI. Quartum caput est de liberis qui infra ianuas Ecclesiæ interfecti fuerint. *Si quis liber liberum infra ianuas Ecclesiæ occiderit, cognoscat se contra Deum iniustè fecisse, & Ecclesiam Dei polluisse; ad ipsam Ecclesiam quam polluit* LX. *sol. componat: ad fiscum verò similiter alios* LX. *sol. pro fredo soluat: parentibus autem legitimum weregildum soluat.*

XLVII. DE RAPTORIBVS BONORVM ECCLESIASTICORVM. Quintum caput est de raptoribus, qui de Ecclesiis àliquid vi abstraxerint. *Si quis res suas ad Ecclesiam commendatas habuerit, & aliquis eas exinde rapuerit, si per furtum hoc fecerit, ipsas res in capitale restituat, & sicut res ipsæ valuerint, hoc nouempliciter componat. Ista omnia ei, cuius res sunt, componi debent; Ecclesiæ verò, quam inhonorificauit,* XXXVI. *sol. componat. Si verò per virtutem hoc rapter de Ecclesia abstulerit, dupliciter domino componat, &* XII. *solid. Ecclesiæ verò, sicut superiùs commemoratum est,* XXXVI. *sol. componat. Si seruus hoc fecerit, & iussia domini eius fuit, sicut dictum est, ita omnia obseruari debent. Si seruus per se hoc fecerit ex furto, similiter quomodo dictum est, adimplere debet. Nam si per virtutem seruus hoc fecerit, non sicut de libero compositio exigatur, sed virtus seruilis componi debet vt ipsum quod abstulit reddatur simpliciter; ita tamen si statim quomodò inuentum fuerit, contradictio domini sui non fuerit. Nam si aliquam moram fecerit, propter contradictionem domini sui* XII. *sol. addantur. Si dominus ex hac re immunis fuerit, vt iussio eius non esset, ei* IIII. *sol. in fredo exigantur. Nam si iussio eius fuit, sicut supradictum est, ita componatur.*

XLVIII. DE IVRATORIBVS. Sextum caput est de iuratoribus, ex eóque describemus solummodò fragmentum ad indicandum ritum, quem sacramentales illi seu iuratores aut coniuratores obseruabant in emittendo iuramento seu sacramento. *Coniuratores manum*

manum suam super capsam ponant, & ille solus cui causa requiritur verba tantùm AN. CH.
dicat, & super omnium manus manum suam imponat, vt sic illi Deus adiuuet, vel 638.
illa reliquia ad illas manus, quas comprehensas habet, vt de illa causa, vnde in- SIGIB.
terpellatus est, culpabilis non sit. III. R. 6.
Septimum caput est de libertis, qui de rebus Ecclesiæ aliquid surripuerint. CLOD.
Si quis res Ecclesiæ furauerit, & conuictus fuerit vt soluat, vnicuique res quam II. R. 1.
furauerit tres nouigildos soluat; aut seruum aut ancillam, aut bouem, aut caballum, XLIX.
aut qualecunque animal, vel ceteras res quæ ad Ecclesiam Dei pertinent. Si post DE REBVS
furtum inuentus fuerit, ita soluat vt superiùs scriptum est. Si autem negare volue- ECCLESIÆ.
rit, secundùm qualitatem pecuniæ, ita iuret cum suis sacramentalibus in ipso altari,
cui res furtiuas abstulit, coram Sacerdote vel ministro eius, quem Pastor Ecclesiæ
iusserit audire sacramentum.

Octauum caput est de liberis qui seruum Ecclesiæ occiderint. *Si quis seruum* L.
Ecclesiæ occiderit, in triplum componat, sicut solet seruus Regis, ita soluatur, id DE SERVIS
est, LXII. *sol. Et si eum rapuerit contra Legem, & vendiderit extra prouinciam,* ECCLESIÆ.
tripliciter eum componat. Et si eum furauerit aliquis, in capite semper consimilem
restituat, si ipsum inuenire non potuerit, alius autem medietatem in auro valente,
medietatem, qualem pecuniam habet, soluat.

Nonum caput est de colonis Ecclesiæ occisis. *Quicunque liberum Ecclesiæ,* LI.
quem colonum vocant, occiderit, sicut alij Alamanni, ita componatur. DE COLO-

Decimum caput est de eo qui in curtem Episcopi armatus ingreditur. *Si quis* NIS ECCLE-
in curtem Episcopi armatus contra Legem intrauerit, quod Alamanni haisterahandi SIÆ.
dicunt, XVIII. *sol. si infra domum intrauerit,* XXXVI. *sol. componat.* LII.

Vndecimum caput est de eo qui in Presbyteri curtem armatus ingreditur. *Si* DE ARMA-
quis in Presbyteri curtem, qui in parochia positus est ab Episcopo, contra Legem TO INGRES-
armatus intrauerit, sicut superiùs diximus, sicut solet aliis Alamannis componere, SO IN CVR-
ita Presbytero tripliciter componat, hoc est, sol. XVIII. *&, si in casam,* XXXVI. TEM AVT DOMVM

Duodecimum caput est de his, qui Episcopo aliquam iniuriam fecerint. *Si* EPISCOPI,
quis Episcopo aliquam iniuriam fecerit, vel plagauerit, vel fustauerit, vel manca- LIII.
uerit, omnia tripliciter componantur, sicut ceteri parentes eius compositionem habe- VEL PRES-
bunt; ac si meliùs dicamus, sicut & Ducem, ita in omnibus eum componat. Et si BYTERI.
occisus fuerit, sicut & illum Ducem ita eum soluat, aut Regi, aut Duci, aut ad LIV.
Ecclesiam, vbi Pastor fuit. DE IIS QVI

Caput decimum-tertium est de his, qui Presbytero parochiano iniuriam in- INIVRIAM
tulerint. *Si quis Presbyterum parochianum iniuriauerit, aut fustauerit, aut man-* INTVLE-
cauerit, vel qualemcumque ei iniuriam intulerit, in triplum componatur. Et si eum RVNT EPI-
occiderit, DC. *sol. eum soluat, aut ad Ecclesiam vbi seruiuit, aut ad Episcopum de* SCOPO,
cuius parochia fuit. LV.

Caput decimum-quartum est de his, qui Diacono aliquam iniuriam fece- PRESBY-
rint. *Si quis Diacono, qui Euangelium coram Episcopo legit, & reuestitus ante al-* TERO,
tare officio fungitur, aliquam iniuriam fecerit, vel eum fustauerit, vel plagauerit, LVI.
vel mancauerit, dupliciter eum componat. Et, si eum occiderit, CCCC. *sol. soluat.* DIACONO,

Caput decimum-quintum est de his, qui Monacho aliquam iniuriam intu- LVII.
lerint. *Monachus qui sub Regula in Monasterio conuersatus fuerit, & ab aliquo* MONACHO,
aliquas iniurias, sicut superiùs diximus, passus fuerit, ita vt Diaconus, similiter
componatur.

Caput decimum-sextum est de his, qui Clerico aliquam iniuriam intule- LVIII.
rint. *Clerici, sicut ceteri parentes eorum, ita componantur. Si autem Clericus, qui* CLERICO.
in gradu in Ecclesia publicè Lectionem recitat, vel Gradale, vel Alleluya coram
Episcopo in publico cantauerit, aliquam iniuriam passus fuerit, sicut superiùs dixi-
mus, componatur, quomodo parentes eius componuntur, & tertia pars super hæc ad-
datur in compositione.

Caput decimum-septimum est de liberis ad Ecclesiam dimissis & occisis. LIX.
Liberi qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam libertatem acceperunt, DE LIBER-
si occidantur, LXXX. *sol. soluantur Ecclesiæ, vel filiis eius.* TIS.

AN. CH. 638. Sigib. III. R. 6. Clod. II. R. 1.

Caput decimum-nonum est de laicis, ne res Ecclesiæ absque charta præsumant possidere. *Res Ecclesiæ de laicis absque charta nullus præsumat possidere, & si chartam non ostenderit, quòd comparasset à Pastore Ecclesiæ, possessio semper ad Ecclesiam pertineat.*

LX. De rebus Ecclesiæ.

Caput vicesimum est de Presbyteris, ne potestatem habeant vendendi res vel mancipia Ecclesiæ. *Nullus Presbyter aut aliquis Pastor Ecclesiæ potestatem habeat vendendi Ecclesiasticam terram, nisi contra aliam terram, nec mancipium nisi contra aliud mancipium receperit. Et si concambium fecerit, aut de mancipio aut de terra, semper epistolam firmitatis faciat, vt contentio non fiat, nec Ecclesia perdat, quod legitimè possidere debeat.*

LXI.

LXII. De mancipiis Ecclesiæ.

Caput vicesimum-primum est de his qui fugitiuum Ecclesiæ seruum vel ancillam susceperint. *Si quis mancipium Ecclesiæ, aut seruum aut ancillam, fugitiuum susceperit, & post requisitionem aut ipse Presbyter requirat, aut missus eius legitimus; & ille neglexerit reddere, & contra Legem antestiterit, sicut solet aliis Alamannis componere, ita & tripliciter componat. Et quidquid Ecclesia contra Legem fecerit, omnia tripliciter componat, sicut Lex habet.*

LXIII. Caput vicesimum-secundum statuit, qualiter Ecclesiæ serui tributa soluere debeant. *Serui Ecclesiæ tributa sua legitimè reddant, XV. siclas de ceruisa, porcum valentem tremisse vno: panem, modia duo: pullos V. oua XX. Ancillæ autem opera imposita sine neglecto faciant. Serui dimidium sibi, & dimidium in Dominico aratiuum reddant: Et si super hæc est, sicut serui Ecclesiastici, ita faciant, tres dies sibi, & tres in Dominico.*

LXIV. De colonis Ecclesiasticis.

Caput vicesimum-tertium est de colonis Ecclesiasticis, si ad Episcopum aut ad Iudicem suum venire despexerint. *Liberi Ecclesiastici, quos colonos vocant, omnes sicut & coloni Regis, ita reddant ad Ecclesiam. Si quis legitimè tributum antestiterit per iussionem Iudicis sui, VI. sol. sit culpabilis. Et opera quæque imposita fuerint secundùm mandatum, aut quomodò Lex habet, si non adimpleuerit, VI. sol. sit culpabilis. Et si sigillum aut signum qualecunque Iudex per iussionem Domini sui transmiserit, & eum venire iusserit, aut ambulare in aliquam vtilitatem, & ille neglexerit, VI. sol. sit culpabilis. Si autem sigillum Episcopi neglexerit, aut ad veniendum, aut ad ambulandum, vbi iusserit, XII. sol. sit culpabilis.*

LXV. Huc vsque ex Alamannorum Lege descripsimus capita, quæ primo Legis Baiuuariorum Titulo visa sunt respondere; sequuntur duo quæ conueniunt cum fragmento quod ex secundo eiusdem Legis Baiuuariorum Titulo recitauimus.

LXVI. De homine qui coniurauerit in Ducem,

Caput XXIV. *Si aliquis homo in mortem Ducis consiliatus fuerit, & inde conuictus fuerit, aut vitam perdat, aut se redimat, sicut Dux aut principes populi iudicauerint. Et si iurare voluerit, cum XII. nominatis iuret in Ecclesia coram Duce, aut quem ille miserit.*

LXVII. Aut hostem inuitauerit.

Caput XXV. *Si homo aliquis gentem extraneam infra prouinciam inuitauerit, vbi prædam vastet hostiliter, vel domos incendat, & de hoc conuictus fuerit, aut vitam perdat, aut in exilium eat, vbi Dux miserit, & res eius infiscentur in publico.*

LXVIII. De die Dominico.

Quæ pro vetandis nuptiis illicitis attulimus ex Titulo sexto Legis Baiuuariorum, habentur totidem verbis in Lege Alamannorum, capite tricesimo-nono, nec multùm differunt quæ de obseruatione Dominici diei leguntur in vtraque Lege, sic enim præcipit Lex Alamannorum capite tricesimo-octauo. *Die Dominico nemo opera seruilia præsumat facere, quia hoc Lex prohibuit, & sacra Scriptura in omnibus contradicit. Si quis seruus in hoc vitio inuentus fuerit, vapuletur fustibus; liber autem corripiatur vsque ad tertiam vicem. Si autem post tertiam correptionem in hoc vitio inuentus fuerit, & Deo vacare die Dominico neglexerit, & opera seruilia fecerit, tunc coactus & conuictus coram Comite, vbi tunc Dux ordinauerit, in seruitium tradatur, & quia noluit Deo vacare, in sempiternum seruus permaneat.*

Lex Francorum diuiditur in Ripuariam & Salicam, Francorum enim alij AN.CH.
Ripuarij vocabantur, alij Salici medio inter vtrosque Mosâ, Ripuarij habi- 638.
tabant à Rheno ad Mosam, Salici à Mosa ad Ligerim.
SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

Lex Ripuariorum amplectitur capita nouem & octoginta.

Caput tricesimum-sextum est de diuersis interfectionibus, & distinguitur
in Articulos vndecim, è quibus duos postremos obmittemus, à nostra mate-
ria omnino alienos. LXIX.

I. Si quis Ripuarius aduenam Francum interfecerit, CC. *sol.. culpabilis indice-* LXX.
tur. Per Francum intelligo Salicum, Salici enim per excellentiam Franci præ
ceteris appellabantur. LEGES RIPVARIORVM.

II. Si quis Ripuarius aduenam Burgundionem interfecerit, CLX. *solid. culpa-*
bilis indicetur. LXXI.

III. Si quis Ripuarius aduenam Romanum interfecerit, C. *sol. mulctetur.* Qui- LXXII.
nam nomine Romanorum sint in his Legibus intelligendi, dicemus infrà. DE HOMICIDIO.

IV. Si quis Ripuarius aduenam Alamannum seu Frisionem, vel Baiuuarium,
aut Saxonem interfecerit, CLX. *sol. culpabilis indicetur.* LXXIII.

V. Si quis Clericum interfecerit, iuxta quod eius natiuitas fuit, ita compona- LXXIV.
tur. Si seruus, sicut seruum. Si Regius aut Ecclesiasticus, sicut alium Regium aut LXXV.
Ecclesiasticum. Si litus sicut litum. Si liber sicut alium ingenuum cum CC. *sol.* LXXVI.
componat. In hoc articulo & in multis locis eiusmodi Legum, homo Eccle-
siasticus & mulier Ecclesiastica sunt mancipia Ecclesiastica, seruus vel ancil-
la Ecclesiæ. Liti verò seu lidi vel litones appellantur homines dedititij, qui
suam ingenuitatem pretio mancipatunt.

VI. VII. VIII. IX. Si quis Subdiaconum interfecerit, CCCC. *sol. componat. Si* LXXVII
quis Diaconum interfecerit, D. *sol. componat. Si quis ingenuum Presbyterum inter-*
fecerit, DC. *sol. componat. Si quis Episcopum interfecerit*, DCCCC. *sol. com-*
ponat.

Caput quinquagesimum-octauum est de tabulariis seu de seruis Ecclesiæ LXXVIII.
manumissis per chartas seu tabulas, vt fieri solitum suprà diximus, cùm de DE LIBERTIS ECCLESIÆ.
diuersis manumissionis generibus ageremus. Distinguitur in Articulos vnum
& viginti, recitabimus sextum qui iudiciorum rationes in causis huiuscemo-
di hominum amplectitur. *Si quis tabulas Episcoporum manibus seu Clericorum ro-*
boratas irrumpere voluerit, tunc Archidiaconus cum testibus qui tabulas roborave-
runt, ante Episcopum vel Regem accedat, vt testes quod sciunt dicant. Quòd si ille
qui causam prosequitur, adquiescere noluerit, tunc tabulæ in præsentia Iudicis per-
ferentur, & Archidiaconus in præsente sacramento fidem faciat, & sibi septimus su-
per noctes VII. *coniuret, cum ipsis testibus qui tabulas conscripserunt, quòd ipse*
tabularius secundùm Legem Romanam legitimè fuisset ingenuus relaxatus. Et tunc
ille qui causam prosequitur in præsente constringatur, vt se ante Iudicem repræsen-
tet, & ad partem Ecclesiæ C. *sol. culpabilis indicetur, & vnicuique de testibus* XV.
sol. culpabilis indicetur, & Archidiacono XLV. *sol. culpabilis indicetur, & nihilo-*
minùs tabulæ stabiles permaneant. Ibi noctes interpretare dies; nam *Galli*, te-
ste Cesare, *spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt*, & *Ger-*
mani, teste Tacito, *non dierum numerum sed noctium computant, sic constituunt,*
sic condicunt, vt nox ducere diem videatur.

In Lege Salica, quam Clodoueus post susceptum baptismum emendauit, LXXIX.
Titulus duodesexagesimus, est de incendio vel expoliatione Ecclesiæ, siue LEGES SALICOR.
homicidiis Clericorum. *Si quis Ecclesiam sanctificatam vel vbi reliquia Sancto-*
rum recondita sunt, incenderit, vel in ipsa Ecclesia aliquam expoliationem de al- DE INCENDIARIIS.
tari, aut infra Ecclesiam aliquid tulerit, VIII. *den. qui faciunt sol.* CC. *culpabilis*
indicetur, excepto capitali & dilaturâ. Si quis Subdiaconum interfecerit, XII. *den.*
qui faciunt sol. CCC. *culpabilis indicetur. Si quis Diaconem interfecerit*, XVI. *den.*
qui faciunt sol. CCCC. *culpabilis indicetur. Si quis Presbyterum interfecerit*, XXIIII. QVATVOR
den. qui faciunt sol. DC. *culpabilis indicetur. Si quis Episcopum interfecerit* DCCCC. SPECIES
sol. culpabilis indicetur. Caue ne decipiaris hoc textu, credasque Denarium MONETÆ.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOO. II. R. 1.

maioris valoris esse quàm Solidum. Species Monetæ quadruplex vt in Alamannorum Lege, de qua suprà, sic & in Salica commendatur, Solidus, Semis, Triens, Denarius. De Solido, de Triente seu Tremisse vel Tremisso, de Denario seu Saiga sic habet Lex Alamannorum [a]. *Saiga est quarta pars Tremissis, hoc est, Denarius vnus: duæ Saigæ, duo Denarij dicuntur. Tremissus est tertia pars Solidi, & sunt Denarij quatuor.* De Semis seu Semisse sic [b]. *Si sanguinem fuderit, sic vt terram tangat, componat sol. vno & semis.* De Solido déque Denario Lex [c] Salica sic. *Si quis porcellum furauerit, qui sine matre viuere potest,* XL. *den. qui faciunt sol.* I. *culp. ind. exc. cap. & dil.* De iisdem Solido ac Denario déque Triente seu Tremisse sic [d]. *Si quis admissorium alienum sine consensu domini sui spadauerit,* DC. *den. qui faciunt sol.* XV. *culp. iudicetur, & per vnumquodque iumentum, quæ ille continere consueuerat, Triaen componat, quod est tertia pars Solidi, hoc est,* XIII. *denarij & tertia pars denarij.* De Semis seu Semisse sic [e]. IID. *den. faciunt sol.* LXII. *S.* ibi enim litera *S.* Semissem significat, vt *Sol.* Solidum, & *den.* Denarium. In vtraque Lege, Semis pars est dimidia Solidi; Triens, tertia. Sed in Alamannorum Lege Solidus Denariis duodecim constat, in Salica quadraginta. Deinde Lex Salica non videtur sibi constare, nam Titulo secundo [f], XL. *den. faciunt sol.* I. & Titulo duodesexagesimo, quem explicamus, non tantùm VIII. *den. faciunt sol.* CC. sed & XII. *den. faciunt sol.* CCC. item, XVI. *den. faciunt sol.* CCCC. & XXIIII. *den. faciunt sol.* DC. Vtramque difficultatem paucis soluemus.

LXXX. INTER SE COMPARANTVR,

Solidus, Semis, Triens & Denarius, quorum mentio fit in Alamannorum Lege, sunt argentei. Solidus, Semis & Triens, quorum mentio fit in Lege Salica, sunt aurei, Denarius argenteus. Hac distinctione positâ facillimè soluitur, prima quæstio. In Alamannorum Lege, Solidus argenteus constat Denariis duodecim, Semis sex, Triens quatuor. In Lege Salica, Solidus aureus constat Denariis quadraginta, Semis viginti, Triens tredecim ac tertiâ parte. Sic autem aurei Solidi conferuntur cum Solidis argenteis, vt tres argentei Solidi Denariique quatuor vni Solido aureo æquiparentur. Quapropter synonyma sunt multari *tribus Solidis ac Tremisse*, & multari *Solido vno*, id est, multari *tribus solidis argenteis ac Tremisse* & multari *Solido vno aureo*, vt obseruauit Claudius *Bouterone* in erudito Commentario [g], quem de vetere Francorum Moneta nuper edidit. Alteram quæstionem sic enodamus. Cùm deprehendis in Lege Salica [h] VIII. *den. qui faciunt sol.* CC. vel XII. *den. qui faciunt sol.* CCC. aut XVI. *den. qui faciunt sol.* CCCC. item, XXIIII. *den. qui faciunt sol.* DC. ne putes Denarium adeò præstare Solido, vt octo Denarij Solidos ducentos, duodecim Denarij Solidos trecentos, sexdecim Denarij quadringentos Solidos, viginti-quatuor Denarij sexcentos Solidos conficiant. Hoc enim loco per VIII. *den.* intelligere debes octo millia Denariorum; per XII. *den.* duodecim millia Denariorum; per XVI. *den.* sexdecim millia Denariorum; & per XXIIII. *den.* viginti-quatuor millia Denariorum. Posito autem, quòd Solidus quadraginta Denariis constet, octo millia Denariorum faciunt Solidos ducentos, duodecim millia Denariorum Solidos trecentos, sexdecim millia Denariorum Solidos quadringentos, viginti-quatuor millia Denariorum Solidos sexcentos. In Lege Salica, quoties Denarij cum Solidis comparantur, numerus Denariorum infra quadragesimum tot significat millia quot monadás complectitur. Sic Titulo vicesimo-sexto exponi debent, Articulus primus, *si quis puerum infra duodecim annos, sine crinitum siue incrinitum, occiderit,* XXIIII. *den. qui faciunt sol.* DC. *culpabilis indicetur;* Articulus quartus, *si quis fœminam grauidam occiderit,* XXVIII. *den. qui faciunt sol.* DCC. *culpabilis iudicetur;* Articulus quintus, *si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum antequàm nomen habeat, infra* VIIII. *noctes occiderit,* IIII. *den. qui faciunt sol.* C. *culp. ind.* Articulus sextus, *si quis puellam ingenuam infra annos, antequàm infantes possit habere, occiderit,* VIII. *den. qui faciunt sol.* CC. *culp. ind.* Parcimus aliis exemplis, quæ cùm ex eodem Titulo tum passim ex aliis desumi possunt. Quando præter millia in Denario-

[a] Cap. 6. art. 3.
[b] Cap. 59. art. 2.
[c] Tit. 2. art. 5. 7.
[d] Tit. 40. art. 13.
[e] Tit. 26. art. 3.
[f] Art. 5.
[g] Initio lib. 4.
[h] Tit. 58. art. 1. 2. 3. 4.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

rum numero sunt aliquæ minutiæ, millia exprimuntur totidem monadibus, iisque minutiæ superadduntur. Articulo secundo Tituli vicesimi-sexti proximè laudati IƆCCC. *den.* id est, Denarij mille & octingenti, *faciunt sol.* XIV. Articulo sequenti, IIƆ. *den.* id est, Denarij bis mille & quingenti *faciunt sol.* LXII. *S.* Similiter Titulo tricesimo-primo, qui *de debilitatibus* inscribitur, IƆCCC. *den. faciunt sol.* XLV. item, IIƆ. *den faciunt sol.* LXII. *S.* item, ICC. *den. faciunt sol.* XXX. necnon, ICCCC. *den. faciunt sol.* XXXV.

LXXXI. ET CVM HODIERNA.

Antiquàm Alamannorum ac Francorum Monetam cum hodierna sic conferre poteris. Denarius, vt in Lege Alamannorum & in Lege Francica sumitur, æquiparatur duobus Solidis hodiernis ac Semissi. Solidus igitur Alamannorum argenteus æquatur Solidis hodiernis triginta; Semis, quindecim; Triens, decem. Et aureus Francorum Solidus hodiernis Solidis centum æquatur; Semis, Solidis hodiernis quinquaginta; Triens, Solidis hodiernis triginta-tribus ac Denariis quatuor. Præterea infra Denarium, qui argenteus cùm apud Alamannos tum apud Francos erat, existimamus species fuisse vilioris pretij vel ex ære vel ex alio metallo, quarum vsus plebi valdè necessarius erat, vt minutiores plerasque res ad vitæ sustentationem sibi compararet. Habitâ ratione nominis arbitramur ex ære aliâue materiâ cusam Monetæ speciem, quæ Denarij decima pars esset, & tribus denariis hodiernæ Monetæ seu moderno Liardo posset æquiparari. Porrò Solidos Francorum aureos extitisse valido comprobabis argumento ex Gregorio Turonensi [a], qui Solidum & Aureum promiscuè pro vna eadémque re vsurpat, vbi de Childerico Rege eiúsque amico Viomado sic loquitur. *Diuiserunt sibi vnum Aureum, & vnam quidem partem secum detulit Childericus, aliam verò partem amicus eius retinuit, dicens; quandoquidem hanc partem tibi misero, partésque coniuncta vnum effecerint Solidum, tunc tu securo animo in patriam repedabis.* Et paulò pòst. *Viomadus paratû occultè Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa diuisi Solidi, quam retinuerat, mittit.* Auctor Commentarij iam laudati, Solidum, Semissem, duósque Tremisses aureos Sigiberti Tertij Regis, à cuius Principatu initium huiusce Tomi duximus, excudendos curauit [b]. In vna parte Solidi [c] aurei, conspicitur vultus Sigiberti cum hac epigraphe, SEGIBERTVS R. in altera, Crux cum literis M & A quibus significatur MASSILIA. In vna parte Semissis [d] aurei, apparet quoque facies Sigiberti cum hoc Titulo SECIBERTVS R. in altera Crux globulo innixa mediáque duas inter literas, M videlicet cui cordis imago subiicitur, & A, cum adiecta in orbem inscriptione, de qua supersunt hæ tantùm literæ MAS..... Tremisses aurei figurâ non sunt pares [e]. In vtroque quidem vultus Sigiberti conspicitur ex vna parte, ex altera Crux globulo innixa mediáque inter literas M & A. Quin & vtrinsque similes sunt inscriptiones, SIGEBERTVS ex vna parte, MASSILIA ex altera. Differunt tamen plurimùm. In vno enim litera H prope vultum Regis conspicitur, in altero nequaquam. Deinde in vno pars eadem cùm vultum tum nomen Regis exhibet; in altero pars quæ Crucem repræsentat, Regis nomine circùm inscripto decoratur. Non extat Denarius Sigiberti Regis, extant aliorum Regum. Antiquissimi sunt Clodomeris Regis [f], exhibéntque ex vna parte caput Regis cum nomine Monetarij, Crucem ex altera cum nomine Ciuitatis vbi cusi sunt. Ceterùm cùm Solidus & Denarius præcipui Francorum numi essent, ille aureus, hic argenteus, inde mos apud eos inualuit, vt puella per Solidum & Denarium à sponso desponderetur. Nobilissimum huiusce consuetudinis exemplum occurrit apud Fredegarium [g] in nuptiis Clotildis, quam Clodoueus Magnus missis in Burgundiam Oratoribus per Solidum & Denarium sibi despondit. *Legati*, inquit, *offerentes Solidum & Denarium, vt mos erat Francorum, eam*, nempe Chrotechildem, *partibus Chlodouei desponsant.*

[a] Lib. 2. cap. 12.
[b] Lib 5.
[c] Numus 225.
[d] Numus 226.
[e] Numus 227.
[f] Numi 55. 56.
[g] Hist. epitom. cap 18.

LXXXII.

Prodierant in lucem duo Annalium nostrorum Tomi, cùm vulgatus est insignis ille Commentarius de veteribus Francorum numis, in quo multa sunt & scitu dignissima, & Regum, quos hactenus commemorauimus, Ges-

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

tis illustrandis multùm vtilia. Quapropter ignoscat Lector, si selectissimas aliquot ex illo opere simúlque congestas ob oculos obseruationes ponamus à prima Francicæ gentis origine ad mortem vsque Dagoberti Regis, ad quam series operis nostri iam peruenit. Auctor libro primo numum omnium antiquissimum exhibet Tremissem [a] aureum, in quo conspicitur caput Regis cinctum diademate cum hac epigraphe, TEVDOME. REX. cúmque in illo numismate nullum Religionis Christianæ signum appareat, rectè concludit Teudomerem intelligi seu *Theodomerem Regem Francorum*, cuius mentio fit apud Gregorium Turonensem [b]. Clodoueo Magno ad Christianam fidem conuerso, nullus deinceps in Francia numus siue aureus siue argenteus absque viuificæ Crucis signo cusus est. Id palàm prædicant omnes numi, quos Auctor post Clodouei Magni conuersionem repræsentauit. Porrò cùm Clodoueus, antequàm Christianus fieret, eiúsque decessores licèt pagani, Rectoribus Ecclesiarum Christianæque plebi, quæ per Gallias plurima erat, nullam molestiam intulerint, si quos numos cum eorum imaginibus ac Crucibus inueneris, adulterinos ne putes. Extat [c] Tremissis [d] Suessione cusus, in quo conspicitur facies Clodouei cum hac epigraphe † SOECIONISI. Cusus est hic numus Clodoueo adhuc ethnico. Suessionenses, qui Regis iussu cudendæ monetæ operam dabant, Religionem quam profitebantur signo Crucis expresserunt. Laudanda sanè Suessionensium pietas, quòd sub Regibus Francorum idololatris eodem prorsus animo ac anteà sub Christianis Romanorum Imperatoribus publicè testati sunt se Christianos esse. Laudanda quoque Clodouei Regis prudentia, quòd Gallos Christianam fidem à longo iam tempore amplexos ne verbo quidem læsit aut lædi passus est à paganis quorum copiosam multitudinem in suo semper habuit Comitatu. Hac arte suum per Gallias Regnum amplissimè dilatauit, nec vnquam à Christianis cum paganus esset, aut à paganis cùm Christianus viueret, motam Religionis prætextu seditionem sensit. Idem Clodoueus, vt Tomo primo ad annum Christi quingentesimum-octauum [e] ex Gregorio Turonensi [f] probauimus, *ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu*, id est, de Imperio, *accepit*. Factus autem Imperator Coronam in numis gessit qualem Imperatores gerere consueuerant. Consulendi [g] super ea re varij numi [h] qui cusi sunt in Clarucco Castro, Pictauij & Suessione, vt hæ probant inscriptiones; CLARVCCO CAS. . . . id est, *Clarucco Castro;* PECTAVVS C, id est, *Pectauus Ciuitas;* SVESIONIS. Reliquit Clodoueus quatuor filios; Theodoricum, Clodomerem, Childebertum, & Clotarium. Hi caput suum Imperatoriâ coronâ redimierunt, séque dixerunt Augustos patrem imitati. De Clodomere constat ex Denariis [i] cusis Aureliæ cum Imperatoria Corona. De Childeberto quoque constat ex Denariis [k] cum eadem Corona cusis cùm Autissiodori tum Andegaui. Præterea Tremissis [l] extat, in quo conspicitur ex vna parte facies Childeberti Regis, ex altera Crux globulo imposita cum hac epigraphe VICTORA AVGVSTOR, atque his quinque literis CONOB globulo suppositis, quæ sunt initiales plurium vocabulorum vt dicemus infrà. Inscriptionis autem duplex afferri potest interpretatio. VICTORA AVGVSTOR Auctori sæpè laudato, qui Commentarium de veteribus Regum Francorum numismatibus edidit, est VICTORIA AVGVSTORVM, Childeberti scilicet ac Clotarij fratrum, qui iunctis armis expugnatóque Augustoduno de Burgundis anno Christi quingentesimo vicesimo-quinto triumpharunt. At quis existimet in postica numi parte epigraphen legi quæ laudi amborum fratrum conueniat, cùm in antica parte sit sola facies Childeberti? VICTORA AVGVSTOR, ni fallimur, ita debet explicari, VICTOR AVGVSTVS AVGVSTORVM, & hæc inscriptio longè post captum Augustodunum vni attributa est Childeberto qui VICTOR dictus est ob victorias quas in hostes retulerat, & AVGVSTVS AVGVSTORVM ob primatum quem inter Augustos siue Imperatores Francorum tenebat, vtpote qui Collegas Imperij Clotarium

[a] Numus 1.
[b] Lib. 2. c. 9.
[c] Lib. 1.
[d] Numus 47.
[e] Num. 37.
[f] Lib. 2. c. 38.
REGES FRANCORVM DICTI IMPERATORES.
[g] Lib. 2.
[h] Numi 39. 40. 44.
[i] Numi 55. 56.
[k] Numus 74.
[l] Numus 71.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

fratrem & Theodobertum ex fratre Theodorico nepotem ætate antecedetet. Nec te moueat quòd septem hæ literæ VICTORA vnum videantur efficere vocabulum, cùm inter R & A nullum fit interuallum, quo duæ voces aut separentur aut indicentur separandæ. In numismatum inscriptionibus vnum sæpè vocabulum ex multis conflatur, præsertim cùm initiales tantùm seu primæ singularum vocum apponuntur literæ. R. P. Gerardus *du Bois* nostræ Congregationis Presbyter in re antiquaria versatissimus mihi non semel dixit visum à se Trecis numum aureum cum hac epigraphe MOPANDIA DVMENIANVS, quæ non potest explicari, nisi quatuor distinguantur voces, M. OP. AN. DIADVMENIANVS, id est, MARCVS OPILIVS ANTONINVS DIADVMENIANVS. Parcimus fusiori probationi. Qui Theodorico, Clodomeris, Childeberti & Clotarij fratri, Titulum Augusti vel Coronam Imperatoriam attribuat, non inuenitur numus in Commentario Francicorum numismatum. Secus verò de Theodoberto eiusdem Theodorici filio, qui simul cum patruis suis Childeberto & Clotario regnauit. Extant [a] duo Solidi, duóque Tremisses in quibus Theodobertus cum Titulo vel ornatu Imperatorio splendescit. Solidi ferè simillimi sunt numis Iustiniani Augusti, quocum idem Theodobertus eiúsque filius Theodobaldus bellum gesserunt. Vtrosque conferamus. Iustinianus in antica parte numismatis aurei [b] caput habet galeâ tectum cum Corona superposita, dexterâ manu globum Cruce insignitum gestat, læuâ clypeum equite insignem, commendatúrque hac epigraphe, DNIVSTINIANVSPPAVG. id est, DOMINVS NOSTER IVSTINIANVS PATER PATRIÆ AVGVSTVS. In postica eiusdem numi parte Victoria alata dexterâ manu tenet Labarum sinistrâ globum Cruce insignitum gestat, subsunt pedibus hæ literæ CONOB, in circuitu est inscriptio VICTORIA AVCCCI, id est, AVGVSTI. Theodobertus in antica vtriusque Solidi parte caput habet galeâ tectum cum Corona superpositâ, dexterâ manu telum vibrat, sinistrâ clypeum equite insignem gestat, commendatúrque hac inscriptione, DNTHEODEBERTVS VICTOR, id est, DOMINVS NOSTER THEODEBERTVS VICTOR. In postica verò parte Victoria alata dexterâ manu tenet Crucem, sinistrâ globum Cruce insignitum gestat; subsunt pedibus hæ literæ CONOB; in circuitu est inscriptio VICTORIA AVCCCI; leguntur & ad latera Victoriæ in vno solido hæ literæ, B & O; & ad latus sinistrum eiusdem Victoriæ in altero Solido hæ, R & E. Tota differentia in tribus rebus consistit. Dexterâ manu globum Cruce insignitum gestat Iustinianus, telum vibrat Theodobertus. Eâdem dexterâ manu in Iustiniani numo Labarum, in Theodoberti numis Crucem tenet Victoria. Ad latera vel ad latus sinistrum Victoriæ in Theodoberti numis duæ sunt literæ initiales locorum vbi cusi sunt, in vno B & O, id est, BONNA, in altero R & E, id est, REMI; nihil autem tale in numo Iustiniani. Quatuor occurrunt in numis Theodoberti, quæ propria sunt Imperatoris; hic Titulus DOMINVS NOSTER; nomen AVGVSTI, globus Cruce insignitus; hæc epigraphe, CONOB. Huius epigraphes duæ significationes afferuntur. Prima est eorum quibus CONOB est CON. OB. id est, CONSTANTINOPOLI OBSIGNATA supple *Moneta*. Theodoberti iussu Moneta numquam Constantinopoli fuit obsignata. Quapropter apud nonnullos minatur tantùm Theodobertus acturum se, vt Moneta, quæ vel Bonnæ vel Remis obsignata est, sit etiam aliquando CON. OB. id est, CONSTANTINOPOLI OBSIGNANDA. Certè testatur Agathias [c] id consilij Theodoberto fuisse, vt Thraciâ vastatâ Constantinopolim bellum transferret. *Erat*, inquit, *summoperè & audax & turbulentus & periculorum præter modum amans. Cùm itaque Romanis bellum aduersùs Totilam Gothorum Ducem esset ortum, Theodibertus hoc animo agitabat, summâque diligentiâ procurabat, vt intereà dum in Italia Narses pariter & exercitus laborarent occupatique essent, ipse fortissimis validissimisque copiis coactis in Thraciæ regionem penetraret, eâque totâ vastatâ & subiugatâ Byzantium Regiam Vr-*

[a] Numi 90. 91. 92. 95.

[b] Claud. Bouterone in Introd. Monet. Rom. ad an. 527.

[c] Lib. 1.

egregius Pontifex Amandus, quia sacris dignísque manibus è fonte salutari excepit, AN. CH.
in omnibus Deo dignam reddidit, vt ad annum Christi sexcentesimum tricesi- 638.
mum-quintum obseruauimus. *Eusebiam verò ex sancto lauacro Namhildis Re-* SIGIB.
gina vxor Dagoberti suscepit, nec id omissum anno priori. Repetit eadem Huc- III. R. 6.
baldus in vita sanctæ Eusebiæ, vt patet ex fragmento quod Bollandus in elo- CLOD.
gio sancti Adalbaldi publicauit [a]. II. R. 1.
Hoc anno, Clodouci Regis primo, Blidegisilus Archidiaconus Ecclesiæ [a] Die 2. Febr.
Parisiensis ab eodem Clodoueo Rege Fossatum seu castrum Bagaudarum ad XCVIII.
construendum Monasterium impetrauit, vt patet ex sancti Baboleni vita, de
cuius Authore ac fide, priusquàm vlteriùs progrediamur, disserendum nobis
videtur. Vita sancti Baboleni extat manuscripta in Bibliotheca Monasterij
sancti Germani de Pratis in suburbio Parisiensi. Hanc legit atque in compen-
dium redactam Iacobus Breulius anno Christi millesimo sexcentesimo deci-
mo-quarto primus publicauit in Supplemento Antiquitatum Parisiacatum
cum hoc titulo, *Incipit vita S. Baboleni, primi Abbatis Monasterij S. Mauri Fos-
satensis, ex peruetusto M S Codice in compendium redacta, per F Iacobum du
Breul, Monachum Inclyti Cœnobij D. Germani à Pratis.* Vicesimo-secundo pòst
anno Andreas Duchesnius eandem vitam in lucem emisit ex Bibliotheca sancti
Germani cum hoc titulo. *Vita Sancti Baboleni Abbatis, cuius exemplar extat in* VITA S.
Bibliotheca Monasterij Sancti Germani de Pratis. Author nec coætaneus est, nec BABOLENI
caret mendis; Anonymum fabulatorem, qui *Gesta Regum Francorum* scripsit, SCATET
sæpè sequitur ac laudat; ab obitu Clodouei Primi ad Principatum vsque Clo- MENDIS.
douei Secundi numerat annos duntaxat *octoginta-quinque*; Clodoueum Secun-
dum Dagoberto patri subrogat *anno Incarnati Verbi sexcentesimo quadragesimo-
tertio, Indictione primâ*; Erchenaldum anno Clodouei Regis primo Maiorem
domûs Regiæ fingit; Audobertum Parisiensem Episcopum, qui Concilio
Cabilonensi sub Clodoueo Rege per Vicarium interfuit, confundit cum Agil-
berto, qui Pontificatum Parisiensem seriùs gessit sub Clotario Rege Clodouei
filio; ex duobus Babolenis, quorum alter Bobiensi Monasterio, alter Fossa-
tensi præfuit, vnum conflat, quem Bobiensibus primùm Monachis, deinde
Fossatensibus Abbatem constituit; multa de Iulio Cæsare comminiscitur ad
cuius tempora refert originem Bagaudarum; nonnulla tanquam ex Orosio re-
citat, quæ longè alio modo ab Orosio narrantur; Clodoueum *anno XVI. regni
sui* defunctum tradit; Clotarium Clodouci filium *quinto anno* immaturâ mor-
te præuentum affirmat. Quamuis autem tot scateat erroribus, non est impro-
bandus ex omni parte, sed eget diligenti seueróque prorsus examine, cui na-
uabimus operam, ne falsa pro veris, vera pro falsis assumantur.
Opus suum sic orditur. *Reges Francorum & nobilitate praclaros generis, & bel-* XCIX.
*lorum eruditos exercitiis, Historia eorum pratitulata nomine apertè declarat. Qui
postquàm Christi nominis fidem suscipere meruerunt, victoriosi semper, Deo sibi fa-
uente, contra rebelles extiterunt. Inter quos primus eorum Christiana sectator reli-
gionis Magnus Clodoueus dictus decenter emicuit. A quo cuncti deinceps Francorum
Reges sacri baptismatis regeneratione à laqueis diaboli abstracti, Iesu Christi Domini
nostri, cuius sanguine erant redempti, signo insigniti, perfecta religionis facti sunt
cultores, atque Sancta & indiuidua Trinitatis deuotissimi confessores. Post iamdictum
verò Clodoueum, succedentibus in regnum eius filiis, eorum genealogia non decidit,
sed per plurima annorum curricula, id est, per octoginta quinque annos, Francorum
regnum peroptimè gubernauit, quousque ipsius regni habenas Clodoueus suscepit Se-
cundus, inclyti Dagoberti Regis filius, cuius genitor Clotharius Regum fortissimus
est dictus. Hic ergo inclytus Francorum Rex Clodoueus non dispar suis extitit præ-
cessoribus, quia deuotus Christi fidelium amator, Sanctaque infra Galliam Ecclesia
exaltator, atque fidelissimus fore non distulit defensor. Cùm itaque anno Incarnati
Verbi sexcentesimo quadrogesimo-tertio, Indictione primâ, post mortem sui genito-
ris iamdicti Dagoberti, Francorum Regnum suscepisset regendum, miro callebat in-
genio, studebátque diligenti conamine, vt Regnum sibi à Deo commissum summo*

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. I.

disponeret moderamine. Ipsius etenim temporibus plurima Cœnobia, praeunte Dei nutu & gratiâ, in Francorum regno à Deo deuotis viris ædificata sunt atque constructa. Excellentia quoque Christiana religionis, atque vigor Monastici ordinis tam in perfectorum virorum sanctitate, quàm in deuotarum Deo virginum effulsit copiosè. Per Historiam Regum Francorum nomine prætitulatam intelligit *Gesta Regum Francorum*, quæ à se lecta manifestè prodit inferiùs, cùm sexdecim duntaxat annos Clodoueo Regi tribuit, potiorem certè sibi conciliaret auctoritatem, si Gregorium Turonensem & Fredegarium Scholasticum synchronos scriptores in testes vocaret. Circa notas temporum in grauem labitur errorem, qui faciliùs corrigi nequit, quàm si deleantur istæ voces, *id est, per octoginta quinque annos*, cum hac periodo, *cùm itaque anno Incarnati Verbi sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione primâ, post mortem sui genitoris iamdicti Dagoberti, Francorum Regnum suscepisset regendum, miro callebat ingenio, studebátque diligenti conamine, vt Regnum sibi à Deo commissum summo disponeret moderamine.* Sensus enim nullo veritatis dispendio sic integer remanebit. *Post iamdictum verò Clodoueum, succedentibus in regnum eius filiis, eorum genealogia non decidit, sed per plurima annorum curricula Francorum regnum peroptimè gubernauit, quousque ipsius regni habenas Clodoueus suscepit Secundus, inclyti Dagoberti Regis filius, cuius genitor Clotharius Regum fortissimus est dictus. Hic ergo inclytus Francorum Rex Clodoueus non dispar suis extitit praecessoribus, quia deuotus Christi fidelium amator, sanctaque infra Galliam Ecclesia exaltator atque fidelissimus fore non distulit defensor. Ipsius etenim temporibus plurima Cœnobia, praeunte Dei nutu & gratiâ, in Francorum Regno à Deo deuotis viris ædificata sunt atque constructa. Excellentia quoque Christiana religionis, atque Monastici ordinis tam in perfectorum virorum sanctitate, quàm in deuotarum Deo virginum effulsit copiosè.* Cur à Clodoueo primo ad Clodoueum secundum annos plures numeremus quàm octoginta quinque, cúrque Dagoberti Regis obitum in annum Christi sexcentesimum quadragesimum-tertium haud reiiciamus, exposuimus suprà, quin & ex nostra Chronologia constat Dagoberto patri successisse Clodoueum eùm annum vitæ quartum adhuc ageret, ætati autem adeò teneræ non conuenit præcitatum elogium, quòd *miro callebat ingenio, studebátque diligenti conamine, vt Regnum sibi à Deo commissum summo disponeret moderamine.*

CORRIGITVR.

C. Idem Author initia Monasterij Fossatensis, anno primo Clodouei Regis, à Blidegisilo Archidiacono Parisiensi posita sic refert. *In illis diebus erat quidam vir in omni religione diuina erga Deum deuotum animum habens, nobilis quidem secundùm huius seculi honorem, sed longè nobilior moribus & operibus, in praedicta vrbe* Parisiensi *gerens officium Archidiaconatûs, nomine Blidegisilus. Qui pro sua venerabili religione à supranominato Rege* Clodoueo *venerabatur, ac magno amoris studio, vt decebat, conseruabatur. Ab Erchenaldo quoque, qui tunc Francorum Ducatui praeerat, & omnia Palatina officia suo moderamine procurabat, honorabatur. A cunctis etiam Primatibus totius Regni magnoperè diligebatur, vtpote qui propinquus & patrinus Regis dicebatur. Erat denique his diebus quoddam vetus castellum non longè distans, sed quasi quatuor miliariis à mœnibus Parisiaca vrbis, à Iulio quondam Cæsare nobiliter constructum, antiquorum gentilium mœniis, ac murorum propugnaculis circumcinctum, Maternâ * fluuia permaximo telluris spatio sibi circumfluente firmatum, atque vallatum aquâ & muris vndique, vocitatum castrum Bagaudarum ab antiquis, quòd iam tunc locus dicebatur Fossatensis *. In huius Insula spatio, velut in Regali quodam Palatio, tam securè & quietè accola illius morantur, vt absque Dei, nullius pauore terreantur. Hunc siquidem locum Blidegisilus prospiciens seruitio Domini aptum, meditabatur in secreto cordis, quomodò hoc sua deuotionis secretum aliquo modo perducere valeret ad effectum. Enimuerò cordis eius erat voluntas, in honorem Sanctorum Felicis & Quintini Martyrum, atque Confessoris Christi Germani, illic construere Ecclesiam. Salubriori verò reperto consilio, immutatur talis deuotio. Itaque locus ille sicut vsque hodie, ita & tunc Regalis*

INITIA MONAST. FOSSATENS.

* La Marne.

* Fossez.

AN. CH. 638. SIGEB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

erat fiscus. Ideo eius voluntas valdè impediebatur, nec vllo modo adimplere poterat quod ipsius menti Christi effectus immiserat. Tandem verò repletus consolatione Sancti Spiritûs paracliti, Regem Clodoueum supplex adiit, ac humiliter quod in eius arcana latebat innotuit. Rex, inquit, Nobilissime, tui preces famuli suscipe, & qua deuotè precor libenter annue. Exoro itaque tuam Celsitudinem, vt mihi digneris concedere castrum Bagaudarum cum omnibus adiacentiis sibi subditis cunctarum opportunitatum, sicuti à flumine Materna est circumplexum, quò desiderij mei affectum, Christo auxiliante, & te solatium prabente, valeam complere. Cupio enim Ecclesiam in honore Dei adificare, ac in veneratione perpetua Virginis Maria, quam Sanctorum Petri & Pauli Principum Apostolorum nominibus & reliquiis volo dicare, Monachosque Christo Iesu famulantes inibi adunare, qui pro nostris erratibus Domini clementiam exorent assiduè, & pro totius populi à Deo vobis collati sospitate. Videns ergo Rex eius animi deuotionem, gratanter suscepit ipsius supplicationem, & conuocato iam dicto Duce Erchenaldo venerabili, coram multis Optimatibus & Primatibus sui Regni, qua à tanto expetebantur viro libentissimè contulit, eique respondit. Licèt hoc tua mereatur religio, tamen credimus quòd hoc tuo cordi superna immiserit dignatio. Ideo nostra illud tibi libenter concedit largitio, sciens quia non deerit cum Dei adiutorio nostrarum opum Regalis & larga suppeditatio. Quapropter quod iam Deo iuuante mente concepisti absque retardatione opere non moreris exequi. Dei enim sapientia, qua per quendam Sapientem cor Regis in manu Dei esse protestatur, vt quocumque voluerit inclinet illud, ipsius cor suâ iam ineffabili gratiâ perlustrauerat, eiúsque mentem inuisibili quadam potentiâ sibi subegerat. Hac itaque agebantur primo regni sui anno, vt ante omnia secula Dei dispositum fuerat iudicio. Huic tanto negotio eius mater Nandechildis nomine intererat, & cunctis qua fiebant & qua dicebantur, prout poterat, libens fauebat, Rex ergo Clodoueus virtute diuinâ motus Regali more decreuit, scripto atque sigillo eandem quam nuperrimè incipiebant Ecclesiam, cum omni varenna, quam Materna girat fluuius, ab ingressu fossatuum prafati castelli veteris, ab aqua in aquam irrefragabiliter ab omni inquietudine cunctorum malorum perpetuò manere liberam atque securam. Quod Regia dignitatis Priuilegium in eadem conseruatur Ecclesia vsque ad prasens illasum.

BLIDEGISIL. IMPETRAT A REGE CASTRVM BAGAVD. PROCONDENDO MONAST.

CI. Hoc Præceptum, quod minùs propriè Priuilegium vocatur, infrà recitabimus ex Breulio, sed in superiori narratione corrigenda priùs occurrunt nonnulla, quæ de Erchenaldo, de Blidegisilo, de Iulio Cæsare & de Clodoueo Rege perperam commemorantur.

AVTHOR MVLTA PERPERAM SCRIBIT.

CII. Author, quem examinamus, legerat dubio procul Præceptum emissum à Clodouco Rege, sed Ducem Archenaldum siue Erchenaldum, cuius nomen ibi exprimebatur, malè interpretatus est Ducem Francorum seu Maiorem domûs Regiæ, *qui tunc Francorum Ducatui praerat, & omnia Palatina afficia sua moderamine procurabat*, illâ enim dignitate seu Maioratu Palatij cùm in Neustria tum in Burgundia tunc potiebatur Æganes, qui laudatur à Fredegario [a], Erchenaldus autem Ducis titulo insignis erat in aula regia & secundus ab Ægane, post cuius obitum assumptus fuit in Maiorem domûs à Clodoueo Rege vt ex eodem Fredegario [b] liquet.

DE ERCHENALDO.

[a] Cap. 80.

[b] Cap. 84.

CIII. Deinde Blidegisilus, qui, si fides est Anonymo, *à cunctis Primatibus totius Regni magnoperè diligebatur, vtpote qui propinquus & patrinus Regis dicebatur*, Clodouei Regis nec propinquus nec patrinus videtur fuisse, nam Clodoueus eum in suo Diplomate nec propinquum nec patrinum vocat, imò suspicio est hos titulos Erchinoaldo siue Erchenaldo attributos fuisse ac malè detortos ad Blidegisilum, Fredegarius [c] enim Erchinoaldum ita commendat. *Post discessum Ægana Erchinoaldus Maiordomûs, qui consanguineus fuerat de genere*, (vel *de genitrice* vt alij Codices habent) *Dagoberti, Maiordomûs Palatij Chlodouei efficitur.*

[c] Cap. 84.

CIV. Prætereà quæ de Iulio Cæsare scribit Anonymus, cùm situm & erectionem castri Fossatensis attingit, commentitia sunt, castrum enim Bagaudarum, quod

DE CASTRO BAGAVDARVM.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R.6. CLOD. II. R.1.

& Fossatense nuncupatur, vt Clodoueo Secundo Rege longè antiquius, ita & Iulio Cæsare longè recentius est. In narratione præcitata hæc habet Anonymus. *Erat his diebus quoddam vetus castellum non longè distans, sed quasi quatuor milliariis, à mœnibus Parisiacæ vrbis, à Iulio quondam Cæsare nobiliter constructum, antiquorum gentilium mœniis, fossatuúmque ac murorum propugnaculis circumcinctum, Maternâ fluuio permaximo telluris spatio sibi circumfluente firmatum, atque vallatum aquâ & muris vndique, vocitatum castrum Bagaudarum ab antiquis.* Et inferiùs eadem amplificat prolixâ digressione, in qua non tantùm de prædicti castri situ ac constructione, sed etiam de destructione, quam à Maximiano Herculio factam affirmat, fusè disserit hoc modo. *Cùm Iulius Cæsar totum Orbem Romano subiugasset Imperio, & nauali itinere ab vrbe Senonum vsque Meledunum castrum, indéque Parisius cum sibi familiaribus Romanis, vt ad Meldorum ciuitatem, siue ad reliquas vrbes adueniret, quæ aquarum fluminibus muniebantur, contigit eum transitum hinc habere, sicut in gestis Romanorum legitur. Et quia Romanis mos est, si in expeditione fuerint, non vltrà progredi hyemis tempore, sed residendo ibidem vsque ad vernum tempus hyemare, dum illic iamdictus Cæsar ageret iter peruium, videns positionem locorum, aquæ & insularum animatus delectatione, & pulchritudine loci firmissimi, statuit iusto consilio ibidem hyemare, fixísque tentoriis illic castrum condidit, murorum firmitatibus adornauit, profunditatibus quoque fossatuum ac propugnaculis, & omni munitione firmissimè munire studuit, quod etiam castrum Bagaudarum vocauit, nomine sumpto à custodibus, quos ibi deputauit. Vsque hodie etenim inueniuntur lapides magni optimo opere Romano quadrati, qui in fundamento ipsius ædificij tunc temporis fuerunt positi. Firmitas verò fluuij, quæ non hominis manu facta est, sed Dei virtute & gratiâ, ante secularia tempora ordinata, æstate & hyeme talis est & tanta, vt nec vadum nec transitum habeat nisi iuuamine pontis aut remigio nauis. A parte siquidem Orientis, Meridiei, & Septentrionis, ita illud idem fluuius circuit, vt cunctis illic commanentibus pro muro habeatur, & in illis impletum videatur quod in Exodo legitur, quia aquæ erant pro muro Israelitis à dextris & sinistris. Ad Occidentis verò partem, quæ Parisius respicit vrbem, antiquis paganorum, de quibus iam diximus, operibus ex petrosa terra ædificatus extat murus fortissimus cum altitudine magnorum fossatuum, qui ab aqua in aquam, id est, à parte Meridiei vsque ad Septentrionis plagam protendi videtur. Historiographus autem Orosius in ipsa Historia, quam de Ormesta mundi composuit, præscriptum castrum à Maximiano Herculio Imperatore solo tenus euersum, ac prorsus destructum asserit. Ideo videlicet, quia Amandus & Helianus Christianæ cultores fidei nolebant Romanis Principibus sacrilegis subdi. Idem etenim Maximianus collecto exercitu Romanorum, iunctâ sibi legione militum Thebæorum, appropiabat vt funditus destrueret castrum Bagaudarum. Qui iuga Alpium cum exercitu transiens, & circa Octodorum fessus residens, præcepit omnes ad fanatica sacrificia inuitare, & super sacra Deorum iurare, quòd pari animo contra Bagaudarum turbas pugnarent, ceteros verò Christianos alicubi repertos ab omnibus decreuit occidendos. Quod vbi ad aures peruenit Mauricij legionis Thebææ Ducis, iubere scilicet Cæsarem eos contra Christianos pugnatum iri, sibi dixit imperanti. Nos pugnare contra impios scimus, sed debellare pios & conciues penitus ignoramus. Tenemus ecce arma, & non resistimus, quia mori magis quàm occidere parati sumus. Sícque percussoribus læti ceruices præbuerunt, atque per tormenta corporum ad cœli gloriam peruenire meruerunt. Tunc Cæsar inde progrediens, atque ad Bagaudarum castrum perueniens, tam diu obsidione illud terrâ & aquâ circumdedit, quousque post diuturna tempora illud cum habitatoribus cepit, quos ferro & igne occidit. Castrum verò ad nihilum ita redegit, vt penè absque ruinis fossatuum, nulla vestigia in eo apparerent quarumcumque munitionum, scilicet vt quod inter alia castra fuerat tumens munitione Imperiali excellentiùs, ab Imperatore vtique Romano destrueretur altiùs. Habitatores quoque eiusdem castri, quia erant, vt prælibati sumus, Christiani, spernentes pro Dei amore curam corporum, ad regna cælestia transisse credendi sunt per Martyrium. Et licèt de eorum vita vel*

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

paßione scriptum non habeatur, tamen eorum memoria & nomina de libro vitæ minimè delebuntur. Libros Iulij Cæsaris de bello Gallico legimus attentissimè, nullum ibi verbum de castro Bagaudarum reperimus, nec miramur eà nos Iulij Cæsaris auctoritate destitutos esse, nomen enim Bagaudarum sub Diocletiano Augusto primùm audiri cœpit. *Diocletianus*, inquit Eusebius [a], *in consortem regni Herculium Maximianum assumit, qui rusticorum multitudine oppressâ, quæ factioni suæ Bacaudarum nomen indiderat, pacem Gallis reddidit.* Rem eandem paulò fusiùs explicuit Eutropius his verbis. *Diocletianus, cùm tumultum rustici in Gallia concitassent, & factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, Duces autem haberent Amandum & Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Herculeum Cæsarem misit, qui leuibus prælijs agrestes domuit, & pacem Galliæ reformauit.* Orosius [b] Eusebium & Eutropium sic expressit. *Dehinc* Diocletianus, *cùm in Gallia Amandus & Ælianus collectâ rusticanorum manu, quos Vacandas vocabant, perniciosos tumultus excitauissent, Maximianum cognomento Herculium Cæsarem fecit, misítque in Gallias, qui facilè agrestium hominum imperitam & confusam manum militari virtute compescuit.*

[a] In Chron.

[b] Lib. 7. c. 25.

Ex his nota multos errores in Anonymo. Iulius Cæsar nec castrum Bagaudarum extruxit, nec Bagaudarum nomen excogitauit quod eius æuo tribúsque pòst seculis & ampliùs ignotum fuit. Bagaudæ seu Bacaudæ vel Vacaudæ non à custodibus castri sed à rusticorum factione nomen sortiti sunt. Orosius non scripsit Bagaudarum Duces Amandum & Ælianum fuisse Christianos, & Religionis Christianæ zelo permotos à partibus Romanorum Principum defecisse. CV.

Præter hæc menda, quæ scriptis Eusebij, Eutropij & Orosij suprà citatis refelli possunt, tempus etiam & causam Martyrij, quod Thebæa legio subiit, malè designauit Anonymus, proculdubiò deceptus à deprauatis Agaunensium Martyrum Actis, in quibus hæc vulgò leguntur. *Diocletianus Romanæ Reipublicæ Princeps, cùm ad Imperium totius orbis fuisset electus, omnésque prouincias turbari quorundam præsumptione perspiceret, ad consortium Imperij vel laboris, olim sibi commilitonem Herculeum Maximianum Cæsarem fecit, eúmque contra Amandum & Ælianum, qui in Bagaudarum nomen præsumptione seruili arma commouerant, ad Gallias destinauit. Cui ad supplementum exercitûs, legionem Thebæam ex orientalibus militibus ire præcepit. Quæ legio sex millia sexcentos sexaginta sex viros, validis animis, & instructos armis, antiquorum Romanorum habebat exemplo. Hi igitur milites Christianæ Religionis ritum orientali traditione à Hierosolymitanæ vrbis Episcopo susceperant, fidémque sacram virtuti & armis omnibus præponebant. Ad vrbem quippe Romam itinere attingentes, eandem Christianitatis fidem, quam acceperant, apud Marcellinum prædictæ Romanæ vrbis Pontificem confirmauerunt, vt antè gladio interirent, quàm sacram fidem Christi, quam acceperant, violarent. Recepti igitur à Diocletiano Cæsare, iubentur vt post Maximianum Collegam iter, quod ceperant, ad Gallias tenderent. Maximianus Cæsar, vsu quidem militiæ bellis aptus, sed idolorum specialis cultor, ferus animo, auaritiâ crudelis, libidini deditus, cæterísque vitiis obsessus, Serenitatem Imperatoriam nimiâ crudelitate polluerat. In Galliam properans ad Alpium Pœninarum aditum venit. Transmeantibus iter Alpium, post arduam & horridam viam, subitò æqualis loci campestris occurrit & grata planicies. Quo in loco oppidum factum est, quod Octodorus nomen accepit, circa quod irrigua fluminibus prata, & agrorum fertilis cultura porrigitur, præcipuè deinde Rhodani fluminis validus cursus offertur. Transcensis igitur Alpibus Maximianus Cæsar Octodorum venit, ibíque sacrificaturus idolis suis conuenire exercitum iussit, atroci propositâ iussione, vt per aras dæmonibus consecratas iurarent, æqualibus sibi animis contra Bagaudarum turbas esse pugnandum; Christianos verò, velut inimicos diis suis, ab omnibus persequendos.* CVI. De tempore Martyrum Agaunensium.

Narrationem hanc inuenies in Actis Martyrum Agaunensium, quæ Surius publicauit, & ab Eucherio Lugdunensi quondam Episcopo in literas relata credidit. Non inficiamur Acta Martyrum Agaunensium conscripta fuisse ab CVII.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

Eucherio Episcopo Lugdunensi, sed ea, quæ Surius edidit, manuscriptique Codices plerarumque Ecclesiarum custodiunt, spuria esse atque sub falso Eucherij nomine venditata contendimus, nec alia probamus, quàm quæ Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato primus euulgauit ex Codice peruetusto Monasterij Condatescensis seu Iurensis, quod & olim nomen sancti Eugendi gessit, hodie verò Cœnobium sancti Claudij vocatur. Genuinam Eucherij lucubrationem agnoscimus, nec alienum à nostro instituto putamus integram describere, factâ enim collatione cum fragmento Suriano, quod suprà recitauimus infráque refellemus, meliùs intelliges quid discriminis inter vtrumque opus intercedat.

CVIII. *Passio Agaunensium Martyrum, Auctore S. Eucherio Lugdunensi Episcopo.*

CIX. *Sanctorum passionem Martyrum, qui Acaunum glorioso sanguine illustrant, pro honore gestorum, stylo explicamus, eâ vtique fide, quâ ad nos Martyrij ordo peruenit: nam per succedentium relationem, rei gestæ memoriam nondum intercepit obliuia: & si pro Martyribus singulis loca singula, quæ eos possident, vel singulæ vrbes insignes habentur (nec immeritò, quia pro Deo summo pretiosas Sancti animas refundunt) quantâ excolendus est reuerentiâ sacer ille Acaunensium locus, in quo tot pro Christo Martyrum millia ferro cæsa referuntur? Nunc iam ipsam beatissimæ passionis causam loquamur.*

ACTA MARTYRUM AGAUNENSIUM AUCTORE S. EUCHERIO EPISC. LUGDUNENSI.

CX. *Sub Maximiano, qui Romanæ Reipublicæ cum Diocletiano Collega Imperium tenuit, per diuersas ferè prouincias laniati aut interfecti Martyres populi. Idem namque Maximianus, sicut auaritiâ, libidine, crudelitate cæterísque vitiis obsessus furebat, ita etiam execrandis Gentilium ritibus deditus, & erga Deum cæli profanus, impietatem suam ad exstinguendum Christianitatis nomen armauerat: si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis vsquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur: ac velut vacatione barbaris gentibus datâ, prorsus in Religionem arma commouerat. Erat eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur: legio autem vocabatur, quæ tunc sex mille ac sexcentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui, & virtute nobiles, sed nobiliores fide, erga Imperatorem fortitudine, erga Christum deuotione certabant. Euangelici præcepti etiam sub armis non immemores, reddebant quæ Dei erant Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari restituebant. Itaque cùm hi, sicut & cæteri militum, ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque huiusmodi præceptis se obtemperaturòs negarunt. Maximianus non longè aberat, nam se circa Octodorum itinere fessus tenebat, vbi cùm ei per nuncios delatum esset, legionem hanc aduersùs mandata regia rebellem in Acaunensibus angustiis substitisse, in furorem instinctu indignationis exarsit. Sed mihi, priusquàm reliqua commemorem, situs loci eius relationi inserendus videtur. Acaunus sexaginta fermè millibus à Genauensi vrbe abest, quatuordecim verò millibus distat à capite Lemanni lacûs, quem influit Rhodanus. Locus ipse iam inter Alpina iuga in valle situs est; ad quem pergentibus difficili transitu asperum atque artum iter panditur. Infestus namque Rhodanus saxosi montis radicibus vix peruium viantibus aggerem relinquit. Euictis transmissísque angustiarum faucibus, subitò nec exiguus inter montium rupes campus aperitur. In hoc legio sancta consederat. Igitur sicut suprà diximus, cognito Maximianus Thebæorum responso, præcipiti irâ feruidus; ob neglecta imperia, decimum quemque ex eadem legione gladio feriri iubet, quò faciliùs cæteri regiis præceptis, territi metu cederent: redintegratísque mandatis edicit, vt reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Vbi verò ad Thebæos denunciatio iterata peruenit, cognitúmque ab eis est, iniungi sibi rursum executiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium, nunquam se vlli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros: idolorum se profana semper detestatos, Christianis se imbutos sacris, & diuinæ Religionis cultu institutos, vnum sanctæ Trinitatis Deum colere: extrema experiri satius esse, quàm aduersùm Christianam fidem venire. His deinde compertis Maximianus omni bellua cruentior, rursus*

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

ad ingenij sui sæuitiam redit, atque imperat vt iterum decimus eorum morti detur, cæteri nihilo minùs ad hæc, quæ spernerent, compellerentur. Quibus iussis denuò in castra perlatis, segregatus atque percussus est, qui decimus sorte obuenerat: reliqua verò s: militum multitudo mutuo sermone instigabat, vt in tam præclaro opere persisterent. Incitamentum tamen maximum fidei in illo tempore penes sanctum Mauricium fuit, Primicerium tunc, sicut traditur, legionis eius, qui cum Exuperio (vt in exercitu appellant) Campidoctore, & Candido Senatore, militum accendebat, exhortando singulos & monendo, fidem; commilitonum etiam Martyrum exempla ingerens, pro sacramento Christi, pro diuinis legibus; (si ita necessitas ferret) omnibus moriendum suadebat, sequendósque admonebat socios illos, & contubernales suos, qui iam in cælum præcesserant; flagrabat enim iam tunc in beatissimis viris gloriosus ardor. His itaque primoribus suis atque auctoribus animati, Maximiano insaniá adhuc æstuanti mandata mittunt, sicut pia, ita & fortia, quæ feruntur fuisse in hunc modum.

CXI. *Milites sumus, Imperator, tui: sed tamen serui, quod liberè confitemur, Dei: tibi militiam debemus, illi innocentiam: à te stipendium laboris accepimus, ab illo vitæ exordium sumpsimus: sequi Imperatorem in hoc nequaquam possumus, vt auctorem negemus, Deum vtique auctorem nostrum, Deum auctorem (velis, nolis) tuum. Si non in tam funesta compellimur, vt hunc offendamus, tibi, vt fecimus hactenus, adhuc parebimus: sin aliter, illi parebimus potiùs quàm tibi: offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus: dextera ista pugnare aduersùm impios atque inimicos sciunt; laniare pios & ciues nesciunt: meminimus nos pro ciuibus potiùs quam aduersùs ciues arma sumpsisse: pugnauimus semper pro iustitia, pro pietate, pro innocentium salute: hæc fuerunt hactenus nobis pretia periculorum: pugnauimus pro fide, quam quo pacto conseruauimus tibi, si hanc Deo nostro non exhibemus? Iurauimus primùm in sacramenta diuina; iurauimus deinde in sacramenta regia: nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus: Christianos ad pœnam per nos requiri iubes: iam tibi ex hoc alij requirendi non sunt: habes hîc nos confitentes Deum Patrem, auctorem omnium, & filium eius Iesum Christum, & Spiritum Sanctum. Vidimus laborum periculorúmque nostrorum socios, nobis quoque sanguine aspersis trucidari ferro, & tamen sanctissimorum commilitonum mortes & fratrum funera non fleuimus, non doluimus, sed potiùs laudauimus, & gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti sunt pati pro Domino Deo eorum: & nunc non nos vel hæc vltima vitæ necessitas in rebellionem coegit, non nos aduersùm te (Imperator) armauit ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis desperatio: tenemus ecce arma, & non resistimus, quia mori quàm occidere satiùs malumus, & innocentes interire, quàm noxij viuere præoptamus: si quid in nos vltrà statueris, si quid adhuc iusseris, si quid admoueris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus. Christianos nos fatemur, persequi Christianos non possumus.*

CXII. *Cùm hæc talia Maximianus audisset, obstinatósque in fide Christi cerneret animos virorum, desperans gloriosam eorum constantiam posse reuocari, vnâ sententiâ interfici omnes decreuit; & rem confici circumfusis militum agminibus iubet: qui cùm missi ad beatissimam legionem venissent, stringunt in Sanctos impium ferrum, mori non recusantes vitæ amore. Cædebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltem aut repugnantes; sed depositis armis ceruices persecutoribus præbentes, & iugulum percussoribus, vel intectum corpus offerentes. Non vel ipsâ suorum multitudine, non armorum munitione elati sunt, vt ferro conarentur asserere iustitiæ causam: sed hoc solùm reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum: ipsi quoque, tanquam grex Dominicus ouium, laniari se tanquam ab inruentibus lupis passi sunt.*

CXIII. *Operta est terra illic procumbentibus in mortem corporibus piorum: fluxerunt pretiosi sanguinis riui. Quæ vnquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit? quæ feritas ex sententia sua tot simul perire vel reos iussit? ne iusti punirentur, multitudo non obtinuit, cùm inultum esse soleat quod multitudo delin-*

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

quit. Hæc igitur crudelitate immanissimi tyranni confectus est ille Sanctorum populus, qui contempsit rem præsentium ob spem futurorum: sic interfecta est illa planè Angelica legio, quæ (vt credimus) cum illis Angelorum legionibus iam conlaudat semper in cælis Dominum Deum Sabaoth.

CXIV. *Victor autem Martyr nec legionis eiusdem fuit, neque miles, sed emeritæ iam militiæ veteranus. Hic cùm iter agens subitò incidisset in hos, qui passim epulabantur læti Martyrum spoliis, atque ab his ad conuescendum inuitatus prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognouisset, detestatus conuiuas, detestatúsque conuiuium, refugiebat: requirentibúsque ne & ipse forsitan Christianus esset, Christianum se & semper futurum esse respondit, ac statim ab inruentibus interfectus est; cæterísque Martyribus in eodem loco, sicut morte, ita etiam honore coniunctus est. Hæc nobis tantùm de numero illo Martyrum comperta sunt nomina, id est, beatissimorum, Mauricij, Exuperij, Candidi atque Victoris: cætera verò nobis quidem incognita, sed in libro vitæ scripta sunt. Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam illi Martyres, Vrsus & Victor, quos Salodoro passos fama confirmat. Salodorum verò castrum est supra Arulam flumen, neque longè à Rheno positum.*

CXV. *Operæ pretium est etiam illud indicare, qui deinde Maximianum trucem tyrannum exitus consecutus sit. Cùm dispositis insidiis genero suo Constantino tunc regnum tenenti mortem moliretur, deprehenso dolo eius, apud Massiliam captus, nec multò pòst strangulatus, teterrimóque hoc supplicio affectus impiam vitam dignâ morte finiuit. At verò beatissimorum Acaunensium Martyrum corpora, post multos passionis annos, Sancto Theodoro eiusdem loci Episcopo reuelata traduntur, in quorum honorem cùm extrueretur Basilica, quæ vastæ nunc adiuncta rupi, vno tantùm latere adclinis iacet, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putaui. Accidit vt inter reliquos artifices, qui inuitati conuenisse ad illud opus videbantur, quidam adesset faber, quem adhuc Gentilem esse constaret: hic cùm Dominico die, quo cæteri ad exspectanda diei illius festa discesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto se subitò clarâ luce manifestantibus Sanctis, hic idem faber rapitur, atque ad pœnam vel supplicia distenditur, & visibiliter turbam Martyrum cernens, verberatus etiam & increpatus, quòd vel die Dominico Ecclesiæ solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere Gentilis auderet. Quod adeò misericorditer à Sanctis factum constitit, vt faber ille consternatus & territus salutare sibi nomen poposcerit, statímque Christianus effectus sit. Neque illud in Sanctorum miraculis prætermittam, quod perinde clarum atque omnibus notum est. Mater-familias Quinti, egregij atque honorati viri, cùm ita paralysi fuisset obstricta, vt ei etiam pedum vsus negaretur, à viro suo, vt Acaunum per multum itineris spatium deferretur, poposcit. Quò cùm peruenisset, Sanctorum Martyrum Basilicæ, famulantium manibus inlata, pedibus ad diuersorium rediit, ac sanitati de præmortuis restituta membris nunc miraculum suum ipsa circumfert. Hæc duo tantùm mira passioni Sanctorum inserenda credidi: cæterùm satis multa sunt, quæ vel in purgatione dæmonum, vel in reliquis curationibus quotidie illic per Sanctos suos Domini virtus operatur.*

CXVI. *Explicit passio, quæ obseruatur die decimo Kalendas Octobris.*

CXVII. In genuino illo Eucherij Lugdunensis opere nihil occurrit, quod indigere videatur emendatione, secus censendum de fragmento Suriano, quod examinandum suscepimus, descripsimúsque suprà.

CXVIII. Pseudo-Eucherius siue Eucherius Surianus sibi non constat, cùm Thebæorum militum Passionem ad Marcellini Pontificatum & ad Maximiani profectionem in Galliam aduersùs Bagaudas refert, Eusebius enim in suo Chronico à Bagaudarum tumultu, quem Maximianus in Gallia compescuit, ad Marcellini Præsulatum interstitium decem annorum agnoscit. Agonem Thebæorum militum in tempora Marcellini Papæ reiiciendum existimamus, hanc opinionem iam amplexus est Ioannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter [a] in eruditissimo commentario, quem de rebus à Constantino Magno præclarè gestis edidit. Bagaudarum autem Marcellinique Papæ nulla mentio fit apud Eucherium ex Codice Iurensi suprà descriptum.

DISSIDENT A SVRIANIS.

[a] Part. 2. cap. 5.

Deinde

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

nentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, vel reliquæ nationes sub tuo regimine & gubernatione degant. Romanos interpretare potissimùm Aquitanos, qui Romano iure sub Wisigothis etiam Regibus vtebantur, priusquàm in potestatem Francorum Alarico victo deuenirent, iisdémque posteà Legibus vsi sunt, annuentibus Francis, quorum Leges, quæ Salicæ vocabantur, cis Ligerim custodiebantur, ita tamen vt in Salicis Prouinciis sicut & in Burgundicis plerique degerent, quibus ex Regio Priuilegio liberum erat vti Romano iure.

LXXXIV. Hæc sufficiant de Legibus, quas Dagobertus in melius transtulit operâ illustrium virorum, Claudij, Chadi, Indomagi & Agilulfi, quorum vltimum Velserus ex Agilolfingorum stirpe ortum suspicatur ob affinem nominis originem, Velsetóque suffragantur Brunnerus [a] & Adlzreitterus [b].

[a] Lib. 5. n. 4.
[b] P. 1. lib. 6. n. 31.

LXXXV. DAGOBERTI ÆTAS, LIBERI. Vixit Dagobertus annos circiter triginta-quinque, duos tantùm reliquit filios, Sigibertum & Clodoueum minorennes. Hos Gesta [c] Regum Francorum natos faciunt ex Nanthilde Regina, sed ex Fredegario [d], ex Gestis [e] Dagoberti, & ex Aimoino [f] constat Sigiberto natu maiori Ragnetrudem, Clodoueo natu minori Nanthildem matrem fuisse. Quod attinet ad Chronologiam, Fredegarius [g] annum, quo Dagobertus obiit, in suo Chronico sic designat. *Anno* XVI. *Regni sui Dagobertus profluuio ventris in Spinogelo villa super Segona fluuio, nec procul à Parisius, ægrotare cœpit; exinde ad Basilicam Sancti Dionysij à suis defertur. Post paucos dies cùm sua vita sentiret periculum, Æganem sub celeritate ad se venire præcepit, se iam discessurum sentiens, Reginam Nanthildem & filium suum Chlodoueum eidem in manu commendans, consilium Ægana pergratum habens, quòd cum eius instantia Regnum strenuè gubernare possit. His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum.* Et Aimoinus [h] sic in Historia Francorum. *Inclytus Rex Francorum Dagobertus annis* XVI. *gloriosâ functus Regni administratione, Spinogilo villâ super flumen Sequana sitâ, haud procul à Parisius, constitutus, profluuio ventris laborare cœpit. Indéque obsequentium manibus ad Basilicam Sancti Dionysij delatus, dum se incommodo vltimæ ægritudinis ad mortem vrgeri intellexisset, Egam Consiliarium suum summa cum celeritate ad se venire mandauit. Séque discessurum è præsenti seculo intimans, vxorem suam Nanthildem ac filium Clodoueum eius tuitioni commisit, & vt secundùm prudentiam sibi à Deo concessam filium enutriret, piéque Regnum disponeret, ammonuit. Ceteris etiam Optimatibus ac Pontificibus Neustriæ ac Burgundiæ accersitis, filio eos, eísque filium commendans,* XIV. *Kal. February, diem clausit extremum.* In Codice Seguieriano, quem superioribus Tomis non semel citauimus, Aimoinus annum Incarnationis Dominicæ sic addit. XIV. *Kal. Februarij, anno Incarnationis Dominicæ* DCXL. *diem clausit extremum.* Annum exhibet Incarnationis Dominicæ quadragesimum supra sexcentesimum, quia Dagoberto post Clotarij patris obitum annos attribuit in Principatu sexdecim, & ipsius Clotarij mortem refert *anno Incarnati Verbi* DCXXIIII. At sexdecim anni Principatûs Dagobertini debent numerari non à die quo Dagobertus in Neustriam & Burgundiam Clotario patri successit, sed à die quo Rex Austriæ primùm à Clotario patre constitutus est, & Clotarius ex hac vita discessit anno Incarnati Verbi non DCXXIIII. sed DCXXVIII. Lege quæ dicta sunt à nobis ad illum annum [i]. Tunc enim in Chronologiam Aimoinianam, quatenus ad annos Incarnationis Dominicæ spectat, sedulò inquisiuimus initio disputationis à morte Clodouei Primi repetito. Totum dissidium paucis ob oculos iterum ponemus. Aimoinus sub finem libri primi, Clodoueum defunctum ait *anno Incarnati Verbi* DVI. Sub finem libri secundi, scribit Clotarium Clodouei filium *per quinquaginta & vnum annos* regnasse. Libro tertio, Chilpericum Clotarij filium mortuum affirmat *anno Regni sui* XXIII. *Incarnationis autem Dominicæ circiter* DLXXX. Libro quarto, Clotarium Chilperici filium è viuis sublatum asserit *anno paterni Regni* XLIV. *Incarnati verò Verbi* DCXXIIII. Mortem Clodouei collocat integro quinquennio citiùs quàm par est, & quia Clotarij Principatum, quem anno quinquagesimo claudimus, ad annum vsque quinquagesi-

[c] Cap. 42.
[d] Capp. 59. 78.
[e] Cap. 24.
[f] Lib. 4. capp. 20. 27.
[g] Cap. 79.
[h] Lib. 4. cap. 34.
[i] Num. 6.

AN. CH. 638.
SIGIB. III. R. 6.
CLOD. II. R. 1.

mum-primum prorogat, quadriennio duntaxat à nobis dissidet in obitu tum eiusdem Clotarij cum Chilperici filij ac Clotarij nepotis seu Iunioris. Regnum autem Dagobertinum sexdecim annorum periodo circumscribit, sed eius initium, quod iuxta Fredegarium ab anno Clotarij Regis XXXIX. repetendum est, ducit ab eiusdem Clotarij Regis obitu, vnde fit, vt qui præcedentium Regum mortem citiùs quàm oportet anteà retulit, obitum Dagoberti setiùs differat.

LXXXVI.
SIGIBERTVS R. AVSTRIÆ.

Sigibertus, cùm Dagobertum patrem amisit, octauum ætatis annum, Regni quintum explebat. Ditiones Austrasiani Regni, quas *Ardenna & Vosagus versùs Neuster & Burgundiam excludebant*, & Dagobertus pater in sua potestate semper retinuerat, post eius obitum recepit, vt post Clodouei fratris ortum ante aliquot annos conuentum fuerat. Inter populos Transligeritanos, qui Regibus Austrasiæ parere consueuerant, erant Cadurci, quorum Antistes Desiderius [a] has literas Episcopo dignissimas, auditâ Dagoberti morte, Sigiberto statim direxit.

[a] Ep. 3.

LITERAS ACCIPIT A DESID. EP. CADVRC.

Domino Gloriosissimo, triumphali palmate coronato, sanctæ Catholicæ Ecclesiæ filio, Sigiberto Regi seruus vester Desiderius Cadurcæ vrbis Episcopus. Dum & contigit de præcelso domno nostro genitore vestro, quod nec pietati vestræ tam citò fuerat optabile. Vos, reuerentissime Domine, tam de nos seruos vestros, quàm & de cunctos fideles integram dignamini habere mercedem, ut quos genitor vester piè enutriuit, vester rigor æquanimiter portet. Et dum vos Deus Omnipotens suâ pietate in Regni solio sublimauit, & tantum vobis dedit prudentiæ intellectum, præsumimus commonere Celsitudinem Gloriæ vestræ, ut semper Protectoris vestri memoriam intimiore corde retineatis. Semper cogitetis, quid post Regni sceptra futuri estis, & ad qualem remunerationem pro operum qualitate venietis. Nos pro epistola parcitate te modicum quid monuimus. Vos taliter in omni opere, in omni causa, in omni iudicio vosmetipsos exhibete, vt quando perfidi Reges cum iniquis damnantur, vos pro bonis operibus æternam remunerationem percipiatis.

LXXXVII.
CLODOVEVS R. NEVSTR. ET BVRGVND.

Clodoueus annum ætatis quartum agebat. Dagoberto patri successit in Neustriam & in Burgundiam, Ducatu Denteleni, quem Austrasij aliquando Neustrasiis eripuerant, Neustriæ iterum attributo. *Post Dagoberti discessum*, inquit Fredegarius [b], *filius suus Chlodoueus sub tenera ætate Regnum patris adsciuit. Omnes Leudes de Neuster & Burgundia eum Massolaco villâ sublimant in Regnum. Æga verò cum Regina Nanthilde, quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium. Æga verò anno primo regni Chlodouei, imminente secundo eiusdem regni anno, condignè Palatium gubernat & regnum.* Huius textus posteriorem partem Hadrianus Valesius in præfatione ad secundum Tomum rerum Francicarum ita reponendam censet ex Codice Iacobi Sirmondi. *Æga verò cum Regina Nanthilde, quam Dagobertus reliquerat, anno primo regni Chlodouei, secundo, & imminente tertio eiusdem regni anno condignè Palatium gubernat & Regnum.* Nobis non arridet noua lectio, quia Fredegarius capite octogesimo-tertio descriptionem rerum anno Clodouei Regis tertio gestarum aggreditur. In Fredegario nihil corrigendum putamus. Caput septuagesimum-nonum, quo Dagobertus in morbum incidit, Clodoueum filium Nanthildi vxori, & Ægani siue Ægæ commendat, ac paulò pòst obit, rectè clauditur his verbis. *Post Dagoberti discessum, filius suus Chlodoueus sub tenera ætate Regnum patris adsciuit. Omnes Leudes de Neuster & Burgundia eum Massolaco villâ sublimant in regnum. Æga verò cum Regina Nanthilde, quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium.* Deinde toto capite octogesimo Æga siue Æganes ita commendatur. *Æga verò anno primo regni Chlodouei, imminente secundo eiusdem regni anno, condignè Palatium gubernat & Regnum. Ipse namque inter ceteros Primates Neptrici prudentiùs agens, & plenitudine sapientiæ imbutus, cunctis erat præcellentior. Erátque genere nobili, opibus abundans, iustitiam sectans, eruditus in verbis, paratus in responsis; tantummodò à plurimis blasphematur, eò quòd esset auaritiæ deditus. Facultates plurimorum, quæ iussu Dagoberti in Regno Burgundiæ & Neptrico inlicitè fuerant vsurpatæ, & fisci ditionibus contra modum iustitiæ redactæ, consilio Æganis omnibus restaurantur.* Annus autem Clodouei Regis pri-

[b] Capp. 79. 80.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

mus & secundus imminens coniunguntur, quia ex stylo Fredegarij, apud quem reliqua pars anni, quo quis regnare cœpit, primum annum regni constituit, & secundus annus à Kalendis Martij proximè sequentibus inchoatur, annus primus Clodouei Regis constat diebus duntaxat vno & quadraginta. Idcircò huic anno, Christi sexcentesimo duodequadragesimo, non tantùm primum Clodouei Regis annum, sed & secundum illigamus, cuius decem primi menses cum eodem anno comparantur, & vt communis etiam denotetur supputatio, quâ reliquis Authoribus primus Clodouei Regis annus is est qui Fredegario secundus, alium addimus numerum, qui primum duntaxat annum Clodouei Regis cum anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo componit.

LXXXVIII. PIPINVS REDIT IN AVSTRIAM.

Pipinus Maiordomûs aliíque Primates Austrasiæ, quos Dagobertus apud se retinuerat, post eius obitum in patriam statim redierunt. Quid secutum sit, ita describit Fredegarius [a]. *Cùm Pipinus Maiordomûs post Dagoberti obitum, & ceteri Duces Austrasiorum, qui vsque in transitu Dagoberti suæ fuerant ditioni retenti, Sigibertum vnanimi conspiratione expetissent, Pipinus cum Chuniberto, sicut & priùs, amicitiæ cultu in inuicem conlocati fuerant, & nuper sicut & priùs amicitiâ vehementer se firmiter in perpetuo conseruandâ obligant, omnésque Leudes Austrasiorum secum vterque prudenter & cum dulcedine adtrahentes, eos benignè gubernantes, eorum amicitiam constringunt sempérque seruandam. Igitur discurrentibus Legatis, partem Sigiberto debitam de thesauris Dagoberti, à Nanthilde Regina & Chlodoueo Rege ad Sigibertum requiritur. Ad quod reddendum placitus instituitur. Chunibertus Pontifex vrbis Coloniæ, & Pipinus Maiordomûs, cum aliquibus Primatibus Austrasiæ à Sigiberto directi Compendium villam vsque perueniunt, ibíque thesaurus Dagoberti, iubente Nanthilde & Chlodoueo, instantiâ Æganæ Maiorisdomûs præsentatur, & æquilanciâ diuiditur. Tertiam tamen partem, de quibus Dagobertus adquæsierat, Nanthildis Regina receperat. Chunibertus & Pipinus hunc thesaurum, quæ pars fuit Sigiberti, Mettis faciunt perducere, Sigiberto præsentare, & describere.*

[a] Cap. 85.

THESAVRVS DAGOBERTI DIVIDITVR.

LXXXIX. VIRO EPISCOPVS IN MAGNA VENERATIONE APVD PIPINVM.

Laudatur Pipinus, quia Witonem Episcopum habuit in tanta veneratione, vt *tanquam Præsuli anima sua vitaque patrono propter eximiam sanctitatem sua illi peccata confiteri solitus sit, nec erubuerit ad faciendam confeßionem detractis calceis eum adire, eiusque oris imperio parere.* Hæc leguntur in Actis sancti Wironis, quorum reliquam epitomen ex editione Suriana [b] sic accipe. *Scotia fertilis sanctorum virorum Insula, produxit beatum Wironem, non infimæ sanè conditionis parentibus ortum. Ecclesia regionis illius Pastore orbata fuit. Vno omnes animo Wironem sibi Pastorem deposcunt. Erat verò eius Insulæ consuetudo, vt primò eligerent incolæ Episcopum, deinde electum Romam mitterent, Summi Pontificis manibus consecrandum, atque ita demum rediturum ad Sedem suam. Itaque licèt multùm refragaretur sanctus Wiro, non tamen à sua sententia discesit plebs fidelis, sed etiam inuitum illum eligens compulit tandem assentiri. Abit igitur Romam, non terrenæ dignitatis ambitione, sed diu cupitæ peregrinationis desiderio impulsus. Comes autem illi & itineris & voti accedit Plechelmus Sacerdos, virtute venerabilis, nec ætate maior, nec meritis multò minor. Cùm autem per Angliam iter facerent, diuinitus illis adiunctus est Otgerus Leuita, qui præ feruenti cælestis patriæ desiderio terrena contemnens beato viro adhæsit. Tum verò iter optatum securiùs vir Sanctus cum sociis prosequens, prospero cursu mare emensus Romam peruenit. Vbi autem Romanus Pontifex eos aduenisse cognouit, beatum Wironem ad se acciuit. Ille primò exposuit causam aduentûs sui, & cur à suæ regionis hominibus missus sit, deinde animi sui votum tantæ Sanctitatis Pontifici expromens, eius pedibus aduolutus, quantâ potest instantiâ petit, vt suum velit præbere assensum. At Pontifex nihil motus eius precibus, populo Dei potiùs consulere voluit, & eius electioni suffragari. Inuitum igitur diúque reluctantem Episcopum illum ordinat, eundem honorem etiam impertiens Plechelmo Sancti viri socio, ambósque complexus, multis auctos muneribus, remisit in patriam, suâ authoritate præcipiens*

[b] d. 8. Maii.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R 1.

CVM PLECHELMO ET OTGERO.

beato Wironi, ne se vlli peregrinationi daret, donec esset reuersus ad suos. Cuius præcepto vir Sanctus obtemperans, repetit Alpium iuga, & traiecto demum mari, in patriam incolumis peruenit. Claruit inde bonorum operum & optimæ conuersationis egregiis exemplis. Et quamuis non segniter vitæ semina spargeret in populos, manebat tamen semper illi peregrè proficiscendi desiderium. Oblatâ opportunitate rursus assumens Plechelmum Coepiscopum & Otgerum Diaconum valdè religiosum, iter aggressus est. Peragratis autem vicinarum regionum finibus, ad mare Gallicum peruenit, ibique nauem offendens, prospero cursu sulcans maris furentis vndas, in oppositum euasit litus. Porrò vlteriùs proficiscens venit in Franciam, & à Pipino Duce Francorum, cùm is didicisset Wironem & Plechelmum insignes viros, in regno Franciæ peregrinari velle, illorúmque Sanctitate totam patriam illustratam, celeriter accitus est, & vnà cum sociis honorificè susceptus. Cognitâ inde causâ aduentûs sui beatum Wironem mox inter suos habere voluit, quem omnes inprimis colerent ac revererentur, eiúsque Sanctitati se suósque commendans, summâ veneratione vt patronum illum prosecutus est. Locum etiam à mundi strepitu & turbis remotum illi attribuit, quò liberiùs cum suis illic posset rerum cælestium contemplationi vacare. Is locus vulgò Mons Petri dictus est, in quo Oratorium in honorem beatissimæ & perpetuæ Virginis Mariæ constructum & consecratum est, itémque Sancti Petri Monasterium præclaro opere, quod vsque in præsens perdurat. In hunc ergo locum, qualem diu concupierat, vir Sanctus ingressus, se suósque multis imitandos exhibuit.

Historia illa legitur etiam in Officiis propriis Ecclesiæ Cathedralis Ruremundanæ *, quæ concinnata sunt ab Henrico Cuquio Episcopo illius loci, vt testatur Miræus in Fastis Belgicis ad dies Natales Sanctorum Wironis & Plechelmi Pontificum & Otgeri Diaconi.

* *Ruremonde.*

XC. Aduersùs Acta sancti Wironis producitur Marcellinus Presbyter, qui sanctos Wironem, Plechelmum & Orgerum vixisse multò seriùs, & Vltraiectinæ Synodo, quam in annum Christi septingentesimum secundum reiiciemus, cum sanctis Episcopis Willebrordo & Swiberto interfuisse sic testatur in vita sancti Swiberti. *Animaduertentes præfati sancti Pontifices*, Willebrordus & Swibertus, *& egregij prædicatores, qui cum eis ex Anglia venerunt Traiectum *, quòd multus populus, Deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conuersus esset, conuocatâ Synodo in nouella Ecclesia Traiectensi, decreuerunt more Apostolorum & discipulorum Christi in diuersas circumiacentes barbaricas nationes præstantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipsis fidem Christi. Erant autem eo tempore in eadem primitiua Ecclesia Traiectensi Apostolici Pontifices & Canonici egregij prædicatores, qui Sanctum Swibertum Episcopum cum Sanctis Ewaldis sequentes, constanter Christum gentibus prædicauerunt; vtpote Sanctus Winfridus Sacerdos, qui postquàm tredecim annos in Ecclesia Traiectensi vt Canonicus degisset, Archiepiscopus Maguntinensis consecratur & Bonifacius appellatur, qui post obitum Sancti Willebrordi Episcopi Traiectensis rediens, secundus Archiepiscopus Traiectensis ordinatur, qui postquàm decem & sex annis per Frisiam prædicasset, Martyrio in Frisia coronatur cum suis; similiter Sanctus Wiro Episcopus Deirorum; Sanctus Plechelmus Episcopus de Massa candida, vel, secundùm Bedam, Candidâ casâ; Sanctus Otgerus Leuita, cum plerisque aliis gloriosis Sacerdotibus & prædicatoribus. Cui Sancta Synodo præfuerunt Sancti Willebrordus & Swibertus Antistites constantiores, in qua conclusum & diffinitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei.*

* *Vtrech.*

XCI. Hic autem textus Marcellini, longâ interpolatione, quâ Winfridus, Wiro, Plechelmus & Otgerus commendantur, auctus est à quopiam rerum Chronologicarum parum gnaro, sicque restitui debet. *Animaduertentes præfati Sancti Pontifices & egregij prædicatores, qui cum eis ex Anglia venerunt Traiectum, quòd multus populus, Deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conuersus esset, conuocatâ Synodo in nouella Ecclesia Traiectensi, decreuerunt more Apostolorum & discipulorum Christi in diuersas circumiacentes barbaricas nationes præstantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipsis fidem Christi. Cui Sancta Synodo præ-*

fuerunt Sancti Willebrordus & Swibertus Antistites constantiores, in qua conclusum & diffinitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent Verbum Dei. Winfridus Vltraiectinæ Synodo non interfuit. Seriùs enim in Germaniam venit Pippino Heristallio, Pippini Landensis, de quo nunc loquimur, ex Begga filia nepote iam mortuo, vt suo loco narrabimus ex eius vita. Hic verò nobis inquirendum est de Witone, Plechelmo & Otgero.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1. XCII.

AN EPISCOPVS DEIRORVM?

Wiro, vt ex eius Actis suprà citatis patet, Episcopatum gessit in Hibernia. Malè ab Interpolatore Marcellini vocatur *Episcopus Deirorum*, Pontificatum enim Deirorum, id est, Eboracensem, numquam obtinuit. Vt autem ea res tibi clarior fiat, damus catalogum Eboracensium Antistitum ex Historia Bedæ concinnatum à prima Nordamhumbrorum conuersione vsque ad annum Christi septingentesimum tricesimum-primum. *Gens* [a] *Nordanhumbrorum, hoc est, ea natio Anglorum, quæ ad Aquilonarem Humbri fluminis ripam habitat, cum Rege suo Eduino verbum fidei, prædicante Paulino, suscepit. Huic autem genti occasio fuit percipiendæ fidei, quod præfatus Rex eius, cognatione iunctus est Regibus Cantuariorum, acceptâ in coniugem Edelburgâ filiâ Edelberthi Regis, quæ alio nomine Tate vocabatur. Huius consortium cùm primò ipse, missis procis, à fratre eius Eadbaldo, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret, responsum est, non esse licitum Christianam virginem pagano in coniugium dari, ne fides & sacramenta cælestis Regis, consortio profanarentur Regis qui veri Dei cultûs esset prorsus ignarus. Quæ dum Eduino verbo nuntij referrent, promisit se nihil omnibus modis contrarium Christianæ fidei, quam virgo colebat, esse facturum, quin potiùs permissurum, vt fidem cultúmque suæ religionis cum omnibus, qui secum venissent, viris siue fœminis, Sacerdotibus seu ministris more Christiano seruaret. Neque abnegauit se etiam eandem subiturum esse religionem, si tamen examinata à prudentibus sanctior ac Deo dignior posset inueniri. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, & iuxta quod dispositum fuerat ordinatur Episcopus vir Deo dilectus Paulinus, qui cum illa veniret, eámque & comites eius, ne paganorum possent societate pollui, quotidianâ exhortatione & sacramentorum cælestium celebratione confirmauit. Ordinatus est autem Paulinus Episcopus à Iusto Archiepiscopo sub die duodecima Kal. Augustarum, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo-quinto.* Dies erat Dominicus currente literâ Dominicali F. Eduinus suscepto pòst baptismo se Christianum professus est. Nonnullis enim interiectis sic prosequitur Beda [b]. *Accepit Rex Eduinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem & lauacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui vndecimo, qui est annus Dominicæ Incarnationis sexcentesimus vicesimus-septimus, ab aduentu verò Anglorum in Britanniam annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eboraci die sancto Paschæ pridie Iduum Aprilium in Ecclesia sancti Petri Apostoli, quam ibidem ipse de ligno, cùm catechizaretur atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit. In qua etiam ciuitate ipsi doctori atque Antistiti suo Sedem Episcopatûs donauit.* Atque hoc initium fuit Episcopatûs Eboracensis *, qui totum Regnum Nordanhumbrorum complectebatur. Hoc autem Regnum diuidebatur in duas Prouincias, quarum altera Deirorum erat, altera Berniciorum, illa meridionalis, hæc septentrionalis, vt constat ex eodem Beda [c], qui de *Oswin* Rege Deirorum & *Oswini* Rege Berniciorum ita loquitur. *Habuit Oswin primis regni sui temporibus consortem regiæ dignitatis vocabulo Oswini de stirpe Regis Eduini, hoc est, filium Osrici, virum eximiæ pietatis & religionis, qui prouincia Deirorum septem annis in maxima omnium rerum affluentia & ipse amabilis omnibus præfuit. Sed nec cum eo ille, qui ceteram Transhumbranæ gentis partem ab Aquilone, id est, Berniciorum prouinciam regebat, habere pacem potuit.* Ceterùm Eduinus, qui primus è Nordanhumbrorum Regibus Christianam Religionem amplexus est, post annos sex à suscepto baptismo desideratus est in prælio contra Carduellam Regem Britonum. Qua de clade, quæ Christianos in Northumbria plurimùm afflixit, sic idem Auctor [d]. *Occisus est Eduinus die quartâ Iduum Octobris, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo-tertio. Turbatis rebus*

[a] Beda l. 2. c. 9.

[b] Lib. 2. c. 14.

* d'Yorck.

[c] Lib. 3. cap. 14.

[d] Lib. 2. c. 20.

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

Nordanhumbrorum huius articulo cladis, cùm nihil alicubi præsidij nisi in fuga esse videretur, Paulinus assumptâ secum Edelburgâ Reginâ, quam pridem adduxerat, rediit Cantium nauigio, atque ab Honorio Archiepiscopo & Rege Eadbaldo multùm honorificè susceptus est. Quo in tempore Rhofensis * *Ecclesia Pastorem minimè habebat, eo quòd Romanus Præsul illius ad Honorium Papam à Iusto Archiepiscopo legatarius missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris, ac per hoc curam illius præfatus Paulinus inuitatione Honorij Antistitis & Eadbaldi Regis suscepit.* Vacauit Sedes Eboracensis annos vnum & triginta post secessum Paulini. Cedda enim, teste Bedâ [a], ordinatus est Episcopus Eboracensis anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto. De Cedda eiúsque successore Wilfrido sic idem Auctor [b]. *Consecratus in Episcopatum Eboraci, iubente Rege Oswi, Cedda vir Sanctus, & tribus annis Ecclesiam sublimiter regens, dehine ad Monastery sui, quod in Lestingari, curam secessit, accipiente Wilfrido Episcopatum totius Nordanhumbrorum prouinciæ. Qui deinde regnante Egfrido pulsus est Episcopatu, & alij pro illo consecrati Antistites.* Rem illam idem Beda [c] fusiùs alio loco sic exponit. *Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo-octauo pulsus est idem Antistes* Wilfridus *a sede sui Episcopatùs, & duo in locum eius substituti Episcopi, qui Nordanhumbrorum genti præessent, Bosa videlicet qui Deirorum, & Eata qui Berniciorum prouinciam gubernaret, hic in ciuitate Eboraci, ille in Hagustaldensi siue Lindisfarnensi Ecclesia Cathedram habens Episcopalem.* Posteà separatæ sunt Diœceses Hagustaldensis & Lindisfarnensis in Prouincia Berniciorum. Nam Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus *post tres abscessionis Wilfridi annos* ordinauit Episcopum *Tumbertum ad Ecclesiam Hagustaldensem, remanente Eatâ ad Lindisfarnensem.* Ecgfridus Nordamhumbrorum Rex, à quo Wilfridus in exilium pulsus est, interiit [d] decimo tertio Kalendas Iunias, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo-quinto. Wilfridus *secundo anno Aldifridi, qui post Ecgbertum regnauit; Sedem suam & Episcopatum ipso Rege inuitante recepit* [e]. Tunc exauctorati sunt Bosa qui sedebat Eboraci, & Ioannes qui defuncto Eatâ Episcopo Præsulatum Hagustaldensis Ecclesiæ nuper susceperat [f]. Lindisfarnensis autem Ecclesiæ regimen mansit penes Cudbertum Episcopum, qui postremis Ecgfridi Regis temporibus, vt Beda [g] scribit, *electus est primò in Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ pro Tumberto, qui ab Episcopatu fuerat depositus. Sed quoniam ipse plùs Lindisfarnensi Ecclesiæ, in qua conuersatus fuerat, dilexit præfici, placuit vt Eatâ*, cui Ioannes post Ecgfridi Regis mortem in Episcopatum Hagustaldensem posteà successit, *reuerso ad Sedem Ecclesiæ Hagustaldensis, cui regendæ primò fuerat ordinatus, Cudbertus Ecclesiæ Lindisfarnensis gubernacula susciperet.* Wilfridus Episcopatu sub Aldfrido Nordanhumbrorum Rege per quinquennium pacificè potitus est. Interim Cudbertus Lindisfarnensis Episcopus excessit è viuis. *Quod dum factum esset*, inquit Beda [h], *Episcopatum Ecclesiæ illius anno vno seruabat venerabilis Antistes Wilfridus, donec eligeretur, qui pro Cudberto Antistes ordinari deberet. Ordinatus est autem post hæc Eadbertus.* Wilfridus igitur per Aldfridum Regem restitutus *totam*, vt Harpsfeldius [i] obseruat, *Northumbriam* rursum administrauit. *Sed*, teste Bedâ [k], *post quinque annos denuò accusatus ab eodem Rege & plurimis Episcopis Præsulatu pulsus est.* Wilfrido iterum exulante, Bosa Sedem Eboracensem repetiit, Ioannes Hugustaldensem. Diuturnum fuit posterius hoc exilium Wilfridi. Regnauit enim Aldfridus vsque ad annum Christi [l] septingentesimum quintum, nec vnquam passus est [m] Wilfridum ad suam Diœcesim reuerti. Rediit tandem Wilfridus regnante apud Nordanhumbros Osredo superioris Aldfridi filio, & *in Episcopatum* [n] *Hagustaldensis Ecclesiæ* receptus est translato Eboracum Ioanne, qui Bosæ nuperrimè mortui locum teneret. Obiit Wilfridus *anno Imperij Hosredi quarto* [o], id est, anno Christi septingentesimo nono. *Suscepit verò pro Wilfrido Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ Acca* [p] *Presbyter eius*, qui superstes in viuis erat anno Christi septingentesimo tricesimo-primo, cùm Beda Historiæ suæ finem imposuit. Wilfrido superuixit Ioannes, qui *princi-*

* *Rochester.*
[a] Lib. 5. cap. 28.
[b] Lib. 5. c. 20.
[c] Lib. 4. c. 12.
[d] Beda lib. 4. cap. 26.
[e] Beda lib. 5. cap. 20.
[f] Beda l. 5. c. 2.
[g] Lib. 4. c. 28.
[h] Lib. 4. c. 29.
[i] Secul. 7. c. 30.
[k] Lib. 5. c. 20.
[l] Beda l. 5. c. 19.
[m] Beda lib. 5. cap. 20.
[n] Beda l. 5. c. 3.
[o] Beda lib. 5. cap. 20.
[p] Beda lib. 5. cap. 22.

AN. CH. 638.
SIGIB. III. R. 6.
CLOD. II. R. 1.

pio regni Aldfridi, siue anno Christi sexcentesimo octogesimo-quinto, *defuncto Eatâ Episcopo, Hagustaldensis Ecclesiæ Præsulatum* [a] *suscepit, & mansit in Episcopatu annis* [b] *triginta tribus*, id est, siue Hagustaldensem Ecclesiam, siue Eboracensem, seu neutram exauctoratus administraret, Episcopali dignitate per annos tres ac triginta gauisus est, à die videlicet quo consecratus est Episcopus vsquedum in Monasterium secessit ordinato in Eboracensem Antistitem Wilfrido iuniore, hoc est, ab anno Christi sexcentesimo octogesimo-quinto vsque ad annum Christi septingentesimum decimum-octauum, *nam cùm præ maiore senectute minùs Episcopatui administrando sufficeret*, tunc *ordinato in Episcopum Eboracensis Ecclesiæ Wilfrido Presbytero suo, secessit ad Monasterium quod dicitur in sylua Deirorum*, vbi vitam clausit *anno ab Incarnatione Domini septingentesimo vicesimo-primo.* Ceterùm hic Wilfridus, qui post Ioannem in Eboracensi Cathedra sedit, iunior cognominatur, vt distinguatur à seniore Wilfrido, de quo suprà. Viuebat adhuc iunior Wilfridus anno Christi septingentesimo tricesimo-primo, quo Beda Historiam Ecclesiasticam gentis Anglorum absoluit. Quapropter idem Auctor capite vltimo sic disseruit de quatuor Episcopis, qui totidem Diœceses in regno Nordanhumbrorum tunc administrabant. *Prouincia Nordanhumbrorum, cui Rex Ceolwf præest, quatuor nunc Episcopi Præsulatum tenent; Wilfridus in Eboracensi Ecclesia; Edilwaldus in Lindisfarnensi Ecclesia; Acca in Hagustaldensi Ecclesia; Pechtelmus in ea, quæ Candida casa vocatur, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in Sedem Pontificatûs addita, ipsum primum habet Antistitem.* Obiit Wilfridus anno Christi septingentesimo tricesimo-secundo. Successit Egbertus, qui Pontificatum Eboracensem vsque ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-primum tenuit, vt constat ex auctario, quod Historiæ prælaudatæ breuiario subiectum reperitur. Ergo Wiro nusquam Episcopus Deirorum fuit.

[a] Beda l. 5. c. 3.
[b] Beda l. 5. c. 6.

XCIII.

PLECHELMVS DISTINGVITVR A PECHTELMO.

Plechelmus, vt ex Actis sancti Wironis liquet, Episcopatum in Hibernia cum ipso Wirone gessit. Malè ab Interpolatore Marcellini confunditur cum Pechtelmo Episcopo Candidæ casæ, quem Beda [c] cùm finem Historiæ suæ anno Christi septingentesimo tricesimo-primo imponeret, primum illius loci Præsulem *nuper* constitutum affirmauit. Vox illa, *nuper*, satis ostendit Pechtelmum ordinatum fuisse Episcopum paulò ante annum Christi septingentesimum tricesimum-primum, id est, longè post Synodum Traiectensem quæ celebrata est anno Christi septingentesimo secundo, necnon post mortem Pippini Heristallij quæ consignatur anno Christi septingentesimo decimo-quarto. Itaque Plechelmus Wironis socius, si non est alius à Pechtelmo Bedæ, certè nec Pippino Landensi nec Pippino Heristallio notus fuit. Ne verò in vita sancti Wironis, vbi Pippinus Dux Francorum nominatur, Pippini Breuis mentionem fieri suspicemur, multæ res vetant. Pechtelmus non legitur relicto Candidæ casæ Præsulatu in Franciam venisse. Fortassè nec vixit vsque ad annum Christi septingentesimum quadragesimum-sextum, quo Pippinus Breuis apud Orientales Francos, quibuscum Wiro conuersatus est, Maioratum suscepit abeunte in Italiam Carlomanno fratre. Deinde cur idem Pippinus, cùm post aliquot annos in Regio throno consederit, in prælaudatis Actis Rex non appellatur? Historiæ igitur sancti Wironis sua stet fides integra. Plechelmo suæ sint infulæ Pontificales in Hibernia. Distinguatur ab eodem Plechelmo Pechtelmus Episcopus, qui Præsulatum Candidæ casæ apud Nordanhumbros in prouincia Deirorum primus tenuit.

[c] Lib. 5. c. 24.

XCIV.

OTGERVS DIACONVS.

De Otgero Diacono nihil scriptum putamus à Marcellino, quod in Actis sancti Wironis non inueniatur, sed Interpolator eundem Otgerum, qui Wironem & Plechelmum Episcopos comitabatur, Vltraiectinæ Synodo interfuisse perperam finxit.

XCV.

EREMVM INCOLVNT IN DIOECESI TRAIECTENSI.

Pippinus, cùm Wironem, Plechelmum & Otgerum ex Hibernia in Franciam profectos perbenignè excepisset, eremum illis à strepitu remotam, vt cælestium rerum contemplationi liberiùs vacarent, in syluis ad amnem Ru-

Deinde Maximianus apud Pseudo-Eucherium siue apud Eucherium Suria- AN. CH.
num à Thebæis militibus tria postulat. Primum est, vt *per aras dæmonibus con-* 638.
secratas iurent; alterum, vt iurent se *contra Bagaudarum turbas* generosè dimi- SIGIB.
caturos; postremum, vt iurent *Christianos, velut inimicos diis, ab omnibus* III. R. 6.
persequendos esse. Sed apud genuinum Eucherium, quem Chiffletius ex prælau- CLOD.
dato Codice publicauit, nec aræ dæmonibus consecratæ, nec Bagaudæ no- II. R. 1.
minantur, nulláque Martyrij, quod Thebæi milites feliciter consummarunt, CXIX.
profertur causa, præterquàm quòd *hi, cùm sicut & cæteri militum ad pertra-hendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium de-trectare ausi sunt, atque huiusmodi præceptis se obtemperaturos negarunt.* En veram Martyrij causam, aliam frustrà quæras.

Præterea non ab Eucherio tantùm, sed & à Pseudo-Eucherio, quem Su- CXX.
rius edidit, dissidet Anonymus in vita sancti Baboleni. Pseudo-Eucherius Ba- AB VTRIS-
gaudas à Christianis distinguit, milites contra Bagaudas concitat, Romani QVE DISSI-
Imperij accolas quoscumque contra Christianos commouet. Apud Anony- DET VITA
mum, qui sensum Pseudo-Eucherij à se lecti non benè capit, & Bagaudas in S. BABO-
Christianorum numero collocat, Maximianus Thebæis militibus præcipit, LENI.
vt *super sacra deorum* iurent se *contra Bagaudarum turbas* acriter pugnaturos, *cæteros verò Christianos alicubi repertos ab omnibus occidendos* decernit; milites autem Thebææ legionis, cùm aduersùs Christianos pugnare nolint, Martyrio coronantur. Pseudo-Eucherium & Anonymum qui simul contulerit, facilè iudicabit Pseudo-Eucherium in manus Anonymi venisse, Bagaudásque inter Christianos à Pseudo-Eucherio non recenseri.

Aurelius Victor Bagaudas longè alios à Christianis habet, hoc enim no- CXXI.
mine latrones à Gallis indigitari sic asserit in Diocletiano. *Vbi comperit Cari-* BAGAVDÆ
ni discessu, Helianum Amandúmque per Galliam excitâ manu agrestium ac latro- QVI?
num, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris plerasque vrbes tentare, Maximianum statim, fidum amicitiâ, quanquam semiagrestem, militiæ tamen atque ingenio bonum, Imperatorem iubet. Saluianus [a] quoscunque factiosos ac rebel- [a] Lib 5.
les generali vocabulo Bagaudas vocat, sic enim inuehitur in eos, qui tantâ crudelitate atque auaritiâ sæuiunt, vt Romanos Bagaudas fieri, vel ad exteras nationes cogant commigrare. *Vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur in tantùm vt multi eorum & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti ad hostes fugiant, ne persecutionis publicæ afflictione moriantur, quærentes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possunt. Et quamuis ab his ad quos confugiunt discrepent ritu, discrepent linguâ, ipso etiam, vt ita dicam, corporum atque induuiarum barbaricarum fœtore dissentiant, malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem, quàm in Romanis iniustitiam sæuientem. Itaque passim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios vbique dominantes barbaros migrant, & commigrasse non pœnitet. Malunt enim sub specie captiuitatis viuere liberi, quam sub specie libertatis esse captiui. Itaque nomen ciuium Romanorum aliquando non solùm magno æstimatum, sed magno emptum, nunc vltrò repudiatur ac fugitur, nec vile tantùm sed etiam abominabile penè habetur. Et quod esse maius testimonium Romanæ iniquitatis potest, quàm quòd plerique & honesti, & nobiles, & quibus Romanus status summo & splendori esse debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulsi sunt vt nolint esse Romani? Et hinc est quòd etiam hi, qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen esse coguntur, scilicet vt est pars magna Hispanorum, & non minima Gallorum. Omnes denique quos per vniuersum Romanum orbem fecit Romana iniquitas iam non esse Romanos. De Bagaudis nunc mihi sermo est, qui per malos Iudices & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquàm ius Romanæ libertatis amiserunt, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infœlicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, imputamus nomen quod ipsi fecimus. Et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi impro-*

AN. CH. 638. SIGIB. III. R. 6. CLOD. II. R. 1.

bitatibus Indicum, niſi eorum proſcriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprij emolumenti verterant, & indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt; qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum non rexerunt traditos ſibi, ſed deuorarunt; nec ſpoliis tantùm hominum, vt plerique latrones ſolent, ſed laceratione etiam, &, vt ita dicam, ſanguine paſcebantur; ac ſic actum eſt, vt latrociniis Indicum ſtrangulati homines & necati, inciperent eſſe quaſi barbari, quia non permittebantur eſſe Romani; acquieuerunt eſſe quod non erant, quia non permittebantur eſſe quod fuerant, coactique ſunt ſaltem vitam defendere, quia iam libertatem videbant penitus perdidiſſe. Aut quid aliud etiam nunc agitur, quàm tunc actum eſt? id eſt, vt qui adhuc Bagaudæ non ſunt, eſſe cogantur, quantùm enim ad vim atque iniurias pertinet, compelluntur vt velint eſſe, ſed imbecillitate impediuntur vt non fiat. E Galliis in Hiſpanias nomen Bagaudarum cum eadem ſignificatione tranſiit. Apud Idatium, Olympiade trecenteſimâ-quintâ, *Aſturius Dux vtriuſque militiæ ad Hiſpanias miſſus Tarraconenſium cadit multitudinem Bacaudarum*; eâdem Olympiade, *Aſturio Magiſtro vtriuſque militiæ gener ipſius ſucceſſor ipſi mittitur Merobaudis, breui tempore poteſtatis ſuæ Aracellitanorum frangit inſolentiam Bacaudarum.* Olympiade trecenteſimâ-ſeptimâ, *Baſilius ob teſtimonium egregy auſûs ſui congregatis Bacaudis in Eccleſia Tyriaſſone fœderatos occidit.* Et Olympiade ſequenti, *per Fredericum Theuderici Regis fratrem Bacaudæ Tarraconenſes cæduntur ex auctoritate Romana.* Neque tantùm ſeditioſos, rebelles ac latrones, in Gallia Bagaudas, ſed & latrocinium, tumultum popularem, motum agreſtium, ſeditionem, Bagaudam dici mos obtinuit. Vnde Proſper in Chronico ad annum Clodionis in Francia regnantis ſeptimum. *Gallia vlterior Tibatonem principem rebellionis ſecuta à Romana ſocietate diſceſſit, à quo tracto initio, omnia penè Galliarum ſeruitia in Bagaudam conſpiraucre.* Biennio pòſt, *capto Tibatone, & ceteris ſeditionis partim principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquieſcit.* Et ad annum quo Meroueus regnum Francorum ſuſcepit, *Eudoxius arte medicus, praui ſed exercitati ingenij, in Bagauda id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.*

CXXII. A prima Bagaudarum origine, quæ Diocletiani temporibus attribuitur, vſque ad conſtructionem Foſſatenſis Monaſterij, cuius fundamenta Blidegiſilus in caſtro Bagaudarum ad Matronam fluuium ſub Clodoueo Rege Francorum, illius nominis ſecundo, iecit, effluxerunt anni pluſquàm quinquaginta ſupra trecentos. Intra ſpatium tot annorum, motæ ſunt in Gallia Bagaudæ ſeu ſeditiones non paucæ; rebelles ſeu Bagaudæ, vt tueri ſe poſſent, diuerſa caſtra conſtruxerunt. Aptiſſimus huic rei viſus eſt præ ceteris in agro Pariſienſi locus, vbi poſteà Monaſterium Foſſatenſe conditum fuit, Matronâ enim fluuio penè vndequaque cingitur. Quo tempore Bagaudæ illuc ſe receperint, quóue tempore caſtrum, quod illic erexerant, euerſum ſit, haud liquet, fabuloſa ſunt enim, quæ de Iulio Cæſare déque Maximiano narrat Anonymus, illud caſtrum nec Iulius extruxit, nec diruit Maximianus. Supererant munitionis ſolo æquatæ rudera, cùm Blidegiſilus, vt Cœnobium ædificaret, locum illum à Clodoueo Rege impetrauit. Atque hæc de Bagaudis déque caſtro Bagaudarum ad Matronam ſufficiant.

FABVLÆ DE CASTRO BAGAVDARVM.

CXXIII. Denique Anonymus in iis quæ de Clodoueo Rege ſcribit, non ſatis aduertit ætatem ipſius Clodouei, tribuit enim ei colloquium cum Blidegiſilo, quod Regi quartum ætatis annum adhuc agenti minimè conuenit.

DE ÆTATE CLODOVEI.

CXXIV. Præceptum Clodouei Regis, quod idem Anonymus in Foſſatenſi Eccleſia illæſum conſeruari dicit, à Breulio cum aliqua deprauatione quam emendabimus, ita recitatur. *Clodoueus Rex Francorum, vir inluſter Duci Archenaldo, vel omnibus præſentibus ac futuris fidelibus. Quicquid Sacerdotibus ac religioſis Eccleſiaſticis viris ad opus Dei conſtruendum concedimus, hoc & ad Regni noſtri ſtabilitatem, & ad animæ ſalutem pertinere non diffidimus. Proinde omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ tam præſentibus quàm & futuris vtriuſque ſexûs fidelibus notum fieri cupimus quendam virum Diaconem, carnis generoſitate pollentem, ac in Chriſto ve-*

PRÆCEPTVM CLODOVEI.

AN. CH. 638.
SIGIB. III. R. 6.
CLOD. II. R. 1.

nerabilem valdéque à nobis per omnia dilectum, nomine Blidegisillum, ad nostra sublimitatis præsentiam aduenisse & humiliter deprecasse; quatinus ad Ecclesiam Dei funditus ædificandam in honore scilicet Sanctæ Dei genitricis Mariæ ac Sanctorum Petri & Pauli principum Apostolorum, & Monachos sub Regula S. Benedicti pro Christi amore in illo ibi congregandos, quandam terram ex iure nostræ proprietatis in Parisiacensi pago consistentem, illum videlicet Castellionem, qui Fossatus dicitur, & quem vulgaris lingua castrum Bagaudarum appellat, super fluuium Maternæ situm, habentem ab introitu suo vsque in alueum ipsius Maternæ buinaria duodecim, cum tota terra vocabulo Varenna, quæ est in circuitu ipsius Castellionis, & quam Materna fluuius gyrat, & Fossatus aqua concludit, sibimet concederemus. Cuius sacræ petitioni, ob id quia pro æterna vitæ compendio, tali accensus ardore, libenter assensum præbuimus. Quapropter per præsentem auctoritatem atque præceptionem iubemus, vt hanc prædictam terram, quam ei tali firmitate ex iure nostræ proprietatis in suum ius ad opus Dei perficiendum transponimus, per nostram transfignationem & reuestionem firmiter recipiat. Ita vt quod postmodum iam dictus vir præclarissimus ac nobis charissimus Blidegisillus Diaconus ipsum Castellionem cum prædicta Varenna quam fluuius Materna circumdat (sicut iam dictum est) & Fossatus Castellionis in introitu suo ab aqua in aquam totam terram concludit ad integrum, quod fiscus noster ibidem ad præsens tenere vel dominare videtur, vnà cum manentibus illis, qui ibidem super terram fisci nostri commanent, & ad fiscum nostrum vsque nunc aspexerunt, totum & ad integrum cum pratis & pascuis, garricis & vlmis, cum aqua & omni piscatione fisci nostri, insulis quoque ac molendinis seu piscatoriis, cum portis etiam & cunctis etiam ipsius aquæ transitoriis, vel cum omnibus adiacentiis cultis & incultis ex nostra munificentia ad locum sanctum (vt dictum est) regulariter construendum ac funditus ædificandum plenissimè ac firmissimè habeat concessum. Et ibidem iuxta hoc, quod sua deuotio locum sanctum vel cellulam ad seruos Dei sub S. Benedicti exemplo inhabitando, Deo adiuuante, ædificet. Et sicut ex fisco nostro processit, ita ipsum locum cum præfatis rebus & cæteris omnibus ad se pertinentibus, atque cum omni ædificio quod abhinc facere poterit, firmiter absque vlla redibitione fisci nostri vel Iudicis publici requisitione sæpedictus Blidegisillus, & qui ab illo constituendi sunt, in perpetuum valeant possidere. Denique etiam & iam regio iure decernimus (quod iubendo multùm obseruare præcipimus) vt nullus Iudex publicus, neque Episcopus, neque qualibet iudiciaria potestatis persona in eundem locum, aut infra prædictam terram, quam sæpè fatus circumdat fluuius, & fossatus aquæ concludit, ad causas audiendas vel iniusta freda tollenda, aut transitum publicum faciendum, aut mansionaticos vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut telonea exigenda, aut homines eius tam ingenuos quàm seruos super ipsam terram commanentes distringendos, nec vllas redibitiones vel inlicitas occasiones requirendas vllo vnquam tempore ingredi audeat, aut exactare præsumat. Sed ipsi Serui Dei præsentes ac futuri nullam ibidem à quacumque occasione patiantur inquietudinem, vt semper sub sancto proposito ibidem Deo seruiant, & pro nobis ac genitrice nostra vel coniuge sine prolis necnon & totius regni statu, Domini misericordiam deuotiùs exorare delectet. Vt autem hæc præceptio nostra cessionis firmior habeatur, vel per futura tempora, Deo propitio, inuiolabilis conseruetur, Nos & præcelsa genitrix nostra Nandechildis manuum nostrarum signaculis adumbrauimus. Data anno primo regni nostri.

CXXV.
INTERPOLATIONES REFELLVNTVR.

In illo Præcepto hæc verba, *sub Regula S. Benedicti*, & ista *Sub S. Benedicti exemplo*, à recentiore quopiam Benedictino in gratiam Ordinis Benedictini videntur interpolata, nam Blidegisillus in oratione supplici superiùs descripta quam apud Clodoueum Regem habuit, Fossatum non pro Benedictinis sed tantùm pro Monachis postulauit, & anno Clodouei tertio, in charta donationis quam Fossatensi Monasterio concessit, illius loci Monachos affirmauit Deo famulaturos *ad modum & similitudinem Luxouiensis Monasterij*, quod constat à sancto Columbano conditum fuisse, deinde sanctus Babolenus qui Fossatensis Asceterij primus Abbas extitit, ab Authoribus prædicatur disci-

AN. CH. 638. pulus sancti Columbani, talémque se semper professus est, vt post biennium probabimus. Delenda quoque sunt ex eodem Præcepto ista vocabula, *vel coniuge sine prolis*, quia Clodoueus adhuc puerulus erat. Sensus autem integer sic remanebit, *pro nobis ac genitrice nostra, necnon & totius Regni statu, Domini misericordiam deuotiùs exorare delectet.*

639. Sigib. III. R. 7. Clod. II. R. 2.

ANNVS CHRISTI 639.
SIGIBERTI III. R. 7.
CLODOVEI II. R. {3. 2.

I. Moriuntur Modegisilus Episcopus Turon.

ANNO Christi sexcentesimo vndequadragesimo Modegisilus Turonensis Episcopus obiit, cùm sedisset annos quindecim. Huius Chronologiæ rationem exposuimus Tomo Secundo [a]. Successit Latinus, tenuítque Pontificatum annos tredecim [b].

[a] An 614 n. 2. [b] Seuert.

II. Romanus Episcopus Rotomag. Acharius Episcopus Noviom.

Hoc eodem anno ad Deum migrarunt alij duo insignes Episcopi; sanctus Romanus Antistes Rotomagensis decimo Kalendas Nouembres, & sanctus Acharius Præsul Nouiomensis quinto Kalendas Decembres. Chronologia nostra innititur Orderici calculo, qui sancto Romano tredecim duntaxat annos Pontificatùs attribuit. Qui succederent destinati sunt ad Episcopatum Rotomagensem Audoenus, ad Nouiomensem Eligius. Ambo, viri egregij, qui priusquàm ad Præsulatum promouerentur, ipsis Episcopis, vt ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-quartum [c] iam obseruauimus, aut præferebantur, aut saltem æquabantur.

[c] Num. 9.

III. Obitum S. Romani duo præcedunt miracula.

Beati Romani mortem duo præcesserunt insignia miracula, quæ perstringuntur in Breuiario Rotomagensi, & ab Authore vitæ copiosius explicantur. *Peractis ieiuniorum quadragesimalium diebus superuenit Dominica cœna sanctissima dies, dies videlicet propitiationis & reconciliationis; dies quâ mors interitum, & vita accepit principium; dies in qua fit gaudium de assumptione vocatorum, & lætitia de absolutione pœnitentium, quos ipse intra viscera misericordia complexus, ipsâ eâdem die intra gremium Sanctæ matris Ecclesiæ reconciliatos admisit, super quibus vberiore pietatis affectu illacrymatus omnium qui astabant in fletum corda commouit, dum viderent eum inter peccantes velut peccatorem, inter lugentes lugentium peccata deflere, paterno affectu singulos commonere, ne iteratis excessibus se vlterà ab Ecclesiæ matris communione alienarent. Venturis deinde ad beata regenerationis lauacrum fit ex more sanctificandi olei & chrismatis consecratio, & cetera sacramentory ordinis officia iuxta competentem diei reuerentiam. Nec minùs Dominica passionis die congruis officiis expleto dies ille magnus Sabbati illuxit, quo regenerationis Ecclesia fœcunda virginitas filios suos fidei sacra primitiis imbuendos in adoptionis sortem spectabat adscribi. Vnde memorandus Pater confectum biduano corpus ieiunio pro expectatione solemnis officij orationibus in horam vsque nonam protraxit, cùm intelligens à meridiano feruore cursu deciduo tendere Solem ad vesperam, erexit se ab oratione. Iam hora venerat, quâ peractis omnibus, quæ primo agenda instabant, domnus Pontifex sacrandis fontibus adstabat: vt ergo ventum est ad locum, quo sanctificatis aquis infundenda chrismalis fuerat benedictio, minister, cuius hoc erat officium, aliàs fortè intentus, chrismale sacrum exhibere non meminit, qui requisitus dum à Clericis causaretur, quòd domnum Episcopum & omnem Clerum simul & populum pro exspectatione chrismatis ipse solus turbaret, artatus nimium præcipiti cursu ad locum quo chrismalis ampulla seruabatur, turbatâ mente progreditur, quam incautiùs rapiens, dum ad fontes tendere festinat, lubrico fusus pauimento vitream testam superfusum corporea molis attritu comminuit, ex qua chrisma-*

AN. CH. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2.

lis benedictio vorantibus arenis penitus absorpta spem nullam restitutionis præstabat. Turbati omnes, & præ cæteris Episcopus, quidnam agerent inter se hæsitabant. Nihil sanè sibi minister reseruauerat, ex qua effusi liquoris damnum etiam in præsenti necessitate reformare quiuisset, quippe qui per vniuersa Diœcesis Ecclesias distribuendo totum consumpsisset. Iam animaduertit vir Deo plenus hoc maligni spiritûs insidiis esse factum, qui bonorum omnium inuidus, vocatis ad fidem gentibus regenerationis viam peruertere nitebatur. Iubet itaque effusi liquoris sibi locum ostendi, vbi mox corpore prostrata orationi incubuit, nec mora, preces sentiens exauditas, erexit se, iubens vitrea fragmina recolligi, vt constrato marmore resilientes minutiæ sparsim iacebant, quas collectas manibus vir Sanctus amplectens in antiqua formæ speciem mox consolidauit, sícque pristino restituta decori ampulla, eiusdem qui fusus fuerat chrismatis confestim referta est liquore, vnde circumastantes plebes Domino laudum rependerunt munera, qui eis tantæ Sanctitatis concesserat Pastorem. Alterum miraculum tale est. *Quadam die dum diuina celebraret mysteria, vbi ad locum ventum est, quo propriis manibus calicem paulò altiùs à mensa eleuaret, apparuit super caput eius ignis flammea species fulgurantis, & in medio ignis dextera hominis benedicens tanquam ad suscipiendum libantis hostias porrecta comparuit. Sed peractis officij solenniis conuocari iubet quosdam, quos in diuinis secretis præ cæteris familiares habebat, quibus visionis secreta aperiens, iam pro certo, inquit, fratres filiíque mei in Christo, nosse vos volo tempus resolutionis meæ instare, quoniam licèt haud exigentibus meæ paruitatis meritis, debita Missarum celebrans solennia merui dexteram Dei conspicere, vnde subnixè fraternitatis vestræ exoro clementiam, ne cuiquam huius oramatis pandatis indicium, quoad vsque me videatis morte resolutum, & quia Dei dexterâ, quæ mihi apparuit, regnum cælorum designatur, tempus me migrandi ad Dominum instare per hoc certissimum vobis habeatis. Sua ergo de vocatione securus beatus Romanus die noctúque ab oratione mentem non reflectebat, sed quantò viciniorem nouerat exitûs sui diem, tantò magis iugiter bonorum operum studiis inseruiebat, ac efficaciùs orationi vacabat. Transiit autem è mundo, decimo videlicet Kalendarum Nouembrium die*, quo colitur à Rotomagensibus, Ambianenses verò quia illo die natalem sancti Domitij celebrant, sancti Romani festiuitatem agunt nono Kalendas Nouembres. Sanctus Romanus, teste Saussaio [a], *sepultus fuit in antiqua Sanctæ Mariæ Æde, eò quòd nondum summi templi, quod initiauerat, satis prouecta esset fabrica, ad quam deinde delata fuerunt sacratissima eius ossa, vbi nunc vsque magna cum veneratione & splendore eius memoria celebratur.*

[a] Die 23. Oct.

Sanctus Acharius Nouiomensium ac Tornacensium Episcopus colitur quinto Kalendas Decembres à Molano, Wione, Miræo, aliísque Hagiologis. In Historia Tornacensi [b] legitur mortuum ad vitam reuocasse. Post eius obitum, vt Audoenus in vita sancti Eligij scribit, *quidam vir improbus, nomine Maurinus, vt videbatur populis, habitu religiosus, Cantor in Regis Palatio laudatus, atque ex hoc, vt rei docuit exitus, mente tumidus, corde proteruus, atque actione dissipatus, qui audacia præsumptionis suæ deceptus, cœpit verbis extollere, à se corpus Martyris Quintini & inquiri posse & inueniri. Sed vt & eius proteruiam illicò & Eligij merita demum Dominus declararet, mox vt terram surculo scabare cœpit, manubrium fossarij manibus eius inhæsit. Sícque miser opus præsumptum relinquens, sequenti quoque die in manibus suis vermibus ebullientibus, miserabiliter expirauit. Ex quo facto tantus timor adoleuit in populo, vt nullus deinceps quamuis probabilis vita, præter Eligium*, vt suo loco dicemus, *huiusmodi negotium auderet appetere.* IV.

MAVRINI PROTERVIA DAMNATVR.

[b] Lib. 2. c. 14.

Super successore sancti Acharij suboritur controuersia. Quidam Mommolinum, plures Eligium subrogant. Vtrumque in Nouiomensi Cathedra sedisse fatentur omnes, sed vter alterum antecesserit haud æquè consentiunt. In vita sancti Audomari [c], quam à Folchardo scriptam esse plerique tradunt; Eligio Mommolinus anteponitur & hoc exornatur encomio. *Necdum operi*, nempe Cœnobio Sitiuensi, *suprema erat imposita manus, & iam Monastico struc-* V.

[c] Ap. Surium die. 9. Sept.

AN. CH. 639.
SIGIB. III. R. 7.
CLOD. II. R. 2.

ta apparatu fortissima castra religiosorum virorum implet multitudo. Itaque Sacerdos Domini Audomarus in his omnibus Dominum benedicens, Mummolinum illi Cœnobio præficit. Is verò Pastoris munus adeptus, cælestis doctrinæ semina discipulis depromit, dæmonum virus lingua fulminibus profligat. Et iam Deo plenus, instar cedri Libani, virtutum suarum longè latéque diffundit odorem suauissimum. Vnde factum est Domino id agente, vt post decessum Aichary, ipse illi in Nouiomensis Ecclesiæ Cathedra successerit, in quo Pontificatu sex & viginti annis strenuè se gerens iam vltimâ ætate, deposito fragilis carnis pondere, Angelicis ciuibus adiunctus est. Porrò in Episcopum electo Mummolino, sanctus Audomarus Pastoralem curam Sithiensis Monastery beato Bertino demandauit. Eandem opinionem amplectitur Iperius in Chronico Sitiuensi. *Decedente*, ait, *beata Achario Nouiomensi Episcopo, Mommolinus eligitur*, asseritque id factum *ope beati Audomari, qui iam diu hominem ad altiorem Ecclesiæ gradum præsagiebat euehendum.* Alterius sententiæ princeps est Audoenus, qui diu cum Eligio in aula Regia vixit, eodémque quo ille die consecratus est Episcopus, sic enim in ipsius Eligij vita scribit. *Elegerunt ex merito sanctitatis cunctis bonis operibus præditum ad Sacer-*

ELIGIVS ELIGITVR EP. NOVIOMENS.

dotale officium sanctum Eligium, iam lumine Spiritûs Sancti radiatum, vt praeesset Ecclesiæ Nouiomensi. Decesserat enim in ipso anni circulo Acharius præfatæ vrbis Antistes. Elegerunt autem cum eo & Audoenum sodalem eius, qui vocabatur Dado, vt praeesset Ecclesiæ Rotomagensi. Et inferiùs ostendit Mommolinum Eligio successisse, nam postquàm sancti Eligij mortem & exequias enarrauit, de illius equo temerè vsurpato à Mommolino sic differit. *Dum adviueret vir beatus* Eligius, *habuerat equum vnum inter ceteros mansuetissimum, cui, cùm necessitas poposcisset, plerumque sedere consueuerat; post cuius videlicet discessum, ad ditionem Abbatis, qui eidem Basilicæ praeerat, idem equus peruenerat; super quem vir Apostolicus Mummolenus eiusdem loci Episcopus inhianter sitiens, violenter eum prædicto Abbati subripuit, suique iuris vindicauit*, &c. Audoenus ceteris auctoritate plurimùm præstat, ciúsque sententia catalogis omnibus Nouiomensium Episcoporum comprobatur. Eodem igitur anno, quo sancti Romanus & Acharius ex hac vita discesserunt, electi sunt Audoenus & Eligius qui succederent in eorum Episcopatus, sed quia laici tunc erant, Episcopos se consecrari non permiserunt ante annum sequentem, cùm *Rogationes à cuncto populo celebrabantur.* Audoenus Matisconem profectus est, vt à Deodato illius ciuitatis Episcopo Presbyter ordinaretur. Eligius, priusquàm Sacerdos fieret, aliquod temporis spatium exigere voluit *sub normula Clericatûs.* Sic enim per-

AVDOENVS ELIGITVR EPISC. ROTOM.

git Audoenus in vita sancti Eligij. *Elegerunt cum eo*, nempe Eligio, *& Audoenum sodalem eius, qui vocabatur Dado, vt praeesset Ecclesiæ Rotomagensi. Hoc ergo modo aurificem inuitum detonsum constituerunt custodem vrbium seu municipiorum, his vocabulis, Vermandensi scilicet, quæ est Metropolis vrbs, Tornacensi verò, quæ quondam Regalis extitit ciuitas, Nouiomagensi quoque & Flandrensi, Gandensi etiam, & Carturiacensi. Ob hoc itaque eum vel maximè in his locis dederunt Pastorem, quòd incolæ eiusdem regionis magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinebantur, & variis superstitionibus satis dediti erant, quíque velut agrestes feræ nulliuspiam salutare verbum recipere poterant. Sed vir beatus cùm se nullo modo ab officio disposito discutere posset, ne tamen in vllo Catholicæ regulæ deuiare videretur, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi sub normula Clericatûs aliqua temporis curricula exigeret. Tempore ergo dilationis transacto, atque Audoeno de partibus Ligeritanis reducto, iámque eo Presbytero à Domno Deodato Matascensis vrbis Episcopo ordinato, inita consilio, pariter sub vnius diei articulo Apostolicam benedictionem meruerunt gratuitu: erat enim tempus, quo apud Gallias Rogationes à cuncto populo celebrabantur.* Guilielmus *de Whitte*, quem Malbrancus [a] in rebus Monachorum Bertinensium seu Sithiuensium apprimè versatum dicit, Iperium conatur cum Audoeno conciliare subtili quadam interpretatione, vult enim post sancti Acharij mortem ab Audomaro Episcopo Morinensi propositum fuisse Mommolinum Ascetam Sitiuensem, qui consecraretur

[a] Lib. 3. c. 27.

Episcopus, & Episcopi vices ageret in Diœcesi Nouiomensi & Tornacensi, donec Eligius sub Clericatûs normula tempus aliquod exegisset, seque tandem Episcopum ordinari passus esset, addítque id consilij omnibus acceptum fuisse, & Mommolinum instar administratoris seu suffraganei vt hodie vocant, Episcopalia obiisse ante & post ordinationem Eligij, nec ante illius mortem verè Nouiomensem ac Tornacensem Episcopum extitisse, itaut & iuxta Iperium electus ordinatúsque sit Episcopus post obitum sancti Acharij, & iuxta Audoenum Eligio in Episcopatum successerit. Malbrancus hanc interpretationem commendat, & ad validiorem confirmationem addit *apud Corbeienses* visum à se *Diploma, cui Mommolinus Episcopus cum ipso Eligio subscribit*. Rem nobis pergratam fecisset, si descripsisset illud Diploma, notasset que Characteres Chronologicos, quibus consignatum reperitur. Tomo primo Conciliorum Gallicanorum publicatum est libertatis Priuilegium, quod à Bertefrido Ambianensi Episcopo Monasterio Corbeiensi concessum fertur, octauo Idus Septembris, anno Clotarij Regis septimo; inter Episcoporum subscriptiones occurrit Mummolenus, Eligius nequaquam: illo enim anno Mummolenus Nouiomensis erat Episcopus, & Eligius eius decessor pridem obierat, sed quamuis in Nouiomensis Episcopi subscriptione non inueniatur error, aliæ non desunt rationes, quæ tale Priuilegium in plerisque locis interpolatum fuisse ac multis emendationibus indigere suadent, vt ad annum Christi sexcentesimum sexagesimnm-secundum pluribus exponemus. Diploma verò, quod Malbrancus à se inspectum testatur, quodcumque illud sit, inter fabulas amandari debet, si Mummoleni & Eligij Episcoporum subscriptionibus munitur, quia viuente Eligio Mummolenus Episcopalem dignitatem haud gessit. Iperius & eius asseclæ supponunt vetus Monasterium Sitiuense inchoatum fuisse anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto, nouum autem post annos quatuordecim anno videlicet Christi sexcentesimo quadragesimo, sic enim apud Miræum in Originibus Benedictinis [a] scribit Iperius. *Quidam prædiues opum, vir illustris Adroaldus nomine, nullum habens filium, cum beato Audomaro tractare cœpit, qualiter possessionum suarum Ecclesiam heredem faceret, villam quæ Sithiu vocatur, cum suis appendiciis beato obtulit Audomaro, vt ibi Xenodochium construat. Iussu igitur B. Audomari, tres viri sancti prædicti, Bertinus, Mommolinus & Ebertramnus Ecclesiolam construxerunt, & cellam, in territorio eiusdem villæ, in loco, qui adhuc & propter hoc vetus vocatur Monasterium, super fluuium Agniona, anno Domini sexcentesimo vicesimo-sexto.* Et infrà. *Sanctus verò Bertinus, cùm in veteri Monasterio resedisset annis quatuordecim, quia locus ille permodicus erat, vt aptiorem locum quæreret, spem ponens in Domino, nauem conscendit cum aliquibus sociis suis. Et ecce statim contra fluenta præcipitis fluuij, Angelico ministerio nauis impellitur, donec Bertinus ex ordine decantati Psaltery, versiculum illum pronunciaret. Hæc requies mea in seculum seculi*, &c. *Lecto versiculo nauis stetit immobilis circa medium, vbi nunc est Monasterium. Cognoscens igitur illum sibi à Deo electum locum, ibi Monasterium ædificauit in honorem Dei sanctique Petri Apostolorum Principis, anno Domini sexcentesimo quadragesimo.* Iperius teste Marco Vassoro Morinensis Ecclesiæ Presbytero creatus est Abbas Sitiuensis anno Christi millesimo trecentesimo sexagesimo-quinto, scripsitque res ab ætate suâ remotas totis septem seculis. Eius Chronologiæ refragantur ipsæmet Adroaldi tabulæ, quæ donationem villæ *Sitiu* ab eo factam anno Clodouci Regis vndecimo siue anno Christi sexcentesimo duodequinquagesimo testantur, citiùs enim referri non potest veteris Monasterij Sitiuensis initium, tunc autem Eligius nonum sui Pontificatus annum iam attigerat; cúmque Monachi Sitiuenses à prima statione in alteram post annos quatuordecim migrarunt, annus à Christo nato sexcentesimus sexagesimus secundus & ab Eligij morte tertius numerabatur, annúmque tertium tunc agebat in Episcopatu Mommolinus. Hæc est probatissima rerum Sitiuensium Chronologia. Quapropter hoc loco nihil de Mommolino dicendum habe-

AN. CH. 639.
SIGIB. III. R. 7.
CLOD. II. R. 2.

[a] Cap. 10.

BERTINVS, MOMMOLIN. EBERTRAMNVS ADEVNT AVDOMARVM EP. MORIN.

AN. CH. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2.

mus, excepto quòd his circiter temporibus, in quæ mors Acharij Nouiomensis ac Tornacensis Antistitis incidit, Walbertus Abbas Luxouiensis, Bertinum, Mommolinum & Ebertramnum, Luxouienses Monachos in Diœcesim Morinensem direxit, vt Audomaro Episcopo in erudiendis populis prædicandóque Dei verbo strenui coadiutores existerent.

VI.

ELIGIVS MONETARIVS SVB QVIBVS REGIBVS.

Eligius, de cuius virtutibus sæpè locuti sumus, Monetarius erat Parisiensis, antequàm Episcopus fieret. In commentario de vetere Francorum Moneta, quem anno priori laudauimus, vnus duntaxat Clodouei Secundi numus [a] exhibetur. In antica parte conspicitur caput Clodouei cum hac epigraphe, PARISINNCIV. id est, PARISINNA CIVITATE; in postica parte Crux, subter cuius brachia vox est ELIGI, id est, ELIGIVS, circúmque legitur hæc inscriptio, CHLODOVEVS REX. Munus Monetarij non tantùm sub Clodoueo sed etiam sub Dagoberto Clodouei patre gessit Eligius. In prædicto commentario quatuor repræsentantur aurei Tremisses [b] Dagoberti Regis, in quibus occurrit & nomen Eligij. Primus talis est. In antica parte conspicitur caput Dagoberti Regis cum hac inscriptione PARISINCEVEFIT, id est, PARISINA CIVITATE FIT; in postica parte Crux, subter cuius brachia vox est ELIGI, id est, ELIGIVS, circúmque legitur hæc epigraphe DAGOBERTVS REX. Secundus talis est. In antica parte conspicitur caput Dagoberti Regis cum hac inscriptione PARISIVS FIT; in postica parte Crux cum hac epigraphe ELEGIVS MONE. id est, MONETARIVS. Tertius talis est. In antica parte conspicitur caput Dagoberti Regis cum hac inscriptione MONETA PALATI, id est, PALATINA; in postica parte Crux, sub cuius brachia vox est ELIGI, id est, ELIGIVS. Quartus talis est. In antica parte conspicitur caput Dagoberti Regis cum hac epigraphe PARISICIV......... id est, PARISINA CIVITATE; in postica parte Crux, subter cuius brachia est ELIGI, id est, ELIGIVS, circúmque legitur hæc inscriptio, DAGOBERTVS REX. Hinc

VARIÆ INSCRIPTIONES NVMISMATVM.

obserua pleraque notatu digna, quæ pertinent ad inscriptiones numismatum. Nomen Regis aliquando ponitur in antica parte, vbi eius caput; aliquando in postica, vbi Crux; nonnumquam omittitur. In antica parte numi [c] conspicitur caput Sigiberti Tertij cum hac epigraphe SIGEBERTVS. Secus est de numo [d] Clodouei fratris suprà laudato, in postica enim parte, vbi Crux, hæc legitur inscriptio CHLODOVEVS REX. Et in secundo [e] Dagoberti Regis numo, de quo etiam suprà, nomen Dagoberti non exprimitur, hæc est enim antica inscriptio, PARISIVS FIT; postica verò ELEGIVS MONE. Quod obseruatum est de Rege, id quoque dicendum de Monetario. Nam Monetarius aliquando cum Rege, sæpiùs in alterutra numi parte seorsum à Rege nominatur. In numo [f] Clodouei Secundi, pars postica, Crucem exhibet, subter cuius brachia vox est ELIGI, id est, ELIGIVS, eiusdémque partis hæc est inscriptio, CHLODOVEVS REX. In numo [g] Chariberti Regis, antica pars exhibet caput eiusdem Chariberti cum hac epigraphe MAXIMINVS M. id est, MONETARIVS. In numo [h] Dagoberti Regis, postica pars Crucem exhibet cum hac epigraphe ELEGIVS MONE, id est, MONETARIVS. Reperiuntur & numi, quibus appositum est nomen Comitis, qui ciuitati præfuit vbi cusi sunt. In numo [i] Theodoberti Secundi, postica pars hanc habet inscriptionem, IOHANNES, Comitis videlicet nomen, cùm nullum Monetarij signum insit. Sæpè etiam in alterutra numismatis parte nomen loci legitur in quo cusum fuit. In numo [k] Dagoberti Regis, hæc est inscriptio antica MONETA PALATI, id est, MONETA PALATINA, seu cusa in Palatio Regio. In altero numo [l] eiusdem Dagoberti, hæc est etiam antica epigraphe, PARISIVS FIT. In numo [m] Sigiberti Tertij, postica pars hanc habet inscriptionem, MASSILIA. Denique Reges Francorum in suis numismatibus aliquando victorias suas expresserunt. Testis numus [n] Clotarij Primi. Pars antica caput exhibet Clotarij, postica Crucem globulo superpositam, subter cuius brachia duæ sunt hæ literæ M & A quibus significatur MASSILIA ciuitas

vbi

[a] Numus 232.
[b] Numi 209. 210. 211. 210.
[c] Numus 227.
[d] Numus 232.
[e] Numus 210.
[f] Numus 231.
[g] Numus 132.
[h] Numus 210.
[i] Numus 119.
[k] Numus 210.
[l] Numus 211.
[m] Numus 227.
[n] Numus 89.

vbi cusus numus. Anticæ partis hæc est inscriptio, CLOTHARIVS REX; AN. CH.
posticæ, VICTORIA GOTTICA, quia Clotarius vnà cum Childeberto fratre de Wisigothis triumphauit [a]. Hæc autem dicta sunto in gratiam Eligij, qui functus est officio Monetarij, priusquàm ad Episcopatum promoueretur. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2.

Eodem anno, quo beatus Acharius Nouiomensium ac Tornacensium Episcopus obiit, Amandus Episcopus Elnonense Monasterium intra fines Tornacensis Diœceseos extruxit. Annum hunc, Christi sexcentesimum vndequadragesimum expressis verbis notat Henschenius in diatriba de Episcopatu Traiectensi. Fauent eidem sententiæ Sanderus aliique qui beatum Amandum Monasteriis Gandensi ac Blandiniensi per octo duntaxat annos inuigilasse tradunt, à prædictis enim Cœnobiis, quibus Abbatem Frorbertum iam præfecerat, non videtur ob aliam causam recessisse, quàm vt peculiarem Monasterij ad Elnonis confluentes in Scarpum nouissimè conditi curam gereret. A nostro computo non recedunt, qui primordia Elnonensis Monasterij referunt ad annum Dagoberti Regis vndecimum ab obitu Clotarij patris, annum enim illum Dagoberti Regis vndecimum cum anno Christi sexcentesimo tricesimonono comparant. Miræus Præceptum, quo Dagobertus Kalendis Maiis anno Regni sui vndecimo fundum Amando Episcopo inter Scarpum & Elnonem fluuios ad ædificandum Elnonense Monasterium tradidisse fertur, citauit in originibus Benedictinis, quas anno Christi millesimo sexcentesimo decimoquarto publicauit, descripsitque libro primo Diplomatum Belgicorum, quem decimo-tertio pòst anno in lucem emisit; annum Dagoberti Regis vndecimum in priori opere cum anno Christi sexcentesimo tricesimo-quarto, in posteriore cum anno Christi sexcentesimo vndequadragesimo contulit, priorem calculum non benè duxit à tempore quo Dagobertus à Clotario patre in Regni consortium vocatus est, posteriorem meliùs iniit à morte Clotarij. Sed cùm nec arbitremur Dagobertum post Clotarij patris obitum annos vndecim regnasse, nec ante annum Christi sexcentesimum tricesimum-nonum exordia Elnonensis Monasterij collocanda censeamus, commentitiis chartis accensemus epistolam Dagoberti, quam Bollandus post Miræum etiam edidit in commentario [b] præuio ad vitam sancti Amandi. *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Dagobertus diuinâ ordinante clementiâ Rex. Deum nobis fore propitium credimus, si ad reformandum & confirmandum religionis cultum præcipuam curam impendimus, & religioni deseruientibus munificentiæ & liberalitatis nostræ manum aperimus. Proinde tam præsentium quàm futurorum solertiam scire volumus, quòd venerabilis vitæ Amandus Episcopus, qui per gratiam Dei filium nostrum Sigebertum baptizauit, iam quibusdam Ecclesiis seu Monasteriis ad augmentum diuini cultûs constructis ac benè dispositis, Excellentiam nostram adierit, & vt non deficiens Dominicæ vineæ cultor, confidens autem de nostra largitatis beneficio, locum situm inter duos fluuios Scarp & Elnonem à nostra liberalitate sibi concedi humiliter petierit. Qui locus licèt esset propter multam siluæ densitatem ad extirpandum difficilis, tamen labori suo, imò post laborem suum, quieti & vsui Deo militantium, quos ibi se iam præmeditabatur per Dei gratiam ordinaturum, videbatur opportunus. Nos igitur considerantes dignam reuerendi Pontificis petitionem, tum propter totius regni nostri ac prolis nostræ stabilitatem ac pacem, tum propter animarum nostrarum salutem, locum, quem petierat, cum vtraque aqua & silua circumquaque succrescente, pronâ animi deuotione concessimus, & concessionem nostram ratâ legum sanctione stabilimus. Præcipimus igitur, & ex auctoritate Regia iubemus, vt nulla secularis & Ecclesiastica persona de loco suprascripto cum aqua & silua præfato Pontifici à mea liberalitate concesso, ipsi Pontifici seu successoribus vllam inquietudinem, aut refragationem vel praiudicium siue violentiam facere tentet, sed potiùs hoc Regalis munificentiæ beneficium tam ipse Pontifex, & quos ipse ordinauerit, quàm qui ei successerint, sine vlla diminoratione absque vlla calumnia & contradictione securè ac perpetualiter habeant & possideant. Quòd si diuina pietas locum ipsum per industriam huius amabilis viri ac successorum eius, & per deuotam largitionem bonorum*

[a] Tomo I. an. 542. nu. 10 & seqq.

VII. ELNONENSIS COENOBII PRIMORDIA.

[b] Die 6. Febr.

AN.CH. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2.

hominum meliorari & amplificari voluerit, quidquid exinde siue in caussis, siue in fredis, siue in pratis, siue in terrarum diuisionibus & redibitionibus, siue aliquo modo ius fisci exigere poterat, in integrum tam præfato Patri quàm successoribus eius concedimus. Ipsum verò locum & res ad eum pertinentes, quidquid etiam largitas Principum vel deuotio quorumlibet fidelium deinceps addiderit, sub tuitionis & immunitatis nostræ defensione consistere volumus. Et, vt hac Regalis auctoritas firma ac inconuulsa perpetuò perseueret, præsens Præceptum manu propriâ subterfirmauimus, & annuli nostri impreßione signauimus; successores etiam nostros, vt in hoc ipsum morem nostrum imitentur, commonemus. Datum Kalendis Maij, Indictione II. *anno* XI. *Regis Domini Dagoberti. Actum Parisius ciuitate feliciter. Amen. Gerardus Notarius ad vicem Dadonis Cancellary recognouit.* Miræus in originibus Benedictinis [a], vbi ad Elnonense Monasterium peruenit, hæc fideliter, vt asserit, ex eiusdem Cœnobij Chronographo transcripsit. *Anno Incarnati Verbi* IↃCXXXIV. *Dominus Amandus Traiectensis Episcop. à Dagoberto Clotharij II. filio, Francorum Rege Christianißimo, pro Monasterio construendo, locum, vulgò à circumfluente fluuiolo Elnone vocitatum, supplex petiit, & cum silua, aquis circumiacentibus & pascuis, munificentia regia beneficio obtinuit. Donatio ipsa Parisiis ciuitate facta est Kalendis May, an.* XI. *Domini Dagoberti, cuius tenor in Archiuis nostris vsque in præsentem diem conseruatur. Loco igitur prænominato, inter duos fluuios Scarp & Elnonem sito, obtento, mox Pater sanctus Monasterium inchoauit.* Atque inde constat prædictum Diploma ex Elnonensi Monasterio prodiisse. Chronologus Elnonensis contra Chronologiam sæpè peccat, vtpote qui mortem beati Amandi coniicit in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-primum, quem lapidibus ab Elnonensibus Monachis insculptum legit. Inprimis Elnonense Monasterium vult inchoatum fuisse ab Amando iam Episcopo Traiectensi, cùm annus Christi sexcentesimus tricesimus-quartus, Dagoberti Regis vndecimus numerabatur, suæque assertioni satis consultum putat, si reticeat Indictionem secundam, quam ceteri testantur appositam Diplomati fuisse. Non tantùm autem Indictio secunda cum anno Christi sexcentesimo tricesimo-quarto non conuenit, sed & idem sentiendum est de anno Dagoberti Regis vndecimo déque Pontificatu Traiectensi S. Amandi, quia Dagobertus à Clotario patre in regni consortem assumptus est anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo, & Amandus anno Christi DCXLIX. Diœcesim Traiectensem administrare cœpit. Dagoberti Regis temporibus apud Francos anni per notas Indictionum non distinguebantur. Ab illa ætate procul remotus erat, qui Regio Diplomati Secundam Indictionem affixit, & per istam Indictionem annum Dagoberti Regis vndecimum anno Christi vel sexcentesimo vndetricesimo vel sexcentesimo quadragesimo-quarto illigare voluit. Denique, vt literas Dagoberti tanquam commentitias reiiciamus, occurrit potentissima ratio, Dagobertus enim Kalendis Maiis anno regni sui vndecimo procul aberat à ciuitate Parisiensi, versabatúrque in Austria testibus Paulo Vitodunensi Episcopo & Fredegario Scholastico, quos ad illud tempus à nobis allegatos simúlque collatos consule. Ceterùm cùm Dagobertus ante annum Christi sexcentesimum vndequadragesimum obierit, Amandus non ab eo sed ab eius filio Clodoueo, Neustriæ ac Burgundiæ Rege, fundum accepit, in quo Monasterium Elnonense construxit.

[a] Cap. 10.

VIII. NOMEN.

Hoc Cœnobium ab Elnone nomen accepit, conditum enim fuit inter Elnonem & Scarpum fluuios. Elnonem à læua recipit Scarpus ad finem pomarij seu prati versùs Septentrionalem plagam ædificiorum prædicti Monasterij. Scarpus in Artesia exortus, primò Atrebatum, tum Duacum alluit, inde illustria Monasteria, Marchianense & Hasnoniense de quibus inferiùs, atque Elnonense prætetlapsus, prope Mortaniam supra Tornacum in sinistram Schaldis ripam egeritur. Ex Elnonensi Cœnobio excreuit oppidum, quod octo vicinos pagos hodie sub sua iurisdictione complectitur, & de sancti Amandi nomine vocatur Amandopolis *. Tribus leucis distat Tornaco, fuit-

* *S. Amand.*

que ſemper intra fines Diœceſeos Tornacenſis. Illius ſitum Philippus Haruengius de Eleemoſyna, Abbas Bonæ Spei, ſic depinxit in vita ſancti Amandi: *Locus ipſe intra Menapiorum poſitus fines, Propontis Neruiſque conterminus, ſicut Regni Germanici & Romani finis eſt Imperij, ſic Belgica Remenſis portio, ſic limes dignoſcitur eſſe Francorum. Hic duobus in vnum conuenientibus fluuiis Elnone & Scarpo, ſpatioſus in medio diſtenditur angulus, circa quem fluentis irrigua prata, paſcualis vbertas, & piſcatio fœcunda porrigitur, dehinc apta venatibus ſilua receſſus productiores offertur. Gleba nec adprimè fertilis nec ieiuna, lactis & mellis copiam prærogat vſibus incolarum.* Scribebat Philippus anno Chriſti circiter milleſimo centeſimo ſeptuageſimo. Per Menapios intellexit Tornacenſes, Bracbatenſes per Propontios, Hainonienſes per Neruios, vt Bollandus ad illum textum iam notauit, quamuis longo temporis tractu non tantùm nomina ſed & limites populorum variè mutati ſint. Elnonem collocauit in finibus Franciæ & Regni Germanici ſeu Romani Imperij, quia prouincias, quæ Rhenum inter ac Schaldim ſitæ ſunt, nouerat iampridem eſſe ſub poteſtate Principum Germanorum, qui renuntiabantur Reges in Comitiis Germanicis, & Imperatores à Romanis Pontificibus coronabantur. Denique Elnonem, qui ſemper ad Epiſcopatum Tornacenſem pertinuit, poſuit in Belgica Remenſi, quia tunc Epiſcopus Tornacenſis Metropolitano Remenſi ſubiacebat. Quomodo populi Tranſrhenani, aliique qui Rhenum & Schaldim interiacent, Francis parere deſierint, ſuis locis oſtendemus. Ætate ſancti Amandi nec in Germania nec in Gallia Belgica nomen Imperatoris audiebatur; Franci totam veterem Galliam Belgicam maximámque veteris Germaniæ partem obtinebant, Elnonenſe Monaſterium erat in prouincia Remenſi, ſed à finibus Franciæ procul aberat. Ætate Philippi Haruengij, Schaldis, qui Belgicam interfluit, conſtituebat limites Franciæ, quibus vicinum erat Elnonenſe Monaſterium, ita tamen vt & ad Franciæ Regnum & ad prouinciam Remenſem pertineret. Hodie verò idem Monaſterium eſt extra fines Franciæ & extra fines prouinciæ Remenſis. Adeò viciſſitudini ſunt obnoxiæ res humanæ!

AN. CH. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2. SITVS.

Amandus in Elnonenſi Monaſterio duas Baſilicas erexit in honorem totidem Apoſtolorum, vnam in honorem beati Petri, alteram in honorem beati Andreæ, de quibus ita Philippus Haruengius iam laudatus. *Huc Dei ſeruus adueniens, præſago mentis intuitu, reclinatorium laborio, pacis domicilium, quietis habitaculum, titulum conſummationis habere diſpoſuit. Sed quia religioni congrua nondum illic ædificia collocarat, ſollicitè conſiderare cœpit, vbi ædificationis noua fundamenta diſponeret. Ingreſſus itaque prædictæ intercapedinis angulum, cœpit dumeta præcidere, conuellere frutices, eradicare carecta, & fluuialium demetens arborum ſtipites, & arundineta demoliens, natiuo terram vellere ſpolians, priſtinæ denſitatis horrorem complanauit in aream, & regularibus officinis locum præparauit aptiſſimum. Iactis itaque fundamentis, in honore Apoſtolorum Principis Petri fundauit Eccleſiam, quem præcipuum ſuæ prædicationis auctorem, laboris ducem, moleſtiæ conſolatorem frequenter habuerat. Extruxit his ardenti ſtudio conuenientes Monaſtico ordini officinas, quæ nec ſuperfluæ curioſitatis ambitum, nec attritæ paupertatis anguſtiam redolerent. Inde retia laxat piſcator ſedulus in capturam, & ſtrenuos vndique colligit cœpti operis adiutores, & inſtitutionum regularium prouiſores fidiſſimos. Conueniunt ad eum viri ſpiritu feruentes, zelantes legem Domini, mandata vitæ propenſiùs amplectentes, & erectam diuini ſeruitij ſcholam celebri proſequentes inſtantiâ. Gaudet Paſtor fidelis de boni gregis augmento, & inuicem grex deuotus ſub tanti Patris regimine de bonorum communium profectibus hilareſcit. Inde nouam à fundamentis in honore beati Andreæ Apoſtoli fabricari iuſſit Eccleſiam, quam dignis Deo famulantium decorauit obſequiis.* Monachos in Elnonenſi Monaſterio à prima inſtitutione collocatos eſſe non tantùm ex hoc Haruengij textu colligimus, ſed etiam ex prologo, quem Ionas Auctor ſynchronus vitæ ſancti Columbani præfixit, vbi teſtatur Elnone ſæpiùs ſe verſari ſoli-

IX. ÆDIFICIA. REGVLA.

AN. CH. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2.

tum cum Amando. *Madefacis*, inquit, *sæpè & lenta Palus Elnonis plantas, ob venerabilis Amandi Pontificis ferendum suffragium.* Et quia sancti Columbani disciplina, quam ipsemet Ionas in Bobiensi Cœnobio didicerat, præ ceteris florebat in Gallia, non aliam existimamus secutos esse, quos Amandus Elnonem Monachos euocauit.

X. *Bavo fit Anachoreta.*

Allowinus, cognomento Bauo, Clericus Gandensis, nec apud Gandam sub Abbatis Florberti disciplina remansit, nec Elnonem profectus est cum Amando magistro, cui comes assiduus à multis annis adhæserat, sed anachoreticæ vitæ studio inflammatus eremum expetiit. *Captâ temporis & loci opportunitate*, inquit Theodoricus in eius vita, *saltum, quem Beilam nuncupant, ingressus est, vbi repentè in remotiori deuexa vallis latere annosa fagus oculis eius offertur, cuius concauitatis pedum non minùs sex spatiosa altitudo in modum fornicis camerata, & quæ hominem erectum posset aluo sustinere. Hoc quasi habitaculum ab Angelis Dei sibi reputans præparatum ingreditur tanta cum iucunditate, velut si totius orbis delicias angusto secum clausisset in pariete. Per aliquot dies occultus, latere non potuit, & cùm à populo frequentaretur, infelicem esse se indicans, nocturno silentio iterum loco cedit. Est vsque hodie* (scripsit Theodoricus ineunte duodecimo seculo) *eandem miræ magnitudinis fagum videre, quæ in æternam huius sancti Dei memoriam adhuc continet in se antiquum altare, vbi & Presbyter parochiæ frequenter Ecclesiam euocat & communicat. Nec desistit arbor contra morem tam annosa adhuc florere & germinare, in qua latuit flos ille, de quo dicitur* [*florete flores quasi lilium.*] *Quorum florum amœnitate delectata in epithalamio suo loquitur Sancta Ecclesia* [*fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*] *Igitur inde digressus, longa rursus per dispendia aliam requirit eremum Athleta Dei Allowinus, Medmedung nomine, à sua Ganda distantem, duorum tantummodò milliariorum itinere. Locus in densissimum nemus syluescens, vastâ & penè inaccessibili palude distentus, pomorum quoque quæ gignit saltus & nucum ferax, prætereà amnis leni murmure præterfluens facilè habitationem suadent. Ingreditur cum sarculo, humum sarrit, cellulam permodicam erigit, & in ea se quasi sepelit. Cibos saltus ministrabat, amnis potum. Vestimenta ipse detulerat secum, sagum & cilicium, quæ non frigus arcerent, sed nuditatem prohiberent, non mollitiem suaderent, sed carnem domarent.*

XI. *Blitmundus Abbas Monast. S. Walerici.*

Blitmundus, qui superstite in viuis Clotario Secundo Rege ex Italia in Galliam ad sancti Walerici tumulum anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo peruenit, vitam videtur ad Principatum vsque Clodouei Secundi perduxisse. *Locum S. Walerici*, vt in eiusdem sancti Walerici vita legitur, *fretus ope Clotarij Regis & Ambianensis Episcopi egregiè instaurauit, eique aliquandiu Abbas cum multa laude præfuit.* Rem eandem fusiùs ac distinctiùs ita describit Hugo Menardus in obseruationibus [a] ad Martyrologium Benedictinum. *Cùm ad locum venisset Sanctus Blitmundus, eum vepribus & spinis horrentem inuenit. Iis accisis cellam ædificauit, in qua aliquot annos vitam eremiticam egit. Cùm verò non pauca per Dei gratiam operaretur miracula, multi vitæ monasticæ studio ad eum cucurrerunt, & constructo Monasterio eum Abbatem elegerunt. Ibi vitam Angelis quamsimillimam Monachi cum beato suo Abbate traducebant. Circa eundem locum erant quædam antiquæ superstitionis reliquiæ, quas Sanctus Blithmundus cum suis Monachis extirpauit, prostratis etiam quibusdam simulachris, quæ ibi residua erant. Tandem multis exantlatis pro Christo & animarum salute laboribus in cœlum traductus est. Eius sacræ reliquiæ adhuc visuntur in Monasterio ab illo ædificato, quod de nomine Sancti Walerici dicitur, situmque est ad littus maris in Diœcesi Ambianensi. Eius festum celebratur tertio Ianuary in eodem Monasterio.* Hæc vera credimus, sed apud eundem Auctorem ista præcedunt, quibus fidem integram adhibere non possumus. *Post eius*, nempe Walerici, *mortem Sanctus Blithmundus omnium suffragiis & votis ei suffectus est. Sed cùm bella in dies deflagrarent, Monachis huc & illuc dissipatis, ad Sanctum Attalam Bobiensis in Italia Monasterij Abbatem venit, vbi aliquot annos sub districtioris vitæ disciplina commoratus est.*

[a] Lib. 1. die 3. Ian.

AN. CH. 639.
SIGIB. III. R. 7.
CLOD. II. R. 2.

Extincto bello in Picardiam ad sepulchrum Sancti sui Magistri redire appetiit: quod illi concedere S. Attala nolebat, qui à tanto viro distrahi non poterat. Intereà contigit Sanctum Attalam membrorum vsu orbari, itaut ire in templum non valeret, nisi à Sancto Blithmundo suffultus. Cúmque hoc pacto simul incederent, videbatur S. Attala se per aera sublatum trium pedum altitudine cum Sancto Blithmundo ambulare. Quo permotus S. Attala ipsi ad sepulchrum Sancti Valerici remeare concessit. Lege vitam sancti Walerici, quam Anonymus eius propè æqualis conscripsit [a]. Lege & ea, quæ superiore Tomo de sanctis Walerico & Blitmundo scripsimus ad annos huiusce septimi seculi, vicesimum-tertium [b], vicesimum-quintum [c] & vicesimum-septimum [d]. Transiit in cælum beatus Walericus tertio Idus Decembris, anno Christi sexcentesimo vicesimo-tertio, cùm Clotarius Secundus annum Regni quadragesimum agebat. Illo anno nihil turbarum auditum est ad Somonam, quieuit enim à bello tota Francia, vt patet ex Fredegarij Chronico, vbi ne verbum quidem de rebus Francicis ad illum annum habetur, enarrandis verò negotiis exterarum gentium, Winidorum scilicet ac Langobardorum, vix quatuor capita [e] sufficiunt, & anno sequenti quo Dagobertus Austrasiæ Rex Chrodoaldum Treuiris interfici iussit, Austrasius ille tumultus, quem idem Auctor describit, procul ab Oceano ostióque Somonæ detonuit. Nullum igitur in Neustria bellum exarsit, quod sancti Walerici discipulos post eius mortem huc illúcque dissiparit, & Blitmundum in Italiam ad Attalam Abbatem Bobiensem abire compulerit. Certè cùm Blitmundus post aliquot annos circa locum, vbi beatus Walericus obiit, ethnicæ superstitionis reliquias extirparit, euerteritque nonnulla simulachra quæ ibi residua erant, existimamus sancti Walerici discipulos, qui post eius mortem Patre ac Pastore orbati erant, aliò migrasse ne caderent in manus Gentilium, quorum furor in Cœnobium ab eodem sancto Walerico priùs erectum totus desæuiit. In vita sancti Walerici ab Anonymo suprà laudato exarata, cui potior fides quàm scriptis ab Hugone Menardo concinnatis haberi debet, Blitmundus statim à beati Walerici morte non Abbas ei subrogatur, imò laudatur tanquam absens, qui tum in Bobiensi Monasterio sub Attala Abbate regulariter viuat. Textum, cuius fragmenta superiore Tomo recitauimus, integrum accipe. *Accidit autem, vt ex Sancti viri*, nempe Walerici, *Cænobio Monachi discedere compellerentur. Cúmque id fratres deseruissent, S. Bernardus Episcopus B. Walerici sacrum corpus ad suam Ambianensem ciuitatem transferre nitebatur. Verùm vbi factâ oratione corpus effodi iussit, nihil potuit proficere. Tum ille, oremus, inquit, Dominum; vereor enim, ne simus propositi nostri effectum habituri. Orant igitur attentiùs, & bis térque admouent manus sacro corpori è terra leuando, sed illud prorsus sentiunt immobile. Sicut enim viuens eam solitudinem Sanctus Walericus dilexerat, ita visus est & defunctus ab eo nolle auelli. Decreuerat enim praepotens Deus, vt Blitmundus, quem vir Dei enutrierat, qui tum in Bobiensi Monasterio sub Attala Abbate regulariter viuebat, & ab eodem crebrò postulabat, vt ei faceret potestatem eundi ad eum locum, in quo B. Walericus conditus esset, opportuno tempore Monasterium instauraret. Perseuerante enim Blitmundo in prece, B. Attala in morbum difficilem incidit, & cùm die quodam iret ad Ecclesiam, imbecillia membra eius Blitmundus sustentabat, ad quem sic ait Abbas Attala. Fili mi, quod crebrò à me petiisti, id tibi modò permissum esto. Ille verò non satis intelligens quid sibi vellet, ait ad eum. Quò me iubes ire, Pater? Sanctus Attala respondit. Ad locum S. Walerici, vti sæpè postulasti, habeas proficiscendi licentiam, video enim illum in immensa claritate. Paulò pòst S. Attala migrauit ad Dominum, & Blitmundus in Galliam veniens, locum S. Walerici fretus ope Clotarij Regis & Ambianensis Episcopi egregiè instaurauit, eique aliquandiu Abbas cum multa laude præfuit*, Sanctus Attala Prophetarum more locum beati Walerici vidit *in immensa claritate.* Nam Monasterium sancti Walerici, quod post eius mortem à paganis solo æquatum fuerat, Blitmundus ex Italia in Galliam ab eodem Attala Bobiensi Abbate missus *egregiè instaurauit fretus ope Clotarij Regis & Ambianensis Epi-*

[a] Apud Sur. die 1. April.
[b] Num. 1.
[c] Num. 12.
[d] Num. 7.
[e] Capp. 48. 49. 50. 51.

AN. CH. 639. SIGIB. III. R. 7. CLOD. II. R. 2.

scopi. Clotarius Rex è viuis discessit anno Christi DCXXVIII. Seriùs obiit Borhardus seu Bernardus Episcopus Ambianensis, cuius successor superstes erat anno Christi sexcentesimo duodeseptuagesimo, nec memoratus inuenitur ante Concilium Cabilonense, cui sub Clodouco Secundo, prædicti Clotarij nepote, subscripsit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto. Dagobertus patri Clotario successit in Neustriam, eámque ab anno Christi sexcentesimo duodetricesimo ad annum vsque Christi sexcentesimum duodequadragesimum integro fermè decennio rexit; Blitmundum Abbatem cunctámque Congregationem, cui præerat, singulari prosecutus est beneuolentiâ regiâque locupletauit liberalitate, villam enim Ratheri * cum suis appendiciis Cœnobio sancti Walerici contradidit, vt in Historia Abbatis-villæ & Archidiaconatûs Pontiuensis testatum habetur [a]. Blitmundus Dagoberto Regi superstes vixit, & ad Deum migrauit tertio Nonas Ianuarij, quo die celebris est eius memoria. Successit in regimen Monasterij Ragnebertus seu Ragimbertus, Sammarthanis Ragembaldus, *vir eruditus, qui miracula, quæ post eius*, id est, sancti Walerici, *obitum diuina potentia effecit, piò studio, multo labore & sermone copioso quidem sed admodum simplici conscripsit*, vt affirmat Auctor coætaneus, qui vitam beati Walerici literis commendauit [b].

* *Ratierville.*

[a] Cap. 84.

RAGIMBERTVS EIVS SVCCESSOR.

[b] Ap. Sur d. 1. Apr.

XII. MODOALD. EP. TREVIR. OBIT.

His circiter temporibus obiit Modoaldus Treuirensis Episcopus, quem Dagoberto Regi superstitem vixisse tradit Sigebertus in suo Chronico. Falluntur, qui Pontificatum illius apud Kyriandrum [c] protogant ad annum vsque Christi sexcentesimum octogesimum-quintum. Seueræ sorori haud diu superstes fuit teste Stephano Abbate Leodiensi, sepulturâ donatus est in Ecclesia sancti Symphoriani quarto Idus Maias, quo die colitur in Tabulis Ecclesiasticis. Successit in Episcopatum Rusticus, qui speciem viri boni præseferebat.

[c] Part. 9.

SVCCEDIT RVSTICVS.

XIII. TRVDO PVER MVLIERI VISVM RESTITVIT.

Circa hæc eadem tempora Trudo, cùm pubertatem nondum attigisset, mulierem luminibus orbatam sanauit suis precibus, idque miraculorum fuit initium, quod à Donaro in eius vita sic describitur. *Quodam die nimio feruore diuini amoris succensus, dum in cuiusdam agri planicie congeriem lapidum conspexisset, quoddam fundamentum ad modum Ecclesiæ ex eisdem lapidibus puerili arte construens, preces Omnipotenti Domino fudit, quòd si ei spatia vitæ dedisset, vt parentum suorum hæres extitisset, in sua propria hæreditate Ecclesiam ædificaret. Quam deuotionem adiuuante Deo post plures annos adimpleuit. Sed antiquus humani generis hostis votum beati pueri aspiciens, more solito inuidens ingemuit. Contigit autem vt quædam mulier per eundem transiret locum, in quo sanctus Trudo fundamentum Basilicæ statuit, quam inuidus inimicus posse prosternere facilè conspiciens contra beatum puerum instigauit. Illa namque illico dictum opus irridens procacique vultu aggrediens nefandis calcibus lapides dispersit per agrum. Sed Dominus iniuriam serui sui conspiciens, illam mulierem dignâ vltione perculit. Nam celeri vltione perculsa est. Obstupuit igitur illa, magnisque clamare vocibus cœpit. Heu, inquit, quænam sunt hæ tenebræ quæ circumcinxerunt me? Num vsquam præsente Sole nox quemquam inuoluit? His itaque clamoribus & immensis plangoribus vicini habitatores loci illius concursu non modico velociùs affuerunt, eámque diligentiùs interrogauerunt quid sibi accideret vt his eos clamoribus congregaret. Ast illa cum fletu & gemitu magno, ob iniuriam beati Trudonis confessa est sibi contingere cæcitatem. Accersitus autem sanctus puer celeriter affuit. Rogaueruntque eum vniuersi suppliciter, vt facinus quod in se mulier perpetrauerat clementer indulgeret, & pro delictis illius immortali Domino funderet preces. Ast ille misericordiâ motus cum lacrimis pronus in terram Omnipotentem Dominum pro illa deprecatus est. Statímque exaudiuit eum Dominus, & ecce mulieri amissum celeriùs reddit visum. Noluit enim sanctus propriam iniuriam vlcisci, sed econtrà præbuit indulgentiæ fructum.*

AN. CH. 640.
SIGIB. III. R. 8.
CLOD. II. R. 3.

ANNVS
CHRISTI 640.
SIGIBERTI III. R. 8.
CLODOVEI II. R. {4. 3.

I. INEVNTE anno Christi sexcentesimo quadragesimo, siue, vt Fredegarius supputat, exeunte anno tertio Clodouei Regis obierunt ambo Maioresdomûs Æga & Pipinus, ille in Neustria, hic in Austriâ. Ægam anno Clodouei Regis tertio mortuum docet Fredegarius [a] his verbis, *anno III. regni Clodouei Regis, Æga in Clippiaco villa vexatus à febre moritur.* Annus tertius Clodouei Regis per decem menses anno Christi sexcentesimo tricesimo-nono, per duos postremos menses anno Christi sexcentesimo quadragesimo illigatur. Ægæ siue Æganæ mortem ineunte anno Christi sexcentesimo quadragesimo, & Clodouei Regis exeunte tertio contigisse restatur [b] idem Author, dum scribit Clodoueum *post discessum Ægana* perrexisse Aureliam, ibique in Maioremdomûs à Burgundionibus electum fuisse Flaocatum anno quarto eiusdem Regis iam inchoato. Pipinus obiit nono Kalendas Martias, & quia eædem Kalendæ alteri anno initium daturæ erant, Ægam mortuum priùs Pipino putamus. Thesauros; quos Dagobertus nuper mortuus reliquerat, apud Compendium diuiserunt Æga & Pipinus anno Clodouei Regis secundo, *post anni circulum*, vt Fredegarius [c] proximè subiungit, *Pipinus moritur, nec paruum dolorem eiusdem transitus cunctis generauit in Auster, eò quòd ab ipsis pro iustitia cultu & bonitate eiusdem dilectus fuisset.* Decessit igitur secundùm Fredegarium tertio Clodouei Regis anno. Ille autem annus Clodouei Regis tertius, quia principium eius à Kalendis Martiis apud Fredegarium petitur, nono Kalendas Martias, quo die mors Pipini consignatur, componitur cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo, cuius initium à prioribus Kalendis Ianuarij ducitur. A Fredegario quem exscribebat recessit Anonymus [d] in Gestis Dagoberti Regis, vbi Pipinum non *post anni circulum* vt in Fredegario legitur, *sed ferè euoluto anni circulo* mortuum scripsit, ex quo thesauros regios apud Compendium diuiserat. Aimoinus [e] à Fredegario, quem præ manibus habuit, æquè dissentit, obitum enim Pipini refert anno post Æganæ mortem euoluto, vterque verò apud Fredegarium eodem anno, Clodouei Regis tertio, atque, vt inferiùs obseruabimus, septimo Sigiberti moritur.

[a] Cap. 83. ÆGA MAIORDOM. NEVSTRIÆ ET BVRGVNDIÆ MORITVR. [b] Cap. 84. [c] Cap. 85. OBIT PIPINVS MAIORDOM. AVSTRIÆ. [d] Cap. 47. [e] Lib. 4. c. 38.

II. Æga vituperatur à Iona in vita sanctæ Burgundofaræ, quòd illius *aduersabatur Cœnobio, terminósque violabat, & omnem familiam eius circummanentem, quacumque potuit occasione persequebatur*, idque videtur præstitisse regnante Dagoberto, cùm Sigibertus cunctis Austrasiani Regni ditionibus, inter quas Meldæ erant, nondum potiebatur. A ceteris Authoribus commendatur plurimùm. Paucis autem priusquàm moreretur diebus, Ermenfredus qui filiam eius in vxorem acceperat, vt apud Fredegarium [f] legitur, *Ainulfum Comitem in Albiodero vico in mallo interfecit. Ob hanc rem strages de suis rebus, iussione & permissu Nanthilda, à parentibus Ainulfi & populo plurimo fitur. Ermenfredus in Auster Remis ad Basilicam Sancti Remedy fecit confugium, ibique diebus plurimis hanc infestationem deuitando, & regia timore resedit.*

[f] Cap. 83.

III. *Post discessum Ægana, Erchinoaldus*, teste eodem Fredegario [g], *Maiordomûs qui consanguineus fuerat de genere* (vel vt alij Codices habent *de genitrice*) *Dagoberti, Maiordomûs Palatij Chlodouei efficitur. Erat homo patiens & bonitate plenus. Cùm esset sapiens & cautus, humilitatem & benignam voluntatem circa Sa-*

[g] Cap. 84. SVCCEDIT ERCHINOALD. IN MAIORAT. NEVSTR.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

cerdotes, omnibus patienter & benignè respondens, nullâque tumens superbiâ neque cupiditate saeuiebat. Tantae in suo tempore pacis sectans fuit, vt Deo esset placabile. Erat sapiens, sed inprimis cum simplicitate, rebus mensuratè ditatus, ab omnibus erat dilectus. Erchinoaldus Maioratum domûs Regiae suscepit in sola Neustria, nam paucis pòst diebus Clodoueus Rex & Nanthildis Regina profecti sunt Aureliam, vbi Flaocatus Maiordomûs à Burgundionibus est renuntiatus anno Clodouici Regis quarto iam coepto, vt inferiùs ex Fredegario recitabimus. Interim nono Kalendas Martias, cùm annus tertius Clodouei Regis adhuc numerabatur, obiit in Austria Pipinus, vt obseruatum est suprà.

IV. LAVS PIPINI.

Pipinus ab Auctore vitae, quem Andreas Duchesnius publicauit, praedicatur *vir probatissimae vitae ac purissimae famae, sapientiae domicilium, consiliorum thesaurus, defensio legum, controuersiarum finis, munimentum patriae, curia Ducum & disciplina Regum.* Sepultus fuit primùm Landis, deinde Niuigellae iuxta filiam Gertrudem. Ad illam Translationem agemus de veneratione quâ colì meruit à posteris. Landae * tenue nunc Brabantiae oppidum est ad Getam * amnem, vnde recentiores Scriptores Pipino cognomen fingunt antiquis ignotum, *Landesij* seu *Landensis*, *Landini*, *Landisij*, *à Landis* & *Laudiniensis*, nec abstinebimus ab isto cognomento, vt auum à nepore distinguamus. Errant qui Pipinum Bracbanti seu Brabantiae Ducem praedicant, nam Brabantiae Ducatus aliquot pòst seculis nominari coepit. Aetate Pipini Bracbantum erat ea praecipuè regio, quae nunc Scaldi * Sennâque * concluditur, & ab Aldenarda *, Gandauo, Teneramunda *, Bruxellam vsque & Hallas * altiúsque protenditur. Pars illius in Flandrensium, pars in Hainoensium Comitum ius postea concessit, pars à Comitibus Louaniensibus est retenta, qui se inferioris Lotharingiae ac Brabantiae (à Bracbanto ductâ nomenclaturâ) Duces appellarunt, ditione ad Mosam & Batauiae limites productâ. Multas possessiones habebat Pipinus cùm in Bracbanto tum in Hasbanio * vbi Landas struxit, aut saltem excoluit.

* *Landen.* * *la Gete.* * *l'Escault.* * *la Senne.* * *Oudenarde.* * *Dendermonde.* * *Hal.* * *la Hesbaye.*

V. VXOR, LIBERI.

Pipinus, vt in eius vita legitur, ex Itta siue Iduberga vxore tres reliquit liberos, Grimoaldum, Beggam & Gertrudem. *Grimoaldus sese cum Sancto Cuniberto Pontifice in amicitia fortiter strinxit, cumque esset vir strenuus, & instar patris diligeretur à pluribus, factus est Maiordomûs in Palatio Sigeberti, & omne Regnum Austrasiorum in manum eius confirmatum est vehementer. Begga Duci Ansigiso felici matrimonio coniuncta generosae familiae ac nobilissimorum Regum mater extitit. Genuit siquidem Pippinum ex se iuniorem, sicut nomine ita factis quoque & moribus omni honestate vitae auo consimilem. Virgo Gertrudis electissima fuit Angelorum sponsa.* Ioannes Chapeauillus in notis ad caput quinquagesimum-quartum Harigeri Abbatis ex marginali annotatione manuscripti Codicis Aureae Vallis inter Pipini liberos addit Viuentiam, quae Coloniae in Coenobio sanctarum virginum quiescit. Colitur beata Viuentia decimo-sexto Kalendas Aprilis, quo die colitur & beata Gertrudis Pipini filia, ideóque fortasse quidam suspicati sunt eas sorores fuisse, sed vt id astruamus, nullum ex antiquis Authoribus erui potest argumentum. Lege Chapeauillum loco citato, & Bollandum [a] in prolegomenis ad vitam beati Pipini.

[a] Die 21. Febr.

VI. GRIMOALDVS FIT MAIORDOMVS AVSTRIAE.

Fredegarius postquàm mortem Pipini narrauit, de Grimoaldo eius filio, cui Otto Beronis filius aduersari conatus est, haec proximè subiungit [b]. *Grimoaldus filius eius, cùm esset strenuus, ad instar patris diligebatur à plurimis. Otto quidam filius Beronis Domestici, qui baiolus Sigiberti ab adolescentia fuerat, contra Grimoaldum superbiâ tumens, & zelum ducens, eúmque despicere conaretur, Grimoaldus cum Chuniberto Pontifice se in amicitiam constringens, coeperat cogitare, quo ordine Otto de Palatio eiiceretur, & gradum patris Grimoaldus adsumeret.* Hunc patris gradum statim adeptus est; octauo enim Sigiberti Regis anno, qui die post Pipini mortem nono seu proximis Kalendis initium sumpsit, primus è Ducibus Sigiberti nominatur à Fredegario [c], praeponitúrque Adalgiselo Duci, qui sub Sigiberto Rege primum inter Austrasiae Primates absente Pipino, secundum

[b] Cap. 86. [c] Cap. 87.

AN.CH. 640.
SIGIB. III. R. 8.
CLOD. II. R. 3.

cundum eo præſente locum obtinuit. Fredegarij textum infrà recitabimus, cùm ſermonem faciemus de bello Turingico, quod hoc anno, Sigiberti Regis octauo, infeliciter geſtum eſt. Interim ex octauo illo Sigiberti Regis anno, quo Grimoaldus gradum Pipini patris iam adſumpſerat, aduerte quàm benè ipſum Sigibertum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio poſt Kalendas Martij, ſiue anno Dagoberti Regis duodecimo iam inchoato, Regem à Dagoberto patre conſtitutum diximus. Nam ſi juxta vulgata Fredegarij [a] exemplaria, quæ illo loci corrigenda monuimus, Sigibertus anno Dagoberti Regis vndecimo Principatum iniit, Pipinus qui nono Kalendas Martias obiit, & annum Sigiberti Regis octauum non attigit, Dagoberto Regi ſuperſtes fuit vno duntaxat anno diebúſque tribus ac triginta, quod eſt apertè contra mentem Fredegarij, qui Pipinum mortuum aſſerit [b] *poſt anni circulum*, ex quo Dagobertini theſauri diuiſio apud Compendium facta fuerat; & à morte Dagoberti Regis vſque ad illam regiorum theſaurorum partitionem plura oſtendit intereeſſiſſe negotia, quàm vt vno menſe diebúſque duobus confecta cenſeantur, neque enim tam breui temporis interuallo Pipinus è Neuſtria in Auſtriam rediit, ex Auſtria in Neuſtriam profecti ſunt Legati qui regiarum opum partem nomine Sigiberti repoſcerent, dies locúſque indicta ſunt huic negotio, Cunibertus Colonienſis Epiſcopus & Pipinus Maiordomûs ex Auſtria Compendium perrexerunt, habito cum Clodouei conſiliariis colloquio regales theſauros partiti ſunt, atque ad Sigibertum reuerſi ſortem quæ obtigerat ei Metis exhibuerunt.

VII.

LITERAS ACCIPIT A DESIDERIO EPISCOPO CADVRC.

Deſiderius Cadurcenſis Epiſcopus ſtatim ac Grimoaldum patri ſucceſſiſſe reſciuit, has ad eum literas direxit [c]. *Domino inluſtri, totius aulæ imóque Regni rectori Grimoaldo Maioridomûs, Deſiderius exiguus ſeruus Dei Pagellari officio ſuggero, vt horum portitorem apicum commendatum digneris recipere, & quæque ore proprio ſuggeſſerit, effectui iubeatis mancipare. Et quia cupio me veſtris animis eo ordine commendare, quo parentum veſtrorum affecta ſum vnico deuinctus, precor vt illam gratiam genitoris veſtri, erga me tenere digneris, quæ me vobis faciat placabilem, & veſtram mihi præſtet ſemper optabilem. De conditiuncula etiam Eccleſiæ noſtræ & pauperum ſuorum ſingulari mercede ſtudete habere, eáſque per omnia habete commendatas. Nos quoque in ſinu gratiæ veſtræ, non vt meremur, ſed vt optamus atque confidimus, paterno confouete affectu. Et ſi de hoc, quod ſuggeſſimus, ſperata conceditis, ſimul & de veſtra ac Domini Regis vel fratrum veſtrorum incolumitate, aut quicquid nos ſcire rectè cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare. Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur.* Grimoaldo fratres fuiſſe non legimus, fratris nomine Leuitum ac Sororium à Deſiderio deſignatos arbitramur. Vt de coniuge, ſic de Leuiris Grimoaldi nihil accepimus. Eius Sororius erat Anſegiſus Arnulphi Metenſis expræſulis filius, cui nupſerat Begga ſoror natu maior Gertrude. Scripſit [d] poſteà Deſiderius alias ad eundem Grimoaldum literas, quibus teſtatus eſt ſummoperè ſe cupere certiorem fieri de ſalute cùm Sigiberti Regis tum patrum ac fratrum ipſius Grimoaldi; fratres eo quo priùs vſurpauit ſenſu; patrum nomine aut parentes ſeu conſanguineos intellexit, aut matrem cum ſocero & ſocru, è quibus Ittam Grimoaldi matrem in viuis adhuc ſuperſtitem fuiſſe conſtat, nihilque prohibet quominùs idem de ſocero ac ſocru aſſeramus. Author [e] Annalium Metenſium vult Pipinum Anſegiſi & Beggæ filium in lucem editum fuiſſe ſuperſtite vtroque auo Arnulpho ac Pipino, à quorum altero qui prole maſculâ carebat, hæres inſtitutus, & ab altero qui Metenſem Pontificatum gerebat, diuinis & humanis diſciplinis frequentiſſimè ſit roboratus. *Sanè*, inquit, *quia huic*, nempe Pipino Landenſi, *maſculini ſexûs proles defuerat, nepoti ſuo Pippino ſuperſtiti nomen cum Principatu dereliquit.* Et paucis interiectis. *Erat ei cognatione auus quidam vir plenus virtutibus Arnulfus nomine, Mettenſis vrbis Epiſcopus. Hic omnium Francorum coram Deo & hominibus patronus præcipuus habebatur. Ipſe illum nihilominùs ſacris monitis, diuinis & huma-*

[a] Cap. 75.
[b] Cap. 85.
[c] Epiſt. 6.
[d] Epiſt. 2.
[e] Ad an. 687.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

nis, frequentissimè, vt ad potiora conualesceret, roborabat disciplinis. Beggam Ansegiso nuptam credimus antequàm Pipinus & Arnulphus ex hac vita discederent; sed Pipino, qui filium Grimoaldum reliquit, proles non defuit mascula; & Arnulphus, qui Pontificatu sponte abdicato in solitudine per plures annos delituit, nec Ecclesiam Metensem regebat cùm Pipinus Dux obiit, nec Pipinum è filio nepotem disciplinis erudiuit; imò hic Pipinus, qui posteà cognomento Crassus fuit, post vtriusque aui mortem natus videtur, nullum enim in antiquis Historiis occurrit argumentum, vnde quis probare possit eum septuagenario maiorem extitisse, vixit autem vsque ad annum Christi decimum-quartum supra septingentesimum, qui numeratur ab aui Pipini morte septuagesimus-quartus, ab obitu beati Arnulphi septuagesimus tertius, & ab eiusdem secessu in eremum octogesimus octauus.

VIII. ITTA ET GERTRVDIS RENVNTIANT SECVLO.

VIII. Itta, mortuo Pipino marito, elegit sanctæ continentiæ propositum, vt quia primam illam virgineæ integritatis palmam assequi non poterat, proximum saltem virginitati ac penè coniunctum viduitatis meritum obtineret. *Tum verò matri viduæ Gertrudis sedula adhærebat, eiúsque iussis officiosè, sobriè & castè inseruiebat. Cùm verò mater eius quotidianas susciperet curas & cogitationes de familia & filia orba Gertrude, vir Dei Amandus Episcopus ad eius venit ædes, verbum Dei prædicans. Rogauit autem eam, vt sibi & filiæ Christíque familiæ Cœnobium construeret. Postquam igitur à sancto Episcopo rem ad animarum salutem pertinentem didicit, mox sacro accepto velamine facultates suas omnes séque Deo obtulit. Res ea malè habebat antiquum humani generis hostem diabolum, qui ab initio semper pios omnes stimulante inuidiá insectatus est. Itaque incitauit quorundam animos in illam, ídque adeò vt ab illis qui ad exequendam Dei voluntatem adiutores se ei præbere debuerant non parum molestiæ pateretur, immò multas perferret iniurias, multá afficeretur ignominiá & rebus necessariis priuaretur cum sancta Gertrude filia sua. Ne verò animorum corruptores, Dei famulam Gertrudem ad illecebrosas huius mundi voluptates vi adhibitá pertraherent, arreptá forfice, capillos eius ita abscidit, vt coronæ similitudinem referre viderentur. Interim lætabatur sancta Gertrudis, & gratias agebat Deo, quòd in hac vita momentanea pro Christi amore coronam in capite suo repræsentare meruisset, vt in illa vita sempiterna coronam perpetuam ob corporis & animæ integritatem digna esset percipere. Præstitit autem Deus eis pacem ab aduersariis, & pars diaboli victa est. Deinde verò mater eius Christi Sacerdotibus eam tradidit, à quibus cum sodalibus sacrum acciperet velamen, eámque toti illi Sanctimonialium congregationi voluit esse præfectam.* Hæc Authot synchronus [a] in

[a] Ap. Sur. d. 17. Mart. vita sanctæ Gertrudis, de cuius assumptione in Abbatissam post septennium fusiùs agemus.

IX. BELLVM TVRINGIC.

IX. Fredegarius bellum Turingicum, quod post Pipini mortem hoc anno, Sigiberti Regis octauo, gestum est, ita describit [b]. *Cùm anno* VIII. *Sigibertus regnaret, Radulfus Dux Toringiæ,* de quo iam ante sexennium locuti sumus, *vehementer contra Sigibertum rebellandum disposuisset, iussu Sigiberti omnes leudes Austrasiorum in exercitum gradiendum banniti sunt. Sigibertus Renum cum exercitu suo transiens, gentes vndique de vniuersis Regni sui pagis vltra Renum cum ipso adunatæ sunt. Primo in loco filium Chrodoaldi nomine Farum, qui cum Radulfo vnitum habebat consilium, exercitus Sigiberti trucidans rupit, ipsúmque interfecit. Omnem populum huius Fari, qui gladium euasit, captiuitati deputant. Omnes Primates & exercitus dextras in inuicem dantes, vt nullus Radulfo vitam concederet. Sed hæc promissio non sortitur effectum. Sigibertus deinde Buconiam* * *cum exercitu transiens, Thoringiam properans, Radulfus hoc cernens, castrum lignis munitum in quodam monte super Vnestrode* * *fluuio in Toringia construens, exercitum vndique, quantum plùs potuit, colligens, cum vxoribus & liberis in hoc castrum ad se defendendum stabiliuit. Ibíque Sigibertus cum exercitu Regni sui veniens, castrum vndique circumdat exercitu. Radulfus verò intrinsecus ad prælium fortiter præparatus sedebat. Sed hoc prælium sine consilio initum est. Hac adolescentia Sigiberti Regis patrauit, cùm alij eodem die vellent procedere ad bellum, & alij*

[b] Cap. 87.

* *La Buchonie.*

* *La riuiere d'Vnstrut.*

AN. CH. 640.
SIGIB. III. R. 8.
CLOD. II. R. 3.

in crastino, nec vnitum habentes consilium. Grimoaldus & Adalgiselus Duces hac cernentes, Sigiberti periculum zelantes, eum vndique sine intermissione custodiunt. Bobo Dux Aruernus cum parte exercitûs Adalgiseli, & Ænonalaus Comes Sogiontensis (ex illo textu obiter nota in potestate Sigiberti fuisse Comitatum Sogiontensem seu Sugintensem *, aliósque vicinos, de quibus inter Theodobertum & Theodoricum fratres, Austrasiæ Burgundiæque Reges, lis orta quondam fuerat, vt Tomo [a] superiore diximus) *cum pagensibus suis & cetera exercitûs manus plurima, contra Radulfum ad portam castri protenus pugnandum perrexerunt. Radulfus cùm aliquibus Ducibus exercitûs Sigiberti fiduciam haberet, quòd super ipsum voluissent viribus inruere, de castro per portam prorumpens, super exercitum Sigiberti cum suis inruens, tanta strages à Radulfo cum suis de exercitu Sigiberti fitur, vt mirum fuisset. Magancenses in hoc prælio non fuerunt fideles, fertur ibíque plurima millia hominum fuisse gladio trucidata. Radulfus patratâ victoriâ in castrum ingreditur. Sigibertus cum suis fidelibus graui amaritudine mœrore adreptus, super equum sedens, lacrimas oculis prorumpens, plangebat quos perdiderat. Nam & Bobo Dux & Ænonalaus, & ceteri nobilium fortissimi pugnatores, seu & plurima manus exercitûs Sigiberti Regis, qui cum ipsis in congressione certaminis sunt adgressi, conspiciente Sigiberto in hoc prælio fuerunt trucidati. Nam & Frendolfus Domesticus, qui amicus Radulfo fuisse dicebatur, in hoc prælio occubuit. Sigibertus eâdem nocte, nec procul ab ipso castro, in tentoriis cum suo mansit exercitu. In crastino videntes quòd Radulfo nihil praualuissent, missis discurrentibus, vt pacificè Renum iterum transmearent, cum Radulfi conuenientia Sigibertus & eiusdem exercitus ad proprias sedes remeant. Radulfus superbiâ elatus, ad modum Regis in Toringia se esse censebat, amicitias cum Winidis firmans, ceterísque gentibus, quas vicinas habebat, cultum amicitiæ obligabat. In verbis tamen Sigiberto regimen non denegabat. Nam in factis fortiter eiusdem resistebat dominationi.* Sigebertus Gemblacensis in vita Sigiberti Regis bellum hoc Turingicum reiicit in annum sequentem, cùm Sigibertus annum vitæ duodecimum, regni nonum, agebat; addítque Sigibertum, *quia cum ætate ei robur & industria accreuit, non anteà ab inimicorum insecutione* destitisse, *quàm superbiam eorum domuit, & Thuringos, qui instinctu Radulphi rebelles erant, sub iugo dominy sui victos & confusos reflexit.* At in anno, quo cladem Sigibertus accepit, annotando standum potiùs à Fredegario synchrono putamus. Cetera quæ de Sigiberti victoriis à Gemblacensi subiunguntur vera credimus, sed enarranda post aliquot annos, quia nulla eorum memoria reperitur apud Fredegarium, quamuis hic Author res in Austrasia gestas ad annum vsque Sigiberti Regis decimum persequatur. Id enim maximè obseruandum est in Fredegario, quòd post Dagoberti Regis obitum in describendis rebus, quæ sub Sigiberto & Clodoueo Regibus gestæ sunt, eodem passu non procedit. Capite septuagesimo-nono agit de morte Dagoberti. Capite octogesimo describit negotia quæ primo ac secundo Clodouei Regis anno in Neustria & in Burgundia confecta sunt. Capitibus octogesimo-primo & octogesimo-secundo extra Franciam diuagatur. Tum redit ad Clodouei Principatum, résque anno tertio illius Regis peractas exponit capitibus octogesimo-tertio & octogesimo-quarto. Posteà totis quatuor capitibus, priusquàm quartum Clodouei Regis annum aggrediatur, de Sigiberto Rege disserit ab obitu Dagoberti Regis vsque ad annum eiusdem Sigiberti decimum, quo Leutharius Alamannorum Dux Ottonem Grimoaldi hostem interemit. Capite octogesimo-quinto refert multa, quæ diuersis annis acta sunt in Austrasia, cùm Clodoueus primum, secundum ac tertium sui Principatûs annum in Neustrasia Burgundiáque numerabat. Ait Pipinum post obitum Dagoberti statim in Austriam rediisse, Dagobertini thesauri partem Sigiberto Regi Metis oblatam esse, Pipinum ex hac vita *post anni circulum* migrasse. Tria illa non vni conueniunt anno. Pipinus mortuo Dagoberto reuersus est in Austriam mense Ianuario, currente primo Clodouei Regis anno, Sigiberti Regis exeunte

CHRONOLOGIA FREDEGARII.

* *De Suntgew.*

[a] An. 605. n. 1. an. 610 n. 4.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

quinto, Christi sexcentesimo duodequadragesimo ineunte. Sigibertus paterni thesauri partem Metas delatam accepit anno Regni sui sexto, Clodouei Regis secundo, Christi sexcentesimo duodequadragesimo exeunte. Pipinus obiit nono Kalendas Martias, anno Christi sexcentesimo quadragesimo per duos ferè menses iam inchoato, Sigiberti verò Regis anno septimo seu Clodouei fratris anno tertio adhuc currente. Capitibus octogesimo-sexto & octogesimo-septimo Fredegarius exagitat inuidiam quâ Otto in Grimoaldum prædicti Pipini filium exarsit, & defectionem quam Radulfus Dux Thuringiæ molitus est: Ottonis inuidiam nullo notat Charactere Chronologico, Radulfi defectionem anno Sigiberti Regis octauo consignat, sed Ottonis inimicitias in eundem Sigiberti Regis octauum annum cadere satis innuit, dum priùs eas quàm bellum Thuringicum attingit; addequòd octo duntaxat dies à Pipini morte ad annum Sigiberti Regis octauum intercesserunt. Capite octogesimo-octauo Ottonem, cuius suprà meminerat, à Leuthario Alamannorum Duce interfectum scribit anno Sigiberti Regis decimo. Denique capitibus octogesimo-nono & nonagesimo tes anno quarto Clodouei Regis in Neustria Burgundiâque gestas explicat, atque ita operi suo, quod nonaginta capitibus absoluitur, finem imponit. Quartum Clodouei Regis annum, vt ex dictis patet, comparat cum anno Sigiberti Regis octauo, errántque qui decimum Sigiberti Regis annum quarto Clodouei Regis anno ab illo Scriptore illigatum putant, quia caput octogesimum-octauum ab anno decimo Sigiberti, caput octogesimum-nonum ab anno quarto Clodouei Regis auspicatur, illis enim capitibus annos Sigiberti cum annis Clodouei non confert, sed res Austrasianas ad annum vsque decimum Sigiberti persequitur occasione duntaxat Ottonis, qui anno Sigiberti Regis octauo inimicitias cum Grimoaldo Pipini filio gessit, & anno Sigiberti decimo factione eiusdem Grimoaldi à Leuthario Alamannorum Duce necatus est.

X. Res quas idem Fredegarius hoc anno, Clodouei Regis quarto, in Neustria & Burgundia gestas copiosè describit [a], redigemus ad quinque capita. Primum erit de Flaocato in Maioremdomûs à Burgundionibus assumpto; secundum de conuentu seu placito Cabilonensi; tertium de Nanthildis obitu; quartum de nece Willibadi Patricij; quintum de morte Flaocati.

[a] Capp 89. 90.

XI. Post Æganæ obitum Erchinoaldus Maioratum domûs Regiæ suscepit in Neustria, statímque Clodoueus Rex cum matre Nanthilde profectus est Aureliam, vbi Flaocatus Maiotdomûs à Burgundionibus est electus, vt Fredegarius [b] his verbis affirmat. *Anno IV. regni Chlodouei, cúmque Nanthildis Regina cum filio suo Chlodoueo Rege post discessum Æganæ Aurelianis in Burgundiæ Regnum venisset, ibíque omnes Seniores, Pontifices, Duces, & Primates de Regno Burgundiæ ad se venire præcepit. Ibíque cunctos Nanthildis singillatim adtrahens, Flaocatus genere Francus Maiordomûs in Regno Burgundiæ, electione Pontificum & cunctorum Ducum, à Nanthilde Regina & hoc gradu honoris stabilitur, neptémque suam nomine Ragnobergam Flaocato desponsauit. Sponsaliæ hæ nescio quâ factione fiunt. Nam alium consilium secretè Flaocatus & Nanthildis Regina machinabant, quem creditur non fuisse Deo placabilem, ideòque non mancipauit effectum.* Burgundiones ab obitu Warnacharij, siue ab anno Clotarij Regis quadragesimo-tertio, Christi sexcentesimo vicesimo-sexto, Maiorem domûs Regiæ per annos quatuordecim non habuerant.

[b] Cap. 89.

FLAOCATVS FIT MAIORDOMVS BVRGVND.

XII. Erchinoaldus & Flaocatus Maiores domûs Regiæ, ille apud Neustrasios, hic apud Burgundiones, mutuâ sese inuicem amicitiâ complexi sunt, addito iuramento, vt alter et auxilium, si res exigeret, alteri præstaret. Flaocatus generalem Burgundiæ conuentum indixit, qui Cabilone mense Maio habendus esset, interim aliquot ciuitates lustrauit. Erchinoaldus verò cum Clodoueo Rege ac Nanthilde Regina Parisios rediit. Willibadus, qui Patriciatum seu Præfecturam Transiurensem à Clotarij temporibus obtinebat, Flaocatum in adipiscendo Maioratu domûs Regiæ sibi prælatum ægerrimè tulit, mox inter

AMICITIA CONIVNGITVR ERCHINOALDO.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

vtrumque recruduerunt inimicitiæ, quæ priùs sopitæ videbantur, quia tactis altaribus se bonâ fide futuros amicos iurauerant, Flaocatus Willibado, à quo se contemni sciebat, vitam auferre statuit, idque in conuentu Cabilonensi penè executus est. De his ita Fredegarius [a]. *Cùm Erchinoaldus & Flaocatus Maioresdomi inter se quasi vnum iniissent consilium, consentientes ad inuicem, hunc gradûs honorem, alterutrum solatium præbentes, disponunt habere feliciter. Flaocatus cunctis Ducibus de Regno Burgundiæ, seu & Pontificibus, per epistolas, etiam & sacramentis firmauit, vnicuique gradum honoris & dignitatem, seu & amicitiam perpetuà conseruare. Hac dignitate sublimatus Flaocatus Regnum Burgundiæ peruagatur, consilium aßiduè iniens, priorem inimicitiam, quâ cordis archana diu celauerat, memorans, Willibadum Patricium interficere disponebat. Willibadus cùm esset opibus abundans, & plurimorum facultates ingeniis diuersis abstollens, ditatus inclitè fuisset, & inter Patriciatûs gradum & nimias facultates elationi superbiæ esset deditus, aduersùs Flaocatum tumebat, eúmque despicere conabatur. Flaocatus collectis secum Pontificibus & Ducibus de Regno Burgundiæ, Cabillonno pro vtilitate patriæ tractandum mense Madio placitum instituit, ibíque & Willebadus multitudinem secum habens aduenit. Flaocatus ibidem Willebadum interficere nitebatur. Hæc cernens Willebadus Palatium noluit introire. Flaocatus foris contra Willebadum præliandum adgreditur. Amalbertus verò germanus Flaocati ad pacandum intercurrens, vbi iam in congreßione certaminis confligi debuerat, Willebadus Amalbertum secum retenens de hoc euaßit periculo, intercurrentibus & ceteris personis separantur inlæsi. Flaocatus deinceps vehementer minabat consilium de interitu Willebadi.*

[a] Capp. 89. 90.

WILLIBADVM INTERFICERE STATVIT,

XIII.

Paulò pòst obiit Nanthildis Regina, de qua Fredegarius loco iam citato hæc proximè subiungit. *Eo anno Nanthildis Regina moritur.* Apud Monachum Sandionysianum in libro [b] cui titulus de Gestis Dagoberti Regis inscribitur, hæc leguntur de testamento, morte ac sepultura Nanthildis Reginæ. *Testamentum de villis, quibus eam Rex Dagobertus & filius ipsius Hludowius ditauerant, eodem tempore ad loca opportuna Sanctorum fieri ordinauit, in quo etiam Latiniacum villam, quæ sita est in Bricio, ad Basilicam Domni Dionysij tradens, inserere iußit. Tria siquidem exemplaria vno tenore exinde scribi præcepit, ex quibus vnum in scriniis sæpedictæ Ecclesiæ vsque hodie custoditur. His ita compositis, & rebus prosperè ab ea gestis, filióque iam vtiliter in Neptrico & Burgundia regnante, Nanthildis Regina moritur, atque in Ecclesia beatorum Martyrum Dionysij ac sociorum eius iuxta Dagobertum Regem in eodem sepulchro sepelitur.*

NANTHILDIS REGINÆ MORTEM EXPLET.

[b] Cap. 43.

XIV.

Flaocatus, qui post conuentum Cabilonensem redierat Parisios, vbi Clodoueus Rex morari solitus erat, Nanthildem mortuam plurimùm luxit, quam sibi maximo semper præsidio futuram credebat, eá tamen amissâ non destitit à consilio quod inierat de necando Willibado, & vt eum è pago Transiurensi faciliùs euocaret circumueniretque, Clodoueo Regi & Erchinoaldo alteri Maiori domûs Regiæ itineris in Burgundiam suscipiendi author fuit. Rem totam, prout gesta est, ita describit Fredegarius [c]. *Eodem anno, mense Septembrio, Flaocatus cum Chlodoueo Rege, & Erchinoaldo idémque & Maioredomûs, & aliquibus Primatibus Neustrasiis, de Parisiaco promouens per Senonas & Autisioderum, Augustidunum accesserunt, ibíque Chlodoueus Willebadum Patricium ad se venire præcepit. Willebadus cernens inimicum consilium à Flaocato & germano suo Amalberto, Amalgario & Ramueleno Ducibus de suo interitu fuisse initum, colligens secum plurimam multitudinem de Patriciatûs sui termino, etiam & Pontifices, seu Nobiles & fortes, quos congregare potuerat, Augustidunum gradiendum iter arripuit. Cui obuiàm à Chlodoueo Rege, Erchinoaldo Maioredomûs & Flaocato, Ermenricus Domesticus dirigitur, eò quòd Willebadus trepidabat, vtrùm accederet, an suum deuitando periculum repedaret, vt ab Ermenrici promißione præuentus vsque Augustidunum adgrederetur. Quem ille credens, dignis muneribus honorauit. Post tergum eius Augustidunum acceßit, ibíque tentoria cum suis nec procul ab vrbe posuit, eodémque die, quo ibidem peraccesserat, Aigulfum Valentiæ vrbis Episco-*

[c] Cap. 90.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3

WILLIBADVM INTERFICIT.

pum, Saluij, de quo suprà [a], successorem, *& Gisonem Comitem ad prauidendum quæ agebantur, Augustiduuum direxerat, qui à Flaocato in vrbe detenti sunt. In crastino Flaocatus, Amalgarius & Chramnelenus, qui consilium de interitu Willebadi vnanimiter conspirauerant, de vrbe Augustiduno maturiùs promouentes, vtrique Duces de regno Burgundiæ cum exercitu eius subiunguntur. Erchinoaldus cum Neustrasiis, quos secum habebat, idémque arma sumens, ad hoc bellum adgreditur, Willebadus contrà tela prælij construens, quoscumque poterat adunare, falanges vterque in congreßione certaminis iungit ad prælium. In ea pugna Flaocatus, Amalgarius & Chramnelenus, itémque Waldebertus, Duces cum suis in congreßione certaminis contra Willebadum pugnando confligunt. Nam ceteri Duces vel Neustrasij, qui vndique eosdem debuerant circumdare, se tenentes aspiciebant, expectantes euentum, super Willebadum noluerunt irruere. Ibíque Willebadus interficitur. Plurimi cum ipsâ de suis gladio trucidantur. In eo certamine ceteris primus Bertharius Comes Palatij, Francus de pago Vltra-Iurano, contra Willebadum confligit. Aduersùs quem frendens Manaulfus Burgundio, exiens de inter ceteris cum suis aduersus Bertharium præliandum, Bertharius, eò quòd priùs illi amicus fuisset, dicens. Veni sub clypeum meum, de hoc periculo te liberabo. Cúmque ad eum liberandum clypeum eleuasset, Manaulfus cum conto Bertharium in pectore percutiens, ceteri qui cum eo venerant ipsúmque circumdantes, eò quòd Bertharius nimiùm reliquis præceßisset, vulneratur grauiter. Tunc Aubedo filius Berthary cernens patrem in periculo mortis, cursu velocißimo patri auxiliandum perrexit, Manaulfum conto percussum in pectore in terram prostrauit, ceteros qui patrem percusserant, totos interfecit. Sic Bertharium suum genitorem, vt fidelis filius, præstante Domino, liberauit à morte. Hi verò Duces, qui cum eorum exercitu super Willebado irruere noluerant, tentoria Willebadi, Episcoporum, vel ceterorum qui cum eo venerant, deprædando, plurimùm inibi auri & argenti capiunt; reliquæ res, & equites ab his, qui præliare noluerant, percepti sunt.*

[a] An. 634. n. 9.

XV. Willibado Flaocatus paucos dies superuixit. *His ita gestis*, inquit Fredegarius [b], id est, occiso Willibado, *Flaocatus in crastino Augustiduno promouens, Cabillonnum perrexit. Ingressus in vrbem, in crastino vrbs nescio quo casu maximè tota incendio concrematur. Flaocatus iudicio Dei percussus vexatur à febre, conlocatur in scafa, euectu nauali per Ararim fluuium (qui cognominatur Sagonna) Latonam * properans, in itinere vndecimo die post Willebadi interitum amisit spiritum, sepultúsque est in Ecclesia sancti Benigni suburbano Diuionensi.* Hic omittere non possumus iudicium, quod Eligius Nouiomensis Episcopus de Willibado & Flaocato seu Flauado tulisse fertur, sic enim in ipsius Eligij vita scribit Audoenus [c]. *Cùm præfatus tyrannus*, id est, Flauadus, *Wilibadum Christianißimum virum, Burgundiæ Patricium innoxiè*, id est, immerentem, *interfecisset, atque eius mors Eligio nuntiata fuisset, ille ad hæc è contrario ista narrantibus respondit dicens. Vos quidem asseueratis Willibadum mortuum, Flauadum verò viuum; ego autem illum, quem dicitis interfectum, noui pro eximiis meritis meliùs nunc viuere in cælo, illum verò, quem vos applauditis viuum, scitote celeri internecione malè fore moriturum. Cui cùm causam huius immutationis percunctarentur apertiùs illicò prænuntians ait. Hæc ideo dixi, quia vir ille verus Dei cultor mortuus ad tempus videtur, sed iam sine fine feliciter viuit; Flauadus verò, qui per prolixa tempora viuere putatur intra hos decem dies malè, vt dignus est, morietur. Ita ergo factum est, sicut ipse prædixit, nam septem diebus transactis fortuitu Flauadus percussus iuxta sententiam viri Dei miserabiliter est defunctus.*

MORITVR.

IVXTA PRÆDICTIONEM ELIGII.

[b] Cap. 90.

* S. Iean de Lône.

[c] Tom. 1. coll. Franc. Scrpt.

XVI. Fredegarius Flaocato, cuius morte Chronicon suum clausit, superstes aliquot annis fuit, captâ enim occasione, cùm narrationem de rebus Austrasianis instituisset, Ottonis mortem retulit [d], quæ post biennium contigit Sigiberto decimum sui Principatûs annum agente; imò cùm aliquando de Samone Rege Winidorum ageret, eum asseruit [e] electum in Regem fuisse *anno* XL. *regni Chlotarij* siue anno Christi sexcentesimo vicesimo-tertio, mortuúmque postquàm XXXV. *annos* feliciter regnasset seu postquàm ad annum

[d] Cap. 88.

[e] Cap. 48.

Christi sexcentesimum quinquagesimum-septimum peruenisset. Viuebat igitur adhuc scribebâtque sub Clotario Clodouei Secundi filio, qui regnum iniit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, tenuitque per annos quatuordecim, vt suis locis probabimus. Seriùs scripsit Audoenus post mortem ipsius Clotarij, cùm Childericus & Theodoricus eius fratres in viuis superessent, hanc enim epocham designat cùm interpretatur visionem beati Eligij, de qua prolixum sub vltima Clodouei tempora sermonem faciemus. Horum Authorem neuter lucubrationes suas priùs edidit quàm Erchinoaldus Maiordomûs moreretur. Hunc Palatij rectorem laudant omnes excepto duntaxat Audoeno, qui sinistra de illius morte ab Eligio prædicta recitat, statimque eo quo suprà narrauimus modo in Flaocatum seu Flauadum eiusdem Erchinoaldi amicum atque in Maioratu domûs Regiæ collegam inuehitur, vnde fit vt minimè recedendum putemus à Fredegario, qui Willibadum & Flaocatum rapaces ac perfidos arguit, diuinâque vltione perculsos docet hac operis sui postremâ periodo. *Creditur a plurimis, hi duo Flaocatus & Willebadus, eò quòd multa in inuicem per loca Sanctorum de amicitiis obligandis sacramenta dederant, & vterque populos sibi subiectos cupiditatis instinctu iniquè oppresserant, simul & à rebus nudauerant, quòd iudicium Dei de eorum obpressione plurimam multitudinem liberasset, & eorum perfidia & mendacia eos vtrumque interire fecissent.* AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

Flaocati morte Chronicon suum clausit Fredegarius. Quæ sequuntur non vnius scripta sunt calamo, sed multorum. Antiquissimus videtur ille, qui testatur se scripsisse anno Christi septingentesimo tricesimo-quinto, vt patet ex pseudonono Fredegarij capite supra centesimum. At *Historiam vel Gesta Francorum* (vt appellat iste Continuator, qui primùm Childebrandi, deinde Nibelungi iussu scripsit) non exorsus est ab eo loco, vbi Chronicon Fredegarij desierat, sed à Theodorici Principatu in Austria siue ab anno Christi sexcentesimo octogesimo, eáque potissimùm attigit quæ visa sunt ad Pippinum eiúsque familiam spectare. Est autem ab exitu Chronici, quod Fredegarius edidit, ad principium Historiæ, quam Author iste anonymus texuit, hiatus annorum quadraginta, quos Neotericus vt suppleret, vsus est duobus Scriptoribus, Anonymo qui *Gesta Regum Francorum* sub Theodorico Kalensi publicauit, & Monacho Sandionysiano, qui res à Dagoberto eiúsque filio Clodoueo gestas in literas sub Carolo Magno vel ineunte Ludouici Pij Principatu retulit. Verùm cum Monachus Sandionysianus vltra Clodouei Regis obitum non progrediatur, & is qui Gesta Regum Francorum edidit, apud eruditos haud magnæ sit authoritatis ob frequentes fabulas quas operi suo turpiter inseruit, aliunde petenda sunt scripta fide digna, quæ possint ad illam quadraginta annorum lacunam explendam adhiberi. Desunt Chronica, desunt Historiæ, sed Acta Sanctorum variorum illo eodem seculo scripta, & genuina Regum diplomata illustre supplementum conferunt, vtraque consulemus, vt eo quo superiùs modo Chronologia nostra per successionem Regum stabiliatur. XVII. CONTINVATORES FREDEGARII.

Eligius, cùm de Willibadi cæde nuntium accepit, Noniomensem Diœcesim iam regebat. Id in illius vita clarissimè docet Audoenus. Prædictionum enim quas Eligio tribuit, tripertitam facit diuisionem. Primùm ea refert quæ prædixit Eligius cùm esset Episcopus, deinde subiicit alia quæ prædixit Eligius priusquàm Episcopus fieret, denique narrat ea quæ prædixit Eligius in colloquiis familiaribus ante Episcopatum & in Episcopatu. Prædictiones primi generis duas recenset, mortem Erchinoaldi & obitum Flaocati, quibus relatis hac ad prædictiones secundi generis vtitur transitione. *Alia etiam complura Episcopus factus mira prædixit; sed dum adhuc sub laicali habitu esset, præsagus futura prænuntiauit.* Tum prædictiones secundi generis tres enumerat, vnam de Felice Lemouicensi Episcopo, alteram de Domnolo Abbate, tertiam de Ebrigisilu Recluso. Quibus expositis ad prædictiones tertij generis XVIII. ELIGIVS MVLTA PRÆDIXIT.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

ita transit. *Sunt & alia multa quæ familiariter loquens sæpè prophetando prædixit.* Erraret igitur, qui ordinationem Eligij Episcopi post hunc annum reiiciendam putaret. Ordinationem illam Audoenus factam testatur eo tempore, *quo apud Gallias Rogationes à cuncto populo celebrabantur.* A nostro computo non recedunt, qui tunc annum Clodouei Regis tertium numerant, quamuis hic annus ex Fredegarij calculo sit quartus Clodouei, quoniam à Kalendis Martiis quæ mortem Dagoberti secutæ sunt Fredegarius annum Clodouei Regis secundum, alij primum auspicantur, ideóque annos Clodouei Regis hactenus notauimus duobus numeris, quorum alter Fredegario, alter aliis Authoribus conueniret, deinceps verò posteriorem tantùm vsurpabimus, quia in annis Clodouei computandis Authoritas Fredegarij, cuius Chronicon morte Flaocati Maiorisdomûs absoluitur, non amplius occurret.

XIX. Hoc anno Pascha celebratum est die Aprilis decimâ-sextâ, diésque Dominica Rogationum siue ante Litanias, quâ Eligius ordinatus est Episcopus, incidit in diem vicesimam-primam Maij, quâ Willibadus Patricius & Flaocatus Maiordomûs in viuis adhuc supererant. Eâdem die Audoenus quoque consecratus est Episcopus. Eligij regnante Clotario mortui vitam paucis post eius obitum annis scripsit Audoenus sub Childerico Rege, Clotarij fratre ac successore. Ipsius Audoeni vitam Fridegodus Diaconus in literas retulit decimo seculo. Ætas Scriptorum adeò diuersa fidem Audoeno seu vitæ sancti Eligij longè potiorem quàm Fridegodo seu vitæ sancti Audoeni conciliat, suadétque recedendum esse à Fridegodo quotiescumque Audoeno non astipulatur. Inter se discrepant in enarranda peregrinatione, quam suscepit Audoenus, postquàm in Episcopum electus fuit. Si benè scripsit Fridegodus, Audoenus Sequanâ & Ligeri transmissis verbum Dei prædicauit in Aquitania, quosdam hæresi deprauatos ad normam Ecclesiasticæ fidei reuocauit; in Hispanias quoque profectus, quæ septem annorum siccitate ac sterilitate iam laborauerant, suis precibus pluuiam impetrauit cum vberrima fructuum segetúmque copia, populos illarum regionum in vera religione confirmauit cùm verbis tum miraculis; in reditu cùm iter per Andegauiam ageret, obuium habuit & signo Crucis sanauit pauperem, qui repentè manum aridam atque inutilem eò senserat, quòd die Dominico contra Leges Ecclesiasticas opus seruile exercuisset. At tot tantæque res confici non potuerunt intra septem menses, quos ne quidem integros reperies ab obitu beati Romani ad ordinationem Audoeni siue à die vicesima-quarta Octobris ad diem vicesimam-primam Maij subsequentis. Audoenus de seipso nihil refert ex iis quæ publicata sunt à Fridegodo, vnum solummodò recitat quod ab eodem Fridegodo prætermissum est, se videlicet perrexisse Matisconem vt à Deodato illius vrbis Antistite Presbyter ordinaretur, sic enim scribit in vita sancti Eligij. *Vir beatus* Eligius *cùm se nullo modo ab officio disposito disentere posset, ne tamen in vllo Catholica regula deuiaret, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi sub normula Clericatûs aliqua temporis curricula exigeret. Tempore ergo dilationis transacta, atque Audoeno ex partibus Ligeritanis reducto, iámque eo Presbytero à Domno Deodato Matascensis vrbis Episcopo ordinato, inito consilio pariter sub vnius diei articulo Apostolicam benedictionem meruerunt gratuitu: erat enim tempus, quo apud Gallias Rogationes à cuncta populo celebrabantur.* Quæ Fridegodus ab Audoeno gesta dixit durante post sancti Romani mortem interpontificio, patrata esse ab eodem Audoeno Episcopo iam ordinato docet Auctor antiquior Fridegodo & fide dignior, vitam enim sancti Audoeni scripsit ætate Caroli Martelli, retulítque in literas multa quæ *discipulis eius narrantibus* agnouit.

AVDOENVS MATISCONE FIT PRESBYT.

XX. Antiquissimus hic Scriptor ordinationem Audoeni & Eligij nullâ temporis notâ consignat. Fridegodus de die déque anno, quo consecrati sunt isti Pontifices, hæc habet in Codice manuscripto. *Sub vno die apud Rothomagum ambo pariter ordinati sunt, Sanctus Audoenus einsdem vrbis Archiepiscopus, Eligius verò Noniomensis Episcopus, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo-quinto;*

ORDINATVR EPISC. ROTOMAG.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

to; Pontificatum agente Romanæ Ecclesiæ summo Præsule beatissimo Papâ Martino, anno secundo; porrò Clodouei Regis filij Dagoberti, qui tunc Regni Francorum apicem tenebat, anno tertio; pridie Id:::m Maiarum, Dominico dia ante Letanias. Et ista breuiùs in editione [a] Suriana. *Vno die apud Rothomagum ambo pariter ordinati sunt, Sanctus Audoenus eiusdem vrbis Archiepiscopus, Sanctus verò Eligius Nouiomagensis Episcopus, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimoquinto, pridie Idus Maias, Dominico die ante Litanias.* Fridegodus, cùm ista scriberet, præ manibus habebat vitam sancti Eligij à sancto Audoeno scriptam, ibi enim hæc leguntur apud Surium [b]. *Conuenientes igitur simul in ciuitate Rothomagensi* XIIII. *die mensis tertij, anno* III. *Clodouei iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rothomago, ille verò Nouiomo.* Et apud Dacherium [c]. *Conuenientes igitur simul in ciuitatem Rotomagensem quarto-decimo die mensis tertij, tertio anno Clodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rodomo, ille Nouiomo.* Hanc periodum, quam plerique nostræ Chronologiæ refragari putant, si solas editiones Surianam & Dacherianam attenderemus facilè suspicaremur Audoeni scriptis insertam fuisse. Codicem, quem Dacherius publicauit, à recentiore quopiam interpolatum iam censuit Valesius. Editioni tamen Surianæ præstat Dacheriana, quia Surius Audoeni stylum mutauit. In vtraque prædictam periodum insititiam esse contextus narrationis non inualidè probat. Apud Dacherium talis est. *Vir beatus* Eligius, *cùm se nullo modo ab officio disposito discutere posset, ne tamen in vllo Catholica Regula deuiare videretur, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi sub normula Clericatûs aliqua temporis curricula exigeret. Tempore ergo dilationis transacto, atque Audoeno de partibus Ligeritanis reducto, iámque eo Presbytero à Domno Deodato Matascensis vrbis Episcopo ordinato, inito consilio pariter sub vnius diei articulo Apostolicam benedictionem meruerunt gratuitu, erat enim tempus quo apud Gallias Rogationes à cuncto populo celebrabantur. Conuenientes igitur simul in ciuitatem Rotomagensem quartodecimo die mensis tertij, tertio anno Clodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rodomo, ille Nouiomo. Sic ergo Episcopatu suscepto ad Sedem suam remeans, qualem se demùm quantúmque præstiterit, quis dignè valeat explicare?* Sensus verò nullum patietur detrimentum, imò sincerior ex connexione magis genuina videbitur, si ceteris abrasis hæc tantùm seruentur. *Vir beatus* Eligius, *cùm se nullo modo ab officio disposito discutere posset, ne tamen in vllo Catholica Regula deuiare videretur, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi sub normula Clericatûs aliqua temporis curricula exigeret. Tempore ergo dilationis transacto, atque Audoeno de partibus Ligeritanis reducto, iámque eo Presbytero à Domno Deodato Matascensis vrbis Episcopo ordinato, inito consilio pariter sub vnius diei articulo Apostolicam benedictionem meruerunt gratuitu, erat enim tempus quo apud Gallias Rogationes à cuncto populo celebrabantur. Sic ergo Episcopatu suscepto ad sedem suam remeans, qualem se demùm quantúmque præstiterit, quis dignè valeat explicare?* Prætereà quamuis Audoenus sæpè de se loquatur, numquam id præstat in prima persona præterquàm in periodo de qua nunc inquirimus. At cùm in vita sancti Eligij manuscripta, quam sæpè monuimus epitomen esse lucubrationis Audoenanæ, similem periodum habeat Audoenus, eóque loco de se loquatur in tertia persona, nec inserat quidquam quod cum præcedentibus subsequentibúsque rectissimè non cohæreat, existimamus apud Surium & Dacherium seruandam periodum quam suprà recitauimus. Talis est autem contextus narrationis in Codice manuscripto. *Vir Sanctus* Eligius *cùm se nullo modo ab officio imposito excutere posset, ne tamen in aliquo à Regula Catholica deuiaret, non se permisit priùs Sacerdotem consecrari, nisi*

ELIGIVS ORDINATVR EPISC. NOVIOM.

[a] Die 24. Aug.

[b] Die 1. Dec.

[c] Tom. 5. Spicileg.

AN. CH. 640. SIOIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

sub normula Clericatûs aliquod tempus exegisset. Tempore verò dilationis transacto, atque Audoeno ex partibus Ligeritanis reducto, iámque eo Presbytero à Domino Deodato Matacensi Episcopo ordinato, amb: consimili vno die Apostolicam benedictionem accipere meruerunt, dum Rogationes celebrarentur à populo Christiano. Conuenientes igitur simul in vrbem Rothomagensem quartodecimo die mensis tertij, anno tertio Clodouei minoris, die Dominico ante Letanias pariter fuerunt consecrati. Sic igitur Episcopatu suscepto Eligius ad sedem suam remeans, qualem se exhibuerit quis poterit explicare?

XXI. Nunc inquitendum, quis apud Audoenum sit sensus huius periodi. *Conuenientes igitur simul in vrbem Rotomagensem quartodecimo die mensis tertij, tertio anno Clodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rodomo, ille Noniomo.* Huius periodi duæ sunt partes. Prior annum diémque designat quo Rothomagum Audoenus & Eligius peruenerunt. Posterior diem notat quo consecrati sunt Episcopi. Rotomagum ingressi sunt *quartodecimo die mensis tertij.* Consecrati sunt autem Episcopi *die Dominico ante Litanias.* Dies ille Dominicus ante Litanias fuit vicesimus primus mensis tertij seu Maij, quia hoc anno, Clodouei Regis tertio, Pascha die Aprilis decimo-sexto celebratum est. Qui duas partes in periodo proximè recitata non distinguunt, Audoenum & Eligium affirmant Episcopos fuisse consecratos *quartodecimo die mensis tertij*, & vt diem illum cum die Dominico comparare possint, prædictam ordinationem referre coguntur aut ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-quintum cum Fridegodo, aut ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-sextum cum Andrea Duchesnio, qui varia Fridegodi fragmenta typis edenda curauit [a], & expuncto anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo-quinto, quo Dagobertum in viuis adhuc superstitem nouerat, posuit *annum* DCXLVI. quo æquè ac anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto Pascha celebratum est quinto Idus Aprilis, & dies Dominicus ante Litanias cum die decimo-quarto Maij coincidit. Apud Fridegodum manuscriptum duo duntaxat anni notantur ab Incarnatione Dominica, sexcentesimus tricesimus-quintus quo ponitur Audoeni ordinatio in Episcopum, & sexcentesimus septuagesimus-octauus, prauè apud Surium sexcentesimus septuagesimus-septimus, quo mors eiusdem Audoeni consignatur. Neutet videtur vsurpatus à Fridegodo. Auctor enim ille ceteras epochas operis sui non à Natiuitate Christi, sed ab annis aut Regum aut Romanorum Pontificum duxit, vt cùm Basilicæ constructionem retulit ad Clotarium Primum, *anno plùs minùs quarto & vicesimo regni eius*; ortum sancti Audoeni ad ætatem alterius Clotarij, *anno plùs minùs vicesimo regni eius*; & profectionem eiusdem Audoeni Romam *Pontificatum Vrbis tunc in annum quartum obtinente Adeodato Papâ.* Deinde quis Chronographus anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto annum tertium Clodouei minoris illigauit? Clotarius Primus, teste Mario [b] Lausannensi, mortuus est *post Consulatum Basilij anno* XX. *Indictione* IX. id est, anno Christi quingentesimo sexagesimo-primo. Quot annos regnarunt successores, Chilpericus filius, Clotarius Secundus nepos, & Dagobertus pronepos, docent Gregorius [c] Turonensis & Fredegarius [d] Scholasticus. Tota difficultas circa Dagobertum versatur, quem Fredegarius [e] anno regni decimo-sexto viuis ereptum scribit. Alij enim initium sexdecim annorum, quos in Principatu transegit, ducunt à die quo Rex Austriæ renunciatus est à patre, alij à die quo patri in regna Neustriæ Burgundiæque successit. Priorem amplexi sumus opinionem, eóque calculo annum Clodouei minoris tertium, per cuius mensem Maium Audoenus & Eligius ordinati sunt Episcopi, cum hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo comparamus. Posteriorem sententiam plures sequuntur, & eundem Clodouei minoris annum tertium, vt suprà dictum est, anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto illigant.

[a] Tomo 1. Collect. Histor. Franc.

[b] In Chron.

[c] Lib. 6. c. 46.

[d] Capp. 56. 79.

[e] Cap. 79.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

Argumentum, quo nituntur, petitur à die decimo-quarto Maij, corruítque, si textum Audoeni præcitatum distinguas in duas partes, & inficieris diem decimum-quartum Maij cum die Dominico ante Litanias illo anno coincidisse, quo Audoenus & Eligius Episcopi sunt consecrati.

Audoenus, vbi de sua & Eligij ordinatione loquitur, eam consignat *tertio anno Clodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias*. Aliam temporis notam non exhibet. Vt scias quotus post Christum natum fuerit annus
tertius Clodouei iuuenculi Regis, & vtrùm illo anno in mensem Aprilem XXII.
an in mensem Maium inciderit dies Dominicus ante Litanias, indagandus est annus, quo Dagobertus Rex, Clodouei pater, interiit. Mortem Dagoberti decimo-quarto Kalendas Februarias anno Christi sexcentesimo tricesimo-octauo collocauimus, quia sexdecim annos regni, quos Fredegarius ei tribuit, non numerauimus ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-octauo quo patri Clotario in Neustriam ac Burgundiam successit, sed ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo quo primùm apud Austrasios regnare cœpit. Multas rationes variis locis iam protulimus, vt opinionem nostram illustraremus confirmaremúsque. Synchroni Scriptoris auctoritatem, quâ nihil validius excogitari potest, hîc addemus.

Priusquàm Ionas beati Eustasij vitam literis commendaret, Eligius in XXIII.
Veromandensi Cathedra sedebat, sic enim de illo Ionas in eadem vita loquitur. *Vir illustris Eligius nomine, qui modò Veromandensis Ecclesiæ Pontifex, iuxta Lemonicensem vrbem, Monasterium nobile Solenniacum nomine construxit.* Ante annum autem Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum, in quem aduersarij mortem Dagoberti Regis differendam affirmant, Ionas vitam sancti Eustasij publicauit, eam enim scripsit intra triennium ab obitu sancti Bertulphi Bobiensis Abbatis, cuius mors in annum Christi sexcentesimum-quadragesimum incidit. Vtrumque facillimè clarissiméque demonstrabimus.

Annus, quo Bertulphus ad Deum migrauit, ita deprehenditur. In Abbatum XXIV.
Bobiensium catalogo, quem Ferdinandus Vghellus [a] Bobiensibus Episcopis subiunxit, quatuor primi recensentur hoc ordine, sanctus Columbanus, sanctus Attalas, sanctus Bertulphus, sanctus Bobulenus. Obiit sanctus Attalas sexto Idus Martias anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo, supererat enim in viuis anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto, vt Sigonius & Baronius ex Iona & Paulo Diacono simul collatis docent, & Honorius Papa Bertulpho iam Abbati Priuilegium, quod in Italia sacra [b] recitatur, concessit tertio Idus Ianuarias, Indictione primâ, siue anno Christi sexcentesimo vicesimo-octauo, addequòd Blitmundus, vt in vita sancti Walerici legitur, post sancti Attalæ mortem relictâ Italiâ in Galliam venit superstite adhuc Clotario Rege qui anno Christi sexcentesimo vicesimo-octauo vitam clausit. De Bertulpho autem seu Bertolfo Attalæ successore sic Ionas insertus operibus Bedæ. *Cùm autem conditor rerum beatum Patrem Attalam ad cælestia regna post ærumnas huius sæculi transtulisset, omnis Monachorum concio voce simul & animo præfatum Bertolfum sublimauerunt honore paterno, qui per tredecim annos omni diligentiæ studio plebem sibi commissam salutaribus monitis erudire non omisit.* Et eiusdem Ionæ compendiolum apud Vghellum in Abbatibus Bobiensibus. *Beato Attalâ ad superos euocato, ex communi voluntate Monachorum beatus Bertulfus in Abbatiali honore sublimatus, annis 13. diligenter præfatum Monasterium gubernauit, cælos petens, corpus terris dereliquit 14. Kal. Septembris.* Sanctus igitur Bertulphus ex hac vita migrauit decimoquarto Kalendas Septembres anno Christi sexcentesimo quadragesimo, nec audiendus est Surius [d], qui Ionæ textum ex vita sancti Bertulphi recitatum in alium prorsus sensum detorsit, & Bertulphum, qui Bobiensis Abbas factus *per tredecim annos omni diligentiæ studio plebem sibi commissam salutaribus monitis erudire non omisit*, Abbatem Bobiensem ideo creatum, quòd *annis tredecim omni studio & diligen-*

[a] Tom. 4. Ital. sacr.

[b] Tom. 4. in Episcop. Bobiens.

[d] d. 19. Aug.

.IV

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

tiâ plebem salutaribus monitis instituere non omisisset, hac adulteratâ periodo finixit. *Cùm rerum omnium conditor beatum Patrem Attalam ex his sæculi ærumnis ad cælestia regna euexisset, omnis concio Monachorum, vocibus animisque coniunctis, paterni honoris successorem Bertulphum acclamauit, quippe qui annis tredecim omni studio & diligentiâ plebem salutaribus monitis instituere non omisisset.* Id autem quàm alienum sit à vero docet idem Surius, cùm ait Bertulphum è Luxouiensi Monasterio, vbi sub Abbate Eustasio degebat, ad Bobiense ductum fuisse ab Attala iam Abbate, qui Bobio Luxouium fortè venerat. *Ad venerabilem*, inquit, *virum Eustasium Luxouiensem Abbatem se contulit, atque illic Monastica Regula & Religioni subditus diu permansit, omnibus charus & gratus. Aduenientе autem eò beato Attalâ ex Ausonia partibus, cum bona pace & voluntate venerabilis Eustasij, ei se adiunxit. Abiit ergo cum venerabili Attala, Ausoniaque finibus receptus, in Bobiensi Cœnobio sub eius obedientia permansit.* Bertulphus enim per tredecim annos, priusquàm Abbas fieret, Bobienses erudire non potuit, siquidem Bobij vixit sub vno duntaxat Abbate Attala, qui Bobiense Monasterium integris annis duodecim haud rexit: imò Bertulphus, si benè de tempore, quo Bobium profectus est, ad annum Christi sexcentesimum decimum-nonum coniectauimus, annos octo sub Attalæ disciplina non expleuit. Mors igitur sancti Bertulphi non alio Christi anno quàm sexcentesimo quadragesimo referri debet.

XXV. Iam verò nobis inuestigandum restat, quantùm temporis post eiusdem Bertulphi mortem effluxerit, donec Ionas vitam beati Eustasij scriberet, in qua Eligium iam Episcopum laudauit. Præfationem, quam Ionas vitæ sancti Columbani præfixit, edidit Surius [a] *phrasi*, vt ipsemet testatur, *nihil mutatâ*. Initium tale est. *Dominis eximiis, & sacri culminis regimine decoratis, Religionisque copiâ fultis Waldeberto & Baboleno Patribus, Ionas peccator. Memini me ante hoc fermè triennium, fratrum conniuentiâ flagitante, vel beati Bertulphi Abbatis imperio iubente, cùm apud eos Apenninis ruribus vagans, in Bobiensi Cœnobio morarer, fuisse pollicitum, vt almi Patris Columbani meo studerem stylo texere gesta, præsertim cùm ij, qui eo fuerunt in tempore, & penes ipsum patrata viderunt, quamplurimi penes nos superstites sint, qui nobis non audita sed visa narrent, vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam & Eustasium didicimus, quorum primus Bobiensis, secundus Luxouiensis Cœnobij, quò vos Præsules existitis, eius successores fuerunt, qui magistri instituta suis plebibus seruanda tradiderunt, quorum vitam, vtcunque quiuimus, in postmodum deprompsimus, seu plerorumque, quos cluentia memorabiles reddidit.* Et paulò pòst in eadem ad Walbertum & Bobolenum seu Bobulenum Abbates præfatione Ionas asserit opus suum in duos libros ita diuisum esse, vt alter res à beato Columba seu Columbano, alter res ab Eustasio aliisque nonnullis beati Columbani discipulis præclarè gestas amplectatur. *Quæ sunt posita, duobus libellis interscidi, vt vno volumine legentibus fastidium amputarem. Primus beati Columbæ gesta perstringit; secundus, discipulorum eius, Attalæ, Eustasij, vel cæterorum quos memini, vitam edisserit.* Ionas igitur sancti Eustasij vitam à se scriptam Waldeberto & Baboleno Abbatibus transmisit, cùm triennium ab obitu sancti Bertulphi nondum effluxisset, id est, ante annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum, quo Neoterici Dagobertum Regem mortuum tradunt. Atque vel ex hoc argumento, si cetera deessent, satis liquet annos sexdecim Dagoberti Regis non ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-octauo quo patri Clotario in Neustriam & Burgundiam successit, sed ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo numerandos esse quo primùm ab eodem Clotario patre Rex Austriæ renuntiatus est.

[a] Die 21. Nou.

XXVI. Obiit igitur Dagobertus decimo-quarto Kalendas Februarias, anno Regni decimo-sexto, Christi sexcentesimo tricesimo-octauo. Successit in Regna Neustriæ ac Burgundiæ filius Clodoueus, cuius annus tertius per mensem Maium cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo componitur. Illo au-

AN. CH. 640. Sigeb. III. R. 5. Clod. II. R. 3.

tem anno, Clodouei Regis tertio, Rotomagum ingressi sunt Audoenus & Eligius die decimo-quarto Maij, consecratique sunt Episcopi die Dominico ante Litanias, id est, die vicesimo-primo eiusdem mensis Maij. Ex Orderici calculo iam probauimus beatum Romanum Præsulem Rotomagensem ex hac vita discessisse decimo Kalendas Nouembres, anno Christi sexcentesimo tricesimo-nono, itaut teste eodem Auctore ordinatio Audoeni ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum pertineat. Hæc epocha ex prædictis certa & indubitata redditur. Apud Fridegodum manuscriptum annus tertius Clodouei Regis perperam illigatur anno secundo Martini Papæ, qui Pontificatum ante annum Christi sexcentesimum quadragesimum-nonum haud suscepir.

XXVII. Quærit corpus S. Quintini.

Eligius statim ac Episcopus ordinatus fuit, Diœcesim suam lustrare cœpit, in ea versabatur cùm de nece Willibado mense Septembri illata nuncium accepit, sub eiusdem anni exitum corpus sancti Quintini quæsiuit, ac tertio subsequentis anni die feliciter reperit. *Eligio viro Sanctissimo*, inquit Audoenus, *inter cetera virtutum suarum miracula, id etiam à Domino concessum erat, vt Sanctorum Martyrum corpora, quæ per tot sæcula abdita populis hactenus habebantur, eo inuestigante ac nimio ardore fidei indagante patefacta proderentur. Siquidem nonnulla venerabantur priùs à populo in locis, in quibus non erant, & tamen quo in loco certiùs humata tegerentur, prorsus ignorabatur. Ex eo ergo tempore quo Eligius Pontifex consecratus Pastor est datus, ab eo nonnulla inuenta populis sunt declarata. Ex quibus primum ac summum Sanctum Martyrem Quintinum in principio Episcopatus sui grandi instantiâ quæsitum, olim quoque celatum, promonit palàm in publicum.* Inde Audoenus excurrit in arrogantiam cuiusdam Maurini, quem diuinâ vltione mulctatum anno priori retulimus, tum opus ab Eligio cœptum prosequitur his verbis. *Eligius ergo curâ pastorali susceptâ, statim in exordio suæ ordinationis cœpit assiduare erga locum illum. Est enim haud procul ab vrbe Viromandensi, in eo scilicet loco, vbi quondam Martyr ex fluuio eleuatus ab Eusebia, in monte fuerat tumulatus. Eligius itaque diuino nutu instigatus voluebat in animo, sed & liberè proclamabat populo, non illic haberi corpus, quo eum loco venerabatur populus, sed esse potiùs in parte vlteriùs. Cúmque diu huiusmodi conditio mentem eius stimularet, cœpit tandem sagaci inquisitione per Basilicæ pauimentum huc illúcque tentare, sicubi sacratum tumulum posset deprehendere. Sed cùm nullatenus indicium tumuli reperiret, cœpit à fratribus destitui, prosequentibus cum tremore interitum illius, qui dudum huiusmodi inuestigationem superbâ mente concipiens, lugubri morte vitam finisset. Necnon & antiquitatem corporis, longinquitate iam temporis consumpti, atque ad nihilum in puluerem redacti obiicientes, conabantur eum à cœpto mentis proposito reuocare. Tunc attentiùs persistens leuauit triduanum ieiunium, atque enixiùs Christi Domini diuinitatem cum lachrymis exorans, vouit non se priùs quidquam alimonia accepturum, quàm mereretur desiderarasum percipere votum.* Cetera persequemur anno sequenti quo contigerunt.

XXVIII. Concionatur in die Natali Domini.

Hoc anno, idem Eligius Episcopus, in Natali die Domini, ad populum de pace seruanda déque eleemosyna facienda sermonem habuit, vt hoc eius initium subindicat. *Ad aures vestræ charitatis, ô domini & fratres mei charissimi, primam nostræ locutionis vocem incipiens emittere, & more infantium balbutientium quasi imperfecta verba formare, quo primùm vtar exordio?* & quæ paulò post sequuntur, *quàm Domino gratum, & quantum sit bonum illius quæ ex Deo est pacis & concordiæ, hodiernâ die patefecit nobis manifestissimè, vnanimiter concinens chorus cælestis militiæ cum nato eo qui pacificaret cælestia cum terrenis.*

XXIX. Singularis amicitia fuit inter Desiderium, Eligium et alios Episcopos.

Desiderius Cadurcorum Episcopus Audoeno Rotomagensium Antistiti recèns ordinato hanc scripsit epistolam [a] quâ testatur sibi singularem amicitiam intercessisse cum eodem Audoeno seu Dadone & Eligio, itémque cum Paulo & Sulpitio, quorum ille Virodunensium, hic Bituricensium erat Episcopus. *Sancto ac præferendo Apostolico Patri Dadoni Papæ Desiderius seruus seruorum Dei. Debito obsequio humiliter exhibito, illud peculiaris peroro, vt quem quondam in*

[a] Epist. 10.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

ipso flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuisti, semper concedere digneris illum meum Dadonem. Maneat pristina inter nos atque illum tuum immò nostrum Eligium inconuulsa charitas, indisiuncta, vt fuit quondam, fraternitas. Mutuis nos iuuemus precibus, vel quemadmodum in aula terreni Principis socij fuimus, ita in illo superni Regis cælesti Palatio simul viuere mereamur. Et licèt de nostro collegio duos iam amiserim germanos, Syagrium videlicet & Rusticum, *habemus pro his venerabilem Paulum, nec minùs prædicabilem meritis Sulpitium.* Epistolæ, quas Desiderius scripsit & accepit, satis declarant amicitiam, quâ mutuò se prosequebantur clarissimi Pontifices, quorum memoria in Tabulis propriarum Diœceseon celebris est, Sulpitius Bituricensis, Audoenus Rotomagensis, Paulus Virodunensis, Desiderius Cadurcensis & Eligius Nouiomensis. Nam Desiderius præter literas suprà recitatas quas Audoeno scripsit, alias, quarum etiam meminimus, direxit [a] Paulo; misit & alias Sulpitio [b] quem *primæ Sedis Antistitem & Patriarcham* vocauit propter dignitatem Metropolitanam. In mutuæ verò beneuolentiæ signum duas recepit epistolas [c] à Sulpitio; totidem à Paulo [d]; vnam à Dadone [e] siue Audoeno; vnam quoque ab Eligio [f], qui Dadonem *fidelem vtrorùmque sodalem* appellabat.

[a] Ep. 11. [b] Ep. 12. [c] Epp. ad Desid. t. 10. [d] Ep. ad Desid. 11. 12. [e] Ep. ad Desid. 4. [f] Ep. ad Desid. 6.

XXX. QVIBVS TEMPORIBVS HÆC AMICITIA COALVIT.

Desiderius, cùm laicus in Regio Palatio morabatur, Audoenum & Eligium æquè laicos pridem nouerat, in familiaritatem verò Pauli non venerat ante Præsulatum, quia Paulus, priusquàm Virdunensem Episcopatum obtineret, vitam procul ab aula duxit aut Eremiticam aut Monasticam, assumptúsque est ad Pontificatum, cùm Desiderius in Cadurcensi Cathedra iam sedebat. Inter vtrumque statim coaluit amicitia, vt patet ex literis suo loco recitatis, quas Desiderio Paulus exeunte anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo scripsit. Amori conciliando plurimùm conduxit egregia cùm pietatis tum doctrinæ fama, quam Paulus in Monasterio Tabuleiensi sibi comparauit, cùm illic Grimonem Dagoberti Regis propinquum aliósque nobilissimos adolescentes erudiret. Sulpitius Abbas Castrensis, necdum Episcopus, Desiderio adhuc laico non ignotus fuit, sed arctioris inter se nexi sunt amicitiæ vinculo, postquàm creati sunt Pontifices & à Sulpitio Bituricensi Metropolitano Desiderius Cadurcensis Episcopus est ordinatus.

XXXI.

Præter epistolas Desiderij superiùs laudatas extant quatuor ad totidem Episcopos; ad Modoaldum [g], Abbonem [h], Cæsarium [i] & Felicem [k]. Modoaldus Episcopus Treuirensis cuius obitum anno priori retulimus, Abbo siue Goericus Episcopus Metensis & Cæsarius Aruernensis Episcopus habentur in numero Sanctorum. Felix verò, quem vulgata Desiderij exemplaria Narbonensem Præsulem constituunt, non alius nobis videtur à Felice Lemouicensi Episcopo, cuius mentio fit apud Audoenum in vita sancti Eligij, quid enim commercij potuit esse inter Episcopos Cadurcensem & Narbonensem, cùm Narbo Regi Wisigothorum pareret, Cadurcum in ditione Francorum esset?

[g] Ep. 7. [h] Ep. 9. [i] Ep. 13. [k] Ep. 15.

FELIX EP. LEMOVIC. A NARBONENSI DISTINGVITVR.

XXXII.

Flaocatus Maior domûs Regiæ, cuius suprà meminimus, à nonnullis Flauadus & Flaucadus appellatur. Eius obitus, quem descripsimus ex Fredegario, reuelatus est diuinitus Sigiranno Abbati Millepecensi, qui statim prima Longoretensis * Monasterij fundamenta iecit. Audiendus Author vitæ. *Dum inibi*, nempe Millepeci, *diebus ac noctibus peruigil ipse auctus in Dei laudibus Deo prolixiùs vacaret, nutu Dei accedente, alium commodum reperit locum in ipsius Flaucadi prædio, cuius Longoretus noscitur esse vocabulum. Nam idem locus in dicto saltu * Brionia situs est, habens e regione fluuium decurrentem, Claisiam vocitatum. Et quia idem Flaucadus eodem in loco propinquam habebat domum, per ipsius voluntatem B. Sigirannus haud procul à domo figens tentorium paruulum ex lignis, illis in diebus, vt fieri solet in primordio, iuxta condidit habitaculum. Verùm Flaucadus, cuius erat ipsa domus, cùm sæcularibus diuitiis esset redimitus, & in carnali voluptate per omnia deditus, necnon in Regis Palatio sublimatus aduersùs quemdam virum Christianissimum, suúmque primum alumnum, nomine Wil-*

* Lonrey.

INITIA MONASTERII LONGORETENS.

* En Brene.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

lebaldum, elatus fastu superbiæ, eundem neci vt traderet, cœpit insistere. Quo etiam tandem deuicto, Regísque consultu superato, ac mortuo, dum malignum vtique votum suum incunctanter peragit, semetipsum interiùs exteriúsque morti addixit; & quia ei malum pro bonis reddere maluit, cui nimirum oportuerat reddi bona pro bonis, vndecimo pòst die transacto, exitiale funus meritò est adeptus. Intereà quidam vir Magnobodus Pictauensis, nuper prout quiuerat, Sanctißimo viro Sigiranno *in amicitia se deuinxerat, qui etiam cùm præpotens esset, & in facultatibus prædiues, oleum in vasculo quo solet recondi, libras mille, vt fertur, imposito plaustro pro munere direxit. Cumque illius legatarij, qui illud ad hominem Dei vsque deduxerant, in iamdicto pusillo loco, quod sibi velut tuguriolum ex lignis contextum, vt suprà meminimus, nuper construxerat ad degendum, deponere vellent, idem Beatus diuinitus inspiratus, prohibuit illis dicens. Deo bonorum omnium largitori gratias referimus, fratres, deinde amico beneuolo, qui nobis causâ dilectionis hoc munus contulit, sed nunc hoc in illo nullatenus deponi poterit, sed expectate paulisper, quia non post multum dabit Dominus locum vbi vobis erit opportunum deponi. Tertio igitur pòst die Flaucadus mortuus narratur, quod hic vir Dei per Spiritum Sanctum præuiderat afflatus. Cognito itaque ab omnibus, quòd vt vir Dei in spiritu præuiderat, locus ei à Domino fuerat alibi præparatus, illuc ocyùs aduentantes, deposuerunt olei dolium; illo nempe in loco, qui Longoretus dicitur, eius inhæserat animus. Nam eodem in loco adiens, ibique fauente Domino, ipsóque Flaucado innuente, & propinquis eius, deinceps sub sancta Regula à beato Benedicto edita degens, congruum ibi Monachorum construit ædificium. Quod idem Monasterium per plurima annorum curricula strennè regens, illud magis operibus ditauit, plurimósque ex circunquaque ad Dei cultum aduocans sub Sanctorum Patrum instituto vitam illic transigere monuit.* Philippus Labbeus, qui vitam hanc beati Sigiranni publicauit [a], ista verba *(sub Sancta Regula à beato Benedicto edita)* adtextæ appendicis instar à quibusdam haberi iam testatus est in elogio Historico eiusdem Sigiranni. Hæc sententia confirmatur multis rationibus, quas eadem sancti Sigiranni vita & Diploma nomine Dagoberti vulgatum suppeditant. Primò, Sigirannus vt regularis vitæ præceptis imbueretur, se socium adiunxit Faluio Episcopo, qui nuperrimè in Turoniam venerat ex Hibernia, quò Regula beati Benedicti nondum transuecta fuerat. Deinde post prædictam appendicem paucis vocibus interiectis hæc leguntur verba *(sub Sanctorum Patrum instituto)* quæ Sigirannum eiúsque discipulos ostendunt nec sancti Benedicti nec sancti Columbani Regulæ sed antiquiorum Patrum institutis addictos fuisse. Prætereà in Regiis tabulis, quæ fundationem vtriusque Monasterij Millepecensis & Longoretensis exhibent, nullâ sancti Benedicti mentione factâ, Sigirannus eiúsque socij dicuntur viuere *sub Monachali norma*, & *sub Regulari Monachorum ordine*. Eadem periodus, quæ sancti Benedicti meminit, aliâ quoque augetur interpolatione, testatur enim Longoretense Monasterium à Sigiranno conditum fuisse *ipso Flaucado innuente*, cuius obitus ipsi Sigiranno diuinitus est reuelatus, antequàm prima Cœnobij Longoretensis fundamenta ponerentur. Tota periodus ita legitur. *Nam eodem in loco adiens, ibique fauente Domino, ipsóque Flaucado innuente, & propinquis eius, deinceps sub Sancta Regula à beato Benedicto edita degens, congruum ibi Monachorum construit ædificium.* Sic autem est castiganda. *Nam eodem in loco adiens, ibique fauente Domino degens, congruum ibi Monachorum construit ædificium.*

[a] Tomo 2. Biblioth.

Hoc anno Babolenus Monachus Parisios venit, & Blidegisilo Diacono Fossatense Monasterium construenti ab Audoberto Parisiensium Antistite oblatus est, qui primus Abbas illi Monasterio præficeretur. Ista de re prolixè nec absque mendo sic Author vitæ publicatus ab Andrea Duchesnio. *Tunc temporis regebat Ecclesiam Parisiacam vir venerandus Audobertus. Qui die quadam, dum infra beatæ Mariæ Basilicam orandi causâ oracula circuiret Sanctorum, repentè ante cuiusdam Sancti aram reperit S. Babolenum flentem & deprecantem Dominum. Quem intuitus humillimo Monachi habitu indutum, suspicatus est esse Dei famu-* XXXIII.

BABOLENVS FIT PRIMVS ABBAS FOSSATENSIS.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

AVCTOR VITÆ REMISSAM MALE EXPONIT.

lum, eúmque continuò ad se accersiuit, & his verbis alloqui cœpit. Vnde, Pater, hanc nostram adisti patriam, aut quo loco, Deo cooperante, mortalem transigis vitam? Cui vir Sanctus, mente vt erat humili, voce respondit supplici. Sciat, Dei sacer, tua caritas, à Transalpinis partibus me huc aduenisse, Sancti verò Patris Columbani edoctum doctrinâ & eruditione. Causâ quoque peregrinandi veni ad hanc patriam, vt merear inuenire perpetuam. Tum ammiratus Præsul tam sapienti eloquio, inquit illi continuò. Si Christo iuuante, vt asseris, optas ducere laborem tuæ peregrinationis, obsecro vt hic inhabitare digneris, quo segetis tuæ fructus multorum proficiat animabus. Nam & ego sum peregrinus, à transmarinis huc deuolutus partibus; & Regis Angliæ nomine Choinnale persecutionem cupiens euadere, Episcopatum vrbis reliqui propriæ, & hanc Francorum patriam cum labore adiui olim mihi incognitam. Sed minimè spreuit me gratia Dei, qui in se fidentibus consueuit misereri. Vt enim in manibus tenes, vt præ oculis hodie habes, mihi Francorum Regis Clodouei subuenit clementia, & super plebem Dominicam ipsius Domini me exaltauit misericordia, vt qui quondam eram ignotus & aduena, nunc Pastor huius vrbis factus sim eius nutu & gratiâ. Itaque tu, carissime, noli de Domini misericordia diffidere, sed iuxta Psalmistæ vocem viriliter age, confortetur cor tuum, & Dominum sustine, non enim longè est ab his qui corde quærunt eum, sed propè est omnibus in veritate inuocantibus, & voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Hæc autem dicens, motus pietate, nec etiam à fletu poterat se cohibere, valens eum prorsus secum retinere. Audiens hæc Pater Sanctus, eius cohortationibus animatus, respondit ei protinus. Pater Sancte, tua me lætificat allocutio, mitis & grata deprecatio. Quod hortaris faciendum est cum Dei adiutorio, & quæ præcipis non sunt spernenda omnino, tantùm vt impleatur in me voluntatis Dei miseratio. Hoc audiens Præsul Sanctus exultabat in Domino attentiùs. Denique sciens idem Præsul voluntatem iamdicti Blidegisili Archidiaconi, conuocans eum ad se, talia depromit. Quoniam iam patuit nobis tuæ mentis desiderium in ædificando Cœnobio, loco qui dicitur ab antiquis Fossatum Bagaudarum, inde congratulamur bonæ voluntati tuæ, & nos tui laboris participes noueris fore, vt comparticipari mereamur requiei & gloriæ. Ad hoc verò opus exercendum, & ad gregem Christi pascendum, scias quemdam virum nobis à Deo missum, humilem & mansuetum, nomine Babolenum, omni sapientiâ comptum, omni actu vtilissimum. Quod audiens Archidiaconus, lætus admodum effectus ardenti animo videre cupiebat eum, de quo illi à Præsule sermo fiebat, & multùm diuque suspirans, atque oculos lacrimis præ gaudio madefaciens, venerabili Episcopo respondit continuò. Fateor vsque nunc hanc dubietatem cordis mei fuisse, hanc anxietatem meæ mentis extitisse, ne nobis deesset omnino cui cura pastoralis imponeretur, siue quis dignus tali loco Pastor præficeretur, sed quoniam laboris nostri te diuina Maiestas voluit fieri cooperatorem, & tibi ostendere dignata est super tanto negotio virum nobis vtilem, hunc tua Dilectio non moretur ad nostram adducere præsentiam. Hoc Præsul audito, Sanctum virum accersiuit illicò. Cúmque ante eos venisset, his verbis eum prior affatur Episcopus. Quoniam ad hanc, Deo volente, venisti prouinciam, & meo precatu decreuisti finire in regione hac præsentem vitam, non tibi, vt suprà dixi, deerit Christi clementia, sed in omnibus comitabitur eius misericordia. Hic enim, quem conspicis, ordine Archidiaconus, nobilitate carnis præcelsus, nomine Blidegisilus, alloqui te cupit dulci affamine, & frui tuâ visione. Tum illi Blidegisilus. Te, Pater, fama refert Christi seruum esse, te confitentur omnes benè huc aduenisse. Quocirca & nos Deum benedicimus, qui huic patriæ tempore nostro mittere dignatus est decus. Circa te verò quanta sit nostra deuotio, præsens tibi patefaciet ratio. Nempe Clodouei Francorum Regis gratiâ fauente, super Maternæ flumen Cœnobium cœpi construere, quod volo Deo iuuante tibi committere, & Monachis Deo illic famulantibus te Patrem & Pastorem præficere. Ad hæc Sanctus Domini ambobus respondit. Non affectu Prælationis cuiuspiam ad hanc sum delapsus patriam, qui Dei amore abnegaui propriam, Enimuerò non ideo reieci propria, vt petam aliena. Nam Abbas Bobiensis olim effectus, iuxta Euangelium renunciaui omnibus, licentiâ tamen fra-

trum

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

trum & assensu Episcopi; & sic demùm peregrinare cœpi. Cui illi. Si, vt astruis, peregrinus vis fieri, tibi proficies, & non alij. Et ideo timemus ne incurras sententiam illius serui, qui creditum sibi talentum abscondit, nec aliis impertiens duplicatum reportauit. Ne ergo æstimes ab optata paupertate longè fieri, si arreptâ obedientiæ viâ insistas bono operi. Ille enim cui præficeris locus, videtur esse eremus. Hac ratione & consilio fultus, multísque precibus deuictus, tandem acquieuit vir Sanctus. Itaque die quadam simul ingressi tres viri beati, Præsul scilicet, & Archidiaconus, cum Sancto Patre Baboleno, aulam regalem, Regis obtutibus eum præsentant. Cui inquiunt. En coram te, Rex, Christi seruus, en à Deo nobis missus. Hucvsque hæc lucerna latuit sub modio, sed Christus eam manifestauit nostro sæculo, vt nos illuminaret religionis radio. Dissonat ergo tua iussio Regalis, ipsum præponi ouibus Dominicis. Quod Rex Clodoueus audiens, & quæ de illo dicebantur vera esse considerans, ad eum inquit. Vt nobis videtur, Pater Sancte, decet te gregem Christi regere. Ergo suscipe pastorale onus, quia ob hoc te misit Dominus. Et ne sit tibi contrarium, scias non deesse Domini auxilium, nec affluentiam opum Regalium. Suscepit igitur eâ die vir Sanctus pastorale regimen, licèt inuitus.

XXXIV. AVDOBERTVM EPISC. PARISIEN. CONFVNDIT CVM AGILBERTO.

Cùm Babolenus Parisios venit, Ecclesiæ Parisiensi præesse potuit Audobertus Episcopus, qui Germoaldum Abbatem ad Concilium Cabilonense regnante Clodoueo Secundo direxit. Hunc antecessit in Præsulatu Leudebertus, de quo nos superiùs ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quintum, sed quonam anno Leudebertus obierit, Pontificatúmque susceperit Audobertus, haud certò sciri potest. Anonymus suprà citatus postquàm attigit Præceptum, quod anno Regni sui primo Clodoueus Rex emisit, hæc de Pontifice Parisiensi proximè subiungit. *Nec huic piget immittere paginæ, quis Episcopus tunc præsederit Parisius Episcopali Cathedræ, cuiúsue generis extiterit, aut quo vocatus nomine, tunc temporis regebat Ecclesiam Parisiacam vir venerandus Audobertus.* Et paucis interiectis ipsum Audobertum introducit magnificè loquentem de Clodoueo Rege, cuius nutu & gratiâ factus sit Parisiensis vrbis Episcopus. Hæc si vera sunt, Audobertus Pontificatum iniit eodem anno, quo Clodoueus Regnum Francorum suscepit. Quis autem vera credat, cùm falsa sint cetera quæ de Audoberto ex eodem Anonymo retulimus. Audobertus ait Episcopum se fuisse in Anglia, & propter persecutionem Choinualæ Regis Angliæ confugisse in Franciam, atque annuente Francorum Rege Parisiensem Episcopatum obtinuisse. Quæ non Audoberto sed Agilberto conuenire facilè intelliget, quisquis Bedam legerit libro tertio Historiæ Ecclesiasticæ, capite septimo, vbi de Cenwalch Occidentalium Saxonum in Britannia Rege, quem Anonymus Choinualam vocat, déque Agilberto Episcopo sic disserit. *Cùm restitutus esset in regnum Cenwalch, venit in prouinciam de Hybernia Pontifex quidam, nomine Agilbertus, natione quidem Gallus, sed tamen legendarum gratiâ Scripturarum in Hybernia non paruo tempore demoratus. Coniunxítque se Regi sponte ministerium prædicandi assumens, cuius eruditionem atque industriam videns Rex rogauit eum, acceptâ ibi Sede Episcopali, suæ gentis manere Pontificem. Qui precibus eius annuens multis annis eidem genti Sacerdotali iure præfuit. Tandem Rex, qui Saxonum linguam tantùm nouerat, pertæsus barbaræ loquelæ subintroduxit in prouinciam alium suæ linguæ Episcopum, vocabulo Wini, & ipsum in Gallia ordinatum, diuidénsque in duas parœcias prouinciam, huic in ciuitate Wenta, quæ à gente Saxonum Vintancester appellatur, Sedem Episcopalem tribuit. Vnde offensus grauiter Agilbertus, quòd hoc ipso inconsulto ageret Rex, rediit Galliam, & accepto Episcopatu Parisiacæ ciuitatis, ibidem senex & plenus dierum obiit. Non multis autem annis post abscessum eius à Britannia transactis, pulsus est Wini ab eodem Rege de Episcopatu, qui secedens ad Regem Merciorum, vocabulo Wisheri, emit pretio ab eodem Sedem Londoniæ ciuitatis, eiúsque Episcopus vsque ad vitæ suæ terminum mansit. Sícque prouincia Occidentalium Saxonum tempore non pauco absque Præsule fuit. Quo etiam tempore Rex præfatus ipsius gentis grauissimis Regni sui damnis sæpissimè ab hostibus afflictus, tandem ad memoriam reduxit, quòd eum, quem pridem perfidia Re-*

AN. CH. *gno depulerit, fides agnita Christi in Regnum reuocauerit, intellexítque quòd etiam*
640. *tunc destituta Pontifice prouincia, rectè pariter diuino fuerit destituta præsidio. Mi-*
SIGIB. *sit ergo legatarios in Galliam ad Agilbertum, submissâ illum satisfactione deprecans*
III. R. 8. *ad Episcopatum suæ gentis redire. At ille se excusans, & eò venire non posse con-*
CLOD. *testans, quia Episcopatu propriæ ciuitatis ac parœciæ teneretur astrictus. Ne tamen*
II. R. 3. *obnixè petenti nil ferret auxilij, misit pro se illò Presbyterum Eleutherium nomine*
nepotem suum, qui ei si vellet ordinaretur Episcopus, dicens quòd ipse eum dignum
esse Episcopatu iudicaret. Quo honorificè à populo & à Rege suscepto, rogauerunt
Theodorum tunc Archiepiscopum Doruernensis Ecclesiæ ipsum sibi Antistitem conse-
r ari. Idem Author ordinationem Theodori consignat anno Christi sexcente-
[a] Lib. 4. c. 1. simo duodeseptuagesimo. *Ordinatus est*, inquit [a], *à Vitaliano Papa, anno Do-*
minica Incarnationis 668. sub die 7. Kalendarum Aprilium Dominica, & ita vnà
cum Adriano, 6. Kalendas Iunias Britanniam missus. Qui cùm pariter per mare
Massiliam, & deinde per terram Arelatem peruenissent, & tradidissent Ioanni Ar-
chiepiscopo ciuitatis illius scripta commendatitia Vitaliani Pontificis, retenti sunt
ab eo, quousque Ebroinus Maior domûs Regiæ copiam pergendi quoquò vellent tri-
buit eis. Quâ acceptâ Theodorus profectus est ad Agilbertum Parisiorum Episcopum,
de quo superiùs diximus, & ab eo benignè susceptus, & multo tempore habitus est.
[b] Lib 4. cap. 2. Deinde [b] sic eiusdem aduentum in Britanniam refert anno Christi sexcentesi-
mo vndeseptuagesimo, qui secundus ordinationis numerabatur præditúsque
erat literâ Dominicali G. *Peruenit Theodorus ad Ecclesiam suam secundo postquàm*
consecratus est anno, sub die 6. Kalendarum Iuniarum Dominica. Vixit igitur
Agilbertus aliquandiu Clotario Tertio Regi superstes, ideóque distinguendus
est ab Audoberto, qui sub Clodoueo Clotarij Tertij patre floruit. Anonymus,
cùm Cboinualam Regem Angliæ nuncupat, ostendit se Baboleno Abbate cu-
ius vitam scribit, & Audoberto Episcopo quem Babolenus adiit, longè recen-
tiorem esse, nam postquàm septem Regna, in quæ partem Britanniæ à se sub-
actam Angli Saxonésque diuiserant, in vnam dominationem sub Egberto Re-
ge coaluerunt, Reges Angliæ nono seculo indigitati cœpere.

XXXV. Non minùs in Baboleno quàm in Agilberto fallitur Anonymus, Babolenum
BABOLE- enim primum Abbatem Fossatensem cum Bobuleno quarto Abbate Bobiensi
NVM ABB. confundit. Ex variis nostrorum Annalium locis patet sanctum Columbanum
FOSSAT. Monasterij Bobiensis in Italia quadraginta milliaribus ab vrbe Ticinensi fun-
CVM BOBV- datorem fuisse, eique in eiusdem Cœnobij administrationem successisse san-
LENO ABB. ctum Attalam, deinde sanctum Bertulphum, quorum vitæ scriptæ sunt à Iona
BOBIENSI. coætaneo, editæque reperiuntur inter opera Bedæ [c]. Sanctus Bertulphus obiit
[c] Tomo 3. hoc anno. Successit Bobulenus, cuius vitam ab Authore synchrono conscri-
ptam ex Codice Bobiensi publicauit Ferdinandus Vghellus in Abbatum Bo-
biensium catalogo, quem Bobiensibus Episcopis subiunxit. Nullum ibi ver-
bum de Bobuleni profectione in Gallias. Extat apud Vghellum eodem loco
Priuilegium Bobuleno Abbati à Theodoro Papa concessum *quarto Nonas Maij,*
imperij Domini piissimi Augusti Constantini anno secundo, Consulatus primo, In-
dictione primâ, id est, anno Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio, vnde
concludas Bobulenum illum Abbatem Bobiensem synchronum extitisse Babo-
leno, qui curam Monasterij Fossatensis hoc anno, Christi DCXL. suscepit.

XXXVI. Vt eos diuersos credamus, multæ nos rationes impellunt. Primò, in vita
sancti Bobuleni iam laudata non legimus eundem Bobulenum in Galliam pro-
fectum fuisse. Deinde vterque hoc anno Abbatiale munus iniit, Babolenus
Fossati, Bobulenus Bobij, & hic Bobiense Monasterium adhuc regebat quarto
Nonas Maias Indictione primâ siue anno Christi sexcentesimo quadragesimo-
tertio, vt ex Theodori Papæ Priuilegio iam citato constat. Præterea apud V-
ghellum in præfatione ad tractatum de Bobiensibus Episcopis Monasterium
Bobiense sancti Columbani præcipuè laudatur, quia ibi *SS. Columbani, & Atta-*
læ. Bertulfi, & Bobuleni Abbatum corpora requiescunt, & in Ordinis Benedictini
Martyrologio pridie Kalendas Septembris ponitur *Bobio Monasterio Translatio*

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

Sanctorum Abbatum eiusdem loci, Columbani primi, Attala secundi, Bertulphi tertij, Bobuleni & Camugelli, itaut nemini dubium esse debeat, quin Reliquiæ sancti Bobuleni Bobiensis Abbatis in Monasterio Bobiensi custodiantur, & sanctus Bobulenus Abbas Bobiensis, cuius corpus apud Bobium in Italia visitur, alius sit à sancto Baboleno Abbate Fossatensi, cuius corpus in Galliis apud Fossatum asseruatur. Hugo Menardus libro primo suarum obseruationum ad Martyrologium suprà citatum, vbi agit de prædicta Translatione, *Bobulenus*, inquit, *alius est à nostro Baboleno Fossatensi, qui fuit etiam Abbas Bobiensis.* Si quis obstinatiùs ex illa Menardi sententia contenderet duos floruisse Bobulenos Abbates, quorum alter superatis Alpibus venerit in Galliam, & Fossatense Monasterium sub Clodoueo Francorum Rege primus administrarit, alter verò longè recentior Bobij mortuus ac sepultus fuerit, & cum aliis eiusdem loci Abbatibus pridie Kalendas Septembris in prædicto Martyrologio colatur; responderemus sancti Bobuleni vitam apud Vghellum esse consulendam, ibi enim sanctus Bobulenus, qui Bobij quiescit, dicitur *edoctus à Sancto Columbano præsule*, idque habitâ temporis ratione non potest affirmari de alio Bobuleno quàm de quarto Abbate Bobiensi, qui Baboleno Abbati Fossatensi synchronus vixit. Sanctum Bobulenum, qui sancto Bertulpho in regimen Bobiensis Monasterij successit, à sancto Columbano eruditum in adolescentia sua colligimus etiam ex Iona, qui testatur Winicosum ipsius Bobuleni siue (vt appellat) Boboleni patrem, amissâ vxore tunc Presbyterum, Abbati Columbano in Burgundia notum ac perfamiliarem fuisse, sic enim scribit de sancto Columbano in eius vita. *In Cœnobio Luxouio tale quid vice aliâ gessit simile, nam quidam Presbyter ex parochianis, pater Boboleni, qui nunc Bobiensi Cœnobio præest, Winicosus nomine, ad beatum Columbanum venit, erátque ille in saltu cum fratribus ob lignorum opportunitates parandas, cúmque supradictus Winicosus superuenisset, miránsque aspiceret, quantâ vi truncum quercûs cuneis arietéque partirent; elapsus è trunco cuneus mediam frontem secauit, ac venarum profluas sanguinis vndas produxit. Videns autem vir Dei Columbanus detectum os, sanguinem fluentem, statim in terram orans ruit, surgénsque salinâ illitum, sanum reddidit, vt vix cicatricis vestigium remaneret.* Et inferiùs, cùm narrat miraculum, quo horreum penè vacuum per fidem & orationem sancti Columbani mox frumento ad sustentationem Luxouiensium fratrum repletum est, eundem Winicosum laudat, quòd assiduus adhæreret sancto Columbano. *Winicosus Presbyter*, inquit, *cuius superiùs fecimus mentionem, ad eum venit, sequebatúrque Winicosus Columbæ vestigia, quocumque iret.* Scribebat Ionas paulò post annum Christi sexcentesimum quadragesimum, siue sub ipsa Bobuleni Abbatis primordia, suúmque opus duobus Abbatibus Waldeberto Luxouiensi & ipsi Boboleno Bobiensi dicauit, vt patet ex præfationis initio aliâ occasione suprà recitato, cùm inquireremus de die quo sancti Audoenus & Eligius ordinati sunt Episcopi. In sancti Baboleni vita, quam Duchesnius publici iuris fecit, de ipsius Baboleni patria & parentibus nihil legitur consentaneum iis quæ de parentibus ac patria Boboleni Abbatis Bobiensis ex Iona coætaneo superiùs retulimus, nec leue videtur illud argumentum vt sanctus Bobulenus seu Bobolenus, quartus Abbas Bobiensis, à sancto Baboleno, primo Abbate Fossatensi, distinguatur. Ex Theodori Papæ literis, quæ citantur etiam in Chronico Bobiensi manuscripto Bibliothecæ Anicianæ, Ferdinandus Vghellus affirmat in Cœnobio Bobiensi sub Abbate Bobuleno conuersatos esse centum ac quinquaginta Monachos, quòd autem in iisdem Codicibus dicuntur illi Monachi vixisse sub Regula sancti Benedicti, rectè monet hæc verba (*sub Regula sanctæ memoriæ Benedicti*) Apostolico Diplomati, quod è Tabulario Monasterij Bobiensis euulgauit, addita fuisse à quopiam parum cauto, obseruátque de sancti Benedicti Regula Bobiensi Cœnobio tradita nullum in monumentis Bobiensibus testimonium inueniri nisi seculis longè posterioribus, atque id minimè tacendum putauimus, vt nullatenus obstupescas, si fortè Codices Monasteriorum

AN. CH. 640.

Sigib. III. R. 8. Clod. II. R. 3. XXXVII.

Gravior error Breulii.

Benedictinorum à Neotericis eodem modo interpolatos esse nonnunquam conqueramur.

Iacobus Breulius multùm auxit errorem Anonymi, Babolenum enim primum Abbatem Fossatensem non tantùm cum Bobuleno quarto Abbate Bobiensi, sed etiam cum Papoleno secundo Abbate Stabulensi confudit, & ex tribus Abbatibus qui diuersi admodum fuerunt vnum absurdissimè conflauit. Babolenum patriâ Burgundum, & Winicosi siue (vt appellat) Winioci filium finxit, atque inde captâ occasione non pauca ex Iona descripsit de Sancto Columbano, eiúsque obitu in annum Christi sexcentesimum vicesimum-quartum perperam dilato, mox de successoribus ita subiunxit. *Successit in regimine Bobiensis Cœnobij Sanctus Attala, eique secundùm Bedam* (meliùs dixisset secundùm Ionam) *S. Bertolfus, consanguineus B. Arnulphi Metensis Episcopi. Chyrographi tamen Codices S. Mauri Fossatensis B. Babolenum tertium dicti loci Abbatem fuisse testantur. Siue ergo tertius siue quartus Abbas fuerit non refert. Certum est nihilominùs eum Bobiensem gregem sanctissimâ doctrinâ & eruditione per biennium pauisse. Quo finito, de licentia fratrum & assensu Episcopi commendatum officium liquit, atque peregrinationis laborem, cælestis regni desiderio, adsumens, Sanctum Remaclum Albutij & Matrimæ filium, Sanctique Sulpicij Archiepiscopi Bituricensis quondam discipulum (qui relicto Traiectensi Episcopatu, & constructis in sylua Arduenna ab arduis montibus dicta duobus Monasteriis, Stabulaus videlicet in Diœcesi Traiectensi, & Malmundario in Diœcesi Coloniensi, religiosam vitam ducebat) visitauit. A quo humanissimè susceptus est, & conuersatus illic absque offensione, adeò vt qui instruendus venerat, plures ad imitationem sui ædificaret. Quare S. Remaclus, retento ad habitationem suam Stabulensi Cœnobio, hunc fratribus Malmundarij propter disciplinam (saluâ tamen in omnibus suâ auctoritate) præfecit. Post cuius gloriosam mortem (quæ contigit anno Domini 691.) Beatus Babolenus vtriusque Monasterij regimen & administrationem adeptus est. Vnde in fine vitæ Beati Remacli sic legitur. Successit illi Dominus Babolenus vir Apostolicus. Hunc tamen tantæ Sanctitatis virum quidam fratres perniciosam libertatem affectantes, additis conuitiis eiecerunt, scilicet ex eorum numero existentes, qui teste Salomone dicunt. [Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris. Improperat nobis peccata legis, diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.] Sanctus ergo Babolenus sic ignominiosè expulsus, Lutetiam Parisiorum Christo sibi prænio & adiutore venit, regnante glorioso Rege Clodoueo Secundo, Dagoberti filio.* Sed seu beatus Remaclus obiit anno Christi sexcentesimo nonagesimo-primo, vt Breulius in contextu suæ narrationis tradit, seu vitam produxit ad annum vsque Christi sexcentesimum nonagesimum-quintum, vt idem Breulius ad marginem textûs suprà citati reponit, eius successor è Monasterio Stabulensi pulsus adire non potuit Clodoueum Francorum Regem, Dagoberti filium, qui anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto in viuis esse desiit. Deinde in fine vitæ beati Remacli, quam Breulius in margine notat haberi Tomo quinto Surij, die tertio Septembris, eius successor non Babolenus vt vult Breulius, sed Papolenus nominatur. Ibi enim quatuor primi Abbates Stabulenses & Malmundarienses ita recensentur. *Successit illi*, nempe Remaclo, *dominus Papolenus vir Apostolicus, cuius suprà fecimus mentionem; Papoleno Sigolinus beati patris* Remacli *indicio æquè approbatus; Sigolino Goduinus annis & morum maturitate grandæuus.* Sanctus Papolenus, secundus Abbas Stabulensis, probatur diuersus à sancto Bobuleno quarto Abbate Bobiensi, & à sancto Baboleno primo Abbate Fossatensi, quia vtrique superuixit, quiescitque Stabuleti, nec vlla fit Monasterij Stabulensis memoria cùm apud Vghellum in vita sancti Bobuleni Abbatis Bobiensis, tum apud Duchesnium in vita sancti Baboleni Abbatis Fossatensis. Ab erroribus Breulij non recessit Simon Martinus, qui Sanctorum vitas idiomate Gallico conscriptas recognouit, & sancti Baboleni vitam vno libello à se collectam Capitulo sancti Mauri Fossatensis obtulit.

Babolenus igitur, qui primus Abbas Fossatensis fuit, nec cum Bobuleno AN. CH.
Abbate Bobiensi, nec cum Papoleno Abbate Stabulensi confundi debet. Pa- 640.
triâ fuit Italus; in Monasterio Bobiensi Monachum induit; sancto Columba- SIGIB.
no, qui Cœnobium Bobiense construxit, superstes extitit annis plùs minùs se- III. R. 8.
xaginta; viuere enim desiit regnante apud Francos Theodorico, ideóque vix CLOD.
existimari potest edoctus ab ipsomet Columbano; cum licentia Bertulphi Ab- II. R. 3.
batis, cuius obitus in hunc annum Christi sexcentesimum quadragesimum de- XXXVIII.
cimo-quarto Kalendas Septembris incidit, è Monasterio digressus in Fran- PATRIA ET
ciam venit hoc eodem anno, cúmque preces ad Deum Parisiis in Basilica bea- ÆTAS BA-
tissimæ Virginis profunderet, ab Audoberto illius ciuitatis Episcopo interro- BOLENI.
gatus est quis esset, ac postmodum oblatus Blidegisilo Diacono ac Clodouco
Regi, quorum desiderijs vt obtemperaret, passus est se Monasterio Fossatensi
cum Abbatis titulo præfici.

Eo die, quo Babolenus pastorale regimen auspicatus est, Clodoueus Rex XXXIX.
Monasterio Fossatensi fiscum regium nomine Brictonicum tradidit. *Suscepit,* MVNIFI-
inquit Anonymus, *eâ die vir Sanctus pastorale regimen, licèt inuitus. Tunc Rex* CENTIA
eius animi videns deuotionem, dedit ad illam nouellæ plantationis Ecclesiam fiscum REGIS ER-
regium nomine Brictonicum, in præcippio Maternæ situm. Huic tam laudabili spe- GA MONA-
ctaculo intererat & nobilium multitudo, inter quos Annobertus Senonum Archiepi- STERIVM
scopus, & sæpefatus Parisiensis Audobertus, atque Maurinus Episcopus Beluacensis, FOSSAT.
Argundus quoque & Agomarus Præsules reuerendi. Cum quibus & Abbatum erat
collegium, Caroandi, Heldoardi & Carterici venerabilium. Iungebatur his multi-
tudo plebis, nomen Domini super hoc laudantes. Deinde qualem se Babolenus in
administrando Monasterio gesserit, idem Author sic explicat. *Adeptus itaque*
locum regiminis, cœpit virtutibus radiare, hospitalitatem sectari, zelo Dei succendi,
domum sibi traditam strenuè gubernare, vitia radicitus amputare, Sanctorum quo-
que circuire Cœnobia sub Sancti norma Columbani degentia, velut apis prudentis-
sima, vt aliqua sibi retineret virtutum meliora studia, sicque aromatibus virtutum
sanctum iunioribus monstrabat exemplum.

Quamuis Anonymus subticeat notam temporis, quo Babolenus Abbatiali XL.
titulo gaudere cœpit, satis innuit id hoc anno contigisse, quos enim Episcopos
& Abbates illo die præsentes fuisse dixit, cùm Clodoueus Rex Monasterio
Fossatensi fiscum Regium nomine Brictonicum tradidit, iidem hoc anno No-
nis Maiis subscripserunt donationi, quam Blidegisillus Diaconus eidem Cœ- EXEMPLAR
nobio sub Abbatis Baboleni disciplina nuper constituto concessit, vt apud DONATIO-
Breulium docent hæ literæ. *In nomine Sanctæ Trinitatis, Blidegisillus Diaconus,* NIS BLIDE-
seruorum seruorum Dei. Qui æternæ vitæ hæreditatem cum Sanctis in futuro seculo GISILLI
desiderat possidere, oportet illum in præsenti seculo compensare, vnde illam apud piis- DEPRAVA-
simum Dominum valeat impetrare. Omnibus igitur Ordinibus, Clericis quoque, nec- TVM.
non & laicis, cunctísque Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus tam præsentibus quàm futu-
ris cognitum fieri volumus, quia quandam terram in pago Parisiaco sitam, quam
Domnus Rex Clodoueus gloriosissimus ac præcelsa genitrix eius Nandechildis Regi-
na, per Præceptum illorum pro mercede sua, ad Ecclesiam Dei inibi ædificandam
quondam nobis concesserunt. Illum videlicet Castellionem, qui Fossatus dicitur, &
quem vulgaris lingua Castrum vocat Bagaudarum super fluuium Materna situm ha-
bentem ab introitu suo vsque in alueum ipsius Maternæ buinaria (legendum *bu-*
nuaria infrà docebimus) *duodecim cum tota terra vocabulo Varenna * quæ est in cir-* *la Garenne.
cuitu ipsius Castellionis, & quam Materna fluuius gyrat, ac fossatus aquæ concludit,
ipsi sancto loco in honore Domini ac Sacræ genitricis eius Mariæ, necnon & princi-
pum Apostolorum Petri & Pauli à nobis constructo, in quo egregium virum, nomine
Babolenum sub Sancti patris Benedicti exemplo nuper constituimus Abbatem, propter
abluenda delictorum meorum facinora, vel Christi gratiam conquirendam compla-
cuit dedisse. Volumus prætereà vt prædictus vir sanctissimus Babolenus, quem pro
amore Dei in eodem, sicut diximus, loco Abbatem constituimus, suique Monachi
seu successores eorum sæpefatum Castellionem cum iam dicta Varenna quam fluuius

AN.CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

Materna circumdat, & Fossatus Castellionis, vt dictum est, in entroitu suo ab aqua in aquam totam terram concludit, vnà cum manentibus illis qui ibi appendunt, cum pratis ac pascuis, garricis & vlmis, cum aqua verò, seu omni piscatione, insulis quoque ac molendinis, necnon & piscatoriis, cum portis etiam, cunctisque ipsius aqua transitoriis, vel cum omnibus adiacentiis, cultis & incultis ab hodierna die vsque ad vltimam huius seculi horam teneant ac perpetualiter possideant. Et sicut de regali munere hoc promeruimus, ita de iure nostra proprietatis cum pracepto & omni instrumento, sine omni donatione quam supra memoratus Rex domnus Clodoueus ac inclyta eius genitrix Nandechildis fecerunt, & nobis Deo inspirante placabiliter dederunt, in eorum eius potestatem ad ipsum locum sustinendum, atque ad eorum corpora Dei seruitio ibi sustinenda, Deo auxiliante, transponimus ac firmiter transfundimus, quatinus ipsi serui Dei omnésque successores eorum, vt pradiximus, ibidem sub Regula S. Benedicti, ad modum & similitudinem Luxouiensis Monasterij Domino Christo valeant deuotissimè famulari, & in omnibus eam sectentur normam; vt omnibus postpositis peculiaribus, iuxta traditionem Apostolicam cuncta possint possidere communia; vt & sibi salutem acquirant, ac pro anima prascripti Regis Domni Clodouei ac matris eius Nandechildis, qui mihi hoc, vt prafatum est, contulerunt, necnon & pro me indigno Blidegisillo peccatore, Dominum toto corde fideliùs exorare delectet. Si quis verò (quod numquam credimus) contra hanc traditionem, & nostra delegationis decretum insurrexerit, aut eam infringere prasumpserit, vel abstrahere ab ipso loco sancto, seu de potestate eorum inibi Deo seruientium, iram Dei omnipotentis se incurrere pertimescat, & in calis sanctorum societatem perdere per omnia formidet. Et insuper iuxta seculi pœnam, auri libras quinque argenti pondera partibus ipsius loci, vel iam dictis seruis Dei cogente fisco exsoluat. Et nullo modo nullóque ingenio quod aduersatur euindicare valeat. Vt autem hac epistola nostra donationis per cuncta secula teneat vigorem & stabilitatem, manu propriâ subscripsimus, stipulatione subnixâ. Et tam Pontifices quàm & Abbates, caterósque magnificos viros prasentes in prasenti rogauimus, vt eam suis roborationibus adfirmarent. Quod & multi opitulante Deo libenter fecerunt. Actum Parisius sub die Nonarum Maiarum, anno tertio regnante Clodoueo gloriosissimo Rege. Signum Blidegisilli Diaconi, qui hanc epistolam donationis fieri rogauit & subscripsit. Signum Audoberti Parisiaca vrbis Episcopi, qui huic epistola rogante Blidegisillo subscripsit. Signum Annoberti Senonica Ecclesia Episcopi, qui hanc corroborauit, &c. Signum Marini Beluacensis Ecclesia Episcopi, qui & hanc conscriptionem confirmauit. Signum Agomari Episcopi, qui similiter eam signauit. Signum Argundi Episcopi, qui hoc similiter signauit. Signum Audonis, qui adfirmauit. Signum Wandeberti adsignantis. Signum Randegramni conscribentis. Signum Theoberti. Signum Charoaudi Abbatis. Signum Hildoardi Abbatis. Signum Catherini Abbatis. Signum illustris viri Waldeberti Comitis.

XLI. EMENDATVR.

In illis Bridegisilli literis, vt & in Regio Diplomate, quod ante biennium recitauimus, hæc verba *sub sancti Patris Benedicti exemplo*, & ista *sub Regula S. Benedicti*, fuerunt à Neotericis interpolata, quia Monachi Luxouienses, ad quorum modum ac similitudinem Fossatenses Christo seruiebant, non Regulam sancti Benedicti sed statuta sancti Columbani sectabantur, ídque hactenus satis probatum putamus. Nonis Maiis, cùm Blidegisillus literas proximè recitatas emisit, in viuis adhuc superarat Regina Nandechildis seu Nanthildis, obiitque eodem anno ante mensem Septembrem, vt ex Fredegario suprà notauimus. Agomarus Episcopus erat Syluanectensis, ante annos quindecim Concilio Remensi subscripserat, colitur à Syluanectensibus septimo Idus Nouembris vt in Historia Syluanectensi Carolus Iaulnæus Decanus Ecclesiæ Collegiatæ sancti Reguli testatur [a]. Argundum Episcopum existimamus Aurelianensem, qui post Leodegisillum Austreni Tomo superiore à nobis laudati successorem sederit, & in Episcopatu Antecesserit Audonem, quem Concilio Cabilonensi sub Clodoueo Rege subscripsisse constat. Ita censendum arbitramur, quia cœterorum Episcopo-

[a] In Epist. 16.

AN. CH. 640.
SIGIB. III. R. 8.
CLOD. II. R. 3.

rum, qui prædictæ donationi subscripserunt, Diœceses erant vicinæ Parisiensi, notique sunt Episcopi, qui reliquas Ecclesias Senonensis prouinciæ tunc administrarunt. Charoaudi seu Caroandi, Hildoardi siue Heldoardi, & Catherini siue Catterici, Abbatum Monasteria ignoramus. Pro buinariis restituimus bunuaria, bunuarium enim mensura quædam est terræ, sicut iugera, & à bunuario dicitur bunuariarius qui bunuarium agri possidet. Lege Glossaria Lindenbrogij & Spelmanni.

XLII. GOAR PRESBYTER.

Hoc circiter anno collocanda videntur, quæ de Rustico Treuirorum Episcopo, déque Goare Presbytero narrantur in eiusdem Goaris vita cùm ab Anonymo tum à Wandelberto iam laudatis. Vtemur autem verbis Anonymi, quia penes eum, licèt sermone vilior ac rudior existat, ob antiquitatem grauior est auctoritas. *Contigit vt aliqui Legati Treuerici Episcopi, cui nomen erat Rusticus, videlicet Alboinus & Almannus ad cellam viri Dei Goaris aduenirent quasi speculatores, vt ibi aliquam rem nouam vel inanem inuenire possent. Et quia ibidem non pro Dei amore venerant, sed pro vana opinione, vt aliquam accusationem aduersùs seruum Dei reperire valerent, dicebant se luminaria ad partem sancti Petri Treuerica Ecclesiæ quærere, sed magis tenebras conquirebant quam lucem. Hi ergo viderunt quod faciebat beatus Goar, quia videlicet solebat mane, cursu Psalmodiæ sua completo, & Missarum sollempnitate celebratâ, cum peregrinis & pauperibus perfectâ & Deo acceptâ caritate repletus cibum sumere, iuxta quod sanctus Iohannes Apostolus dixit.* [*Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo, & perfecta caritas foras mittit timorem.*] *Hoc itaque opus caritatis illi furenti animo cogitantes tractauerunt inter se malignâ machinatione, qualiter eundem bonorum operum sectatorem exinde apud Treuerensem Episcopum accusarent. Quod & fecerunt, quasi de substantia eius aliquid lucrari vel conquirere deberent, dicentes se etiam vidisse sine temperamento mane comedere vel potum sumere. Quod namque vir Dei sanctus Goar caritatis instinctu faciebat, hoc illi miseri malâ consuetudine &* ACCVSATVR
vitio gulasitatis fieri æstimabant, simúlque fingebant alia atque alia multa mala APVD RVSTICVM
exempla se ibidem vidisse, quódque ad rectitudinem & regimen Treuericæ parrochiæ nihil perficeret nisi ad malum exemplum, quia falsa & inanis erat eius loquela. Hæc audiens Episcopus Treuerorum, statim sine mora iussit ipsos Legatos illuc EP. TREVIR.
redire, & sanctum Dei Goarem sibi præsentari, dicens quòd inquisitionem de ipso facere vellet, vt posset scire quo ingenio vel arte talia præsumpsisset plebi sibi commissæ exempla monstrare. Qui venientes ad beatum Goarem locuti sunt ei dolosè, putantes quod accusationem illam, per quam eum infamauerant, possent blanditiis verborum abtegere. Episcopus, inquiunt, noster Rusticus salutem tibi mandat, iubétque vt ad colloquium ipsius Treueris festinanter venias. Hæc audiens homo Dei sanctus Goar cum gaudio dixit. Faciat michi Dominus, faciat vt possim ei obedire, quia obedientia sine mora est facienda. Nocte illâ fecit illis cœnam secundùm vires suas, & ipse in Dei laudibus, sicut solebat, fuit perseuerans. Mane autem facto, postquàm cursum suum finiuit, Missarum sollempnia celebrauit. Cúmque compleset diuinum officium die illo, dixit ministro suo. Fili, fac nobis lætum diem de abundantia nostra, vt isti Legati Domini Episcopi simul nobiscum faciant caritatem, quia in itinere sunt, & forsitan Deus aliquem peregrinum aut pauperem adducet vt pariter epulemur. Quod audientes illi, qui fuerant malitiosè commoti, non potuerunt malignitatem quam gerebant in cordibus abscondere, dicentes ei. Nec tu bona, vt æstimas, opera agis, nec nos tibi hæc consentire volumus. Sanctus Goar respondit. Mala domus est, in qua Dominus eiusdem domûs non timetur, vos namque si Deum timeretis, caritatem non recusaretis. Iterum verò hæc sibi inuicem colloquentibus, venit puer Sancti, & dixit. Domine, ecce quidam peregrinus stat ante ianuam nostram. Quo audito Sanctus cum gaudio dixit. Fili, voca illum. Qui cùm vocatus fuisset, dixit ille beatus Spiritu Dei plenus. [*Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.*] *Cúmque hæc famulus Domini dixisset, introduxit peregrinum in domum suam, & positâ coram eo mensâ, pauit eum, immò Christum, & per caritatem comedit cum illo. Hæc videntes prædicti Legati cum*

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

magna lætitia strauerunt equos suos dicentes inter se dolosè. Nunc manifestè vidimus, quod Domino nostro Episcopo nuntiare possimus, & cœperunt hominem Dei rogare, vt aliquid eis ad manducandum & bibendum iuberet dari, quod portantes in vasculis tali edulio laborem releuarent itineris. Vir autem Domini, vtpote hilaris dator, libenti animo hoc fieri præcepit. Quod cùm factum fuisset, illi cum vociferatione cœperunt cogere illum vt festinanter arriperet iter. Ast ipse Sanctus Goar cùm hæc audisset, statim sine mora iussit sterni mulum suum. Et cœperunt sæpedicti Legati cum beato Goare & eius adminiculo ambulare. Sacerdos verò Christi in psalmis & hymnis laudes debitas persoluebat Sanctæ Trinitati. Cumque miliarium sextum perambulassent, & venissent in locum qui Pauli campus nuncupatur, dixit Alboinus ad Almannum. Grauem habeo famem, & nimium sitis patior ardorem. Respondit Almannus. Si ego quantocyùs non bibero, forsitan de præsenti moriar. Angustiati itaque esurie & siti tractauerunt mutuò ire ad aliquem riuulum aquæ, cuius haustu valerent suam sitim extinguere. Cúmque venissent ad quemdam riuulum, guttam lymphæ non repererunt, cùm eatenus indeficientem habuisset decursum. Miserunt manus ad sistarchiam & ad vtrem, si fortè inuenire possent in eis aliquid quod esset aptum ad manducandum & bibendum, & nichil inuenerunt, cùm vtique ad deprecationem suam dono Sancti Goaris de domo ipsius sufficientem in eisdem deportassent victûs alimoniam. Sed non mirum. Verax namque est ille qui dixit [Michi vindictam, ego retribuam.] Et quia seruus eius Goar opera caritatis impleuit, detractoribus suis iuxta præceptum Apostoli vnumquemque monentis [si esurierit, inquit, inimicus tuus, ciba illum, si sitierit potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius; & noli vinci à malo, sed vince in bono malum] ideo taliter vindicari promeruit à iudice omnium. Hanc nempe sententiam sine obliuione Sanctus Goar retinebat. Inter hæc autem labor & defectio eorumdem Legatorum magis ac magis crescebat, & via prolixior valdè eis erat. Et ait Alboinus ad Almannum. Talem ego famem & sitim numquam habui. Et hæc dicens cecidit de equo suo quasi mortuus. Almannus verò conuersus ad famulum Dei Goarem, succurre nobis, inquit, pie Sacerdos Christi, quia fame & siti morimur. Sanctus Goar cùm hoc audisset, cum gaudio dixit. Fily, recordari oportet, quia, vt testatur Apostolus & Euangelista Iohannes, [Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.] Hodie, filij, quando me indignum vidistis caritatem facere, non debuissetis recusare. Ista verò, quæ nunc patimini, ad corripiendum vos Deus meus permittit fieri. Dum hæc illis diceret, quos vehementer cruciabat fames, venerunt tres ceruæ miræ magnitudinis, quasi Sanctam Trinitatem præfigurantes, steterúntque à longè ipsos, qui loquebantur, aspicientes. Quas cùm vidisset vir Domini, & inuocasset Sanctam Trinitatem, iussit eas stare. Quæ cùm stetissent, apprehendens vasculum suum mulsit illas. Quod cùm factum fuisset, præcepit eas abire, & ex ipso lacte liniuit membra prædictorum virorum, & statim nullum dolorem lassitudinis, qui in eis de inedia acciderat, senserunt. Hoc remedio confortati, mox vt miserunt manus ad sacculos, inuenerunt quæ apta erant ad manducandum & bibendum vsque ad abundantiam, & cœperunt epulari. Cúmque mirarentur de his quæ viderant, & stupentes timerent, dixit vir Dei ad eos. Fily, quæ pro causa mandauit mihi Episcopus ad se venire, scio enim ego quia hoc quod hodie vidistis non fuit sine causa, & quæ Dominus ostendit michi, proficient ad præbendum credulitatis exemplum eis qui in ipso confidunt, quia iuxta Psalmistam, [potens est Dominus parare mensam, & quia magnificata sunt opera tua Domine.] Ad hoc Sancti documentum timore & tremore concussi nullum ausi fuerunt ei dare responsum, sed sperauerunt se subitaneâ morte interire. Quamobrem cœperunt incitatis equis velociter itinerare, donec venirent Treueris ciuitatem. Seruus autem Dei Goar per Oratoria & Ecclesias Sanctorum, sicut solitus erat facere, pergebat, & sæpedicti Legati festinanter venientes ad Episcopum Metropolitanum inuenerunt eum Synodo sedentem in solio suo vnà cum Clero, narrauerúntque ei omnia quæ eis contigerant, vel quæ facta viderant ab ipso Sancto Goare. Quæ cùm vidisset, cum iracundia cœpit dicere. Inquantum intelligentiâ cordis considerare valeo; consuetudo

INNOCENTIAM SVAM DECLARAT MIRACVLIS.

istius

istius pertinacis viri, qui sic manè comedit, & bestias mulget, sine dubio potiùs deputanda est gulositati quàm caritati. Inquirendus est tamen quamobrem, vel quo humana laudis desiderio hæc faciat, & vtrùm ex parte Dei sit, an ex deceptione aduersary. Vix verba compleuerat, & ecce vir Dei Goar intrauit in domum, in qua ipse Episcopus residebat. Ingressus itaque cœpit quaquauersum aspicere, si fortè esset locus, vbi stare posset discipulus suus, & capsam suam pendere vel abscondere. Diu ergo circumspiciens vidit in angulo domùs quasi similitudinem fustis, qui certè non erat fustis, sed radius Solis, qui per fenestrellam penetrabat interiora mansionis. Cúmque appropiasset ad radium Solis speciem grossioris perticæ protendentis, appendit cappam suam super ipsum radium, ibíque stare præcepit ministrum suum. Quod cùm vidisset Rusticus Episcopus vnà cum Clero suo, dixit. Videtis nunc quid fecit, verè si hæc causa ex Deo fuisset, tam manè non comedisset vel bibisset, quia anteriores Sancti per eleemosynas & ieiunia intrauerunt in regnum Dei. Hoc autem mirabile factum quod video, quid sit omnimodis nescio, sed inde non mediocriter stupeo. Manè comedit & bibit, bestias mulget, cappam etiam suam in radio Solis suspendit. Quid plura? Accedat propiùs & reddat rationem circumsedentibus, vt sit notum omnibus, si ex virtute Dei hæc facit, an ex immissione hostis antiqui. Cumque interrogatus fuisset, cultor Trinitatis respondit. Deus, qui es iustus iudex, fortis & patiens, & nosti omnia, tu scis quòd consentio nichil de aduersary opere, neque consentire cupio; neque cappam meam in radio Solis pendere scio, nisi in fuste roboreo, & illas ceruas diuinitus transmissas per nulla maleficia mulgere volui, inspiratio autem omnipotentis Dei, postquàm solita fuit hora transacta, ita michi inspirauit facere, manè caritatiuum cibum & potum cum his, qui sunt membra eius, sumere, quatinus & lac ceruarum officio meo releuaret à dolore vestrorum corpora Legatorum, & edulio gentaculo matutino tempore cum pauperibus participato adimplerem Christi præceptum, sicut ipse Dominus nouit qui omnia iudicat. Hæc viro Dei dicente, venit puer de Clero Treuerorum, nomine Leobgisus, portans in brachio suo infantem tres noctes habentem, qui fuerat proiectus in illam concham marmoream, sicut est consuetudo Treuerorum, vbi pauperculæ fœminæ infantes suos solent iactare. Hæcque consuetudo erat, vt quando aliquis homo de ipsis infantibus proiectis misericordiâ motus vellet curam habere, ab illis, quos nutricarios vocant, matriculariis Sancti Petri compararet, & illi Episcopo ipsum infantem præsentare deberent, & posteà Episcopi auctoritas eundem hominem de illo nutricario confirmabat. Videns autem Rusticus Treuerorum Episcopus illum infantem portari, dicebat. Modò inuestigare poterimus sagaci animo, si ex Deo sunt sapientia & virtutes quas facit Goar, an ex aduersario. Si ex Deo est, faciat nobis cognitum, qui fuit pater istius infantuli, & matrem eius denominet, & credimus quia non est eius causa ex vitio pertinaciæ. Si verò hæc facere non præualuerit, feriatur sententiâ capitali. Hæc autem nequaquam dixit propter causam suam, vt ipse cognitor de semetipso esset, sed quia scelera eius & crimina principalia iam latere non poterant. Conuersus ergo ad virum Dei dixit. Goar. Qui respondens ait. Ecce adsum. Dixit Episcopus. Multa de te audiuimus, simul & vidimus, non ego solus, sed & tota plebs hic congregata: Quapropter necesse est, vt ostendas nobis ministerium modò tuum si verum sit an falsum. Si verum est, per veram obedientiam præcipio tibi vt facias ipsum infantem nobis innotescere genitorem suum & genitricem suam. Si hoc facere potes, credemus tibi & virtutibus tuis. Sin autem, nichil tibi credere habemus. Hæc audiens vir Dei suspirauit grauiter, & lacrimas sine cessatione fundebat, vehementer admirans quamobrem Pontifex suorum vituperator operum talem sibi inanem atque ineptam obedientiam facere præcepisset, & orauit Dominum, dicens. Christe, fili Dei, qui temetipsum exinanisti, & formam serui accipere dignatus es, fac mecum quamuis indignum tamen tuum clientulum, misericordiam tuam, vt cognoscat iste Episcopus vel plebs eius, quia te diligo, te adoro; tibi seruire cupio, creator & redemptor meus. Et hæc dicens accessit ad illum hominem, qui illum infantem in brachio gerebat, & dixit ad illum. Quot noctes habet infans iste? Respondit. Tres. Vir Dei Goar eleuatis oculis ac manibus in cælum dixit. Trinitas San-

AN. CH. 640.
SIGIB. III. R. 8.
CLOD. II. R. 5.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3

SCELVS EPISCOPI PATEFACIT VOCE INFANTIS.

EPISCOPVM HORTATVR AD POENITENTIAM.

cta, te innoco, atque te, infans, in nomine eiusdem Trinitatis coniuro, vt genitorem tuum per nomen denomines, & genitricem tuam similiter. Respondens infans dixit. Iste Rusticus Episcopus est pater meus & mater mea Afflagia nuncupatur. Quo audito, Episcopus cecidit velociter ad pedes beati Goaris dicens. Nunc scio verè, & credo te sanctum Dei seruum fore, cui scelera mea, quæ sic absconsa putabam vt nullus alius præter me & illam mulierem & vnum puerum meum vnquam nosse posset, ita sunt tibi patefacta per ipsius nati mei verba. Hæc audiens beatus Goar, stupore miraculi repletus, atque quasi in excessu mentis factus, dixit ad eum. Heu, heu, Domine, quare per me miserum peccata tua hactenus latentia facta sunt manifesta? Meliùs quippe fuisset spontanea & secreta coram Deo confessio, quàm ista contra votum tuum ignominiosa publicatio. Quæ licèt sit notabilis, non est tamen vsquequaque inutilis. Nam & verba Domini, qui dixit discipulis suis, [nihil opertum quod non reuelctur, nec occultum quod non sciatur] euidenter ostendit esse verissima. Ec tu propitiá diuinitate ac salubri confusione, si penitueris, pro certo eripieris a maligni damnatione. Quocirca acquiescens consiliis meis, accipe duram & prolixam pœnitentiam ab auctoritate Sacerdotum vt salueris, & talem profectò pœnitentiam, quæ non solùm sit in verbis sed etiam firmam radicem teneat in corde tuo contritionis, vt diabolus, qui de absconso nequam opere tuo malè gaudebat, de tua publica & digna pœnitentia & satisfactione ingemiscat. Ideóque assumens arma spei, de misericordia Dei noli esse desperans, sed confidenter attende Domini præcepta, qui dignatus est dicere. [Non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam.] Eius ergo mandatis obtemperans & tu sic age. Considera quoque admonitionem supernæ Maiestatis, quæ per beatum Iohannem Apostolum & Euangelistam Angelum Ephesi Ecclesiæ admonet dicens. [Age pœnitentiam, & prima opera fac, & pœnitenda dimitte.] Ipse etiam Dominus per Prophetam Ezechielem dicit. [In quacumque die conuersus fuerit peccator, omnia peccata eius obliuioni tradentur.] Quantùm enim saluator noster pius est ad dimittendum, tantùm nos oportet paratos esse ad pœnitendum. Ego perpendens, vt competit, mediocritatem & possibilitatem meam, in quantùm pietas diuina me exaudire & vitam dignabitur condonare, septem annis pœnitentiam pro te, compellente fraternâ caritate, iam deliberaui facere. Non tamen propterea quòd te precibus vel pœnitentiâ meâ tantùm necesse sit iuuari, cùm multos & magnos Dei seruos pro te oraturos & pœnitentiam acturos sciam, sed considerato quod dixit beatus Iacobus Apostolus [orate pro inuicem, vt saluemini à peccatis vestris] hanc iussionem humilitas mea conabitur adimplere Christo opem ferente. Tanta igitur Sanctitatis famam vel noua gesta audiens Sigibertus Rex Francorum statim transmissis Legatis suis iussit deuotum Deo Sacerdotem Goarem ad se venire. Qui cùm venisset, interrogauit eum per ordinem vniuersa quæ fuerant gesta tam de Legatis quàm de bestiis, seu de illo Treuerensi Episcopo, vel de infante contra naturam ætatis loquente. Tunc commotus Rex Sigibertus dixit ei. Per obedientiam, quæ debetur sublimitati Regum & Principum, & auctoritati Episcoporum, tibi præcipio vt dicas mihi de his omnibus laude dignis actibus, qui peruenerunt ad aures nostras, si veri sint an non. Compulsus itaque Sanctus Dei regalibus præceptis, paritérque timens, ne bona, quæ fecerat, auferret ventus elationis, orauit Dominum talibus verbis. Christe, fili Dei, qui temetipsum exinanisti & humiliare dignatus es vt nos redimeres & exaltares, miserere mei quamuis indigni, tamen de tua clementia confidentis. Et accedens ad Regem dixit. Quid vis vt dicam, aut quale responsum tibi reddam? Ait Rex. De his quæ audiui de te, vel quæ tibi & Legatis Episcopi Treuerorum, seu ipsi Pontifici contigerunt. Respondens homo Dei dixit. Dic modò, Domine mi Rex, quomodò dictum est tibi, vt audiam, vt per obedientiam, quam præcepisti mihi, dem tibi responsa. Tunc Sigibertus Rex vniuersa sicut contigerant vel facta fuerant, per ordinem ei recitauit. Recognoscens verò veritatis simul & humilitatis amator Goar, & respondens Regi, obedientiam, inquit, negligere non debeo, neque aliud tibi dico, sed omnia quæ dixisti ore veridico fecisse me fateor, & ab aliis sic creditur factum, quemadmodum Regiæ Maiestati tuæ est notificatum. Mirante autem Rege atque dicente omnia quæ facta fuerant à

AN. CH. 640.
SIGIB. III. R. 8.
CLOD. II. R. 3.

Sancto miracula, vniuersus populus vnanimiter clamabat ad Regem, quatinus ipsum Dei virum constitueres Treuerica ciuitatis Episcopum. Hac audiens Rex gratanti animo has preces plebis & vniuersi Cleri ciuitatis Treuerorum cupiebat adimplere, & vnà cum consensu Sacerdotum petiit beatum Goarem, vt Episcopus fieret Treuerorum. Statim autem vt vir Dei hac audiuit, dixit. Melius est michi magis mori quàm super Episcopum adhuc viuentem ministerium illius accipere, & peccare in conspectu Domini. Considera nunc si placet, Domine mi Rex, diuinam sententiam qua dicit. [Non est discipulus super magistrum, neque seruus super Dominum suum, & si patrem eius Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?] Nunc igitur dimitte illum Episcopum pœnitentiam veram atque perfectam agere & consummare Domino dicente [dimittite & dimittetur vobis.] Nam si te Deus Regem seculi constituit, scito tamen Regem sempiternum te habere in cælis. Ideò dimitte Rusticum pœnitere facinora sua, sicut vis vt Dominus dimittat tibi peccata tua. Hac audiens Rex suspirauit grauiter, & ait. Per salutem Principum, voluntariè obediam consiliis tuis, nam si Deus noster hoc non voluisset, per te tanta miracula non ostendisset, attamen aliud non fiet nisi quod definiui cum voluntate totius populi, videlicet vt Episcopus Treuerorum efficiaris, quamuis contra votum tuum. Cùm hoc dixisset, vir Dei ingemuit & dixit. Gloriose Princeps, sine me ad cellam meam priùs pergere, vt ad responsum tuæ Celsitudini dandum praparem me. Ait ad eum Rex. Vade cum pace, & transactis viginti diebus induciarum iterum veni Mettis ciuitatem ad colloquium prædestinatum. Rex igitur Sigibertus disponebat desideranter beatum Goarem ordinare Episcopum, sed humilis seruus Christi aliud cogitabat, voluebat namque animo quod Dominus dixit in Euangelio [omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.] Cumque peruenisset ad cellam suam, cœpit tristari, & à valida febre fatigari, & nimiùm corporali afflictione conteri. Quid multa? Die ac nocte Dominum deprecabatur, vt ei donaret defensionis suæ auxilium, & eriperet eum de tam graui iugo, quod præcellentissimus Rex Sigibertus ei imponere cupiebat. Cuius assiduæ orationes ita sunt ab eo, qui voluntatem timentium se facit, exaudita, vt Trinitatis adoratorem, quem Rex post viginti dies iusserat ad se redire, nec in septimo anno valeret præsentialiter videre. Toto illo septennio beatus Goar pœnitentiæ vacauit pro Rustico Episcopo. Quid secutum sit, ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-septimum dicturi sumus.

RECVSAT EPISCOPATVM.

PRO EPISCOPO POENITENTIAM AGIT PER ANNOS SEPTEM.

XLIII.

SALABERGA CONDIT COENOBIVM PVELLARE LAVDVNI.

Hoc etiam circiter anno, Salaberga, vt in eius vita narratur, *viro conuerso, prolibúsque Deo sacratis, religionis veste acceptâ, inito cum B. Waldeberto consilio, continentiâ existente mariti, Cœnobium puellarum in suburbio Lingonicæ vrbis in hæreditate vel successione paterna conatur extruere. Quod propriis reditibus prædiorum suorum, ex successione hæreditatis paternæ, Christum faciendo hæredem, nobiliter ditauit. Ad quod opus peragendum venerabilis Waldebertus solamen, artificésque, ac viros industrios præbuit atque commisit. Qui locus licèt Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, distans à Luxouio Monasterio paulò minùs millibus quadraginta, ibíque adunatis centum seu ampliùs tam ex nobilibus liberis quàm ex proprio officio puellis, Christo Domino dicauit. Sed cùm iam pars maxima fabricæ Monasterij instructa esset, cœpit famula Christi præsaga, vtpote spiritu Dei repleta sagaci cum viro trutinare animo, non esse in loco eodem puellarum Cœnobium tutum, nihilque stabilitatis atque munitionis habere. Nam barbaries licèt procul abesset, Regum tamen limitibus hinc inde admixtis, periculi indicium futuris temporibus erat. Consilio igitur adepto cum præfato Waldeberto Abbate, qui ingenio & vigore sagaci, & naturâ bonâ in talibus rebus præditus erat, quem posteà & comitem itineris & socium laboris habuit, ad vrbem Lauduni clauati, cum maximo apparatu, & cum animabus à Deo sibi commissis proficiscitur. Quæ vrbs licèt obsidione vallari ab hostibus possit, tamen naturâ loci & in cacumine saxi sita, munitionem robustam obtinuit, vt frangi à barbaris nequeat periculóque careat. Cùm iam ad illuminandam vrbem, veluti Solis radius, veneranda fœmina cum suis sequacibus sanctis appropinquasset, Præsul oppidi illius Attilo cum summo fauore ei obuiam pergit, tanquam si diuinum munus, Angelicáque turba venis-*

AN.CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

set, & ouans Sanctas famulas Christi cum choro psallentium, cum psalmodia & hymnidicis, summisque laudibus deduxit in vrbem. Sed miraculum illud magnificum dictu, quod nocte eadem in ipsa vrbe gestum sit, non est silendum. Prædictus itaque Pontifex præcepit pueris ac familiaribus sibi creditis, ob præparandam in crastino die familiæ Christi refectionis gratiam adesse. Ministri igitur attoniti velociter per noctem, portam oppidi ingressi, obuiam sibi ferarum ac bestiarum diuersa genera cernebant. Nam ille bubulum, alius ceruum, ille vrsum, alius suem, nonnulli lupos, plerique nihilominùs vulpes, alius interim lasciuum asinum, trucémque cernebant leonem, egredientes & fugientes simul de ciuitate, & cætera monstra bestiarum. Quo miraculo pauore percussi omnes ministri mirabantur, quoniam in illo loco ista bestiæ nusquam anteà apparuerant. Quid aliud datur intelligi, nisi quod sanctitatem ac vigorem ancillarum Dei antiquus hostis non ferens, cum suis satellitibus fugiens discessit? Denique contemplatâ conditione loci, cernentésque idoneum ac gratissimum, & absque discrimine munitionis locum, cœperunt fundamenta Ecclesiarum atque domorum iacere. Quibus ritè peractis ac prosperè gestis, cœperunt ad laudes Dei omnipotentis Domini nostri Iesu Christi nobilium soboles seruitiumque concurrere. Quid multa? Infra exigui temporis spatium coaceruata in eodem loco sunt, vel Monasterio adunatæ plùs minúsue trecentæ famulæ Christi.

XLIV. Hoc Monasterium omnium Laudunensium est antiquissimum; beatæ Mariæ primùm, deinde sancti Ioannis Baptistæ titulo celebre fuit. Ab origine Moniales habuit cum Abbatissa, donec iis amotis Bartholomæus Laudunensis Episcopus Abbatem ac Monachos suffecit. De Regula quam Sanctimoniales ibi custodiebant, nulla est controuersia, Salaberga enim, quæ consilio Walberti Luxouiensis Abbatis vtebatur, imaginem exprimere voluit Auendunensis Monasterij, quod Romaricus iuxta disciplinam sancti Columbani tunc regebat. Auendunense Monasterium ex vita sancti Romarici, quam Serarius publicauit, ad annum Christi sexcentesimum vicesimum descripsimus. Laudunense beatæ Mariæ seu sancti Ioannis Baptistæ simillimum reperies apud Hermannum Monachum, qui de miraculis sanctæ Mariæ Laudunensis tres edidit libros, in corúmque vltimo [a] sic idem Monasterium delineauit commendauitque. *Sancti Ioannis Baptistæ Abbatia cunctis aliis suprà memoratis Laudunensis Diœcesis Cœnobiis fertur antiquior & ditior atque nobilior fuisse. Hanc siquidem beata Sallaberga, sicut in eius vita legitur, construxit, & Sanctimoniales ibi ponens, earum ipsa prima fuit Abbatissa. Tantâ verò auctoritate studuit eam sublimare, sicut refert antiquitas, vt quemadmodum in Apocalypsi Ioannis legitur, scribe septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, ita etiam hanc Abbatiam cupiens esse velut alteram Asiam, septem Ecclesias in ea ædificauerit. Harum primam, quæ principalior esse noscebatur, in honorem Sanctæ genitricis conditam, appellari voluit Sanctæ Mariæ Profundæ, ad differentiam forsitan maioris Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, in qua Episcopalis Sedes consistit. Secundam Sancti Michaelis & omnium Angelorum. Tertiam Sancti Ioannis Baptistæ & omnium Patriarcharum atque Prophetarum. Quartam beati Petri Apostoli omniúmque Apostolorum. Post has quatuor ad introitum Abbatiæ construxit quintam in honore Sanctæ Crucis, quatinus scilicet per virtutem eiusdem Crucis, omnis incursio diabolicæ fraudis ab ipso introitu repelleretur; sextam in honore Sancti Apri Martyris; septimam in honore Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Harum ergo septem Ecclesiarum adhuc restant quinque; duæ verò, id est, Sanctæ Crucis Sanctique Apri Martyris, præ nimia vetustate defecerunt.* Scripsit Hermannus sub Bartholomæo Episcopo Laudunensi, qui creatus est Pontifex anno Christi millesimo centesimo decimo-tertio, & Præsulatum anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo abdicauit. Annus, quo Monachi in Monialium locum à Bartholomæo subrogati sunt, apud eundem Authorem [b] notatur ab Incarnatione Dominica millesimus centesimus vicesimus-septimus. Hunc Characterem Chronologicum, quia profertur à Scriptore coætaneo, in dubium non reuocamus. Miramur autem à Monasterij conditu vsque ad illum annum ibidem [c] *trecentos ferè & eo ampliùs annos* numerari, cùm intercesserint ferè

SVB REGVLA S. COLVMBANI.

[a] Cap. 22.

[b] Lib. 3 cap. 23.

[c] Lib. 3. n. 22.

quingenti, vixit enim Salaberga septimo seculo, idque tot argumentis notif- AN. CH.
que temporum confirmatur, vt in controuersiam vocari non possit; quis enim 640.
Dagobertum Regem, Attilam Laudunensem Episcopum, Eustasium & Wal- SIGIB.
bertum Luxouienses Abbates, quos Salabergæ synchronos extitisse constat, III. R. 8.
septimo seculo floruisse neget? CLOD.

Lingonense suburbium, vbi Salaberga Monasterium erigere primò statuit, II. R. 3.
& Ciuitas Laudunensis, vbi mutato pòst consilio Cœnobium construxit, ad XLV.
Austrasiam tum pertinebant, cui Sigibertus Rex præerat. De situ prædicti sub-
urbij clara sunt hæc Anonymi verba iam allegata ex Actis sanctæ Salabergæ.
Qui locus licèt Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat,
distans à Luxouio Monasterio paulò minùs millibus quadraginta. Nam locus ille
finibus Austrasiorum imminere sic dicitur, vt in ipsamet Austrasia positus assera-
tur, verbisque proximè sequentibus non accensetur Burgundiæ, sed procla-
matur *vicinus Burgundiæ*, vbi Luxouium celebre Monasterium, cuius præfe-
cturam Waldebertus Abbas à multis annis gerebat. Laudunum Regibus Au-
strasiorum paruisse non semel probauimus. Argumenta non repetemus quibus
vsi sumus. Vnum duntaxat addemus ex Gestis Attolæ Laudunensis Episcopi,
qui Sigiberto Austrasiæ Regi à consiliis fuit, vt ad annum Christi sexcentesi-
mum duodequinquagesimum sumus ostensuri.

Hæc autem cùm ita sint, spuriam aut deprauatam arbitrare chartam, quam XLVI.
Claudius le Laboureur in libro [a], cui titulus Rudera * Monasterij Barbarensis, [a] Cap 8.
quinto Kal. Martij, anno tertio, regnante Clodoueo Imperatore dulcissimo, Monte * les Masures de l'Isle
Landuno datam sic publicauit. *In nomine Dei æterni & Saluatoris nostri Iesu* Barbe.
Christi, Clodoueus diuinâ ordinante prouidentiâ Imperator Augustus. Necessarium CHARTA
quidem & congruum esse videtur Regiam dignitatem ex largis possessionibus locis PRO MO-
Deo dicatis aliquid largiri, vnde & ibidem Deo seruientes necessitates suas supple- NASTERIO
re, eorúmque largitores vitam consequi perpetuam possint. Quapropter notitia tra- BARBA-
dere curamus omnibus Dei fidelibus, Episcopis videlicet & Abbatibus, Regibus, RENSI.
Ducibus, Comitibus, Vicedominis, Vicariis, Telonearits, & omnibus rem publi-
cam gubernantibus, quia Licinius Abbas Insulæ Barbaræ, in honorem Sancti Andreæ
& omnium Apostolorum consecratæ, & Monachi ibidem sub beati Benedicti Regula
Deo famulantes nostram petierunt Celsitudinem, postulantes quatenus ex amplissi-
mis Imperij nostri rebus, eorum paucas cellulas augmentaremus: Quam humilem
petitionem benignè suscepimus. Et quia locum præfatum multis claruisse virtutibus
audieramus, & vt in electorum numero locum possidere valeamus, eis aliqua de
rebus Imperialibus dare videamur, donamus scilicet eis in partibus Prouinciæ in
*Episcopatu Tricastrino, circa fluminis Licij * ripam, Ecclesiam in honorem Sancti* * le Lez.
Saluatoris dedicatam, quæ vulgò dicitur Abolena. In eodem territorio, in loco qui
dicitur Olerias, Ecclesiam Sancti Desiderij, & in Marrana Ecclesiam Sancti Arigij
cum villa sua; & ex alia parte einsdem fluminis Ecclesiam Sancti Ioannis de Lago-
neria cum villa sua; & corroboramus & corroborando confirmamus Ecclesiam Sancti
Ioannis de Grellas cum villa sua quam à patre meo Dagoberto Rege fœlicissimo ac-
quisierunt. Has totas iamdictas Ecclesias cum villis atque cum omnibus appendiciis
suis, cum decimis videlicet & præeminentiis, atque cum terris tam cultis quàm
incultis, cum montibus & vallibus, cum syluis & nemoribus, cum aquis aquarúmque
littoribus, nominatæ Ecclesiæ & Monachis liberâ potestate tradimus. Insuper verò
huic Imperiali dono coniungimus, quòd si quis Regalia possidens, huius præfati loci
Monachis aliquid dare vel vendere voluerit aut aliquo modo concesserit, sub eadem
libertate absque alicuius inquietudine omni tempore permaneat. Et vt Regalis elee-
mosyna firma semper & stabilis absque alicuius dominij diminutione permaneat, Im-
periali Præcepto, quo cuncta decernendo sancimus, scriptum fieri indicauimus, &
manu nostrâ sigillo nostro signauimus. Facta notitia ista quinta Kal. Martij, anno
tertio, regnante Clodoueo Imperatore dulcissimo. Actum Monte Lauduno præsente XLVII.
populo. EXAMINA-

Præter Lauduni mentionem, quæ chartæ à Clodoueo emissæ non conue- TVR.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

nit, quia Laudunum extra illius Regis ditiones situm erat, sunt in eadem charta voces nonnullæ, quibus Clodoueum haud vsum credimus. Inprimis non occurrit ratio cur Clodoueus *Regibus* notam facere curauerit chartam, quam in gratiam Monachorum Barbarensium promulgauit, nec illâ ætate in pari causa simile quidquam à Francorum Regibus gestum scimus. Præterea desunt exempla, quibus probare possis quempiam e Francis *Regalia* per illa tempora possedisse. Lectorem, si chartam attentiùs examinet, plures fortè scrupuli retardabunt, inter quos caue ne nomen Imperatoris & Augusti reponas. Post Clodoueum enim Magnum, quem codicillos ab Anastasio Imperatore *de Consulatu*, id est, de Imperio, accepisse constat, plerique Reges, quibus Francia paruit, Augustos se dixerunt & Imperatores, vt Clodomeres, Childebertus & Clotarius, filij ipsius Clodouei; Theodobertus Primus, eiusdem Clodouei nepos ex Theodorico filio; & Theodobertus Secundus, ipsius quoque Clodouei abnepos. Lege probationes quas ex variis numismatibus ad annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum [a] congessimus. Quis autem à Clodoueo Clodouei Magni trinepote factum neget, quòd actum ab eiusdem Clodouei Magni filius, nepote, & abnepote fateatur?

[a] Num. 82.

XLVIII. REGULA MONASTERII BARBARENSIS.

Quæri potest etiam, vtrùm regnante Clodoueo Secundo Regula Benedictina in Insula Barbara fuerit obseruata. Quæstioni locum dant hæc Clodouei verba superiùs recitata. *Licinius Abbas Insulæ Barbaræ, in honorem S. Andreæ & omnium Apostolorum consecratæ, & Monachi ibidem sub Beati Benedicti Regula Deo famulantes, nostram petierunt Celsitudinem.* Longè antequàm Regula Benedictina conderetur, in Insula Barbara claruerunt Monachi, qui, quamuis vni subiacerent Abbati, vitam potiùs Anachoreticam ducebant quàm Cœnobiticam, eâque de causa plerique illorum Anachoretæ dicti reperiuntur, vt Tomo primo ad annum Christi quingentesimum vicesimum-primum [b] obseruauimus. Sed cùm ab aduentu beati Mauri in Galliam ad Principatum vsque Clodouei Secundi effluxerint anni nonaginta quinque, nihil vetat quominùs censeamus Regulam Benedictinam in Monasterio Barbarensi sub Abbate Licinio viguisse.

[b] Num. 2.

XLIX. ABBATES BARBARENSES.

Inter clarissimos viros, *qui ipsum locum rexerunt*, à Leydrado Lugdunensi Metropolita in literis ad Carolum Magnum Imperatorem nominantur, *Ambrosius, Maximinus, Licinius, quos Eucherius, Lupus atque Genesius, ceterique Episcopi Lugdunenses, vbi ipsi deerant aut non poterant adesse, mittebant concognituros, vtrùm Catholica fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet.* En tres Abbates Barbarenses, totidémque Lugdunenses Episcopos. Necesse est igitur, vt singulis Abbatibus singuli respondeant Episcopi. Quod quidem seruato in vtrisque, vt decet, enumerationis ordine fiet, si Maximinus Abbas Ambrosio præponatur, Eucherius enim Episcopus Abbati Maximino synchronus fuit, vt Lupus Episcopus Ambrosio Abbati & Genesius Episcopus Abbati Licinio.

L. Eucherius Episcopus, antequàm Franci Burgundiæ Regnum suis ditionibus adiungerent, Maximinum seu Maximum Abbatem tunc Barbarensem in literis ad Philonem Presbyterum sic commendauit. *Domino Sancto ac venerabili fratri & compresbytero nostro Philoni Eucherius Episcopus salutem in Domino dicit. Quæso charitatem & dilectionem tuam, quam habes perpetuam in Domino, vt te digneris fatigare vsque ad Monasterium Insula Barbara, & videas & exhorteris fratrem nostrum Maximum Abbatem, qui praeest ipsi Monasterio. Quia peruenit ad nos, quòd velit ex eo discedere & fratres suos deserere, eò quòd multi propter metum gentium oblationes subtraxerint, quas pro Dei intuitu dare consueuerant. Sed si nos viuimus & sani relinquimur, tantum illi vel Monachis in Dei nomine disponimus ministrare, vt nihil egere videantur. Hoc tantùm specialius peto ab ipso fratre nostro, vt domum pensilem, quam iussimus fieri, nobis præparet, & membranas, quia, si Deus annuit, Quadragesimam in Insula cum ipso terere disponimus,*

vt quod cæptum pariter reuidentes expediamus. Interim trecentos modios annonæ, & ducentos modios vini, & ducentas libras casei, & centum libras olei, ordino ipsi dari, vt cùm per nostram oblatiunculam ipse vnà cum Congregatione sua reficiatur, & nobis reditus cum sospitate, ipsis orantibus à Domino tribuatur. AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

Anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto, cùm Burgundiæ Regnum in Francorum potestatem deuenit, Lupus Episcopus Diœcesim Lugdunensem administrabat, Ambrosius Abbas Monasterio Barbarensi præerat. Vtrumque ad illum annum probauimus Tomo primo. LI.

Genesius regnante Clodoueo Secundo Lugdunensem Episcopatum suscepit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, gessitque per annos viginti tres ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum, qui quartus Theodorici Tertij Regis numeratur. Nihil autem repugnat, quominùs Abbas Licinius, anno tertio Clodouei Regis Barbarense Monasterium rexerit, suámque Præfecturam ad tempora vsque Genesij Episcopi prorogarit. Quapropter de eodem Abbate Licinio sub Genesio Episcopo rursum agemus. LII.

Leydradus in literis ad Carolum Magnum iam laudatis encomium Abbatum Barbarensium sic prosequitur. *Quibus illis in tantùm erat commissa cura, vt si Ecclesia Lugdunensis viduaretur proprio patrono, ipsi in cunctis adessent rectores & consolatores, quousque Ecclesia à Domino, dignissimo illustraretur Pastore.* Vt autem scias sub quibus Episcopis vnusquisque Abbatum Barbarensium floruerit, accipe indicem Abbatum Barbarensium cum Episcoporum Lugdunensium catalogo collatum. Ordiemur à Lupo Episcopo & Ambrosio Abbate, siue à tempore quo Lugdunum, Insula Barbara, ceteræque Burgundionum ditiones Francis parere cœperunt. Altiùs initium repetere superuacaneum esset, extra metas enim instituti nostri; siue extra limites Franciæ, cuius Historiam Ecclesiasticam scribimus, inconsideratè diuagaremur. LIII.

Ambrosius igitur Abbas erat Barbarensis anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto, cùm Franci Lugduno, Insulâ Barbarâ, reliquâque Burgundiâ primùm potiti sunt. Claruit sub Episcopis Lugdunensibus Lupo & Leontio. LIV.

Bligigarius Ambrosio successit, rexitque Monasterium Barbarense sub Episcopis, Leontio, Sacerdote & Nicetio. LV.

Vnfredus seu Vinfredus post Bligigarium Abbas extitit Barbarensis, illisque temporibus in Cathedra Lugdunensi sederunt Episcopi, Nicetius & Priscus. LVI.

Rotfredus in vetere Barbarensium Abbatum catalogo, quem Claudius *le Laboureur* in Ruderibus Barbarensibus publicauit, post Vinfredum collocatur. Monasterio præfuit, cùm Episcopatum Lugdunensem administrabant Priscus, Ætherius, Secundinus & Aridius. LVII.

Garlandus Rotfredi successor in eodem catalogo ponitur. Abbatis titulo gauisus est, cùm Episcopales infulas gerebant Aridius, Theodoricus & Gaudericus. LVIII.

Licinius Præfecturam Monasterij Barbarensis post Garlandum suscepir, floruitque synchronus Episcopis Lugdunensibus, Gauderico, Viuentio, Annemundo & Genesio. Auctor nuperrimè nominatus Abbates Barbarenses cum Lugdunensibus Episcopis paulò aliter comparat, vitam enim Garlandi prorogat vsque ad Pontificatum Annemundi, qui longè post annum tertium Clodouei Regis sedere cœpir, ita vt hæc opinio cum Clodouei charta, quam laudat, stare nullomodò possit. De Licinio Abbate rursum verba faciemus sub Genesio Lugdunensi Episcopo Annemundi successore. Hæc inpræsentiarum de Abbatibus Barbarensibus sufficiant. LIX.

Hisce temporibus, Ecclesiæ Carpentoractensi præerat Dominicus Episcopus, cuius successor Licerius Cabilonensi Concilio subscripsit. A Synodo Matisconensi, quæ regnante Guntchramno celebrata est, vsque ad Cabilo- LX. EPISCOPI CARPENTOR.

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 3.

nensem, quæ regnante Clodoueo Secundo habita est, nihil legebatur de Carpentoractensibus Episcopis, antequàm Sammarthani fratres auxissent Galliam Christianam, & ex veteribus Carpentoractensis Ecclesiæ monumentis Episcopos quatuor, Odofredum, Georgium, Petrum ac Dominicum eruissent. Hactenus eorum Chronologiam secuti sumus, asseruimúsque Odofredum anno Christi quingentesimo nonagesimo, Georgium anno Christi sexcentesimo quarto, Petrum anno Christi sexcentesimo tricesimo floruisse. Quòd autem Præsulatum Dominici notant anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto, id minùs placet, quia Synodus Cabilonensis, quam in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum reiiciunt, anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto congregata est, idcóque hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo, Pontificatum Dominici consignamus.

LXI. SVSANNVS EP. VENET. OBIT.

Obiit hoc anno Susannus Venetensis Episcopus, cùm sedisset annos nouem.

LXII. RODINGVS IT VIRODVNVM.

Hoc eodem anno Rodingus relicto Cœnobio Theologiensi profectus est Virodunum, ibique cum Paulo illius ciuitatis Episcopo per biennium mansit, deinde digressus insigne Monasterium, cui nomen Bellus-locus, in Argonna construxit, vt ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum probaturi sumus. Interim accipe quænam fuerint huiusce viri primordia.

LXIII.

Hugo Menardus Acta sancti Rodingi concinnauit satis prolixa, sed nec vsus est Codice multùm antiquo, nec abstulit menda. Sic igitur ille libro secundo [a] suarum obseruationum in Martyrologium Benedictinum. *Sanctus Rodingus, vel Rodincus, fuit natione Scotus, nobili loco natus anno quingentesimo nonagesimo-quarto. Se à puero pietati & bonis literis dicauit, quarum beneficio annum agens tricesimum ad Episcopatum promotus est. Quem, cùm quatuor annos ritè & sapienter administrasset, à Deo iussus est dignitati & patria cedere iturus, quà Deus impelleret. Quocirca in Galliam transfretauit, multísque peragratis regionibus tandem ad Theologiense Diœcesis Treuirensis Monasterium deuenit. Ibi cucullam induit, & sub magisterio Sancti Pauli Abbatis prima rei monastica rudimenta didicit, cui ad Pontificium Ecclesia Virdunensis honorem euecto successit in Abbatiam inuitus. Eius virtus omnium animos in se conuertebat, omnes ad eum confluebant, sanitatis tum anima tum corporis gratiâ. Ille tumultu non delectabatur. Quamobrem Monachis diuinam de suo decessu voluntatem aperuit, aliòque Abbate electo Virdunum venit, vbi cum Sancto Paulo Antistite biennio mansit. Tandem Spiritûs Sancti motu ad syluam Argonnam venit; & in editissimo monte sexto à Virduno lapide, in finibus Campania & Lotharingia, prima Cœnobij Belli-loci fundamenta iecit.* Super ortu Rodingi, super eius Pontificatu & aduentu in Gallias, nullam controuersiam mouemus. Vltrò concedimus illum anno Christi quingentesimo nonagesimo-quarto natum; tricesimo pòst anno, Christi sexcentesimo vicesimo-quarto promotum ad honorem Episcopalem; ac post quadriennium è Scotia siue Hibernia profectum in Gallias anno Christi sexcentesimo duodetricesimo.

[a] Die 17. Sept.

AN FVERIT ABBAS THEOLOGIENSIS?

Quæ verò sequuntur de Monachatu déque Abbatiali Præfectura, non ita probamus. Aliquot quidem peregrinationibus per Galliam obitis Rodingus ad Monasterium Theologiense nuper conditum venit, ibique monasticam vitam amplexus est sub Wandelino illius loci primo Abbate, sed hic Cœnobium adhuc administrabat anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo, cùm Paulus ex Theologiensi Monacho ac Præfecto scholæ factus est Episcopus Virodunensis. Porrò cùm *ex longinquis terra partibus* ad Monasterium Theologiense multi confluerent, vt à Paulo scholæ literarum præposito docerentur, in eorum numero ponendus est Rodingus, qui licèt Episcopali dignitate præstaret, & in literis benè versatus esset, non erubuit Monachum induere, & à tanto Magistro in schola Theologiensi cum ceteris Monachis atque etiam adolescentibus erudiri. Prima igitur rei monasticæ rudimenta sub Abbate Wandelino sic didicit, vt eodem quoque tempore fuerit sub magisterio Pauli scholæ literarum tunc præpositi. Nostram opinionem confirmat hic textus à nobis ex vita

sancti

AN. CH. 640. SIGIB. III. R. 8. CLOD. II. R. 5.

ſancti Pauli iam allegatus [a]. *Amabatur ab omnibus, venerabantur vniuerſi, placebat cunctis, nimióque affectu pro ſua Sanctitatis reuerentia, excepto nomine Paſtoris*, id eſt, Abbatis, *colebatur vice magiſtri. Sed ne tanta virtutum copia inanis eſſet & vacua, néque lucerna tot radiorum facibus accenſa ſub modio celaretur abdita, verùm cunctis in domo Dei luceret præpoſita, cœperunt ad eum ex longinquis terræ partibus, auditâ de eo famæ opinione multi confluere, & ſe eius magiſterio non ſolùm mediocrium filij, ſed & præpotentum ac nobilium generoſitate progeniti, vnanimes conuolare.* Quemadmodum autem negamus Paulum Monaſterio Theologienſi præfuiſſe cum Abbatis titulo, ſic & inficiamur Rodingum in adminiſtrationem eiuſdem Cœnobij Paulo ſucceſſiſſe. Vitam monaſticam ibi duxit Rodingus ſub Abbatibus Wandelino & Grimone. Virodunum ad Paulum à nouem annis iam Epiſcopum profectus eſt hoc anno. Cetera ſuis locis expendemus.

[a] Ad ann. 623. n. 9.

641. SIGIB. III. R. 9. CLOD. II. R. 4.

ANNVS CHRISTI 641.
SIGIBERTI III. R. 9.
CLODOVEI II. R. 4.

I. ANNO Christi ſexcenteſimo quadrageſimo-primo, Eligius Nouiomenſis Pontifex corpus ſancti Quintini diu quæſitum tandem reperit tertio Nonas Ianuarias. Illo die Molanus hæc habet in additionibus ad Vſuardum. *In pago Viromandenſi, Inuentio corporis beati Quintini Martyris ab Eligio Epiſcopo, & Tranſlatio ipſius.* Iacobus Meyerus & Ferriolus Locrius hanc Tranſlationem reiiciunt in annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-ſeptimum, ſed aſſertionis ſuæ nullam probationem afferunt, ſtandum potiùs ab Audoeno ſynchrono, qui factam inſinuat ab Eligio ſub initium Pontificatûs, vt anno priori narrare iam cœpimus. Quæ verò ad exordium huius anni pertinent, ea ſic ab eodem Audoeno deſcribuntur. *Eligius cœpto operi perſiſtens, cùm adiutores eius per diuerſa Eccleſiæ loca tentando diſcurrerent, nullámque inueniendi ſpem caperent, leniter ille omnes compeſcens, vnum eis locum, quo nulla eſſe ſuſpicio poterat, in poſteriori Eccleſia parte effodiendum deſignat. Tunc omnium labore ibi conuerſo libenter iuſsis obtemperant, defoſſâque iam in altum pedes decem ſeu ampliùs terrâ, abs ſpe iterum inueniendi corporis deſtituuntur. Et cùm tertia iam nox media fluxiſſet, arrepto Eligius ſarculo reiectóque amphibalo, cœpit totis viribus cum cereis & lampadibus terram ſanctis effodere manibus, cúmque paullulùm ima foſſa declinans in latus cauernæ ſcalpere humum cœpiſſet, mox reperit cumbum ſanè veterrimum*, id eſt, arcam funerariam, *tegentem corpus ſacratum*, κύμβος enim cauum receſſum ſignificat. *Tunc gaudio magno repletus, cùm ſarculo quem manu geſtabat, auidiſsimè latus feriſſet ſepulchri, confeſtim forato tumulo tanta odoris fragrantia cum immenſo lumine ex eo manauit, vt etiam ipſe ſanctus Eligius fulgore luminis, odoréque inenarrabili perculſus vix ſubſiſtere potuiſſet. Nam & globus ſplendoris, qui ex tumulo ad ictum ferientis proceſsit, tantam vim ſuæ claritatis ſparſit, vt cunctorum adſtantium obtutibus oculorum retuſis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mutaret. Vnde omnes, quos eâdem horâ vigilare contigerat, quique rei cauſam ignorabant, magnum quoddam datum cælitus ſignum æſtimabant. Erat enim tranſacta media nox, & nox quidem obſcura valdè & caliginoſa, ſed procedente fulgore quaſi lux diei ad tempus reſplenduit, & in tempore claritas receſsit. Tunc ergo ſacrum inuentum corpus Eligius cum gaudio lachrymabili exoſculatur, ac de profunda tellure eleuato, reliquias ſibi, vndecunque concupiuit, ſegregauit*

ELIGIVS REPERIT CORPVS S. QVINTINI.

AN. CH. 641. SIGIB. III. R. 9. CLOD. II. R. 4. *Dentes etiam pro languentium medela ex maxilla sancta abstulit, atque ex radice dentis gutta sanguinis exiuit. Clauos quoque miræ magnitudinis, quos tempore passionis eius persecutores corpori infixerant, ex cerebro ceterísque artubus abstractos sibi pro reliquiis sequestrauit. Capillos etiam pulcherrimos in reliquias separatos delegauit. Deinde holoserico pretiosissimo obuolutum compositúmque honestissimè corpus summa cum diligentia retro altare transposuit. Tumbam denique ex auro argentóque & gemmis miro opere desuper fabricauit, Ecclesiam quoque qua exigua conuenientibus populi videbatur, eximio opificio ampliatam decorauit. Ipse demum ex reliquiis quas à sancto corpore sequestrauerat, multa loca condiuit, multimodámque medelam diuersis ægritudinum incommodis eosdem impertiendo præbuit.*

II. Eligius sancti Quintini corpore reperto ac decenter collocato, discessit e pago Vitomandensi, vt alios populos erudiret, *statim cognouit*, inquit Buzelinus [a], *suam præcipuè Flandris operam esse necessariam. Quamuis enim sanctus Amandus multùm operæ illic collocasset, ac tum impenderet percolendis Christi legibus animis, nihilominus tamen plurimos vel pietatis vel doctrinæ Christianæ odiis ardere sentiebat, omnémque animi cultum respuere. Igitur Nouiomensibus relictis, huc magno zelo succensus à vitiis & erroribus aliquos reuocandi viam arripuit. Primùm impendit laborem Tornacensibus, aditum mox Siclinium & Cominium, obita deinde alia Gallo-Flandriæ loca ipsi patentia. Circa Sueuos vicina Cortraco tenentes pronis erroribus exuendos grauiter laboratum. Postquam viscera Flandriæ penetrauit, Gandauum, Antuerpiam, ad Frisones indefessus se contulit.* Authot ille cùm scriberet, ob oculos habebat Audoenum, qui sollicitudinem Eligij primus omnium commendauit his verbis. *Pastoris curâ solicitus, lustrabat vrbes & municipia circumquaque sibi commissa. Sed Flandrenses atque Andouerpenses, Frisones quoque & Sueui, & barbari quique circa maris litora degentes, quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomere exararat, principio eum hostili animo & auersâ mente exceperunt. Postmodum verò cùm paulatim per gratiam Christi eis verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis conuersa est ad verum Deum, & Christo subiecta.* Et paucis interiectis. *Multùm in Flandris laborauit; iugi instantiâ Andouerpis decertauit; multos erroribus implicatos Sueuos conuertit; fana aliquot profana, Christi clypeo protectus, Apostolicâ authoritate destruxit; idololatriam quoque diuersi generis vbicunque comperit, funditus euertit.*

[a] Lib. 2. c. 2.

ADIT DIOECESIM TORNACENS.

III. ERVDIT FLANDROS. Flandria, quæ prouinciam amplissimam, titulo Comitatûs insignem, à multis retrò seculis continet, ætate sancti Eligij non admodum celebris erat, nam paruis inclusa limitibus eam solùm ditionem tum complectebatur, in qua visuntur hodie Brugæ, Slusa, Dammum, Ardenburgum, Middelburgum & Isendicum. Flandrorum caput habebatur Rodenburgum, posteris Ardenburgum, vbi post alios Flandricarum rerum Scriptores Sanderus Ecclesiam in honorem Deiparæ, Virginis à S. Eligio dicatam & Monasterium à S. Amando constructum fuisse tradit. Lege Bollandum in commentariis præuiis ad vitas sanctorum Anschatij [b] & Amandi [c], & ex eodem Authore nota Scriptorem Audoeno vetustiorem non reperiri qui Flandrensium & Andouerpensium siue Antuerpiensium mentionem fecerit. ANTVERPIENS. Antuerpienses vt & Flandri primos, à quibus fidem edocti sunt, Apostolos suos agnoscunt sanctos Eligium & Amandum, quorum ille laudatur ab Audoeno iam citato, hic à Rohingo in cuius Diplomate hæc apud Miræum [d] leguntur. *Ego in Dei nomine Rohingus, & coniux mea Bebelina, donamus Apostolico Domino & Patri nostro Willibrordo Episcopo, donatúmque in perpetuum esse volumus, hoc est, Ecclesiam, quæ constructa est infra castrum Antwerpis, super fluuium Scalde, quam Dominus Amandus Pontifex in honore sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Principum, vel ceterorum Sanctorum construxit.* FRISIOS. Frisonum seu Frisiorum, vt & Sueuorum, antiquior est memoria, Frisiorum enim meminit Plinius [e], Strabo [f] Sueuorum, vtrorumque Tacitus [g]. Frisios, quos Eligius & Amandus erudierunt, Bollandus collocat in ea hodiernæ Flandriæ parte, quæ quatuor oppidis, Hulsto,

[b] d. 3. Febr.
[c] d. 6. Febr.
[d] Cod. donat. cap. 6.
[e] Lib. 25. c. 3.
[f] Libb. 4. 7.
[g] De mor. German.

Axelâ, Sasso & Bierulito claret. Sueui regionem Cortraco vicinam incole- AN. CH.
bant, vbi Sueucgheimium & Sueuesalia pagi non ignoti conspiciuntur, ille 641.
leucam vnam Cortraco distat, hic medio itinere ferè Cortracum inter & SIGIB.
Brugas situs est, vtriusque nomen meritò creditur natum à Sueuis, de quibus III. R. 9.
longè seriùs ad annum Dominicæ Incarnationis octogesimum supra octin- CLOD.
gentesimum hæc in Chronico de gestis Northmannorum enarrantur. *North-* II. R. 4.
manni Tornacum ciuitatem, & omnia Monasteria supra Scaldis fluuium ferro & igni SVEVOS.
deuastant, interfectis accolis terræ atque captiuatis. Deinde sedem sibi mutauerunt, & Cortriaco castrum ad hiemandum construunt. Indéque Menapios & Sueuos vsque ad internecionem deleuerunt, quia valdè illis infesti erant, omnémque terram iuxta flumina consumpserunt. Eligius apud Meierum [a] Cortracensibus rudimenta [a] Tom. 1.
pietatis tradit, eorúmque templum facit augustum, sancto Martino sacrum; CORTRA-
& apud Sandetum Præpositura sancti Amandi cum capella sanctæ Mariæ, CENSES.
quæ nunc etiam illic extat & ad Abbatiam Elnonensem spectat, Amandum conditorem agnoscit. Ex prædictis populis vnum si conflaueris, ei rectè tribues nomen Menapiorum, quibus Sueuos præcitatus Chronographus in gestis Northmannorum coniunxit aut potiùs immiscuit. Menapios, vt est apud Cæsarem, Vsipetes & Tenchteri vtrâque Rheni fluminis ripâ pepulere. Tacitus nihil Menapiorum ad Rhenum memorat, verùm cis Mosam suâ illos ætate incoluisse significat, quoniam à Ciuile Batauorum Duce ex finibus Rheni manum trans Mosam missam tradit, quæ Menapios & Morinos & extrema Galliarum quateret, vnde Meierus colligit Menapios, qui aliquando ad Rhenum propinqui erant Eburonibus, postcà trans Mosam ad fines se contulisse Morinorum, vbi nunc Flandria est. Ad Diœcesim Taruannensem Morini pertinuerunt, ad Tornacensem Menapij; Audomarus Ecclesiæ Taruannensi, Tornacensi præerat Eligius.

Hic antequàm Nouiomo Tornacum proficisceretur, Tillonem, seruum IV.
olim suum, qui monasticam vitam Solemniaci sub Abbate Remaclo tunc ADIVTVS
profitebatur, ad se venire iussit, eiúsque operâ in conuersione Menapiorum A TILLONE
vsus est plurimùm. De Monachatu Tillonis egimus suprà. Cetera confirmat MONACHO.
Molanus in Appendice ad Natales Sanctorum Belgij septimo Idus Ianuarij, deinde cultum ab aliquot hodiernæ Flandriæ populis exhiberi solitum ita prosequitur. *Festum postridie epiphaniæ Domini in Tseghem solenne est, quod etiam ab accolis colitur pro sanatione febrium. Eodem die celebratur festum eius in parochia Gidts apud Rollariam, vbi ad memoriam eius multa edita sunt miracula. Cur autem in Tseghem patronus colatur, causam allegant, quòd sanctus Eligius cùm ad Flandros conuertendos è Francia venit, eum anteà seruum suum, comitem assumpsit, & ad Tseghemenses, vt eos in fide Catholica instrueret, destinarit. Cui etiam conuersionem suam, Dei gratiâ cooperante, acceptam ferunt.* Rollaria quæ & vulgò Rosslaria, est celebre Flandriæ municipium. *Tseghem* inter Cortracum & Rosslariam pagus est in Diœcesi Tornacensi.

Sulpitius Bituricensis Episcopus, Aquitaniæ primæ Metropolitanus, cui V.
locum inter amicos Eligij præcipuos literæ Desiderij Cadorcensis Antistitis SVLPITIVS
à nobis anno priori citatæ tribuunt, *cùm inter Ecclesiarum sollicitudinem & pau-* ABDICAT
perum curam vel vniuersæ plebis negotia, videret se grauiter prægrauari, petiit sibi EPISCOP.
à Rege socium huius oneris supportandi. Cui Rex præbuit assensum, & dedit quem BITVR.
petierat virum prudentissimum, cui vocabulum est Vulfolendo. Hæc in ipsius Sulpitij vita leguntur [b] apud Authorem coætaneum, qui sub ipso Vulfolendo [b] Ap. Bolland.
seu Vulfolento, Vulfoleno, Vulfoledo & Vulfeolo vel Præstelendo Pontifice d. 17. Ian.
scripsit. Errant qui Sulpitium vel annis duntaxat XIII. sedisse vel longè ante hunc annum obiisse tradunt. XIII. loco restituendi sunt anni XVII. annis enim septemdecim Ecclesiam Bituricensem rexit Sulpitius ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-primum quo Pontificatum abdicauit. Episcopatu dimisso, vt Author vitæ prosequitur, *sub ea humilitate, quâ priùs pauperum curam gerebat, ma-*

AN. CH. 641. SIGIB. III. R. 9. CLOD. II. R. 4.

PIE MORITVR.

gis magisque deinceps præsidia pauperum subministrare videbatur. Nonnulli verò ei detrahebant, cur Episcopatu relicto alteri tradidisset, & in quarumdam animarum multiplicatione delectaretur. Sed ille in incœpto opere persistebat, & laudem humanam fugiens & iactantiam vanitatis deuitans semper persistebat, vt pauperes ab indigentia victûs ac vestitûs releuaret. Et post hæc consummatâ iam ætate sui temporis plenus dierum in pace migrauit ad Dominum. Quo anno vitam clauserit, Historia non prodit. De die nulla est controuersia. Obiit decimo-sexto Kalendas Februarij, quo die colitur in Tabulis Ecclesiasticis. Cognomento dicitur Pius vt distinguatur à Sulpitio Seuero eiusdem ciuitatis Antistite, cuius mortem anno Christi quingentesimo nonagesimo-primo retulimus. Sepultus fuit magno luctu, præsertim pauperum, in Basilica quam ipse dudum sub Rege Clotario construxerat extra muros vrbis in loco, in quo erat Sacellum beatæ Mariæ * de Naui dictum, quia locus ipse nominabatur Nauis eò quòd ibidem portus nauigij esse videretur. Post mortem crebris claruit miraculis, & ad eius tumulum factus est tantus hominum concursus, vt Ecclesiæ, in qua conditus fuerat, spatia quamprimùm dilatare coactus sit Abbas Domnio. Præter illud Monasterium virorum quod olim Nauense nuncupabatur, & hodie sancti Sulpitij dicitur, Cœnobium quoque virginum in vrbe suis sumptibus erexit [a].

* *Nostre Dame de la Nef.*

DVO CONSTRVIT COENOBIA.

[a] Martyrolog. Gallic. die 17. Ian.

VI. Hoc anno in Lerinense Monasterium se recepit Agricolus adolescens Auenionensis, & vt Author vitæ testatur, *spretis carnis illecebris & labentis sæculi oblectamentis, decimum-quartum annum agens se totum Patribus commisit, ac omnes animi motus, omnémque ingenij cogitationem in studiis scientiæ & virtutis locauit atque fixit.* Maximum illius loci tunc Abbatem fuisse scribit Saussaius [b] in elogio S. Agricoli. Pontificatum autem Auenionensem obtinebat Emundus, cui paulò pòst successit Magnus ipsius Agricoli pater, hic enim anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto sub Clodoueo Rege Synodo Cabilonensi subscripsit, vt suo loco dicturi sumus. Franciscus *Nouguier* Presbyter Auenionensis anno Christi millesimo sexcentesimo vndesexagesimo Historiam Episcoporum & Archiepiscoporum Auenionensium in lucem emisit. De catalogo quidem Episcoporum cum eo conuenimus; Valenti enim Maximum, Maximo Emundum, Emundo Magnum subrogamus; sed in assignandis singulorum Pontificatuum annis non parum discrepamus. Totum dissidium paucis exponemus. Auctor ille mortem beatæ Cæsariæ seu Cazariæ Valentísque Pontificatum anno Christi quingentesimo nonagesimo-septimo consignat. Nos epitaphium Cæsariæ, quo nititur, interpretati sumus [c] de anno Christi quingentesimo octogesimo-sexto, adiecimúsque nos latere quot annos in Pontificatu Valens egerit, quem vult sedisse spatio annorum quadraginta, vitámque ad annum vsque Christi sexcentesimum vicesimum-septimum prorogasse. Sed hæc opinio propugnari non potest. Maximus * enim Valentis successor Episcopatum gerebat anno Christi sexcentesimo duodeuicesimo, vt ad illum annum [d] ex Actis sanctæ Rusticulæ probauimus. Addit Nouguierus Maximum tribus duntaxat annis Episcopatu potitum. At quemadmodum plures, quàm par est, annos Valenti Episcopo; sic pauciores attribuit Maximo, quem anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto floruisse affirmant Sammarthani. Fatemur autem ingenuè à nobis ignorari cùm annum quo Maximus Episcopatum iniit, tum annum quo discessit ex hac vita. Colitur Auenione ritu duplici, quinto Kalendas Decembris. Sancto Maximo in Episcopatum successit Emundus ex Abbate Montis Maioris * prope Arelatem. Hunc Episcopum, quem ceteri Nomenclatores omiserunt, primus è latebris feliciter eruit Nouguierus. Ad id vsus est antiquo indice manuscripto Abbatum, qui Monasterio sancti Petri apud Montem Maiorem quondam præfuerunt. Obseruauit primum in illo catalogo locum ad annum Christi vndesexcentesimum assignari Paulo; quartum Emundo cum hoc encomio, *qui fuit posteà Episco. Auinion.* Sextum Riculfo ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-secundum. Ex hac Abbatum serie rectè admodum infulas Auenionenses Emundo restituit, eúmque

AGRICOLVS FIT MONACHVS LERINENSIS.

[b] Die 2. Sept.

EPISCOPI AVENIONENSES.

[c] Tomo 2. ad an. 586. nn. 44-46.

* *Maxime.*

[d] Num. 5.

* *Mont-Maiour lez Arles.*

AN. CH. 641.
SIGIB. III. R. 9.
CLOD. II. R. 4.

Maximi successorem ac decessorem Magni nuncupauit, Magnus enim obiit anno Christi sexcentesimo sexagesimo, ciúsque filius ac successor Agricolus animam reddidit anno Christi septingentesimo, cùm Diœcesim annis quadraginta gubernasset. Vt suprà de Maximo, sic & cogimur hic de Emundo * fateri, quòd nec annus quo suscepit Episcopatum, nec annus quo viuere desiit, à nobis potuit deprehendi. Nouguictum enim, qui illius Episcopatum annis circiter quindecim circumscripsit, ab anno videlicet Christi sexcentesimo tricesimo ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quintum, existimamus lapsum in errorem, nam Magnus * ipsius Emundi successor Cabilonensem Synodum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto suâ subscriptione roborauit. Agemus infrà commodiùs de Monasterio Montis Maioris, cui præfuit Emundus Abbas, antequàm ad Episcopatum Auenionensem promoueretur.

* *Emund.*

* *Magne.*

VII.
S. ARNVLFVS MORITVR IN EREMO.

In manuscripto Metensium Episcoporum Chronico, quod à Dubouche-to [a] laudatur, Arnulphi Metensis quondam Antistitis obitus ponitur *sub Constantino filio Heraclij*, XVII. *Kal. Decemb.* lege *Septemb.* quia post Heraclium, cuius mors mense Maio contigit, Constantinus imperauit quatuor duntaxat menses, & ad mensem Nouembrem non peruenit. Agebatur autem tunc annus post natum Christum sexcentesimus quadragesimus-primus. Obiit Arnulphus in eremo. *Prestò illi fuit vir religiosissimus Romaricus cum cæteris Monachis, & sanctissimum eius corpus quo potuit honore in castello sepulturæ mandauit.* Lege vitam sancti Arnulphi ab Authore coætaneo conscriptam apud Surium decimo-septimo Kalendas Septembres. Dubium non est quin percelebris olim eo die fuerit Arnulphi Metensis Episcopi memoria, in vita enim sancti Arnulphi Suessionensis Pontificis hæc habentur sub finem. *Vicesimo & primo die ægrotationis suæ, qui erat sabbati dies & vigilia Assumptionis gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ, vocatis ad se discipulis cum Ecclesiæ vicinæ Clericis, sacro oleo voluit inungi, dans confessionem coram omnibus, & omnium preces humiliter expetens. Ait autem ad illos. Cras de Resurrectione Domini gaudium erit in cælis, & de assumpta Regina mundi, lætitia sanctis Angelis duplicabitur, Christo largiente tertia quoque materia aderit, vnde gaudia illa triplicentur. Itaque prohibeo vobis, ne die crastino mihi sepulchrum fodiatis, sed in secundam feriam id differatis. Ita enim cælitus definitum est, vt in die S. Arnulphi Metensis Episcopi, huius peccatoris Arnulphi corpus terræ reddatur.* Et paucis interiectis. *Quo die S. Arnulphi Metensium Episcopi feriæ celebrantur, eodem in Ecclesia beati Petri Apostoli, huius sancti viri*, nempe Arnulphi Suessionensis Antistitis, *corpus apud Aldenburgenses humatum est.* Denique Regemarus sancti Bertini Monachus epitaphium beati Arnulphi Suessionensis Episcopi clausit hoc disticho.

Præsulis Arnulphi quo festa dies celebratur,
Præsulis Arnulphi corpus humo tegitur.

[a] In probat. ad p. 1. c. 6.

VIII.
LEVDEGISELVS EP. REMENSIS OBIT EPISCOPI LEXOBIENS. ET VENETENS.

Obiit & hoc anno Leudegiselus Metropolitanus Remorum Episcopus. Sedit enim annos decem vt Coluenerius aliíque docent. Non capimus cur apud Democharem & Robertum dicatur Pontificatum tenuisse regnante Chilperico, iampridem enim Rex Chilpericus è viuis exierat. De successore agemus anno sequenti. Stelereus Episcopus Lexobiensis vitam hoc etiam anno clausit, cùm Pontificatum per annos sexdecim tenuisset, Ei successit Martinus, cuius mentio fit in vita sancti Tugdwali. Factus est & Venetensis Episcopus hoc anno Iunkehelus. Lege Armoricam Sanctam.

IX.
DESIDERIVS EPISC. CADVRC. NVTRIT ARNANVM RECLVSVM.

Illis temporibus Cadurci degebat Arnanus, de quo in vita sancti Desiderij hæc leguntur. *Vir beatus habebat amicum fidelissimum quemdam inclausum nomine Arnanum, huic autem sæpissimè elemosynam suam commendans eius per officium in corda pauperum transmittebat, plerumque autem tales ei sacculos cum solidis ad erogandum tradebat, qui vix manu capi leuaríque possint; ista quidem occultè & solo Deo conscio. Iste Arnanus ex genere Scotorum veniens multos annos*

AN. CH. 641. SIGIB. III. R. 9 CLOD. II. R. 4.

sub Cœnobio sancti viri ac sub ipsa Basilica quâ vir beatus requiescit, vitam venerabilem duxit, id est, prope Monasterium, quod Desiderius Episcopus in honorem sancti Amantij construxerat. *Studium erat viro egregio Desiderio de huius peregrini stipendio sedulam sollicitudinem gerere, adeò vt singulis diebus ex mensa sua oportuna ei alimonia subministrare curaret. Quadam itaque die consuetos cibos cum panis & poculi subsidio per duos ei Clericos dirigere studuit, quorum vnus Leodolenus, alter verò vocabatur Dracolenus. Clerici itaque ferentes ea quæ Episcopus viro Dei direxerat, dum iter carperent malo vtuntur consilio, & medio fermè viæ excursu cùm se ab omnibus remotos conspicerent, gulæ concupiscentiâ vincuntur, denique tam suauitate ciborum quàm vini flagrantiâ incitati inlecebris gulæ consentiunt; promotíque eminus de via & inter condensas buxus residentes ea quæ portabant præsumunt, affluentérque vini ac cibi perceptione ventrem ingurgitant exsaturatíque nimiùm quod esu supererat accuratè valdè recondunt, & ita super se redeunt. Post trium verò horarum excursum, vt putentur à seruo Dei redeuntes, Episcopum adeunt, eíque velut innoxij adsistunt. Tum prior Leodolenus genu Præsulis exosculans quasi ex viro Dei gratias agitare ac salutationes conatus exponere. Cuius verba in medio fermè conatu præueniens Desiderius spiritu Dei sibi reuelante ait, benè, inquit, bellè mentiris cur ita me fraudare voluisti? patrem hodie Arnanum minimè vidisti, & quæ ei direxeram malè vsurpasti, numquid non in præsentia aderam, quando inter condensos saltus residens cibos quos Dei seruo direxeram comedebas? numquid non præsens eram quando vinum bibebas & panem clanculè edebas? cúmque ille adhuc defendere niteretur, & facti culpam periurij adiectione cumularet, protinus ab Episcopo iussus foris trahitur, & pro geminata culpa acriùs coercetur. Alterum verò qui erat iunior tempore, præ se Episcopus retentum blandè demulcet, vt omnia sibi quæ egerint per ordinem manifestet. Clericus verò cùm se deprehensum vidit, cuncta coram omnibus sicuti gesta erant & Episcopus iam prædixerat exposuit, & ita misericorditer dimissus ab vltione culpæ liber euasit.* Agemus suo loco de obitu Arnani, superuixit enim Episcopo Desiderio.

X. Nec hoc loco debemus silere, quantùm Desiderius fuerit Cadurcæ Ecclesiæ in augmentationem rerum. *Multos quidem nobiles*, inquit Author vitæ, *multos adtraxit mediocres, per quos Ecclesia constat dilata. Multa terrarum compendia, multa villarum prædia adquisiuit, non quidem vlli tollendo sed benefaciendo & coemendo, eò denique adtrahendo multáque beneficia affluenter tribuendo. Bobus, Agilenus, Dodo, Badigenus, Seuerus, Mactregiselus, Nicasius, Dadinus, Abulnaris, Ebremundus, Deburilia, Felix, Austrildes, Gauretrudes, Basena, Oroncia, Nicecia & Fraterna, multíque alij quos longum est enumerare, res sponte suâ donationi Ecclesiæ dederunt. In quibus & ex quibus præcipuè Bobila Senatrix Romana, Seueri quondam relicta, multa rerum suarum eius Ecclesiæ necnon & Monasteriis contulit. Nec solùm prædiorum ac villarum collationem verùm etiam ornamentorum ac prædiorum multam summam indulsit, ipsáque in Monasterio beati viri & in eadem Basilica vbi ipse requiescit sepulturam commeruit. Dedit autem ad ipsum Monasterium per oblationem vel locum sepulturæ suæ villas quatuor iuris sui, quarum vocabula sunt hæc, Villare scilicet, Bassiago, Westrilinguis & Mauringus. Desiderius autem præter eos quos dulcedine & studio bonitatis suæ adtraxit, ipse quoque tanto se amore in Ecclesiis Cadurcæ statu diffundit, vt quicquid Regio munere, quicquid propriâ comparatione adquisisset, eidem libens Ecclesiæ per testamenti seriem delegaret.* Agemus de illo testamento ad annum Christi sexcentesimum duodequinquagesimum quo conditum fuit. Abbo Metensis Episcopus, Bobilæ meminit in literis ad eundem Desiderium [a].

DE DAT. ECCLESIAM CADVRC.

[a] Ep. 13.

ANNVS CHRISTI 642. SIGIBERTI III. R. 10. CLODOVEI II. R. 5.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo, siue anno Clodouei Regis quinto, die sextâ Februarij, Hadoindus Cenomanorum Episcopus condidit testamentum, quod ab Antonio Coruaisierio ex antiquis Codicibus ita publicatum fuit. *In nomine Domini Iesu Christi & Spiritus sancti, VIII. Idus Februar. in anno V. regnante gloriosissimo Clodoueo Rege. Ego Hadoindus ac si indignus, tametsi peccator, Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Cenomannis ciuitatis, sanus, Deo propitio, mente & corpore, sanóque consilio, metuens casum humanæ fragilitatis, testamentum condidi, illúdque Cadulto Diacono scribendum dictaui. Quod testamentum meum, si quo casu iure ciuili aut prætorio, vel alicuius nouæ legis interuentu valere nequiuerit, ac si ab intestato, ad vicem codicillorum valere id volo & valeat. Itaque si quando ego Hadoindus suprascriptus Episcopus è rebus humanis excessero, & debitum venturi temporis expleuero, tunc tu sacrosancta Ecclesia venerabilis hæres mea esto, hæredémque meam te esse constituo; ita vt vbicumque aliquid per hoc testamentum meum dedero, legauero, daréque iussero, id vt detur, fiat, præstetur, fidei tuæ, hæres mea, committo. Dono tibi sancta ac venerabilis Mater Ecclesia Cenomanica in honore S. Mariæ & Domni Geruasij & Protasij Martyrum, villam iuris mei, cuius vocabulum appellatur Ausa, quam datis rebus propriis meis comparaui, cum domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, siluis, pratis & pascuis, quantumcumque in ea loca aspicere videtur, cum colonis & integro termino suo ad ius & dominationem nostram reuocetur perpetualiter possidendum. Similiter Basilicæ Domni Victurij, vbi ipse Dominus requiescere dinoscitur, & si meruero, inibi sepulturam habere desidero, dono tibi villam nuncupatam Acerneo, quam dato pretio comparaui, cum domibus, mancipiis, vineis, siluis, pratis & pascuis, exceptis his quos animæ meæ remedio ingenuos fieri præcepi, totum & ad integrum præfata Basilica post meum discessum suæ potestatis faciat reuocare perpetuâ dominatione possidendum. Eâ verò conditione dono sanctæ Basilicæ Domni Petri & Pauli Apostolorum, quam Domnus Bertichramnus quondam Episcopus Cenomannicæ ciuitatis suo opere ædificauit, villam proprietatis meæ Iscomodiacum, sitam in pago Belini, quam datâ pecuniâ de Ausereno & genitrice sua comparaui, vt hanc ministri eiusdem post meum transitum teneant, possideant, & futuris, facere cui voluerint, derelinquant. Similiter dono ipsi sanctæ Basilicæ Domni Petri & Pauli Apostolorum villas, quibus nomina sunt Tandiniaco, Martiniaco, quam Lupus quondam per beneficium nostrum tenere visus fuit. Hoc supradicta Basilica post nostrum discessum cum omni integritate, quod ad ipsas villas aspicere videtur, ministri nostri iam dictæ Basilicæ de præsenti percipiant dominandum. Simili modo, dono Basilicæ S. Vincentij Martyris, quam Domnolus sanctæ recordationis Episcopus suo labore construxit, villam iuris mei Pratellus, cum omni integritate, quantumcumque mihi Domnolo visa fuit habuisse. Simili modo dono Basilicæ Domnæ & S. Mariæ, Aureono vicum, quem Agobertus Abbas Diablentis simul ædificauit, & Iona villam quæ fuit Sigulfi Presbyteri, & quam fidelis noster Chaddo per nostrum beneficium habere videtur; pariter & mansionem ad prope ipsam Iona, quam Lupus quondam tenuisse visus fuit, ipsi Chaddoni volumus esse concessam; si tamen habuerit filios, in eorum permaneat potestate, & si quidem filios non habuerit, post suum transitum ad ius & dominationem Domnæ Mariæ de Aureonensi vico reuertatur per-*

I. TESTAMENTVM HADOINDI EP. CENOMAN.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

petuis temporibus dominandum. Similiter villâ Lastemarico, quam ex munificentia nostra ipsi fideli nostro Chaddoni defensori nostro concessimus, voluntas mea est vt, dum aduixerit, hoc vsu possideat; post eius verò discessum eum omni re meliorata, vel superposita Sanctæ Basilicæ Aurionensi vico reuertatur. Similiter & Pauliaco, qui fuit Receoleno iamdictæ Basilicæ Domnæ Mariæ eiúsque temporibus possidere decernimus. Itémque villam Baudiacum, quam ex comparatione & nostris directis actionibus reuocauimus, cum terris, domibus, mancipiis, syluis, pratis & pascuis, accolísque omnibus, & integro termino, præfata Sancta Maria Basilica cum colonia Hamarico, quam antefata Sanctæ Mariæ Ecclesiæ donaui ad interueniendum pro nostris peccatis. Similiter Tusciaco, qui fuit Dondulfo, & iter quod cum Edeberto commutauimus, volo esse donatum; similiter Auliaco, & castra similiter, & villam Cometas, quam de illustri matrona Modenana datâ nostrâ pecuniâ comparauimus, cum domibus, ædificiis, terris, mancipiis, syluis ac pascuis, Basilicæ Domnæ Mariæ de Aurionensi vico conscribimus cum Appiaco colonia. Simili modo villam de Frigido fonte cum omni integritate, id adspicientibus & pertinentibus scilicet omnibus ædificiis, mancipiis, accolis, seruis & ingenuis, syluis, terris, vineis, pratis & pascuis, aquis aquarúmque decursibus, Sanctæ basilicæ Domnæ Mariæ volo esse donatam, vt pro nostris interueniat peccatis, & Dominus noster Iesus delictis nostris veniam concedere dignetur. Similiter & Vermecella cum omni iure & termino suo vel coloniis ad se pertinentibus, ad ipsam Sanctam Basilicam proficiat in perpetuum. Et si aliquis exinde epistolam quasi à nobis factam protulerit, vacua & inanis permaneat. Et ita nobis conuenit, vt superius, intimare, vt quicumque facta nostra de propinquis aut hæredibus nostris chartam aliquam, quamuis bonorum hominum manu roboratam, vt cupiditas suadet, protulerit, vacua & inanis permaneat, & illam maledictionem percipiat, vt superius est comprehensum. Villam Fontanas in pago Siluiacinensi filius & parens noster Bodilo dum superstes fuerit, locellum illum tempore vitæ suæ teneat ac possideat. In Christi nomine Hadoindus etsi peccator Episcopus hoc testamentum quod ex deuotione fieri rogaui, relegi & subscripsi. Rosindus subscripsi. Berthegiselus subscripsi. Marsus subscripsi. Auffrebertus subscripsi. Sigrannus subscripsi. Audobertus subscripsi. Cadulphus ordinante Domno Hadoindo Episcopo hoc testamentum redditum scripsi & subscripsi. Magnificis in Christo & Sanctæ Ecclesiæ filiis Bodiloni & Audranno Hadoindus Episcopus. Rogo & supplico caritati vestræ, vt cùm me Dominus & creator omnium de hoc sæculo migrare præceperit, Cenomannis ciuitate ire faciatis, & ibi testamentum meum, cùm apertum fuerit vobis prosequentibus, apúdque publica gestis municipalibus faciatis allegare, & quod vnicuique per ipsum testamentum Sanctis ciuibus vel propinquis meis visus sum delegasse, vestrâ dispensatione vnusquisque iuxta ipsam delegationem percipere valeat; & quicquid exinde egeritis, ratum & firmissimum debeat permanere. Quod mandatum manu nostrâ firmauimus, & petimus muniendum. Actum Cenomannis ciuitate in Christi nomine. Amen. Hadoindus etsi peccator Episcopus hoc mandatum relegi & subscripsi. Rosindus subscripsi. Berthegiselus subscripsi. Marsus subscripsi. Auffrebertus subscripsi. Audebertus subscripsi. Defensor subscripsi. Vrsimaunus subscripsi. Sirannus subscripsi. Cadulphus Diaconus ordinante Domino Hadoindo Episcopo hoc mandatum scripsi & subscripsi.

II. In illo testamento mentio fit Monasterij Aurionensis * siue Ebroniensis, cuius exordia in vita [a] sancti Hadoindi Cenomanensis Episcopi sic retexuntur. *Temporibus Domni Haduindi Episcopi erat quidam peregrinus per prædictam parochiam* Cenomanensem *transiens, & reliquias Sanctæ Dei Genitricis Mariæ secum deferens, in locum, qui vocatur Aurion, fessus peruenit, ibique quadam die sub aliqua arbore requiescens, & in ipsa arbore prædictæ S. Mariæ reliquias appendens, atque diutiùs inibi corde orans, obdormiuit & fessus paulisper requieuit. Surgens autem inde, & ad alia loca properare volens, prædictas reliquias de iamdicta arbore auferre, neque secum deferre valebat, quod & nutu Dei factum esse haud dubium est. Audiens igitur hæc ingentia signa antedictus Domnus Haduindus Episcopus ad eundem locum properare festinauit, ibique hæc omnia, sicut suprà inserta sunt, vera*

* D'Evron.

[a] Ap. Bolland. in append. ad d. 20. Ian.

MONAST. AVRIONENSE.

esse

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

esse sciscitando cognouit. Ipsum scilicet peregrinum benignè suscipiens, & ipsas reliquias ibidem venerabiliter custodiens diuinitus admonitus est, vt Ecclesiam ibi & Monasterium in honore Sanctæ Mariæ faceret. Ille verò idipsum facere non renuit, sed voluntariè ipsum opus perficere totis viribus studuit. In præfixo namque vico, qui dudum fuerat de villa quæ Rupiacus nominatur, in ipso territorio suæ Sedis Ecclesiæ iamdictum Monasterium, sicut ex instinctu Dei demonstratum est, ædificare mirificè cœpit & ad effectum vsque perduxit. Ecclesiam deuotissimè in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ perstruxit, prædictásque Sanctæ Mariæ reliquias deuotissimè & honorificè collocauit, & truncum prædictæ spinæ infra ipsum altare S. Mariæ inclusit, & agmina Monacharum regulariter inibi Domino inseruientium nobiliter instituit. Præfixum Monasterium ciuitatis & Matris Ecclesiæ S. Mariæ & SS. Geruasij & Protasij, cui præsidebat, Ecclesiastico Ordini subiugauit, ac suis successoribus atque ciuitatis & Matris Ecclesiæ Sacerdotibus & Canonicis perpetualiter iure possidendum Ecclesiastico, vt diximus, Ordini dereliquit.

III. Hoc eodem anno, Clodouei Regis quinto, die decimâ-quintâ Maij, Audobertus Parisiorum Episcopus Monasterio Fossatensi Priuilegium immunitatis & exemptionis ab omni subiectione Episcoporum & Clericorum dedisse fertur. Qua de re in vita sancti Baboleni Abbatis Fossatensis à nobis sæpè iam citata sic disseritur. *Christo iuuante, & Blidegisilo viro venerabili, constructa est Ecclesia in honorem Genitricis Dei & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli cum omnibus ædificiis congruentibus Monastico Ordini, sed cogente loci angustiâ, ad Aquilonem omnia sunt constructa ædificia. quia ab Austro montis altitudine, à Borea verò artatur fluuij vicinitate. Idem verò locus ita est compositus, vt Monasticæ Religioni credatur à Deo dispositus. Caritas ibidem fulget mira, abstinentia maxima, humilitas summa, immensa parsimonia. Nulla secularis prorsus actio, nulla virorum ac mulierum penes illum cohabitatio. Illic manent qui Deo deseruiunt, nihil habentes proprium, sed tam remoti à mundialibus, vt delectet viuere cum cælestibus. Situs autem loci ipsius est tam remotus, vt ab ignorantibus putetur esse eremus,* &c. *Igitur iamdictus Blidegisilus, vt Christi gratiam acquirere mereretur, sæpè nominatum castrum & omnia testamenta à Rege sibi super eum tradita, Sancto viro Baboleno & fratribus illi subditis perpetuà tradidit habenda. Sed & multorum reliquiis Sanctorum ipsum exornare Cœnobium studuit, & cuncta bona quæ valuit, tam per se quàm per alios largiendo contulit. Et sicut ipse in quodam suo scripto dicit, licèt hæc oblatio parua videatur Maiestati, Deus tamen non quantitatem muneris, sed cor respicit offerentis. Audobertus denique Parisiacæ Episcopus Ecclesiæ, videns Sanctissimum Babolenum ad alta virtutum conscendere, & de die in diem ad meliora proficere, nimio eum amplectebatur amore. Cùm ergo hi beati viri vinculis amoris se constringerent, atque ab inuicem minimè disiungi vellent, contulit idem Præsul Sancto Baboleno Priuilegium suæ auctoritatis, vt tam ipse quam successores liberi & securi ab omni inquietudine tam Ecclesiasticorum quàm laicorum ibidem manere possent. Quod si quisquam insaniâ plenus detestando moueatur, cur Sanctus Pater à sibi dilecto Præsule tale decretum susceperit, nouerit pro certo, sicut iam diximus, quòd eo rogante gratiâ peregrinationis in eodem loco resederit, & Regali munere præfatum castrum ad construendum Cœnobium concessum ei fuerit. Si verò contra Patrum statuta eum fecisse causatur, legat Canones à Sancto Bonifacio Cartaginensi Episcopo & aliis Episcopis factos, necnon eiusdem Sacerdotis epistolas ad Liberatum Episcopum missas, & inueniet quòd Monasteria, in quibus regulariter viuitur, libera esse debent ab omni infestatione Episcoporum & Clericorum. Illud verò Priuilegium suæ manûs conscriptione corroborauit, ac fratribus ac consacerdotibus suis, videlicet Episcopis, qui in Regis aula præsentes aderant, atque ad Sanctam Synodum euocati fuerant, confirmandum tradidit. Primus igitur idem Episcopus Audobertus, deinde Gaudericus Lugdunensis, deinceps Annobertus Senonensis, Præstelendus quoque Bituricensis, dein Donatus Besontianensis, quatuor videlicet venerabiles Archiepiscopi, septeno Episcoporum numero iuncto sibi, quorum nomina vtique sunt in eodem Priuilegio scripta, sed præpediente inertiâ minimè*

PRIVILEGIVM AVDOBERTI EPISC. PRO MONAST. FOSSAT.

AN. CH. *sunt hic inserta. Hi omnes eandem auctoritatem de libertate iamdicti loci, vt di-*
642. *ctum est, confirmauerunt, & pari assensu propriis manibus coram Rege subscripse-*
SIGIB. *runt. Sed & Rex ipse fauens subscripsit, & suo monogrammate facto, anulo Regali*
III. R. 10. *insigniri iussit. Acta sunt autem hac in vrbe Parisius, Chlodoueo regnante, anno quin-*
CLOD. *to, Indictione quoque quintâ, die mensis May* XV. *sub die Iduum Maiarum.*
II. R. 5.

IV. Hoc Priuilegium non extat, nec à quoquam visum est hactenus, ne quidem ab Anonymo, qui vitam sancti Baboleni scripsit, Characteres enim Chronologici, quos hic Author notauit, non descripti sunt ex autographo, nec opus est ad id probandum alio argumento, quàm quòd in publicis Francorum instrumentis Indictio non apponebatur, & Indictio quinta cum anno Clodouei Regis quinto non coincidit. Tota vis igitur & authoritas prædicti Priuilegij petitur à præcitato Anonymo, qui si refellitur refellitur & Priuilegium. A temporibus sancti Baboleni procul abfuit; res scripsit ab ætate sua dissitas longâ multorum seculorum intercapedine; turpiter hallucinatus est in multis locis; Authoribus ipsis imposuit, quos allegauit; Babolenum Abbatem cum Bobuleno Abbate, Audobertum Episcopum cum Agilberto Episcopo confudit; annos Regum nec benè supputauit, nec annis Christi atque Indictionibus rectè illigauit. Hæc conglobatim ob oculos Lectoris posuimus, antequàm sancti Baboleni vitam per singulos articulos examinandam susciperemus. Errores multos, vt occurrerent, suprà refutauimus, nec parcemus ceteris.

REFVTATVR.

V. Ad Priuilegij confirmationem laudantur Canones Concilij Carthagine à Bonifacio Episcopo celebrati, epistolæque ab eodem Bonifacio Episcopo Carthaginiensi ad Liberatum primæ Sedis prouinciæ Bizacenæ Episcopum directæ. *Si verò*, inquit Anonymus in vita sancti Baboleni, *contra Patrum statuta eum*, nempe Parisiensem Episcopum, *fecisse causatur, legat Canones à sancto Bonifacio Cartaginensi Episcopo & aliis Episcopis factos, necnon eiusdem Sacerdotis epistolas ad Liberatum Episcopum missas, & inueniet, quòd Monasteria, in quibus regulariter viuitur, libera esse debent ab omni infestatione Episcoporum & Clericorum.*

DECRETVM SYNODI CARTHAGINIENSIS SVB BONIFACIO PRIMATE PRO EXEMPTIONE MONASTERIORVM EXAMINATVR

VI. Aduersùs auctoritatem Synodi Carthaginiensis Ioannes Launoius Theologus Parisiensis in assertione [a] Inquisitionis in chartam Immunitatis, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano sancti Vincentij Monasterio dedisse fertur, hæc scripsit anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo. *Bonifacius Carthaginiensis Episcopus Synodum nullam habuit, in qua de Monachis tali modo decreuerit. Ferrandus Carthaginiensis Diaconus & Cresconius Bonifacij æquales fuerunt. Ferrandus Canones in compendium misit, Cresconius Canones in vnum corpus redegit, neuter Canonum ab ea Synodo de libertate Monastica editorum meminit. Meminisset autem vterque vel alteruter sine dubio, cùm ex subiecta materie qua tractaretur, tum ex eo quoque quòd facta tunc temporis Synodus in vtriusque oculos, manum & calamum incurrisset.*

[a] P. 4. c. 10. sect. 1.

VII. Post annos septem ab edita Launoij lucubratione, Lucas Dacherius è Congregatione sancti Mauri Monachus Benedictinus anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-quarto Totum sextum sui Spicilegij exorsus est à secunda sessione prædicti Concilij Carthaginiensis à Bonifacio Episcopo habiti, cuius ne minimum quidem fragmentum in lucem antè prodierat. Solam sessionem secundam illius Synodi publicauit, quoniam in ea de libertate Monasteriorum agitur. Acta integra eiusdem Concilij ex Codice Vaticano descripta sunt à Luca Holstenio Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, transmissáque anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo ad Illustrissimum Petrum *de Marca* Tolosanum tunc Archiepiscopum, quo intra biennium mortuo venerunt in potestatem Stephani Baluzij, ab eóque paulò pòst Lucæ Dacherio tradita sunt vt publici iuris fierent. Id docent ipsiusmet Baluzij literæ ad Dacherium, datæ *apud sanctum Germanum in Laia* V. *Kalendas Septembris anni* MDCLXII. quas in præfatione sui Spicilegij [b] Dacherius excudendas curauit.

[b] Tom. 6.

AN. CH. 642.
SIGIB. III. R. 10.
CLOD. II. R. 5.

Concilium Carthaginienſe conuocatum eſt anno ſecundo Hilderici Regis Vandalorum. Seſſio ſecunda habita eſt nono Idus Februatias. Actum in ea de querelis à Petro Abbate motis aduersùs Liberatum Epiſcopum primæ Sedis prouinciæ Byzaceenæ, qui prædictum Abbatem eiúſque Monachos *conditione Byzacena prouincia* obſtrictos teneri contendebat.

VIII. IX.

Codex Vaticanus annum diémque Seſſionis ita deſignat. *Anno ſecundo Glorioſiſſimi Regis Hilderici, die nonâ Idus Februarias, Carthagine in Secretario Baſilica S. Martyris Agilei, cùm Bonifatius Epiſcopus Eccleſia Carthaginenſis cum Coepiſcopis ſuis diuerſarum prouinciarum Africanarum, quorum nomina ſubſcriptiones oſtendunt, conſediſſet, adſtantibus Diaconis, Bonifatius Epiſcopus dixit. Poſt heſterni diei diſputationem, qua nos penè vſque ad veſperum detinuit occupatos, quia iam nihil arbitror ſupereſſe, quod de generali Eccleſiarum vtilitate tractemus, ſi qua ſunt ſpecialiter diſcutienda, ſingulorum ſuggeſtio manifeſtet, ne vel priuata commoditas videatur omiſſa.* Deindę narrationem retum illo die geſtarum ſic auſpicatur. *Gaudiſſus Diaconus regionis quinta dixit. Petrus Abbas cum aliquantis ſenioribus Monaſterij ſui pro foribus obſeruans rogat ſe tua Beatitudinis & ſanctiſſimi Cœtûs præſentari iudicio. Bonifatius Epiſcopus dixit. Ingrediantur. Quibus ingreſſis, Bonifatius Epiſcopus dixit. Qua vos cauſa ad Concilium compulit conuenire? Petrus Abbas cum præſentibus Monachis fratribus ſuis dixit. Offerimus libellum, cuius ſeries recitata vim doloris noſtri meliùs proloquitur. Bonifatius Epiſcopus dixit. Suſceptum quod ingeritur percurratur. Et cùm tradidiſſet, Redemptiolus Notarius recitauit.*

Supplex libellus, quem Petros Abbas & vniuerſa eius Congregatio por- X.
rexerunt, conceptus erat in hæc verba. *Rogamus, Beatiſſime, & Apoſtolicâ dignitate prædite, Chriſti venerande Pontifex, Bonifati Epiſcope, & omnes Sancti Sacerdotes, qui nunc adeſſe videmini, vt ſuggeſtionem noſtram intentè aduerti præcipiatis. Diu ad ſtrepitus publicos interruptâ quiete peruenire noluimus. Diu infra Monaſterij latebras ſolis fletibus occupari voluimus, & amica pœnitentibus ſtuduimus ſeruare ſilentia. Vicit modò verecundiam dolor, ac priuata neceſſitas generale propoſitum conturbauit. Ex quo enim deſiderij paginam voluntariâ deuotione conſcribentes, huic venerabili Sedi libertatem Monaſterij noſtri commiſimus vindicandam, noua ſubitò, ſanctiſſimi Sacerdotes, aduersùm nos exurrexit tempeſtas inuidia. Sanctus quippe Liberatus Epiſcopus prima Sedis prouincia Bizacena, Congregationibus Sacerdotum ſæpè collectis, in perniciem noſtram multa & multipliciter machinatur, dum in nobis quaſi quandam materiam ſua aſſumptionis inueniens, poſt audientia præfixum diem, poſt pacifica diſputationis facultatem datam atque conceſſam, Monaſterium noſtrum graui excommunicatione percutere voluiſſet. Abſit enim vt percuſſiſſe dicamus, ſcientes nos ſub veſtro velamine conſtitutos, nullis poſſe iaculis quorumlibet conſiliorum penetrabiles deſeri. Succurrite igitur tandem aliquanda, & à noſtris ceruicibus iugum, quod neque nobis, neque Patribus noſtris quiſquam ſuperponere aliquando tentauit, excutite. Nihil contra fidem, neque contra bonos admiſimus mores. Quia ſi diſcutiatur ratio, licet liberis quocumque voluerint pertinere: ſi conſideretur auctoritas, nulla aduersùm nos antiquorum Patrum definitio profertur: ſi quærantur exempla, multos antè feciſſe irreprehenſibiliter docemus, quidquid modò feciſſe culpamur. Cæterùm quòd à proprio Subdiacono Monaſterium, ſicut audiuimus, dicunt eſſe fundatum, quid præiudicat olim mortui perſona viuentibus? quando etiamſi conditionem Clericatûs alicui debuit, conditio cum perſona defecit. An fortaſſe dominus fuit? aut ſic Congregationi fratrum præfuit, vt aliquid ſibi proprium vindicaret? quem Cœnobialis Regula non ignorari diſpenſationem tantummodò dicimus habuiſſe. Nec ideo nos eum, quia Subdiaconus, ſed propterea quia Monachus fuit, Abbatem habuimus. Vnde etſi forſitan alicui Epiſcopo aliquando Subdiaconus, nobis tamen Monachus fuit: nec nos hæredes honoris Eccleſiaſtici, quem eum habuiſſe neſcimus, ſed ſanctiſſima profeſſionis extitimus. Proinde lacrymabiliter obſecramus, nihil nouum fiat in nobis, quia nihil nouum factum docetur à nobis. Illuc, ne opprimeremur, confugimus, vbi ſolent etiam Clerici, ſi ſe opprimi*

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

viderint, appellare. Cur per dies singulos inauditis minis ab spiritali intentione deponimur? Cur Ecclesia simplex prohibetur accessus? Cur etiam in Ecclesiis positi imprudenter iubemur foras à Sacerdotibus pelli? Cur etiam hospitalitas, quam semper exhibuimus, denegatur? Timent salutare qui diligunt: mutus Dei seruus viator occurrit, benedictionem nobis transeuntibus nemo dare, nemo audet accipere. Satisfiat tandem aliquando pietati. Nos de conscientia nostra securitatem plenissimam gerimus. Vos sciatis qualem de tribulationibus nostris rationem Deo nostro reddatis, aut nos qualiter priori securitate confirmatâ nostra libertati restituatis, quam consecuti, Deo & vestra Beatitudini vberes referemus gratias. Ego Petrus Abbas hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Octauianus Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Fortunatus Presbyter hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Felix Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Renatus hunc libellum nostrum subscripsi, & cateri.

XI. Recitato Petri Abbatis totiúsque Congregationis, quam administrabat, libello, Bonifacius Episcopus dixit. *Recitatum libellum acta suscipient. Proinde cognouit sinceritas vestra fratrem Consacerdotémque nostrum Liberatum de leuissimis rebus graue iugum suscitare, captâque vnius iniustissima querela occasione, Priuilegia huius Sancta Ecclesia moliri subtrahere; dum procaci contentione turbans ordinem caritatis, putas publicis contentionibus studendum: nec inuidia flammam timens accendere aduersum seruos Dei, quibus nihil commune est cum saculo, Congregationes Pontificum, sicut pariter audiuimus, frequenter adducens, & quotidianis minis Christi famulos inquietans, vt mutatâ vice, quos nec generalis Ecclesiarum grauatio molestauit, pax Ecclesiastica videatur affligere. Relegantur itaque singula, qua in hoc negotio per alternas epistolas acta sunt, quò faciliùs vniuersa Fraternitas, reuelante intrinsecus Domino, quid pacificè definire oporteat, cum auctoritate & veritate disponat.*

XII. *Ianuarius Episcopus Ecclesia Vegeselitana prouincia Numidia dixit. Dolemus satis audientes quia reuerentiam Sancta huic Sedi debitam Frater consacerdósque noster Liberatus audet in aliquo denegare. Miramur qua sic tanta pernicies repentè surrexerit, qua compelleret Monasteriorum turbari silentia. Poscimus igitur, vt secundùm Beatitudinis tua praceptum cuncta nobis legi censeas, quibus diligenter consideratis causa tanti iurgij penitus abscindatur, & hoc omnes tua Gloria tribuamus, quod antiquitas pradecessoribus tuis detulisse euidenter ostenditur. Episcopi dixerunt. Hac etiam nostra postulatio, fiat omnibus notum quicquid in hac causa dignoscitur gestum, ne remanere aliquid permittatur incertum. Bonifatius Episcopus dixit. Fiat quod hac Congregatio Sacerdotum iustissimè flagitat. Proferantur ex archiuo huius Ecclesia scripta qua direximus, & rescripta qua sumpsimus, vel quacumque ad prasentis negotij pertinent firmitatem.*

XIII. Redemptiolus Notarius, vt Bonifacij præceptum exequeretur, recitauit duos libellos supplices, quos Petrus Abbas ac Monachi quibus ille præerat obtulerunt Bonifacio, literas quas Bonifacio scripserunt Liberatus alíique Episcopi qui Concilium Iucense celebrarunt, literas quas Bonifacius iisdem Episcopis rescripsit, duo fragmenta sancti Augustini de moribus Clericorum, Priuilegium quod Bonifacius concessit Monialibus in Cœnobio Bauagalíanensi degentibus, variáque scripta quæ spectant ad Monasterium Lirinense.

XIV. Primo loco recitatus est Petri Abbatis Monachorúmque supplex hic libellus. *Rogamus, Domine Beatissime, & Apostolicâ dignitate pradite, Christi venerande Pontifex, Bonifati, nobis aurem placidam inclinare digneris, quoniam vos & in tribulationibus adiutores, & in sollicitudinibus nostris consolatores nobis Deus praposuit, vt non solùm vestro suffragio in tentationibus adiuuemur, verùm etiam vestro consilio in quibusque dubiis confirmemur. Propterea tui Apostolatûs orationibus nos commendantes poscimus vt nostrum Monasterium facias tua Beatitudinis regimini subiacere In absentia enim Sacerdotis Carthaginensis Ecclesia, de proximo Bonifatium Gratianensem Sanctum Episcopum prima Sedis prouincia Byzacena petiimus, vt quandiu huic Sancta Ecclesia Carthaginensi Rectorem Dominus concef-*

ſiſſet, nobis qui diuina myſteria celebrarent ordinaret. Quod & factum eſt, ita tamen vt defuncto Primate, non ſucceſſor plebis illius aliquam in nobis haberet licentiam, ſicut eſt moris in ſubditis; ſed neque plebi nos vicinæ aliquando ſubiecimus, aut Epiſcopis vicinis, aut interuentori Eccleſiæ quæ proxima eſt nobis, expectantes, vt diximus, Sanctæ huius Eccleſiæ Carthaginenſis libertatem. Nunc autem, quoniam diuina miſericordia dignum te nobis donauit Epiſcopum, ſupplices exoramus, vt vota vel ſubſcriptiones noſtras ſuſcipi iubeas, atque Congregationem noſtram, ſicut credimus & ſperamus, fouere & ſolari digneris, vt tantæ Sedis, quæ Primatum totius Africæ Eccleſiæ tenere cognoſcitur, defenſione muniti, Creatori noſtro Domino laudes debitas referamus. Hunc enim libellum, ſiue à me, ſiue ab omni Congregatione ſubſcriptum, Reuerentiæ tuæ offerimus, petentes vt eum à nobis ſuſcipere iubeas, & chartis Eccleſiæ ſociare, acturi Deo & Apoſtolatui tuo vberes gratias. Ego Petrus Abbas huic libello noſtro in omnibus quæ ſuperiùs continentur, relegi, conſenſi, & ſubſcripſi. Ego Fortunatus Presbyter Monaſtery huic libello noſtro in omnibus, quæ ſuperiùs continentur, relegi, conſenſi, & ſubſcripſi, & fratribus ſubſcribendum tradidi. Ego Victor Senior Monaſtery ſubſcripſi. Ego Vincentius Senior Monaſtery ſubſcripſi. Ego Gentius Senior Monaſtery ſubſcripſi.

Hic libellus ob oculos ponit omnem controuerſiam, quæ vertebatur inter Petrum Abbatem & Liberatum Epiſcopum. Petrus abſente Epiſcopo Carthaginienſi, qui Primas erat Diœceſeos Africanæ ſeu ſex prouinciarum Africanarum Patriarchatui Romano attributarum, adiit Bonifacium Primatem prouinciæ Byzacenæ, id eſt, ſeniorem Epiſcopum illius prouinciæ, qui Collegas ſuos tempore ordinationis anteibat, ab eóque petiit vt ordinaret miniſtros altaris qui diuina myſteria celebrarent in Monaſterio cui præpoſitus erat Abbas. Mortuo Bonifacio Primate prouinciæ Byzacenæ, Primatus illius prouinciæ tranſiit ad Liberatum Iucenſem Epiſcopum, qui habitâ ratione temporis quo fuerat ordinatus, primum locum inter reliquos Epiſcopos illius prouinciæ obtinebat. Liberatus, vbi Primatum prouinciæ Byzacenæ conſecutus eſt, eodem, quo nupertimus eiuſdem prouinciæ Primas Bonifacius, in Petrum eiúſque Monaſterium iure voluit gaudere. Petrus appellauit Bonifacium Epiſcopum Carthaginienſem, cui tanquam Primati Diœceſeos Africanæ Liberatus aliíque Primates prouinciarum Africanarum ſubiacebant. Vt autem hæc tibi clariora fiant, obſerua in variis ſignificationibus vſurpati nomen cùm Africæ tum Primatis. XV.

Africæ triplex eſt acceptio. Vſurpatur à Geographis Africa latiſſimè pro tertia veteris Orbis parte vaſtiſſima, quæ vndique ferè ad modum peninſulæ, Oceano, mari Mediterraneo & Rubro alluitur, breuíque tantùm iſthmo iungitur Aſiæ, & freto Gaditano diuiditur ab Europa. Strictiùs à Patribus, Imperatoribus, & Iuriſconſultis ferè ſemper ſumitur Africa pro ſex prouinciis Africanis, quæ ſimul Diœceſim vnam conſtituebant, cuius Vicarius Præfecto Prætorio Italiæ parebat. Sex illas prouincias, quarum vna Proconſularis, Conſulares duæ, tres Præſidales, ſic enumerat Sextus Rufus in ſuo Breuiario. *Per omnem Africam ſex prouinciæ factæ ſunt; ipſa, vbi Carthago eſt, Proconſularis; Numidia, Conſularis: Byzacium, Conſularis: Tripolis, & Mauritaniæ duæ, hoc eſt, Sitifenſis & Cæſarienſis, ſunt Præſidales.* Strictiſſimè capitur Africa pro vna ex prædictis ſex prouinciis, cuius Metropolis Carthago. XVI. ACCEPTIO MVLTIPLEX AFRICÆ.

Apud prouincias Africanas ſuprà recenſitas, Primates in duplici fuerunt acceptione. Vulgari tritâque ſignificatione Primates dicuntur, qui Diœceſi pluribúſque Metropolitis præſunt, cùm ipſi proprio Patriarchæ ſubſint. Talis erat Primas Carthaginienſis, qui ſuberat Patriarchæ Romano, præterárque Diœceſi quam prædictæ ſex Africanæ prouinciæ conſtituebant. Præter Primatem Carthaginienſem in Diœceſi Africana erant alij quinque Primates, nam quælibet prouincia ſuum habebat Primatem, itaut in illis prouinciis Primates eſſent, quos in reliquo Orbe Chriſtiano Metropolitanos dici moris erat. Quare Ferrandus Diaconus Carthaginienſis Canones veterum Con- XVII. PRIMATIS.

AN. CH. ciliorum, qui de Metropolitanis loquuntur, ad Primates Africanos scitè
642. transtulit, vt obseruarunt Petrus *de Marca* in dissertatione de Primatibus, &
SIGIB. Petrus Franciscus *Chifflet* in notis ad Breuiationem [a] Canonum editam à
III. R. 10. prælaudato Ferrando. Talium Primatum Sedes non erant fixæ sed vagæ, nec
CLOD. ex loco sed ex antiquioris Episcopi persona constituebantur, Primas enim
II. R. 5. seu primæ Sedis Episcopus is dicebatur, qui promotione siue ordinatione antiquissimus inter suos Prouinciales existebat.

[a] T... 4.

XVIII. Hinc oritur magna differentia cùm inter Primates Africanos & Metropolitas prouinciarum Africanarum, tum inter eosdem Primates Africanos & Metropolitas extra Africam constitutos. Metropolis erat in vnaquaque prouinciarum Africanarum, Cirta seu Constantina in Numidia, Cæsarea in Mauritania Cæsariensi, Sitifis in Mauritania Sitifensi, Byzacium in prouincia Byzacena, & Leptis magna in prouincia Tripolitana. Harum Metropoleon Episcopi titulo tenus erant Metropolitani, quatenus enim Episcopi Sedium Metropolitanarum nihil iuris habebant in alios Episcopos eiusdem prouinciæ, quia prouinciæ Primas is erat, qui suis Prouincialibus ordinationis Episcopatúsque ætate antcibat, ideóque senex Episcopus vsurpatur sæpè pro primæ Sedis Episcopo seu Primate. In prouinciis igitur Africanis prima Sedes & Sedes Metropolitana non eædem fuerunt. Distinguuntur capite octogesimo-sexto Collectionis Africanæ, orto enim dissidio inter Episcopos, quo in loco regesta prouinciæ seruari debeant, statuitur vt in Metropoli condantur vbi tutior custodia; tum etiam in prima Sede vt primæ Sedis Episcopo seu Primati sint ad manum, nec Primas hac in parte videatur à Metropoleos Episcopo pendere. Canonis hanc esse sententiam verba ipsa satis declarant quæ sic leguntur. *Deinde placuit omnibus Episcopis, qui in hoc Concilio subscripserunt, vt matricula & archiuum Numidiæ, & apud primam Sedem sit, & in Metropoli, id est, Constantina.* In prouinciis autem extrà Africam positis, qui Metropolitanus est Episcopus, is toti prouinciæ præest, quamuis promotione iunior sit suis Prouincialibus. Vtrobique ordinantur Episcopi Metropoleon, sed in Africa tales Episcopi Prouincialibus haud imperant, nisi ætatis priuilegio primatum assequantur, túncque prima Sedes fit eadem cum Metropolitana, extra Africam verò Metropolitis subsunt Episcopi totius prouinciæ; iúsque illis Metropolitis idem est ac Primatibus Africanis, vnâ duntaxat inter vtrosque discrepantiâ intercedente, quòd horum Sedes vagæ sunt ac desultoriæ, istorum fixæ ac statæ.

XIX. ET DIOECESEOS. Prætereà vt quæ superiùs à nobis explicata sunt, meliùs intelligas, obserua Diœcesim multipliciter vsurpari. Diœcesis propriè gubernationem & administrationem significat, Græcis enim *διοικεῖν* à quo deriuatur, idem est ac Latinis *regere* & *administrare*. Sumitur aliquando pro tota illa Orbis plaga quæ commissa est Patriarchæ; non rarò pro multis prouinciis quæ subsunt Primati; quandoque pro prouincia specialiter dicta quam Metropolites administrat; vsitatiùs pro territorio cui præest Episcopus; nonnumquam pro parœcia, vt hodie vocant, quam Presbyter regit. Exempla singularum acceptionum profert in Exercitationibus [b] Ecclesiasticis Ioannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter quem consule. Versati iam sumus in plerisque illarum significationum confirmandis vt occasio postulauit, de ceteris agemus opportunè suis locis. Hic tantùm aduerte per Diœcesim Africanam superiùs à nobis intellectas esse prouincias Africanas, quæ Primati Carthaginiensi subiiciebantur; nec aliter locutum fuisse Iustinianum Augustum, postquàm illas prouincias extincto Vandalorum regno recuperauit. In Nouella enim centesima tricesima prima de Archiepiscopo seu Primate Iustinianeæ primæ sic disseruit. *Beatissimus pro tempore Archiepiscopus Iustinianeæ primæ patriæ nostræ semper sub iurisdictione sua habeat Episcopos prouinciarum Daciæ mediterraneæ & Daciæ ripensis, item Triballeæ, ac Dardaniæ & Mysiæ superioris, & Pannoniæ, & ab ipso hi ordinentur, ipse verò à propria ordinetur Synodo & in prouinciis ipsi sub-*

[b] Lib. 1. exercit. 11.

iectis locum teneat Apostolicæ Sedis Romanæ secundùm ea quæ sanctus Papa Vigilius constituit. Deinde sic de Carthaginiensi. *Consimili modo & Archiepiscopale munus, quod Episcopo Iustinianeæ Carthaginis Aphricanæ Diœceseos dedimus, ex quo Deus nobis hanc restituit, conseruari iubemus.*

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

XX. CONCILIVM IVCENSE.

Secundo loco recitatæ sunt in Concilio Carthaginiensi literæ quas Liberatus aliíque Episcopi, qui Concilium Iucense celebrarunt, Bonifacio Primati Carthaginiensi scripserunt in hæc verba. *Domino Sancto ac Beatissimo nimiúmque suscipiendo, meritò venerabili fratri ac Consacerdoti Bonifatio, Liberatus cum omnibus sanctis Fratribus & Consacerdotibus meis, qui in Iucensi Concilio adfuimus, in Domino æternam salutem. Veneranter excepi tuæ Sanctitatis epistolam, quæ mihi eò gratior facta est, quò vestræ præferebat indicium sospitatis, quam necesse habui sancto Concilio adlegare. Ea verò, quæ merito Maximianensium tua Sanctitas scribere dignata est, aduertimus, ideóque cum omnibus sanctis Fratribus & Consacerdotibus meis, qui in sancta Synodo Iucensi adfuimus, debito salutans venerationis obsequio, nósque omnes tuæ sanctæ orationi commendans, insinuo famulis suis, diuinâ misericordiâ instigante, in omnibus pacem esse firmatam. Quæso autem, vt quæ sanctis Fratribus & Coepiscopis nostris Ponticano & Restituto Sanctitati tuæ mandauimus adleganda, & clementer audire, & sapienter ordinare tua Beatitudo dignetur. Nouimus enim sapientiam tibi diuinitus infusam, quâ præcipuè hoc studeas, vt nullus permittatur Ecclesiasticorum Canonum aliquatenus conuellere firmitatem, téque cunctis formam præbere virtutum, vt terminos paternis definitionibus constitutos non negligat seruare posteritas. Orantem pro nobis Beatitudinem tuam summa tueatur Diuinitas, quod optamus.* Hæc epistola *accepta* est *Idib. Decemb. anno primo*, id est, anno primo Bonifacij Primatis Carthaginiensis, siue anno Christi quingentesimo vicesimo-tertio, vt patebit ex subsequentibus literis eiusdem Bonifacij.

Tertio loco recitatæ sunt literæ, quas Bonifacius Primas Carthaginiensis Liberato, ceterísque Episcopis qui Iucensi Concilio interfuerunt, ita rescripsit. *Dilectissimis & desiderabilibus Fratribus & Consacerdotibus, Seni Liberato, & ceteris qui in Concilio Iucensi adfuistis, Bonifatius. Aduenientibus Fratribus Consacerdotibusque nostris Ponticano & Restituto, optatam gratiam suscepi, dum relectâ paginâ Fraternitatis vestræ de pace & concordia eorum, de quibus antehac scripsisse cognoscimur, lætari promerui. Proinde iisdem Fratribus repedantibus, necesse habui officiositatis meæ paginam dare portandam, salutans plurimùm, & me cum affectu Sanctitatis vestræ orationibus commendans. Creatorem nostrum & Dominum deprecor, vt hæc legentes addatis precibus, vt diebus nostris sublatis his, quæ communes animos offendere possunt, quieta nobis omnia præstentur. Illud autem, dilectissimi & desiderabiles sancti Fratres, quod sinceritas vestra per memoratos Coepiscopos nostros verbo mandare dignata est, fateor valdè mihi difficillimum. Neque enim poterimus statuta mutare, quæ per tot Sacerdotes instinctu diuino seruata noscuntur. Si enim admiserimus ea, quæ anteà constituta sunt in retractionem vocari, nihil in diuinis humanísque actibus, nihil in sacris publicísque rebus obtinere vllam poterit firmitatem, dum post annorum spatia, tanquam in emendationem Patrum velut instructior nostra videatur mutare posteritas. Sed potiùs exoremus, vt manentibus his, quæ cum omni affectu à prioribus nostris custodita sunt, vel ex consuetudine descendunt, pius Dominus quæ pacis sunt votis nostris & precibus concedere iubeat sanctorum Canonum statuta seruantes. Et quia constitutum est, vt ab hac sancta Carthaginensi Sede, diuersis prouinciis Africanis petentibus, Paschæ dies intimetur, intimamus Resurrectionis Dominicæ Sacramentum* VII. *Iduum Aprilium adfuturum fore, quam festiuitatem vt cum quiete demùs Dei celebrare mereamur, assiduis precibus fraternitas tota & omnis anima Christiana de Domini clementia expetere non prætermittat. Opto te, Frater, in Domino benè valere, & mei memorem esse. Data die* XVII. *Cal. Ianuarias, anno primo*, id est, vt ad præcedentes literas iam obseruauimus, anno primo Bonifacij Primatis Carthaginiensis, isque annus cum anno Christi quingentesimo vicesimo-tertio coincidit, XXI.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

proximus enim, quo Pascha septimo Kalendas Aptiles ex eiusdem Bonifacij præceptione suprà notata celebratum est, haud alius fuit ab anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto, quem constat bisextilem fuisse præditúmque literis Dominicalibus G & F.

XXII. Quarto loco tecitatæ sunt Bonifacij Primatis Carthaginiensis responsiones ad mandata, quæ post Epistolæ à Concilio Iucensi missæ recitationem verbo dicta fuerant à Ponticano & Restituto Episcopis quos idem Concilium ad Bonifacium direxerat, vt ex literis cùm Iucensis Concilij, tum Bonifacij, suprà descriptis liquet. *Post recitationem epistolæ*, quam Ponticanus & Restitutus à Iucensi Concilio delegati, Bonifacio Primati Carthaginiensi detulerunt, *memorati Episcopi*, vt habent Acta Sessionis de qua nunc inquirimus, *verbo quæ mandata sunt dixerunt, id est, de Sasifense plebe, Vmbrianense, & Villaminorense; & vt Vincentius Episcopus Giruitanus prouinciæ Tripolitanæ plebes, quas Tamallumensibus inuasisse videtur, admoneatur vt restituat; & vt in proœmio epistolarum aliquid honorificentiæ addatur; & de Monasterio Petri Abbatis.* Ad hæc autem omnia sic rescriptum est à Bonifacio Primate Carthaginiensi. *Ad ea, quæ Sanctum Concilium Byzacenæ prouinciæ per fratres nostros verbo mandauit, decuit respondere, id est, de Sasifense plebe, Vmbrianense, & Villaminorense, quia sunt documenta quid in tempore fuerit gestum, atque reseruatis his quæ Canonum indicia continent, tempore quo oportet necesse est ostendantur. De locis autem, de quibus frater noster Vincentius Giruitanus prouinciæ Tripolitanæ impetitur, dum ad petitum eorum, qui aduersùs eum agunt, nobis à memorato Concilio fuerit scriptum, necesse est vt illa ordinentur, quæ Patrum nostrorum constitutio terminauit. De proœmio autem mutando, illa nos posse facere profitemur, quæ à vobis directis literis intimata sunt. De Monasterio autem Petri Abbatis iustè nos fecisse, vt à nobis ordinatio fieret, ipsa res quæ prolata est in medium præsentibus Sanctis Fratribus nostris diuersarum prouinciarum ostendit, vt etiam fratres nostri qui directi sunt audierunt, & proprio ore sensum fratrum nostrorum instruere possunt.* In exponendis tot negotiis haud immotamur, solum enim postremum, quod est de Monasterio Petri Abbatis, pertinet ad nostram inquisitionem.

XXIII. Quinto loco recitatus est alter Petri Abbatis Monachorúmque supplex hic libellus. *Rogamus, Beatissime & Apostolicâ dignitate prædite, Christi venerande Pontifex Bonifati Episcope, vt suggestionem nostram intentè aduertere iubeas. Perlatum ad nos, quòd Sanctus Liberatus Episcopus primæ Sedis prouinciæ Byzacenæ Beatitudini vestræ de nomine nostro querelam mouisse videatur. Et satis mirati sumus eius Sanctitatis prudentiam de nobis, qui contemptis facultatibus nostris, vt à conditione liberi efficeremur, Deo nostro seruire decreuimus, mentionem facere iuberet, dicerétque quòd conditione Byzacenæ prouinciæ teneamur obstricti, cùm constet nos de diuersis locis Africanis vel de transmarinis, ad hunc nostrum locum, in quo esse videmur, congregatos fuisse, & nunquam alicui obnoxios fecisse. Et cùm in libertate vocati sumus, sicut Apostolus dicit, cur de nobis, qui ad Deum fletibus & orationibus exclamamus, causatio fuerit facta, ignoramus. Monasterium enim, in quo, Domino protegente, esse videmur, sumptu parentum nostrorum vel aliorum religiosorum fundatum esse firmamus, à Sancto Reparato Episcopo Puppianensi prouinciæ Proconsularis dedicatum esse non silemus. Et quousque proprium Episcopum, concedente Domino, hæc Sancta Ecclesia Carthaginensis haberet, sustinuimus, à quo non solùm nos, verùm etiam & omnes in Africa constituti, fomenta quotidie accipimus, ad quam saluâ libertate arbitrij nostri, quam semper, Deo protegente, habemus defendendam, confugium fecimus, desiderium nostrum propriis subscriptionibus roborauimus. Ideóque humiles supplicamus, vt inanes querelas Beatitudo vestra repellere dignetur, & currente iustitiâ, in qua semper deget vestra Beatitudo, à iugo nos Clericorum, quod neque nobis, neque Patribus nostris quisquam superponere aliquando tentauit, eruere digneris. Nam docemus, Monasterium de Præcisu, quod in medio plebium Leptiminensis Ecclesiæ ponitur, prætermisso eodem Episcopo vicino, Vico-Ateriensis Ecclesiæ Episcopi consolationem habere,*

bere, qui in longinquo positus est. Et Baccense Monasterium, quod Maximianensi AN. CH.
Ecclesiæ vicinum est, ad consolationem Primatis Byzacenæ prouinciæ se conferre. 642.
Nam & de Adrumetino Monasterio nullo modo silere possumus, qui prætermisso SIGIB.
eiusdem ciuitatis Episcopo, de transmarinis partibus sibi semper Presbyteros ordina- III. R. 10.
uerunt, Valentinum, Epiphanium, Victorianum & Paulum. Et cùm sibi diuersa CLOD.
Monasteria, vt ostenderent libertatem suam, vnicuique, prout visum est, à diuer- II. R. 5.
sis Episcopis consolationem quæsierint, quomodo nobis denegari poterit, qui de hac Sede Sanctæ Carthaginensis Ecclesiæ, quæ Primatum totius Africanæ Ecclesiæ habere videtur, auxilium quæsiuimus? Ob hoc obsecramus, iterúmque supplices poscimus, vt desiderium nostrum nullius suggestione perturbari permittatur, vt possimus auxilio huius Sanctæ Ecclesiæ muniti, in Congregatione, quâ sumus, cum quiete manere. Extant enim venerabilium Sanctorum Patrum dicta, libertatem Monasteriorum defendentium, quæ si vestra iusserit recensere Beatitudo, præ manibus habentur. Ex quorum lectione cognoscant hi, qui de nomine nostro apud Beatitudinem vestram talem videntur facere inuidiam, quæ Congregationibus Monachorum fuerint à Domino concessa. Acturi Domino & vestræ Sanctitati maximas gratias. Ego Petrus Abbas hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Fortunatus Presbyter hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Octauianus Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Felix Diaconus hunc libellum nostrum subscripsi. Ego Renatus hunc libellum nostrum subscripsi, &c.

XXIV. Ex hoc libello patet Liberatum Episcopum, de quo Petrus Abbas conqueritur, prouinciæ Byzacenæ Primatem fuisse, seu primæ Sedis Episcopum. Illius Primatum duæ res aliæ confirmant. Vna petitur à Senis titulo, qui primæ Sedis Episcopo seu Primati conuenit, ipsique Liberato in apicibus literarum à Bonifacio Primate Carthaginiensi sic tribuitur. *Dilectissimis & desiderabilibus Fratribus & Consacerdotibus, Seni Liberato, & ceteris, qui in Concilio Iucensi adfuistis, Bonifatius.* Altera sumitur ex ipsius Liberati literis, indicant enim illum Concilio suæ prouinciæ præfuisse, nec ad quemquam præterquàm ad Primatem pertinebat ea prærogatiua. Concilium, quod Liberatus cum Prouincialibus celebrauit, Iucense nuncupatur in Spicilegio Dacheriano, Iuncense in noris Holstenij quas Baluzius laudat, promiscuè Iucense & Iuncense in Baluzij literis ad Dacherium iam citatis. Episcopus igitur Iucensis Ecclesiæ fuit Liberatus, nam Synodi prouinciales in primis Sedibus siue in Ecclesiis Primatum haberi consueuerant. Ceterùm vbi legis de Monasterio Adrumetino, quòd Abbates, penes quos illius Cœnobij cura fuit, *de transmarinis partibus sibi semper Presbyteros ordinauerunt*, vocem hanc *(ordinauerunt)* benignè sic interpretare, vt Abbates Adrumetini non ordinauerint Presbyteros, sed ordinandos curauerint. Eodem ferè modo ad annũm Christi quingentesimum duodequinquagesimum [a] explicuimus potestatem ordinandi Presbyterum, Diaconum & [a] Num. 54.
Subdiaconum, quæ sic Abbati conceditur in Regula [b] sancti Aureliani. *Si vo-* [b] Cap. 46.
luerit ordinari Presbyterum & vnum Diaconem vel Subdiaconem, quos ipse voluerit, ordinandi habeat potestatem. Id est, habeat potestatem eos ad Episcopum dirigendi à quo possint ordinari.

XXV. Sexto loco recitati sunt in Concilio Carthaginiensi duo textus sancti Augustini ex libro secundo de moribus Clericorum, id est, ex Sermone secundo de vita & moribus Clericorum Hipponensium, qui quinquagesimus occurrit inter Sermones de diuersis, Tomo decimo operum beati Augustini. Prior textus talis est. *Vobis dico, qui fortè nescitis, nam vestrûm plurimi sciunt, Presbyterum Leporium, quamuis seculi natalibus clarum, & apud suos honestissimo loco natum, tamen iam Deo seruientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi, non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat quod lectio ista persuadet. Hîc non fecit, sed nos scimus vbi fecit. Vnitas Christi & Ecclesiæ vna est. Vbicunque fecit bonum opus, pertinet ad nos vt sibi congaudeamus. Hortus est vnus vbi nostis, ibi Monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo seruiunt. Ille hortus ad Ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum. Et, ad quem, dixerit aliquis? Ad illud quod ibi est Mo-*

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

nasterium. Sed verum est, quòd vsque ad hoc tempus curam pro illis ita gerebat, vt sumpticulos, quibus sustentatur, apud se haberet, & eis ipse, vt videbatur, impenderet. Sed ne propter hoc daretur locus hominibus, suspiciones suas rodentibus & ventrem non implentibus, hoc placuit & mihi & ipsi, vt sic se illi transigant, quasi iste iam de seculo exierit. Nunquid enim cùm obierit ipse, illis dispensaturus est aliquid? Melius est vt videas illos ibi benè conuersantes, & regente Deo in disciplina Christi sic viuentes, vt de illis tantummodò gaudeas, non eorum necessitatibus occupetur. Posterior talis. *Locus etiam ipse, vbi Monasterium constitutum est à memorato filio meo honorabili Eleusino, ipsi Presbytero Barnabæ donatus est antequàm ordinaretur Presbyter, in ipsò loco Monasterium instituit. Sed tamen quia nomine ipsius donatus erat locus, mutauit instrumenta, vt nomine Monasterij possideatur.*

XXVI. PRIVILEGIVM BAVAGALIANENSE. Septimo loco recitatum est Priuilegium, quod Bonifacius prouinciæ Byzacenæ Primas Monialibus in Monasterio Bauagalianensi degentibus concessit. *Dilectissimis, atque in Christi gratia nominandis Filiabus meis, vniuersis Dei Ancillis Monasterij Bauagalianensis, Bonifatius primæ Sedis Episcopus, in Domino Salutem. Vestra Sanctimonia libellum recipiens dum intentè percurrerem, attentiùs auscultaui quid in se contineret. Quapropter reciprocum præmittens salutationis obsequium, insinuo, semper Seruorum Dei vel Ancillarum Monasteria liberum habere arbitrium à conditione omnium Clericorum, quorum priscorum Patrum sequentes ritum, etiam vestrum Monasterium hoc habere, & in vobis manere vsque in æuum. Vnde per hanc vos auctoritatem duximus commonendas, vt licentiam habeatis vnde volueritis spiritalem sumere cibum, liberam in omnibus facultatem habentes. Si quis autem contra hoc salubre venire voluerit Præceptum, rigorem illicò sentiat Ecclesiasticum. Ergo, vt superiùs connexuimus, hanc vobis attribuimus licentiam, vt quem velitis vobis corrogetis Presbyterum, qui vobis in Monasterio peragat sacrosancta, & illa quæ ad normam pertinent vnitatis celebranda vsque in perpetuum. Et si quis Presbyterorum ibidem in Monasterio diuina celebrauerit mysteria, ipsius Primatis, altario Domini, nomen recenseatur, vt iurgiorum semina in omnibus careant. Deus vos in timore suo conseruet, quod oramus. Data sub die Cal. Maij, anno* XXI. *Gloriosissimi Regis Trasamundi.* Bonifacius, auctor huius Priuilegij, Primatu prouinciæ Byzacenæ gauisus est immediatè ante Liberatum Iucensem Episcopum, vt ex supradictis liquet. Trasamundo in regnum Vandalorum successit Hildericus, de annis vtriusque disputabimus infrà, necesse est enim vt anni Regum Vandalorum cum annis Incarnationis Dominicæ à nobis componantur, quia Priuilegium Monasterij Bauagalianensis datum est anno vicesimo-primo Trasamundi Regis, & sessio secunda Concilij Carthaginiensis quam examinamus habita est anno Hilderici, Regis secundo.

XXVII. [a] Tom. 1. Conc. Gallic. Postremo loco recitata sunt varia scripta, quæ spectant ad causam Monasterij Lirinensis, consulique possunt apud Sirmondum [a] sub titulo Concilij Arelatensis Tertij, quod in causa Fausti Abbatis Lirinensis celebratum est anno Christi circiter quadringentesimo quinquagesimo-quinto. Sunt autem eadem prorsus in Codice Vaticano ex quo descripta sunt ab Holstenio, ac in Codice Lugdunensi ex quo publicata sunt à Sirmondo. Placet hic tantùm exscribere Decretum Arelatense, vt intelligas quid iuris Episcopo reseruatum sit in Abbatem ac Monachos Lirinenses. LIRINENSE. *Clerici & altaris ministri à nullo, nisi ab ipso* Episcopo, *vel cui ipse iniunxerit, ordinentur: chrisma nonnisi ab ipso speretur: neophyti si fuerint, ab ipso confirmentur: peregrini Clerici absque ipsius præcepto in communionem vel ad ministerium non admittantur. Monasterij verò omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quidquam vindicet, aut aliquem ex illa Clericum, nisi Abbate petente, præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, vt Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciant; laica verò omnis Monasterij Congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionémque per-*

AN. CH. 642.

tineat, Regulâ, quæ à Fundatore ipsius Monastery, Sancto videlicet Honorato, *dudum constituta est, in omnibus custoditâ.*

SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5. XXVIII.

Cetera, quæ pertinent ad secundam sessionem Concilij Carthaginiensis habiti sub Bonifacio Primate, desiderantur in Codice Vaticano hactenus laudato & opera Lucæ Holstenij transcripto, itaut ex illo Codice non possit erui, quid in causa Petri Abbatis & Liberati Primatis prouinciæ Byzacenæ iudicatum sit. At idem Holstenius, teste Baluzio, scripsit visum à se in Bibliotheca Vaticana Codicem alium Longobardicum vetustissimum, in quo legitur hoc Decretum Concilij sub sancto Bonifacio Episcopo apud Carthaginem celebrati. *Erunt igitur omnia omnino Monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm & Deo placentia.*

XXIX. CONCILIVM CARTHAGINIENSE SVB REPARATO PRIMATE.

Lucas Dacherius præter ea quæ superiùs enumerata sunt, accepit à Baluzio, Tomóque sexto sui Spicilegij publicauit excerptum ex Synodo Carthaginiensi habita sub Reparato Episcopo, quod ex prædicto Codice Vaticano Longobardico propriâ manu descripserat Holstenius. In illo fragmento Felix Episcopus Zactarensis mentionem facit compositionis in Concilio Carthaginiensi sub Bonifacio Carthaginiensi Primate priùs factæ inter Petrum Abbatem & Liberatum Primatem prouinciæ Byzacenæ, subiungitque multa, quæ spectant ad sedandas discordias inter Episcopos Abbatésque solitas oboriri. Textus talis est. *Felicianus Episcopus Ecclesiæ Ruspensis dixit. Apud Ruspen Monasterium est à Domno Fulgentio prædecessore meo constitutum. Peto Sanctitatem vestram, vt aliquid de Monasteriis ordinetur. Scire enim volo quid debeam custodire. Felix Episcopus Zactarensis Ecclesiæ prouinciæ Numidiæ dixit. De Monasterio Abbatis Petri, vbi nunc Fortunatus Abbas constitutus est, quæ temporibus sanctæ memoriæ Bonifatij in vniuersali Concilio nobis etiam præsentibus acta sunt, inconuulsa permaneant. Cetera verò Monasteria etiam ipsâ libertate plenissimâ perfruantur, seruatis liminibus * Conciliorum suorum in hæc duntaxat, vt quandoque voluerint sibi Clericos ordinare, vel Oratoria Monasteriis dedicare, Episcopus in cuius plebe vel ciuitate locus Monastery consistit, ipse huius muneris gratiam compleat, saluâ libertate Monachorum, nihil sibi in eis præter hanc ordinationem vindicans, neque Ecclesiasticis eos conditionibus aut angariis subdens. Oportet enim in nullo Monasteria quemlibet Episcopum cathedram collocare, aut qui fortè habuerint, habere, nec aliquando ordinationem quamuis leuissimam facere, nisi Clericorum, si voluerint habere. Esse enim debent Monachi in Abbatum suorum potestate. Et quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinandi sunt, iudicio Congregationis eligantur, nec officium sibi huius electionis vindicet aut præsumat Episcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, exorta fuerit, vt ista Abbatum aliorum consilio siue iudicio finiatur.* Ex hac Felicis Zactarensis Episcopi sententia coniectamus Decretum Carthaginiense, quod in causa Petri Abbatis & Liberati Primatis prouinciæ Byzacenæ latum est Bonifacio Carthaginiensi tunc Primate, parum absimile fuisse à Decreto Arelatensi, quod in causa Monasterij Lirinensis suprà recitauimus.

* F. limitibus.

XXX. QVANDO CELEBRATVM.

Concilium Carthaginiense sub Reparato Primate celebratum est eodem anno, quo Ioannes Secundus Papa vitam clausit, id est, anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, vt alia occasione Tomo primo [a] probauimus. De tempore, quo celebratum est Concilium Carthaginiense sub Episcopo Bonifacio, non adeò constans est Auctorum opinio, anni enim, quos Reges Vandalorum in Africa transegerunt, ab omnibus haud eodem modo computantur. Quid ea de re sentiamus, accipe.

[a] Ad an. 532. num 8.

XXXI. CARTHAGO QVANDO CAPTA A VANDALIS.

Theodosio XVII. *& Festo, Coss.* si Fastis Prosperianis credimus, id est, anno Christi quadringentesimo tricesimo-nono, *Ginsiricus* Rex Vandalorum, *de cuius amicitia nihil metuebatur*, XIV. *Kalendas Nouembris Carthaginem dolo pacis inuadit.* Marcellinus in suo Chronico diem habet X. ante Kalendas Nouembris, de anno cum Prospero sic conuenit. *Indictione* VII. *Theodosio* XVII. *& Festo, Coss. Gensericus Rex Wandalorum Africa ciuitates Carthaginémque Me-*

AN. CH. 642. SIGIB III. R 10. CLOD. II. R. 5.

tropolim cum suis satellitibus occupauit x. *Cal. Nouembris.* Mendi suspicio est apud Marcellinum in dici nota, Idatius enim in suo Chronico & Auctor fragmenti Augustani, quod ab Henrico Canisio [a] publicatum est, cum Prospero consentiunt.

XXXII. Petrus Franciscus Chiffletius in notis ad vitam sancti Fulgentij editam à Ferrando Diacono & initio elucidationum in Victorem Vitensem Episcopum, quantùm attinet ad annum quo Vandali Carthaginem occuparunt, Idatium & Auctorem fragmenti Augustani cum Prospero & Marcellino conciliare frustrà conatur, Idatius enim Carthaginem captam affirmat anno post Honorij Augusti mortem XV. id est, anno Christi quadringentesimo duodequadragesimo, nam discessit è viuis Honorius Imperator anno Christi quadringentesimo vicesimo-tertio, seu Mariniano & Asclepiodoto Consulibus, vt Socrates in Historia Ecclesiastica [b], Prosper, Idatius, Cassiodorus & Marcellinus in suis Fastis asserunt. Et Auctor fragmenti Augustani Geisericum Carthagine potitum refert *post Consulatum Theodosij* XVII. *& Festi*, id est, anno Christi quadringentesimo quadrâgesimo, annus enim Christi quadringentesimus tricesimus-nonus Theodosio Augusto decimùm septimùm & Festo Consulibus in Fastis notatur. Vult autem Chiffletius hanc formam enuntiandi Consulatûs, *post Consulatum Theodosij* XVII. *& Festi*, eandem esse cum illa *Theodosio* XVII. *& Festo, Coss.* quâ Prosper & Marcellinus vsi sunt, itaut *post Consulatum* idem sonet ac *post initum Consulatum*, & particula *post* pro *sub* vsurpetur. Citat Andream Schottum, qui textum hunc Isidori [c] de Eugipiu Abbate, *claruit post Consulatum Mauortij Iunioris, Imperatore Anastasio regnante*, interpretatur, *sub Consulatum Mauortij Iunioris*. Allegat & Victorem Tununensem, in cuius Chronico post enuntiatos Consulatus Belisarij & Basilij, quorum alter apud Marium cum Indictione decima-tertia siue cum anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, alter cum Indictione quarta siue cum anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo coincidit, hæc immediatè subduntur, *post Consulatum Belisarij anno secundo*, &, *post Consulatum Basilij anno secundo*. Atque ex illa forma sequi contendit, vt anno proximè præcedenti primi ipsi horum Consulatus edici potuerint, *P. C. Belisarij* vel *Basilij* absolutè, aut certè, *P. C. Belisarij*, vel *Basilij anno primo*.

XXXIII. FORMVLA, *post Consulatum* CVR INSTITVTA.

Non inficiamur annum secundum post Consulatum Belisarij vel Basilij apud Victorem Tununensem dici, qui vocatur apud Marium, & apud Marcellini Continuatorem primus annus post Consulatum Belisarij vel Basilij. Id Tomo primo iam obseruauimus ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-secundum [d], cùm de rebus anno secundo post Consulatum Basilij iuxta Victoris Tununensis calculum gestis ageremus. Euanescet autem omnis hæc Victoris Tununensis ab aliis Auctoribus discrepantia, si quemadmodum qui primum locum post Regem obtinet, is apud Hirtium [e] *secundus à Rege* & apud Ciceronem [f] *secundus ad Regium principatum* dicitur, ita qui primus annus post Belisarij vel Basilij Consulatum à Mario & à Continuatore Marcellini numeratur, is credatur habitus à Victore Tununensi secundus annus post Belisarij vel Basilij Consulatum modo scribendi prorsus Hirtiano atque Ciceroniano. Sed hæc explicatio, quæ concordiam inter Victorem Tununensem, Marium Lausannensem & Continuatorem Marcellini parit, Auctorem fragmenti Augustani non potest in gratiam cum Fastis Prosperi & Marcellini reuocare. Quis enim vnquam sibi persuadeat eundem Consulatum hac enuntiari formulâ, *Theodosio* XVII. *& Festo, Coss.* & istâ, *post Consulatum Theodosij* XVII. *& Festi*? Quis *post Consulatum* interpretatus est aliquando *post initum Consulatum*, & *post Consulatum* exposuit *sub Consulatum*, aut *sub Consulatum* idem esse censuit ac *sub Consulatu*? Valdè differunt *sub Consulatum Theodosij* & *sub Consulatu Theodosij*. In priore forma *sub* ponitur pro circiter, & hæc phrasis, *sub Consulatum Theodosij*, non designat determinatè Consulatum Theodosij. Illum verò Consulatum apertè significant hæ voces

[a] Tom. 1. antiq. lect.
[b] Lib. 7. c. 25.
[c] De Scriptor. Eccles. c. 13.
[d] Num. 30.
[e] Lib. 4. de bell. Alexandr.
[f] Lib 5. de fin.

AN. CH. 642.
SIGIB. III. R.10.
CLOD. II. R.5.

sub Consulatu Theodosij, nec ad alium Consulatum detorqueri possunt. Missis hisce tricis Grammaticalibus dicamus cum Onuphrio Panuinio [a] formulam *post Consulatum* hac ex causa institutam esse vt annus sine Consulibus per præcedentis anni Consules designaretur. Dicamus & cum Cæsare Baronio [b] vsitatam inueniri, vt cùm quid *post Consulatum* factum legitur, intelligi debeat contigisse illud anno sequenti à superioris anni Consulibus.

XXXIV.

Tres occurrunt rationes, propter quas Consules in Fastis non rarò desiderantur, necessarióque recurritur ad formulam, *post Consulatum*, ne Consulatuum quibus tempora numerari solent, error ob vacuos laterculos irrepat. Primò, deletâ tyranni cuiusdam memoriâ, Consulatus eiusdem pariter expuncti sunt ex Fastis. Exemplum habes de Maxentio. Hic Consulatum cum Romulo filio gessit anno Christi trecentesimo-nono, deinde solus anno Christi trecentesimo decimo. In Fastis autem anni sic notantur. Annus Christi trecentesimus octauus, *Diocletiano* x. *&* *Maximiano* VII. Annus Christi trecentesimus nonus, *post Consulatum* x. *&* VII. Annus Christi trecentesimus decimus, *item anno* II. *post Consulatum* x. *&* VII. Secundò, formula *post Consulatum* vsurpatur in Fastis ad annos, quibus reuerà non creati sunt Consules ordinarij, vt ad annos Christi quingentesimum tricesimum-sextum & quingentesimum tricesimum-septimum; item ad annos Christi quingentesimum quadragesimum-secundum subsequentésque quatuor ac viginti. Nam quia Belisarius anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto Consul extitit, duo proximè sequentes anni, qui Consulibus caruerunt, notantur *post Consulatum Belisarij*. Similiter quia Basilius anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo Consul fuit, sequentes anni, qui Consulibus caruerunt, notantur *post Consulatum Basilij*. Tertiò, licèt certi sint alicuius anni Consules, tamen in Actis publicis aliquando formula *post Consulatum* reperitur honoris causâ, quia superioris anni Consules illustriores fuerunt. Anno Christi quadringentesimo tricesimo Consulatum adierunt ambo Augusti, Theodosius decimum-tertium, Valentinianus tertium. Annus Christi quadringentesimus tricesimus-primus Consules habuit Bassum & Antiochum. Synodus Ephesina congregata est Basso & Antiocho Consulibus, vt Prosper in suis Fastis testatur. Eius tamen Acta, quamuis Bassus & Antiochus è Fastis haud expuncti sint, post Consulatum Theodosij & Valentiniani sæpè adnotantur. Actio prima sic. *Post Consulatum Dominorum nostrorum, Flauij quidem Theodosij* XIII. *Valentiniani verò* III. *semper Augustorum*, x. *Kal. Iulij, Synodo congregatâ in Ephesiorum Metropoli*, &c. Actio secunda. *Post Consulatum Dominorum nostrorum semper Augustorum, Flauij quidem Theodosij* XIII. *Valentiniani verò* III. *sexto Idus Iulij*, &c. Actio tertia. *Post Consulatum Dominorum nostrorum semper Augustorum, Flauij Theodosij* XIII. *& Valentiniani* III. *quinto Idus Iulias*, &c. Actio quarta. *Post Consulatum Dominorum nostrorum semper Augustorum, Flauij Theodosij* XIII. *& Flauij Valentiniani tertium*, XVII. *Kalend. Augusti*, &c. Actio quinta. *Post Consulatum Dominorum nostrorum semper Augustorum, Flauij Theodosij* XIII. *& Flauij Valentiniani* III. *decimo-sexto Kalendas Augusti*, &c. Actio sexta. *Post Consulatum Dominorum nostrorum, Flauij Theodosij* XIII. *& Flauij Valentiniani* III. *semper Augustorum*, XI. *Kal. Augusti*, &c.

Causis, ob quas formula, *post Consulatum*, introducta est, sic explicatis, XXXV.
facilè credimus eâ vsum Auctorem fragmenti Augustani, quia scripsit Occidentis Imperio penitus extincto, censuitque annum, quo Geisericus Vandalorum Rex Carthaginem cepit, multò illustriori notâ consignatum iri, si notaretur *post Consulatum Theodosij* XVII. *& Festi*, quàm si notaretur *Valentiniano quintùm & Anatolio Coss.* Spernebat enim memoriam ac nomen Valentiniani, quoniam Imperium Occidentale, cui præfuerat, à longo tempore defecerat in Augustulo, habebat autem in magna veneratione Theodosium, quoniam Imperium Orientale, quod administrarat, stabat adhuc florebátque.

[a] In Fast. ad an. V.C. 1061.
[b] Ad an. 31. n.1.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5. XXXVI. Triplex est igitur sententia super anno, quo Carthago capta fuit à Vandalis. Idatius ait id contigisse anno post Honorij Augusti mortem decimo-quinto, id est, anno Christi quadringentesimo tricesimo-octauo; Prosper & Marcellinus Theodosio XVII. & Festo Consulibus, id est, anno Christi quadringentesimo tricesimo-nono; Auctor fragmenti Augustani post Consulatum Theodosij XVII. & Festi, id est, anno Christi quadringentesimo quadragesimo. Stamus à partibus Prosperi & Marcellini, quorum opinionem ceteris anteponendam multa persuadebunt inferiùs.

XXXVII. REGES VANDALORVM, GEISERICVS, Victor librum primum de persecutione Africana sic absoluit. *Persecutionis nostræ à Geiserico quantò sublimiter, tantò crudeliter gestæ, iste sit finis. Durauit autem in regno annis* XXXVII. *& mensibus tribus.* Auctor fragmenti Augustani sex addit dies. *Post Consulatum*, inquit, *Theodosij* XVII. *& Festi, Geisericus Wandalorum Rex Carthaginem ingressus est die* XIV. *Kalendarum Nouembrium. Qui regnauit eandem Africam ciuitatem annis* XXXVII. *mensibus* III. *diebus* VI. Extinctus est igitur Ginsiricus seu Geisericus, siue vt à Procopio vocatur Γιζέριχος, octauo Kalendas Februarias, anno Christi quadringentesimo septuagesimo-septimo. Nec audiendus est Procopius, qui Gizerico post captam Carthaginem tribuit annos Regni triginta-nouem [a], ἔτη ἐννέα καὶ τριάκοντα.

[a] De bell Vandal. lib. 1 c. 7.

XXXVIII. HVNERICVS, *Mortuo Geiserico, Hunericus maior filius patri succedit.* Hæc initio libri 2. scribit Victor de Geiserici successore, qui Procopio est Ὁνώριχος, Hunnericus Isidoro, Hunerix Auctori fragmenti Augustani. De tempore, quo Hunericus regnauit, sic Victor libro quinto. *Tenuit sceleratissimus Hunericus dominationem regni annis septem, mensibus decem.* Auctor Augustanus dies addit octodecim, sic enim scribit. *Post hunc*, nempe Geisericum, *regnauit Hunerix, filius eius, annis* VII. *mensibus* X. *diebus* XIIX. Obiit igitur Hunericus Idibus Decembris, anno Christi quadringentesimo octogesimo-quarto, nec apud Procopium [b] rectè fertur Vandalis dominatus annos octo, ἔτη τε ὀκτὼ Βανδίλων ἄρξας.

[b] De bell. Vandal lib. 1. c 8.

XXXIX. GVNDAMVNDVS. Hunerico siue Honorico patruo successit Gundamundus Genzonis filius, de quo sic Procopius libro primo [c] de bello Vandalico. Τελευτήσαντος δὲ Ὀνωρίχου, ἡ τῶν Βανδίλων κράτος ἐς Γουνδαμούνδον ἦλθε τὸν Γένζωνος τοῦ Γιζερίχου. *Procecto*, inquit idem Procopius, *ad medium anno Regni duodecimo, implicitus morbo, è vita discessit.* Ἐτελεύτησε νοσήσας ἤδη που μεσοῦντος τοῦ δωδεκάτου τῆς ἀρχῆς ἔτους. Apud Isidorum in Historia seu Chronico Wandalorum regnat *annis* XII. Distinctiùs apud Auctorem editum à Canisio dominatur *annos* XI. *menses* IX. *dies* XI. Vitam igitur clausit octauo Kalendas Octobris, anno Christi quadringentesimo nonagesimo-sexto. Pacem restituit Ecclesiæ, *decimo anno Regni sui*, vt idem Auctor fragmenti Augustani testatur, *Ecclesias Catholicorum aperuit, & omnes Dei Sacerdotes petente Eugenio Carthaginensi Episcopo de exilio reuocauit.* Vtrùm hæ clausæ fuerint annos vndecim, menses sex, dies quinque, an decem duntaxat annos, menses sex, dies quinque, in dubio relinquit idem Scriptor, vt est editus, incidit enim Canisius in Codicem deprauatum, qui sibi non constat, & vtrosque Characteres in eadem periodo sic exhibet. *Ecclesiæ fuerunt clausæ annos* XI. *menses* VI. *dies* V. *hoc est, ab octauo anno Hunerici, id est, ex die* VII. *Idus Februarij vsque in decimum annum Regis Guntamundi in diem* IV. *Idus Augusti, in quo completi sunt supradicti anni* X. *menses* VI. *dies* V. Canisius ad marginem harum vocum, *anni* X. reposuit istas, *anni* XI. Ex duobus textibus, quorum alter egebat emendatione, perperam selegit quem corrigeret, abstinuit enim à loco corrupto alterúmque corrupit. Mendum irrepsit non in annos X. qui retinendi sunt, sed in annos XI. quorum loco restituendi sunt anni X. *Ecclesiæ fuerunt clausæ annos* X. *menses* VI. *dies* V. *ab octauo anno Hunerici, id est, ex die* VII. *Idus Februarij*, anni videlicet post Christum natum quadringentesimi octogesimi-quinti, *vsque in decimum annum Regis Gun-*

[c] Cap. 8.

tamundi, in diem IV. *Idus Augusti*, aut potiùs *in diem* III. *Idus Augusti*, anni AN. CH.
scilicet à Christo nato quadringentesimi nonagesimi-quarti. Nostram senten- 642.
tiam confirmat idem Auctor, subdit enim Guntamundum seu Gundamundum SIGIB.
Regem, cuius obitum anno Christi quadringentesimo nonagesimo-sexto, III. R. 10.
mense Septembri consignamus, *postmodùm vixisse annos* II. *mensem* I. CLOD.

Mortuo Guntamundo, habenas rerum capessiit Trasamundus ipsius frater, II. R. 5.
ἀδελφός τε αὐτῷ Τρασαμοῦνδος παρέλαβε τὴν βασιλείαν. Et postquàm XL.
Vandalis annos viginti-septem imperauit, diem supremum obiit, ἐπιλαβὼν δὲ
χρόνῳ ὕστερον, ἑπτά τε καὶ εἴκοσι ἔτη Βανδίλων ἄρξας. Hæc Procopius [a]. [a] De bell Vandal. l. 1. c. 8.
Apud Canisium regnat Trasamundus *annos* XXVI. *menses* VIII. *dies* IV. &
à XIV. *anno Imperij & morte Valentis vsque in annum* XXVII. *Trasamundi,*
anni sunt CXVIII. Interiit Valens Imperator, cùm sextum Consulatum age-
ret, vt Socrates [b], Idatius & Prosper affirmant, id est, anno Christi trecente- [b] Lib. 4. c. 32.
simo septuagesimo-octauo. A nece Valentis vsque ad annum, quo Trasamun-
dus regnare cœpit, effluxerunt anni centum & octodecim, Trasamundus enim
Regnum post Guntamundum fratrem suscepit anno Christi quadringentesimo
nonagesimo-sexto, perperam igitur ab Auctore suprà descripto numerantur
anni centum & octodecim à morte Valentis vsque ad obitum Trasamundi siue
vsque ad annum illius Regis vicesimum-septimum, qui fuit vltimus vitæ, con-
uenítque cum anno Christi quingentesimo vicesimo-tertio, spatium illud an-
norum centum & octodecim non vsque ad mortem Trasamundi sed ad initium
duntaxat Principatûs prorogari debet. Trasamundus Guntamundo fratri suc-
cessit octauo Kalendas Octobris, anno Christi quadringentesimo nonagesimo-
sexto, *regnauit annos* XXVI. *menses* VIII. *dies* IV. & è viuis discessit quarto
Kal. Iunias, anno Christi quingentesimo vicesimo-tertio. Liquet autem ex hoc
calculo Priuilegium, quod Bonifacius Primas prouinciæ Byzacenæ Monialibus
Cœnobij Bauagalianensis *sub die Cal. Maij, anno* XXI. *gloriosissimi Regis Tra-*
samundi concessit, datum fuisse anno Christi quingentesimo decimo-septimo.
Bonifacius ille, qui prouinciæ Byzacenæ Primatum obtinuit, Episcopus fuit
Gratianensis vt constat ex supplici libello Petri Abbatis iam recitato, nomina-
túrque à Victore [c] Vitensi inter Episcopos qui Catholicæ fidei libellum Hu- [c] Lib. 3. in fine.
nerico Vandalorum Regi constanter obtulerunt.

Trasamundo subrogatus est frater eius patruelis, Ildericus Honorici siue XLI.
Hunerici filius, de quo sic Procopius [d]. Ιλδέριχος δὲ Ονωρίχου τοῦ Γιζερίχου [d] De bell Vandal. l. 1. c. 9.
παῖς τὴν βασιλείαν παρέλαβεν. *Hildrix* vocatur in fragmento Augustano; *in* TRASA-
exordio regni sui, vt Auctor eiusdem fragmenti scribit, *Bonifacium Episcopum* MVNDVS.
apud Carthaginem in Ecclesia Sancti Agilei ordinari præcepit, & omnibus Catholi- HILDERI-
cis libertatem restituit. Id autem optimè conuenit cum epistolis suprà rela- CVS COÆ-
tis, quas Liberatus Primas prouinciæ Byzacenæ & Bonifacius Primas Cartha- TANEVS
giniensis mutuò sibi scripserunt. Literas à Liberato Bonifacius accepit *Idib.* BONIFACIO
Decemb. anno primo, sui videlicet Episcopatûs, id est, anno Christi quingen- PRIMATI.
tesimo vicesimo-tertio. Rescripsit eidem Liberato *die* XVII. *Cal. Ianuarias,*
anno primo, sui quoque Episcopatus, id est, eodem anno Christi quingentesi-
mo vicesimo-tertio, & quia constitutum erat, vt à sancta Carthaginiensi Sede,
diuersis prouinciis Africanis petentibus, Paschæ dies intimaretur, iisdem ad
Liberatum literis intimauit *Resurrectionis Dominicæ sacramentum* VIII. *Iduum*
Aprilium adfuturum fore, proximo videlicet anno, qui fuit ab Incarnatione Do-
minica quingentesimus vicesimus-quartus. Atque ex hac Paschali Solemni-
tate, quæ septimo Idus Aprilis celebrata est anno Christi quingentesimo vice-
simo-quarto, cùm Hildericus in Principatu Vandalorum, Bonifacius in Epi-
scopatu Carthaginiensi, primum adhuc annum agebant, certissimum fit cla-
dem captæ Carthaginis, à qua Vandali cœperunt annos Geiserici subsequen-
tiúmque Regum numerare, post annum quadringentesimum tricesimum-no-
num haud reiiciendam esse.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5. XLII. Iam nullus dubio locus relinquitur, quin Sessio secunda Concilij Carthaginiensis sub Bonifacio Episcopo, quam Acta ipsius Synodi *anno secundo Gloriosissimi Regis Hilderici, die nonâ Idus Februarias*, habitam testantur, inciderit in annum Christi quingentesimum vicesimum-quintum. Quamuis autem genuina censeamus esse, quæ descripta sunt ab Holstenio & à Dacherio publicata Synodi Carthaginiensis Acta, multúmque operæ ac studij hactenus ad hanc nostram opinionem stabiliendam insumpserimus, non tamen probamus ea, quæ de Priuilegio Fossatensi leguntur in vita sancti Baboleni, Characteres enim Chronologici, quibus Auctor illius vitæ prædictum Priuilegium munire voluit, Historicæ veritati penitus refragantur, vt omittam titulum Archiepiscopi, qui Metropolitanis tribuitur Aunoberto Senonensi, Gauderico Lugdunensi, Præstelendo seu Wlfolendo Bituricensi & Donato Vesontionensi.

XLIII. PRIVILEGIVM MON. FOSSATENSIS ITERVM REFELLITVR. Priuilegium pro Monasterio Fossatensi datum asseritur *Chlodoueo regnante, anno quinto, Indictione quoque quintâ*. Sed Indictio quinta cum anno Clodouei Regis quinto non congruit. Anonymus, cuius Scripta examinamus, vult Clodoueum Dagoberto patri successisse *anno Incarnati Verbi sexcentesimo quadragesimo tertio, Indictione primâ*, néue recedat ab eo computo, annum Clodouei Regis quintum illigat Indictioni quintæ, quæ cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-septimo coincidit. Breulius annum primum Clodouei non comparat cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio, sed cum anno Christi sexcentesimo qudragesimo-quinto; posteà cùm agit de Priuilegio, quod ab Audoberto Episcopo Fossatensibus Monachis anno quinto Clodouei Regis Indictione quintâ datum fertur, in margine notat annum Christi sexcentesimum quinquagesimum; quamuis nec Indictio prima conueniat anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto, nec Indictio quinta illigetur anno Christi sexcentesimo quinquagesimo; Indictio enim tertia in annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quintum, & Indictio octaua in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum cadit. Ex nostro calculo, qui synchronis Authoribus innititur, annus primus Clodouei Regis cum anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo & Indictione XI. annus quintus Clodouei Regis cùm anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo & Indictione decimâ quintâ comparatur. Quæcumque autem Indictio, siue quinta secundùm Anonymum, siue octaua secundùm Breulium, siue decima-quinta secundùm nostram supputationem, anno quinto Clodouei Regis illigetur, non quadrat cum Priuilegio dato ab Episcopo Parisiensi, quia illâ ætate Franci annum, quo quid fiebat, per Indictionem non designabant. Hanc obseruationem ipsemet Breulius in sancti Baboleni vita duobus quæ protulit instrumentis confirmauit, in Regio enim Diplomate, quod Clodoueus primo anno regni pro construendo apud Fossatum Monasterio emisit, & in literis quas Blidegisillus Diaconus anno Clodouei Regis tertio pro eodem Fossatensi Cœnobio conscripsit, nulla Indictionis nota exhibetur.

XLIV. Pro commentitiis igitur reputari debent ea quæ de Fossatensi Priuilegio in vita sancti Baboleni recitantur. Ita iam censuit Ioannes Launoius in assertione [a] Inquisitionis in chartam Immunitatis, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano Monasterio dedisse fertur, vbi & addidit duorum Episcoporum, Annoberti videlicet Senonensis, & Prestelendi Bituricensis, subscriptiones valdè suspectas sibi videri, quia illi Episcopi in nomenclatura Gallicanorum Antistitum desiderantur. At si nullum falsitatis argumentum aliunde suppeditaretur, hac in parte mitiores nos præstaremus, Wlfolendum enim Bituricensem arbitramur in Prestelendum errore Librarij abiisse, & Annobertum Senonensibus Præsulibus accensemus ex Blidegisili Diaconi literis ante biennium descriptis.

[a] Part. 4. c. 10. sect. 1. & 2.

XLV. BABOLENVS DISTINGVI DEBET A BABONE ABB. S. VINCENTII PARIS. Quæ prædicto Priuilegio subiiciuntur in vita sancti Baboleni, non sunt fide digniora. *Accidit*, inquit Anonymus iam citatus, *vt Ecclesia sancti Vincentij*

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

centij Parisiensis Abbas nomine Sigefridus à Rege Francorum Clodoueo ad Hispanias destinaretur pro quibusdam responsionibus. Qui Cæsaraugusta retentus, & à Rege Hispania carcere clausus, ab imposita sibi Legatione diutiùs cessauit coactus. Quod Francorum Rex vt audiuit, beato viro Baboleno Abbatiam beati Vincentij commisit, quam per octo semis annos admodum satis strenuè gubernauit. Ad quam cùm die quadam iturus per Parisius transiret, & in porta ciuitatis cum quibusdam sibi familiaribus de religione colloquium haberet, contigit illic cæcum hominem aduenire, victúsque alimoniam ab eo quærere. Cuius vir Domini miseratus, respondit lachrymis profusus. Argentum nec aurum penes me habeo, sed accedere huc iubeo. Cúmque præsens staret, & aliquid se accepturum putaret, vir Domini solo prostratus orauit diutiùs. Et cùm oratum fuisset, positis digitis super oculos eius dixit. Christus Saluator noster, qui cæco nato lumen reddidit, & sedentibus in tenebris & vmbra mortis seipsum vitæ lumen præsentauit, ipse suâ ineffabili misericordiâ te illuminare dignetur, vt videns eius virtutes & opera, nobiscum magnificè collaudare possis. Et cùm à circumstantibus dictum esset, Amen, oculis eius dies illuxit. Respiciénsque quam nunquam viderat lucem, Dominum laudare cum aliis cœpit. Sanctus autem vir Domini iter quod arripuerat peragens, & ad locum quò tendebat veniens, ibique aliquantisper degens, pacatis ibi quorumdam scandalis, post aliquot dies regressus est Fossatis. Sed antequàm reuerti conaretur, diuulgato circumquaque miraculo, tandem rumor peruenit ad Regem. Quod ille audiens, & super rem gestam Dominum collaudans, per seipsum dignatus est accedere ad eum, atque pro tali facto ad eumdem S. Vincentij locum largitus est eâdem die fiscum regium nomine Valentonium.
Auctor Babolenum, quem priùs cum Bobuleno Abbate Bobiensi confudit, hoc loco eundem statuit cum Babone Abbate, qui Monasterium S. Vincentij prope Parisios post Sigofridum rexit. Amborum ætas multùm diuersa. Babolenus regnante Clodoueo Fossatensis Abbas hoc anno constitutus est. Babo eodem circiter tempore quo beatus Audoenus ad Deum migrauit, id est, anno Christi circiter sexcentesimo octogesimo-tertio, sub Theodorico Rege prædicti Clodouei filio natu minimo, Monasterium sancti Vincentij gubernandum post Abbatis Sigofridi mortem suscepit. Apud Aimoini Continuatorem caput quadragesimum-sextum libri quarti sic clauditur. *Sub his diebus beatus Audoenus Rothomagensis Episcopus, plenus dierum ac virtutibus præclarus, Clipiaco villâ Regali, in suburbana Parrhisiorum ciuitate, migrauit ad Dominum, & cum gloria in Basilica Sancti Petri Apostoli in Rothomagensi ciuitate sepultus est. Decedente quoque Sigofrido Abbate Cœnobij Sancti Germani Parrhisiensis Babo in regimine substituitur.* Quo loco Breulius expuncto Babone Babolenum restituit innixus textu Anonymi suprà recitato, sed ipsum Anonymum ab Aimoini Continuatore plurimùm dissidere satis docet appositis ad marginem Characteribus Chronologicis, quibus asserit Audoenum Episcopum obiisse anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo, & Babolenum Abbatem Fossatensem vitâ functum esse anno Christi sexcentesimo sexagesimo-sexto. Cùm Babolenus Fossatense Monasterium administrare cœpit, Sancti Vincentij Cœnobio, cui posteà beati Germani nomen impositum est, præerat Germanus, hic enim Abbas extitit ab anno decimo-quinto Dagoberti Regis ad vltima penè tempora Clodouei Secundi, vt ab Aimoini Interpolatore ac Continuatore scriptum accepimus capitibus libri quarti tricesimo-primo & quadragesimo-tertio. Germano successit Sigo seu Sigofridus exeunte Clodouei Principatu, tum Babo sub Rege Theodorico. Pertinent igitur ad hunc Babonem, & in tempora Theodorici Regis differri debent ea, quæ de cæco illuminato déque fisco regio Valentonio perperam Baboleno in eius vita tribuit Anonymus suprà descriptus.

XLVI. EPISCOPI SENONENSES.

Annobertus Senonensis Antistes, cuius mentio fit in vita sancti Baboleni, vocatur Aunobertus à Sammarthanis, ab aliis Honobertus. Super tempore, quo vixit, quæstio moueri potest, quia si vulgati Senonensium Pontificum catalogi consuluntur, Præsulatum gessit regnante iam Pippino. Neotericos in errorem traxit Monachus Altissiodorensis à Nicolao Camuzato editus, in

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOO. II. R. 5.

cuius Chronologia post beatum Lupum, cui superstes fuit Clotarius Rex huius nominis Secundus, vsque ad alterum Lupum, qui Pontificatum anno Christi septingentesimo sexagesimo-secundo adeptus dicitur, Episcopi Senonenses hoc commendantur ordine. *Sanctus Amatus, qui in Senonensi Ecclesia B. Lupo successerat, à Theoderico Rege instigante Ebroino graui diu tribulatur exilio. Senonensi Ecclesia post S. Amatum præfuit Mederius, post quem Hyldegarius, pòst Aunipertus, pòst Ermentarius, pòst Arnulphus, pòst Landebertus, cui succedit S. Emmo. Porrò S. Emmoni substitutus est vir Deo dignus Wlfrannus, qui per id tempus sub Carolo Principe effloruit mirabili sanctitate. Senonensem Ecclesiam post B. Wlfrannum rexit Gericus vir clarissimus, quem idem Wlfrannus in loco suo ordinans Fontanellam Monasterium petiit, ibique Monachus effectus Frisiam prædicauit, vir sanctitate & doctrinâ præfulgidus, multisque miraculis gloriosus. Gerico verò successit Sanctus Ebbo eiusdem Gerici nepos. Senonensi Ecclesiæ post Sanctum Ebbonem, sanctus Honobertus præfuit, vir omni honestate præcipuus, cui successit Hunulfus, & Hunulfo Othbertus, qui virum honorabilem nomine Lupum habuit successorem.*

XLVII. In hoc catalogo multa sunt corrigenda. Sanctus Amatus beato Lupo proximè non successit, sed eum præcesserunt Richerius, Hildegarius, Annobertus siue Honobertus, Honulphus, Armentarius & Emmo. Singulorum ætatem paucis hîc probamus. Richerium, quem Monachus Altissiodorensis omisit, commendat Flodoardus [a] in Concilio Remensi quod sub Sonnario celebratum est anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto. Subscripsit Hildegarius fundationi Monasterij Solemniacensis x. *Calend. Decembris anno* x. *regni Dagoberti*, siue anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo. Literas Blidegisili Diaconi Parisiensis *sub die Nonarum Maiarum, anno tertio, regnante Clodoueo gloriosissimo Rege*, id est, anno Christi sexcentesimo quadragesimo, suâ subscriptione cum Audoberto Episcopo Parisiensi & Marino Bellouacensi Episcopo firmauit Annobertus siue Aunobertus. Hoc non negant Sammarthani, quamuis Aunoberti Pontificatum post annum Christi septingentesimum quinquagesimum reiiciant. At ista simul stare non possunt. Nam si Præsulatum iniit Aunobertus post annum Christi septingentesimum quinquagesimum, non vixit coætaneus Audoberto Episcopo Parisiensi, qui Germoaldum Abbatem ad Synodum Cabilonensem anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto direxit regnante Clodoueo Dagoberti filio. *S. Aunobertus*, inquiunt Sammarthani in Archiepiscopis Senonensibus [b], *successoris sui filius, sedit post an.* 750. *Huius mentio habetur in vita D. Baboleni Abbatis Fossatensis, interfuitque cum Audoberto Parisiensi Præsule, solemni donationis Priuilegio Brictonici fisci à Rege concesso, quod seruatur in membranis Fossatensibus. Anno circiter Pontificatûs quinto naturæ debitum soluit, tumulatus ad S. Petrum, eiúsque festiuitas agitur* v. *die Ianuarij*. Non recordantur Pontificatum Audoberti priùs à semetipsis, cùm catalogum Parisiensium Episcoporum inirent, hoc modo [c] sub Clodoueo Secundo Rege collocatum fuisse. *Antequàm Babolenus ex hac vita decederet, Præsul Audobertus arctâ necessitudine totâ vitâ ei coniunctus, Monasterium Fossatense eximit à sua iurisdictione Episcopali anno quinto Clodouei II. vt tradit Scriptor vitæ eiusdem Abbatis; illius vice Germoaldus Abbas interest Concilio Cabilonensi.* Locus igitur Aunoberto restituendus est inter Præsules Senonenses post Hildegarium, cuius Pontificatus in annum Christi sexcentesimum tricesimum-primum incidit. Sedit Aunobertus annos circiter quinque. Successit Honulfus eius pater, cuius Præsulatus haud diuturnus fuit. Armentarius enim anno Christi DCXLIV. sub Clodoueo Rege Synodo Cabilonensi subscripsit. Sanctorum Aunoberti siue Honoberti & Honulfi memoriam Nonis Ianuarij sic recolit Auctor Martyrologij Gallicani. *Senonis, depositio Sanctorum Metropolis huius Episcoporum Honoberti ac Honulphi, qui memorabili serie Pontificatûs sedentes, pastoralis vigilantiæ officiis, ac sanctè actorum mirificâ gloriâ, meritisque opimis, hæreditatem Domini, quam colendam cælitus susceperant, fœcun-*

[a] Lib. 2. c. 5.

[b] Num. 34.

[c] Num. 27.

AN. CH. 642.

SIGIB. III. R. 10. C.LOO. II. R. 5.

dantes, alternâ vice & operâ locupletarunt. Horum alter Honobertus patrem Honulphum sic virtute prætergressus est, vt honore etiam Episcopatûs antecederet. Alter verò Honulphus fily sanctimoniâ suâ ætate præcipui sacra vestigia terens, dignus qui eidem subrogaretur tandem euasit, sícque propè eius pias ac præclaros actus imitatus est, vt quisque in patre qui nati locum obtinebat, filium rediuiuum suspiceret, atque impensiùs ob propriam virtutem & fily deuati memoriam eundem veneraretur. Eodem igitur Pontificio munere sic ambo successiuè perfuncti, eiusdem apud Deum mercedis in cælo consortes effecti, pari apud posteros honorificentiâ consecrata nomina reliquerunt. Vnde & hactenus vnâ eádémque celebritate quot annis in Ecclesia Senonensi ex auita consuetudine percoluntur. Sancto Honulpho subrogatus est Armentarius, qui Synodo Cabilonensi sub Clodoueo Rege interfuit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, & in viuis adhuc superstes erat anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo. Armentarij successor fuit Emmo, qui Synodum Senonensem anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-septimo celebrauit, & ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum octauum à Beda [a] laudatus inuenitur. Post Emmonem siue Eminonem sedit sanctus Amatus. Pontificatum enim, vt ex Auctore [b] vitæ probabimus, iniit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono, gessitque sub Theodorico Rege, tum sub Childerico, atque iterum sub Theodotico, à quo pulsus est in exilium. De sancti Amati successoribus, quorum indices sunt æquè vitiosi, disputabimus alio loco cùm ad tempora Theodorici peruenerimus. Interim de Præsulibus Senonensibus hæc sufficiant.

[a] Lib. 4. c. 1.
[b] Ap. Sur. d. 13. Sept.

XLVIII. GANDERICVS EPISC. LVGDVN.

Inter Episcopos, qui prædicto Priuilegio Monasterij Fossatensis subscripserunt, in vita sancti Baboleni nominatur Gaudericus seu Gaudricus vel Gandericus aut Candericus Episcopus Lugdunensis. Hic locum obtinet in omnibus catalogis Episcoporum Lugdunensium, suúmque Pontificatum duobus potissimùm rebus illustrauit, ordinatione Baldomeri Subdiaconi & subscriptione Concilij Cabilonensis. Agemus hîc de Baldomero, post biennium de Synodo Cabilonensi.

XLIX. GESTA S. BALDOMERI.

Baldomerus siue Baldimerus vel Baldomeres & Baldemeres aut Waldomeres seu Waldomerus, à Lugdunensibus detorto admodum vocabulo ***Saint Garmier*** & ***Saint Germier*** appellatur. Illius vitam aut potiùs epitomen è manuscripto Codice sancti Iusti descriptam Bollandus ita publicauit [c]. *Beatus famulus Christi Baldomerus intra Gallias natus, apud Lugdunensium vrbem extitit habitatar. Et dum in Dei nomine ab adolescentia in Christi cultu & bonis operibus permaneret, vultum semper & gressum simplicem gessit. Nam in vestitu & calceamento vilis apud homines videbatur, quod dignum & pretiosum post eius obitum esse cognouimus. Ille quotidie assiduis precibus Dominum benedicebat, diurnis & nocturnis horis dicens. In nomine Domini, Deo gratias semper. Quod omnes ita dicere commonebat, quasi dignus Pastor, vt intentissimè vnusquisque Deo deberet referre maximas gratias. Nam fideles Christi quasi lectioni intenti, ista in suo corde recondentes, ad eius exemplum, Christum benedicere non cessabant. In primis ferè annis in adolescentia & iuuentute faber ferrarius fuit, &c. Quodam autem tempore cùm venisset vir Viuentius Abbas ad orationem in vico quodam, qui Auditiacus vocatur, & ingressus esset, memoratum famulum Christi Baldomerum in vilissimo vestitu & calceamento ibidem orantem inuenit. Sed cùm apud ipsum cœpisset habere colloquium, & inquireret quis esset, sensit per Spiritum Sanctum, Dei fidelem esse ministrum, sícque eum secum vsque ad suam domum lætus adduxit. Deinde posteà in Monasterio sancti Iusti Lugdunensis, in quo ipse positus erat Abbas, permanere constituit. In quo loco ita semper vitam beatam duxit, vt quidquid ei Dominus à quibuscumque personis Deum timentibus transmittere dignabatur, omnia in pauperum expenderet eleemosynis, lectionem Euangely perscrutans, nullam curam adhibens de postera die quid haberet. Verba autem quæ paulò antè commemorauimus assiduè dicens, in nomine Domini, Deo gratias semper, vsque in finem sine intermissione vsitauit. Et cùm ista semper pro Dei amore fideliter exerceret, & fama eius in*

[c] d. 27. Febr.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 14. CLOD. II. R. 5.

lateque quotidie cresceret, à sancto ac beatissimo Gau- omnibus bonis operibus longè licèt inuitus ad Subdiaconatûs implendum officium ex- drico iamdictæ vrbis Papa, benedictus, cuius manus iamdictus vir cum lacrymis osculabatur dicens, ne ipsi hoc imponeret, & se indignum esse vociferabatur suscipere tale ministerium. In eadem verò Monasterio Sancti Iusti cellulam, in qua habitaret, vilem elegit. In qua habitatione dum esset, tantam ei Dominus dignatus est donare gratiam, vt aues cæli à nullo hominum captæ aut comprehensæ, iuxta consuetam horam refectionis, in eius manibus cibum venirent assiduè sumere, quas cùm reficiebat, ita vir Dei monebat, dicens. Reficimini, & Domino cæli benedicite semper. Intereà tamen pro iamdicta vrbe quotidie, & omnibus commorantibus in ea, ac memorato Abbate ad Dominum preces fundebat cum lacrymis, vt ipsis ingressum paradisi aperire dignaretur. Et cùm eum Dominus de hac luce recipi iussit, tandem ad memoriam eius dignatus est conferre salutem, vt si quis ad sepulturam beati viri ægrotus aduenirct, & fideliter ibidem exoraret, à quacumque infirmitate fuerit possessus, statim sanus absccderct, &c.

L. Theophilus Raynaudus eandem sancti Baldomeri vitam præ manibus habuit, inseruítque Indiculo Sanctorum Lugdunensium, sed stylo passim comptiore, nonnullísque adiunctis ex libris Sanctorum Patrum, quibus & Acta illustraret, & Lectorem sacris monitis institueret. Inprimis ad commendationem horum verborum, *in nomine Domini, Deo gratias semper*, quæ Baldomerus assiduè vsurpabat, duos sancti Augustini textus allegauit. Vnum sic [a]. *Quid melius & anima geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hac nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Alterum sic [b], aduersùs eos qui sanctam illam ad pendendas Deo gratias inuitationem subsannant. *Insultare nobis audent, quia fratres cùm vident homines, Deo gratias dicunt. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Itáne surdus es, vt nescias quid sit Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias, gratias agit Deo. Vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. An enim non est locus gratulationis, quando se inuicem vident, qui habitant in Christo?*

[a] August. ep. 77.

[b] August. in Psalm. 132.

LI. Ex Actis beati Baldomeri, series Episcoporum Lugdunensium, de qua recentes Nomenclatores hoc loco variè disputant, certa & indubitata redditur. Tetrico seu Theodorico, quem Flodoardus [c] anno, vt probauimus, sexcentesimo vicesimo-quinto, Remensi Concilio interfuisse testatur, successit immediatè Gaudericus seu Gandericus, nec inter vtrumque medius concedi locus debet Viuentio, qui Monasterium sancti Iusti regebat, cùm Baldomerus à Ganderico Episcopo promotus est ad Subdiaconatum. Si Seuertio [d] fides est, Viuentius, quem Gauderici decessorem constituit, Abbas primùm extitit sancti Iusti, tum Episcopus Lugdunensis, Episcopatúque post biennium dimisso Cœnobium beati Iusti rursus administrandum suscepit. At alibi non legimus Viuentium bis Abbatem sancti Iusti fuisse. Refragantur antiqui Codices. Tres veteres Lugdunensium Episcoporum indices à Petro Francisco Chiffletio publicati sunt in Paulino illustrato [e]. Vetustissimus omnium desinit in Leidrado, qui post Viuentium nonus sedit. In eunctis constantissimè post Aridium siue Arigium, cuius obitum Tomo superiore ad annum Christi sexcentesimum vndecimum [f] retulimus, ponuntur *Tetricus, Gandericus, Viuentius, Aauemundus* siue *Annemundus*. Facessant igitur qui secus sentiunt, seu Delphinum Aridij successorem intrudant, seu Tetricum distinguant à Theodorico, seu Viuentium Theodorici decessorem aut successorem scribant. Tetricus seu Theodoricus in Episcopatum Arigio siue Aridio successit anno Christi sexcentesimo vndecimo; superstes erat in viuis anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto, cùm celebratum est Concilium Remense, cuius meminit Flodoardus [g]; quot annos eidem Synodo superuixerit, haud liquet. Illo mortuo, Gandericus Episcopatum suscepit. Hic Baldomirum, cùm Viuentius Abbas Monasterio sancti Iusti præerat, ordinauit Subdiaconum, subscripsitque Concilio Cabilonensi, quod habitum est anno Christi sexcentesimo quadra-

[c] Lib. 2. cap. 5.

CHRONOLOGIA EPISCOPORVM LVGDVN.

[d] In Archiep. Lugdun. 43. §. 2.

[e] Part. 1. c. 19.

[f] Num. 25.

[g] Lib. 2. cap. 5.

gesimo-quarto. A Concilio Remensi ... Cabilonense anni effluxerunt vnde- AN CH.
uiginti. Vt Theodoricus post Synodum ... mensem haud diu vixit, ita nec diu 642.
post Cabilonensem Gandericus, vtex ... successorum patebit; nam Gande- SIGIB.
rico Viuentius, Viuentio successit Ann... ndus, cuius Martyrium in annum III. R. 10.
Christi sexcentesimum quinquagesimu... quartum incidit. CLOD.

De Subdiaconatu & ætate Baldomeri ... sic disserit Theophilus Raynaudus. II R. 5.
Crescente in dies famâ sanctitatis viri Dei, renitens & inuitus, Subdiaconatu in- LII.
auguratus est, non à Tetrico Lugdunensi Præsule, vt gratis statuit nuperus Scriptor,
sed vt scribit Paradinus, confirmátque MS. Ecclesiæ sancti Iusti, quo Acta S. Bal-
domeri describuntur, à Ganderico, quà Lugduni sedit sub annum Christi 650. ex
quo de S. Baldomeri ætate pronunciare licet. Ioannes à Sancto Albino, qui Lug- BALDOME-
dunensem Historiam nuper conscripsit, mortem sancti Baldomeri consignat RI SVBDIA-
anno Christi circiter sexcentesimo quinquagesimo, Raynaudum in multis du- CONI OBI-
cem sequitur, & tempus quo hic Gaudericum Episcopum fuisse testatur, ad TVS.
obitum Baldomeri videtur transtulisse. Non vocamus in dubium, quin Bal-
domerus vitam priùs clauserit quàm Gaudericus. Id clarè colligitur ex antiquis
catalogis Episcoporum Lugdunensium & ex Actis sancti Baldomeri simul col-
latis. Viuentius enim Pontificatum Lugdunensem proximè post Gandericum
gessit, eundémque Viuentium non Episcopum Lugdunensem sed sancti Iusti
solummodò Abbatem exhibent Acta sancti Baldomeri. Migrauit igitur ad
Deum beatus Baldomerus, Ganderico Episcopo in viuis adhuc superstite. Imò
& Auctor Actorum, quem synchronum fuisse nullus inficiabitur, opus suum
sub eodem Ganderico Episcopo exarauit, alioquin Viuentij meminisset vt
Episcopi. Certò tamen nec anni sciuntur quibus Baldomerus Subdiaconus &
Gandericus Episcopus obierunt, nec is quo gesta Baldomeri relata sunt in li- LIII.
teras.

Transiit ad Deum beatus Baldomerus tertio Kalendas Martij, quo die coli- SEPVLTV-
tur in Tabulis Ecclesiasticis. Sepultus fuit in Ecclesia sancti Iusti. Reliquiæ RA.
semper fuerunt in magna veneratione, donec ab hæreticis ablatæ sunt atque
dispertitæ. Brachium adseruatur in oppido, quod ab vrbe Lugduno itinere diei
distitum est, & ab eodem sancto Baldomero sortitur appellationem, vulgò
Saint Garmier. Apud Duchesnium [a] legitur epitaphium, cuius Auctor testa- [a] Tom. 1. Col-
tur visum à se tumulum, in quo corpus beati Baldomeri quiescebat. Placet il- lect. Hist.
lud describere, vt vehementiùs excandescas aduersùs impios, qui nefando fla- Franc.
gitio sacras reliquias disiecerunt.

Hic famulus Christi mirâ virtute refulgens
Waldomeris humo conditus, astra tenet.
Conspicuus vitâ, pretiosâ morte sacratus,
Credentum populo dona beata ferens.
Huius enim precibus soluuntur vincla reatûs,
Et præsens Christus fert bona cuncta suis.
Languidus hinc sospes remeat, hic dæmonis atri
Vis truculenta fugit, vita salúsque redit.
Hic perdunt Zabulus vires, incendia Maurus,
Cedunt hic meritis Tartara, sancte, tuis.
Te pietas, te clara fides prouexit ad astra.
Nos tua prex tristi seruet ab igne reos,
Soli insunt tumulo sacrati corporis artus,
Vidimus ipsi, oculis sit manifesta fides.

Eadem hæreticorum rabies, quæ sæuiit in reliquias sancti Baldomeri, solo LIV.
æquauit Ecclesiam beati Iusti. Floruit sanctus Iustus quarto post Christum na-
tum seculo, ab Adone [b] decoratur hoc elogio: *Iustus Lugdunensis Episcopus* [b] In Chron.
miræ sanctitatis vir, qui postmodum relictâ Sede Episcopatûs, inter sanctissimos
patres Anachoritas mirâ humilitate latens, moritur in Ægypto, cuius ossa pio amore
sollicitè Lugdunenses ad vrbem suam reportant, quoque Viatoris sanctissimi com-
V iij

AN. CH. *ministri ipsius. Constat autem hunc venerabilem Episcopum Iustum sub Pascasio Vien-*
642. *nensi Episcopo nutritum, Claudij eiusdem vrbis Episcopi Diaconum, postmodum ad*
SIGIB. *sanctam Lugdunensem Ecclesiam regendam translatum.* Eadem leguntur in eius
III. R. 10. epitaphio, quod ab Andrea Duchesnio publicatum est [a].
CLOD.
II. R. 5

Hic Patris antiqui condigno nomine Iusti
In spe perpetuæ requiescunt pignora vitæ,
Membra beata satis, quæ semper dedita Christo
Per varios semet Cruce confixere labores,
Vt meliùs celeri rapiantur in aere nube,
Cùm cælo adueniens Iudex effulserit ipse.
Hic fuit egregius primùm Leuita Viennæ.
Inde gregem Domini doctrinâ insignis & actu
Conspicuus Præsul Lugduni pauit in vrbe.
Post Anachoriticæ vitæ flammatus amore
Longinqua Ægypti sitiens deserta petiuit,
Quo Senibus sacris pietatis fœdere innctus,
Cùm miram extremo clausisset lumine vitam,
Plebis amore suæ patriam reuocatus ad vrbem,
Cum Viatore pio Christi tumulatur ad aram,
Vt quos peruigili viuens pietate nutriuit
Continuis precibus foueat per secula natos.

LV. Sepultus fuit beatus Iustus extra muros Lugdunenses in Ecclesia Sancto-
MON. S. IVSTI A QVO CONDITVM. rum Machabæorum, quæ nomen eiusdem sancti Iusti posteà suscepit, insi-
gnique Monasterio virorum adaucta est ab Aridio siue Arigio Episcopo. Vnus
ex antiquis Episcoporum Lugdunensium catalogis, quos Petrus Franciscus
Chiffletius in Paulino [b] illustrato diuulgauit, Alpinum, Eucherium, Sacer-
dotem & Arigium ob Ecclesias quas erexerunt præ ceteris commendat. Al-
pinum sic. *Alpinus, Ecclesiam & Baptisterium S. Stephani.* Eucherium sic. *Eu-
cherius, Ecclesiam Apostolorum.* Sacerdotem sic. *Sacerdos, Ecclesiam S. Pauli, &
S. Eulaliæ.* Arigium sic. *Arigius, Ecclesiam de sancta Cruce, & Monasterium
S. Iusti.* Sanctus Arigius siue Aridius Episcopatum Lugdunensem iniit an-
no Christi sexcentesimo-tertio, cúmque sedisset annos octo feliciter ad Deum
migrauit anno Christi sexcentesimo vndecimo, vt suis locis probauimus.
Successit Tetricus seu Theodoricus, tum Gandericus, qui Baldomerum or-
dinauit Subdiaconum, cùm Viuentius Abbas Cœnobium sancti Iusti rege-
bar. Desideratur catalogus Abbatum, penes quos illius Monasterij cura fuit,
sed ex ætate Ganderici, qui secundum locum post ipsius Cœnobij condito-
rem in Episcoporum Lugdunensium indicibus tenet, apertè liquet Viuen-
tium inter Abbates sancti Iusti vel secundum vel tertium extitisse. Agemus
infrà de illius Episcopatu.

LVI. Hoc circiter anno Geremarus in Diœcesi Bellouacensi Monasterium con-
didit, cui nomen Insula. Duas ex vxore Domana filias susceperat, vnam
anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto, alteram anno Christi sexcentesi-
mo tricesimo-sexto; *expletis autem multis* post contractum matrimonium *diebus,*
suscepit & filium, quem posteà curauit ab Audoeno Rotomagensium Episco-
po baptizari. Natus est Geremaro filius exeunte Dagoberti Principatu, so-
roribus enim iunior fuit, vt textus præcitatus indicat, nec eius ortus seriùs
differri potest quia sub Clodoueo Rege adolescens interiit; vixit aliquot
annos priusquàm baptizaretur, & ex infantia egressus erat, cùm *Geremarus*
AMALBERTVS BAPTIZATVR. *transmisit eum beato Audoeno, qui tunc illis diebus in Palatio Regis morabatur, &
suscipiens puerum catechisauit eum, præparatóque fonte baptismatis, baptizauit eum
in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vocans eum nomine Amalbertum.* Huius
pueri baptismus hoc anno, Audoeni Episcopi secundo, collocandus videtur.
Beatus autem Geremarus, vt Author vitæ proximè subiungit, *Spiritu Dei plenus,
omnia quæ in mundo sunt pro nihilo pendens, & cælibem vitam desiderans, Cœno-*

[a] Tom. 1. Collect. Hist. Franc.
[b] Part. 1. c. 19.

bus Monachorum plurima de substantia sua ... *atur. Per consilium verò beati An-*
doeni de propria facultate fundauit Monasterium ... *quod dicitur Insula, construxitque* AN. CH.
ibi omnia ædificia sanctæ Regulæ conuenientia, & ... *Ecclesiam ibidem construxit in hono-* 642.
re Apostolorum Petri & Pauli, multorumque ... *Sanctorum reliquias ibi posuit, consti-* SIGIB. III. R. 10.
tuitque ibi Congregationem Monachorum sub sancta conuersatione degentium; præ- CLOD. II. R. 5.
fecit ei Archarium Abbatem, magni meriti virum, cuius doctrinâ & sapientiâ quo-
tidie grex Christi ad superna tenderet. Ipse verò Archarius vsque in finem vitæ suæ
gregem sibi commissum gubernauit decenter & strenuè.

Hoc anno in Salinensi oppido apud Sequanos Burgundiæ populos ex no- LVII.
bili prosapia natus est Claudius, qui posteà Vesontionensis Episcopus fuit, NASCITVR S. CLAVDIVS.
tantâque sanctitate conspicuus refulsit, vt in Sanctorum numerum ascribi
meruerit. Ad septimum vsque annum cum decenti cura in domo Parentum
suorum nutritus est. Illius vitam & miracula summatim delibauit Anony-
mus, quem Ioannes Iacobus Chiffletius in sua Vesontione a publicauit. Ope- a P. 2. c. 10.
ri tam laudabili se accinxit *fratrum Iurensium instantiâ commonitus*, vt ipsemet
in prologo testatur. Voces illæ (*fratrum Iurensium*) si Chiffletio fides est, eorum
sancti Claudij sapiunt, quo Monachi loci illius nondum à sancto Claudio
sed ab ipso loco Iurenses veteri nomine dicebantur. At Author beati Clau-
dio se longè recentiorem satis prodit, dum notat quoto anno ab Incarna-
tione Dominica sanctus Claudius Pontificatum adeptus est, illis enim tem-
poribus anni ab Incarnatione Dominica nondum numerabantur. Halluci-
natus est proculdubiò cum Præsulatum Claudij consignauit anno Christi
sexcentesimo vicesimo-sexto, & in errorem induxit Chiffletium aliosque,
qui Sanctum Donatum, sub cuius Pontificatu Claudius in lucem editus est,
ipsi Claudio in Episcopatum successisse tradiderunt. Prolixiorem super ea re
disputationem inibimus ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-sex-
tum, quo Claudius assumptus fuit in Abbatem Monasterij Iurensis, cùm an-
nos natus esset quatuor & quadraginta.

Hoc anno, Sigiberti Regis decimo, vt Fredegarius b docet, *Otto, qui* LVIII. b Cap. 88.
aduersùs Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi a Leu- OTTONIS CAEDES.
thario Duce Alamannorum interficitur. Gradus honoris Maioris domûs in Palatio
Sigiberti, & omni regno Austrasiorum, in manu Grimoaldi confirmatus est vehe-
menter. Deinceps pax alta & quies floruit per vniuersam Austrasiam, & Si-
gibertus Rex condendis ac dotandis Monasteriis intentus fuit. Author in-
certus, Alberti Argentinensis Chronico præfixus, Leutharium Alamanniæ Du-
cem perperam confudit cum Leudesio Maiore domûs Regiæ, qui post annos
duos ac triginta necatus est ab Ebroino, vt ad annum Christi sexcentesi-
mum septuagesimum-quartum sub Theodorico Rege dicturi sumus.

Hoc eodem anno, qui proximus ab obitu fuit, ex eremo vbi à Romarico LIX.
conditum fuerat, Metas à Goerico Pontifice translatum est corpus beati Ar- TRANSLATIO S. ARNVLFI.
nulphi, collocatúmque in sancti Ioannis Euangelistæ Ecclesia, quæ posteà
noui istius hospitis nuncupatione insignis fuit. *Vir egregius Romaricus*, vt in vita
sancti Arnulfi legitur, *sanctissimum corpus quo potuit honore in castello sepultura*
mandauit. Inde anni ferme exactis spatiis, vir lectissimus successor eius Goericus
Episcopus, communicato cum aliis consilio, collecta Cleri & populi multa frequen-
tia, accitis quoque duobus Episcopis abiit in eremum, atque illuc reuerenter excubias
pariter agentes, sancta membra in feretro reponunt, & cum gaudio ad vrbem ea
transferunt, suaui interim odore è sacris illis membris emergente, & omnium illo-
rum nares implente. Hæc Translatio multis prodigiis illustrata fuit. Omissis ce-
teris vnum prædicabimus. Noluit sanctus Arnulphus in villa incesti virique
cere. *Homo quidam in pago Calaomonensi, Constantius nomine, incestus fuit.* ... *Eum vir*
sanctus sæpe admonuerat, sed cum ad pœnitentiæ emendationem perducere non po-
set, priùs excessit è vita, quàm ille se corrigeret. In eius villa Oratorium erat. Ita-
que opportunum videbatur, vt mansio illic pararetur, vel eo præcipuè nomine, quòd
sanctum corpus oporteret in Ecclesia vigiliis honorari. Vt ergo ventum est ad fines

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5

ministri ipsius. Constat autem hunc venerabilem Episcopum Iustum sub Pascasio Viennensi Episcopo nutritum, Claudij eiusdem vrbis Episcopi Diaconum, postmodum ad sanctam Lugdunensem Ecclesiam regendam translatum. Eadem leguntur in eius epitaphio, quod ab Andrea Duchesnio publicatum est [a].

Hic Patris antiqui condigno nomine Iusti
In spe perpetuæ requiescunt pignora vitæ,
Membra beata satis, quæ semper dedita Christo
Per varios semet Cruce confixere labores,
Vt meliùs celeri rapiantur in aëre nube,
Cùm cælo adueniens Iudex effulserit ipse.
Hic fuit egregius primùm Leuita Viennæ.
Inde gregem Domini doctrinâ insignis & actu
Conspicuus Præsul Lugduni pauit in vrbe.
Post Anachoriticæ vitæ flammatus amore
Longinqua Ægypti sitiens deserta petiuit,
Quo Senibus sacris pietatis fœdere iunctus,
Cùm miram extremo clausisset lumine vitam,
Plebis amore suæ patriam reuocatus ad vrbem,
Cum Viatore pio Christi tumulatur ad aram,
Vt quos peruigili viuens pietate nutriuit
Continuis precibus foueat per secula natos.

[a] Tom. 1. Collect. Hist. Franc.

LV. Sepultus fuit beatus Iustus extra muros Lugdunenses in Ecclesia Sanctorum Machabæorum, quæ nomen eiusdem sancti Iusti posteà suscepit, insi- (MON. S. IVSTI A QVO CONDITVM.) gnique Monasterio virorum adaucta est ab Aridio siue Arigio Episcopo. Vnus ex antiquis Episcoporum Lugdunensium catalogis, quos Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino [b] illustrato diuulgauit, Alpinum, Eucherium, Sacerdotem & Arigium ob Ecclesias quas erexerunt præ ceteris commendat. Alpinum sic. *Alpinus, Ecclesiam & Baptisterium S. Stephani.* Eucherium sic. *Eucherius, Ecclesiam Apostolorum.* Sacerdotem sic. *Sacerdos, Ecclesiam S. Pauli, & S. Eulaliæ.* Arigium sic. *Arigius, Ecclesiam de sancta Cruce, & Monasterium S. Iusti.* Sanctus Arigius siue Aridius Episcopatum Lugdunensem iniit anno Christi sexcentesimo-tertio, cúmque sedisset annos octo feliciter ad Deum migrauit anno Christi sexcentesimo vndecimo, vt suis locis probauimus. Successit Tetricus seu Theodoricus, tum Gandericus, qui Baldomerum ordinauit Subdiaconum, cùm Viuentius Abbas Cœnobium sancti Iusti regebat. Desideratur catalogus Abbatum, penes quos illius Monasterij cura fuit, sed ex ætate Ganderici, qui secundum locum post ipsius Cœnobij conditorem in Episcoporum Lugdunensium indicibus tenet, apertè liquet Viuentium inter Abbates sancti Iusti vel secundum vel tertium extitisse. Agemus infrà de illius Episcopatu.

[b] Part. 1. c. 19.

LVI. Hoc circiter anno Geremarus in Diœcesi Bellouacensi Monasterium condidit, cui nomen Insula. Duas ex vxore Domana filias susceperat, vnam anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto, alteram anno Christi sexcentesimo tricesimo-sexto; *expletis autem multis* post contractum matrimonium *diebus,* suscepit & filium, quem posteà curauit ab Audoeno Rotomagensium Episcopo baptizari. Natus est Geremaro filius exeunte Dagoberti Principatu, sororibus enim iunior fuit, vt textus præcitatus indicat, nec eius ortus seriùs differri potest quia sub Clodoueo Rege adolescens interiit; vixit aliquot annos priusquàm baptizaretur, & ex infantia egressus erat, cùm (AMALBERTVS BAPTIZATVR.) *Geremarus transmisit eum beato Audoeno, qui tunc illis diebus in Palatio Regis morabatur, & suscipiens puerum catechisauit eum, preparatóque fonte baptismatis, baptizauit eum in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vocans eum nomine Amalbertum.* Huius pueri baptismus hoc anno, Audoeni Episcopi secundo, collocandus videtur. *Beatus autem Geremarus*, vt Author vitæ proximè subiungit, *Spiritu Dei plenus, omnia quæ in mundo sunt pro nihilo pendens, & cælibem vitam desiderans, Cœno-*

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

ibi Monachorum plurima de substantia sua tribuebat. Per consilium verò beati Audomari de propria facultate fundauit Monasterium, quod dicitur Insula, construxitque ibi omnia ædificia sanctæ Regulæ conuenientia. Ecclesiam ibidem construxit in honore Apostolorum Petri & Pauli, multorumque Sanctorum reliquias ibi posuit, constituitque ibi Congregationem Monachorum sub sanctæ conuersatione degentium; præfecit ei Archarium Abbatem, magni meriti virum, cuius doctrinâ & sapientiâ quotidie grex Christi ad superna tenderet. Ipse verò Archarius vsque in finem vitæ suæ gregem sibi commissum gubernauit decenter & strenuè.

Hoc anno in Salinensi oppido apud Sequanos Burgundiæ populos ex nobili prosapia natus est Claudius, qui posteà Velontionensis Episcopus fuit, tantaque sanctitate conspicuus refulsit, vt in Sanctorum numerum ascribi meruerit. Ad septimum vsque annum cum decenti cura in domo parentum suorum nutritus est. Illius vitam & miracula summatim delibauit Anonymus, quem Ioannes Iacobus Chiffletius in sua Velontione a publicauit. Operi tam laudabili se accinxit *fratrum Iurensium instantiâ commonitus*, vt ipsemet in prologo testatur. Voces istæ (*fratrum Iurensium*) si Chiffletio fides est, æuum sancti Claudij sapiunt, quo Monachi loci illius nondum à sancto Claudio sed ab ipso loco Iurenses veteri nomine dicebantur. At Author beato Claudio se longè recentiorem satis prodit, dum notat quoto anno ab Incarnatione Dominica sanctus Claudius Pontificatum adeptus est, illis enim temporibus anni ab Incarnatione Dominica nondum numerabantur. Hallucinatus est proculdubiò cum Præsulatum Claudij consignauit anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto, & in errorem induxit Chiffletium aliósque, qui Sanctum Donatum, sub cuius Pontificatu Claudius in lucem editus est, ipsi Claudio in Episcopatum successisse tradiderunt. Prolixiorem super ea re disputationem inhibimus ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-sextum, quo Claudius assumptus fuit in Abbatem Monasterij Iurensis, cùm annos natus esset quatuor & quadraginta.

LVII. NATIVITAS S. CLAVDII.

a P. 2. c. 16.

Hoc anno, Sigiberti Regis decimo, vt Fredegarius b docet, *Otto qui aduersùs Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi a Leuthario Duce Alamannorum interficitur. Gradus honoris Maioris domûs in Palatio Sigiberti, & omni regno Austrasiorum, in manu Grimoaldi confirmatus est vehementer.* Deinceps pace alta & quiete floruit per vniuersam Austrasiam, ac Sigibertus Rex condendis ac dotandis Monasterijs intentus fuit. Author incertus, Alberti Argentinensis Chronico præfixus, Leutharium Alamanniæ Ducem perperam confudit cum Leudesio Maiore domûs Regiæ, qui post annos duos ac triginta necatus est ab Ebroino, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum sub Theodorico Rege dicturi sumus.

LVIII. b Cap. 86. OTTONIS CÆDES.

Hoc eodem anno, qui proximus ab obitu fuit, ex eremo vbi à Romarico conditum fuerat, Metas à Goerico Pontifice translatum est corpus beati Arnulphi, collocatumque in sancti Ioannis Euangelistæ Ecclesia, quæ posteà nominis istius hospitis nuncupatione insignis fuit. *Vir egregius Romaricus*, vt in vita sancti Arnulfi legitur, *sanctissimum corpus quo potuit honore in castello sepeliri mandauit. Inde anni fermè exacto spatio, vir beatissimus successor eius Goericus Episcopus, communicato cum aliis consilio, collectâ Cleri & populi multâ frequentiâ, accitis quoque duobus Episcopis abiit in eremum, atque illic reuerenter excubias pariter agentes, sancta membra in feretro reponunt, & cum gaudio ad vrbem ea transferunt, suaui interim odore è sacris illis membris emergente, & omnium illorum nares implente.* Hæc Translatio multis prodigiis illustrata fuit. Omissis cæteris vnum prædicabimus. Noluit sanctus Arnulphus in villa incesti viri quiescere. *Homo quidam in pago Caluomontensi, Conola nomine, incestus fuit. Eum vir Sanctus sæpe admonuerat, sed eum ad pœnitentiæ emendationem perducere non potuisset, priùs excessit è vita, quàm ille se corrigeret. In eius villa Oratorium erat. Itaque opportunum videbatur, vt mansio illic pararetur, vel eo præcipuè nomine, quòd sanctum corpus oporteret in Ecclesia vigiliis honorari. Vt ergo ventum est ad fines*

LIX. TRANSLATIO S. ARNVLPHI.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

telluris hominis incesti, derepentè figuntur gressus feretrum portantium, itaut nulla illis facultas suppeteret sacra membra vlteriùs transferendi. Anguntur animis Sacerdotes, & populus omnis, quòd nescirent ad quam mansionem diuerterent, præsertim die iam ad vesperam inclinante. Tum verò Noddo Dux, qui cum aliis exierat. Cernitis virum sanctum nolle in incesti huius terram ingredi. Est autem, licèt procul, villa mea, ad quam peruenire nos poterimus ante Solis occasum. His auditis vniuersus populus iter eò intendit, tantâque omnes celeritate feruntur, vt y qui feretrum gestabant, portari se potiùs quàm portare, sibi viderentur, & adhuc luce diei manente ad destinatum peruenirent locum. Celebris est huius Translationis memoria in Tabulis Ecclesiasticis & apud Adonem decimo-quinto Kalendas Augusti, caue enim ne quia Martyrologio Vsuardi ad elogium sancti Arnulphi decimo-septimo Kalendas Septembres vox *Translatio* ex aliquopiam Martyrologio, vt quæ præfigitur litera Q indicat, à Molano inserta est, credas beatum Arnulphum obiisse decimo-quinto Kalendas Augustas, & eius reliquias in Metensem ciuitatem delatas fuisse decimo-septimo Kalendas Septembres. Ex textu suprà recitato liquet corpus sancti Arnulphi in eremo non integro anno quieuisse, necesse est autem anno integro & ampliùs ibi remansisse fateantur, qui mortem ponunt decimo-quinto Kalendas Augustas, & Translationem decimo-septimo Kalendas Septembres anni sequentis. Ceterùm duo Episcopi qui cum Goerico Translationi sancti Arnulphi interfuerunt, præerant Ecclesiis Tullensi & Virdunensi, id distinctis verbis exprimitur in vita sancti Goerici. Sedebant tum Paulus Virduni, Tulli Theodefridus qui sancto Eculano successerat teste Wasburgio [a]. Eculanum autem antecessit sanctus Antimundus, sanctum Antimundum Premon, Premonem Dulcitius, Dulcitium Triforicus, Triforicum Alodius de quo nos Tomo primo ad annum Christi quingentesimum vndequinquagesimum.

[a] Lib. 2.

LX. ROMARICVS IT ROMAM.

LX. In supradicta Translatione nulla mentio fit Romarici, profectus enim erat in Italiam, vt ex Serarij notationibus ad eius vitam colligimus. Author editus à Serario & Ruyro testatur Romaricum, qui Sacerdotalem Ordinem post mortem beati Amati susceperat, Romam perrexisse, Serarius autem eum Romæ à Pontifice Ioanne Quarto perbenignè acceptum fuisse obseruat ex manuscripto Codice. *Ioannes* teste Anastasio, *sedit annum vnum, menses nouem, dies octodecim, sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die quarto Idus Octobris.* Anastasium cum Christiano calculo sic comparamus. Ioannes sedem iniit anno Christi sexcentesimo quadragesimo, die vicesimâ-quartâ Decembris, obiitque anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo, die duodecimâ Octobris. Nostrum computum validissimè confirmabunt ea, quæ dicemus de Pontificatu Martini Papæ. Martinus enim in Romanum Antistitem assumptus est anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, & Theodorus qui medius inter Ioannem & Martinum in catalogo Romanorum Pontificum occurrit, *sedit annos sex, menses quinque, dies octodecim, & sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die secundo Idus Maij* Authore Anastasio, id est, sedit à mense Nouembri anni post Christum natum sexcentesimi quadragesimi-secundi, vsque ad mensem Maium anni post Christum natum sexcentesimi vndequinquagesimi. Baronius asserit Honorium Papam ex hac vita discessisse quarto Idus Octobris, anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo. Hanc supputationem improbamus ex Anastasio, ait enim Sedem Honorij vacasse *annum vnum, menses septem, dies septemdecim*, deinde tribuit *menses duos, dies quatuor* Seuerino, quem affirmat sepultum fuisse *ad beatum Petrum Apostolum sub die quarto Nonas Augusti*, ac cessasse Episcopatum menses quatuor, *dies* xxix. meliùs leges xxix. vt attingas diem Decembris vicesimam-quartam, quâ Ioannes electus est exeunte anno Christi quadragesimo supra sexcentesimum. Baronius aduersùs Anastasium negat diuturnum interpontificium post obitum Honorij, & Seuerinum vno anno citiùs quàm par est mortuum tradit quarto Nonas Augustas anno Christi sexcentesimo vndequadragesimo, continuatóque errore duos subsequentes

CHRONOLOGIA ROMANORVM PONTIFICVM.

quam Ioannis & Theodori Pontificatus vno anno constanter anticipat, ac deinde in gratiam cum Anastasio redit in obitu Theodori ad annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum, quia Theodori Pontificatum, quem Anastasius sex annis, mensibus quinque, diebus octodecim claudit, vlteriùs prorogat ad annos septem, menses quinque, dies viginti. Ab Anastasio, quia antiquiorem Authorem non habemus, haud putamus recedendum, nisi vrgente admodum causâ, qualem hoc loco in Baronio nondum deprehendimus. Pontificatum Ioannis ordimur die vicesimâ-quartâ Decembris, anno Christi quadragesimo supra sexcentesimum, circumscribimúsque anno vno, mensibus nouem, diebus duodeuiginti, & quia Romaricus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-primo exequiis sancti Arnulphi interfuit, illius profectionem in Italiam collocamus anno Ioannis Papæ vltimo, Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo.

LXI. Anglebertus Remensem Pontificatum, qui per menses aliquot vacauerat, hoc anno suscepit. Laudatur à Flodoardo [a], quod rebus emptis Episcopium auxerit. Sedit annos tres, vt Coluenerius, Chenutius, Robertus & Sammarthani testantur, ab hoc videlicet anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo, vsque ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quintum. Præcitati verò Scriptores istud triennium Angleberti præsulatûs ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-primum malè prorogant. Erroris causam indicauimus suprà. Nec te moueat quòd Anglebertus apud quosdam Auctores dicatur Pallium accepisse à sancto Martino Papa, qui nostro calculo Pontificatum ante annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum haud suscepit. Friuola est enim hæc obseruatio, nec antiquis monumentis innititur. Excogitata fuit à recentiore quopiam, qui quod suâ ætate in vsu animaduertit, id finxit olim fieri solitum, ratus septimo seculo singulos Metropolitanos Pallium à Romano Pontifice accepisse.

[a] Lib. 2 cap. 6.

ANGLEBERTVS FIT EP. REMENSIS.

LXII. Non leuiùs errant, qui Dolensibus Episcopis per illa tempora ius Metropoliticum attribuunt, & ab eis tanquam Metropolitis ordinatos volunt Episcopos Armoricæ, neglecto Turonensi Metropolitâ. Pleræque vitæ Sanctorum, quas Auctor Armoricæ Sanctæ concinnauit, quia veteribus monumentis haud innituntur, multis scatent fabulis, quæ sparsæ sunt in vulgus, & à multis retrò seculis commemorari solent. Quapropter ex eorum gestis, pauca tantùm narrare consueuimus, quæ suspicione falsitatis omninò careant. In Armorica Sancta, octauo Kalendas Nouembres, occurrit vita sancti Goeznoi, cuius primordia sunt à nobis hoc loco retexenda. Goeznoo * pater fuit Tugdonius, frater Maianus, soror Tugdona. Vterque fratrum solitariam vitam agere statuit. Maianus in loco consedit, qui nomen ab eo gerit hodie *Loc-Maian*. Goeznous eremum elegit vocabulo *Lande* à portu Brestio * distantem semileucâ, vbi ex munificentia Comorri Comitis erexit insigne Monasterium, cui nomen inditum *Lande-Goeznou*. Tugdona secessit in Cœnobium puellarum, quod sanctus Paulus Leonensis quondam Episcopus in oppido *Loc-renan ar fanç* construxerat. Houardonus, qui Leonensem Pontificatum anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto suscepit, Goeznoum singulari beneuolentiâ prosecutus est, ædificatique ab eo Monasterij Basilicam hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo, dedicauit. De vtroque sermo non semel recurret.

* *Goeznou.*

* *Brest.*

GOEZNOVS CONSTRVIT MONASTERIVM.

LXIII. Peruenit ad manus nostras catalogus Abbatum, qui Monasterio sancti Faronis prope Meldas ad nostram vsque ætatem præfuerunt. Hoc Cœnobium in suo fundo propriis sumptibus erexit Faro Meldensis Episcopus, & Basilicam Deo dicauit in honorem Sanctæ Crucis, Sancti Ioannis Baptistæ & omnium Apostolorum. *Conseruantur eius membra*, inquit Auctor vitæ manuscriptus, *hoc in speciosissima Basilica, quam ipse vero opere in fundo proprietatis suæ fundauit & in honore salutiferæ ac viuificæ Crucis, necnon Baptistæ beati Iohannis atque omnium Apostolorum*. Hoc Monasterium nomen Sanctæ Crucis in cuius honorem dica-

MONASTERIVM S. CRVCIS CONDITVR A FARONE EPISCOPO MELDENSI.

AN. CH. 642.

Sigib. III. R. 10.
Clod. II. R. 5.
I. XIV.

tum est, à primo conditu gessit, nomen posteà sancti Faronis accepit à quo conditum est.

Primus Abb. Helias sub Regula S. Columbani.

Primus Abbas illius loci recensetur Helias, qui Monasterium annis octodecim rexit, ab hoc videlicet anno in quem initia Cœnobij inciderunt, ad annum vsque Christi sexcentesimum sexagesimum quo viuere desiit. Luxouiense Monasterium, cuius florentissima tunc erat fama, gubernabat Abbas Walbertus Faronis Meldensis Episcopi frater; Monachos, qui degerent in Cœnobio sanctæ Crucis, frustrà tibi persuadeas aliunde quæsitos à Farone, vel aliam quàm sancti Columbani Regulam in Monasterio sanctæ Crucis obseruatam fuisse.

LXV.

Initia Monasterii Bellilocensis in Argonna.

Hoc eodem anno, vt Robertus & Sammathani obseruarunt, cœptum est aliud Monasterium, cui nomen Bellus-locus in Diœcesi Virodunensi. Tanti operis auctor Rodingus, qui Virodunum ad Paulum Episcopum, vt suo loco diximus [a], ante biennium venerat. Quas difficultates in construendo illo Cœnobio passus sit, produnt eius Acta, quæ Menardus [b] ex manuscripto eiusdem Monasterij Codice concinnauit. *Sanctus Rodingus vel Rodincus, &c. Virdunum venit, vbi cum sancto Paulo Antistite biennio mansit. Tandem Spiritus Sancti motu ad syluam Argonnam venit, & in editissimo monte sexto à Virduno lapide, in finibus Campaniæ & Lotharingiæ prima Cœnobij Belli loci * fundamenta iecit: ex quo non multò pòst è sylua custodibus famulo Austresij loci illius Domini cum socio Stephano exturbatus Romam ad limina Apostolorum profectus est. Intereà Austresij domus grauibus morbis, iisque insanabilibus, à Deo percutitur; eius vxor liberíque breui interuallo moriuntur, solus ipse cum filia nomine Bano superstes mansit. Vt autem tantorum malorum origo ipsi Austresio non esset occulta, digitis puellæ nomen sancti Rodingi scriptum apparuit, quod nullâ arte potuit oblitterari. Cùm verò sanctus * Rodingus Romæ in Ecclesia sancti Petri pernoctaret, ei Angelus visus est præcipiens vt Argonnam rediret, subiungens omnia ei ex animi sententia successura ad Monasterij ædificationem. Illi vir Dei illicò obtemperauit. Vt verò Romanis quanta esset illius sanctimonia, innotesceret, ad egressum Ecclesiæ quidam parùper triennio iam quartò febre diuexatus ad solum vestimentorum illius contactum sanitati restitutus est. Quod cùm per vrbem diuulgatum esset, ingens ægrotorum turba ad eum venit, quos omnes signo Crucis sanauit, atque etiam manuum impositione, & quà transibat semper aliquod sanctitatis suæ vestigium relinquebat. Iam ab Argonna propiùs aberat miraculorum eius per hanc regionem rumore disperso, & Argenillæ accedens ad fontem quietis gratiâ sedit. Tum mulier quædam diuturno languore cruciata, pedibus eius affusa morbo remedium efflagitabat; ille misertus mulieri sanitatem impertiuit. Quæ tanti beneficij memor & grata ei pratum, in quo quiescebat, dedit ad Monasterij ædificationem, quod ille libens accepit. Sed quia ipsi mulieri nihil residui ad vitam sustentandam superabat, extremum baculi in fonte immergens inde magnam vim auri eduxit, quam mulieri in pretium prati dedit. Fama aduentûs sancti Rodingi ad aures Austresij peruenit. Ille quosdam in occursum eius præmisit, per quos eum rogabat, vt ad suas ædes diuersaretur. Vir Dei ad eum venit, eúmque cum filio Bana solo attactu sanauit, quo in volam manûs intuens nomen sancti Rudingi oblitteratum animaduertit. Quocirca Austresius integram syluam sancto Rodingo dedit, aliáque ad Monasterij constructionem necessaria subministrauit. Qui locus priùs Wastlen nuncupabatur, sed conuulsis spinis ac vepribus, ob illius fertilitatem & amœnitatem appellatus est Bellus-locus. Omnes vicini certatim sua bona in illud opus conferebant. Ecclesia erat ingentis substructionis; in ea erant altaria quatuor & viginti: de nomine sancti Mauricij & sociorum Martyrum dedicata fuit, vt olim Monasterij Theologiensis Templum. In hoc Monasterio Regulam sancti Patris nostri Benedicti, quam in Cœnobio Theologiensi didicerat, seruari voluit. Ita fert vetus vitæ illius Codex manuscriptus, qui in Monasterio Belli-loci seruatur. Multi, vt disciplinis regularibus imbuerentur, ad eum concurrebant, atque etiam Ecclesiæ Virdunensis Canonici non pauci. Monasterij opere feliciter absoluto, mala ipsi ventura prouidens ob quorundam nequitiam, qui aliquando*

[a] Ad an. 640. num. 62.

[b] Lib. 2. obseruat. d. 17 Sept.

* Beaulieu en Argonne.

* S. Rouyn.

Monachos esse vexatum, eorúmque facultates diripuerunt, frequenti populi confessu, AN. CH. 642.
Pontificia veste indutus eiusmodi homines à fidelium communione separauit dará
& distinctâ voce Psalmum centesimum octauum proferens: [Deus, laudem meam ne
tacueris, &c.] Vix extrema Psalmi compleuerat, cùm vox de cælo ab omnibus au- SIGIB. III. R. 10.
dita est in hæc verba. [Petitio tua exaudita est, & hanc domum in æternum accel- CLOD. II. R. 5.
piam.] Fructuum, qui ex doctrina sancti Rodingi natus est, recensebit annus. Die-
bus festis omnibus & Dominicis verbum Dei prædicabat. Tempore Dominici aduen-
tûs quotidie manè & à prandio concionem habebat, ipse etiam Monachos docebat,
assiduus erat in oratione, corpus macerabat vltra quam vires humanæ ferre valent.
Quadragesimæ tempore ter duntaxat in hebdomada comedebat. Idque modicè. Di-
vinis cogitationibus immersus terrestria despiciebat, huiusce negotia seculi eane poitus
& angue oderat, latere in cella malebat quàm in Regum aula versari. Huc vsque
Hugo Menardus. At cùm Regula, quam Rodingus in Cœnobio Bellilocensi
custodiendam præcepit, non alia censenda sit ab ea, quàm priùs in Monaste-
rio Theologiensi didicerat, vt Monachis Theologiensibus sic & Bellilocen-
sibus normam Agaunensium præscriptam existimamus. Huic opinioni non
parum facit primarium Templum vt apud Agaunum sic etiam apud Tabu-
leium & apud Bellum-locum Deo in honorem sancti Mauritij sociorúmque
Martyrum dedicatum. Ex eo sanè quod Codex Bellilocensis mentionem
Regulæ Benedictinæ facit, haud adeò antiquus videtur; credique potest
exaratus seculo ab ætate sancti Rodingi multùm remoto. Nec aliud insi-
nuat, si reperitur in eodem Codice, nomen Lotharingiæ, quod multis post
seculis audiri cœpit.

Apud Bruschium in catalogo Spirensium Episcoporum collocatur Atha- LXVI.
nasius sub Dagoberto Rege, tum Principius sub Sigiberto Dagoberti filio,
deinde Tragebodus sub Childerico; tribuuntur Athanasio quadraginta Pon-
tificatûs anni, Principio viginti quinque, octo Tragebodo. De tribus illis
Episcopis constant ista. Sedebat Athanasius anno Christi sexcentesimo deci-
mo-quarto, vt Tomo superiore obseruatum est [a]. Principius à Sigiberto Re-
ge decimas obtinuit omnium victualium in agro Spirensi prouenientium, quæ an-
ted Regi dari consueuerant. Tragebodus à Childerico Rege confirmationem su-
pradictæ donationis decimarum impetrauit. Ex illis obseruationibus Chrono- [a] Ad an. 614. num. 14.
logos redarguo, qui vitam Athanasij ad annum vsque Christi sexcentesimum
quinquagesimum prorogant, in hac eum opinione Tragebodus Episcopatum
tum ante annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum haud sus-
cepit, Rex autem Childericus, à quo beneficia percepit, biennio citiùs
est, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio vitam clausit. Satius sit
ad [illegible] mortem Athanasij hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo- ATHANASIVS EPISC. NEMETENSIS MORITVR.
secundo referre, vt Principius Episcopatum regnante Sigiberto consequa-
tur, & Tragebodus eidem Principio succedat anno Christi sexcentesimo se-
ptuagesimo-septimo, Childerici Regis octauo.

Principius ex Abbate Weissenburgensi post Athanasij mortem factus est LXVII.
Episcopus Nemetensis seu Spirensis. Album Castrum vel Weissenburgum, vt SVCCEDIT PRINCIPIVS EX ABBATE WEISSENBVRG.
Bruschius in Monasteriis Germaniæ scribit, amplissimum Cœnobium in vicinia
Alsatia ad montana Vosagi, & in eiusdem nominis Imperiali oppido, ad amnem Lu-
therum, qui mediam ciuitatem perfluit, amœnissimo loco situm, Spirensis Diœce-
seos, quod alibi Witzenburgum quasi sapientiæ Castrum dicitur, quod nomen Scho-
læ & Academiæ tali pulchrè conuenit, fundatum et inchoatum legitur anno 623. do-
tatum verò & auctum anno Christi 664. à Dagoberto potentissimo Gallorum Rege,
cuius filia Domina Irmina, prima fundatrix & Abbatissa Horrei Treuerensis, ibi si-
nistra Weissenburgensis summi Templi abside, sublimi & magnifico mausoleo (in
cuius summitatem Clerus eius loci circa Parasceues festum Corpus Dominicum collo-
care solet) deposita, et terra omnium parenti reddita est. Dedicatum est sancto Pe-
tro Apostolorum & Stephano Martyrum Principibus.

Godefridus Henschenius in diatriba [b] de tribus Dagobertis, vt Hasela- LXVIII. HASELACH.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

censis, sic & Weissenburgensis Monasterij fundatorem agnoscit Dagobertum Secundum, qui post Childericum Secundum, cuius mors in annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium incidit, in Austrasia per annos septem regnauit. Re tamen accuratiùs examinatâ facilè credimus antiquiorem esse Monasterij Weissenburgensis originem, quia cùm Dagobertus Secundus annum sui Principatûs secundum agebat, illius Cœnobij præfectura penes tertium Abbatem, nomine Radefridum, iam erat. Recurrendum igitur nobis videtur ad Dagobertum Primum, tunc Austrasiæ Regem, qui sedente in Cathedra Nemetum Athanasio Episcopo prima Weissenburgensis Monasterij fundamenta iecerit. Nec te moueat, quòd Abbatum Weissenburgensium catalogus *initio perturbatus ac mendosus* Bruschio videatur. Hic enim Auctor, cùm Dagobertum, qui Sigiberti Tertij filius fuit, Regibus non accenseat, multùm torquetur, vt suadeat Weissenburgense Monasterium à Dagoberto Primo conditum fuisse, & secundo eiusdem Regis anno præfecturam tertij Abbatis illigari.

LXIX. Apud Ioannem Trithemium in Compendio [a] Annalium de origine gentis Francorum extat hoc Dagoberti Regis Diploma, quo Monasterium Weissenburgense fundatur ac dotatur. *Dagobertus, diuinâ fauente clementiâ, Francorum Rex, omnibus Regni sui Primatibus, imò cunctis fidem Christianam profitentibus, tam futuris quàm præsentibus. Votum, quo Deo vel Sanctis eius se quis obligauerit, sine macula reatûs irritum fieri non poterit, & quantò maior & dignior est is cui vouetur, eò ferietur grauiori iudicio, vouentis & non reddentis præsumptio. Debemus igitur & volumus nos quoque reddere quod vouimus Domino, Deo terribili, ei qui aufert spiritus Principum, terribili apud omnes Reges terræ. Qui qualiter in brachio suæ virtutis & nos terruerit, & qualiter percutiens & sanans rursus nos visitauerit, omnibus ad exemplum correctionis notum fieri duximus, præcipuè vt quisque fidelis audito nostro periculo ab Ecclesiarum Dei vastatione se contineat, & honorem congruum rebus Deo dicatis exhibeat. Primùm ergo de diuina super nos habita terribiliter examinatione, posteà de voto & voti nostri redditione breuiter exponemus. Patre meo Lothario felicis memoriæ defuncto, patrij Regni curam suscepi, sed viuendi ductus leuitate dominandíque cupiditate distractus, Regalis officij debitum neglexi, nihil exhibens commissis sollicitudinis vel diligentiæ, nihil faciens, vel indicans, mansuetudinis aut zelo iustitiæ. Inter alios excessus meos, Ecclesiarum Dei destructor & dissipator esse cœperam, quarum defensor & sublimator esse debueram, nec diuinæ Maiestatis oculos, nec hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virgâ correptionis iniquitates meas visitauit, & castigato mihi veniam non negauit. Nam raptus in sublime, diuinæque Maiestati inter choros Sanctorum in habitu iudicantis sedenti præsentatus, à sanctissimis Ecclesiarum Patronis pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me & consumptis, grauiter & constanter sum accusatus, maximè à sanctissima Dei genitrice Maria, & beatissimis Petro & Paulo Apostolorum Principibus. Cúmque conscientiâ grauatus non auderem delicta defendere ex arbitrio præsidentis pœnæ sum addictus, diúque caso & pœnis atrocibus confecto occurrit mihi tandem specialis Patronus meus Martyr Dionysius, qui precibus suis instantis pœnæ dilationem mihi & pœnitentiæ tempus obtinuit. Idem ipse quasi modum statuens pœnitentiæ in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei & Sanctorum prædictorum, quos magis offenderam, domum diuinis aptam seruitiis construerem. Quâ promissione libens voui, dimissúsque à superis redij. Igitur sub certa spe remissionis & indulgentiæ peccatorum nostrorum, reddentes alacri studio votum quod fecimus, Ecclesiam in honorem Sanctæ Trinitatis & Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in loco, qui dicitur Wysenburg, construximus, quam sublimare & regali munificentiâ ditare decreuimus. Donamus ergo ei, & in perpetuum datum esse volumus, de rebus fisci nostri illic adiacentibus, quicquid ad nos spectat, tam in villis quàm mancipiis, syluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus; & omnia hæc in vsum fratrum ibidem sub monasti-*

[a] Lib. 1.

PRÆCEPTVM PRO MONAST. WEISSENBVRG.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

in professione Deo servientium liberâ traditione redigimus. Et vt huius nostræ donationis auctoritas in omne tempus perseueret stabilis & firma, terminos & circumiacentium nomina locorum subnotare curauimus. Versus Orientalem plagam extenditur marcha, quam tradidimus, vsque ad Marchenhofen & ad Aldenherden, & inde ad Geboldesfwege, & inde subter vadum Lutra, & inde ad Ruozdingeshofe, & inde ad limitem, qui stat in summitate vallis Iuuenesdal, & inde ducit ad Meridianam plagam super Warspach, & inde ad Bodemlosesstoupha, & inde ad Schacho, & inde ad Kirchdale, & inde ad Ingoldesbare, & inde ad Hunsses montes vsque ad Bidebur. Ad Occidentalem verò plagam vsque ad Lantenbach, & inde ad Osterichesheyt, & Hornbach, & inde ad Belebach, & inde ad Gruneburnen. Ad Septentrionalem plagam vsque ad Etchenberg. Locorum autem ipsorum seruitium, quem singulari dilectione amplectimur, nunc & deinceps ab omni oppressione liberum sub Regali volumus esse tuitione, ita videlicet, quòd nullus ex iudiciaria potestate, quicquam potestatiu vel negotij in ipsa marcha Publicus Iudex, nullamq; licentia exercere vel habere præsumat, nec homines ipsius loci constringere, vel ad causas audiendas aut freda aut tributa soluenda sine Patris Monasterij auctoritate vis audeat exigere. Illud etiam pari decreuimus auctoritate, vt nullus Pontificum Nemetensis ciuitatis vel reliquorum Episcoporum aliquam, postremò nihil penitus ab quaslibet causas agendi habeant facultatem, sed sub nostra dominandi ibidem vel omnia illuc pertinentia Pater Monasterij cum fratribus suis liberè emunitatis defensione. Ad hæc monetam in se habentem imagines & literas expressamque similitudinem Nemetensis monetæ eidem loco concedimus, perpetuò nostra auctoritatis donatione ratum & firmum esse volumus, vt homines eiusdem Ecclesiæ per omnes fines Regni nostri liberè negotiis suis inseruiant, ita videlicet vt nulli debitum teloneum persoluant, & nullus Iudex seu qualibet cuiuscunque ordinis persona in huiusmodi causa violentiam eis aliquam inferre præsumat. Fratribus autem ibidem Deo seruientibus, vt eò deuotius & tranquillius sanctæ conuersationis ordinem custodiant, liberam inter se eligendi sibi Abbatem donamus potestatem. Cui Abbati omnibusque sibi succedentibus hoc speciale concedimus Priuilegium dignitatis, vt in ordinem & ius beneficiatum promouere Ministerialium, quemcumque de familia tali honore dignum iudicauerit. Omnes etiam Ministeriales eiusdem Ecclesiæ ex dono Abbatis accipiant beneficium, solique Abbati seruiant, nec aliquam potestatem super eos Aduocatus exercere audeat, nisi fortè ex aliqua inobedientia, quasi ad rebelles ipsos Ministeriales constringendos Abbas Aduocatum inuitet. Reliqua verò familia, legitimo loco & tempore, ter in anno, pro iustitia facienda ad placitum Aduocati debet conuenire, & in seruitium Aduocati, si præsens est, singuli singulos denarios soluere, exceptis his, qui sunt in emunitate. Quòd si in his placitis absens fuerit Aduocatus, nihil ei ex his denariis debetur, nisi in seruitio Regis esse probetur. Vt autem hæc nostra traditio, & iuris & concessæ dignitatis institutio, stabilis & inconuulsa iugiter permaneat, chartam hanc conscriptam adiectione sigilli nostri roboratam signari iussimus. Datum quod fecimus in ipso Monasterio, mense Maio, die vndecima, anno Regni nostri vicesimo-tertio, in Christi nomine feliciter. Amen.

De clausula Diplomatis ita Coccius [a]. *Diplomati annum Christi DCXXXI. autographo consentaneum apud Munsterum, at DCXXIX. apud Tritemium adeextum reperias.* Annus Christi sexcentesimus vndetricesimus non occurrit in operibus Trithemij, quæ Francofurti apud Claudium Marnium & Hæredes Ioannis Aubrij typis Vechelianis excusa sunt anno Christi millesimo sexcentesimo primo. Qui verò legitur apud Munsterum annus Christi sexcentesimus vicesimus-tertius, is apud Bruschium suprà citatum & apud Eisengreinium similiter adnotatur. At Dagobertus Primus, qui anno Christi sexcentesimo vicesimo-tertio in sola duntaxat Austrasia regnabat, & anno Christi sexcentesimo vndetricesimo toti Franciæ dominabatur, in suis Diplomatibus annos à Christo nato numquam numerauit. LXX.

[a] Cap. 18. EXAMINATVR.

In eadem clausula nec apud Trithemium, nec apud alios Auctores retineri potest annus Dagoberti Regis vicesimus-tertius, quia teste Fredegario [b] Da- LXXI.

[b] Cap. 79.

AN.CH. 642. Sigib. III. R. 10. Clod. II. R. 5.

gobertus sexdecim duntaxat annos regnauit.

Licet hæc argumenta sufficiant, vt prædicto Diplomati fides abrogetur, addemus alia quæ desumi possunt ex ipsomet Diplomatis contextu.

LXXII. Primò, visio, quæ Dagoberto Regi facta dicitur, iisdem omnino verbis repetitur in Diplomate pro Monasterio Haselacensi, quod à Dagoberto Secundo fundatum esse suo loco demonstrabimus. Inde coniicere est hoc figmentum à Neotericis inuentum esse, atque inconsideratè cuilibet insertum Diplomati, in quo nomen Dagoberti Regis anteà legebatur.

LXXIII. Mirari quoque subit, cur in illa visione Dagobertus accusetur tantùm *pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis & consumptis*. Aliis enim se vitiis maculauit, quæ grauissimis etiam pœnis à Deo puniri solent. De vtrisque sic Fredegarius [a]. *Reuertens in Neptrico, sedem patris sui Chlotarij deligens, assiduè residere disposuit. Cùm omnis iustitia, quàm priùs dilexerat, fuisset oblitus, cupiditatis instinctu super rebus Ecclesiarum & Leudium sagaci desiderio vellet omnibus vndique spoliis nouos implere thesauros. Luxuriæ super modum deditus. Nam tres habebat maximè ad instar Reginas, & plurimas concubinas.* Hæc obseruatio nos inducit, vt credamus confictæ visionis auctorem fuisse recentiorem Monachum, qui cùm de rebus Monasterij sui præcipuè sollicitus esset, id potissimùm consilij cepit, vt posteris altiùs inculcaret eos vltione diuinâ castigatum iri, qui damnorum Ecclesiis ac Cœnobiis illatorum reos se præbuissent.

[a] Cap. 60.

LXXIV. Secundò, quod in eo Diplomate legitur Priuilegium cudendæ monetæ, *in se habentis imagines, expressámque similitudinem Nemetensis monetæ*, id multò seriùs ab Imperatoribus concessum videtur, vt censet Henschenius [b].

[b] Lib. 2. c. 11.

LXXV. Tertiò, quod in eodem Diplomate de Aduocato eiúsque iure dicitur, id etiam sapit ætatem Dagoberto Rege longè posteriorem.

LXXVI. Monasterium Weissenburg. a quo conditum. Porrò, quamuis Diploma Dagobertinum, vt suprà recitatum est, haud admittamus, Dagobertum Clotarij Secundi filium, quem pater Austrasiis Regem anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo præfecit, Weissenburgensis Monasterij conditorem agnoscimus, non autem Dagobertum Secundum, qui superioris Dagoberti nepos fuit. Opinionem nostram ætate Principij confirmamus, Sigiberto enim Dagoberti Primi filio iam regnante promotus est ad Episcopatum Nemetensem Principius, qui priùs Asceterium Weissenburgense cum Abbatis titulo gubernabat, & primum locum in omnibus Abbatum Weissenburgensium catalogis obtinet.

LXXVII. In Austrasia, cuius pars est Diœcesis Nemetensis, vbi situm Weissenburgum, regnauit Dagobertus Primus annos vndecim, anno enim Christi DCXXII. Rex Austrasiorum à Clotario patre constitutus est, & anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio Sigibertum filium suum iisdem Austrasiis Regem præposuit. In aliquem igitur ex annis illis vndecim, quorum spatio Dagobertus Primus Austrasiæ Regno potitus est, inciderunt primordia Monasterij Weissenburgensis. Rursum obserua Dagobertum Primum post annum Christi sexcentesimum duodetricesimum, id est, postquàm Patri Clotario in Regna Neustriæ ac Burgundiæ successit, bis tantùm è Neustria in Austriam profectum esse, semel anno Christi sexcentesimo vndetricesimo, iterum anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo, quapropter Monasterium Weissenburgense conditum videtur circa initium Dagobertini Principatûs, cùm Dagobertus Primus in Austrasia morabatur, & ex Clotarij patris cessione solis duntaxat Austrasiis imperabat. Eysengreinius annum notat à Christo nato sexcentesimum vicesimum-tertium.

LXXVIII. Apud Coccium [c], *intra ipsam aram* Monasterij Weissenburgensis, *D. Irmina Dagoberti Regis filia sacrum corpus loculo includitur hac inscriptione*. HIC RECONDITVM EST INTEGRVM CORPVS B. IRMINÆ VIRGINIS, FILIÆ DAGOBERTI REGIS FRANCORVM, FVNDATORIS HVIVS MONASTERII. Godefridus Henschenius [d] ex hoc epitaphio

[c] Cap. 18.

[d] Lib. 2. c. 13.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

[illegible] Monasterium Weissenburgense conditum fuisse à Dagoberto Secundo, qui sanctæ Irminæ Virginis pater fuit. Et vt eidem epitaphio plùs vetustatis conciliet, illud ibi positum ante annos quingentos ex Chronico Spanheimensi probat, vbi legere est sanctæ Irminæ caput ex Weissenburgensi Monasterio in Spanheimense translatum esse, annuente Hillino Treuirorum Archiepiscopo.

LXXIX. Hanc translationem indubitatam remur, de qua Trithemius Abbas Spanheimensis in Chronico Spanheimensi ad annum Christi millesimum centesimum quinquagesimum-secundum ita disserit. *Hoc anno Adalbero Treuirorum Archiepiscopus moritur, cui successit Hillinus Cressio, maior Ecclesiæ Decanus anni XVIII. Ab hoc Archiepiscopo Hillino, Secundus huius Monasterij Spanheimensis Abbas multis precibus impetrauit caput Sanctæ Irminæ virginis, filiæ quondam Dagoberti Regis Francorum, quæ fuit Prima Abbatissa Monasterij in Horreo Treuirensi, quod ipsa cooperante S. Willibrordo Episcopo fundamentis de nouo fundauerat, cuius festum in vigilia Natiuitatis Dominicæ agitur. Hoc sacratissimum caput ab ipso Archiepiscopo & Congregatione præfati loci vniuersa, tam intuitu precum suarum, quàm amore sanctæ virginis quondam sponsæ ipsius Clementiæ, quæ Domino in eodem Cœnobio militabat, impetratum cum magno honore & reuerentia suscepit, & hoc ad Monasterium suum tota Congregatione in occursum eius cum laudibus & hymnis extra portam procedente portauit. quod in integrum cum pelle, carne & capillis, vsque in præsentem diem veneramur.* Post huiusmodi Translationem corpus sanctæ Irminæ non asseruatum est integrum Weissenburgi, rectéque infert Henschenius epitaphium, quod suprà descripsimus, prius exaratum fuisse, quàm prædicta Translatio fieret. At esto. Epitaphium ipsâ capitis Translatione vetustius habeatur, an idcircò vera censeri debent quæ leguntur in eodem epitaphio? Multis seculis ante & post illam Translationem, Dagobertus Secundus, qui sanctam Irminam genuit, vnus idémque habitus est cum Dagoberto Primo, qui Monasterium Weissenburgense construxit. Errorem sui temporis vulgatissimum secutus est auctor epitaphij, Dagobertum enim sanctæ Irminæ patrem cum altero Dagoberto Weissenburgensis Monasterij fundatore confudit. Quæ suis locis de Dagoberto Secundo, de sancta Irmina, de sancto Willibrordo, de Monasterio Horreensi, testimonia proferentur, palàm ostendent Dagobertum Irminæ patrem à priore Dagoberto distinguendum esse, cuius obitum ineunte anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo consignauimus. Iam verò cùm distinguendi sint duo Dagoberti, quorum alter alterius auus ex filio Sigiberto fuerit, annóque Christi sexcentesimo duodequadragesimo vitam clauserit, in dubium vocari non potest, quin Dagobertus Senior, qui fuit auus alterius, Weissenburgense Monasterium erexerit, nam qui primum locum inter Abbates Weissenburgenses obtinet Principius, is ex Abbate Weissenburgensi factus est Episcopus Nemetensis regnante iam Sigiberto, qui Senioris Dagoberti filius fuit ac pater Iunioris.

LXXX. ABBATES WEISSENBVRG. Principio ad Infulas Nemetenses assumpto, præfecturam Weissenburgensis Monasterij suscepit Cherdonius, cuius Acta perierunt, tum Radefridus, de quo sermonem faciemus sub Dagoberto, Sigiberti filio, sanctæ Irminæ patre.

LXXXI. Vtinam & alia Cœnobia, quæ Dagobertum conditorem agnoscunt, Abbatum suorum catalogos adeò integros exhibere possent: certò enim atque indubitanter vniuscuiusque Monasterij fundatorem sciremus, cessarentque controuersiæ, quæ super initiis multorum Cœnobiorum, putà Surburgensis, Clingensis, Regiopontani & sancti Germani, hodie mouentur. Nobis tamen accuratiùs hoc negotium examinantibus occurrere visa sunt argumenta non leuia, quæ Dagobertum Primum Monasteriorum Clingensis & sancti Germani fundatorem, Dagobertum Secundum Surburgensis & Regiopontani parentem probent.

AN. CH. 642. SIGIB. III. R. 10. CLOD. II. R. 5.

LXXXII. QVANDO CONDITA MONASTERIA.

Clingensis pagus est habitatoribus vel maximè frequens, duobus milliaribus Weissenburgo dissitus, agro frumenti viníque ferace, riuis, amnibus, fontibúsque lætè fæcundus, nemus venatu ferarum saginâque iuxta amœnum, prædia culta villæque circumsecus obiacent, testes priscæ amplitudinis, quæ non nisi Clingensem paræciam, seu matricem, agnoscunt. Hæc Coccius [a], apud quem paulò pòst ista reperiuntur. *Medio Clingensium pago Monasterium visitur Dagoberti impensâ totum ab imo exstructum, & firmissimo murorum quadri lapidis ambitu munitum, cui prædia vicina aliásque possessiones adiectas fuisse, ad annonam Religiosis è D. Benedicti instituto alumnis suppeditandam, obsoleti indices loquuntur. Huic inædificatum est Templum saxo plurimam partem campestri & quadrato, mole, formâ, turrium fastigio, ceteróque intestino opere non absimile Weissenburgensi.* Cùm autem Clingense * Monasterium ædificiorum structurâ non differat à Weissenburgensi, duobúsque tantùm milliariis ab eo distet, nec in alia positum sit Diœcesi, vix quisquam sibi persuadeat origines illorum Cœnobiorum non ad vnum eundémque Dagobertum sed ad duos Dagobertos referendas esse.

[a] Cap. 19.

CLINGENSE, * Clingen-Munster.

LXXXIII. ET SANCTI GERMANI.

Quod prope vrbem Spirensem extat Monasterium S. Germano dicatum, à Dagoberto extructum atque egregiis dotatum prouentibus tradunt Eisengreinius, Philippus Simonis, aliíque. Sed quamdiu antiqua non proferuntur monumenta, quis intelligendus sit Dagobertus, incertum. Hæc Henschenius [b]. At vt Monasteria Weissenburgense & Clingense, quæ sita sunt in Episcopatu Nemetensi, condita putamus à Dagoberto Primo, sic & Cœnobium sancti Germani, quod ad eandem Diœcesim pertinet.

[b] Lib. 2. c. 13.

LXXXIV. SVB QVA REGVLA.

Primi illorum Cœnobiorum Ascetæ Regulam à sancto Columbano præscriptam obseruarunt, licèt Coccius suprà citatus Monasterium Clingense *Religiosis è D. Benedicti instituto alumnis* à Dagoberto Rege concessum scribat. Hic Auctor discipulos sancti Columbani cum Monachis Benedictinis non semel confudit, vt Tomo superiore [c] comprobatum est de Leobardo, qui regnante Childeberto Secundo Cellam Leobardinam, illustre in Argentoratensi Diœcesi Monasterium extruxit. Certè Luxouij Cellæque Leobardinæ vicinia nos adigit, vt apud antiquissimos habitatores Monasteriorum, quæ Dagobertus Primus in Diœcesi Nemetensi construxit, Regulam sancti Columbani viguisse pronuntiemus. Agemus infrà sub Dagoberto Secundo de Monasteriis Surburgensi ac Regiopontano, quæ sita sunt in Episcopatu Argentoratensi siue Argentinensi.

[c] Ad an. 586. n. 42.

---

643. SIGIB. III. R. 11. CLOD. II. R. 6.

ANNVS CHRISTI 643.

SIGIBERTI III. R. 11.

CLODOVEI II. R. 6.

I. ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio, posita credimus fundamenta Monasterij Marchianensis *. Vt ita sentiamus, res multæ simul collatæ nos impellunt. Buzelinus prolixam super ea materia disputationem init libro secundo [d] Gallo-Flandriæ, fatetúrque Cœnobij Marchianensis incunabula post annum Christi sexcentesimum tricesimum esse reiicienda, quamuis plerique secus scripserint, sed ea post annum Christi sexcentesimum vndequadragesimum differenda non putat, quia non vult iis assentiri qui Cœnobium Elnonense Marchianensi vetustius tradunt. Elnonense Monasterium antiquius Marchianensi vel ex eo colligimus, quòd Ionatus primus Abbas Marchianensis in Cœ-

* Marchiennes.

[d] Cap. 20.

COENOBII MARCHIANENS. INITIA.

AN CH. 643. Sigib. III. R. 11. Clod. II. R. 6.

Cœnobio Elnonensi monasticam vitam duxit antequam Marchianis præficeretur, vt infrà probabimus ex Chronico Elnonensi. Quantùm temporis inter vtriusque Monasterij fundationem intercesserit, haud facile est asserere. Cœnobium Marchianense conditum fuit ante annum Christi sexcentesimum quadragesimum-nonum, siue antequam Amandus administrationem Traiectensis Ecclesiæ susciperet. Id quoque asseritur in Chronico Elnonensi. Ionatus enim primus Abbas Marchianensis exhibetur, Amando apud Elnonem adhuc residente; deinde Vrso, quem Amandus, cùm Traiectensis Episcopus factus est, Abbatem Elnonensem constituit, in regimen Elnonense subrogatur, ipso Amando Traiecti * munus Episcopale tunc obeunte. Plures etiam à conditu Monasterij Marchianensis, vsquedum Amandus Traiectensium Pontifex renunciaretur, annos effluxisse non leui confirmamus argumento, quod à nece Ducis Adalbaldi & ab obitu Gertrudis Abbatissæ Hamaticensis ita petimus. Obiit Gertrudis anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono, cùm eius proneptis Eusebia, quam Nanthildis Regina Dagoberti coniux anno Christi sexcentesimo tricesimo-septimo ex sacro fonte susceperat, puella duodennis esset. Tunc Rictrudis in Cœnobio Marchianensi cum Sanctimonialibus degebat, & Amandus Episcopus Ecclesiæ præerat Traiectensi. Priùs igitur Rictrudis in Monasterium secessit, quàm Amandus Elnone Traiectum profectus est, vt Ecclesiæ sibi commissæ curam gereret. Cęterùm Rictrudis antequàm cœtum Monialium congregaret, Adalbaldi mariti cædem defleuit. Quin & Monasterij Marchianensis iacta sunt prius fundamenta, quàm Dux Adalbaldus interimeretur, struendo enim Cœnobio fundum in suo alodio concessit ipsemet Adalbaldus. Hæc attentè qui perpendent, à vero non putabit se multùm aberrare, si Monasterij Marchianensis incunabula referat hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio, Adalbaldo Duci necem anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto illatam affirmet, priùsque Rictrudis cum filiabus secessum in Monasterium anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto adscribat.

* Maestrecht.

II. Nomen, Situs.

Loco varium apud Authores nomen, Martianæ, Marcenæ, Marcennæ, Marcenæ, Marcianæ & Marchianæ. Situm ita describit Chronographus eiusdem Monasterij. *Marchianensis locus circumfluentibus aquis, & palustri arundine circumdatur, habétque versus Aquilonem fluuium grandem, ad Australem partem fluuium Scarpum *, qui labitur ad Orientem, ex mox vtraque parte adiacent prata herbis palustribus strata.* Cœnobium Marchianense pertinet ad Diœcesim Atrebatensem, tribus leucis Duaco * totidémque ferè distat Elnone siue Amandopoli *. Constructum fuit in honorem Principum Apostolorum à beato Amando, in alodio Ducis Adalbaldi. Principio tantâ rerum angustiâ & penuria laborauit, vt manuum labore coacti fuerint Monachi victum sibi comparare, donec amplissimis possessionibus ditatum est à Rictrude prædicti Ducis relicta. Monachos habuit initio, paucis pòst annis & Sanctimoniales, quibus primam sedem ipsi Monachi concesserunt. *In eodem Cœnobio*, verba sunt Chronographi Marchianensis, *primum Monachis ad seruiendum Deo à beato Amando delegatus pastor vigilantissimus, & Procurator interius exteriùsque, vir fidelis & simplex Ionatus donatus est eis. Qui beati Amandi Pontificis discipulorum vnus existens sacra eruditione admodum informatus, ad hoc officium idoneus inuentus est. Sed non post multum temporis altiori inuestigatione consultum est, vt quoniam gloriosa mater Rictrudis loci fundatrix, & vniuersorum, quæ ibi contradita fuerant, domina, in illo sancto contubernio inter seruos Dei famulari videbatur, congruentius foret secundi sexus fideles ibidem ad seruiendum immittere, & illius sanctæ inhabitationis primatum Sanctimonialem ordinem aptiùs obtinere.* At de illa Monasterij diuisione suo agemus loco. Post mortem Adalbaldi. Ionatus, qui Cœnobium Marchianense primus rexit, Elnonensis anteà Monachus fuit, Elnonensis enim Chronologus ita scribit de Vrso déque ipso Ionato, qui Monasterium Elnonense gubernarunt, cùm beatus Amandus Ecclesiæ Traiectensis cu-

* La Scarpe. * Douay. * Saint Amand.

Abbas.

AN.CH. 643. SIGIB. III. R. 11. CLOD. II. R. 6.

cam gerebat. *Amandus de grege sibi commisso sollicitus Traiectensem suam Diœcesim visitare disposuit; anteà tamen Elnone vices gerentem suas in Abbatem suum ordinauit discipulum, nomine Vrsum, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem beato fine quieuit. Cui à beato Amando ordinatus successor sanctus Ionatus vir modestissimus, ipsius Monasterij Monachus, quem pridem Marchianis instituerat idem beatus Amandus primum Abbatem.* Vt autem Elnone sic & Marchianis initio floruit institutum sancti Columbani.

REGVLA.

III. LANDELIN. FIT PRÆDO.

His circiter temporibus Landelinus, cùm virilem ætatem attingeret, ab Autberti Cameracensis Episcopi comitatu, ne Clerici tonsuram acciperet, cognatis quibusdam malè suadentibus, aufugit, factúsque est nefarius prædo, & ne nomine proderetur, vocauit se Maurosum, vt tradit Auctor vitæ, itémque Fulbertus in vita sancti Autberti. Landelinus natus est *temporibus Dagoberti inclyti Regis*, vixit flagitiosè *dies multos*, ab Angelo per visum acriter admonitus vt vitam emendaret, rediit ad meliorem frugem, egit primùm pœnitentiam in Monasterio *sub seculari habitu*, comâ depositâ *militiæ cælestis chlamydem* induit, Romam ter peregrinatus est Martino Papâ Romanum Pontificatum tunc obtinente, post primam peregrinationem Diaconus, post alteram Presbyter ordinatus est ab Autberto Episcopo, post vltimam iecit fundamenta Lobiensis Monasterij *sub iuniore Clodoueo*. Characteres illos, quos Anonymus in vita sancti Landelini [a] suppeditat, cum nostra Chronologia sic componimus. Anno Christi circiter sexcentesimo vicesimo-tertio, cùm Dagobertus à Clotario patre Rex constitutus in Austrasia iam regnabat, natus est Landelinus in ditionibus Clotarianis. Anno Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio socium se prædonibus adiunxit. Resipuit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto, Clericus factus est anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, Romam profectus est anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, iterùm anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, necnon tertiò sub finem eiusdem anni, reuersúsque anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio construere cœpit Lobiense Monasterium regnante Clodoueo qui vitam ad annum vsque sexcentesimum quinquagesimum-quintum produxit.

[a] Ap. Sur. d. 15. Iun.

IV. IVDOCVS FIT EREMITA.

Hoc anno, vt ex computo ante septennium stabilito constat, Iudocus Presbyter iuxta desiderium pridem conceptum ad vitam solitariam transiit, & vt Florentius scribit, *mansit in loco, qui dicitur Brabic, fluminis riuulis vndique circumdato, ædificatis ibidem Ecclesiâ & domunculâ. Quadam die, cùm ad victum quotidianum non haberet, nisi panem modicum pro se & discipulo suo Walmaro, & Dominus in specie pauperis adueniret, eleemosynam petens, vir Domini Iudocus panem diuidi iussit in quadrantes, & petenti de quadrantibus vnum erogari. Iam vir egressus erat, & ecce reuertitur Dominus in forma egeni deficientis inediâ, & de secundo panis quadrante satisfactum est eius petitioni. Nec mora, regressus tertiò, quasi esuriens ac deficiens fame, donatus est tertiâ panis parte. Consiquenter visus est aduenire Dominus in altera inopis effigie, rogaturus eleemosynam sicut iam tertiò fecerat antè, nec erat vnde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante, eum quoque vir Domini Iudocus pauperi erogari iussit. Cui ait Walmarus. Nihil nobis vis reseruare, Pater? Volo, inquit vir sanctus, totum tribui esurienti, quia potens est Dominus etiam hodie nostræ prouidere necessitati. Vix recesserat Dominus, & interim dum consolaretur verus Dei amicus discipulum, de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visæ sunt & inuenta in alueo fluminis quatuor nauiculæ victualibus onusta, de quibus quis eas adduxerit, vel quò iam victualibus exoneratas reuexerit, nescitur vsque in hodiernum diem.* Primam hanc Iudoci eremum, quam Florentius *Brabic* vocat, manuscripti Iudocensis Monasterij Codices *Radic* appellant. Quapropter apud Malbrancum [b] Iudocus ad illam Altheiæ partem domicilio suo bina loca complexus videtur; alterum in vico *Raye* hodierno qui *Radic* redolet, alterum in vico *la Broye* quasi *Brabic* refert. In vico *Raye* seu *Radic*, qui magis ad Oceanum accedit, ac-

[b] Lib. 3. c. 23.

Proram etiamnum insignis est, quattuor naues onerarias vidit de quibus su- AN. CH. 643. SIGIB. III R. 11. CLOD. II. R. 6.
pra. Vico la Broye seu Brabie, qui Proratu Biencurtio hodie illustratur, incumbit opaca sylua, quæ piis eius meditationibus accommoda erat, abundabatque volucribus, ad quas Florentius sic alludit. *Præter plurima quæ per ipsum & propter ipsum Dominus fecit mirabilia, veniebant volucres & pisces diuersi generis ad sacram eius manum, palpabiles, & recepta ab eo alimenta recedebant quasi domestici & intelligibiles.*

Ad hæc tempora pertinent quæ de Austreberta Taruannensi puella scribit Author vitæ coætaneus. *Cùm esset infra decennium, ita eam Spiritus Sanctus repleuerat, vt mens eius aut circa Ecclesias aut Monasteria anhelaret. Meditabatur iam tunc in ætate rudis infantiæ, quod postea deuota compleuit. Quadam verò die, cùm vultum speciei suæ more infantium in aqua contemplaretur, ecce repente apparuit ei quoddam velamen capiti eius impositum. Quod signum apud eam intantum valuit, vt ex illo iam die hoc assuerit desiderio. Et quanquam parentes eius mortali viro eam tradere vellent, illa immortali iam cupiens adhærere, sibimetipsi tantum licèt conscia, cum lacrymis semper in oratione deposcebat, vt quod ei Dominus in vmbra fuerat dignatus ostendere, in veritate compleret. Nec enim ab eo tempore se passa est ab hac intentione quiescere, donec quod oculo perspexerat, mente conciperet, gratiáque opitulante diuinâ, opere adimpleret.* V. AVSTREBERTHA PVELLA DECENN.

In villa Nassonia *, quæ Diœcesis est Leodiensis, & à Monasterio sancti Huberti, quod est in Andoino, duobus duntaxat milliaribus distat, quotannis decimoquinto Kalendas Nouembres celebratur memoria sancti Mononis, qui Martyrium hoc circiter anno passus est Ioanne Traiectensi Episcopo in viuis adhuc superstite. Sanctus Mono à latronibus sicariis occisus est ægrè ferentibus, quòd vir totius sanctitatis exemplar lustra syluarum illarum inhabitaret. Facta sunt ad eius sepulchrum multa miracula. Ioannes Episcopus Traiectensis, vt habetur in officio Nassoniensi *, *doluit seruum Dei sibi iam familiaritate deuinctum a conuersatione hominum, quos sanctis monitis informabat, exemploque dignos Deo reddebat, sic vita transitoria insperatò priuari & ... stadium, quamuis sciret, potiùs ei congaudendum tam in cælestibus immortalis vitæ gloriâ coronato. His autem cooperantibus fidelibus vicinis Basilicam condecentem eius tumulo ædificauit, quam in honorem beatæ Mariæ semper Virginis ac Matris Dei consecratam, ab omni exactione liberam, Episcopali authoritate in suo prouinciali Synodo, perpetuò esse decreuit. Et ne ex tunc deesset officium Sacerdotale, in Ecclesia Hoyensi & villa Amania ad persoluendum Diuinum officium Sacerdotes instituit, qui per vices sibi mutuò succedentes Missarum solennia ad honorem prædicti Martyris Deo persoluerent, quousque per temporis interualla eadem Ecclesia ex fidelium donatione proficiens, propriis stipendiis cultui diuino sufficeret.* Fallitur Molanus, cùm sanctum Mononem non sancti tantùm Ioannis, sed & sancti Remacli discipulum vocat, nam sanctus Remaclus ad Episcopatum Traiectensem promotus est longè post sancti Mononis Martyrium. Corrigendus etiam idem Author, cùm ait in Ecclesia beatissimæ Virginis, quam sanctus Ioannes supra tumulum sancti Mononis erexit, ab eodem sancto Ioanne institutos fuisse Clericos, quos hodie Canonicos appellamus: hoc enim beneficium in officio sancti Mononis à Pipino Rege se accepisse testantur ipsi Canonici. VI. * Nasson. MARTYRIVM S. MONONIS. * Ap Sur. d. 11. Od.

Circa hæc tempora, Bonitus Aruernus, cùm natus esset annos plùs minùs viginti, Sigiberti Regis aulæ se addixit, sic enim Author vitæ synchronus b. *Cùm natus adoleuisset, & esset præfata cum parentibus in vrbe, nempe Aruernica, constitutus, Grammaticorum imbutus initiis, necnon Theodosij edoctus decretis, cæterósque coætaneos excellens a Sophistis probatus atque prælatus est. Cùm verò adhuc pubentibus esset in annis, genitore iam defuncto, Deo gubernante, Regis ad aulam vsque processit, séque Sigeberti Principis ministerio tradidit.* Quænam munera in aula Sigiberti Regis obierit, paucis prosequitur idem Author. *Cùm ab eo, inquit, obnixè diligeretur, principem eum Pincernarum esse præ-* VII. b Ap Boland. d. 15 Ian. BONITVS IN AVLA SIGIB. R.

AN. CH. 643. SIGIB. III. R. 11. CLOD. II. R. 6.

cepit. Non multò pòst annulo ex manu Regis accepto Referendarij officium adeptus est. Quod ita splendidè commissum peregit, vt cunctis sibi Palatij ministeriis traditis, Principi & cunctis Proceribus placens esset & carissimus. Erat quidem corpore pulcher, sed pulchrior mente, pollénsque castitate. Non multò pòst accepit à Principe magnum honorem cum gratia.

VIII. Apud Aruernos Episcopus tunc erat Gallus. Nam teste Flodoardo [a] Anglebertus Remensis Episcopus cum Gallo Aruernorum Pontifice coram Sigiberto Rege controuersiam habuit pro quibusdam bonis, *quæ trans Ligerim Remensis habuerat Ecclesia, & Felix Abbas quidam Ecclesiæ Sancti Iuliani Martyris indebitè retinebat.* Successerat Gallus sancto Cæsario, cuius memoria Kalendis Nouembris celebratur. Huic Auctor Originum Claromontanarum Gallum regnante Sigiberto subrogatum contendit anno Christi circiter sexcentesimo quadragesimo-nono. At ex prædicta controuersia liquet Gallum Pontificalibus infulis citiùs insignitum fuisse, quamuis de anno aditæ dignitatis nihil certò statui possit. Adde quòd extant literæ [b], quas Gallus iam Episcopus ad Desiderium Caducensem Antistitem direxit, quando grauissima lues prouinciam Massiliensem depopulabatur.

[a] Lib. 2. c. 6.

GALLVS EPISCOPVS ARVERN.

[b] Epist. 12. ad Desider.

IX. Gallus diu non sedit, quia prouectæ iam erat ætatis cùm Episcopatum suscepit, officio enim Archidiaconi sub Auolo Pontifice fungebatur. Quandiu vixit, singulari veneratione prosecutus est sanctum Amabilem, in cuius tumulo exornando multus fuit. Quiescebat tum beatus Amabilis in Ecclesia sancti Hylarij, de qua sic Anonymus, qui de Ecclesiis & Altaribus in Claromonte consistentibus scripsit. *In Ecclesia sancti Hylarij, altare S. Hylarij, vbi S. Amabilis in corpore quiescit* Non desunt qui putent hodie Ecclesiam esse sanctæ Mariæ Magdalenæ, quæ ad iura Ricomagensis Ecclesiæ sancti Amabilis pertinet. Reliquiæ sancti Amabilis Claromonte posteà translatæ sunt Ricomagum *, vbi asseruantur in Basilica, quam olim in honorem sancti Benigni Martyris erexerat, cùm vici Ricomagensis parœciam iubente Aruernensi Pontifice regendam suscepisset. Habetur etiamnum Patronus Ricomagensium. Eius Natalis celebratur Kalendis Nouembribus, Translatio autem decimo-quinto easdem Kalendas. Lege Sauaronem in notis ad Ecclesiam [c] sancti Hylarij, & Gregorium Turonensem in libro [d] de gloria Confessorum, vbi obseruat Victorium Ducem diuinam vltionem expertum esse, quòd ad beati Amabilis Presbyteri tumulum orare despexisset.

EXORNAT TVMVLVM S. AMABILIS.

* *Riom.*

[c] Lib. 2. n. 12.

[d] Cap. 13.

X. Sub eodem Gallo Episcopo adoleuit Præiectus, cuius primordia sic in eius vita describuntur [e] ab Auctore coætaneo. *Sanctus Praiectus clarâ natalium lampade oriundus, Gondoleno atque Helidiâ parentibus procreatus, Aruernico territorio est exortus, ac priusquam nasceretur reuelationis mysterio designatus. Denique cùm adhuc clausus esset vtero, matri ostensa est visio, Sancto monstrante Spiritu. Vidit namque sibi per latera pignus egredi tinctum roseo baptismate, vnda sanguinis rubricante. Quod cùm cuidam Dei seruo genitrix Christiana narrasset, illicò agnouit, quòd nasciturus puer magnus in sæculo foret, & palmam Martyrij tradente Domino obtineret. Intereà nascitur puer elegans. Labentibus annis infantia, puer itia tempore subintrante, scholæ traditur Icciodorensi *, atque fauente Deo præ cætera turba sodalium proficiebat Ecclesiastico nutrimento. Cúmque polleret industriâ cantûs & literæ, parentes illius eum Genesio Archidiacono studuerunt commendare, qui postmodum Aruernicâ vrbe Præsulatûs obtinuit dignitatem*, nempe post Progolum qui sancto Gallo successerat.

[e] Ap. Bolland. die 25. Ian.

PRIMORDIA PRÆIECTI.

* *D'Issoire.*

XI. Plura de beato Gallo non legimus. Sepultus fuit in Ecclesia, quæ ab eo nomen accepit, & in catalogo Ecclesiarum & Altarium in Claromonte consistentium ita laudatur à vetere Anonymo [f]. *In Ecclesia Sancti Galli, altare Sanctæ Mariæ, vbi requiescunt S. Gallus, & S. Vrbicus, & S. Autolianus, &c.* Hæc Ecclesia suis ruinis sepulta ne sui quidem vestigium reliquit, & corpus sancti Galli iunioris quod in ea sepultum fuerat translatum est in Illidianam vbi custoditur à multis seculis, vt Anonymus [g] in libello de Illidiani Monasterij de-

S. GALLI SEPVLTVRA, TRANSLATIO.

[f] Lib. 1. n. 8.

[g] Ap. Sauar. lib. 1. n. 11.

dicatione, sexto Kalendas Iulias, anno Christi millesimo centesimo sexto, à Paschale Romano Pontifice illius nominis secundo, facta testatur his verbis. *In S. Illidy Monasterio, B. Venerandus Episcopus & S. Maria amore, alter. atque Sanctorum Martyrum, requiescit: necnon etiam beatus Gallus atque Cassius. S. Gallus in dextera, Cassius verò in parte sinistra quiescunt.* Iam monuimus latere nos quis ille tertius apud Aruernos beatus Gallus extiterit, qui sepultus erat in Ecclesia sancti Illidij, cùm duo Galli Pontifices, quorum suprà meminimus, senior in Ecclesia sancti Laurentij, iunior in Ecclesia sancti Galli quiescebant. Vt autem beatus Gallus, de quo nunc differimus, non semper quieuit in Ecclesia Illidiana, sic nec sancti Venerandus & Cassius, qui priusquàm in Illidianam transferrentur, quiescebant in propriis Ecclesiis Gregorio Turonensi non ignotis. *In Basilica*, inquit[a], *Sancti Venerandi, qua Sancti Illidy est proxima.* Et inferiùs[b]. *Est ibi & sepulchrum ipsius Sancti Venerandi, à quo hæc Ædes nomen accepit.* Illic beatus Venerandus adhuc quiescebat, cum de Claromontensibus Ecclesiis & Altaribus scribebat Anonymus, illam enim Ecclesiam ita commendauit[c]. *In Ecclesia sancti Venerandi, altare S. Iuliani & S. Basilissæ Antiochena, altare S. Quintini & S. Dionysij, altare S. Mariæ, vbi S. Venerandus, & S. Linguinus, &c. in corpore quiescunt.* Basilicæ sanctorum Illidij & Venerandi adeò vicinæ erant, vt hodie hæc intra hortos Illidianos sit inclusa. De Basilica sancti Cassij loquitur Interpolator Gregorij[d], cùm agit de Cautino Episcopo. *Erat, ait, ad Basilicam Sancti Cassij Martyris crypta antiquissima abditissimaque.* In illa Basilica beatus Cassius adhuc quiescebat, cum Anonymus sæpè iam laudatus librum de Ecclesiis & Altaribus in Claromonte consistentibus edebat, sic enim eandem Ecclesiam laudauit[e]. *In Ecclesia S. Cassij, altare S. Petri, altare S. Iuliani, vbi S. Cassius, & S. Victorinus, &c. quiescunt.* Hodie parochialis Ecclesia nomen sancti Cassij retinet.

AN. CH. 643. Sigib. III. R. 11. Clod. II. R. 6.

[a] De gloria Conf. c. 35.
[b] Cap. 37
[c] Lib. 1. n. 10.
[d] Lib. 4. c. 12.
[e] Lib. 1. cap. 9.

ANNVS CHRISTI 644.
SIGIBERTI III. R. 12.
CLODOVEI II. R. 7.

644. Sigib. III. R. 12. Clod. II. R. 7.

I. GODERICVS EP. MET. OBIT.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, die decimo-nono Septembris in cælum migrauit Godericus siue Abbo Metensis Episcopus, in Metensium enim Antistitum indice, quem Codex sancti Symphoriani Metensis suppeditauit, sedet annos octodecim, obijtque decimo-tertio Kalendas Octobris, quo die coli solet. *Huius sacrum corpus*[f] *primùm ad Sanctum Symphorianum sepultum retro altare Sanctorum Crispini & Crispiniani, inde Spinalium translatum est, vbi hactenus multâ fulget populi veneratione, scisso capite quod apud Sanctum Symphorianum relatum, illic religiosè hactenus conseruatur.*

[f] Martyrolog. Gallic. die 19. Septemb.

II. CONCILIVM CABILON. III.

Hoc anno celebratum putamus Concilium Cabilonense, habitum est enim regnante Clodoueo, cùm Audoenus, Eligius & Wlfolendus iam essent Episcopi, nondum verò promotus esset ad Presbyteratum Tillo, de cuius ordinatione sermonem anno sequenti faciemus. In illa Synodo conditi sunt Canones viginti, quibus hæc præfatio præfigitur. *Priscis quidem Canonibus nostitur institutum, vt Metropolitani cum eorum Comprouincialibus per singulos annos debeant in Synodali conuenire Deo propitiante Concilio. Sed nunc tam ex communi omnium voluntate quàm ex euocatione vel ordinatione Gloriosissimi Domni Chlodouei Regis, pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonensi vrbe in Ecclesia Sancti Vincentij pariter conglobati, ipsius Sancti Martyris intercessio-*

AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

nem poscentes, vt longæuitatem supradicti Principis suo suffragio mereremur, & inspiratione diuinâ interueniente, de Canonibus significaretur, quòd si fuisset aliquid prætermissum, vel per negligentiam aut ignorantiam vitiatum, in pristinum statum, sicut dudum fuerat à Sanctis Patribus statutum, deberet auxiliante Christo Domino reformari. Sequuntur Canones.

DECRETA. III. DE NICÆNA FIDE.

I. Ita omnes vnâ conspiratione & conuinente animo sentientes definiuimus, vt fidei norma, sicut in Nicano Concilio piâ est professione firmata, vel à sanctis Patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel in postmodum à sancto etiam Chalcedonensi Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conseruetur.

II. Canonum verò statuta ab omnibus intemerata seruentur.

IV. *III. Licèt iam prioribus Canonibus fuerit statutum, placuit tamen renouare, vt*
V. *si quis Episcopus, Presbyter aut Diaconus, vel quicumque ex Sacerdotali catalogo,*
DE CLERICIS. *præter personas, quæ in ipsis Canonibus continentur, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris vel adulterij possit adferre suspicionem, iuxta statuta Canonum ab ordine regradetur.*

VI. *IV. Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore, nec ordinentur, nec habeantur Episcopi, ne ree Ecclesia sanâ dimissione debeant partiri.* Huic Canoni occasionem dedit contentio, quæ vertebatur inter Agapium & Bobonem, vterque enim se Diniensem Episcopum dicebat gerebátque, vt infra constabit ex Canone vicesimo.

VII. *V. Seculares verò, qui necdum sunt ad Clericatum conuersi, res parochiarum,*
DE REBUS ECCLESIÆ. *vel ipsas parochias minimè ad regendum debeant habere commissas.*

VIII. *VI. Vt nullus ante audientiam res quarumlibet Ecclesiarum inuadere, aut auferre præsumat: quod qui fecerit, vt necator pauperum habeatur.*

IX. *VII. Vt defuncto Presbytero, vel Abbate, nihil ab Episcopo auferatur, vel Archidiacono, vel à quocumque de rebus parochiæ, vel Xenodochij, vel Monasterij aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit, iuxta statuta Canonum debeat coerceri.*

X. *VIII. De pœnitentia verò peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem hominibus*
DE POENITENTIA. *esse censemus, & vt pœnitentibus à Sacerdotibus datâ confessione indicatur pœnitentia, vniuersitas Sacerdotum noscitur consentire.*

XI. *IX. Pietatis est maxima & religionis intuitus, vt captiuitatis vinculum omni-*
DE MANCIPIIS. *no à Christianis redimatur. Vnde sancta Synodus noscitur censuisse, vt nullus mancipium extra fines vel terminos, qui ad regnum Domni Chlodouei Regis pertinent, penitus debeat venundare, ne, quod absit, per tale commercium, aut captiuitatis vinculo, vel quod peius est Iudaicâ seruitute mancipia Christiana teneantur implicita.*

XII. *X. Si quis Episcopus de quacumque fuerit ciuitate defunctus, non ab alio nisi à*
DE ELECTIONE EPISCOPORUM. *Comprouincialibus, Clero & ciuibus suis, alterius habeatur electio: sin aliter, huiusmodi ordinatio irrita habeatur.*

XIII. *XI. Peruenit ad sanctam Synodum, quòd Iudices publici contra veterem con-*
DE IUDICIBUS. *suetudinem per omnes parochias, vel Monasteria, quæ mos est Episcopis circuire, ipsi illicitâ præsumptione videantur discurrere; etiam & Clericos vel Abbates, vt eis præparent, inuitos atque districtos ante se faciant exhiberi: quod omnimodis nec religioni conuenit, nec Canonum permittit auctoritas. Vnde omnes vnanimiter censuimus sentientes, vt deinceps ista debeant emendare: & si præsumptione vel potestate quâ pollent, excepto inuitatione Abbatis vel Archipresbyteri, in ipsa Monasteria vel parochias aliquid fortasse præsumpserint, à communione omnium Sacerdotum eos conuenit sequestrari.*

XIV. *XII. Vt duo Abbates in vno Monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potes-*
DE ABBATIBUS. *tatis simultas inter Monachos, & scandala generentur. Verumtamen si quilibet Abbas sibi elegerit successorem, ipse qui eligitur de facultatibus ipsius Monasterij ad regendum nullam habeat potestatem.*

XV. *XIII. Vt nullus alterius Clericum retinere præsumat, sicut priscis est Canoni-*
DE CLERICIS. *bus statutum, nec ad sacrum Ordinem sine voluntate Episcopi sui penitus promouere.*

XIV. Nonnulli ex fratribus & coepiscopis nostris residentibus nobis in sancta Sy- | AN. CH.
nodo in querimoniam detulerunt, quòd Oratoria per villas potentum iam longo con- | 644.
structa tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi quorum villæ sunt Episcopis con- | SIGIB.
tradicant, & iam nec ipsos Clericos, qui ad ipsa Oratoria deseruiunt, ab Archidia- | III. R. 12.
cono coerceri permittant, quod conuenit emendari, ita duntaxat vt in potestate sit | CLOD.
Episcopi, & de ordinatione Clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad | II. R. 7.
ipsa Oratoria & officium diuinum possit impleri, & sacra libamina consecrari. Quòd | XVI.
si quis contradixerit, iuxta priscos Canones communione priuetur.

XV. Vt Abbates & Monachi, aut agentes Monasteriorum, patrocinio sæculari | XVII.
penitus non vtantur, nec ad Principis præsentiam sine Episcopi sui permisso ambu- | DE MO-
lare audeant. Quod si fecerint, à suis Episcopis excommunicentur. | NASTERIIS.

XVI. Vt nullus Episcopus, atque Presbyter, vel Abbas, seu Diaconus per præ- | XVIII.
mium ad sacrum Ordinem vllo modo penitus accedat. Quod qui fecerit, ipso honore, | DE CAVEN-
quem præmiis comparare præsumpserit, omnino priuetur. Ad hunc Canonem re- | DA SIMO-
spexit vetus Anonymus in vita sancti Tillonis, cùm operam exstirpandæ Si- | NIA.
moniacæ hæresi à sanctis Episcopis Audoeno & Eligio egregiè nauatam ita commendauit. *Crudeliter in diebus illis Simoniaca hæresis pullulabat, & in urbibus, & in cunctis finibus Francorum regni. Sollicitè tamen pro hoc inuigilabant sancti Episcopi Eligius & Audoenus. Et in commune cum ceteris viris Catholicis habito Concilio, suggesserunt Principibus & Optimatibus, ut mortiferos viros citò delerent de corpore Christi, id est, vniuersali Ecclesiæ. Habuit itaque effectum pia petitio eorum, & libenter obtinuerunt quod deuotè rogauerunt. Tunc placuit omnibus simul cum Regis imperio, ut nullus pretio dato ad Sacerdotale admitteretur officium, qui velut lupi rapaces munera dando mercari putabant dona Spiritûs Sancti. Sed potiùs viri vitæ irreprehensibilis ad officium Presbyterij eligerentur. Post hæc elegit sanctus Eligius sanctum Tillonem ad supradictum officium*, nempe Presbyterij, ut anno sequenti dicemus, atque inde obiter collige eos errare qui Concilium Cabilonense post hunc annum reiiciunt. Textum autem, quem ex vita sancti Tillonis proximè recitauimus, penè ad verbum transcripsit, & vitæ sancti Eligij apud Audoenum sic inseruit Interpolator. *In diebus illis Simoniaca hæresis pullulabat in urbibus, & in cunctis finibus regni Francorum, maximéque de temporibus Brunichildæ infelicissimæ Reginæ, usque ad tempora Dagoberti Regis; violabat hoc contagium Catholicam fidem. Sollicitè tamen pro hoc inuigilabant sancti viri Eligius & Audoenus, & communi cum ceteris Catholicis viris habito consilio suggesserunt Principi & Optimatibus eius, ut hoc mortiferum virus citò deleretur de corpore Christi, quod est vniuersalis Ecclesia. Habuit itaque effectum eorum pia petitio, & libenter obtinuerunt quod deuotè rogauerunt. Tunc ergo placuit omnibus, uno in Spiritu Sancto accepto consilio, simul cum Regis imperio, ut nullus pretio dato ad Sacerdotale officium admitteretur, neque eos, qui ut lupi rapaces dando munera, mercanda censebant dona Spiritûs Sancti, sed hos potiùs, qui esset boni testimonij viri, & irreprehensibilis vitæ, ad officium Pontificatus eligerent.* Audoenus nunquam de se locutus est adeò magnificè, numquam se sanctum appellauit. Deinde in istis vocibus (*maximéque de temporibus Brunechildæ infelicissimæ Reginæ, usque ad tempora Dagoberti Regis*) manifestum est indicium Interpolationis, desiderantur enim in vita sancti Tillonis, nec occurrit ratio cur vitæ sancti Eligij potiùs inserantur. Addequòd in vita sancti Eligij cum superioribus non benè cohærent, quia si regnante Clodouæo Dagoberti filio, cùm Eligius & Audoenus in Episcopos assumpti sunt, *Simoniaca hæresis pullulabat in urbibus & in cunctis finibus regni Francorum*, perperam subiungitur Gallias hoc morbo laborasse *maximè de temporibus Brunichildæ infelicissimæ Reginæ, usque ad tempora Dagoberti Regis*, qui Clodouæum filium in regno antecessit. Nemo non videt hanc mentem fuisse Scriptoris, ut culpam omnem refunderet in Brunichildem, quam ex multorum nefariè calumniantium relatione flagitiosissimam fuisse censebat, excusarétque Dagobertum, apud quem in amicitia fuerat Eligius. Atque vel

AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

ex hoc abundè constat vitam sancti Eligij apud Audoenum deprauatam ac interpolatam fuisse.

XIX. DE ASYLO ECCLESIÆ.

XVII. Canon. *Et quia multa per præsumptionem proueniunt, quæ Deo minùs placita, & Sacris Canonibus videntur esse contraria, quæ à Sacerdotibus necesse est coerceri, ita Sancta Synodus instituit, vt nullus sæcularium nec in Ecclesia, nec infra atrium ipsius Ecclesiæ, qualecumque scandalum, aut simultates penitus excitare præsumat, nec arma trahere, aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere. Quòd si quis fortasse præsumpserit, ab Episcopo loci illius, vbi factum fuerit, ipse iuxta statuta Canonum communione priuetur.*

XX. DE DIE DOMINICO.

XVIII. Licèt generaliter ab omnibus Catholicis & Deum timentibus diem Dominicum, quod est prima Sabbati, conuenit obseruari, & sicut in superioribus Canonibus est statutum, non aliquid noui condentes, sed vetera renouantes instituimus, vt in ipso die Dominico ruralia opera, id est, arare, secare, messes metere, exartos facere, vel quicquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat. Quod qui inuentus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur. Hunc Canonem illustrat Canon duodetricesimus tertiæ Synodi Aurelianensis, in quo hæc leguntur. *De opere rurali, id est, arato, vel vinea, vel sectione, messione, excussione, exarto, vel sepe, censuimus abstinendum, quò faciliùs ad Ecclesiam venientes orationis gratiâ vocent.*

XXI. DE BANSATRICIBUS ABIGENDIS.

XIX. Multa quidem eueniunt, quæ dum leuia minimè corriguntur, sæpiùs maiora consurgunt. Valdè enim omnibus noscitur esse indecorum, quòd per dedicationes Basilicarum, aut festiuitates Martyrum, ad ipsa solennia confluentes chorus fœmineus turpia quidem & obscena cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut Clericos psallentes audire. Vnde conuenit vt Sacerdotes loci talia à septis Basilicarum, vel porticibus ipsarum, ac etiam ab ipsis atriis vetare debeant & arcere. Et si voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplinæ aculeum sustinere. Eiusmodi fœminas Childebertus Primus in sua Constitutione bansatrices vocauit, vetuitque ne diebus Dominicis per villas ambularent, vt obseruauimus suo loco.

XXII. DE EPISCOPIS DINIENSIBUS.

XX. Agapium verò & Bobonem Diniensis vrbis Episcopos, pro eo quòd ipsos contra statuta Canonum in multis conditionibus errasse & deliquisse cognouimus, ipsos iuxta tenorem Canonum ab omni Episcopatuum ordine decreuimus degradare. Quamobrem duo fuerint, aut quibus in rebus errarint Dinienses isti Episcopi, coniectu facile non est, *nisi quod*, vt Petrus Gassendus in Ecclesiæ Diniensis notitia scribit, *suspicari licet, fuisse eos viros ambitiosos, paribus fortè suffragiis creatos, paribus factionibus fretos excitasse tragœdias, vi constitisse, alternis vicisse.*

XXIII. LITERÆ SYNODAL. AD THEOD. EP. AREL.

Præter illos viginti Canones Concilij Cabilonensis, extat hæc epistola Synodalis ad Theodosium Episcopum Arelatensem. *Domino semper peculiari suo Theodosio cœtus Episcoporum, qui nuper est Cabilono vrbe cum Christi gratia adunatus. Omnibus veridicâ relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse, quòd Gloriosus Dominus Clodoueus Rex in suprascripta vrbe Cabilono VIII. Kalendas Nouembris Synodale præcepit esse Concilium. Vbi omnibus nobis, qui in Basilica Domni Vincentij pariter residentes vestrum aduentum, dum vos propinquos, & iam in ipsa vrbe esse audiuimus, omnimodis præstolati sumus, datur intelligi pro qua re vos in ipso Concilio non voluistis adesse, dum multa aduersùs vos, & de indecenti vita, & de excessu Canonum, quod maximè condolemus, perulgata narrantur. Nam & scripta, qualiter vos constitit pœnitentiam fuisse professas, vestrâ manu vidimus; & Comprouincialium vestrorum manibus roborata. Vnde vos credimus iam legisse, nec nos penitus ignoramus, quòd qui publicè pœnitentiam profitetur, Episcopalem Cathedram nec tenere, nec regere potest. Propterea salutantes Beatitudinem vestram honorificè, indicamus vt vsque ad aliam Synodum de Arelatensi Sede, vbi vos constat Pontificalem Cathedram tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius Ecclesiæ nihil ad vestram dominationem, donec in audientia ante fratres conueniatis, penitus præsumatis.* Quid deinde secutum sit, ignoramus, quia deinceps in Historiis nulla fit Theodosij memoria. De Ioanne illius successore

cessore agentes ad annos Christi sexcentesimum quinquagesimum secundum & sexcentesimum duodeseptuagesimum. AN. CH. 644.

SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

Concilio Cabilonensi subscripserunt Episcopi undequadraginta & ab Episcopis directi Abbates quinque cum uno Archidiacono.

XXIV. SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM

Ex provincia Lugdunensi prima subscripserunt qui iam à nobis laudati sunt Candericus seu Gandericus aut Gaudericus Episcopus Lugdunensis Metropolitanus, Deodatus Episcopus Matisconensis, Ferreolus Episcopus Augustodunensis, Bertoaldus Episcopus Lingonensis, & Gratus Episcopus Cabilonensis. Sermo recurret de Ferreolo & Grato, de ceteris minimè.

XXV. EX LUGDUNENSI I. FERREOLI AUGUSTODUN. GRATI CABILON.

Gandericus Lugdunensis Episcopus post Concilium Cabilonense diu non vixit, nam qui Ganderico successit Viventius antecessit Annemundum, qui regnante Clodoveo Pontificatum gessit Martyriúmque consummavit. Viventius ex Abbate sancti Iusti factus est Episcopus Lugdunensis. Laudatur in Actis sancti Baldomeri Subdiaconi. Colitur ut Sanctus in Historia Ecclesiastica Lugdunensium [a], omittitur autem in Indiculo Sanctorum Lugdunensium à Reynaudo, qui Viventium, quoties Sanctus dicitur, pro Viventiolo sumi suspicatur.

XXVI. GANDERICI LUGD.

[a] Part. 1. Sect. 12.

Deodatus Episcopus Matisconensis anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo, ut Tomo superiore diximus, Episcopatum iam obtinebat. Ei successit Decius secundus, tum Domnolus. De utriusque ætate disputabimus alibi.

XXVII. DEODATI MATISC.

In catalogo Lingonensium Episcoporum post Bertoaldum, qui Concilio Cabilonensi Tertio interfuit, recensetur Sigoaldus, de quo plura inferius.

XXVIII. BERTOALDI LINGONENSIS.

Ex provincia Lugdunensi secunda Concilio Cabilonensi subscripserunt Audoenus Episcopus Rotomagensis Metropolitanus, Chairibonus Episcopus Constantinus, Amlacarius Episcopus Sagensis, Launobodus Episcopus Lexoviensis, Ragnericus Episcopus Ebroicensis, & Betto Episcopus de Iuliobona. Inter sex illos Episcopos, si unum Audoenum excipias, nullus est cuius alia memoria fieri possit in nostris Annalibus, quàm quòd Concilio Cabilonensi interfuerit. Iuliobona * oppidum est in Caletibus, pago Rotomagensi, ubi Sedes Episcopalis stata non fuit, Bettoni tamen Episcopo attributus fuerat hic locus sicut Austrapio Sellense * castrum in pago Pictaviensi, Dunense * Aventino & Promoto in pago Carnotensi, ut suis locis retulimus ex vita sancti Aventini & ex Gregorio Turonensi [b].

XXIX. EX LUGDUNENSI II. AUDOENI ROTOMAG. BETTONIS IULIOBON.

* Lislebonne au Pays de Caux.

* Selles en Poitou.

* Chasteaudun.

[b] Lib. 4. c. 18. lib. 7. c. 17.

Amicalarius sive Amlacarius aut Anicalarius vel Amilcarius, qui Concilio Cabilonensi subscripsit, in Episcopatum Sagiensem successit Raverenno seu Raverenno, cuius decessor Rodobertus sedebat anno Christi quingentesimo nonagesimo-sexto, ut ad illum annum [c] in obitu sancti Ebrulfi notavimus. Apud Chenutium & Severtium Raverenus ex Monacho fit Episcopus. De Raverenni Monachatu silet Demochares. Locum, ubi Raverenus Monasticam vitam duxerit, Robertus & Sammarthani vocant Fontanellam. Non inficiamur Raverenum Monachum induisse priusquàm ad Episcopales infulas assumeretur, sed eum è numero Fontanellensium Monachorum extitisse meritò negamus, quia priùs ex hac vita discessit quàm Fontanellense Monasterium construeretur, cuius primordia cum anno Clodovei Regis undecimo, Christi sexcentesimo duodequinquagesimo coinciderunt. Post Amlacarium autem in Cathedra Sagiensi sederunt, Gaufridus, Robertus, Aunobertus, de quo sermonem faciemus ad annum Christi sexcentesimum duodenonagesimum, quo Concilium Rothomagense celebravit Ansbertus Metropolitanus Episcopus.

XXX. AMLACARII SAGIENSIS.

[c] Num. 17.

Constantiensium Episcoporum sub Metropolita Rothomagensi catalogus, quem Sammarthani publicarunt in auctiore Gallia Christiana, ceteris quos va[illegible], Nomenclatores anteà concinnarant, longè præstat, suis tamen non caret n[illegible]vis. Sancto Lautoni subrogat Rumpharium, Ursicinum sive Ursinum, Vl-[illegible]obertum, Lupicium?, Romacharium, Huldericum, Waldomarum seu B[illegible]ldomerum, Chairibonum qui Concilio Cabilonensi subscripsit. At cùm beatus Lauto seu Laudus sanctum Paternum Abrincensem Episcopum anno

XXXI. CHAIRIBONI CONSTANTIEN.

AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

Christi quingentesimo sexagesimo-tertio sepelierit, annóque Christi quingentesimo duodeseptuagesimo Romacharius teste Fortunato [a] interfuerit dedicationi Namnetensis Ecclesiæ, Lautoni Romacharium arbitramur successisse. Romacharius vt ex Gregorio Turonensi [b] probauimus, superstes in viuis erat ineunte anno Christi quingentesimo octogesimo-sexto. Idem nobis videtur cum Rumphario, quem Robertus & Sammarthani scribunt Hermolai & Delphinæ filium fuisse, patriâ Britannum siue Anglum, colique die decimâ-nonâ Nouembris. Saussaius ad diem præcedentem hæc habet. *Constantia in Normania sub secunda Lugdunensi S. Rumpharij Episcopi eiusdem ciuitatis & Confessoris. Qui illustrium in Anglia parentum Hermolai & Delphinæ filius, natalium dignitatem, rara pietatis insignis admodum decorauit. Quibus cùm suis coætaneis praecelleret, vt auræ popularis ingratos sibi declinaret rumores, patriâ excessit, atque in Neustriam appellens, omni humano subsidio destitutus, totus se cælo commisit. Diúque in secessu agri Constantiensis diuina speculatus, miráque etiam in Dei obsequio & incolarum salute operatus, sancto Laudo ad cælestia euocato, Dei nutu eius in vicem, quâ omnium dignissimus erat, sublectus est*, &c. Vrsinum siue Vrsicinum restituimus Constantiæ ad Rhenum. Successit igitur Romachario seu Rumphario Vlphobertus, tum Lupicius, Huldericus, Waldomatus seu Baldomerus, Chairibonus, de cuius successoribus, qui solis nominibus noti sunt, agemus ad annum Christi sexcentesimum duodenonagesimum in Concilio Rothomagensi sub Ansberto Metropolita.

[a] Lib. 3. c. 4.
[b] Lib. 8. c. 31.

XXXII. Mancus est catalogus Episcoporum Lexouiensium. Ante Radulfum, qui sedebat anno Christi octingentesimo tricesimo-quinto, tres tantùm numerantur; Theodobaudus seu Theodobaudis, qui Conciliis Aurelianensibus tertio, quarto & quinto, sub Childeberto primo Rege subscripsit; Ætherius, cuius mentio fit apud Gregorium Turonensem [c] ad annum nonum Childeberti Secundi Regis, id est, ad annum Christi quingentesimum octogesimum-quartum; & Launobodus qui Concilio Cabilonensi præsens interfuit. Horum nullum in nostris Annalibus omisimus, quia nec prædicta Concilia nec scripta Gregorij Turonensis nos latuerunt. Episcopi Lexouienses abierunt in Lexobienses, inter quos septuagesimum locum apud Albertum de Monte Relaxo, septuagesimum-quartum apud alios Auctores obtinet Martinus, qui Præsulatum gerebat, cùm celebratum est Concilium Cabilonense de quo nunc agimus.

[c] Lib. 6. c. 36.

LAVNOBODI LVXOVIENS.

XXXIII. RAGNERICI EBROICENS.

De Ragnerico Episcopo Ebroicensi, qui Concilio Cabilonensi subscripsit, déque illius antecessoribus iam locuti sumus ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum-septimum [d] occasione Ferrocincti, qui Concilio Parisiensi tertio tunc habito interfuit. Ragnerico, qui Synodo Cabilonensi diu superstes haud vixit, in Pontificatum successit Æternus, de quo infrà [e].

[d] Num. 17.
[e] An. 652. num. 60.

XXXIV. EX LVGDVNENSI III.

Ex prouincia Lugdunensi tertia Concilio Cabilonensi subscripserunt tres Abbates vnúsque Archidiaconus à totidem Episcopis iam laudatis directi, Betto Abbas missus à Latino Episcopo Turonensi Metropolitano, Chaddo Archidiaconus missus à Salappio Episcopo Namnetico, Chagnoaldus Abbas missus à Chadoindo siue Hardoindo Episcopo Cenomannico, & Bertulfus Abbas sancti Melanij missus à Durioterò Episcopo Redonico. Agemus de obitu Latini, Chadoindi & Durioteri, suis locis. Incertum quo Salappius anno decessit. Ei successit in Episcopatum Namnetensem Taurinus, de quo nos inferiùs ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum.

XXXV. EX LVGDVNENSI IV.

Ex prouincia Lugdunensi quarta Concilio Cabilonensi subscripserunt Armentarius Episcopus Senonensis Metropolitanus, Rauracus Episcopus Niuernensis, Palladius Episcopus Autissiodorensis, Audo Episcopus Aurelianensis, Malardus Episcopus Carnotinus & Germoaldus Abbas missus ab Audoberto Episcopo Parisiensi. Mentionem horum Episcoporum iam fecimus.

XXXVI. EX LVGDVNENSI V.

Ex prouincia Lugdunensi quinta Concilio Cabilonensi subscripserunt tres Episcopi, Donatus Vesontiensis Metropolitanus, Florentinus seu Florentius

AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 11. CLOD. II. R. 7.

Bellicensis & Amicus Lausannensis. De Donato & Florentio iam locuti sumus. Amicum in Episcopatum Lausannensem successerat Egilolpho, hic Macmerio, de quo nos Tomo secundo post obitum sancti Marij.

Ex prouincia Viennensi prima Concilio Cabilonensi subscripsere quatuor Episcopi, Landalenus Viennensis Metropolitanus, Pappolus Genauensis, Ingildus Valentinus & Clarus Gratianopolitanus.

XXXVII. Ex Viennensi. Landaleni Viennensis.

In Gallia Christiana copiosissimus extat hodie catalogus Episcoporum Genauensium. Inter Pappulum enim & Salonium, quorum alter Tranquillum Presbyterum ad Concilium Aurelianense quintum anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo direxit, alter anno Christi quingentesimo sexagesimo-septimo Synodum Lugdunensem secundam sua subscriptione communiuit, Episcopi septem à Sammarthanis cum nudis solùm nominibus hoc recensentur ordine, *Gregorius, Nicetius, Rusticus, Patricius, Hugo, Andreas, Gratus*, de quibus quid censeremus ad annum Christi sexcentesimum-secundum [a] iam exposuimus. Deinde inter Pappolum & Arталdum quorum alter Concilio Cabilonensi subscripsit, alter anno Christi octingentesimo decimo-sexto sedit, ab iisdem Auctoribus enumerantur vndecim Episcopi; nouem sic, solis nominibus noti, *Robertus, Aridanus, Hpoaldus, Albo, Hypertunus, Frobertus, Gubertus, Renenbertus, Lutberius*; duo postremi sic; *Posthertus sedit an. 16. Walternus sedit annis 36.* Tot autem Episcopos illis temporibus in eadem Cathedra sedisse vix quisquam sibi persuadebit. Indicem Episcoporum Genauensium suprà citatum suspicamur ex Genauensibus & Gabalitanis simul confusis coaluisse. Nostram opinionem duæ res non inualidè confirmant. Episcoporum Gabalitanorum, siue, vt hodie vocant, Mimatensium catalogus à temporibus Dagoberti Primi Regis, cui sanctus Ilerus coætaneus vixit, vsque ad ætatem Ludouici Pij, cui sanctus Fredaldus synchronus fuit, mancus inuenitur. Præterea Gebennæ nomen, quod monti Rhodanum inter & Garumnam per Aruernos, Velaunos & Heluios in longum maximè extento congruit, ad vrbem Geneuam imperitè detorquetur à nonnullis, qui potiorem auctoritatem se nacturos rati deflectunt etiam Heluios in Heluetios, & à Philippo Ferrario in Lexico Geographico sugillantur. Inde Gebennenses Episcopi sunt dicti non Gabalitani modò sed & Genauenses. Certè non ciues tantùm sed etiam Comites & Episcopi Genauenses à Sammarthanis Gebennenses appellantur. Ciues sic, *Inter cæteros ciues Gebennenses ad fidem conuersus fuit S. Celsus.* Comites sic. *Post Burgundiones Principes dominium vrbis obtinuere Comites Gebennenses, quibus extinctis transiit ad potestatem Comitum Sabaudiæ.* Episcopi sic. *Episcopos Gebennenses tam ex veteris Ecclesiæ Geneuensis membranis, quàm ex variis Codicibus MS. fide dignis instrumentis & probatis Auctoribus primus collegit Samuel Guichenon*, &c. Imò ipsamet Ecclesia Genauensis ab iisdem Scriptoribus vocatur Gebennensis, illiusque Membranæ seu Tabulæ, Gebennenses appellantur. Ecclesia Genauensis sic. *Diogenus primus Gebennensis Ecclesiæ Antistes.* Membranæ, Tabulæ, Codices, sic. *Antecessorum tum*, nempe Græci, quem Salonij decessorem putant, *vsque ad Pappulum memoria colligitur tantùm ex Tabulis Gebennensibus.* Item. *Robertus, cuius nudum nomen ex fide Codicis Gebennensis exhibemus, vti & sequentium Præsulum*, Aridani videlicet aliorúmque septem suprà nominatorum. Hæc obiter breuiterque de Præsulibus qui post Synodum Cabilonensem Diœceses Genauensem & Gabalitanam seu Mimatensem ad nonum vsque seculum administrarunt.

XXXVIII.

[a] Num. 1.

Pappoli Genavensis.

Ingildus Valentinensis Episcopus, qui Concilio Cabilonensi subscripsit, sedit post Aigulfum cuius meminimus ante quadriennium ex Fredegario [b]. Successores habuit Æmilianum & Antonium, quos multi præposuerunt. Lege quæ superiùs dicta sunt ad annum Christi DCXXXIV. [c] occasione Saluij Episcopi, qui disputauit cum hæretico in Synodo Aurelianensi sexta priusquam Audoenus & Eligius Episcopalibus infulis redimirentur.

XXXIX. Ingildi Valentin.

[b] Cap. 90.

[c] Num. 9.

AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

Clarus Episcopus Gratianopolitanus, qui Concilio Cabilonensi subscripsit, in plerisque nomenclaturis medius ponitur inter Esychium & Fergeolum, quorum alter teste Gregorio Turonensi [a] pro sedando scandalo, quod in Monasterio à beata Radegunde Pictauij constructo excitatum fuerat, anno decimo-quarto Childeberti Secundi Regis, id est, anno Christi quingentesimo vndenonagesimo multùm laborauit, alter obiit superstite in viuis Ebroino Maioredomûs, vt suo loco dicturi sumus. XL. Nihil Chronologiæ refragari videtur in Esychio & Claro, quia post annum Christi quingentesimum vndenonagesimum diu viuere potuit Esychius, nec extra fidem est illius successorem ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum peruenisse. Sed de Fergeolo non ita conuenimus. Fergeolum enim proculdubiò antecessit Boso, de quo nos ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum [b].

[a] Lib. 9. c. 41. — CLARI GRATIANOP. — [b] Num. 25.

XLI. EX VIENNENSI II. PETRONII VASION.

Ex prouincia Viennensi secunda Concilio Cabilonensi quatuor subscripserunt Episcopi, Magnus Auenionensis, Betto Tricastinensis, Licerius Vindausceensis seu Carpentoractensis, & Petronius Vasionensis, de cuius successoribus nihil hodie legitur vsque ad medium nonum seculum.

XLII. MAGNI AVENION.

In Collectione Biniana, Magnus, qui Concilio Cabilonensi subscripsit, dicitur Episcopus Atrebatensis; in Codice Bellouacensi, quem Sirmondus publicauit, nomen Ecclesiæ non exprimitur: Atrebates cum Cameracensibus Autberto Episcopo tunc subiacebant, nec vllus præter Auenionensem, cuius ante triennium [c] iam meminimus, in Gallijs erat Episcopus qui Magnus appellaretur.

[c] An. 641. n. 6.

XLIII. BETTONIS TRICAST.

In eadem editione Binij, Betto Tricastinensis Episcopus desideratur inter Antistites qui Concilio Cabilonensi subscripserunt, cuiúsque loco ponitur Leusus Episcopus Ecclesiæ Trecassinæ vel Trecensis. Vt Bettonem Tricastinensem * retineamus suadet authoritas Codicis Bellouacensis, quamquam non negamus Leusum seu Lupum huius nominis secundum per hæc tempora in Episcopatum Trecensem * Ragnegisilo successisse, vt ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-primum [d] iam monuimus, cùm Historiæ Frodobertinæ textum exponeremus, in quo Trecenses Episcopi Ragnegisilus & Abbo, ille decimus-septimus, hic vicesimus-primus, numerantur. Post sanctum Eusebium, qui decimo Kalendas Apriles in Ecclesia Tricastina colitur, &c, vt suo loco diximus, anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto sedere cœpit, in auctiore Gallia Christiana [e] proximè ponitur Betto, qui Concilio Cabilonensi subscripsit. De successoribus autem Bettonis agemus alio loco.

* *De Trois-Chasteaux.* — * *De Troyes.* — [d] Nu. 16. 17. — [e] Tom. 3.

XLIV. LICERII CARPENTORACT.

In vulgatis exemplaribus Concilij Cabilonensis, Licerius vocatur Episcopus Ecclesiæ Ausciorum, errore Librariorum, qui non ausi sunt Episcopum exhibere Vindausceensem, cùm ignorarent Episcopos Carpentoractenses olim dictos etiam fuisse Vindausceenses à Vindausca vicino oppido. Diœcesim Ausciensem tunc regebat Perpetuus Episcopus, cuius mentio fit apud Robertum in Gallia Christiana post Audicium siue Audericum, quem Concilio Remensi interfuisse anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto docuimus ex Flodoardo [f].

[f] Lib. 2. cap. 5.

XLV. EX ALPIB. MARITIMIS.

Ex prouincia Maritimarum Alpium, Concilio Cabilonensi duo subscripserunt Episcopi, Ætherius Ebredunensis Metropolitanus, & Aurelianus Venciensis seu Vinciensis.

XLVI. ÆTHERII EBREDVN.

Sammarthani duos statuunt Ætherios Ebredunenses Episcopos; vnum, quem in Actis Sanctorum, Vincentij, Orontij & Victoris Martyrum commendari volunt; alterum, quem asserunt priori successisse, prædictorum Martyrum passionem scripsisse, & Synodo Cabilonensi interfuisse. Sed horum Actorum Auctorem Anonymum, eiúsque decessorem Ætherium Episcopum, qui corruptè *Antinciæ* Ecclesiæ Antistes legitur, Auenticæ Diœcesi iampridem restituimus [g], itaut inter Præsules Ebredunenses vnum duntaxat agnoscamus Ætherium, qui post Albinum à nobis anno Christi sexcentesimo tricesimo laudatum sedit, & Concilio Cabilonensi sub Clodoueo Secundo Re-

[g] An. 548. n. 96.

ge subscripsit. Ceterum de Præsulibus Ebredunensibus post illam Ætherij subscriptionem vsque ad medium octauum seculum nihil legitur. AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 11. CLOD. II R. 7.

Tres tantum Vincienses Episcopos hactenus commemorauimus; Deutherium, qui sedebat anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo, cùm celebratum est Concilium Aurelianense Quartum, & teste Gregorio Turonensi [a] desijt esse in viuis anno decimo-tertio Childeberti Regis, id est, anno Christi quingentesimo duodenonagesimo; Fronimium, qui Deutherio successit in Episcopatum, vt idem Gregorius affirmat; Aurelianum, qui Concilio Cabilonensi subscripsit. Exinde autem hiatus est in catalogis ad annum vsque Christi octingentesimum tricesimum-quintum. XLVII. AVRELIANI VINCIENS.

[a] Lib. 9. c. 24.

Ex prouincia Graiarum Alpium, Concilio Cabilonensi tres interfuerunt Episcopi, Baudomeris Tarantasiensis Metropolitanus, Protasius Sedunensis, & Leborius Maurianensis. XLVIII. EX ALPIB. GRAIIS.

A Concilio Matisconensi Secundo ad Cabilonense Tertium effluxerunt anni quinquaginta-nouem. Tarantasiensem Diœcesim administrabat Martianus Episcopus, cùm habita est Synodus Matisconensis Secunda. Post eum curam eiusdem Ecclesiæ gesserunt *S. Eraclius*, *Senatus*, *Turricus*, *Probinus*, tum Baudomeris seu Baudomerus vel Bondemerus, qui Concilio Cabilonensi subscripsit. Bondemerum secuti sunt, Emiterius, Widenardus, Ioannes, Leodrandus, aliique solis nominibus noti. Lege Franciscum Augustinum ab Ecclesia in Historia Regionis Pedemontanæ [b]. XLIX. BAVDOMERIS TARANTAS.

[b] Cap. 47.

Protasius Sedunensis Episcopus, qui Synodo Cabilonensi subscripsit, à plerisque Nomenclatoribus omittitur, locum obtinere debet post Leutmundum, cuius adhuc superstitis meminimus ad annum Christi sexcentesimum decimum sextum [c]. L. PROTASII SEDVNENS.

[c] Num. 4.

Tomo superiore primum Ecclesiæ Mauriennensis Antistitem regnante Guntchramno constituimus Hiconium, quem Fredegarius [d] anno Theodorici Regis septimo, siue anno Christi sexcentesimo secundo, in viuis superstitem fuisse testatur. Illi successit in Episcopatum Leborius qui Concilio Cabilonensi subscripsit. De successoribus autem Leborij, nihil ante nonum seculum occurrit, excepto quòd nonnulli Scriptores mentionem sancti Æmiliani faciunt, nullo apposito Charactere Chronologico. LI. LABORII MAVRIAN.

[d] Capp. 21. 22.

Ex prouincia Narbonensi secunda, Synodo Cabilonensi tres interfuerunt Episcopi, Potentissimus Vappicensis, Claudius Regensis & Deocarius Antipolitanus. De Potentissimo eiusque decessore Valatonio locuti iam sumus ad annum Christi sexcentesimum quartum [e], quo Valatonius Episcopatum suscepit; item de Claudio ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quintum [f], quo Concilium Remense cum Sonnatio aliisque Pontificibus celebrauit [g]. De Claudij successoribus agemus infrà. Successores autem Potentissimi desiderantur ad annum vsque Christi septingentesimum septuagesimum-octauum. Quod attinet ad Episcopos Antipolitanos. A tempore quo ciuitas Antipolitana venit in potestatem Francorum ad Concilium vsque Cabilonense Tertium in catalogis tres tantùm occurrunt Antistites, Eucerius, Eusebius & Optatus, quos etiam cum ceteris alta sepeliuisset obliuio, nisi subscriptiones Conciliorum Aurelianensium Quarti & Quinti, Parisiensis Quarti & Matisconensis Secundi superessent. In iisdem nomenclaturis hi duo proximè sequuntur, Deocarius & Aribertus, noti quoque solis Conciliis, Deocarius Cabilonensi quod anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto celebratum est, Aribertus Narbonensi quod in annum Christi septingentesimum duodenonagesimum incidit. LII. EX NARBONENSI II. POTENTISSIMI VAPPICENS. CLAVDII REIENSIS. DEOCARII ANTIPOLITANI.

[e] Num. 6.
[f] Num. 10.
[g] Flodoard. lib. 4. cap. 1.

Ex Belgica secunda, Concilio Cabilonensi duo tantùm subscripserunt Episcopi; Bertefredus Ambianensis, Berhardi, de quo multa superiore Tomo diximus, successor; & Eligius Nouiomensis, de quo iam locuti sumus etiam suprà. Beatus Audoenus in vita sancti Eligij sodalis sui scribit occasionem extitisse cur Eligius tunc Episcopus Prouinciam adiret. Id hoc anno post Synodam LIII. EX BELGICA II.

AN.CH. 644. SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

Cabilonensem contigisse credimus. Eligius in reditu *Aurelianum Vceten-sem Episcopum* inuisit. Aurelianus in Episcopatum Vcetiensem * successerat Marcello, cuius mentionem fecit Interpolator Gregorij Turonensis, vt ad annum Christi quingentesimum octogesimum-septimum [a] obseruauimus.

Ex Aquitania prima, Concilio Cabilonensi subscripserunt Wlfoledus Episcopus Bituricensis Metropolitanus & Paternus Abbas vice Felicis Lemouicensis Episcopi.

* *d'Vsez.*
[a] Num. 6.

LIV. EX AQVITANIA I.

LV. EX SOLIS DITIONIB. CLODOVEI.

Ad Cabilonense Concilium ex solis Clodouei Regis ditionibus conuenerunt Episcopi, cur ita contigerit, exponunt Patres in ipsa Synodi præfatione. *Priscis quidem*, inquiunt, *Canonibus noscitur institutum, vt Metropolitani cum eorum Comprouincialibus per singulos annos debeant in Synodali coniungi, Deo propitiante, Concilio. Sed nunc tam ex communi omnium voluntate quàm ex euocatione vel ordinatione Gloriosissimi Domini Chlodouei Regis, pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonensi vrbe in Ecclesia sancti Vincentij pariter conglobati*, &c. Tunc vniuersa Francia in duos diuidebatur Principatus, quorum alter Clodoueo Regi, alter Sigiberto Regi, Clodouei fratri natu maiori, parebat. Cùm autem duo vel plures in Francia regnabant Reges, si quis eorum in suo regno Synodum congregandam curabat, eidem Concilio adesse non licebat Episcopis, quorum Diœceses in alia erant ditione. Quapropter in præfatione secundæ Synodi Aurelianensis, ad quam variis ex regnis Episcopi confluxerunt, Patres non ex præceptione Childeberti Regis cui ciuitas Aurelianensis obtemperabat, sed in plurali numero *ex præceptione Gloriosissimorum Regum* se conuenisse dicunt hoc modo. *Cùm ex præceptione Gloriosissimorum Regum in Aurelianensem vrbem, de obseruatione legis Catholicæ tractaturi, Deo auxiliante, conuenissemus*, &c. Tantùm abest vt Sigibertus Austriæ Rex Episcopos sui Regni cum Præsulibus fraternarum ditionum eidem interesse Concilio voluerit permiseritve, quin literis ad Desiderium Cadurcensem Antistitem scriptis testatus est sibi plurimùm displicere, quòd se inconsulto Wlfolendus Bituricensis Episcopus, Aquitaniæ primæ Metropolitanus, Synodum Comprouincialium Antistitum habere statuisset in loco ditionis Austrasianæ, vetuitque ne absque suo consensu Pontifices Aquitaniæ primæ, quorum Diœceses ad Austrasiæ regnum pertinebant, cum eodem Wlfolendo, cuius Episcopatus Bituricensis in regno Clodouei situs erat, ad Synodum conuenirent. Literæ tales sunt. *Domino sancto & Apostolico in Christo Patri Desiderio Sigybertus Rex* [b]. *Dum fabulâ currente à plures & fidelibus nostris cognouimus, quasi vocati ab eodémque Patre nostro Wlfolendo Episcopo Synodali Concilio Kal. Septembris in Regno nostro. Ignoramus in quo loco vnà cum reliquos fratres & comprouinciales vestros debeatis coniungere. Licèt nos statuta Canonum & Ecclesiasticas Regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conseruarunt, ita & nos conseruare optamus, tamen dum ad nostram anteà notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris Proceribus conuenit, vt sine nostra scientia Synodale Concilium in Regno nostro non agatur, nec ad dictas Kal. Septembris nulla coniunctio Sacerdotum ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, non fiatur. Posteà verò opportuno tempore, si nobis anteà denuntiatur, vtrùm pro statu Ecclesiastico, aut pro Regni vtilitate, siue etiam pro qualibet rationabili condicione conuentio esse decreuerit, non abnuimus. Sic tamen, vt diximus, vt in nostri priùs deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curauimus, per quæ petimus, vt pro nos orare dignetis, & ad istam coniunctionem, priusquàm nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis, & vt certiùs credatis, hunc indiculum manu propriâ subtersubscripsimus. Sygibertus Rex subscripsi.*

[b] Ep. 17. ad Desider.

LVI. EPISCOPI SANCTITATE CELEBRES.

Inter Episcopos, qui Concilio Cabilonensi subscripserunt, insignes sanctitate floruerunt quatuor Metropolitani, Audoenus Rotomagensis, Donatus Vesontiensis, Landalenus Viennensis, & Wlfoledus Bituricensis; itémque alij quinque, Gratus Cabilonensis, Palladius Autissiodorensis, Malardus Carnotinus, Magnus Aucnionensis & Eligius Nouiomensis; necnon Chadoin-

AN. CH. 644. SIGIB. III. R. 12. CLOD. II. R. 7.

...dus Cenomannicus, cuius vices Chagnoaldus Abbas suppleuit. LVII.

Sanctus Audoenus colitur in Tabulis Ecclesiasticis nono Kalendas Septembris. Eius vitam scripserunt Anonymus suppar & Fridegodus Diaconus. LVIII.

Sanctus Donatus Vesontione colitur septimo Idus Augustas. Ex Regulis Sanctorum Cæsarij, Benedicti & Columbani, vnam conflauit, quam explicuimus Tomo secundo, obseruauimúsque traditam fuisse Gauchstrudæ Abbatissæ, quæ Sirudi ipsius Donati sorori in administrationem Monasterij Iussani seu beatæ Mariæ à Flauia Donati ac Sirudis matre conditi successerat.

Sanctus Landalenus, Adoni est Dodolenus, appellatur Dodolinus in Breuiario Viennensi, coliturque Kalendis Aprilibus. Huic successit in Episcopatum Bobolinus, tum Georgius, quo sedente Clarus Abbas ex hac vita discessit. LIX.

Sanctus Wlfoledus seu Wlfrodus beatis Confessoribus annumeratur in Patriarchio [a] Bituricensi, dicitúrque ad Deum migrasse quinto Kalendas Ianuarias. LX. [a] Cap. 11.

Sanctus Gratus obiit octauo Idus Octobris, quo die celebris est eius memoria Cabilone. LXI.

Sanctus Palladius Ecclesiam sancti Germani in oppido Varzueo, sancti Iuliani Martyris non longè à ciuitate Autissiodorensi, sancti Eusebij in ipso sinu Episcopatûs construxit. Colitur quarto Idus Aprilis [b]. LXII. [b] Mart. Gallic.

Sanctus Malardus apud Gallesinium, Ferrarium & Saussaium colitur decimo-quarto Kalendas Februarij. Rolliardus [c] in Historia Carnotensi scribit corpus eius in Monasterio sancti Martini in Valle asseruari, & quot annis ab illa Ecclesia memoriam celebrari, instituta ad eam ædem solemni supplicatione, hymnísque & antiphonis, quæ in eiusdem laudem compositæ sunt, cantari solitis. LXIII. [c] Part. 2. c. 1.

Sanctus Magnus colitur Auenione decimo-quinto Kalendas Septembris. LXIV.

Sanctus Eligius locum in Tabulis Ecclesiasticis habet Kalendis Decembribus. Eius vitam scripsit Audoenus Episcopus Rotomagensis. LXV.

Sanctus Chadoindus in Historia Cenomanica colitur decimo-tertio Kalendas Septembris. LXVI.

Præterea Ætherius Ebredunensis & Clarus Gratianopolitanus à Monacho Sandionysiano [d], qui Gesta Dagoberti Regis conscripsit, annumerantur inter Episcopos, *quos sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eò quod ad eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas Dominus operetur*, sed eorum nomina desiderantur in Martyrologiis. LXVII. [d] Cap. 32.

Wandregisilus cùm per annos fermè decem in Cœnobio Romano iuxta saltum Iurensem conuersatus esset, *admonitus in visu vt occidentalia Galliæ requireret loca, de supradicto Monasterio cum licentia Patris egressus, iter carpere cœpit, quod ad Belgicam deducit Galliam, peruenitque ad celebrem vrbem Rothomagensem, summâ reuerentiâ à venerabili Antistite Audoeno exceptus. Qui memor prioris coniunctionis & societatis nobilissimaque eius originis, sed & piæ ac Deo dicatæ religionis aliquandiu eum secum in vrbe tenuit, & secundi ordinis honore ampliauit, Subdiaconum eum creans valdè reluctantem.* Hæc Author vitæ [e]. LXVIII. WANDREGIS. ORDINATVR SVBDIAC. ROTOMAG. [e] Ap. Sur. d. 22. Iul.

Obiit hoc anno Agomarus siue Agmarus Siluanectensis Episcopus, cùm sedisset annos sex & triginta. Colitur septimo Idus Nouembris à Siluanectensibus. Ei successit in Episcopatum Autbertus, qui vixit diutissimè. Lege Annales Siluanectenses à nobis sæpè iam laudatos. LXIX. AVTBERTVS EPISC. SILVANECT.

Ponitur & hoc anno in Armorica Sancta mors Ocdumali Aletensis Episcopi, de cuius Antecessoribus locuti sumus post obitum sancti Machutis ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-quintum [f]. Ocdumalo subrogatus est Hamon seu Chomanus qui sedit annos septem. LXX. EPISCOPI ALETENS. [f] Num. 8.

AN. CH. 645.
SIGIB. III. R. 13.
CLOD. II. R. 8.

ANNVS CHRISTI 645.

SIGIBERTI III. R. 13.

CLODOVEI II. R. 8.

I. DVX ADALBALDVS OCCIDITVR

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto, vt ex supputatione ante biennium stabilita liquet, ex hac vita discessit Dux Adalbaldus, de cuius nece sic loquitur Hugbaldus in vita sanctæ Rictrudis. *Bonæ & laudabilis memoriæ Adalbaldus, deuotæ Christi famulæ Rictrudis maritus, à pago Austrebantinse, vbi etiam pluribus locupletabatur possessionibus, eundi Wasconiam nimiùm triste suis iter arripit. Quem nobilis matrona Rictrudis aliquantulum prosequitur, sed quàm citiùs domum, prout ei iussum fuerat, mærens reuertitur. Mens enim futuri quodammodò præsaga doloris, iam portendebat quod adhuc ignorabat, & quod nondum patiebatur iam velutì lamentabatur. Quid multa? Inter eundum insidiis malignorum, &, vt fertur eorum, quibus tam sanctum displicuerat matrimonium, vir iustus appetitur, vulneratur, perimitur. Honorifico deinde, vt decebat, tumulatus obsequio, defunctus seculo, viuit Deo; viuit, inquam, viuit eius felix anima, illi cohærens qui vera est vita. Quod attestantur signa, quæ ob illius declaranda merita, ad eius mortua frequenter ostenduntur ossa. Neque multa fiunt moræ in his nuntiandis Rictrudi, Dei famulæ, quæ tam tristi perculsa relatione, non modico afficitur animi mærore; augescitque sensim dolor dolore dolentium sobolum, crescit luctus luctu lugentium familiarum.* Hugbaldus Elnonensis Monachus, quamuis ceteris Authoribus, qui Ducis Adalbaldi meminerunt, antiquitate præstet, Acta sanctæ Rictrudis ante annum Christi nongentesimum septimum haud scripsit; Wasconiam pro Aquitania tertia, quæ trans Garumnam sita est, vsurpauit ex loquendi more tunc visitato, locum cædis non indicauit. Hugbaldi vestigia secuti sunt Anonymus qui vitam sanctæ Eusebiæ retulit in literas, & Ioannes, Elnonensis quoque Monachus, qui poemata de sanctis Rictrude & Eusebia circa annum Christi millesimum publicauit, itémque Monachus Marchianensis qui post annum Christi millesimum centesimum duodeseptuagesimum vitam sanctæ Rictrudis edidit. Author Chronici Marchianensis Adalbaldum in agro Petragorico necatum primus asseruit his verbis. *Dux Adalbaldus, necessitate vrgente, à pago Austrebatensi, quem vulgari nomine Ostreuannum vocant, in Wasconiam proficiscitur. Cumque per Aquitaniam iter perageret, & ad Petragoricum * solum peruenisset, insidiis malignorum, & vxoris suæ consanguineorum, vir iustus appetitur, vulneratur, perimitur. Indignè enim ferebant tam humili matrimonio, vtpote Francigenæ, quam gentem Getha vilipendebant, sororem suam fuisse coniunctam.* Hic Author Hugbaldo recentior est tribus ferè seculis, floruit enim sub Simone Abbate, qui tertio sui regiminis anno, Christi millesimo ducentesimo secundo, è viuis discessit; per Wasconiam Nouempopulaniam, & per Getas intelligit Wascones ex eorum sententia qui Gothos à Getis in Gallia sic distinguunt, vt Gothos pro Galliæ Narbonensis incolis, Getas pro Nouempulaniæ populis accipiant. Buzelinus, qui nostrâ ætate duodecim libris Annales Gallo-Flandriæ complexus est, Adalbaldum cogentibus Regni negotiis è Belgio in Wasconiam iter arripuisse atque haud procul Ernoldi soceri domo intra fines ipsius Wasconiæ cæsum dixit, tótque commenta superaddidit, vt videatur fabulam potiùs quàm historiam hoc loco scribendam suscepisse. *Cogentibus*, inquit [a], *Regni rebus è Belgio in Vasconiam Adalbaldus iter arripuit. Votum erat coniugi eius Rictrudi abeuntem diu comitari, verùm eo iubente*

* le Perigord.

[a] Lib. 2.

bente domum enim mæſta, & impendentis mali præſaga, breui cogitur redire. Vix AN. CH.
primos Vaſconiæ fines ſanctus vir attigit, cùm quidam perlatâ de eius aduentu 645.
famâ, in ipſius necem atrociter conſpirant. Horum capita Rictrudis fratres erant, SIGIB.
ferio homines moribus, & armis nobiles. Cùm ſoror eorum Adalbaldo nuptui dare- III. R. 13.
tur, aberant ipſi a paternis ædibus procul, & in Aragonia contra Saracenos arma CLOD.
tractabant. Igitur domum iis e finibus reuerſi, de ſororis & Adalbaldi nuptiis co- II. R. 8.
gnouere. Quod ea Franco data fuiſſet, maximè ſcilicet ipſis [illegible] doluerat. Cùm
enim Francos ſuo generi poſthaberent, eos vehementer odio proſequebantur. Ergo
neque palam, neque in occulto ipſi de Adalbaldo benè ſentire, multis cum contumeliis
proſcindere, multa in eum inimicitias exercere, tandémque de eo vel per inſidias
vel per apertam vim tollendo, ſermones ferere. Contrà, modis omnibus niti paren-
tes, eorum animis & iris mitigandis multa proponere, multa facere. Sed illi neque
rationi, neque parentibus obſequi. Eò denique res proceſſit, vt hi parentes etiam
odia conuerterint, aduersùs eos arma ſumpſerint. Cùm itaque factionis ignarus in
eas ſeſe improuidus inſidias Adalbaldus induiſſet, quas ij collocauerant, à multis in
eum impetus eſt factus. Haud procul Ernoldi ſoceri domo cæſum fuiſſe comperio: de
Rictrudis fratribus vnum ei ferro caput abſcidiſſe, grandi necem miraculo diuinitus
ornatam. Cùm enim cædis auctores alius aliò diffluerent, Angeli duo Adalbaldum
ab vtroque latere ſepſerunt: his ipſe adiuuantibus, caput in manum recepit; iiſdem
comitantibus ad Epiſcopale templum Petragoricii viam fecit: illic coram ara cum ca-
pite ſtetit ſeſe, ac flexis genibus in victimam Numini obtulit, ibique tandem con-
cidit. Mouit tanta rei miraculum pleroſque vrbis illius incolas, vti eum honore ſe-
pulchro imponerent, & veluti Martyrem venerarentur. Verùm eius necem nuntius
Chlodoueum, Erchenualdum ipſius fratrem, & Francorum primores ſauciauit ve-
hementer, quibus tanto viro priuari durum fuit. At ætate Dagoberti Regis, cùm
Rictrudis Adalbaldo nupſit, Saraceni nondum in Hiſpaniam irruperant, &
Aragoniæ nomen in Hiſpania nondum audiebatur. Deinde cæteri recentiores,
quibus non minor quàm Buzelino fides haberi debet, Adalbaldum non in
Waſconia ſed in territorio Petragoricenſi trucidatum tradunt. Locum, in quo
tam dirum ſcelus commiſſum eſt, Ablatonem vocat Roſweidus in Hiſtoria Ec-
cleſiaſtica Belgica. Eſt autem Ablaton, vulgò *Blaton*, pagus hodiernæ Han-
noniæ propè oppidum Condatum *, inſidétque riuulo qui dexteram Haſniæ *
ripam ſubit. Vnde Bollandus * in fine commentarij, quem vitæ ſancti Adal-
baldi præfixit, non vanè ſuſpicatur Actis beatæ Rictrudis, quibus Adalbaldi
cædes inſeritur, aliquam confuſionem ineſſe. Certè in multis rebus aut nul-
lius aut dubiæ admodum fidei ſunt vitæ Sanctorum Belgarum, quas ediderunt
Authores ab eorum æuo procul remoti, poſterioréſque clade Normannicâ, quâ
Monaſteria Belgij diruta ſunt, ſcriptáque omnia igni conflagrarunt. Qui de
ſancto Adalbaldo loquatur, neminem habemus vetuſtiorem Hugbaldo. Hic,
cuius authoritate cæteri nituntur, poſt irruptionem Normannorum ſcripſit,
quódque maximè obſeruandum eſt, nec aperuit cauſam cur Adalbaldus iter
in Waſconiam ſuſceperit, nec vllum fecit verbum de Rictrudis parentibus aut
fratribus. Alij poſteà neceſſitatem eundi in Waſconiam Adalbaldo affinxe-
runt ob res quaſdam Regni multùm vrgentes, quas tamen exprimere non auſi
ſunt. Deinde Hernaldum ſiue Ernoldum ſanctæ Rictrudis patrem ex regia
ſancti Hermenigildi Martyris, aliorumque Viſigothorum familia dixerunt
oriundum, & vt genealogiam auctiorem atque illuſtriorem redderent, eidem
Rictrudi fratres attribuerunt bello contra Saracenos in Aragonia geſto celeber-
rimos, quamuis illâ ætate nec adhuc Saraceni pedem in Hiſpaniam intuliſſent,
nec adhuc Aragoniæ nomen vlli regioni inditum eſſet. Apud Hugbaldum,
*Adalbaldus à pago Auſtrobantinſe, eundi Waſconiam nimiùm triſte ſuis iter arripit.
[I]nter eundum inſidiis malignorum, &, vt fertur, eorum quibus tam ſanctum diſ-
plicuerat matrimonium, vir iuſtus appetitur, vulneratur, perimitur.* Ex illo textu
id vnum colligimus, ſanctum Adalbaldum inſidiis malignorum occubuiſſe.
Quinam verò illi fuerint, non liquet: hæ voces *(vt fertur)* oſtendunt dubium

* Condé.
* la Haiſne.
* Die 1. Febr.

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 15. CLOD. II. R. 8. omnino atque incertum esse, verùm Adalbaldus ab hominibus quibus eius matrimonium displicuerat an ab aliis occisus sit: & licèt pro certo atque indubitato constaret repertos esse quibus matrimonium Adalbaldi Ducis ac Rictrudis displiceret, eósque de nece Adalbaldo inferenda cogitasse, suspicio criminis ex Hugbaldi verbis non magis in Rictrudis fratres aut propinquos caderet, quàm in quemlibet Belgam, qui filiam suam aut sororem Adalbaldo viro ditissimo in vxorem se daturum aliàs sperasset, ægróque semper animo tulisset Rictrudem puellam Wasconicam siue in Nouempopulania procul à Belgio natam eidem Adalbaldo nupsisse. Qui scelus in fratres aut consanguineos Rictrudis reiiciunt, apertè recurrunt ad fabulas, & Rictrudem ex regio Gothorum genere procreatam comminiscuntur, vt asserant eius fratres subiratos in Adalbaldum excanduisse, quòd cùm vir esset inferioris conditionis, illam sibi sociare præsumpsisset. Si quia Rictrudem duxit, odium flagitiosorum hominum incurrit Adalbaldus, in Belgio videtur interemptus à vicino quopiam, cuius filiæ aut sorori Rictrudem prætulerat. Si causa necis in eius matrimonium reiici non debet, interfectus est à prædonibus, nec procul à possessionibus quas hæreditario iure in Gallia Belgica partas obtinebat. Ex pago * Austrobantinsi profectum putamus, sed vt iter in Wasconiam suscepisse credamus, nulla ratio nos inducit. Si Sanctorum Hannoniæ catalogo fides est, sancti Adalbaldi caput apud Petragoricum * habetur, corpus Amandopoli sepultum iacet, festum solemniter in Aquitania celebratur, sed rectè Molanus docet prædicto catalogo quem citat non esse temerè suffragandum, donec eadem certiora fiant ex aliis monumentis. Additur, inquit [a], *in catalogo Sanctorum Hannoniæ, apud Petragoricum caput haberi, licèt corpus ad Sanctum Amandum in terra sit, festumque eius solenniter in Aquitania fieri. Quod inde certiùs cognosci velim.* In Historia Ecclesiæ Petragoricensis, cuius testimonio non semel vsi sumus, nulla fit Adalbaldi mentio. Raphael Beauschampius ait Sanctum Adalbaldum caput suum tulisse *ab agro Petratoriorum Elnonem ad Benedictinos Ascetas*, sed aliter differit Author Chronici Marchianensis, apud quem hæc leguntur de sepultura sancti Adalbaldi. *Cùm ab impiis capite mulctatus fuisset, vt quadam scriptura refert, ambabus manibus caput suum afferens, ad Ecclesiam, in qua tumulandus erat, deuexit. Ad cuius sepulchrum multa illo tempore miracula facta sunt. Corpus eius postea inde sublatum est, & ad Ecclesiam sancti Amandi Helnone delatum, sed quo tempore, & à quibus personis id factum sit nobis est incognitum.* Quidam suspicantur corpus beati Adalbaldi ex Aquitania in Belgium à sancto Amando post aliquot annos allatum fuisse. Sancti Amandi iter in Aquitaniam examinabimus aliâ occasione. Vt autem Adalbaldum in Belgio credimus enecatum, sic & in Elnonensi Monasterio ab Amando tunc Abbate sepultum existimamus. Miracula quæ capitis abscissionem secuta perhibentur, non enarrantur ab Hugbaldo, & Author Chronici Marchianensis, vt se tueatur, citat quamdam scripturam, quæ non alia videtur à vita sanctæ Eusebiæ, in qua Ioannes Monachus ac Poeta Elnonensis, qui post Hugbaldum seculo ferè integro scripsit, ex fama plebis & ex opinione vulgi se loqui testatur his versibus.

In Belgio.

*Ostrevant.

*Perigueux.

[a] d. 2. Febr.

Sepelitvr in Coenob. Elnon.

Detruncant demum caput à ceruice reuulsum.
Emicat ad superos exultans spiritus; illos
Angit formido; fugiunt, nec sistere tutum.
Res admiranda mirâ nouitate secuta.
Nec putet idcirco creperum quis me; neque ficto
Vti pro facto, post famam plebis opinor.
Nisibus erectum propriis stetit ecce cadauer
Martyris, ambabus manibus caput accipit, atque
Vlnis deuectat, non pradux vllus euntis,
Angelicus tantùm chorus hymnizans comitatur

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

Vsque locum ... populi. Mirantur numine facti,
Cernentes meritis tam Sancti, venerantur, & illum
Condigno ... locula cum supplice voto.

Antiquiorem Scriptorem, qui beatum Adalbaldum Martyribus accenseat, non legimus. Martyr appellari potest, quòd vitæ innocentiâ spectabilis, nefariè ab improbis hominibus fuerit occisus. Eius memoriæ diem secundam Februarij, siue tunc interfectus, siue Elnonem delatus fuerit, adscribunt Molanus, Ferrarius, Sanderus, Miræus, Saussaius, aliique recentiores. Sacræ reliquiæ in Elnonensi Monasterio quiescebant colebanturque anno Christi nongentesimo septimo cùm Hugbaldus vitam sanctæ Rictrudis in literas referebat, & anno Christi circiter millesimo ducentesimo cùm Monachus Marchianensis Marchianense Chronicon exarabat. Pars earum anno Christi millesimo ducentesimo tricesimo-primo Duacum translata est, & in Ecclesia beati Amati honorificè collocata, vt legitur in Codice manuscripto eiusdem Ecclesiæ, qui vulgò liber argenteus inscribitur, ex eo enim Beauschampius hæc tradit. *Anno gratiæ* MCCXXXI. XVII. *Kalend. May, allatum est per Robertum Præpositum caput cum brachio B. Adalbaldi patris S. Mauronti, & brachium S. Gertrudis proauiæ S. Mauronti, à Monasterio S. Amandi ab Abbate & Monachis eiusdem loci suscepta, & in Ecclesia S. Amati Duaci sunt reposita honorificè.* Arnoldus Raissius Duacenus, & Duaci apud ædem beati Petri Canonicus, in suo hierogazophylacio Belgico, cùm enumerat reliquias Sanctorum, quas Ecclesia Collegiata sancti Amati solennioribus anni festiuitatibus in altari venerandas exponit, non recenset caput beati Adalbaldi, sed tantùm eius brachium cum brachio sanctæ Gertrudis. *Brachium*, inquit, *Sancti Adalbaldi, &c. Brachium sanctæ Gertrudis, &c. Duo hæc brachia allata sunt ad huius Ecclesiæ sacrarium per Robertum Præpositum anno Domini* MCCXXXI. *decimo-septimo Kalendas Maias. Anno verò* MDXLVIII. *nouis lipsanothecis condecorata sunt.* Idem Author cùm agit de reliquiis Monasteriorum Elnonensis & Marchianensis, nullum verbum habet de sancto Adalbaldo, quamuis hic Elnone diu cultus fuerit, & Marchianis nunc etiam quiescant eius vxor Rictrudis, tres filiæ, Eusebia, Clotsendis Adalsendis, & auia Gertrudis, itaut eiusdem Adalbaldi cultus apud Duacenos potissimùm continuatus videatur. *In Collegiata sancti Amati Ecclesia Duacensi*, vt Bollandus scribit, *amplum & peregregium sacellum est cum ara S. Mauronto eiusque parentibus sacra, in qua sublimes ab immemorabili tempore eorum statuæ honori cultuique publico exposita sunt: vbi primus visitur S. Adalbaldus, liliis inspersâ veste indutus, librum dexterâ, sinistrâ gladium portans: tum S. Maurontus inter vtrumque parentem medius, habitu illustris, dexterâ sceptrum, leuâ ædem turritam gestans: tertia demum S. Rictrudis habitu sanctimonialis Benedictinæ venerabilis, ædi sacrâ Marchianensi manui impositâ.* De sancta Rictrude, déque sancto Mauronto eius filio verba sæpè faciemus inferiùs, quapropter hic in explicanda sola sancti Adalbaldi statua immorabimur.

III. Sanctus Adalbaldus librum dexterâ meritò gerit, quia lectioni sacrorum voluminum & contemplationi rerum diuinarum vacauit: iure quoque gladium portat sinistrâ, quia inter Palatinos Proceres conspicuus enituit: sed liliis inspersâ veste induitur minùs peritè, quia non oriundus erat ex regia Francorum prosapia, vt Authores erigendæ statuæ crediderunt, addequod lilium Regibus Merouingicæ familiæ nusquam insigne gentilitium fuit. Natus est Adalbaldus matre Gerbertâ, cuius mater Gertrudis post mariti sui mortem Monasterium Hamaticense puellarum construxit rexitque ad annum vsque Christi sexcentesimum vndequinquagesimum, itaut Adalbaldo suo ex filia nepoti per quadriennium superstes fuerit. Hugbaldus, aliique qui primo vel altero post Hugbaldi mortem seculo scripserunt, fratres, patrem & vtrumque auum Adalbaldi silent. Andreas Siluius Archiprior Manasterij Marchianensis, qui suam Historiam ad annum vsque Christi millesimum

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

centesimum nonagesimum-quartum deduxit, Adalbaldo quatuor adiunxit fratres, Sigefridum, Erchenoaldum, Ernulfum, Landonem; & quoniam eos ab Ansberto Duce ac Senatore susceptos *ex Blithilde filia primi Lotharij Regis* asseruit, alius quoque fratres Beaufchampius attribuit, Arnoaldum, Ferreolum & Modericum cum sorore Tarsitia, filiámque Clotarij seu Lotharij binominem fecit, vt eadem & Blithildis apud Siluium & Gerberta esset apud Hugbaldum. Alibi de Ansberti coniuge liberisque prolixè disseruimus. Quominus in horum numero Dux Adalbaldus, Sigefridus Comes, Erchinoaldus Maiordomûs, Ernulfus, & Lando Remensis Episcopus collocentur, ratio temporis vetat. Ansbertus enim auus extitit sancti Arnulphi qui Metensem Pontificatum iniit anno Christi sexcentesimo vndecimo. Adalbaldus autem beati Arnulphi patruus dici nequit, quia cæsus est anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto in florenti ætate cùm auiam Gertrudem in viuis superstitem haberet: & Adalbaldo seniores non erant Erchinoaldus qui floruit iisdem temporibus in aula Clodouei Regis & ad Principatum Clotarij peruenit, Lando qui regnante Sigiberto Remensem Præsulatum gessit, & Sigefridus qui sub Theodorico Rege, Clodouei Secundi filio, vitam clausit. De Ernulfo nihil occurrit, nisi sit idem cum Arnulfo comite, qui coætaneus Adalbaldo vixit, & anno tertio Clodouei Regis ab Ermenfrido Æganis Maiorisdomûs genero trucidatus interiit. Apud Fredegarium [a] Erchinoaldus *consanguineus de genere* (vel vt alij legunt *de genitrice*) *Dagoberti* prædicatur. Inde factum putamus, vt Adalbaldum iidem qui germanum Erchinoaldi finxerunt, consanguineum quoque Dagoberti Regis existimarint. Sed in antiquis monumentis nec Erchinoaldus frater nominatur Adalbaldi Ducis aut Landonis Episcopi, nec Adalbaldus ipsius Landonis frater asseritur, nec horum aliquem Sigefridus Comes fratrem agnoscit.

NON FUIT FRATER ERCHINOALDI.

[a] Cap. 14.

IV.

DITISSIMUS FUIT IN PAGIS FLANDRENSI, LEGIENSI, ADARTENSI, AUSTREBATENSI, PABULENSI.

Adalbaldus, etsi nec propinquus esset Dagoberti Regis, nec fratrem haberet Erchinoaldum Maioremdomûs, illustrem locum inter ætatis suæ Proceres sub Dagoberto Clodouéoque Regibus obtinuit. *Multis*, vt Author Chronici Marchianensis tradit, *locupletabatur possessionibus in pago Flandrensi, Legiensi, Adartensi, Austrebatensi & Pabulensi.* Quinque illos pagos multóque plures amplectuntur hodierni Comitatus Flandriæ & Artesiæ. De limitibus, quibus Adalbaldi ætate Flandria circumscribebatur, egimus ante quadriennium, cùm de beato Eligio Flandrorum Apostolo disserebamus. Pagus Legiensis seu Leticus ab amne Legia * seu Lisa nomen sortiebatur, ad eum pertinebant Caterembaltius * ager, vt hodie vocant, & Vepesanum * territorium, aliique vicini ad dexteram Legiæ ripam agri; ad sinistram verò Broylus hodie Maurontis * villa, remotioráque versùs Occasum loca Rinengam * vsque, quà Ypris Furnas iter est. Pagus Adartensis siue Adartisus vel Adartesus posteris Adartesia fuit & Artesia * cuius Metropolis Atrebatum *, nec ab illa ciuitate procul aberat Bariacum seu Baierium aut Boiertium, vbi ɾeste Hugbaldo Rictrudis Adalbaldi relicta Clodoueum Regem conuiuio excepit. Pagus Austrebatensis, aliis Austerbantus, Austerban, Ostrebannus & Ostrebantus, includebatur fluuiis Scarpo *, Senseto * & Schaldi *, nomen videtur accepisse quòd limes fuerit Austrasiæ, *bant* enim Belgis limitem sonat. In Austrebanto erant villæ Gaugiacum, Rullagium & Lambræ prope Duacum. Pagus * Pabulensis à pabulo pecorum denominatur, Austrebatensi conterminus erat, in vtriusque limite visebatur Marchianense Monasterium, quod alij Pabulensi regioni, alij Austrebatensi attribuunt. Buzelinus libro primo [b] Gallo-Flandriæ territorium Pabulense Lannoyam inter, Tornacum, & Marquam fluuium collocat. In ea ditione sunt Cherenum, Gruysonium, Camphynium & Esplechinium intra fines Insulensis * Castellaniæ, deinde Orchiacum, Marchianæ, Amandopolis, aliáque loca prorsus ab Insulensium finibus seiuncta. Totius regionis caput habetur Origiacum siue Orchiacum *. Abbas sancti Amandi etiamnum intra Pabulanam ditionem Comes appellatur. Sancto Adalbaldo

* Le Lys.
* Le Quartier de Carembant.
* Le Quartier de Weppe.
* Meruille.
* Reyningen.
* L'Artois.
* Arras.
* La Scarpe.
* Le Senset.
* L'Escault.
* Le Quartier de Peuele.
[b] Cap. 17.
* La Chastellenie de Lille.
* Orchies.

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

dominium aliquod Orchiaci fuit, quod per testamentum beatæ Rictrudis ad Marchianense Monasterium videtur translatum fuisse, nam villæ Orcientis amissionem Monachi Marchianenses in suo Chronico deplorant.

V. QVATVOR RELIQVIT LIBEROS.

Beatus Adalbaldus quatuor liberos reliquit ex vxore Rictrude, filium vnum nomine Maurontum, tresque filias, Clotsendem, Eusebiam & Adalsendem. Piespordius in stemmate Principum Habspurgo-Austriacorum, alterum sanctus Adalbaldo & Rictrudi filium adscribit sanctum Vrsinum, qui mundo & vxore valdè opulentâ relictis in solitudine Deo soli seruiens vitam transegerit. At de illo Vrsino, priusquam Piespordius scriberet, altissimum est silentium. Piespordius & qui Piespordium secutus est Author Genealogiæ Elsaticæ, lapsi sunt in errorem, quia Maurontum, cuius mentio fit in vita [a] sancti Walerici, filium Adalbaldi putarunt. Id autem quàm alienum sit à vero, docet ipsa ratio temporis. Laudatur Walericus Abbas, quòd vlcus, quo puer Vrsinus Mauronti nobilissimi viri germanus frater laborabat, manibus suis contrectarit sanaritque. Miraculum hoc teneri non potest post annum Christi sexcentesimum vicesimum-tertium, quo Walericus Abbas viuere desiit. Sed eo tempore regnabat adhuc Clotarius Dagoberti pater, & Rictrudis Adalbaldo nondum nupserat. Textus, quo prænominati Scriptores decepti fuerunt, talis est. *Vrsinus puer, præclaris editus natalibus, germanus frater fuit Mauronti nobilissimi viri, præcipui inter aulicos Proceres, sed eo nomine vel maximè illustris, quòd pro Christi amore sponsam formâ egregiâ contempsit, omnique huius mundi fastu & dignitate reiectâ, Christi Domini vestigia sectatus est. Huius ergo frater Vrsinus puer ad posteriores corporis partes vlcus accepit valdè periculosum, vnde certa propemodum mors illi impendere videretur. Porrò eius pater ad fidem amplectendam animo erat praduro & inflexibili. Attamen curatum est ab iis, quorum mens erat sanior & fides robustior, vt is puer ad sancti Patris conspectum adduceretur. Qui cùm vlcus suis contrectasset manibus, mox sanatum est.* Notabis obiter elogium, quod Author Mauronto tribuit, à Piespordio perperam in Vrsini gratiam recitari, non enim Vrsinus sed Maurontus prædicatur *eo nomine vel maximè illustris, quòd pro Christi amore sponsam formâ egregiâ contempsit, omnique huius mundi fastu & dignitate reiectâ, Christi Domini vestigia sectatus est.*

[a] Ap. Surium die 1. Apr.

VI. AN FVERIT DVX DVACENSIS.

Ad sancti Adalbaldi tempora, alij prima incunabula, alij restaurationem Duaci referunt. Si Chronico Marchianensi fides est, *Adalbaldus Dux & Herchenaldus frater eius Maiordomus readificauerunt Duacum castrum, & infra castrum adificauerunt Ecclesiam beata Dei genitricis Maria, qua nunc dicitur S. Amati.* Si Siluius auditur, *Herchenaldus post mortem Adalbaldi Ducis, fratris sui, in eius possessione peradificauit Duacum* [a] *castrum, & infrà construxit Ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ hodie dicitur S. Amati.* Sed hæc proferuntur à Scriptoribus procul remotis ab æuo sancti Adalbaldi, nec antiquis monumentis muniri possunt. Non defuerunt posteà, qui sanctum Adalbaldum Ducem Duacensem fingerent. Adalbaldus à Baldrico [b] Dux appellatur. Hunc Duacenses illustri genere natum, & fortè vnius aut plurium prouinciarum Ducem seu Gubernatorem colant, sed Ducem Duacensem minimè vocent, quamuis in eius ac Rictrudis laudes apud Beauscampium sic excurrat Poeta.

Annos Virgo sortita nubiles,
Apud viros sit nota nobiles,
Formâ, vitâ, laudibus.
Nubit Duci Duacenorum,
Viro Sancto, viro morum,
Viro summæ indolis.

[a] Douay.
[b] Lib. 1. c. 21.

VII. GODO FIT EPISCOPVS METENSIS.

Paulus Diaconus, & ex eo recentiores, qui Metensium Præsulum catalogos ediderunt, sancto Goerico, cuius mortem anno priori retulimus, Godonem, Godoni Chlodulfum successisse tradunt. Index Metensium Episcoporum sæpiùs à nobis citatus, annos Pontificatûs decem cum duobus mensibus Godoni, annos quadraginta cum diebus viginti Chlodulfo attribuit, & vetus-

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 15. CLOD. II. R. 8.

que obitum octauo Idus Maij consignat. Eiusmodi calculi si ratio habetur, Præsulatum inierunt, Godo mense Martio hoc anno, Chlodulfus mense Aprili anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, discesseruntque è viuis octauo Idus Maias, ille anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, hic anno Christi sexcentesimo nonagesimo-sexto.

VIII. In vita sancti Tillonis, vetus Anonymus [a] postquàm dixit *habito Concilio sancitum fuisse, vt nullus pretio dato, ad Sacerdotale admitteretur officium, sed potiùs viri vita irreprehensibilis ad officium Presbytery eligerentur*, hæc proximè subiungit de Tillonis Sacerdotio & Præfectura Solemniacensi. *Post hæc elegit S. Eligius S. Tillonem ad supradictum officium, vt præesset Monachis Sollemniacensis Ecclesiæ.* Abest quidem Tillonis nomen ab Abbatum Solenniacensium catalogis hactenus editis, sed restitui debet cùm ex vita præcitata, cuius autographum seruatur in Monasterio Claromarescano *, tum ex alia quam Menardus [b] ex Codice Solenniacensi descripsit, necnon ex literis Ioannis Braueri Pastoris Yseghemiensis ad Molanum, quæ Natalibus sanctorum Belgij Appendicis instar adiectæ reperiuntur. Tillo Solenniacensi Monasterio præfuit ad obitum vsque sancti Eligij, subrogatus est in locum Remacli Abbatis, quem Sigibertus Rex in Austrasiam euocauit.

[a] Ap. Bolland. d. 7 Ian.

TILLO ORDINATVR PRESBYTER.

* De Clermarets.

[b] L. 2. obseru. d. 7. Ian.

FIT ABBAS SOLENNIAC.

IX. De Monasteriis à Sigiberto Rege constructis ita loquitur in eius vita Sigebertus Gemblacensis. *Duodecim Monasteria in diuersis Regni sui partibus adificauit, eisque ex suis redditibus regiâ liberalitate necessaria suppeditauit.* Gelenius duodecim illa Monasteria soli Ardennæ attribuit, vúltque viginti extructa fuisse à Sigiberto. Eundem numerum habent Molanus in auctario Vsuardi, Galesinius & Saussaius, necnon Browerus in sua Metropoli necdùm edita. Sed inter tot Authores nullus inuenitur, qui vel duodecim Cœnobiorum nomina recenseat. Quatuor duntaxat hactenus nouimus, Malmundarium & Stabulense in Ardennæ finibus, sancti Martini in suburbio Metensi, Casæconguduni ad amnem Sesmarum. Cetera penitus ignoramus. Omnium antiquissimum fuit Casæcongudunense, de quo sic Notgerus in vita sancti Remacli. *In loco, qui vocatur Casacongedunus, super Sesmarum* * *fluuium sito, Cœnobium idem Rex, Optimatum suorum consilio, in honore Apostolorum Petri, Pauli, & Ioannis ædificauerat, quia congrua seruorum Dei habitationi domicilia protendebat, munere largitatis suæ ditauerat, probatas Deo seruientium personas aggregauerat, quibus B. Remaclum prouisorem instituit, & vt inhabitantes iuxta traditionem Patrum viuere assuefaceret demandauit. Extat vsque in præsens locus orationis eius in rupe excisus, vnde infirmantibus vsque nunc proueniunt beneficia.* Habet eadem Hatigerus [c]. Aliam causam ne quæras cur Remaclus in Austrasiam accersitus sit, & in eius locum suffectus sit Tillo qui Monasterium Solenniacense gubernaret. De cœnobio Casæcongudunensi extat [d] hoc Sigiberti Regis Diploma. *Sigibertus Rex Francorum. Ad augmentum credimus pertinere, si larga munera summi Dei Omnipotentis deuotâ mente offerre non dubitetis. Quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, cùm ex propria voluntate compendia seruorum Dei destinare non dubitat. Ideóque sub deuotione animæ nostræ, cum consilio magnificorum Apostolicorum, Guniberti, Godonis, vel illustrium virorum, Grimoaldi, Bobonis, Adalgisili, Monasterium regulare in honore patroni nostri, Petri, Pauli, Ioannis, vel ceterorum Martyrum, in terra nostra, sylua Arduennense, in loco qui dicitur Casagonguidinus, quem Sesimiris fluuius cingere videtur; & ex nostræ largitatis munere, iuxta Patrum traditionem, Cœnobium volumus construere, & ibidem, Christo auspice, Remaclum Abbatem constituimus, qualiter ibidem secundùm ordinem & monita antiquorum Patrum conuersari debeant; sic tamen vt de ipsa Castra, & ripa fluminis in directum leuuas tres, de nostra sylua Vriacuise, cum ipsa Venna Dominica, quæ dicitur Arnulfi, cum Probardo, Babone, vel minoribus eorum, qui ibidem seruire videntur, die præsente concedimus ad possidendum. Similiter de suo ipso castro ex alia sylua Dominica, alias tres leuuas, & in directum iterum tres alias leuuas, necnon & aliam*

MVLTA COENOBIA CONSTRVCTA A SIGIBERTO REGE.

* Le Semoy.

REMACLVS FIT ABBAS CASÆCONG.

[c] Cap. 54.

[d] Ap. Bolland. d. 1. Feb.

monelsim in fumat ... ponte Alsnia *, *vbi illa petra quadrata est. Hæc omnia* AN. CH.
ad vsus eorum ... ibi immunitate nostra visi fuisse condonasse, vt habeant, 645.
possidant, ... spiritualibus derelinquant, vt potiùs eo delectet atten- Sigib.
tiùs pro Domino precis ... Aster fundere. Et vt præcepto firma atque inuiolata III. R. 13.
permaneat, manu nostra subscriptionibus subter eam roborari decreuimus. Hæc Clod.
nus Sigibertus, qui ... m vsum se consilio *Apostolicorum* siue Episcoporum II. R. 8.
Cuniberti & Godonis, id est, Cuniberti Metropolitani Coloniensis & Godo- * *Alsn.*
nis Metensis Episcopi, satis ostendit eiusmodi Diploma à se non emissum
fuisse ante hunc annum quo Godo in Metensi Cathedra sedere cœpit. Vesti-
gium aliquod Casægundunensis Monasterij superesse videtur antiquus Prio-
ratus in pago *Cougnon* ad amnem Sesmarum siue Sesomirum, inter Chinium * * *Chiny.*
& Bullonium * oppida. Præter Sesmarum qui dexteram Mosæ ripam prope * *Bouillon.*
castrum * *Reginaldi* subit, in prædicto Diplomate nominatur Alsnia fluuius, * *Chasteau-*
hic supra Luxemburgum exortus, vrbem alluit, & Atarto * mixtus aquam *Regnaud.*
exonerat in *Suram* * qui supra Treuiros in sinistram Mosellæ ripam egeri- * *Atert.*
tur. *Sylua verò Friacinse* nomen traxit à vico *Vres* infra Bullonium, aut si * *Le Sour.*
Viriacinse legatur, à vicino amne Vira *, qui supra Chinium à dextra dila- * *La Vire.*
bitur in *Sesmarum.* Porrò Remaclus in Monasterium Casægundunense non
aliud institutum Monachorum inuexit, quàm quod Asceta Solemnacenses
quibus antea præfuerat, profitebantur ex Regula sancti Columbani, quam
apud eos viguisse Ionas Author synchronus in vita sancti Eustasij testatur.

Hadelinus Aquitanus, adolescens nobilis annorum circiter viginti, vitæ
religiosæ tiro aut certè candidatus, in Austrasiam cum Remaclo profectus X. HADELINUS COMITATUR REMACLUM.
est, eique comes assiduus ad annum vsque Christi sexcentesimum vndesep-
tuagesimum adhæsit. Vtriusque vitam scripsit Notgerus Leodiensis Episco-
pus, de cuius lucubrationibus & authoritate non erit extra rem hic dis-
serere.

Notgerus seu Notkerus ex sancti Galli Monasterio, vbi floruerunt alij XI.
duo eiusdem nominis Monachi quos Iodocus Metzlerus apud Henricum [a] Tom. 6 antiq. lect. pag. 760.
Canisium [a] laudat, Stabuletum à sancto Odilone Abbate, Werinfridi de- NOTGERI EP. LEOD. ÆTAS.
cessore, euocatus est, vt diuinas literas explicaret: adeptus est Episcopatum
Leodiensem anno Christi nongentesimo septuagesimo-primo, cùm Stabu-
lensis Ascetery præfectura penes Werinfridum erat, obijtque quarto Idus
Aprilis, anno sui Pontificatûs tricesimo-sexto, Christi millesimo septi-
mo. Annum ordinationis notauit Sigebertus in Chronico, annum mortis
Ægidius in additionibus ad Anselmum. Cetera nos docuit Fisenus in Flo-
ribus Ecclesiæ Leodiensis. Nam secundâ parte paralipomenon beatum Odi-
lonem hoc exornat elogio. *Trigesimus primus Abbas fuit S. Odilo, anno, vt opi-
nor, nongentesimo quadragesimo quinto. Laudem tulit restitutæ Stabulensis liberta-
tis, quam pro libidine sua quadraginta septem annis oppresserant, & se dixerant
Abbates, potentissimi principes. Hoc ab Ottone I. Rege obtinuit. Statimque re-
ductâ meliore disciplinâ, quæ tam diuturnâ tempestate non leuiter labefactata fue-
rat, quò litteris etiam pristinum splendorem assereret, è S. Galli Monasterio Not-
gerum aduocauit iuuenem magnâ tamen iam eruditione celeberrimum, vt diuinas lit-
teras explicaret, qui Leodiensem Ecclesiam insigni deinde gloriâ rexit. Cùm annis
nouem sapienter Odilo præfuisset, relictâ insigni suæ sanctitatis opinione desiderió-
que, vitâ decessit anno nongentesimo quinquagesimo-quarto.* Et in Abbatum Sta-
bulensium catalogo [b] Werinfridum sancti Odilonis successorem ita com- [b] p. Seqq.
mendat. *Werinfridus vir religiosus & doctus fuit, atque omnium artium Præsul
appellatus. Prouectâ iam ætate coadiutorem sibi dari postulauit anno 980. & sixen-
nio post obiit.*

Notgerus Episcopus, vt sancti Remacli, qui Traiectensem Diœcesim, dein- XII.
de Monasterium Stabulense diu gubernauit, vitam breuiori rudiorique stylo ET SCRIPTA.
prioris exaratam & amplificaret & expoliret, à Werinfrido Abbate rogatus, ca-
lamo manum admouit, nec solùm beati Remacli vitam in literas retulit, sed

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

Historiam Tungrensium, Traiectensium ac Leodiensium Pontificum, à primo Ecclesiæ Tungrensis exordio ad sua vsque tempora conscripsit. Huiusce rei fidem ipsemet fecit in epistola nuncupatoria, quam vitæ beati Remacli præfixit. Illam enim sic inchoauit. *Notkerus, quem ac si indignum S. Mariæ Sanctique Lamberti mancipium, prædicant tamen Episcopum, Werinfrido venerabili in Christo ac Sacerdoti salutis æternæ subsidium.* Paucísque interiectis eundem Abbatem compellauit his verbis. *Hac, vt credo, perpendens Abbatum reuerendissime, & quia necesse est, quantò iuniores, tantò esse perspicaciores, obtulisti libellum de vita tam nostri quàm vestri speciosis Patroni, Domini scilicet Remacli, conquestus propter incuriam prædecessorum vestrorum breuiùs quàm vt res postularet pro magnitudine gestorum eius esse editam, simúlque visus es, vt ne dicam precari, sed potiùs exhortari, vt eam non modò exemplari, verùm aliquantò lepidiùs mandarem polori, tum quòd gestorum illius aliunde sumptorum suppetat copia, tum quòd temporum, quorum diuersitas nunc maximè scito opus est, ex chartulario vestro non desit notitia.* Et inferiùs. *Ne hic labor, qui te adhortante susceptus est, infœraciter fiat, non eius modò cuius meminimus, sancti videlicet Remacli, verùm ceterorum nostræ Sedis Pontificum tempora & gesta, quæ vndecunque potuere corradi, ad nostra vsque tempora collegi, & cuius potissimùm anhelabas desiderio, vitam inde excerptam votis tuis porrexi.* Ceterùm vita sancti Remacli, quam Notgerus auctiorem elegantioremque reddidit, eundem habuit Authorem, ac libri duo de miraculis eiusdem sancti Remacli, qui vitæ subiici solent, editique sunt à Scriptore, qui viuebat *Carolo tertio Imperatore, anno salutis octingentesimo octogesimo-tertio*, vt ipsemet initio posterioris libri testatur. Vnde factum, vt nonnulli [a] duos Notgeros Ecclesiæ Leodiensis Antistites statuerint, & alterum altero finxerint centum annis antiquiorem.

[a] Vossius.

XIII. Præterea Notgerus sancti Landoaldi vitam ac Translationem ex villa Wintershouio ad Cœnobium Gandense conscripsit anno Christi nongentesimo octogesimo, nuncupauitque Womaro Abbati Monachísque Gandensibus seu Bauonicis. In illa lucubratione vix quidquam scripsit præter ea quæ vel audierat à Saraberto Presbytero, vel in scripto à fratribus Gandensibus transmisso gestisve antecessorum Pontificum à se collectis inuenerat. Hæc constant ex epistola, quam operi suo sic præfixit. *Notkerus, quem, ac si indignum S. Mariæ Sanctique Lamberti mancipium, prædicant tamen Episcopum Womaro venerabili in Christo Patri & Fratribus Gandensibus, omnibusque quorumcumque locorum positis fidelibus, hæc non obliquo oculo lecturis, perpetuitatem vitæ cælestis. Postulare, imò exhortari facultatulam nostræ modicitatis, Patres reuerendissimi, non dubitastis, vt ex mirabilibus seculis omnibus & gentibus prædicandis, nostris diebus, etsi simus indigni, nobis quidem manifestatis, vobis insuper prærogatis, in Translatione sancti scilicet Landoaldi Archipresbyteri & sociorum eius reuelatis, quia videlicet ex nostra elati Diœcesi, vestro, præordinante Deo, cesserunt iuri, debeamus, quantum ad nos vsque famâ vulgante potuit perferri, omnium, imò vestræ satisfacere petitioni.* Et infrà. *Si quis autem fortè futurus obtrectator obliquo hæc oculo non timuerit limare, & odio obscuro morsúque præsumpserit venenare, in eius satisfactionem, Iesum & sanctos Angelos eius, iudiciumque futurum testamur, nos parum aliud hic posuisse, quàm quæ aut à Presbytero Saraberto, id sanctè iuranti, à vobísque (vt ipse retulit) fortiter per Deum & horum merito Sanctorum obtestato, audiuimus, aut in scripto vestro nobis delato fideliter mandata reperimus, exceptis duntaxat iis, quæ ex Episcopali nostro decerpta, huic schedæ pro temporum ratione videbantur congruenter præponenda. Valete. Datum tertio-decimo Kalend. Iulij, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo, Indictione octauâ, imperante Domno Ottone post mortem patris anno octauo, Episcopatûs nostri anno nono.*

XIV. Denique Notgerus vitam sancti Hadelini scripsit. A nobis dissentit Hugo Menardus [b], illam enim à quodam Episcopo Remensi compositam suspicatur, & vt opinioni suæ fidem conciliet, textum, qui manifestè corruptus est, ex eadem vita sic allegat, *delegauit illic quoque ex reditibus, vt Remensis Ecclesiæ nostræ villam, qui mons Franscheri vocatur.* At Author se Leodiensem Episcopum

[b] Lib. 1. obs. die 1. Febr.

AN. CH. 645.
SIGIB. III. R. 13.
CLOD. II. R. 8.

pum ostendit. Episcopum se declarat his verbis, *qui tunc temporis aderat Præsul, cui nunc Deo annuente, nomine, non (proh nefas) merito famulamur Sedis, autoritate interminanis Episcopali.* Se verò Leodij sedere docet in ipsa præfatione & in textu quem prædictus Menardus ex deprauato Codice recitat. In præfatione agit de cultu Sanctorum, *quos cùm passim & diuersis donatos prouinciis in commune conueniat honorare, singulos tamen quibusque locis misericorditer prouisos Deus attribuit, quos specialiter amplectendos & propensiùs exorandos voluit. E quibus,* (inquit) *nobis, ac si indignis, B. Hadelinum destinauit.* Quibus verbis indicat se inuigilare gubernationi Diœceseos Leodiensis, quam beatus Hadelinus vitâ & miraculis illustrauit. Et in textu, quem Codex Menardi deprauat, ita scribit, *delegauit illic quoque ex reditibus, vt rem Ecclesiæ nostræ, villam, quæ mons Francheri vocatur*, mons autem Francheri seu mons Frangerius vt Biellonius vocat, aut Francimontium * vt vulgò appellant, pagus est Diœceseos Leodiensis inter Carolomontium * & Mariæburgum * oppida. Quin & apertè se Notgerum esse testatur his verbis, *nobis ac si indignis*, quorum simillima sunt hæc in epistolis quas Notgerus ad Werinfridum Abbatem Stabulensem cum vita sancti Remacli & ad Womatum Abbatem Gandensem cum vita sancti Landoaldi direxit. *Notkerus, quem ac si indignum, &c.* Addequòd initio sui operis ita præfatur. *Omnipotens Dominus, qui diues est in misericordia, cuius natura bonitas, voluntas efficientia, opus misericordia, hic in mundum saluandis omnibus venit, quia à reatu primæ præuaricationis liberum nullum inuenit, diuitias longanimitatis & bonitatis suæ omnibus prærogauit, voluntatis omnipotentiam in ingratis, & respectum gratiæ suæ in indignis efficacissimè exercuit, quia opus misericordiæ saluatricis vt esset recuperabile misericorditer etiam prouidit.* Nec aliter præfatur Notgerus in vita sancti Remacli. Familiare est autem Notgero in diuersis operibus eadem repetere, vitam enim sancti Remacli necnon vitam sancti Landoaldi sic auspicatur. *Francorum regnum à sui principio semper infatigabile, tamen præ cæteris sibi collimitaneis visum est florere, cùm imago Dominicæ fidei vlla passione est inclinare, & quod priùs adorarat, incendere, quod incenderat, voluit deinceps adorare. Maximum autem accepit incrementum & firmum sub eo sancta Dei Ecclesia statum, cùm Lotharius Rex, instâ successione hinc quartus, Monarchiam singulariter trium regebat regnorum, & cùm quadragesimum agebat annum, quem Heraclius Augustus, sanctæ Crucis relator, quartumdecimum. Hic sceptro suo nullius à circumpositis sceptrum passus est occursare, sed quicquid penè Gallia & Germania Regum & gentium continebat, suis habenis studuit coercere. Hic filium suum inclytum Dagobertum Austrasiis præfecerat, eiusque dominio Germaniæ regnum coniunxerat. Quorum fidelissimo tempore intantum exuberauit Christianitatis titulus vbique, vt penè rara aut nulla citra finitimos inueniatur hodiéque Ecclesia, quæ non alicuius eius sancti temporis prætendat patrocinia. Sed vt sileamus interim de innumeris, &c.*

XV. ÆTAS ET SCRIPTA HARIGERI ABB. LOB.

Ex operibus Notgeri, Bollandus [a] seruatâ phrasi primigeniâ vitam sancti Hadelini, Surius [b] stylo nonnihil mutato vitas sanctorum Landoaldi & Remacli cum Translatione sancti Landoaldi publicauit. Quod attinet ad Historiam Tungrensium Pontificum successorumque Traiectensium ac Leodiensium, hæc hodie adscribitur Harigero Abbati Lobiensi, desinitque in Remaclo Episcopo, nec vsque ad tempora Notgeri perducitur. Huiusce rei ratio est exponenda. Notgerus Leodiensis Episcopus Monachos Lobienses plurimùm dilexit, ac multis affecit beneficiis, vt ex Chronico Lobiensi, quod Folquinus seu Fulcuinus Abbas illius loci digessit, & ex eius Continuatore constat. Inter eos pietate ac doctrinâ enitebat Harigerus. Hic in comitatu Notgeri Episcopi, cui non solùm in domesticis atque Ecclesiasticis rebus sed etiam in Palatinis negotiis à consiliis fuit, per multos annos vixit, & Fulcuino Abbati in regimen Monasterij Lobiensis anno Christi nongentesimo nonagesimo successit. Cùm autem Notgero adeò familiaris esset & eloquentiâ multùm polleret, eius scripta creditur expolisse atque emendasse, necnon aliqua, quæ suo nolebat Episcopus, proprio putatur edidisse nomine. Certè non potest in dubium vocari.

* Francmont.
* Charlemont.
* Mariembourg.

[a] Die 3. Febr.
[b] Die 19. Mart. die 3. Sept.

AN. CH. 645. Sigib. III. R. 13. Clod. II. R. 8.

quin Harigerus in plerisque lucubrationibus operam Antistiti suo locant. Id enim clarissimis verbis docet Monachus Gandensis [a], qui Translationi sancti Landoaldi præsens interfuit. *At verò*, inquit, *Dominus Abbas tantis beneficiis visis, gratias Omnipotenti Deo rependit. Nec multò post, inspirante Domino, pro cautela futurorum, seu, quod verius est, pro maiori gloria Sanctorum, Priores nostros suprà designatos, ad venerabilem Episcopum Leodiensis Ecclesiæ mittere curauit, supplici precatu efflagitans, quatenus de translatorum Sanctorum reliquiis quæque digna per Clericos suos inquireret, & illi veritatem de iis omnibus renuntiaret in scriptis, quod, Domino donante, extemplò completum est. Nam requisiti in Synodo plena Sacerdotes & Clerici vndique confluentes, quanta audierant & facta viderant de sanctis nostris miracula, ore consono coram Episcopo suo proferebant. Iubente itaque eodem eximio Pontifice, ibidem miracula, quæ diuulgouerant, sunt collecta, & per Dominum Heyngerum didascalum ac musicæ artis peritum, breuiter quidem, sed satis disertè ac luculento sermone sunt descripta, necnon & ipsius Episcopi sunt auctoritate roborata, insuper sigilli sui impressione munita, atque Domino Abbati ac omnibus fratribus Gandensibus fideliter missa.* Sancti Landoaldi reliquiæ à fratribus Gandensibus exceptæ sunt *in ipso sacratissimo Dominica Annunciationis atque Incarnationis die, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo*, vt patet ex eiusdem Translationis Historiâ quæ decimotertio Kalendas Iulias ad Womarum Abbatem Monachósque Gandenses eodem anno transmissa est, & Notgeri nomen in exemplaribus [b] editis gerit. Hoc autem opus non videtur esse distinguendum ab eo, quod Anonymus præcitatus Heyngero siue Harigero tribuit, ac permodico temporis interuallo post Translationem interiecto scriptum insinuat. Fulcuini Continuator recensitis nonnullis Harigeri scriptis, *& alia quoque*, inquit, *composuit, sed non exposuit.* Aliam rationem ne quæras, cur in Remaclo desinat eius Historia, cui tamen præfigitur epistola, quâ Notgerus Leodiensis Episcopus Werinfrido Abbati Stabulensi vitam sancti Remacli nuncupat, testatúrque se omnium omnino gesta decessorum suorum collegisse.

[a] Ap. Bolland. d. 3. Febr. in S. Hadelin.

[b] Ap Sur d. 19. Mart.

XVI. Errores Notgeri et Harigeri.

Ex prædictis constat Notgerum, & Harigerum ab æuo Sanctorum, Remacli, Landoaldi & Hadelini procul abfuisse, ideóque nemini mirum esse debet, si dicamus eos in exponendis rebus distinguendísque temporibus non rarò peccasse, cùm res totis tribus seculis ab ætate sua remotas scripserunt.

XVII. Primò, volunt Remaclum Solenniaci Monachum vixisse sub Eligio Abbate. Sic enim in ipsius Remacli vita differit Notgerus. *Remaclus vbi adoleuit, & prout ea ferebat ætas, totius integritatis & probitatis fructus protulit, beato Eligio commendatus est, viro inter eius ætatis homines meritorum gratiâ facilè primo. Is verò in Solenniacensi Monasterio, quod ipse in suo fundo construebat, eum sacris monasticæ disciplinæ institutis exactè imbuit. Intantùm autem pius adolescens eius monitis obtemperauit, vt, diuinâ in eo gratiâ exuberante, omnibus in eo Monasterio Christo militantibus, religiosæ conuersationis de se exempla praberet. Erat in vigiliis assiduus, in precibus pernox, in abstinentia præcipuus, in vniuersa morum integritate præclarus. Cernens id beatus Eligius, cui traditus erat a parentibus, eius profectui animi quadam alacritate congratulans, curam gregis sibi commissi in eum transtulit, suas ei vices demandans, cúmque sibi substituens. Compellebatur enim redire ad Palatium Regis, & suam ei operam nauare.* Et Harigerus capite vndequinquagesimo suæ Historiæ. *Remaclus iam adultus B. traditur Eligio, qui eum Solempniaco Monasterio, quod ipse pio opere in sua construxerat hæreditate, locauit, & Monastica disciplina sacris institutionibus opprimè instruxit. Intantum autem bonus adolescens monitis pij Patris adhæsit, vt non modò verbi diuini haud segnis executor fieret, verùm & ita gratiâ exuberaret diuinâ, vt omnibus sub eadem militantibus disciplina, religiosæ conuersationis fieret norma & exemplum. In vigiliis continuis pernoctabat, orationes verò pernox continuabat, in abstinentia præcipuus, in vniuersa morum probitate præclarus. Qua de re B. Eligius curam sibi commissorum ei delegans, onus & vices suas repertiens, seruitio Palatij, sicut compellabatur,*

AN. CH. 645.

Sigib. III. R. 13.

Clod. II. R. 8.

[a] Num. 11.

se reddidit. At Remaclus fuit primus Abbas Solenniacensis, & Eligius Solenniaci nec Monachum induit, nec Abbatis officio functus est, idque Tomo superiore iam notauimus ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-primum [a] quem consule.

Secundò, volunt Amandum Ecclesiæ Traiectensis regimini præpositum fuisse, regnante in Austrasia, cuius pars erat Traiectum, Dagoberto. Sic enim loquitur Notgerus in vita sancti Remacli. *Beatus Iohannes Tungrensium vel Traiectensium Ecclesiam feliciter gubernans, hominem exuit. Porrò inclytus Rex Dagobertus, qui patri Clotario iam Monarchia successit, beatum Amandum, qui ad prædicandum, vt suum moris erat, factus fuerat Episcopus, ad se accersierat, & quia eum iniuria cum expulerat, ab illo ob quædam facinora reprehensus, nitebatur arctiùs illum deuincire sibi per Sigiberti filij sui baptismum, atque in Traiectensi eum Cathedra collocare.* Breuiùs ac multò clariùs in vita sancti Landoaldi. *Beatus Iohannes Tungrensium & Traiectensium feliciter regens Pontificatum, mortem occubuit. Dagobertus Rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, beatum Amandum euocauit, Traiectensium Cathedræ præsidere fecit.* Et Harigerus capite quadragesimo-quarto suæ Historiæ. *Beato Ioanne Traiectensi Episcopo ad superna translato, Rex Dagobertus, conuocatis Sacerdotibus plurimis, sanctum Amandum Traiectensibus præficit.* At in eorum etiam sententia, qui Dagobertum post Clotarij patris mortem sexdecim annis regnasse contendunt, obiit ille, priusquàm Amandus Ecclesiæ Traiectensi præficeretur. Amandus enim Traiectensem Diœcesim triennio duntaxat gubernauit, & per illud tempus literas scripsit Martino Papæ, qui Pontificatum ante annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum haud gessit. XVIII.

Tertiò, Notgerus vult Martinum priùs electum fuisse in Romanum Pontificem, quàm Dagobertus Rex Amandum Ecclesiæ Traiectensis administrationi præponendum curarit. Sic enim scribit in vita S. Landoaldi. *Amandus Romam deliberauit iteratò adire. Romanum vniversalem Pontificatum Martinus Papa tum administrabat. Cui beatus Amandus votum, cuius obtentu venerat, exprompsit, qui vt sibi ad id opus peragendum suppetias mitterentur, poposcit. Destinati sunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adiutores. Inter quos sanctus Landoaldus Archipresbyter, Amantius Diaconus, quos etiam comitata sunt sancta fœmina Vinciana & Adeltrudis, cum aliis viris & mulieribus septem. Per idem ferè tempus beatus Iohannes Tungrensium & Traiectensium fœliciter regens Pontificatum, mortem occubuit. Dagobertus Rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, beatum Amandum euocauit, Traiectensium Cathedra præsidere fecit.* Errorem Notgeri secutus est Visio Abbas in itineratione sancti Marcelli Papæ, secutus est & Theodoricus Abbas in vita sancti Bauonis. Vt illos corrigas, tria hæc obserua. Dagobertus Rex obiit anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo, Amandus Episcopus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono donatus est Traiectensibus infulis, eodémque anno Martinus Papa Pontificatum iniit. XIX.

Quartò, Notgerus & Harigerus inter Amandum & Remaclum Traiectenses Episcopos longum collocant interpontificum. Sic enim ait Notgerus in vita sancti Remacli. *Vir sanctus* (Amandus) *per triennium vicos & castra perlustrans, verbum vitæ disseminans, sed nihil se proficere cernens, immo verò ipsos etiam Sacerdotes & Leuitas sibi insultare animaduertens, puluerem pedum, quemadmodum Dominus iubet, in illos excussit, atque ad alia loca, vt priùs fecerat, sese prædicandi causâ contulit. Incompertum verò est, quanto tempore plebs Traiectensis tum sine Pastore permanserit.* Et in vita sancti Landoaldi. *Dagobertus Rex, qui patre defuncto rerum potitus auspicabiliter successerat, beatum Amandum euocauit, Traiectensium Cathedræ præsidere fecit. Qui per triennium vicos & castra, verbum vitæ annunciando, circuiuit, sed nil se proficere cernens, Sacerdotes insuper & Leuitas insultare sibi dolens, ad alia deinceps loca demigrauit. Incompertum est deinde, quanta temporis intercapedine plebs Traiectensium fuerit vsque ad beatum* XX.

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quia famâ ad nos vsque perferente accepimus, beatum Landoaldum illic remansisse, & per nouem annos vices Pontificis administrasse. Et Harigerus capitibus quadragesimo-nono & quinquagesimo suæ Historiæ. *B. Iosue à corpore decedente, B. ei Amandus in Pontificio Traiectensi successerat, sed à suis se non solùm contemni, quin & verbum diuinæ prædicationis attendens subsannari, cùm incorrigibiles esse cerneret, eos reliquit, & ad alia loca secesserat, sicque multo iam tempore Pontificalis Sedes vacauerat. Sigiberto autem Austrasiis à patre præfecto, & in Mediomatricensi vrbe Regni sedem habente, plebs Traiectensium, cum electione communi totius Cleri ac Sacerdotum, cum frequentia pariter & audientia Magnatum, acclamatione etiam omnium Ordinum, Regem conueniens, prece multâ beatum sibi poposcit præesse Remaclum.* Anthores huiuscemodi interpontificij explodemus infrà, cùm de Remacli Præsulatu verba faciemus.

XXI. Quintò, volunt ineunte Sigiberti Principatu Remaclum Traiectensem Episcopum ordinatum fuisse. Sic enim Notgerus in ipsius Remacli vita. *Incompertum est quanto tempore plebs Traiectensis tum sine Pastore permanserit, donec Sigebertum pater Regem Austrasianis dedit, & in Mediomatricam vrbe sedem habere voluit. Ei verò Traiectenses ex communi Sacerdotum electione, Magnatum multâ frequentiâ, & omnium Ordinum postulatione, eiusmodi preces offerunt, neminem ipsis, nisi beatum Remaclum, Episcopum præfici debere.* Et Harigerus capitibus quadragesimo-nono & quinquagesimo iam citatis. *Multo iam tempore Pontificalis Sedes vacauerat. Sigiberto autem Austrasiis à patre præfecto, & in Mediomatricensi vrbe regni sedem habente, plebs Traiectensium*, &c. Sed Sigibertus regnum Austrasiæ suscepit antequàm Martinus Papa Pontificatum auspicaretur, & Amandus, qui Remaclum antecessit, Traiectensem Diœcesim eodem rexit tempore quo Martinus Ecclesiæ Catholicæ præfuit, vt ex ipsius Martini literis constat.

XXII. Sextò, Notgerus in vita sancti Remacli & Harigerus capite quinquagesimo-quarto volunt Monasterium Casæcongidunense constructum fuisse, cùm Remaclus Traiectensis Episcopus iam esset. At aliud docent Diploma Sigiberti Regis & vita sancti Tillonis, vt ex supradictis liquet.

XXIII. Septimò, Notgerus in vitis sanctorum Remacli atque Hadelini & Harigerus capitibus quinquagesimo-quinto & quinquagesimo-sexto volunt Cœnobia Malmundariense & Stabulense condita fuisse, cum regimen Ecclesiæ Traiectensis penes Remaclum Episcopum esset. Sed ea quoque priùs erecta fuisse probabimus ad annum Christi sexcentesimum duodequinquagesimum, quo Traiectensem Diœcesim Amandus Pontifex nondum administrabat.

XXIV. Octauo, Notgerus in vita sancti Remacli & Harigerus capite vndesexagesimo volunt Remaclo, qui sponte Pontificatum abdicauit, successisse Theodardum regnante adhuc Sigiberto. Astipulatur Sigebertus Gemblacensis in vita sancti Theodardi. Traiectensibus autem, quos ad Austrasiam pertinuisse constat, imperabat iam Childericus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo, quo Remaclus Episcopatum dimisit, vt suo loco dicturi sumus.

XXV. Nonò, apud Notgerum in vita sancti Hadelini, *hæc sunt nomina eorum, qui cum B. Remaclo Monasterium Stabulaus priùs inhabitare cœperunt, S. Remaclus, S. Hadelinus, S. Theodardus, S. Lambertus eius spiritualis proculdubiò in baptismate filius, S. Hubertus. Christianus quoque sapientissimus, & ceteri multi.* At Hubertum Monachum fuisse non comperimus, & Christianus Remaclo longè posterior fuit, Monachus enim vixit in Cœnobio Stabulensi sub Abbate Sichardo, qui vitam clausit anno Christi septingentesimo nonagesimo-primo, Præfecturæ suæ aut decimo-tertio vt Fisenus in Floribus Ecclesiæ Leodiensis ad diem tertiam Septembris tradit, aut decimo-sexto vt vult Bollandus in commentario quem prædictæ vitæ sancti Hadelini præfixit.

XXVI. LANDO EP. REMENSIS. Anglebertus Remensis Episcopus obiit hoc anno, cùm sedisset annos tres. Successit Lando, qui, teste Flodoardo [a], *fuit Sigiberti Regis tempore.*

[a] Lib. 2. cap 6.

AN. CH. 645.
SIGIB. III. R. 13.
CLOD. II. R. 8.

Audoenus Rotomagensis Episcopus Wandregisilum, quem anno priori Subdiaconum ordinarat, hoc anno promouit ad Diaconatum, vt colligere est ex duplici eiusdem Wandregisili vita, quam anno sequenti citabimus, cùm de illius promotione ad Presbyteratum verba faciemus.

XXVII. WANDREGISILUS ORDINATUR DIACONUS.

XXVIII. LEODEGARIUS FIT ARCHID. PICTAV.

Iisdem temporibus, Leodegarius, cùm apud Didonem Pictauensem Antistitem auunculum suum per annos ferè viginti mansisset, ab eodem Episcopo Diaconus est ordinatus, ac paulò pòst Archidiaconus effectus est. Qualem se gesserit in illis muneribus, docet Vrsinus in eius vita. *Dido Pictauensis vrbis Præsul creberrimè illum admonendo dicere solebat, vt se virginem conseruaret, quò posset in Ecclesia Dei dignum electionis effici vas. Optabat enim illum eius ciuitatis post se Episcopum habere. Cui quidem vel cùm illum cerneret aptum & idoneum, infra viginti annos ad officium electus est Diaconatûs, atque ab ipso Pontifice consecratus. Deinde non multo elapso tempore Archidiaconus effectus, omnibus eius Diœcesis Ecclesiis ab eodem Pontifice præfectus atque prælatus est. Erat enim egregiè facundus, corporis staturâ procerus, inter plerosque pulcherrimus, aspectu decorus, suauis eloquio, ingenio peracutus, prudentiâ prouidus, Dei zelo & amore feruidus, perpetuæque virginitatis custos. Scripturæ diuinæ, tum etiam Pontificij & Ciuilis iuris cognitione penè omnes eius parochiæ, quam administrandam susceperat, habitatores antecedebat. Intantum verò & seniores, & æquales, & inferiores omnes superabat, vt eloquentia eius grata esset omnibus, qui cum illo loquerentur, mæstosque afficeret lætitiâ, & criminibus obnoxios ad disciplinæ studium reuocaret. Et breui quidem temporis spatio sub illo Antistite magnam pacem Pictauensi solo regiminis sui prouidentiâ conciliauit.* Si tibi, quâ sumus vsi, displicet interpretatio, & *viginti annos*, infra quos Leodegarius Diaconatum suscepit, ad eius ætatem non autem ad mansionem quam apud auunculum Pictauensem Episcopum egit, referendos putas, itaut officium Diaconatûs adolescenti vicesimum ætatis annum haud adepto collatum velis, adscribe anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto quæ de Leodegarij Diaconatu narranda in hunc vsque annum distulimus. At priùs aduerte non deesse argumenta, quibus opinionem nostram validè confirmare possimus. Primum petitur à Synodalibus Decretis, vetabant enim Diaconum ante ætatem viginti-quinque annorum ordinari, nec facilè nobis persuademus ea Didonem Episcopum in gratiam Leodegarij nepotis transgressum esse. Secundum sumitur à multiplici eruditione, quâ Leodegarius, vt Auctores vitæ coætanei scribunt, ceteris antecellebat cùm factus est Diaconus, tot enim scientiarum capax haud videtur ætas quæ minor sit vicennariâ. Tertium ducitur à Fortunato, qui literis vitam sancti Germani Parisiensis commendauit, tempúsque, quo idem Germanus institutus est Diaconus, designauit his verbis, *inter terni lustri spatium*, quæ duplicem hodie patiuntur interpretationem, licèt enim hæ voces, vt Tomo primo ad annum Christi quingentesimum tricesimum-tertium • probauimus, intelligi necessariò debeant de tempore, quo Germanus cum Scopilione mansit, ad eiusdem Germani ætatem transferuntur à plerisque Neotericorum, qui Germanum anno ætatis suæ decimo-quinto Diaconum ordinatum affirmant. Integrum Fortunati textum denuò describemus, vt illum commodiùs conferas cum periodo suprà recitata, quâ Vrsinus indicare voluit annum, quo Leodegarius ad Diaconatûs officium promotus fuit. *Beatus Germanus dum Aualone* • *castro simul cum Stratidio propinquo puer adhuc scholis excurreret, mater parentis, vt illius hæreditatem sibi acquireret, de adolescentis falletura necetractauit. Quæ temperatam potionem in ampullam includit, vinum quoque in alteram posuit, præcipiens puellæ, vt venientibus ambobus, illi porrigeret de vino, isti de maleficio. Sed ignorans ministra ampullam pariter mutat & pocula; vinúmque sancto Germano, venenum vero dat Stratidio, & dum insonti præparatur interitus, author cadit in laqueum. Quo mater eius cognito, puellam increpat cum fletu, sibi eam extinxisse filium. Cui Stratidio sollicitè impensô studio, facto de ipsis maleficiis vario, etsi mors vitam non abstulit, tamen signum mortis infixit. Hinc ad parentem suum sanctum Scopilionem Lausiam se con-*

• Num. 47.

• Aualon.

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

ferens, moribus honestis apud illum alitus & institutus est. Qui cùm ferè mille passus ab eodem vico consisterent, iugiter ad Matutinos currebant, ducti calore fidei, per tempestatem, per hyemem. Ac Dominus Germanus intra terni lustri spatium à B. Agrippino Diaconus instituitur, & sequenti triennio Presbyter ordinatur.

XXIX. GOEZNOVS ABBAS.

Goeznous Abbas, cùm ob insignem pietatem ab Houardono Leonensi Episcopo plurimùm diligeretur, euocatus est è Monasterio vt Canonicus Ecclesiæ Leonensis fieret, sed precibus apud eundem Episcopum agere non destitit, vsquedum licentiam obtinuit redeundi ad sodales Cœnobitas, quibuscum ad obitum vsque Houardoni Episcopi vixit. Lege illius vitam [a] in Armorica sancta.

[a] d. 25. Oct.

XXX. VITA S. GRATI EP. CABILON. EXAMINATVR.

Claudius Perryus Cabilonensis, Presbyter Societatis Iesu, Historiam Cabilonensem anno Christi millesimo sexcentesimo-vndesexagesimo in lucem edidit. Inter antiqua monumenta, quibus opus suum illustrauit confirmauítque, vitam beati Grati Cabilonensis Episcopi publicauit ex veteri Legendario Cabilonensis Ecclesiæ. Vixit Gratus sub Clodoueo Secundo Rege, vt constat ex Concilio Cabilonensi, cuius Canones ac subscriptiones anno superiori retulimus. Author vitæ procul abfuit ab eius ætate, nam Translationem anno Christi circiter nongentesimo septuagesimo factam recensuit. Nonnulla scripsit à vero prorsus aliena. Inprimis asseruit nec Grato nec antecessoribus Episcopis domicilium fuisse in ciuitate propter persecutionem ethnicorum, sed trans alteram Araris ripam in quodam municipio, quod hodie suburbium sancti Laurentij vocatur ab Ecclesia in honorem sancti Laurentij paulò ante ipsius Grati Pontificatum ibi constructam. *Nondum tunc temporis*, inquit, *prædecessores illius in vrbe manendi locum pressurâ gentilicatis habuerant, sed interposito Arari amne in ripa Sequanorum Græco vocabulo Martyrmathon vocatum repererant, in quo post multos labores & ærumnas ab impia gente sibi sæpiùs illatas requiescere consueuerant. Nunc propè prænotato adfore videbatur municipio quadam Ecclesia nouiter constructa in honore Leuitæ Christi & Martyris Laurentij, in qua quotidiani consuetudo celebrabatur officij. Hic tamen intimo spiritualium amore filiorum morem sibi imposuit, vt vnaquáque Dominicâ die per Sagonnæ pontem transeundo ad maiorem Ecclesiam veniret, ibíque Missas peragens astanti populo prædicationis officium exhiberet.* Quis credat regnante Clodoueo Iuniore tantam Cabilone potentiam fuisse paganorum? Hæc ciuitas ab annis plusquàm trecentis parebat Christianis Principibus, suberat Catholicis Francorum Regibus ab annis centum & ampliùs, quin & ab annis circiter octoginta sedes erat regia. Fierine potuit, vt tot piissimi Reges Cabilone diu versarentur, nouásque Basilicas illic erigerent dotaréntque, de cultu autem idolorum abolendo non cogitarent, spernerent Episcopum, eúmque à paganis opprimi paterentur? Præcitatus Author alia subiunxit haud potioris fidei, superioribus enim innituntur, supponúntque Gratum Episcopum è municipio trans Ararim sito iter ad primariam Basilicam cis fluuium in vrbe positam die Dominicâ de more suscepisse. *Accidit autem*, inquit, *quadam die prædictâ* seu Dominicâ, *quòd iter eundo ad Ecclesiam, vt plerisque adsolet, curæ plus solito impedirent sæculares. Quibus viriliter expeditis, sanctæ consuetudinis non immemor, dum ad pontis perueniret medium, in spirituali auditu cælestis officij, ite Missa est, dicentem audiuit Angelum. Hoc cælesti perterritus oraculo, dum in pontis moraretur medio, quò tenderet, quid ageret ignorans, tardioris tamen officij negligentiæ sibi maculas inculcans, ex digito annulum excutiens & in aquam proiiciens, his verbis se obligauit dicens. Nisi annulum recuperauero, officij Pastoralis minister nec dici veraciter, nec esse vlteriùs potero.* Hæc excogitata sunt, vt ratio redderetur arctioris pœnitentiæ, quam Gratus Episcopus per septennium cellulæ inclusus prope Basilicam sancti Laurentij trans Ararim egit, sed absque fabulis quisque facilè sibi persuadebit Grato in mentem venisse, vt munus Pontificale dimitteret, secederet in cellulam, pœnitentiæ vacaret. Accessit igitur ad prædictam beati Laurentij Basilicam, *iuxta morem*

illius, reclusionis cellulam fieri praecepit, in qua per continuos & eo ampliùs septem annos Deo militans in vigiliis & orationibus pernoctauit. Huic cellulæ contiguum fabricari iussit tugurium, in quo mater eius nomine Celsa mulier religiosa in spiritali artificio corpus domuit & extenuauit. His itaque viuentibus & Deo per omnia militantibus, additus est quidam Clericus seruiens deforis, deferens quæ necessaria videbantur. Ad hunc innumerabiles locum circumquaque veniebant populi, patrem videre desiderantes, & eius dulcissimis sermonibus saturari. Igitur Gratus sanctissimus inter ea quæ aduenientem continuò populum commonebat precibus, quatenus alium patrem eligerent animabus suis, nam de illo impossibile esse, quæ videbatur. Hoc magni paruique verbum omnino respuentes, quâ poterant assertione testificabantur, quòd in eius sede eo viuente nemo succederet alius. Laudandi sanè Cabilonenses, quòd alium Pontificem Grato superstiti non suffecerint. Gratus anno priori Concilium Cabilonense suâ subscriptione communiuit, ideóque non videtur ante hunc annum cellulæ se inclusisse. Illius vita, quam citauimus, anno quoque Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-secundo publicata est à Petro *Cusset* Tomo secundo Historiæ Cabilonensis. In ea Gratus, quod obseruandum maxime, Gebderini seu Gelioni successor prædicatur. *Sub temporis illius spatio, quo bonæ memoriæ Pontifex Cabilonensis Gebderinus nomine è mundo discesserat, plebs & Clerus eiusdem ciuitatis ad Ecclesiam conuenientes, quemdam virum mundanæ nobilitatis titulo præclarum Deo & hominibus gratum & gratiâ, ad Pontificalis culmen regiminis elegerunt.*

AN. CH. 645. SIGIB. III. R. 13. CLOD. II. R. 8.

ANNVS CHRISTI 646. SIGIBERTI III. R. 14. CLODOVEI II. R. 9.

646. SIGIB. III. R. 14. CLOD. II. R. 9.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto consignamus secessum beatæ Rictrudis in Cœnobium Marchianense, à morte enim Adalbaldi mariti non multùm temporis intercessit. Hucbaldus rem, quomodò gesta est, in ipsius Rictrudis vita fusè describit, nec omittit blanditias & minas, quibus Clodoueus Rex eam adducere conatus est vt iterum nuberet. Rictrudis luctu, quem de nece marito suo à nefariis hominibus illata conceperat, sopito, *cum seruis Dei ipsi familiaribus præsertim autem cum Amando sanctissimo Præsule de suo statu deliberat, audítque ex illo fidissimo consultore illud Apostoli. [Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium.] Audit etiam illud Domini Saluatoris. [Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.] Hæc & id genus alia verba salutis non surdâ aure accipiens S. Rictrudis, sed iis diligenter animum applicans, omni postpositâ ancipitis deliberationis morâ, pollicetur se eius salutaribus monitis obtemperaturam. Verùm antiquus serpens, inuidiæ stimulis percitus, tam salubre propositum modis omnibus impedire conatur. Commouet Regis animum, vt persuadeat illi denuò nubere cuidam ex Optimatibus suis, illâ autem prorsus id respuente, multa adhibet blandimenta Rex, sed frustrà. Blanditiis succedunt terrores & minæ, sed tantumdem efficiunt apud animum Deo benè firmatum. Et quia ex tribus Philosophiæ partibus eam præcipuè colebat, quæ in actione & rectè viuendi ratione consistit, nec immeritò viuendi magistra dicitur, quam Græci Ethicen, Latini Moralem vocant,*

I. RICTRVDIS RESPVIT SECVNDAS NVPTIAS.

AN. CH. 646. SIGIB. III. R. 14. CLOD. II. R 9.

ad quam primariæ illæ virtutes pertinent, prudentia, iustitia, fortitudo, temperan-
tia; his ipsis accuratè sese communiens, quemadmodum per iustitiam Deo magis quam
hominibus obedire, atque per fortitudinem nullis cedere aduersis constituerat, ita
per prudentiam Regis indignationem amoliri, & per temperantiam intra modestiæ
& humilitatis limites sese continere decreuit. Itaque vsa consilio sanctissimi Aman-
di, ad tempus dissimulat immutabile animi sui propositum, spondétque Regi se ex
eius consilio facturam, quod sibi conducibilius videretur. Hunc in modum cùm Regi
persuasisset, se ipsius dictis parituram, in prædio suo, in villa Bairoio oppiparum &
regiâ Maiestate dignum apparat conuiuium. Inuitat Regem cum Optimatibus, &
inter epulas sermonibus sale conditis omnes exhilarat. Postquàm autem repressâ fame,
edendi auiditas remitti cœpit, essént que iam conuiua fœcundis calicibus comiter ac-
cepti, surgit matrona venerabilis à mensa; & non trepidè, sed constanter: non te-
pidè, sed feruenter: non segniter, sed sagaciter: non muliebri, sed virili planè
animo, quod secum deliberarat, reipsâ exequitur. Primùm sciscitatur ex Rege, num
illius bonâ veniâ liceat ipsi in ædibus suis quod velit agere. Rege incunctanter an-
nuente, quippe qui putaret illam sumpto poculo, vt plerique solent, & se & conui-
uas alios ad potandum strenuè inuitaturam, è sinu suo profert velum ab Amando
Pontifice consecratum, qui etiam hoc ei consilium dederat, & inuocato terribilis Dei
nomine & auxilio, suo illud capiti imponit. Tum verò Rex irâ permotus, ingratas
relinquens epulas, abscessit è conuiuio. At illa iactans cogitatum suum in Dominum,
totam se illius arbitrio permisit & commisit, facultatibúsque & possessionibus pru-
denter distributis, spinosísque huius mundi curis è terra cordis sui penitus extirpa-
tis, quæ priùs seruiendo Christo in membris eius, Marthæ gesserat officium, iam ad
pedes eius sedens, audiebat verbum eius, optimam Mariæ partem, quæ ab ea non
posset auferri, sibi deligens. Vt verò quod in interiori gerebatur homine, id etiam
exterior præseferret; sicut mentis mutarat habitum, ita mutauit & corporis: pretio-
sísque abiectis vestibus, quibus fuerat vsa in matrimonio, vt placeret viro, vnà
cum eis omnibus se exuit huius mundi impedimentis, vt solicitâ semper cogitatione
ea sola tractaret, quæ Domini sunt, vt illi vni deinceps placeret. Imposuit autem
capiti tetrum quendam amictum, vt interioris hominis luctum & pœnitentiam de-
signaret, possétque pro luctu breui & mœrore momentaneo eâ quandoque consolatione
affici, de qua Dominus dicit in Euangelio. [Beati qui lugent quoniam ipsi consola-
buntur.] Et vt quondam expertas corporis voluptates & molestas dæmonum profli-
garet vexationes, in preces continuas & immodica propè ieiunia incubuit, carném-
que aspero cilicio domans, illud ex Psalmo canebat. [Ego autem, cùm mihi molesti
essent, induebar cilicio; humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in si-
nu meo conuertetur.] Porrò locum, vbi spiritualibus daret exercitiis operam, cum
consilio & auxilio sæpè dicti Antistitis Amandi, valdè sibi congruum delegit, nem-
pe Monasterium, quod Martianas vocant, ab eodem Antistite ad fluuium Scarbum
exædificatum, cui disponendo & constituendo vir sanctus Abbatem præfecerat san-
ctum Ionatum venerabilem virum, cuius adhuc in eodem Monasterio corpus condi-
SECEDIT IN CŒNOBIVM MARCHIAN. *tum habetur. Et Amandus quidem Monachos illic haberi voluit, sed Ionatus Sanc-*
timoniales ibi congregauit. Hunc ergo locum, satis opportunè ab hominum strepitu
remotum, Dei famula Rictrudis expetiit, & beato Amando non solùm consentien-
te, sed etiam, inter Regem & ipsam, pacem conciliante, cum Maiestatis regiæ priui-
legio obtinuit, vt illic se totam rebus diuinis manciparet. Huc vsque Hugbaldus.

II. Degebat tunc Amandus Elnone, nec adhuc Ecclesiæ Traiectensis adminis-
trationem susceperat, nam si Traiectensis extitisset Pontifex, à sua Diœcesi
noluisset abesse, vt in aliena singularem vnius viduæ curam gereret, per literas
ac nuncios aut per Ionatum Abbatem vel alium quempiam notæ pietatis virum
ea præstitisset, quæ præsens ipse fecisse dicitur ac probatur. Cœnobium Mar-
chianense, quod hactenus virorum tantùm fuerat summâque laborauerat pau-
pertate, locupletius deinceps euasit, atque in duas ita diuisum fuit partes, vt
Monialibus concessâ sede primariâ semoti fratres in altera consisterent. Illius
Monasterij Chronographus, postquàm de Monachis illic cum Abbate Ionato
à beato

AN. CH. 646.

SIGIB. III. R. 14.

CLOD. II. R. 9.

à beato Amando constitutus locutus est, hæc proximè subiungit de Rictrude déque Monialibus quæ Rictrudis vestigia secutæ sunt. *Non post multum temporis altiori inuestigatione consultum est, vt quoniam gloriosa mater Rictrudis loci fundatrix, & vniuersorum, quæ ibi contradita fuerant, domina, in illo sancto contubernio inter seruos Dei famulari videbatur, congruentius foret secundi sexûs fideles ibidem ad seruiendum immittere, & illius sanctæ inhabitationis primatum Sanctimonialium ordinem aptiùs obtinere. Semoto siquidem pace earum illo adhuc modico conuenticulo, nobiles matronæ illuc vndique certatim confluunt, religiosæ viduæ, quæ verè viduæ erant, alacriter concurrunt, puellaris etiam pudoris iuuentus casto introducitur, spiritualis gymnasij palæstram omnes in commune aggrediuntur.* Abhinc Monachis Ionatus Abbas, Monialibus licèt inuita præfuit Rictrudis Abbatissa. De Ionato constat ex Chronico Elnonensi. Ibi enim secundus Abbas Elnonensis exhibetur Vrsus, qui regimen Monasterij suscepit, cùm infulæ Traiectenses Amando Episcopo delatæ sunt, tertius verò Ionatus, qui successor Vrso subrogatus est à beato Amando, *vir modestissimus, ipsius Monasterij Monachus, quem pridem Marchianis instituerat idem beatus Amandus primum Abbatem.* De Rictrude hæc narrat Baldericus [a] in Chronico Cameracensi. *Apud villam Marcenias, virgo Dei gloriosa Rictrudis ex propriis opibus & prædiis, consilio sancti Amandi, qui tunc insignis habebatur, Monasterium struxit, vbi Sanctimonialibus ad seruiendum delegatis ipsa etiam Abbatissa habenas regiminis moderata est.* Quo loco Rictrudem virginem vsitato tunc more loquendi pro Sanctimoniali nuncupat, vt Buzelinus libro secundo [b] Gallo-Flandriæ iam notauit. Monasterium Marchianense semper fuit Diœceseos Atrebatensis. Illis temporibus Ecclesias Atrebatensem & Cameracensem Autbertus Pontifex administrabat, quapropter eum quoque consuluit Rictrudis. *Amando egregio Dei famulo*, inquit Author Chronici Marchianensis, *beata Rictrudis vidua deuotissima in sanctitate & iustitia spiritualiter adhærens, eiusdem fabricæ nouello diligentiô, omnium prædiorum suorum, cunctarúmque opum suarum, vernaculorum & mancipiorum, & vniuersæ supellectilis suæ considerationem in eius consilij dispositione constituit, non tamen sine benedictione & auctoritate Præsulis Cameracensis, qui eâ tempestate erat Autbertus memorabilis cælesti doctrinâ, & prædicatione vbique insignis. Inspiratione ergo diuinâ, pérque beatorum Pontificum consulta, fœmina virtutis, totius patrimonij sui substantiam bonorum omnium largitori Christo libenter refundere decreuit, aliis Ecclesiis, ac vtriusque sexûs fidelibus personis multo largissimè tribuens, suis verò locis, in quibus pia actionis exercitio Deo militatura erat vsque in finem, vt paupertatis sanctæ amatrix, minus & pauca reseruans, nihil hæsitans in fide.* Idem Author paulò pòst obseruat illud Monasterium à *duobus venerabilibus Episcopis, Autberto videlicet & Amando* dedicatum fuisse. De ista dedicatione déque testamento Rictrudis agemus post septennium.

Rictrudis Monasterium Marchianense diu rexit, vixit enim annos quatuor & septuaginta teste Hugbaldo, qui sic eam laudare pergit. *Vt omnibus palàm innotesceret, ò quanta perfectione suam inchoasset conuersionem, conuenienter illi Euangelica sententia [luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est] post abiectas à sese humeris onerosas prædiorum & facultatum sarcinas, post nuncupatum Deo continentiæ votum, post acceptum monasticæ religionis habitum, non contenta se solam Deo offerre oblationem viuam, sanctam, eique placentem, etiam tres filias suas illi obtulit virgines corde & corpore immaculatas, vt perpetuam seruantes virginitatem, agnum virginem, virginis matris filium, quocunque ierit sequantur, canténtque ante Dei thronum canticum nouum, id est, cum agno æternùm exultent de carnis seruato integritate & incorruptione.* Et paucis interiectis addit eas in *ætate adhuc tenera* fuisse, *infantulas* appellat Author Chronici Marchianensis. Clotsendis annum agebat ætatis vndecimum, Eusebia nonum, Adalsendis octauum. In Marchianensi Monasterio manserunt cum matre Clotsendis & Adalsendis, Eusebia

[a] Lib. I. c. 16.

FIT ABBATISSA.

[b] Cap. 20.

III.

TRES EIVS FILIÆ MATREM SEQVVNTVR.

AN.CH. 646.
SIGIB. III. R. 14.
CLOD. II. R. 9.

postea transiit ad Hamaticense cui Gertrudis eius proauia præerat. Erant ea duo Cœnobia sibi opportunâ vicinitate coniuncta, *sub vno canone & amica societate*, inquit vetus Author in vita sancti Amati Senonensis Episcopi, *atque in eorum altero sancta Gertrudis beati Adalbaldi auia cum sua pronepte & virgine Eusebia, in altero pari studio florebat Ionatus sancti Amandi discipulus, & Rictrudis cum filiabus duabus.*

IV.
WANDREG. ORDINATVR PRESBYT.

Audomarus Taruannensis Episcopus ab Audoeno Rotomagensi Pontifice rogatus Wandregisilum Diaconum promouit ad Presbyteratum. De Wandregisili enim aduentu in ciuitatem Rotomagensem, de Subdiaconatu, de Diaconatu, déque Presbyteratu sic in eius vita scribit Author coætaneus, quem Clarissimus Vir Antonius *de Wion* pro sua singulari beneuolentia nobis communicauit. *Veniens Rodumu* * *in sede beata, in diebus Audoeni Orthodoxi. Qui tùm vidisset eum ipse Pontifex cognouit, quia hic Dei magnus cultor esset, & voluit eum ad onus Subdiaconale benedicere. Quem inscium & penè nolentem ad ipsum gradum eum instituit, exinde Leuitam, deinde ad Sacerdotium per manus Domini Audomari conscendere fecit.* Alter Author [a] in eiusdem Wandregisili vita paulò fusiùs eadem sic enarrat. *Peruenit ad celebrem vrbem Rothomagensem, summâ reuerentiâ à venerabili Antistite Audoeno exceptus. Qui memor prioris coniunctionis & societatis, nobilissimaque eius originis aliquandiu eum secum in vrbe tenuit, & secundi ordinis honore amplianit, Subdiaconum eum creans valdè reluctantem, sicut & processu temporis Leuitici ministerij onus ei imposuit. Quo feliciter administrato, non multò pòst ad Sacerdotium licèt renuens, iussu eiusdem beatissimi Præsulis Audoeni, à venerabili Autmaro Pontifice vrbis Taruanna consecratus est.* Wandregisili aduentum in vrbem Rotomagensem anno Christi sexcentesimoquadragesimo-quarto consignauimus, cetera retulimus annis proximè sequentibus. Biennium adhuc superest vsque ad constructionem Monasterij Fontanellensis, illo tempore mansit Wandregisilus apud Audoenum Rotomagi, sic enim prosequitur Author nuperrimè citatus. *Post acceptum sacræ benedictionis munus, studiosè explebat ministerium sibi impositum, humilitatis tramitem in omnibus tenens. Erat namque non minimùm idoneus & aptus huic sacrosancto ministerio. Quapropter præfatus gloriosus Præsul in vrbe secum perpetim retinendum censuit, quia mellito eius delectabatur alloquio, quo eum crebrò recreabat & grauitate fouebat.*

* Roüen.

[a] Ap. Sur. d. 22. Iul.

V.
LANDELINVS RESIPISCIT.

His circiter temporibus, Landelinus, qui socium se prædonibus adiunxerat, rediit ad meliorem frugem. *Diu multos in tam nefario opere perdurans seruiebat diabolo à Christo profugus, sed tandem diuina potentia non deseruit preces sancti Pontificis* Autberti Cameracensis Episcopi, *& pro solita clementia filium errabundum restituit sanctæ Matri Ecclesiæ. Volebat is cum suis sociis diuitis cuiusdam domum deripere. Eâ autem nocte, quæ huic flagitio destinata erat, quidam ex complicibus eius excessit è vita. Cuius morte ille vehementer afflictus dedit membra sopori, vidítque miseri illius animam in tartarum abduci. Cúmque non sine ingenti tremore id adspiceret, adstitit Angelus Domini, & voce terribili dixit ei. Cerne iam, Landeline, præmia laboris tui, vide vt anima socij tui ad inferorum æterna supplicia pertrahatur, simúlque considera vtrùm tibi præstabilius sit ita protrudi in barathrum æstuantis gehennæ, an nobiscum potiùs perfrui gaudiis sempiternis, &c. Landelinus autem eo visu non mediocriter terrefactus, relictis sociis & rebus suis omnibus, pedes Cameracum festinat, & sancti Autberti pedibus se aduoluens orat pro admissis criminibus pœnitentiæ mulctam sibi irrogari. Ille verò pius pater, eius gratulans conuersione & desiderio, suscepit pœnitentem, quem diu fleuerat à se profugum, sinúmque ei diuinæ misericordiæ aperiens reddidit eum sanctæ Matri Ecclesiæ. Itaque sub seculari habitu degens in Monasterio agebat pœnitentiam, macerans corpus ieiuniis, quod mundi illecebris contaminauerat.* Hæc Auctor vitæ [b].

[b] Ap. Sur. d. 15. Iun.

VI.
AVSTRVDIS.

Austrudis hoc anno, ætatis suæ duodecimo, cùm in vxorem ab illustrissimo simul & opulentissimo iuuene expeteretur, patriam deseruit, Laudu-

AN. CH. 646.

SIGIB. III. R. 14.
CLOD. II. R. 9.
AVSTRVDIS, ODILA ET EIVS MARITVS BODO RENVNTIANT SECVLO.

num perrexit, & monasticum habitum in Cœnobio beatæ Mariæ sub religiosa Salabergæ matris suæ disciplina suscepit. Id testatur ipsius Austrudis vita manuscripta quam Lucas Dacherius in nonnullarum sancti Ioannis Laudunensis Abbatissarum nomenclatura operibus Abbatis Guiberti subiecta laudat. In idem Monasterium se recepit Odila quæ Leudino Bodoni Salabergæ fratri nupserat, sic enim in vita sanctæ Salabergæ perantiquus Author disserit. *Inter cæteras nobilium Sicambrorum fœminas Odila, nobilitate & ingenij naturâ boni pollens, quæ & ipsa pridem à venerabili Waldeberto Christiani vigoris insigne ac salubre acceperat antidotum, consilio accepto cum legali viro illustri Bodone, quem superiùs Leudinum prædiximus, qui in eo tempore industrius & potens & secundum sæculi dignitatem florens erat, postpositis faleramentis mundi, ad venerandum sunt conuersi, rebúsque suis Monasteriis collatis, post beatam Salabergam, eundem callem tenentes, Laudunum properauerunt. Bodo incisâ cæsarie Monachi, in quantum res sinebat, agebat officium, ac non multò pòst Tulli oppidi adeptus Episcopatum, naturæ debitum reddidit. Veneranda quoque Odila Christi scemate suscepto sacrarum virginum se choro coniungens, sub obedientiæ tenore, vitam beatam degens, spiritum, cui omnia debentur, reddidit.*

VII. VITALIS EP. IVVAV. OBIT.

Hoc eodem anno, vt apud Vionem & Bruschium & in Chronicis Salisburgensibus annotatur, Vitalis Episcopus Iuuauensis, postquàm sedisset annos viginti tres, ad cælum abiit decimo-tertio Kalendas Nouembres, siue vt Author Chronicorum Salisburgensium loquitur, *in profesto Vrsulæ*, quo die colitur in Diœcesi Salisburgensi. Proxima post sanctum Rupertum Boioariæ tutela multis seculis habitus est. Ne conditio cumulatóque ver & flores deessent è medio sacri cadaueris corde lilium procreuit, viuentis etiam post funera virtutis & innocentiæ index. Lege apud Henricum Canisium [a] Historiam de miraculis sancti Vitalis, & Pontificium Diploma, quo Leo Decimus Papa cælestes illi honores decreuit anno Christi millesimo quingentesimo decimo-nono.

VIII. EPISCOPI IVVAV.

Apud eundem Canisium reperitur breuis Episcoporum & Archiepiscoporum Salisburgensium à sancto Rudberto Episcopo vsque ad Rudolphum Archiepiscopum catalogus, cuius initium tale est. *Sanctus Rutbertus Episcopus, Ansologus Abbas, Sauolus Abbas, Ezzius Abbas, sanctus Flobargisus Episcopus, sanctus Vitalis Episcopus, Ioannes Episcopus, Bertricus Abbas, sanctus Virgilius Episcopus, Arno Archiepiscopus, Ammilon Abbas.* Et in fine illius catalogi hæc subiiciuntur. *In catalogo istorum Episcoporum quinque Abbates continentur, qui absque Pontificali ordine & dignitate regebant Episcopatum Iuuauensem. Hi verò sunt, Ansologus, Sauolus, Ezzius, Bertricus, Ammilon.* At in aliis catalogis & apud probatos rerum Boioaricarum Scriptores, Abbates illi quinque fulgent Episcopali dignitate. Quapropter ex sententia Wionij, libro secundo de ligno vitæ, capite quinquagesimo-tertio, Ansologus qui Monachus primùm & Abbas sancti Petri fuit, tertius Iuuauensis Episcopus à nobis recensebitur. Ducatum seu Præfecturam Boicæ tunc gerebat Theodo Quartus, vt Ioannes *Adlzreitter à Tetenweis* in Annalibus Boiorum testatur [b]. Ansologo autem ad Infulas Iuuauenses assumpto, Monasterium beati Petri rexit Sauolus, qui posteà eidem Ansologo in Episcopatum successit.

a Tom. 6. ant. lect.

b Par. 1. l. 6. n. 33.

AN. CH. 647.
SIGIB. III. R. 15.
CLOD. II. R. 10.

ANNVS CHRISTI 647.
SIGIBERTI III. R. 15.
CLODOVEI II. R. 10.

I. IN commentario [a] præuio ad vitam B. Pauli Virodunensis Episcopi, citantur Authores non pauci, quorum alij anno Christi sexcentesimo quadragesimo-septimo, alij anno sequenti, quidam anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, nonnulli anno Christi circiter sexcentesimo quinquagesimo mortem eiusdem Antistitis consignant. Sed prima sententia ceteris est anteponenda, quia Sigibertus Rex Monasteria in Arduenna sylua erecturus Gisloaldum Pauli successorem consuluit, vt anno sequenti dicemus. Obiit igitur hoc anno sanctus Paulus Episcopus Virodunensis, annos natus septuaginta-duos. Sedit annos duntaxat sexdecim. Colitur in Tabulis Ecclesiasticis sexto Idus Februarias. Sepultus fuit in Basilica sancti Saturnini, quam extra muros vrbis condiderat. Successit Gisloaldus ex Monacho Theologiensi, qui, quod antecessor meditatus fuerat, adimpleuit Æde sancti Saturnini Canonicis attributâ. Lege Wasburgium [b]. Tunc administratio Monasterij Theologiensis seu Tabuleiensis penes Grimonem Abbatem erat, vt patet ex iis quæ Tomo superiore dicta sunt ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-primum [c].

[a] Ap. Bolland. die 8. Febr.
OBITVS S. PAVLI EP. VIROD.
[b] Lib. 2.
[c] Num. 13.

II. Ad hæc tempora, quibus pacatissimæ erant ditiones Sigiberti Regis, hæ videntur referendæ literæ [d], quas idem Rex ad Desiderium Cadurcensem Episcopum direxit. *Sancto atque Apostolicâ Sede dignissimo, honorum titulis præferendo Domno, & in Christo Patri Desiderio Papæ Sigebertus Rex. Culminis vestri paginam deferente venerabili viro Bettone Abbate cum sanctis eulogiis vestris me certo summo gaudio comperite suscepisse. De id verò scripsistis, vt quàm prosperè nos diuina pietas degere permittebat, vobis insinuare deberemus. Cognoscite, vestrâ intercedente oratione, prosperè hactenus Christo Præsule consistimus. Et gentes patriæ, nobis a Deo concessæ, pacifico ordine nobis obediunt, gentes etiam barbaræ pacatissimæ nobis cohabitant. De conditiones verò vestras, vnde iniunxistis, taliter Christo adiuuante ad effectum produximus, vestra fuit iniunctio. Proinde cum salutatione deuotissima petimus, vt pro nobis Domini nostri Iesu Christi misericordiam, vbi ingiter sedulas funditùs preces, exorare dignetis, vt suâ largiente clementiâ, & hic pacificè viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.*

[d] Epist. 9. ad Desider.
LITERÆ SIGIBERTI REGIS AD DESIDER. EPISC. CADVRC.

III. Hoc anno Gertrudis virgo, Grimoaldi soror, Niuellæ benedicta est in Abbatissam quarto Nonas Decembres, die Dominico, literâ Dominicali G, vt Bucherius & Malbrancus obseruarunt. In Codice Niuellensi *secundâ die Decembris recolitur consecratio sanctæ Gertrudis Virginis* teste Molano [e]. Ita Gertrudis mater hortante Amando Episcopo Monasterium illud erexerat, ibique sub ipsius Gertrudis regimine Monasticam vitam ducere voluit. *Erat sancta virgo Gertrudis*, inquit Author [f] vitæ, *magnâ morum continentiâ prædita, mente sobria, verbis & sermone moderata, ætatem senilem iam moribus præferens. Feruebat amore Christi sponsi sui, vultu pulchra, sed pulchrior mente, castitate integra, larga eleemosynis, ieiuniis & orationibus dedita, pauperum & peregrinorum sollicitè curam gerens, erga senes quidem & ægros humana & pia, porrò iuuenibus strenuam se exhibens erga res diuinas. Atque hoc pacto, summo studio creditum sibi officium exequebatur. Porrò per nuncios suos, boni testimonij viros, tum Sanctorum patrocinia, tum sacros Codices ab vrbe Roma & regionibus transmarinis, gnaros quoque homines, qui diuinæ legis cantica sibi suisque meditanda interpretarentur, meruit obtinere.*

GERTRVDIS NIVELLENSIS ABBATISSA.
[e] Die 17. Mart.
[f] Ap. Surium die 17. Mart.

Bauo, quantùm ex Chronico Bauoniano, & ex ipsius Bauonis vita simul collatis conijcere licet, eremum *Melmedung* hoc anno deseruit, rediitque ad Gandense Monasterium, vbi tunc præter Clericos viuebant & Monachi sub Abbatis Florberti disciplina. Hæc à Theodorico sic describuntur. *Bauo aliquando ignotus cùm mansisset, iterúmque famâ vulgante vlterius posse latere desperaret, comperto quòd beatus Amandus Monachos in Gandensi Ecclesia substituisset, & venerabilem virum Florbertum in Abbatem ordinasset, tum verò magno se æstimans quasi donatum munere, ad locum professionis suæ statuit redire, ibique qui superetat reliquum vitæ cursum percurrere. Reuersus itaque quasi Angelus Dei, vt verè erat, recipitur; receptus, hospitio inducitur; inductus honoratur; nec vllum antè habuere gaudium capitalius, quàm quòd talis vir in contubernio eorum est receptus. Dehinc Abbatem in colloquium euocat, reditûs sui causam explicat, familiarem sibi fieri cellulam ad commorandum petit & impetrat. Quis enim non modo Monachorum sed & Clericorum, Bauonis non desideraret contubernium? Vna vox, manus liberales, vultus grauis, humilitas inæstimabilis, iucunditas irreprehensibilis, & nescio quæ extra hominem hominis habitudo, desiderabilem eum fecerat omni benè viuenti in Domino.* Ædificata est cellula quamcelerrimè. In ea mansit Bauo *quatuor ferè menses*, deinde ergastulo inclusus est *quinto Idus Nouembris*, ibique secundo pòst anno vitam clausit *Calendarum Octobrium die primo*. Hæc idem obseruat Theodoricus, sed Bauonis inclusionem anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo malè consignat. Monasterium sancti Trudonis regebat ineunte seculo duodecimo, ab ætate sancti Bauonis abfuit quatuor seculis ac dimidio, rerum à beatis Amando ac Bauone eorumque coæuis gestarum Chronologiam plurimùm perturbauit. In Chronico Bauoniano sanctus Bauo moritur anno Florberti Abbatis decimo-tertio. Inclusus est igitur anno eiusdem Abbatis vndecimo, id est, hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-septimo. Ineunte autem eodem anno Gandam redierat, erecta est enim ei cellula quantocyùs, in qua, priusquàm ergastulo includeretur, quatuor menses integros haud expleuit. Hæc ad Chronologiam. Singularum rerum narrationem iam ineamus Auctore Theodorico prælaudato.

AN. CH. 647.
SIGIB. III. R. 15.
CLOD. II. R. 10.
IV.
BAVO REDIT AD GANDENSE MONAST.

Cellula, quam Bauo Gandam reuersus sibi fieri petiit impetrauitque, *in fundationis suæ principio honorata est reuiuificati hominis miraculo, & in consummatione venerabili & verè prædicabili supplicio.* Primum ex Theodorico sic contrahit Haræus [a]. *In ædificanda cellula Artifex quidam sabulum & lapides plaustro aduehens, vehiculo proturbatus, mole desuper ponderis & iumentorum incursu relinquitur mortuus, & idem tamen ille rursum post trium horarum spatium, orante pro ipso athletâ Dei Bauone, surgit & ambulat. Mirum sanè spectaculum, & ad roborandos nascentis Ecclesiæ filios pro resurrectione generali valdè congruum.* Alterum ex Theodorico sic accipe, periodis, quæ præter Historiam adiectæ sunt, & ad operis ornatum præcipuè conducunt, amputatis. *Quadam die, habitaculo egressus, obuium contigit habere seruulum, quem aliquando neglectâ re familiari, causâ suum supplicij ad nundinas venalem iusserat exponi. Quem vt vidit, ac si ipsum Christum in mortem vendidisset, amarissimas lachrymas fundere, rapto cursu & fiduciâ, pedibus eius se prosternere, fateri culpam, excusare ignorantiam & petere veniam, illúdque cogitans sanguine sanguinem lauari, forcipem & flagellum in manibus eius ponere, vt vindicaret in venditorem Christiani sanguinis, sacris verbis obsecrare. Seruus econtrà recusare, peccatum ex corde quod in se erat condonare, libenter ei nunquam seruiturum spondere in contumeliam sui quondam & adhuc domini, nec id vnquam aiebat sibi posse persuaderi. Ille verò (vt qui nunquam cessaret desiderare passionibus Christi communicare) non desistere, dum mirâ eloquentiâ expugnaret nolentis animum, & cogeret magis, quàm peteret, in suum supplicium. Quid multa? Vinciuntur manus, ligantur pedes, totum corpus in sublime leuatur, pœnâ crudelissimâ afficitur, & quasi in pilam, cùm nil nisi Deo gratias ageret, contunditur, postremò in morem latronum totum caput detondetur, &c. Tandem gloriosus Dei Athleta de hoc suo equuleo depositus confracta & excruciata membra iubet recipi in*

V.
CELLVLAM IMPETRAT.

[a] Die 1. Oct.

AN. CH. 647. SIGIB. III. R. 15. CLOD. II. R. 10.

illa sua nobili noua cellula. Dehinc paulisper spiritum, cùm recepisset, quasi necdum ad putum argenti sui scoriam excoxisset, nihilque satisfactum sperans, adhuc iubet admoueri neruum, quem vulgò appellant cippum, & in eo venerabiles pedes arctari, qui in Sion specula constituti, superni regni pacem euangelizare poterant in populo Dei. Itaque quatuor ferè menses in hoc retrusus carcerali agone, cum quotidie penè moreretur, pœnam pro delitiis habebat, fessa licèt lingula nunquam laudem Dei tacebat.

VI. INCLUDITUR ERGASTULO.

Denique *accersito sancto Pontifice Amando*, qui curam Elnonensis Monasterij tunc præcipue gerebat, *& venerabili Abbate Florberto*, qui Gandensium Cœnobiorum administrationem susceperat, *non modò pedum, sed & totius macerati corpusculi integram reclusionem obsecrat & vix aliquando impetrat. Arctam specum medio domus æquore ad capacitatem erecti hominis effoderat, quæ introgressum non nisi stantem sustineret; & quasi crucifixi corporis suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret. Eam orationis crucem sibi præparauerat, in ea inter Canonicas horas suspendi magis quam stare elegerat. Nec facilè labor licèt difficillimus dissuaderi, quia menti totum iam seculum in Christo triumphanti nil poterat laboriosum videri. Datâ die, euocato Clero & populo, cum Crucibus & thymiamateriis, vniuersóque Ecclesiastico apparatu ad reclusionis cellulam conuenitur, & sancti Pontificis manibus hostia Christi Bauo, teste Ecclesiâ, sepelitur magis quam recluditur, quinto Idus Nouembris.*

VII. EXCOGITAT VARIAS MORTIFICATIONES.

Sic inclusus vixit ferè biennium, aliúdque prorsus singulare sese affligendi genus excogitauit. *Lapidem iussit deferri, quem manibus libratum cùm non sufficeret ei quod volebat ponderi, alterum pro eo, duorum qui esset hominum onus, præcepit importari. Hunc inter frequentes genuflexiones & perpetuas preces brachiis tenebat, & eo non modò se lassabat sed penè mortificabat. Nec poterat tamen ipsa lapidis onere sancta manus deficere, quam sustinebat lapis angularis, qui facit vtraque vnum. Tum verò si quis obiiceret, cur seipsum adeò excruciaret, non bonam esse virtutem quæ modum excederet, prudenter respondebat.* [*Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*] Infestationes ac præstigias dæmonum semper contempsit, quia totam spem, vt Christianum militem decet, in Deo collocarat. Inter tot labores, quos magno prorsus animo pertulit, cælesti visione recreari non semel meruit.

RECREATUR CÆLESTIBUS VISIONIBUS.

Apparuit ei primùm Angelus in specie columbæ, totámque cellulam miri odoris fragrantiâ repleuit. Apparuit ei deinde Christus in specie Crucis. *Medio in centro Sol æstuabat*, inquit Theodoricus, *populus qui conuenerat præsens intuebatur, cùm ecce gloria Domini de loco sancto suo super iusti sui caput descendit, & in figura viuifica Crucis militem suum illustrauit & coronauit. Cui ille statim occurrit cum iucunditate, velut si non dubitans hoc suum verè corollarium esse, obuiis manibus illud videretur excipere & dicere. Mea hæc merces, mea est retributio Crucifixo militanti, Crucis gloriam recognosco. Raram aut nullam cunctis retro diebus visus admisisse lætitiam, omni deinceps proturbato mœrore, securus iam de sua remuneratione, quotidie gratulari & dicere. Me autem oportet gloriari in Cruce Domini nostri Iesu Christi.*

VIII. INITIA MONAST. GRANDIVAL.

His circiter temporibus, Germanus ex Monacho Luxouiensi factus est primus Abbas Grandiuallensis. Bobolenus, qui vitam scripsit, annum distinctè non indicauit, asseruit tantùm id contigisse, cùm Walbertus Abbas Monasterium Luxouiense gubernaret, & Germanus ad Sacerdotalem gradum iam promotus esset, hoc autem anno præfectura Luxouiensis penes Walbertum fuit, & Germanus annum ætatis tricesimum-quintum expleuit, si benè illius ætatem ex scriptis eiusdem Boboleni collegimus. Hæc de tempore. Rem ipsam sic idem Author describit. *Cum cerneret eum*, nempe Germanum, *B. Waldebertus virum esse industrium, eum Presbyterum fieri iussit, omnis chorus fratrum in eius veneratione clamauerunt, dicentes Germanum dignum esse Presbyterio. Sancto itaque ordinato Presbytero, omnem gratiam transcendebat in Clero. Cernens verò Deo plenum & Spiritu Sancto repletum Sacerdos Dei Waldeber-*

AN. CH. 647. SIGIB. III. R. 15. CLOD. II. R. 10.

tu certatim vndique cateruas Monachorum coadunari, cœpit de tam plurima multitudine, si fortè alicubi posset, loca vberrima, vbi de suis Monachis ad habitandum adunaret, exquirere. Audiens autem Gundonius vir illustris, quòd B. Waldebertus Abba sagaci intentione requirebat loca, vbi Monachi suâ residere & vitam sanctam degere deberent, ministros suos ad eum direxit, vt ad ipsum quantocyùs properaret. Tum verò B. Waldebertus absque vlla ambiguitate ad ipsum Gundonium accedit, dans consilium. Illustris vir Gundonius dedit illi loca opportuna, & licèt difficilis sit introitus eorum, aditus eorum inueniri queunt. Tunc cœpit Waldebertus lenibus verbis mulcere animum eius, vt si vellet pro Dei intuitu, vel pro remedio animæ suæ, vel pro absolutione peccatorum suorum, firmitatem de ipsis locis manibus suis seu bonorum hominum roboratam manibus exhiberet. Deinde Waldebertus cum timore Dei & oratione Fratrum ad ipsum locum accessit, & inuenit locum vberrimum, infra saxorum concava, vallem, quam nuncupant Grandem Vallem, & est amnis in ea cum multitudine piscium, hortans Fratres suos vt ibidem consistere deberent. Accersiuit itaque ad se vnum de Presbyteris suis, nomine Fridoaldum, de paucis Monachis Domini Columbani Abbatis, admonens vt ad ipsum locum accedat. Ille verò de obedientia bono nihil dubitans, cum aliquot Fratribus ad ipsum locum cum timore Dei accessit, exercens se in labore cum suis cœpit ligna cadere, qualiter habitare deberent. Posthæc cœpit Waldebertus Sacerdos Dei intra semetipsum tacitus cogitare, si posset reperire de suis Fratribus, ex genere nobili, & sacris apicibus vel litteris eruditum, in sanctitate conspicuum, qui ipsos regere deberet. Quid plura? Deo iubente vel inspirante, S. Germanus eligitur Abbas. Igitur venerabilis vir Sacerdos Dei, cum ipso Germano, ad ipsum Monasterium Grandem Vallem veniunt, cœpit eum cum suis Monachis exhortari, vt nihil formidaret, sed vt vir sanctus lumbos suos accingeret. Ille verò de obedientia bono nihil dubitans, accedens cum timore Dei laborem arripuit. Waldebertus verò Fratres exhortabatur, vt eos de sua obedientia absolutos reddat, & S. Germano, pro Dei intuitu, obedientiæ colla submitterent; quod & ita fecerunt. Acceptâ igitur benedictione, tria Monasteria, scilicet S. Vrsicini, atque Verdunense, necnon & Grandisuallense, in suo recepit dominio. Tantam autem ei gratiam Dominus dedit, vt non solum à suis, verùm etiam ab omni ætate & sexu, nimio diligeretur affectu. Cernens ergo S. Germanus Abbas, quòd difficilis esset introitus eorum, cœpit saxorum dura manibus quatere, & sunt intrantibus patefacta vsque in præsentem diem. Tribus igitur Monasteriis, quæ sancti Columbani Regulam sequebantur, Abbas præpositus est vnus Germanus. De S. Vrsicini Cœnobio locuti sumus ad annum Christi sexcentesimum decimum-quintum. Verdunense siue Insulare, *Werd* enim apud Germanicos insulam significat, à Christiano Vrstitio in Chronico Basileensi vocatur *S. Paul zu Werd*, id est, sancti Pauli ad insulam. Grandiuallense conditum fuit prope Telsbergam siue Delemontem * in Grandi Valle, Germanis *Granfel*, quæ nomen dedit, posterioribúsque seculis vsitatiùs ab eodem Monasterio *Munsterthal* seu vallis Monasterij dici cœpit. Vallem illam irrigat Birsa fluuius, qui pluribus auctus riuis Rheno iuxta Basileam miscetur.

* *Delsperg.*

IX. GOAR PRESBYTER OBIT.

Hoc anno Goar Presbyter, qui Rustico Treuirorum Episcopo in flagitium carnis lapso septennis orationis spem pollicitus fuerat, pœnitentiam illam absoluit, si rectè tempus assignauimus, quo crimen ore infantuli proditum fuit. Anonymus suam lucubrationem de vita sancti Goaris ita claudit. *Transactis illis septem annis recordatus Rex Goaris præcepit Legatis suis, quatinus postpositâ omni excusationis occasione compellerent eum ad se quantocyùs venire. Ipse verò Dei cultor & pro se & pro aliis cotidie magna & acceptabilia diuinæ Maiestati offerebat munera, deuotas scilicet orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate positi erant, vt tranquillam & quietam vitam agerent in omni pietate & castitate. Emenso itaque septem annorum spatio tam maximè & instantius lacrimas fundebat, illud sibi euenire magnopere desiderans quod Psalmista David prædixerat. [Qui seminant in lacrymis, in benedictionibus metent.] Sciens enim diem obitûs sui magis magisque imminere, nequaquam differebat duplici sacrificio assiduè per contri-*

AN. CH. 647. SIGIB. III. R. 15. CLOD. II. R. 10.

tionem cordis & corporis semetipsum Deo placentem hostiam afferre. Præ nimietate autem ægritudinis cum se cerneret nullatenus posse obtemperare iussioni Principis, conuersus ad ipsos Legatus sic allocutus est eos. Filioli mei in Christo, dicite Regi nostro Sigiberto. Hæc tibi mandat Goar vltimus omnium seruorum Dei seruus, faciem meam ampliùs non videbis, nisi ad cellulam nostram, in qua decumbo, veneris, quia à valida febre correptus sum, quamuis non tantùm quantùm merita mea exigunt. Hoc audito, illi Legati cuncta per ordinem suo renuntiauerunt Regi. Qui contristatus valdè cœpit dicere. Non est plebs digna talem habere Præsulem, neque ego tanti meriti & virtutis possidere doctorem. Hæc cùm dixisset, iterum transmisit alios Legatos rogans eum omnimodis ad se venire. At illi venientes repererunt illum grauiùs & prolixiùs febricitantem, & in Dei laudibus persistentem. Quibus visis, dixit eis. Filioli mei, nolo vos vlteriùs fatigari, neque Regem vestrum, quia nec pedibus propriis, nec vllius euectione animalis valeo properare ad eius conspectum. Confido autem in misericordia Dei mei, quòd nullius violentia de hac in qua habito cella me educet vel spatio miliarij, nisi ad sepulturam funeris mei. Hæc eo dicente, cum graui anxietate qui fuerant missi cœperunt eum interrogare quid vellet per eos Regem de causa sua rogare. Qui respondens dixit eis. Petitio mea hæc est, quatinus de loco isto hæreditatem æternæ possessionis in regno cælorum sibi conquirat, & quando mihi extrema dies finisque huius temporalis vitæ aduenerit, auctoritate suâ dirigat duos Sacerdotes, Agrippinum videlicet atque Eusebium ad sepeliendum corpus meum, quandocumque Deus me de hoc labili sæculo euocauerit. Cùm audisset Rex, præ tristitia & gemitu immutauit faciem suam, & mandans Agrippinum & Eusebium ad se venire, præcepit eis, vt cum summa diligentia certarent adimplere quod Sanctus Domini Goar postulabat obnixè. Per annos verò tres & menses tres ipse Sanctus diutinâ febre maceratus, venientibus ad se Agrippino & Eusebio multisque Sacerdotibus atque seruis Dei in ipso Germaniorum oppido, vbi cellulam suam construxerat, in senectute bona obiit in pace pridie Nonas Iulij. Cuius corpus Agrippinus & Eusebius necnon & alij multi Deo famulantes cum summo honore sepelierunt in ipso loco, vbi fluuiolus Wocara nominatur super ripam Rheni maximi fluminis, vbi Dominus noster Iesus Christus filius Dei beneficia innumera omnibus in se credentibus atque ibidem cum fide petentibus hactenus præstare dignatur. Wandelbertus, qui nono sæculo scripsit, hoc loco sententiam Anonymi non benè reddidit. Goar Presbyter ægritudine laborabat, cùm pœnitentiæ per annos septem peractæ finem fecit, vitam vlteriùs ad breuissimum duntaxat tempus protraxit, obiitque postquàm febre diutinâ vexatus fuisset tribus annis totidémque mensibus. Ita sensisse Anonymum hic indicat textus iam citatus. *Emenso septem annorum spatio tum maximè & instantiùs lacrimas fundebat, illud sibi venire magnopere desiderans quod Psalmista David prædixerat. [Qui seminant in lacrimis, in benedictionibus metent.] Sciens enim diem obitûs sui magis magisque imminere, nequaquam differebat duplici sacrificio assiduè per contritionem cordis & corporis semetipsum Deo placentem hostiam offerre. Præ nimietate autem ægritudinis cùm se cerneret nullo modo posse obtemperare iussioni Principis, conuersus ad ipsos Legatos sic allocutus est eos. Filioli mei in Christo, dicite Regi nostro Sigiberto. Hæc tibi mandat Goar vltimus omnium seruorum Dei seruus, faciem meam ampliùs non videbis, nisi ad cellulam nostram, in qua decumbo, veneris, quia à valida febre correptus sum, quamuis non tantùm quantùm merita mea exigunt.* Hæc verba sunt ægrotantis, ac sibi mortem imminere iam rati. Wandelbertus verò Goarem existimauit actâ septem annorum pœnitentiâ tribus insuper annis tribúsque mensibus infirmum iacuisse. *Post illos*, inquit, *quos memorauimus suprà, septem annos, triennio & tribus mensibus in infirmitate & Dei laudibus exactis, vir beatissimus plenus dierum, & operibus bonis actibúsque iustitiæ consummatus, positis caràm supradictis Sacerdotibus* Agrippino & Eusebio, *& compluribus aliis bonis & honestis hominibus, in cellula sua, in qua multos annos Deo seruiens egerat, decessit pridie Nonas Iulij.* Vixit secundùm nostram computationem beatus Goar annos circiter duos & sexaginta. Iuxta cellam, oppidum creuit haud ignobile, cui

AN. CH. 647.

SIGIB. II. R. 15.

CLOD. II. R. 10.

cui nomen hodie à sancto Goare, vulgò *S. Guer*. Situm illud est in læua Rheni ripa Wesaliam superiorem * inter & Boppardiam *, Diœcesis Treuirensis oppida. Colitur sanctus Goar in Tabulis Ecclesiasticis pridie Nonas Iulij. * Ober-Wesel. * Boppart.

Ex prædictis colligimus Rusticum Treuirensem Episcopum, postquàm eius peccatum omnibus innotuit, pœnitentiæ sedulò vacasse per septennium, ac toto illo tempore à Pontificiis muneribus abstinuisse, tum demumque Sigibertum Regem iterum cogitasse de subrogando Goare, quem Clerus ac populus audito Rustici facinore Præsulem poposcerant. Goar è cellula sua non est digressus, vt constat ex eius vita, Rusticus Sedem suam retinuit, *& assiduis apud Deum precibus, ad tanta puritatis euasit gloriam, vt factis iustitia, & pietatis studiis, actibúsque perfectæ castimoniæ, pristinam non modo recuperauerit religiosi nominis existimationem, verùm & longè vberiorem sibi laudem probatissimæ conuersionis, quâ Pontificium mirè decorabat, pepererit. Quousque tandem Deo & hominibus gratus, meritorum plusquàm dierum cumulis prouectus, ad regni cælestis, quod solis patet puris mentibus, fruitionem, omni decore nitens gratia pertransiit* [a]. X. RVSTICVS EPISCOPVS TREVIRENSIS AGIT POENITENTIAM

Quot annos beato Goari superuixerit, haud scimus. Piè mortuus est, vt dictum suprà. Colitur Idibus Octobris. Lege ad illas Idus Martyrologium Gallicanum & Fastos Belgicos Miræi ad diem septimum Iunij. Succesit ei Numerianus, qui laudatur à Childerico Rege, quòd per eius consilium Sigibertus Rex Stabuletum & Malmundarium donis auxerit, de quibus agemus ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium. XI. PIE MORITVR.

[a] Martyr. Gall. die 24. Octob.

Lucas Dacherius Tomo septimo sui Spicilegij, quem anno proximè elapso in lucem emisit, Chronicon Episcoporum Albigensium & Abbatum Castrensium publicauit, in quo nomina Episcoporum Albigensium & Abbatum Castrensium à primordio & origine Monasterij de Castris * vsque ad annum Christi millesimum ducentesimum vndecimum inueniuntur. Hoc opusculo multùm subsidij peropportunè nobis subministrauit, deerant enim monumenta, quibus Chronologia Gestáque cùm Episcoporum Albigensium tum Abbatum Castrensium per hæc tempora seculáque proximè sequentia niterentur. XII. * De Castres.

Initium Chronici tale est *Anno Domini sexcentesimo quadragesimo-septimo Constantius in Albigesio episcopabat. Robertus eodem anno abbatiabat apud Monasterium de Castris*. Constantius is est, qui Concilio Remensi teste Flodoardo [b] subscripsit, vt Tomo superiore ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quintum [c] notauimus. Eius successores in omnibus Episcoporum Albigensium catalogis desiderantur ad Lupum vsque, quem Auctor prælaudati Chronici ad annum Christi octingentesimum vndeseptuagesimum sic commemorat. *Anno 869. Lupus episcopabat*. Inter vtrumque autem in eodem Chronico medij ponuntur hi octo Episcopi, Ricardus, Citruinus, Hugo, Iohannes, Verdatus, Guillelmus, Baldoinus, Panderius, de quibus agemus suis locis. XIII.

[b] Lib. 4. c. 5.

[c] Num. 5. EPISCOPI ALBIGENS.

In Codice, vnde Chronicon illud descriptum est, hæc aliâ manu de Roberto primo Abbate Castrensi scripta sunt in margine. *Anno Domini sexcentesimo quadragesimo-septimo, Robertus, Anselinus & Daniel, tres viri pij & nobiles, relicto cingulo militia secularis, in pago Albigensi iuxta fluuium * Agonti sub Regula S. Benedicti Deo militantes castra metati sunt, & inde nomen loco inditum Castra. Tres cellas manibus propriis sibi construxerunt ex lignis syluaticis, terrâ & foliis; vacabant orationi, ieiuniis vigiliis & operationi manuali. Tanta pietatis fama spargitur circumquaque; plurimorum fit concursus; multiplicantur cella vsque ad numerum viginti-nouem. Aduenit Faustinus miles strenuus, opibus abundans; Deus tetigit cor eius; fit Monachus, Ecclesiam S. Benedicti à fundamentis magno sumptu edificat, & per mortem Roberti fit secundus huius Monasterij Abbas*, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium dicturi sumus. Extant hi Versus [d] de Roberto Abbate, déque origine Castrensis Monasterij. XIV. INITIA MONAST. CASTRENS. * L'Agout.

Adduxit socios secum in deserta Robertus
Binos, spernentes delitias hominum.

[d] Apud Dach. Tom. 7. Spicil. ROBERTVS PRIMVS ABBAS.

AN. CH. 647.

Construxere sibi cellas è cespite paruo:
Hæc est Castrensis fons & origo domûs.
Virtus illorum facta est contagio sancta,
Turba exhinc Fratrum multiplicata viget.

648. SIGB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

ANNVS
CHRISTI 648.
SIGIBERTI III. R. 16.
CLODOVEI II. R. 11.

I. FVRSEVS HIBERNVS CVR SCOTVS ETIAM DICATVR.

ANNO Christi sexcentesimo quadragesimo-octauo à Furseo Scoto siue Hiberno in fundo Erchinoaldi iacta sunt prima Cœnobij Latiniacensis fundamenta, vt patebit inferiùs. Inde colligimus Latiniacum, quod Nanthildis Regina Monasterio sancti Dionysij tradiderat, ab Erchinoaldo Maiore domûs aut redemptum aut cum alio loco permutatum fuisse. Furseum, qui natus est in Hibernia, Scotum & Hibernum promiscuè vocamus, veterum Scriptorum more, apud quos Scoti nomine significatur homo linguæ Hibernicæ, quæ non solùm in Hibernia sed & in maiore regni Scotiæ parte etiamnum in vsu est. Lege super ea re Miræum in elogio sancti Eloquij, tertio Nonas Decembris, vbi Claudianum, Orosium, Prosperum, Isidorum citat & Bedam, qui de situ Britanniæ & Hiberniæ & priscis earum incolis, quod ad præsentem quæstionem spectat, hoc habet capite primo Ecclesiasticæ Historiæ. *Inprimis hæc insula Britones solùm, à quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano (vt fertur) Britanniam aduecti, Australes sibi partes illius vindicarunt. Et cùm plurimam Insulæ partem incipientes ab Austro possedissent, contigit gentem Pictorum de Scythia (vt perhibent) longis nauibus non multis Oceanum ingressam circumagente flatu ventorum extra fines omnes Britanniæ Hiberniam perueniße, eiúsque Septentrionales oras intraße, atque inuentâ ibi gente Scottorum sibi quoque in partibus illius sedes petiße, nec impetrare potuiße. Est autem Hibernia Insula omnium post Britanniam maxima, ad occidentem quidem Britanniæ sita, sed sicut contra Aquilonem ea breuior, ita in meridiem se trans illius fines plurimùm protendens, vsque contra Hispania Septentrionalia, quamuis magno æquore interiacente, peruenit. Ad hanc ergo vsque peruenientes nauigio Picti (vt diximus) petierunt in ea sibi quoque sedes & habitationem donari. Responderunt Scotti, quòd non ambos eos caperet Insula, sed possumus (inquiunt) salubre vobis dare consilium, quid agere valeatis. Nouimus Insulam aliam esse non procul à nostra contra ortum Solis, quam sæpè lucidioribus diebus de longè aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valeatis; sed si qui restiterint, nobis auxiliariis vtimini. Itaque petentes Britanniam Picti habitare per Septentrionales Insulæ partes cœperunt, nam Austrina Britones occupauerant. Cúmque vxores Picti non habentes peterent à Scottis, eâ solùm conditione dare consenserunt, vt vbi res veniret in dubium, magis de fœminea Regum prosapia quàm de masculina Regem sibi eligerent, quod vsque hodie apud Pictos constat esse seruatum. Procedente autem tempore Britannia post Britones & Pictos tertiam Scottorum nationem in Pictorum parte recepit. Qui duce Reudâ de Hibernia egreßi, vel amicitiâ vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent, vindicarunt. A quo videlicet Duce vsque hodie Dalreudini vocantur, nam linguâ eorum dal partem significat. Hibernia autem & latitudine sui status & salubritate ac serenitate aerum multùm Britanniæ præstat* &c. *Hæc autem propriè patria Scottorum est. Ab hac egreßi (vt diximus) tertiam in Britannia Britonibus & Pictis gentem addiderunt. Est autem sinus maris*

permaximus, qui antiquitus gentem Britonum à Pictis secernebat. Qui ab Occidente in terras longo spatio erumpit, vbi est ciuitas Britonum munitissima vsque hodie, quæ vocatur Alcuith. Ad cuius videlicet sinus partem Septemtrionalem Scoti (quos diximus) aduenientes sibi locum patriæ fecerunt.

AN. CH. 648.

SIGIB. III. R. 16.

CLOD. II. R. 11.

Ioannes Bollandus ad diem decumam-sextam Ianuarij tres Authores producit, qui vitam sancti Fursei literis commendarunt, duos Anonymos, & tertio loco Bedam. Prior Anonymus scripsit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto, venitque in manus Bedæ; posterior à priori multa mutuatur, Bedam longè antiquiorem se citat, nonnulla de suo addit quæ veritati minùs conueniunt. Miramur priorem, cuius authoritate fides omnis ceterorum innititur, à Colgano prætermitti; posteriorem, fortè quia prolixior est, in magna existimatione haberi. Ætas prioris sic deprehenditur. Apud illum Authorem sancti Beanus & Medanus à beato Furseo de mundi fine interrogati, *aiunt finem creaturæ iam tunc non esse quamuis in proximo sit, sed famis & mortalitatis plagis humanum genus esse vexandum*, móxque illa prophetia iam adimpleta sic comprobatur, *quod etiam signo Solis, radios suos anno præterito abscondentis, & in modum Lunæ ingiter splendentis significatum est.* Quæ verba nusquam attribui possunt sanctis Beano & Medano, qui de rebus futuris non autem de præteritis locuti sunt, sed Authori iam laudato, qui cùm scriberet obseruauit iam ab anno impletum fuisse quod antè Sancti de futura mortalitate prædixerant. Beda[a] Solis eclypsim anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto contigisse, eodémque anno mortalitatem in Britannia & Hibernia grassatam fuisse testatur his verbis. *Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo-quarto facta est eclypsis Solis die tertio mensis Maij horâ circiter decimâ diei. Quo etiam anno subita pestilentiæ lues, depopulatis priùs Australibus Britanniæ plagis, Nordhumbrorum quoque prouinciam corripiens, atque acerbâ clade diutiùs longè latéque desæuiens magnam hominum multitudinem strauit. Quâ plagâ præfatus Domini Sacerdos Tuda raptus est de mundo, & in Monasterio, quod vocatur Pegnalech, honorificè sepultus. Hæc autem plaga Hyberniam quoque Insulam pari clade premebat.* Consentiunt Hibernici passim Annales de magna clade in Clero & populo facta per illam mortalitatem in eodem anno. Quatuor autem Magistri in suis Annalibus, collectis ex Annalibus Cluanensibus & Insulensibus, ad eundem annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quartum hæc habent. *Facta est magna mortalitas hoc anno in Hibernia, quâ plurimi ex Clero & populo interierunt, & inter alios, S. Fechinus Abb. Fouarensis. S. Romanus filius Berachi. S. Cronanus filius Silne. S. Manchanus Lethensis. S. Vltanus filius ò Cunga, Abbas de Cluain-Eraird. S. Colmanus Cassius Abbas de Cluain-inbicnois, & S. Cumineus Abbas item de Cluain-inbicnois. Item è Magnatibus interierunt Diermetius & Blathmacus filij Aidi Slaine Hiberniæ Reges, Mal-Fail filius Maldaini, Caius cognomento Gan-inhatair Rex Momoniæ, Ængissius ***ltonis & alij innumeri.*

a Lib. 3. c. 27.

A QVIBVS VITA EIVS SCRIPTA.

Furseus patriâ Hibernus multa præclarè gessit in Hibernia & in Anglia *riusquàm Franciæ littus attingeret. De tempore quo in Galliam peruenit, *on vna est omnium opinio. Ex tribus Authoribus vitæ, quos suprà notaui**, id vnum colligitur, quòd ad Gallias nauigauit, cùm Clodoueus Rex ** Francorum, & Erchinoaldus officio Maioris domûs apud eundem Clo**ueum fungebatur, sic enim prior Anonymus loquitur. *Ad Galliarum litto** dimissis ordinatè omnibus, causâ visendi Romam, nauigauit, ibique à Franco** Rege Clodoueo & Patricio Erchenaldo honorificè susceptus, Monasterium in lo** quem nuncupant Latiniacum, construxit.* Beda. *Dimissis ordinatè omnibus nauigauit in Galliam, ibique à Rege Francorum Lothouuio, vel Patricio Erchonualdo honorificè susceptus, Monasterium construxit in loco Latiniaco nominato.* Posterior Anonymus, *Ad Galliarum littora dimissus, ordinatis omnibus nauigauit, ibique à Francorum Rege Flodoueo, & Patricio Erchenaldo honorificè susceptus, Monasterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, construxit.* Erchinoaldus autem post

III. QVANDO VENIT IN FRANCIAM.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11. mortem Æganis, anno Christi sexcentesimo quadragesimo, Maioratum in Palatio Clodouei Regis obtinere cœpit. Aberrant igitur à veritatis scopo, qui Furseum ante illud tempus in Galliam venisse contendunt. Beda libro tertio suæ Historiæ, capite duodeuicesimo, loquitur de nece Sigberti & Ecgrici qui præfuerunt Anglis Orientalibus, additque Annam post eorum mortem imperasse; deinde capite sequenti, quod valdè prolixum est, sermonem instituit de sancto Furseo. Inde Trithemius [a], Wion [b] aliique colligunt Furseum in Anglia claruisse sub Anna Rege, qui regnum auspicatus est anno Christi sexcentesimo quinquagesimo, vt Willelmus Westmonasteriensis ad illum annum & Eduardus Mahewius [c] in trophæis Benedictinis attestantur. Sed Beda in capite, quo res à sancto Furseo præclarè gestas commemorat, initium narrationis altiùs quàm ab Annæ Principatu repetit, inchoátque à tempore quo Sigbertus Rex erat Anglorum Orientalium. *Verùm*, inquit, *dum adhuc Sigbertus regni infulas teneret, superuenit de Hybernia vir sanctus nomine Furseus.* Et adventus de ipsius Fursei aduentu in Galliam, Orientalis Angliæ, quam hostes ethnici variis tunc irruptionibus impetebant, luctuosam calamitatem sic exponit. *Turbatam incursione gentilium prouinciam videns, & Monasteriis quoque periculum imminere præuidens, dimissis ordinatè omnibus, nauigauit Galliam.* Quæ verba proculdubiò referri debent ad bellum quo Penda Merciorum Rex paganus Anglos Orientales lacessiuit, deletóque tandem eorum exercitu ac Regibus Sigberto & Ecgrico interemptis victor euasit, mors autem Sigberti Regis in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum incidit. Malbrancus [d] aduentum Fursei in Galliam anno Christi sexcentesimo duodequinquagesimo collocauit. Colganus in Appendice [e] ad vitam sancti Fursei dubius hæsit, vtrùm anno Christi sexcentesimo duodequinquagesimo an sexcentesimo vndequinquagesimo iter illud Fursei consignaret. Nobis prior sententia magis arridet, quia sanctus Furseus ad Deum migrauit octauo Idus Februarias, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo, vt ad illum annum clarissimè demonstrabimus.

[a] De SS Ord. Bened. lib. 3. cap. 86.
[b] Die 16. Ian.
[c] Die 7. Aug.
[d] Lib. 3. c. 31.
[e] Cap. 8.

IV. RES AB EO GESTÆ IN PAGIS PONTIVO, Ambo Authores Anonymi, quos Bollandus edidit, vitæ sancti Fursei subiecerunt librum alterum de miraculis à die quo appulit in Franciam vsque ad secundam corporis Translationem, quæ facta fuit post annos ferè quatuor ab obitu. Pertinent ad hunc annum quæ gesta sunt in pagis, Pontiuo, Ambianensi & Atrebatensi, necnon Peronæ, itémque Latiniaci cùm illic prima Monasterij fundamenta iacerentur. *Veniens in pagum Pontiuum* [*], *& in villam quæ dicitur Maioc, in qua audiuit planctum magnum in domo Haimonis Ducis, eò quòd filius eius esset defunctus vnicus, quem habebat. Tunc petiit vir Domini illud corpus ad custodiendum per noctem. Quod impetrauit, & iussit corpus poni in secreto cellula secum, clausóque ostio flectens genua, & cum lachrymis Dominum deprecatus, pariter surgunt, Sanctus de puluere, infans de feretro. Mane autem facto, veniens Haymo cum vxore sua, & cum turba plurima virorum & mulierum lamentantium, cum luminibus ad domum, vbi vir Domini orabat, inuenerunt viuum, quem mortuum suspicabantur, canentem & laudantem Deum cum viro sancto. Tunc Haimo cum omni populo lætus effectus, glorificans Deum, qui est gloriosus in Sanctis suis, dedit ei possessionem suam, nuncupatam Maccrias, & deprecatus est eum, vt ab eo nunquam discederet. Vir autem Domini hoc respuens, iter carpebat quod cœperat. Tunc populi vociferantes post eum, osculantes eius vestigia, petebant eius benedictionem, quos omnes à variis infirmitatibus sanabat. Sed & Haimo prouolutus ad pedes eius, dixit. Oro te, vir Dei, vt quamuis non simus digni, vt nobiscum continuò maneas, vel tuum transitum nobis manifestes. Vir Domini dixit. Quando in vna nocte tres horas fulgoreas videris mutatas, tunc me transiturum scias.* AMBIAN. *Deinde veniens in pagum Ambianensem, & in curtem vocabulo Antoilum super fluuium Corbeiam, ibi obuiauit ei vir malignus, & exucus eum pallio suo, & minans eum cum discipulis suis fustibus, & pergens ad domum suam portauit cappam viri Dei, iactans eam mulieri suæ. Et insiliens super eum spiritus malignus, & super vxorem suam, & vnicam filiam suam, fregit linguas eorum, & filia surda*

[*] Pontieu.

AN. CH. 648.
SIGIB. III. R. 16.
CLOD. II. R. 11.
ATREBAT.

& caca effecta est, & nullus alteri loquebatur. Secutus est eum vir Domini vsque ad domum petens hospitium, & responso non inuento misericordiâ motus, fecit orationem pro eis, vt indulgentiam acciperent. Meritis Sancti crediderunt simul & sanitatem receperunt. Ipsi conuersi ad Deum pro amore Sancti, sed & cuncta propria in manus detulerunt Saluatori. Deinde diuino desiderio anhelans, veniénsque in Grandem-curtem in pagum Atrebatensem, petiuit diuersorium à fœmina, nomine Ermenfleda, qua videbatur multas habere possessiones & pecunias, sed minimè impetrauit. Statim vt vidit vir Domini duritiam eius, recessit, & in ipsa hora cœpit eam inimicus vexare. Et ecce nuntij post eum venerunt ad inuitandum eum dicentes. Serue Dei, ecce vocat te domina nostra, veni, libera eam à vexante se; scit enim quòd propter te tanta patitur mala. Sed noluit vir Domini reuerti ad eius habitaculum, quia sciebat quid ei euenerat. Attamen compunctus corde pius Pater misit vnum ex discipulis suis cum baculo suo ad eam. Vt autem introiuit domum, dæmon cum tremore exiliens ab ea, mulier facta est sana. Veniens autem post virum sanctum, & prouoluta pedibus eius, se & sua propria ei deuota vouens, posteà multis vixit annis &c. *Vir Domini Erchenaldus audiens eius famam, obuiam ei perrexit, orans & postulans vt veniret ad domum eius, ad palatium Perronensis vici,*

PERRONA,

& in sacrum baptisma filium suum poneret, & à fonte susciperet. Quod vir Sanctus non renuens, sed proximum sicut semetipsum diligens, pariter pergunt. Venientes autem ad locum nominatum, magna ibi fit lætitia. Sed tamen sex vincti in carcere tenebantur in ipso vico. Ipsi, vbi audierunt aduentum eius, clamabant dicentes. Ora pro nobis serue Dei, propter Deum, quia credimus per tuum aduentum nos saluari. At vbi audiuit vir Domini, misericordiâ motus postulauit pro eis vt dimitterentur, sed minimè impetrauit. Accedentésque ad epulas, vir Domini expectabat mirabilia Dei, dixit enim se non esse pransurum antequam vinctos ante se vidisset. Audiens Dominus petitionem serui sui, & ecce cunctis videntibus, qui erant retrusi, absque vlla contagione aduenerunt illæsi. Cuncti adstantes simul cum Principe veniam postulauerunt, & glorificauerunt Deum, eò quòd eius venisset virtus, salus & adiutorium. Tunc electus Domini Erchenaldus constituit tres domesticos suos qui virum iustum per diuersa loca deducerent, & vbicumque sua propria fuissent, ei demonstrarent, vt qualis ei locus amabilior fuisset ad habitandum daretur. Qui & fecerunt. Sanctus verò Furseus ex cunctis locis Latiniacum expetiuit. Veniens autem in ipsum prædictum locum fixit baculum suum in terra, & mox ebulliuit fons

LATINIACI.

magnus, qui vsque hodie locum irrigat, & multis à diuersis infirmitatibus præstat medicinam. Contigit autem vt dum praeuideret quadam die locum, ecce duo energumeni à beatissimo Furseo deprecati sunt remedium. At ille facto Crucis signaculo, effugauit dæmonium, reddidítque eis salutis remedium. Tunc qui missi fuerant, cuncta quæ viderunt, omnibus indicauerunt. Erchenaldus verò vt audiuit hoc, gratias egit Deo, qui talem ei virum dedisset, vnde talia processissent miracula. Pergens itaque post virum Sanctum, dicit ei. Deo gratias ago, qui mihi tale dederis proprium, vbi tibi inuenisti habitaculum. Ædifica & ordina diligenter, vt sit tibi & tuis aptum perennibus temporibus. Ego autem interim præparabo montem Cygnopum qui Perrona nuncupatur, vt si acceptior tibi fuerit, habeas & ipsum, quia Deo iubente ibi requiescent corpuscula nostra. Hymno dicto, S. Furseus Latiniacum suis manibus construxit. Beatus quoque Erchenaldus Perronam cum festinatione præparauit. Huc vsque vetustior Anonymus qui scripsit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto.

V.
AN IERIT IN ITALIAM?

Alter qui longè post Bedam vixit, eodem quoque modo narrat miracula quæ gesta sunt in Pontiuo, in agro Ambianensi & in Atrebatibus, sed & addit Furseum ex Attrebatensi pago Romam profectum esse *per offendicula Burgundia*, vt loquitur, *per pericula Italia, per assaltus Passerella, per fraudes Papia, per perfidiam Sutria, per insidias Carbonella, acceptáque ab Apostolico viro sui suorúmque absolutionis benedictione* in Angliam rediisse, à Sigeberto Saxoniæ Rege locum obtinuisse construendo Monasterio, cui Foillanum fratrem suum præfecerit, ac denique reuersum in Galliam, ac percharum fuisse *Regi Franco-*

AN. CH. 648. Sigib. III. R. 16. Clod. II. R. 11.

rum Flodoueo & Patricio eius Erchenaldo. Iacobus Desmaius Peronensis Canonicus, qui vitam sancti Fursei scripsit anno Christi millesimo sexcentesimo septimo, Romanum Pontificem, cuius pedibus se Furseus aduoluit, Martinum vocat, quem anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo sedisse non diffitemur, Sigebertum verò sub cuius ditione Saxones degebant, Sigebertum interpretatur Austrasiæ siue Orientalis Franciæ Regem, Clodouei fratrem natu maiorem, & fabulas fabulis subnectendo rerum à Furseo in Austrasia gestarum prolixam narrationem init.

VI. Furseus cùm ex Anglia soluit, quæ gentilium incursione vexabatur, Romam quidem proficisci statuit, tamen in Galliis moratus pedem ex ditionibus Clodouei Regis non mouit, nam cùm in Saxoniam Anglicanam redire vellet, vt quos ibi reliquerat fratres suos Foillanum & Vltanum inuiseret, in itinere apud Macerias occubuit. Id apertè docet in eius vitâ vetustior Anonymus his verbis. *Desideratum sibi eremi dereliquit locum, omniáque animo peruigili tractans, ac turbatam esse prouinciam gentilium incursione perspiciens, nec ibi diuturnum monasterialem ordinem perpensans, ad Galliarum littora, dimissis ordinatè omnibus, caussâ visendi Romam, nauigauit, ibique à Francorum Rege Clodoueo & Patricio Erchenaldo honorificè susceptus, Monasterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, construxit. At non multò pòst fratribus, ordinatis dimissis cum Rege & Patricio, iter agens, infirmitate corripitur. Itaque diu iacens, virorum nobilium, & ipsius reuerentissimi Regis visitatione frequentatus ab ore illius sermonis gratiam & condimentum vitæ assumebant æternæ. Et sic præsentia relinquens in loco Maceria nominato* XVII. *Kal. February ad æterna commigrauit regna.* Et in libro de miraculis suprà citato, postquàm miracula in territoriis, Pontiuo, Ambianensi & Atrebatensi, necnon Peronæ & Latiniaci facta narrauit, mox ita loquitur de itinere in Angliam suscepto & morte apud Macerias oppetita. *Hymno dicto S. Furseus * Latiniacum suis manibus construxit.*
*Saint Furs.
Beatus quoque Erchenaldus Perronam cum festinatione præparauit. Ac non multò pòst audientes hæc vltramarini cognati atque amici, simul cùm S. Eminiano, accelerauerunt venire ad sanctissimum virum Furseum. Qui eos honoricè suscipiens & simul cum eis manibus operans magnoperè construxit illum locum. Et post spatium aliquot annorum contigit ei vt reuerteretur in Saxoniam visitare proprios germanos suos, id est, Foillanum & Vltanum quos dimisit ad regendum suum Monasterium. Qui in sua relinquens sede Eminianum virum sanctum curam gregis agere, iter accelerabat. Veniens igitur in prædictam traditionem Haimonis Ducis vocabulo Macerias, sanctus Domini infirmitate corripitur, & Angelicâ perfruitus visione, præsentia relinquens, ad æterna migrauit regna. Beda similiter nullam mentionem facit profectionis in Italiam aut reditûs in Angliam. *Turbatam,* inquit, *incursione gentilium prouinciam videns, & Monasteriis quoque periculum imminere præuidens, dimissis ordinatè omnibus, nauigauit Galliam, ibique à Rege Lothouuio vel Patricio Herconualdo honorificè susceptus, Monasterium construxit in loco Latiniaco nominato. Ac non multu pòst infirmitate correptus diem clausit vltimum.* Denique ipsemet posterior Anonymus, qui de sancti Fursei profectione in Italiam, de reditu in Angliam & de secundo in Franciam appulsu multa scripsit in libro de miraculis, ne verbum quidem habuit in eiusdem vita quam loco Sermonis in eius festiuitate recitauit, in ea enim sic locutus est de Fursei aduentu in Galliam. *Omnia peruigili animo tractans, ac turbatam esse prouinciam gentilium incursione prospiciens, nec ibidem diuturnum monasterialem ordinem perpensans, ad Galliarum littora dimissus, causâ videndi Romam, ordinatis omnibus nauigauit, ibique à Francorum Rege Clodoueo & Patricio Archenaldo honorificè susceptus Monasterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, construxit.* Deinde amœnitatem, pulchritudinem & Ecclesias Monasterij Latiniacensis, necnon res miras ibidem à Furseo patratas, eiúsque colloquium cum Erchinoaldo descripsit à quo Peronam inuitabatur, postremò sermonem conuertens ad iter quod Furseus in Angliam suscepit vt Foilla-

num & Vltanum visitaret, sic disseruit. *Latiniaco ipse residens egregiis cæpit quotidie pollere virtutibus, Deo semper & vbique seruiens, vnde Iesu Domini athleta inuictissimus, non solùm per totam Galliam vel Saxoniam magnis attollebatur laudum præconiis, sed etiam illud Hibernense natiuum solum, talem se lætabatur habuisse Dominum, cuius sanctitatis famam, vt audiuit, aliquos ad id cognoscendum commouit. Nam B. Æmilianus, omni simplicitate ditissimus, dilecti Fursei sanctitatem, quam dudum compererat, quia hanc quotidie augmentari audiebat, per seipsum id scire quantocyùs cupiens, assumptis quibusdam fratribus, ad Beati properat visendam præsentiam deuotus. Tandémque post longos viarum recursus, illa peregrina felixque Hibernensis caterula Latiniacum veniens, Sanctum Dei amplioribus, quàm comperissent, vident florere virtutibus, quos lætabundo suscipiens animo, eos inibi diutius in Christi Domini formauit seruitio. Succedenti verò tempore, postquàm eundem locum Deus noster per beati viri meritum multâ probabilium virorum honestauit numerositate, eidem beato viro velle fuit, vt Saxoniam reuertens Foillanum & Vltanum socios egregios visitare deberet. Qui Sanctum virum Æmilianum Latiniacensi Congregationi præferens, iter accelerat, & in fundo Haimonis Ducis, nomine Macerias hospitat, vbi quondam Dominus eius orationibus fauens ipsius Principis vnicum filium suscitauerat, patríque spem consolationis recreat. Vbi aliquantisper commorans graui infirmitate deprimitur, & quia fidelem omnipotens Deus iam dignâ decreuerat renumerari mercede, post Euangelicæ visitationis consolationem, post sacri corporis & sanguinis sumptam viaticationem, animam eius cælesti palatio collocat.* In hoc vltimo textu, prouinciæ, quas suâ præsentiâ Furseus illustrauit, nominantur Hibernia, Saxonia siue Anglia, Gallia; de Italia verò altum silentium. Aliena sunt igitur à vero, quæ de sancti Fursei profectione Romam, & de illius promotione ad dignitatem Coepiscopi, postquàm numero Cardinalium ascribi renuisset, hodie circumferuntur, partim à posteriori Anonymo, partim à Iacobo Desmaio in literas relata. AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

Furseus, cùm extra ditiones Clodouei Regis, vt probatissimis tot Authorum testimoniis ostensum est, numquam exierit, certè nec perrexit in Italiam de qua proximè quæstionem mouimus, nec in Saxoniam, siue Anglicanam accipias cum posteriori Anonymo, siue Germanicam cum Iacobo Desmaio qui Scriptoris Anonymi phrasim non benè intellexit. Apud Anonymum Furseus, cùm Româ rediret, *intellexit quamplurimis referentibus magnificam famam de se pro virtutibus, quas per eum fecerat misericors Dominus, per Gallicas partes conuolasse, & maximam plebem se præstolantem, sui absentiam ob varias ægritudines, quas partim animæ partim corporis patiebantur, deplorare. Quamobrem fauorem populi, ne ab eo deciperetur in aliquo, declinare studuit, & eâ causâ repedando ad prouinciam Orientalium Anglorum tendens, per Saxoniam quæ sub ditione Regis Sigiberti degebat, gradum diuertit.* Dubium non est, quin de Sigiberto qui teste Bedâ [a] vnà cum Ecgrico cognato suo apud Orientales Anglos regnauit, locutus sit Anonymus, mox enim subiungit locum ab eodem Rege concessum extruendo Monasterio, cui Furseus Foillanum fratrem suum præposuerit Abbatem, cùm ipse de secessu cogitaret in eremum, ex qua posteà in Galliam ad Clodoueum Regem nauigauit. *Constructo Monasterio,* verba sunt Anonymi, *plerique nobilium senescenti mundo & omnibus suis abrenuntiant. Post non multùm verò temporis B. Fursæus nolens esse piger Domini Dei seruus, quadam die Regem cum Palatinis suis seorsum vocauit, & eorum amicabili affabilitate vsus, electum Dei Foillanum fratrem suum diligenti assensu Cleri & populi, illi Monasterio in Abbatem præfecit, curámque animarum Cænobitarum inibi Deo seruientium sibi credidit, ac Ecclesiam multis pretiosissimorum Sanctorum reliquiis ditauit necnon variis languentium ægritudinúmque curationibus honestauit. Quibus ita tractatis Vltanum alterum fratrem suum, Cænobitarum honestissimâ vitâ & religiosis moribus probatum, quod multoties ab eo petierat, ad eremum ire permisit. Atque ipse vir Deo plenus semper humanas cupiens deuitare laudes, impetra-*

VII. AN REDIERIT IN ANGLIAM.

[a] Lib. 3. c. 18.

AN.CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

to Regis quamuis inuito consensu syluam, in qua eremiticam posset ducere vitam, longè ab hominum frequentatione segregatam accelerauit. Nouerat enim. Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Quod Regi Francorum Flodoueo & Patricio eius Erchenaldo innotuit, & virum Dei per diuersa viarum, quousque inueniretur, diuerticula quærere fecit, inuentúmque ad se honorabiliter adduci præcepit, quem honorabiliùs suscepit. Porrò quæ recentior ille Anonymus gesta recensuit post Fursei reditum in Angliam ex Gallia, vbi pleraque miracula in Pontiuo, in agro Ambianensi & in Attrebatibus iam peregisset, vetustior Anonymus & Beda, quibus potior fides haberi debet, confecta narrant in Anglia, priusquàm ex illa prouincia Furseus in Galliam transfretasset. *Non multò pòst*, inquit vetustior Anonymus, *de Hibernia peregrina littora petens, per Britannos in Saxoniam transuectus est, vbi honorificè à Sigeberto Orientalium Saxonum Rege susceptus, verbo Domini barbara mitigabat corda. Completis verò duodecim annis, quos Angelus prædixerat, Sanctus quadam infirmitate correptus, Angelicâ fruitur visione, vbi etiam de prædicationis instantia admonitus, nullum viuendi finem audiuit, tertium diem peregit tacendo, Euangelicum præceptum reuoluens. [Vigilate & orate, quia nescitis diem neque horam.] Quod vir Deo plenus intelligens, locum Monasterij à prædicto sibi Rege Sigeberto traditum accelerauit construere. Quod Monasterium vocabatur Cnoberesburch, in quodam castro constructum, siluarum & maris vicinitate amœnum. Rex autem gentis illius Anna religiosus valdè, ac nobiles quique tectis & muneribus idem Monasterium adornarunt. His ritè gestis, vir sanctus ab omni seculi atque ipsius Monasterij cura alienare se cupiens, cum sapientibus fratribus tractabat. Habuit enim secum reuerentissimos & spiritales viros, qui exemplo tanti viri, & in Monasterij probatione, & in diuersis laboribus vita, ad humilitatis & caritatis gratiam profecerant, inter quos etiam germanos proprios habuit Foillanum, sanctum admodum virum, cui etiam Sacerdoti cum Sanctis Gobbona & Tibulla Presbyteris, Monasterij & animarum dereliquit curam, alterum verò Vltanum Anachoretam, diuturnâ Monasterij probatione ad eremiticam vitam instructum, multis iam annis ab eodem electum. Relictis itaque omnibus curis & rebus, nudus ad fratrem suum Vltanum, qui iam theoricâ pascebatur vitâ, solus profectus est. Qui labori quotidiano & orationibus continuis deseruientes, annum integrum ibidem philosophabantur. Tunc quibusdam caussis ingruentibus, à populo & Rege vir altioris ingenij ad consilium vocatus, imò etiam compulsus, desideratum sibi eremi dereliquit locum, omniáque animo peruigili tractans, ac turbatam esse prouinciam gentilium incursione perspiciens, nec ibi diuturnum monasterialem ordinem perpensans, ad Galliarum littora, dimissis ordinatè omnibus, caussâ visendi Romam nauigauit, ibíque à Francorum Rege Clodoueo & Patricio Erchenaldo honorificè susceptus, Monasterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, construxit.* Breuius Beda [a] his verbis. *Cùm multis annis in Scottia verbum Dei omnibus annuncians, tumultus irruentium turbarum non facilè ferret, relictis omnibus quæ habere videbatur, ab ipsa quoque Insula patria discessit, & paucis cum fratribus per Britones in prouinciam Anglorum deuenit, ibíque prædicans verbum Dei, Monasterium nobile construxit. Quibus ritè gestis, cupiens se ab omnibus seculi huius & ipsius quoque Monasterij negotiis alienare, reliquit Monasterium & animarum curam fratri suo Fullano & Presbyteris Gobbano & Dicullo, & ipse ab omnibus mundi rebus liber in Anachoretica conuersatione vitam finire disposuit. Habuit alterum fratrem vocabulo Vltanum, qui de Monasterij probatione diuturna ad eremiticam vitam peruenerat. Hunc ergo solus petens, annum totum cum eo in continentia & orationibus, in quotidianis manuum vixit laboribus. Dein turbatam incursione gentilium prouinciam videns, & Monasteriis quoque periculum imminere prauidens, dimissis ordinatè omnibus, nauigauit Galliam, ibíque à Rege Francorum Lothouuio vel Patricio Helconualdo honorificè susceptus, Monasterium construxit in loco Latiniaco nominato.*

[a] Lib. 3. c. 19.

VIII. AN IERIT IN AVSTRIAM.

Iacobus Desmaius, cùm recentiorem Anonymum malè interpretatus esset, Furseum Româ non in Angliam ad Sigebertum Orientalium Saxonum Regem,

AN. CH. 648.

SIGIB. III. R. 16.
CLOD. II. R. 11.

gem, ſed in Auſtraſiam deduxit ad Sigebertum Orientalium Francorum Regem, cuius ditiones erant partim cis Rhenum in Galliis, partim trans Rhenum in Germania cuius generali vocabulo Saxonia comprehendebatur. *Gallia,* inquit, *quam iam eius fama ob Haymonis filium vita reſtitutum peragrauerat, auidiſſimè eius reditum exſpectabat. Quod cùm ille ex peregrinis quibuſdam intellexiſſet, vt omnem inanis gloriæ occaſionem ſubterfugeret, in Auſtraſiam, vbi ſe commodè latere poſſe confidebat, deflexit. Verùm non ita ſe ibi abſcondere potuit, vt Sigeberti Regis Auſtraſiæ (hodie Lotharingia appellatur) Dagoberti primogeniti, & Clodouei II. Regis Franciæ fratris diligentia eius aduentum non detegeret. Hic igitur multis curiæ ſuæ Proceribus illi obuiam miſſis, eum ad ſe adduci mandauit,* &c. *S. Furſeus verbum vitæ indefeſſus prædicabat, & multos ex Sigeberti Regis aulicis ſub Crucis vexillum redegit, ac tandem repetitis Clodouæi Regis precibus ſuperatus, in Gallias rediit.* Idem Author multa de Gertrude & de Furſei fratribus interſerit, quæ Chronologiæ repugnant, vt cùm ait Gertrudem Pipino patri ſuo tum adfuiſſe, & Foillanum atque Vltanum in Auſtraſia cum Furſeo fratre verſatos eſſe, nam Pipinus Gertrudis pater ante aliquot annos è vita iam diſceſſerat, & ex dictis iam patet ſanctum Furſeum obiiſſe, cùm illius fratres Foillanus & Vltanus adhuc in Anglia degerent.

IX. Sigibertus Orientalium Anglorum Rex, qui Furſeo locum extruendo Monaſterio tradidit, ex Rege Monachus & ex Monacho Martyr effectus eſt. De illo ſic Beda [a]. *His temporibus regno Orientalium Anglorum poſt Eorpwaldum Redualdi ſucceſſorem Sigbertus frater eius præfuit, homo bonus ac religioſus, qui dudum in Gallia, dum inimicitias Redualdi fugiens exularet, lauacrum baptiſmi percepit, & patriam reuerſus, vbi regno potitus eſt, mox ea quæ in Galliis benè diſpoſita vidit, imitari cupiens, inſtituit ſcholam in qua pueri literis erudirentur, iuuante ſe Epiſcopo Felice, quem de Cantia acceperat, eiſque pædagogos ac magiſtros iuxta morem Cantuariorum præbente; tantúmque Rex ille cæleſtis regni amator factus eſt, vt ad vltimum relictis regni negotiis, & cognato ſuo Ecgrico commendatis, qui & anteà partem eiuſdem regni tenebat, intraret Monaſterium quod ſibi fecerat, atque acceptâ tonſurâ, pro æterno magis regno militare curaret. Quod dum multo tempore faceret, contigit gentem Merciorum duce Rege Pendâ aduersùs Orientales Anglos in bello procedere. Qui dum ſe inferiores in bello hoſtibus conſpicerent, rogauerunt Sigbertum ad confirmandum milites ſecum venire in prælium. Illo nolente ac contradicente, inuitum de Monaſterio eruentes duxerunt in certamen, ſperantes minùs animos militum trepidare, minùs præſente duce quondam ſtrenuiſſimo & eximio poſſe de fuga meditari. Sed ipſe profeſſionis ſuæ non immemor, dum opimo eſſet vallatus exercitu, non niſi virgam tamen habere in manu voluit, occiſúſque eſt vnà cum Rege Ecgrico, & cunctus eorum, inſiſtentibus paganis, cæſus ſiue diſperſus exercitus. Succeſſor autem regni illorum factus eſt Anna filius Eni de regio genere vir optimus atque optimæ genitor ſobolis.* In Martyrologio Benedictino ſanctus Sigebertus Rex Orientalium Anglorum colitur ſeptimo Idus Auguſtas, & in obſeruationibus [b] ad illum diem Hugo Menardus egregiè refellit eos qui ſanctum hunc Sigibertum Orientalium Anglorum Regem perperam confundunt cum altero ſancto Sigiberto Francorum Orientalium Rege ſynchrono cui Deſiderius Cadurcorum Epiſcopus literas non ſemel ſcripſit.

[a] Lib. 3. c. 18.

[b] Lib. 2.

X. Ioannes Colganus in Appendice [c] ad vitam ſancti Furſei, præcipuos ex eius ſociis ſeu diſcipulis recenſet vnum & viginti, Foillanum, Vltanum, Dichullum, Gobbanum, Adalgiſum, Ettonem, Bertuinum, Æmilianum, Eloquium, Mombulum, Fredegandum, Helanum, Boetium, Columbanum, Veranum, Treſſanum, Germanum, Corbicanum, Lactantium, Malguillam, Sigebertum Orientalium Anglorum exregem, omnes Hibernos, vno duntaxat excepto Sigeberto. Deſmaius Furſeo ſocios itineris in Galliam nouem attribuit, *Foillanum, Vltanum, Mimbolum, Eloquium, Adelgiſum, Gobanum, Ettonem, Bertuinum & Fredegandum*, ſed ex dictis ſuprà conſtat Foillanum & Vltanum adhuc in Anglia degiſſe, cùm Furſeus eorum frater ad Deum migrauit.

[c] Cap. 6.

MVLTOS HABVIT DISCIPVLOS.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

Haud facile est distinguere quos secum socios Furseus, quos secum Æmilianus anno sequenti, quos secum Foillanus & Vltanus post sancti Fursei mortem in Gallias adduxerint. Dichullus, Gobbanus, Lactantius & Sigebertus exrex non videntur in Franciam venisse. Malguillas iuxta Iacobum Malbrancum [a] indiuiduus sancti Fursei comes fuit. Adalgisus & Etto Gobbani fratres extiterunt. Adalgiso Corbicanus comes adhæsit. Æmilianus, Eloquius, Mombulus post sanctum Furseum Abbates fuerunt Latiniacenses. Eloquio & Mombulo socij fuisse prædicantur Boetius & Columbanus qui distingui debet à Columbano Luxouiensi seu Bobiensi. Lege Colganum in Appendice iam citata, ibique Helanum, Tressanum, Germanum & Veranum abrade, quos longè ante sancti Fursei tempora sub Clodoueo Primo floruisse constat.

[a] Lib. 3. c. 38.

XI. AN ADDVCTVS SIT IN FRANCIAM A S. VINCENTIO.

Neoterici volunt Furseum ex Hibernia cum aliquot sociis in Franciam adductum fuisse à sancto Vincentio, qui postcà Monasterium Altimontense ad Sabim construxit dotauitque. Molanus in Natalibus sanctorum ita scribit pridie Idus Iulias. *Sonegiis, depositio beati Vincentij Confessoris Christi. Qui fuit Hannoniæ Comes, anteà Madalgarius dictus, inter Palatinos Regis Francorum Dagoberti non infimus. Habuit enim vxorem, consanguineam Regis, beatissimam Waldetrudem, ipsúmque Rex habuit ad annos aliquot Hyberniæ gubernatorem. Vnde posteà in Gallias rediens, sanctissimos & strenuos fidei prædicatores secum adduxit. Inter quos sancti viri memorantur, Foillanus, Furseus, Vltanus, Eloquius, Etto, & Adalgisus. Autbertum Episcopum miro humilitatis affectu coluit, qui eum adeò superni amoris fauore accendit, vt deposito cingulo militiæ sæcularis, totum se ad cultum diuinum astrinxerit. Vnde ad Sambram, in municipio quod Mons altus dicitur, Monasterium construxit, quod vnico miliari à Malbodio distat, vbi monastico habitu suscepto, sub sanctæ conuersationis regula sese humiliter reclusit.* Et Miræus eodem die in Fastis Belgicis. *Ad S. Vincentium quod attinet, Emundus Dinterus in MSS. Brabantiæ Chronicis, & alij tradunt ipsum fuisse natione Hibernum, & anteà Madelgarium, Hibernicè Maguir, nuncupatum. Si non fuerit natione Hibernus, videtur saltem in Hibernia aliquamdiu vixisse; fortassè cum Dagoberto, Sigeberti Austrasiæ Regis filio, quem à Grimoaldo Maiore domûs regiæ in eam Insulam ablegatum fuisse docuimus. Inde porrò in Galliam Vincentius veniens, multos viros Apostolicos, in his Foillanum, Furseum, Vltanum, Eloquium, Ettanem, & Adalgisum adduxit. Hortatu S. Auberti Cameracensis Episcopi, mundi pompis vale dixit, in Alto-monte ad Sabim Fl. Monasterium construxit, atque in illud se abdidit.* In Annalibus Hannoniæ, Vinchantio [b] Madalgarius idem est ac Amalgarius Fredegario [c], Wasconiæ pars trans Pyrenæum montem sita vocatur Iberia, Madalgarius in Belgio prope Binchium in loco, cui nomen Sterpea *, nascitur stirpe seu familiâ Hibernus, Wascones rebelles vincit anno Dagoberti Regis decimo-quarto, Wasconiam administrat sequenti quinquennio, ex Wasconia in Belgium rediturus Oceano se committit, in Hiberniam primùm, atque inde cum quibusdam illius Insulæ Monachis, inter quos Etto, Wasnulphus, Adalgisus, Eloquius, Furseus & Vltanus eminebant, in Galliam Belgicam appellit, ex Hibernia venisse dicitur vel quia originem ex Hibernia traxit, vel quia venit ex Iberia cuius nomen errore librariorum in Hiberniam abiit. Iacobus Desmaius in ipsa sancti Fursei vita causam hanc itineris in Galliam ab eo suscepti reddit. *S. Vincentius Hannoniæ Comes ex Hibernia, in quam à Dagoberto Rege transmissus fuerat gubernator, in Gallias remigrabat. Et cùm in Angliam traiiceret, S. Fursei famâ commotus, ad illum diuertit, eiúsque eruditione & sanctitate non mediocriter delectatus, tandem illi persuasit vt vnà secum in Gallias congrederetur.*

[b] Lib. 4. c. 8.

[c] Cap. 78.

* Strepy lez-Binch.

XII. Aduersùs tot Authores, qui multa inter se pugnantia garriunt, satis est iterum citare vetustissimum Anonymum, qui sancti Fursei vitam anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto conscripsit, & Bedam qui Historiam Anglorum scribere viuetéque desiit anno Christi tricesimo-primo supra septingentesimum. Neuter Furseum ait ex Hibernia vel ex Anglia in Galliam à

AN. CH. 648.

SIGIB. III. R. 16.

CLOD. II. R. 11.

ſancto Vincentio aut à quopiam alio inuitatum fuiſſe, imò vterque teſtatur Furſeum ob hanc vnam cauſam ex Anglia in Galliam ſoluiſſe, quòd ingruente bellorum tumultu periculum Monaſteriis Anglicis imminere præuideret. Anonymi verba iam allegata repetimus. *Tunc turbatam eſſe prouinciam gentilium incurſione perſpiciens, nec ibi diuturnum monaſterialem ordinem perpenſans, ad Galliarum littora, dimiſſis ordinatè omnibus, cauſâ viſendi Romam, nauigauit, ibíque à Francorum Rege Clodoueo & Patricio Erchenaldo honorificè ſuſceptus, Monaſterium in loco, quem nuncupant Latiniacum, conſtruxit.* Audi iterum & Bedam [a]. *Dein turbatam incurſione gentilium prouinciam videns, & Monaſteriis quoque periculum imminere præuidens, dimiſſis ordinatè omnibus, nauigauit Galliam, ibíque à Rege Francorum Lothouuio vel Patricio Helconualdo honorificè ſuſceptus, Monaſterium conſtruxit in loco Latiniaco * nominato.* Nullum ibi verbum de Madelgario ſeu Vincentio vel quouis alio Magnate, qui Furſeum ex tranſmarinis partibus in Galliam ſecum adduxerit.

[a] Lib. 3 c. 19.

* Lagny.

XIII. Authorem ſynchronum, qui de ſancto Vincentio ſcripſerit, non habemus. Coætanei Scriptoris vicem & authoritatem ſupplere debet Anonymus, qui vitam ſanctæ Aldegundis ab Authore ſynchrono conſcriptam præ manibus habuit atque amplificatam à ſe teſtatur. Hic autem Madelgarium cognomento Vincentium, virum illuſtrem appellat, nullo alio ſuperaddito titulo. *Erat*, inquit, *famula Dei Aldegundi germana nomine Waldetrudis, quæ fuerat coniuncta viro illuſtri Madelgario, cognomento Vincentio.* Hucbaldus Monachus Elnonenſis, qui anno Chriſti nongenteſimo floruit, prædicto Anonymo ſuffragatus eſt in eiuſdem Aldegundis vita, his verbis. *Soror Waldetrudis maior natu, cuidam ſatis illuſtri viro Maldegario, cognomento Vincentio, legitimè fuerat copulata.* In eiuſdem Aldegundis vita non aliter quoque ſcripſit Anonymus Giſlenianus, cuius hæc ſunt verba. *Erat virgini Chriſti Aldegundi germana, nomine Waldetrudis, quæ fuerat coniuncta viro illuſtri Madelgario, cognomento Vincentio.* Baldericus & Philippus Haruengius, qui ſeculis proximè ſequentibus vixerunt, Vincentium Comitem nuncupant, nec vrbis aut pagi, cuius Comes ſeu gubernator extitit, nomen produnt. In Chronico Cameracenſi quod ille ante ſuſceptum Tornacenſem Pontificatum, id eſt, ante annum Chriſti milleſimum nonageſimum-octauum, publicauit, *Vincentius Comes egregius, iuxta quidem ſecularem eminentiam, & rebus & genere potentiſſimus* prædicatur. Et in ſancti Amandi vita, quam hic edidit anno Chriſti circiter milleſimo centeſimo-ſeptuageſimo, *Madelgarius Comes, qui & Vincentius, à ſeculi vanitatibus ad diuina conuertitur obſequia pietatis.* Illis temporibus Comites & Duces, vtpote nudi & temporarij Officiales, ad nutum Regum inſtituebantur, promouebantur, mutabantur, deponebantur. Duces præerant vniuerſis prouinciis, Comites ſingulis ciuitatibus aut pagis: vtrorumque erat iuri dicundo operam dare, vectigalium exactionem curare, munire & tueri vrbes, præeſſe rei militari: Ducum erat imperare delectum Comitibus, & milites per pagos diuiſos ad bellum producere; Comitum erat conſcribere delectum, ac militibus ſub Ducibus præeſſe. Vincentium in virorum illuſtrium ac Comitum numero collocamus, vt Authores nuperrimè citati ſuadent, abſtinemus autem ab altioribus titulis, quamuis non deſint Scriptores qui Ducem illum atque etiam Regem fuiſſe iactitent. Apud Vrſionem in libello de itineratione ſancti Marcelli Papæ, *Vicentius Madelgarius Dux Lotharingiarum, Francorum & Saxonum* dicitur. Vrſio Abbas Altimontenſis ſcripſit vndecimo ſeculo, & Lietberto Epiſcopo Cameracenſi, qui anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo-ſexto vitam clauſit, opus ſuum dicauit, ſed ætate Vincentij quis eſſet rerum ſtatus non ſatis aduertit, tunc enim nomen Lotharingiæ nondum audiebatur, & à Sabi * fluuio, iuxta quem Vincentius Altimontenſe Monaſterium conſtruxit, procul aberat Saxonia. Vinchantius Madalgarium, abſque vllo fundamento quo nitatur, & in Amalgarium transformat, & vtrique Waſconiæ cum Ducis titulo præficit. Maldegarius enim ab

* La Sambre.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

Amalgario vt nomine sic & personâ differt, & licèt in Amalgarium iure traduceretur, haud tamen vtriusque Wasconiæ Dux habendus esset, quia talis à Fredegario nusquam repræsentatur, & Dagobertus Wasconiam trans Pyrenæum montem in Iberia siue Hispania sitam non obtinuit. Vinchantius Auctorem citat qui Vincentium Regem Hiberniæ finxit, vt Furseum aliósque vitos Hibernos cum ipso Rege in Franciam venisse faciliùs persuaderet, sed Furseus ex Hibernia in Angliam primùm, deinde ex Anglia, vbi per multos annos mansit, in Galliam profectus est. Qui Vincentium in Hibernia cum Dagoberto Sigiberti Regis filio degisse suspicantur, apertissimè peccant contra Chronologiam, quia Vincentius Altimontense Monasterium construxit, in eóque reliquias sancti Marcelli Papæ collocandas curauit antequàm Martinus summus Pontifex Româ pelleretur, hic autem ex Vrbe priùs abductus est quàm interiisset Sigibertus Francorum Rex, cuius filium Dagobertum Grimoaldus Maiordomûs in Hiberniam pòst ablegauit. Denique non desunt, qui Vincentium Ducem seu Gubernatorem Hiberniæ sub auspiciis Dagoberti Regis constituant. Hæc opinio nititur quadam verisimilitudine, quia Reges Francorum nonnihil iuris in Hiberniam sibi tunc arrogabant; vt ex hoc Procopij [a] textu, qui de Hibernia debet intelligi, Tomo superiore [b] probauimus.. *Tanta est hominum multitudo, vt inde singulis annis non pauci cum vxoribus liberísque migrent ad Francos, qui in sua ditionis solo, quod desertius videtur, sedes illis ascribunt, ex quo fieri dicitur, vt sibi quoddam ius in Insulam arrogent.* Τοσαύτη δὲ ἡ τῶν ἐθνῶν πολυανθρωπία φαίνεται οὖσα ὥστε ἀνὰ πᾶν ἔτος κατὰ πολλοὺς ἐνθένδε μετανιστάμενοι, ξὺν γυναιξὶ καὶ παισὶν, ἐς Φράγγους χωροῦσιν, οἱ δὲ αὐτοὺς ἐνοικίζουσιν ἐς γῆς τῆς σφετέρας τὴν ἐρημοτέραν δοκοῦσαν εἶναι, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν νῆσον προσποιεῖσθαί φασιν. At quidquid Auctores scribant adeò diuersi, non existimamus Vincentium in Hibernia pedem vnquam fixisse, vel genere Hibernum probari posse. Vincentium & Hibernum & Fursei ex Hibernia in Galliam ductorem iidem asseruerunt, quapropter cùm Furseum inficiamur à Vincentio ex Hibernia in Galliam adductum fuisse, negamus & Vincentium Hibernum esse cognominandum.

[a] Lib. 4. de bell. Goth. c. 20.
[b] An. 564. n. 16.

XIV

S. VINCENTII GENUS, PATRIA, VXOR, OPES.

Natus est Vincentius ex illustri genere in loco cui nomen Sterpea prope Binchium, militiam professus est sub Dagoberto Rege, Waldetrudem sanctæ Aldegundis sororem natu maiorem in vxorem duxit, & dignitate Comitis insigniri meruit. Hæc absque fabula. Vincentius & Waldetrudis amplissimas opes possidebant in pago Hainoensi siue Hainonensi, qui pars erat hodiernæ Hannoniæ, noménque sortiebatur ab Haina * fluuio, cuius aquæ prope Montes * hodiernam Comitatûs Hannonici metropolim fluunt, & ad Condatum * in dexteram Schaldis ripam egeruntur. Habitâ ratione tot possessionum Vincentius à Neotericis habitus est Comes Hannoniæ, veteris pagi Hainoensis Comes esse potuit, non suo vel vxoris nomine tanquam iure hæreditario vt quidam fabulantur, sed ex mera voluntate Regis cuius arbitrio Duces & Comites institui deponique mos erat. In Annalibus Hannoniæ [c], Genealogia Comitum Hannonicorum ad beatam vsque Waldetrudem sic deducitur. Albero siue Albericus Clodionis Regis filius paterno regno priuatur à Merouco, fitque primus Comes Hannoniæ. Alberonem sequitur filius nomine Walbertus. Walberto succedit filius dictus æquè Walbertus, frater illius Ansberti à quo familia Carolidarum processit. Walbertum secundum excipit filius Walbertus tertius. Walberto tertio subrogatur filius Walbertus quartus. Hic caret prole masculâ, & ex vxore Bertilia duas tantùm relinquit filias, Waldetrudem quæ beato Vincentio nubit, & Aldegundem quæ virginitatem Deo vouet. In eâque genealogia Vincentius vxoris suæ nomine post soceri mortem Comes Hanoniæ renuntiatur. Ista recitasse, refellere est. Merouceus enim Clodionis filium regno Francorum non spoliauit, sed ipsemet cùm filius Clodionis esset in paternam hæreditatem successit. Deinde, quod maximè obseruandum est,

* La Hayne.
* Mons.
* Condé.
[c] Lib. 3. c. 13.

Walbertus Waldetrudis & Aldegundis pater, à tribus antiquis Authoribus, AN. CH.
qui diuersis temporibus vitam beatæ Aldegundis in literas retulerunt, & à Bol- 648.
lando [a] ex manuscriptis Codicibus, Audomarensi, Lætiensi ac Gisleniano, SIGIB.
publicati sunt, Comes Hannoniæ numquam vocatur. Horum antiquissimus III. R. 16.
citat Anonymum seipso vetustiorem ac beatæ Aldegundi synchronum, de quo CLOD.
sic loquitur. *Veniendum est ad visiones quæ sibi apparuerant, dum adhuc conuer-* II. R. 11.
saretur in laribus paternis, quas ipsa descripserat, & tradiderat cuidam religioso Ab- [a] d. 10. Ian.
bati, nomine Sobino, de Monasterio Niuellensi, & alteri fratri, cuius nomen igno-
ramus, quique scripsit visiones eius & vitam, ne quis dicat nostro mendacio compo-
sitas tam mirabiles & penè inauditas visiones. Et ad vitam beatæ Aldegundis
ab illo Monacho conscriptam proculdubiò respicit, cùm se *vetustissimis pa-*
ginulis vsum testatur in edenda eiusdem Aldegundis vita, tamen in ortu &
educatione Aldegundis, vbi de illius parentibus sermonem instituit, Wal-
bertum Comitem nusquam appellat. *Eâ*, inquit, *tempestate, quâ gloriosus Rex*
Francorum Dagobertus Monarchiam regia potestatis administrabat, oritur puella qua-
dam ex regali prosapia, nomine Aldegundis. Cuius pater, vt in vetustissimis pagi-
nulis ac plurimorum relatu comperimus, Walbertus, mater verò Bertilia nuncupati
sunt. Qui quamuis superbi fastu sanguinis ditati, Christianitatis nomine ac titulo
præmuniti, sobolem suam Aldegundem ita educauerunt, vt cælesti sponso in ipsis
puellaribus annis digna haberetur. Hucbaldus, siue is qui secundam beatæ
Aldegundis vitam scripsit, titulo Comitis in exornando Walberto etiam
abstinet, quamuis Aldegundem, quod Author prioris vitæ non obseruarat,
in pago Hainoensi natam sic asserat. *Orta est in pago Hainoensi virgo Aldegundis*
ex regali prosapia patre Walberto, matre Bertiliâ. In Codice Gisleniano, qui
tertiam beatæ Aldegundis vitam suppeditauit, Walbertus prædicatur *Maior-*
domûs, Princeps præcipuus, miles egregius, quem venerabantur Palatini Proceres
vt Principem, Principes vt Maiorem, Regia Maiestas vt fidelem, sed alibi non
legitur Maior domûs regiæ, nec talis videtur fuisse. In eodem Codice Ber-
tilia Walberti vxor exhibetur *regali clara stemmate*, & apud Vinchantium in
præcitata Comitum Hannonicorum genealogia dicitur nata patre Berthario
Thuringiæ Rege. Verùm iampridem à Francis extinctum fuerat Thuringiæ
regnum, vt docet Gregorius Turonensis [b], qui præterea Bertharium seu Berte- [b] Lib. 3. c. 7.
charium Thuringiæ Regem patrem beatæ Radegundis fuisse testatur, quis
autem suspicetur sorores extitisse, Radegundem quæ Clotario primo nupsit,
& Bertiliam quæ regnante Dagoberto eiusdem Clotarij pronepote Aldegun-
dem Walberto peperit? Adde quòd in prima sanctæ Aldegundis vita, cuius
Author aliis duobus præstat, quia & illis antiquior est & ex vetustissimis pa-
ginulis Scriptoris ipsi Aldegundi familiaris multa commemorat, duo fratres
Bertiliæ seu duo auunculi Aldegundis absque vlla regiæ stirpis nota sic com-
mendantur. *Duo quoque auunculi eius*, nempe Aldegundis, *extiterunt, quorum*
vnus Gundelandus Maioris Domatûs dignitatem administrans exercuit, alter Lan-
dricus vir strenuissimus & in bellicis rebus valdè doctus fuisse perhibetur. Ideó-
que cum Aldegundis ibidem dicitur *ex regali prosapia*, & Waldetrudis eius
soror à Neotericis consanguinea Dagoberti Regis appellatur, alia quærenda
est affinitas, quâ regiam familiam contingebant, mater Dagoberti fortassis
illarum amita fuit sororque Walberti. Atque hæc sufficiant, vt intelligas
Vincentium & Waldetrudem genere & opibus potentissimos fuisse, licèt
hæreditario iure Comitatum Hannoniæ non obtinuerint.

In Erchanberti fragmento Gundolandus seu Gundelandus, qui Sancta- XV.
rum Waldetrudis & Aldegundis auunculus fuit, Clotario vniuersam Franco-
rum Monarchiam adipiscente *Maiordomûs & vir egregius* nuncupatur, & in
Gestis Regum Francorum [c] dicitur obiisse regnante post patrem Dagoberto. [c] Cap. 41.
Diu superstites fuerunt soror Bertilia Walbertúsque Bertiliæ maritus. Am-
bo enim viuebant adhuc, cùm matura nuptiis erat Aldegundis eorum filia,
quam sub Dagoberti Principatu natam esse tres Auctores præcitati testantur

AN. CH. 648. Sigib. III. R. 16. Clod. II. R. 11.

in illius vita. Soror natu maior Aldegundi fuit Waldetrudis. Hæc post Dagoberti Regis obitum nupsit Madelgario viro illustri, qui quatuor ex ea liberos suscepit, & Altimontensis Monasterij fundamenta iecit anno Christi circiter sexcentesimo vndequinquagesimo, vt suo loco dictum fumus.

XVI. Præter Cœnobium Latiniacense, cœpta sunt in Francorum ditionibus hoc anno quatuor alia celeberrima, Malmundariense, Stabulense, Fontanellense & Sitiuense, de quibus singulatim agemus.

XVII. *Initia Cœnobiorum Malmund. et Stabul.* Notgerus scribit Remaclum Casæcongidunensem Abbatem, illius loci pertæsum fuisse, subiungitque datam inde occasionem, vt nobilissima Monasteria Malmundariense & Stabulense conderentur. Eadem refert Harigerus, additque Ægidius id contigisse *anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo-octauo*, nec ab eo computo, quem lubenter amplectimur, multùm recedit Imperatoris Constantis seu Constantini annus octauus, quem in Codice Aureæ Vallis exhibet annotatio marginalis à Ioanne Chapeauillo laudata, quamuis eius Author secutus videatur Sigebertum, in cuius Chronico annus octauus Constantis seu Constantini cum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo coincidit.

XVIII. *Errores Sigeberti.* Sigebertus Chronicon suum anno Christi millesimo centesimo duodecimo clausit. In annis, quibus Merouingici Reges Francorum interierunt, designandis parum accuratè versatus est. Pharamundum anno Christi quadringentesimo vndeuicesimo Regem constitutum, atque anno Christi quadringentesimo tricesimo mortuum asseruit. Clodionis, cui duodeuiginti tantùm annos Principatûs attribuit, mortem anno Christi quadringentesimo duodequinquagesimo collocauit. Merouecum annis decem, Childericum sex ac viginti regnasse scripsit, eóque calculo mortem Childerici in annum Christi quadringentesimum octogesimum-quartum reiecit. Numerum annorum, quos in Principatu subsequentes Reges exegerunt, optimè assecutus est, Clodoueo enim annos assignauit triginta, quinquaginta Clotario primo tres ac viginti Chilperico, quatuor & quadraginta Clotario secundo, sed vt Childerici mortem, quæ anno Christi quadringentesimo octogesimo primo contigit, in annum Christi quadringentesimum octogesimum-quartum perperam distulit, ita triennio seriùs obitum Clotarij secundi notauit anno Christi sexcentesimo tricesimo primo. Annos sequentium Regum, quia probati deerant Authores quos sequeretur, non ita rectè numerauit, Dagobertum enim post Clotarium patrem annis quatuordecim, Clodoueum post patrem Dagobertum annis septemdecim imperasse censuit, eâque supputatione Dagobertum, quem ineunte anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo mortuum diximus, fato functum putauit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto, & Clodoueum, cuius obitum annò Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto referemus, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo sublatum è viuis affirmauit. Quod attinet ad Sigibertum Austrasiæ Regem, hunc existimauit natum anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio, Austrasiis Regem à Clotario patre præpositum anno Christi sexcentesimo quadragesimo, denatúmque esse anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto: editum verò in lucem anno Christi sexcentesimo-tricesimo, & regiâ dignitate triennio pòst auctum à patre iam probauimus, atque anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto mortuum inferiùs ostendemus.

XIX. In eodem Sigeberti Chronico anni Traiectensium Antistitum cum annis Christi malè componuntur. Amandus Traiectensis Episcopus ordinatur anno Christi DCXXXIII. Remaclus eundem Episcopatum suscipit anno Christi DCXLVI. Sigiberto Regi Malmundarium, Stabuletum, aliáque Cœnobia hinc inde construenti cooperatur anno Christi DCLI. nec multò pòst pertæsus rerum secularium in Stabulense Monasterium secedit, eiúsque successor Theodardus Martyrium anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo consummat.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11. XX.

Eodem anno quo suum Chronicon clausit, clausit & vitam Sigebertus tertio Nonas Octobris, longâ senectute confectus, vt testantur Gesta Gemblacensium Abbatum ab eius discipulo collecta, & à Miræo laudata in præfatione supradicto Chronico præfixa. Priùs autem & vitam sancti Sigiberti Regis scripserat, & vitam sancti Theodardi Traiectensis Episcopi ab alio compositam elegantiore stylo perpoliuerat. In prima ætate adhuc erat, Metísque pueros instruebat in Ecclesia sancti Vincentij, cùm sancti Sigiberti vitam in literas retulit, vt ipsemet in libro [a] de Scriptoribus Ecclesiasticis affirmauit. Sancti Theodardi vitam multò seriùs recensuit. In vita Sigiberti Regis, vt & posteà in suo Chronico, Remaclum Traiectensibus infulis priùs donatum esse voluit, quàm Monasteria Malmundariense ac Stabulense à Sigiberto Rege construerentur, sed de numero annorum quos Sigibertus regnauit vixítque, longè aliter in ipsius Sigiberti vita sensit quàm in suo Chronico, quem enim in suo Chronico indicauit annos regnasse sexdecim, vixisse tres ac viginti, mortuúmque esse anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto, hunc eundem anteà, cùm vitam illius scriberet, asseruerat obiisse *Calendis Februarij, ætatis suæ anno ferè tricesimo-primo, regni vicesimo-octauo, ab Incarnatione Domini anno sexcentesimo sexagesimo-secundo, à transitu Sancti Martini ducentesimo sexagesimo-tertio.* In vita quoque sancti Theodardi scripsit Remaclum Episcopum ordinatum fuisse, priusquàm Malmundarium & Stabulaus Monasteriis nobilitarentur, scripsit & alia multa quibus consentaneum posteà Chronicon edidit, sed in eadem vita Remaclum regnante adhuc Dagoberto Traiectensem Episcopum constituit, cui supputationi refragatus est in suo Chronico, nisi mendum in idem Chronicon irrepserit, & ordinatio Remacli Episcopi, quam Sigebertus vltimo Dagoberti Regis anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto, retulit, errore Librariorum reiecta sit in subsequentem. Hanc suspicionem augent plurimùm Notgerus Leodiensis Episcopus, Harigerus Abbas Lobiensis & Theodoricus Trudonensis Abbas, quorum lucubrationes Sigebertus ob oculos habuit secutúsque videtur in suo Chronico. Apud Notgerum in vitis sanctorum Remacli & Landoaldi, & apud Harigerum capite quadragesimo-quarto, Amandus Ecclesiæ Traiectensi *per triennium* præsidet. Apud Notgerum in vita sancti Landoaldi, *incompertum est deinde, quantâ temporis intercapedine plebs Traiectensium fuerit vsque ad beatum Remaclum*, nisi quòd fama est *beatum Landoaldum illic remansisse, & per nouem annos vices Pontificis administrasse.* Et apud Theodoricum in vita sancti Bauonis, Landoaldus ab Amando Traiecti relictus dicitur, *vbi & per nouem annos vices Pontificis administrauit vsque ad tempus S. Remacli.* Apud Notgerum in vitis sanctorum Remacli atque Hadelini, & apud Harigerum capitibus quinquagesimo-quinto & quinquagesimo-sexto, Cœnobia Malmundariense & Stabulense à Sigiberto Rege condita perhibentur, cùm regimen Ecclesiæ Traiectensis penes Remaclum Episcopum esset. Denique apud Notgerum in vita sancti Remacli, & apud Harigerum capite vndesexagesimo, Theodardus Remaclo succedit regnante adhuc Sigiberto. In Sigeberti Chronico Amandus Traiectensis Episcopus constituitur anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio. Ergo iuxta præcedentem calculum post triennium siue anno Christi sexcentesimo tricesimo-sexto dimisit Episcopatum Traiectensem, cúmque Landoaldus vices Pontificis per annos abhinc nouem obiisset, Remaclus eundem Pontificatum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto suscepit. Sigebertus nullum quidem de Amando verbum habet ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-sextum, sed spontaneam eius abdicationem illo anno consignandam insinuat paulò pòst, cùm ad annum Christi DCXXXVIII. de eodem Amando ita loquitur. *Sanctus Amandus Tungrensis Episcopatu posthabito verbi instat officio.* Hoc enim loco non agit de tempore quo Traiectensem Episcopatum Amandus dimisit, sed innuit eum anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo celeberrimum fuisse ob diuini verbi prædicationem cui post dimissum Episcopa-

[a] Cap. 172.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

tum egregiè vacare denuò cœperat; addequòd in vita sancti Theodardi Traiectensem Amandi Pontificatum circumscribit triennio, nec à Notgeri Harigeriue sententia recedit. Simili modo cùm in eadem sancti Theodardi vita & interpontificium nouem duntaxat annorum ab Amando ad Remaclum cum Notgero Theodoricóque præcitatis agnoscit, & ipsum Remaclum, vt Episcopus fieret, è portu solitariæ vitæ à Rege Dagoberto extractum testatur, de anno quo Remaclus Traiectensem Pontificatum iniit quid sentiat satis explicat, nec alium Christi designat annum quàm sexcentesimum quadragesimum-quintum, quem ab assumpto in Traiectensem Episcopum Amando duodecimum & Dagoberti Regis vltimum in suo Chronico numerat. Atque inde colligere est hæc verba (*Sanctus Remaclus ordinatur Traiectensis Episcopus*) in illo Chronico ad annum Christi DCXLV. potiùs esse referenda quàm ad subsequentem cuius initio legi solent. Sigebertus in ceteris adstipulatur Notgero & Harigero, Malmundarium enim & Stabuletum extructa tradit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, Remacli secessum in Monasterium Stabulense subrogationémque Theodardi paulò pòst subiungit, & Sigiberti Regis obitum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto consignat, eóque calculo ex prædictorum Authorum sententia Malmundarium & Stabuletum erecta scribit regnante apud Austrasios Sigiberto & sedente Traiecti Remaclo Episcopo, eidémque Remaclo in Episcopatum Traiectensem successisse Theodardum superstite in viuis Sigiberto Rege.

XXI. CHRONICI TRVDON. In Chronico Trudonensi Cœnobia Malmundariense & Stabulense anno Remacli Traiectensis Episcopi sexto extrui cœpta, triennio pòst ab eodem Remaclo Traiectensium adhuc Antistite dedicata perhibentur. Author istius Chronici prauium sequitur Sigebertum, qui sextum annum Remacli Traiectensis Episcopi cum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo compatat, eúmque annum primis prædictorum Monasteriorum incunabulis insignem facit. Haud alio Scriptore innituntur alij recentiores, qui Cœnobia illa constructa volunt aut anno sexto Remacli Traiectensis Antistitis, aut anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo. De fide autem & authoritate Sigeberti suprà disputauimus, hæc tota petitur à Notgero & Harigero, qui fato functi sunt anno Christi septimo supra millesimum, grauissimósque commiserunt errores in supputandis temporibus, cùm res medio septimo seculo gestas & ab ætate sua longo multorum seculorum interuallo remotas describerent, vt accuratâ disceptatione demonstrauimus alio loco.

XXII. NOTGERI ET HARIGERI. Facessant igitur, qui Monasteria Malmundariense & Stabulense constructa fabulantur, cùm Remaclus Episcopus Traiectensem Ecclesiam administrabat, & vt commento suo fidem concilient, aut Notgerum aut Harigerum aut Sigebertum aut Chronographum Trudonensem aut cuiuspiam eorum asseclam citant. Horum Authorum antiquissimos Notgerum & Harigerum, qui Remaclum priùs ordinatum Episcopum scribunt, quàm Monasterium Casæcongidunense construeretur, ex regio Sigiberti Diplomate iam refutauimus. Cœnobia Malmundariense & Stabulense Casæcongidunensi recentiora sunt aliquot annis, sed nec eorum initia post Remacli Traiectensis Pontificis ordinationem reiici debent, quia Malmundarium pertinet ad Diœcesim Coloniensem, nec facilè quis sibi persuadebit Monasterium à Traiectensi Pontifice in aliena parochia constructum fuisse. Amandus, qui Remaclum in Episcopatu Traiectensi antecessit, triennio tantùm sedit, ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum. Hinc colligimus rectè opinatum esse Ægidium, qui cùm Harigerum aliquot additionibus illustraret, Monasterij Stabulensis exordia notauit *anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo-octauo.*

XXIII. Notgerus in vita sancti Remacli docet, quâ occasione Monasteria Malmundariense & Stabulense à Sigiberto Rege condita sunt. *Remaclus eius tandem loci*, nempe Casæcongiduni, de quo nos ante triennium verba fecimus, *pertæsus*

AN.CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

tasus fuit, incertum quam ob causam, nisi quòd fama sparsit locum illum multas persensisse molestias à potentioribus, qui circumcirca morabantur, cúmque non haberet Rex in propinquo, vnde posset is locus dilatari, beatum virum accessisse ad Regem, eique dixisse. Celsitudinem tuam, inclyte Princeps, admonendam censui, quòd cùm multa passim tuâ munificentiâ, Dei & Sanctorum eius cultui dicata sint Monasteria, sola Arduenna, in arduis sita montibus, nulla adhuc Cœnobia obtinet. Iubeat igitur Serenitas tua etiam illic nonnulla ædificari, aderit volenti ex Dei benignitate facultas. Nec verò difficile erit augere & instruere rebus necessariis, cùm loca omnia illis adiacentia, tuæ ditioni subesse dubium non sit. Ad hæc ita Rex respondit. Tuum est, Pater beatissime, nobis hac in re consilium dare; nostrum erit, tuo consilio accommodare consensum, & maturè illud exequi. Tu igitur huius rei curam suscipe, & in opus incumbe, nos loca opportuna quæ tu elegeris, & impensas tibi non negabimus. Deinde conuocauit Rex fideles viros, sanctum Cunibertum Episcopum, Ascrlanum, Theodefridum & Gislochardum Episcopos, Optimates quoque suos Grimoaldum Maioremdomûs, Folcoaldum & Bobonem, itémque Domesticos suos, Clodulphum, Ansigisilum & Berselanum, iísque dixit. Ex voluntate Dei, & vestro cæterorúmque nobis fidelium consensu, duo statuimus condere Monasteria intra fines Arduennæ, in quibus degant viri religiosi, monasticæ vitæ cultores, qui pro nostrâ & successorum nostrorum incolumitate, & totius Regni stabilitate & tranquillitate, atque eorum, qui curis Regni distinentur, conseruatione, Deum omnipotentem deprecentur. Eius verò rei procuratorem & hortatorem Remaclum ipsi operi praesse volumus. Itaque regiâ authoritate & necessariis comitibus munitus Remaclus *Arduennam syluam, paludibus & montibus impeditam petit, Warchiunam riuulum accedit, inuenit illic certa indicia, loca illa quondam Idololatriæ fuisse mancipata, erant illic lapides, Dianæ, & id genus portentosis nominibus inscripti, vel effigies eorum habentes, fontes etiam hominum quidem vsibus apti, sed gentilismi erroribus polluti, atque ob id etiamnum dæmonum infestationi obnoxij. Igitur adhibitâ adiuratione per Christi nomen, & S. Crucis signo expresso, locum illum à dæmonum incursatione vindicauit & expiauit, móxque aqua ab ipso suo meatu guttatim dilapsa euanuit. Videns autem vir Sanctus locum illum tum piscosis aquis, tum pascuis vberrimis commodam præbere habitationem, prolixè super fontem precatus, eum benedixit, lapidi signum Crucis insculpsit, plumbum in foramina fundens: Et ecce subitò erumpunt aquæ largissimæ, quæ vsque in præsens dictis nostris fidem faciunt eas cernentibus. Et quia locum illum à malorum spirituum infestatione mundauerat, Malmundarium, quasi à malo mundatum, placuit eum appellare. Extruxit autem illic Oratorium, itémque habitacula in vsus seruorum Dei, auxítque ea quæ ad Dei cultum spectarent. Sed cùm is locus in Agrippinensi parochia situs esset, Cœnobium suscepit constituendum, quod* Traiectensis *Diœcesis limitibus contineretur. Procedens igitur inde quasi ad duo milliaria versus occidentem, Callam riuulum, qui parochiis conterminus est, transiit, & ad Amblauam fluuium in cuiusdam montis confinio substitit, atque ibi aliquandiu commoratus multa de se sanctæ conuersationis exempla dedit, quemadmodum possunt qui volunt nosse ab incolis id referentibus. Etsi autem locus ille multos haberet fontes, tamen quòd angustus esset, nec officinis necessariis sufficeret, ad orientem reflectit gressus, parumpérque procedens vides locum spatiosiorem, futuróque operi accommodatiorem. Ibi ergo labori cœpit instare attentiùs, aderátque illi, vt in talibus solet, diuina virtus, quâ factum est, vt voluntatem effectus sequeretur. Porrò quòd feræ eò vndique, ceu ad stabulum vel potûs vel pastûs causâ confluerent, antiquitus ille locus Stabulaus dictus fuit. Quod nomen vir Sanctus minimè censuit immutandum, sed & dici & esse voluit stabulum fidelium animarum, eò tanquam ad æternæ vitæ pascua deinceps properaturarum.* Huc vsque Norgerus, è cuius textu tollendas duximus quasdam voces, quæ Remaclum illis temporibus Episcopum Traiectensem fuisse supponebant, & Chronologiæ suprà stabilitæ non parum aduersabantur. Episcopi, quorum consilio Sigibertus Rex vti voluit, priusquàm fundamenta prædictorum Monasteriorum iaceret, præter Cunibertum Coloniensem Episco-

NOMINA MALMVNDAR.

ET STABVLETI.

AN. CH. 648. pum, fuerunt Attelanus vel Arerlanus siue Attola vel Attila Laudunensis Episcopus, Theodofridus aliis Teufridus Episcopus Tullensis & Gislochardus seu Gisloaldus Virdunensis Episcopus, de quibus iam locuti sumus.

SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11. XXIV. SIGEBERTUS REFELLITUR.

Sigebertus longè aliam reddit rationem, cur Sigibertus Rex Monasteria Malmundariense & Stabulense construxit, eiusdémque Regis munificentiam duobus Cœnobiis haud coarctat, sed ad duodecim vsque extendit. Sic enim in suo Chronico loquitur ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-primum, *Rex Sigibertus de posteritate prolis desperans, duodecim Monasteria hinc inde construxit Deo. In quibus Stabulaus & Malmundarium eminebant cooperante sibi in his Maiore domûs Grimoaldo & Traiectensium Episcopo Remaclo.* Et ad annum sequentem. *Sigibertus Rex Hildebertum filium Grimoaldi Maioris domûs adoptat in filium & in regnum.* Eadem anteà prolixiori stylo in eiusdem Regis vita sic scripserat. *Duodecim Monasteria in diuersis Regni sui partibus adificauit, eisque ex suis redditibus regiâ liberalitate necessaria suppeditauit, vt illic sub Apostolica vita viuentes Regula, dum sua meterent carnalia, sua sibi seminarent spiritualia. Inter quæ eminent in nostra vicinia Stabulaus & Malmundarium Cœnobia, infra siluam Ardennam sita, quæ idem Rex, cooperante sibi Maiore domûs Grimoaldo, constructa, S. Remaclo Tungrensi Episcopo tradidit ordinanda. Illius enim & Cuniberti Coloniensis Episcopi præcipuè innitebatur consilio, & ad talia facienda sanctorum virorum animabatur exemplo.* Et paucis interiectis. *Ideo in adificandis ad adificationem animarum Cœnobiis instabat liberiùs, & sua Christo distribuebat liberaliùs, quia præter Christum, cui hac cederent, non erat ei hæres legitimus. Quia verò Grimoaldum Maiorem domûs sibi in omnibus fidelem, morigerum, & cooperatorem eatenus expertus erat, filium eius Childebertum Regni Austrasiorum hæredem delegat: hoc tamen proposito conditionis tenore, si ipsum contingeret sine liberis obire. Rex quidem, vtpote futurorum nesciens, quod tunc sibi videbatur, ex temporis conuenientia fecit, posteà verò filium genuit, quem nomine patris sui Dagobertum vocauit, & priori testamento ad irritum redacto, hunc nutriendum commisit Maioridomûs Grimoaldo, vt eius potentiâ contra omnes tutus sublimaretur in Austrasiorum Regno.* Duo, quoad Chronologiam, in Sigeberto precitato iam reprehendimus, nempe quòd erectionem Monasteriorum Malmundariensis & Stabulensis reiecerit in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-primum, quódque Remaclum ante eandem Cœnobiorum constructionem Episcopum finxerit. Præterea si quæ inest huic Scriptori authoritas, eam obseruauimus à Notgero & ab Harigero proficisci, quorum lucubrationes ob oculos habuit. Quapropter, cùm Norgetus & Harigetus, vbi de Malmundario & Stabuleto sermonem instituunt, nullum verbum faciant de Sigiberti prole seu sperata seu desperata, Sigibertum illis temporibus nec de posteritate prolis desperasse nec de filio Grimoaldi Maiorisdomûs adoptando cogitasse pronuntiamus. Assertionem nostram tuetur ætas Sigiberti, seu Scriptoris quem impugnamus Chronico consentias, seu nostram Chronologiam sequaris. Nam iuxta illius calculum Sigibertus anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio nascitur, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo Monasteria Malmundariense & Stabulense construit; ex nostra supputatione editur in lucem ineunte anno Christi sexcentesimo tricesimo, prædictorum Cœnobiorum fundamenta iacit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-octauo. In vtroque computo adolescens est annorum octodecim cùm Monasteria ædificat, quis eum in illa ætate putet de prole suscipienda desperasse? Tantùm autem abest vt id simile vero suspicemur, quin potiùs existimamus ductam tunc ab eo coniugem, ex qua Dagobertum aliósque plures liberos suscepetit. Sigibertum cœlibem vixisse aut prole caruisse nemo dixit hactenus. Eius vxorem alij Imnechildem, alij Emnechildem, quidam Eumechildem, nonnulli Chinechildem vocant. Sermo de Dagoberto Sigiberti & Imnechildis filio non semel occurret. Alij Sigiberto filij attribuuntur in vita sancti Boniti. Obiit Sigibertus anno

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, Kalendis Februariis, anno ætatis suæ vicesimo-quarto nondum expleto. Matrimonium igitur non expertus est diu sterile, nec postquàm vxorem sibi adsciuit, de posteritate prolis adeò desperauit, vt Childebertum Grimoaldi Maiorisdomûs filium in regni successorem ac filium adoptaret. Itaque quicquid de eiusmodi adoptione circumfertur, commentitium puta, Cœnobiorúmque apud Malmundarium & Stabulaum extruendorum causam aliam ne quære præter eam quam Notgerus & Harigerus exposuerunt. Remaclus Casæcongidunensis Abbas pertæsus illius loci, quoniam à circumhabitantium & potentium turbis vndique premebatur, Sigibertum Regem adiit, & vt intra syluam Arduennam Monasteria conderentur ardentissimis precibus rogauit. Rex communicato cum Episcopis & Optimaribus consilio statuit in illis partibus erigere duo Cœnobia, quorum præfectura penes vnum Remaclum esset. Hic obtentâ licentiâ totum nemus lustrauit, sedésque sodalium suorum fixit in locis idoneis, quorum alterum Malmundarium quasi à malo mundatum dixit, alterum seruato antiquo nomine Stabulaum appellari voluit. Plurium Cœnobiorum illis temporibus erectorum in tota Arduenna non est vestigium. Ideóque non possumus iis assentiri, qui duodecim Monasteria, quæ Sigebertus à Sigiberto Rege constructa scribit, intra fines Arduennæ syluæ collocant, aliáque octo insuper ab eodem Rege in diuersis Regni partibus extructa contendunt, imò cùm vetustior Sigeberto non extet Author, qui Regem Sigibertum Monasteriorum duodecim conditorem statuat, in dubium reuocamus, vtrùm tot ædificia construxerit. Præter Cœnobia, Casæcongidunense, Malmundariense & Stabulense, quorum mentionem facit Notgerus in vita sancti Remacli, Rex Sigibertus in Metensi suburbano ædificauit Martinianum vbi sepeliri voluit, vt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum quartum dicturi sumus. Plura non nouimus. Nam Surburgense prope Hagenoam, quod ab eo conditum Miræus in Chronico Belgico [a] scribit, opus Dagoberti Secundi fuit, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum [b] probabimus.

[a] Ad an. 654.

[b] Num. 26.

XXV. ERROR NOTGERI.

Fallitur Notgerus in vita sancti Remacli, dum scribit Malmundariensis Cœnobij Monachos *instituto sancti Benedicti* vixisse, cùm Remaclus Papolenum illis præfecit. Remaclus enim vt Monachis Casæcongidunensibus, ita Malmundariensibus & Stabulensibus normam viuendi non præcepit diuersam à sancti Columbani Regula, quam priùs in Solenniacensi Monasterio seruari curauerat vt ex vita sancti Eustasij à Iona coætaneo scripta iam docuimus.

XXVI.

Fallitur etiam Notgerus in eadem vita sancti Remacli, dum scribit Sigibertum Regem anno Regni sui decimo-quarto multa legasse Monasteriis Malmundariensi & Stabulensi. Annus enim Christi sexcentesimus duodequinquagesimus, quo iacta sunt eorumdem Cœnobiorum prima fundamenta, decimus sextus Sigiberti Regis annus numeratur. Atque is annus fuit, quo Desiderius Cadurcorum Episcopus testamentum condidit, vt Author vitæ testatur his verbis. *Sub anno sextodecimo Sigiberti Regis testamentum condens præter villas* in donatione Ecclesiæ inferiùs recitandas, *omne præsidium cunctámque supellectilem qua habere potuit, sanctæ matri Cadurcæ Ecclesiæ, de pristino verò Ecclesiæ præsidio nihil minuit, sed totum integrum inlibatúmque reliquit. Cui Ecclesiæ quàm humiliter, quàm dulciter, quámque affectuosè hæc eadem obtulerit, meliùs agnoscetur si verbis ipsis sicut dixit & scripsit intimetur. Inter cetera verò & ad locum in seriem testamenti sui ita posuit. De præsidio, inquit, meo, vestimenta, scamnalia, mensalia, & lectuaria, aurum vel argentum quod ex successione parentum habeo vel quod in Regis aula & in seruicio Principum & laboraui, & mecum veniens detuli, quicquid exinde adhuc superest quod in ornatum aut ministerium tuum sancta mater Ecclesia Cadurca non impendi, totum & ad integrum tibi possidendum relinquo, tibique iuris dono, trado atque transcribo, precórque ac*

TESTAMENTVM DESIDERII EPISC. CADVRC.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

obtestor vt nullus successorum meorum quicquam exinde ex tuo gremio, ex quo tibi in ornatum tuum feci vel thesauro tuo indidi, auferre præsumat. Argentum verò tuum vel reliquas species tuúmque præsidium quod in tuo reposito Sancta mater Ecclesia hæres mea inueni, totum saluum relinquo. Nihil enim exinde dispendi, nihilque minui, nec vlli quicquam dedi, sed sicut mihi est sub oculis Dei traditum, ita totum saluum relinquo, libertos verò meos tibi Sancta mater Ecclesia tuóque aduocato successori meo commendo; semper quæso virtute Sanctitatis tuæ ab insidiis quorumcumque deffensentur, vt sub tuo se patrocinio peruenisse congaudeant. Pauperes autem tuos quos ego semper peruigili curâ ac studio enutriui, tibi commendo, precórque vt tuâ Sanctitate & aduocati tui sollicitudine alantur, & piè semper gubernentur, sic quoque vt me absentem esse non sentiant, nec se doleant Pastorem mutasse.

XXVII. Donatio Ecclesiæ ibidem talis legitur. *In territorio Cadurcino dedit villas, Iouineanicas, Ameglado, Hamiago, Pompegiaco, Herbelingus, Auciago, Sicimago, Elosate, Affriganiago & Darciaco. In Albiense verò territorio dedit villas Sessio, Tantalio Ramingos, Tiacio, Lautrego, Petregontio, Maleto, Picio, Cerniano, Ceresiago, Murato, Buxio, Marinio, Assone, Caborimio, Granoialo, Marenanas, Maricio, Aquanina, Marcialio, Herobenno, Sataialo, Blacinaco & Galliaco, & domum eximiam miraque magnitudinis comptam infra muros Albiensis oppidi constructam. Dedit adhuc per Basilicas Monasteriorum Cadurca positas villas has: Basilicæ Sancti Saturnini & Sancti Vrsicini dedit Vidubriaco, Cleppco, Saumario, Lepediaco & Toecio: Monasterio Sancti Stephani dedit villas Aquiniaco, Cananio & Cassiaco: Basilica Sancti Mauricij dedit Ossilingius; Basilicæ Sancti Vincentij dedit taxarias & loco nuncupante circo exeno: Basilica Sancti Iacobi dedit Marciaco & Petroliaco: Basilica Sancti Martini dedit secreta Recas, Domeciaco, Caposalo & Veroli: Basilica Sanctorum paruulorum Iusti & Pastoris dedit Flauiaco, Coruncio & Cocurnaco: Basilica ...... dedit portiones in Alacicio, Facissio, Pollanio & Costrio: Basilica Sancti Remedij dedit portionem in Lautreco, Carcerio, Semelingus & Criscencio: Basilica Sancti Eugenij dedit villam Fesciago: Item Basilica alteri Sancti Martini dedit villas Theusales & Ercitoialo: Monasterio autem suo Cadurca sito, vbi ipse in corpore requiescit, dedit villas Nugacio, Maciriaco, Cauniaco, Criscentio, Satiago, Procingus, Elariago, Epoturio, Arsuidus, Anglares, Goiuillas, Parnaco, Cadurcio, Sicinaco, Lepediago, Bonogrado, Camino, Bodurno & Elesata, deditque ibi ex conlatione inlustris viri Agileni villam Prisciago, Gausianigo & Marcelliago.*

XXVIII. INITIA MONASTERII FONTANELL. Hoc anno, Clodouei Regis vndecimo, Kalendis Martiis Wandregisilus Presbyter, de quo iam sæpiùs locuti sumus, Monasterium Fontanellæ construere cœpit. *Ipse egregius Dei cultor districtiorem desiderans ducere vitam, eremi secreta plurimùm ambiens, mundanos toto nisu fugiebat semper honores, vt apud Christum posset mereri cælestes. Itaque omni conatu tanto negocio opportunum inquirebat locum, aut si id fortè vetante mundi turbine, votis eius non obtingeret, saltem vt sub Christi iugo & onere eius placido, regularem vitam promptissimus sequeretur, vt per eum, Christo duce, multorum promoueretur salus. Cùm autem talia volueret animo, contigit vt largiente Erchinoaldo Præfecto, immodicam soli partem acciperet, quo Fontanellæ Cœnobium, vna cum venerando nepote suo Godone, vt rudis habitator construeret. Quem veterum traditio, ob riuum in eo loco fluentem, hoc nomine vocitabat. Monstrabantur namque in eodem loco vestigia, immò ruinæ ædificiorum, priscorum accolarum industriâ olim extructorum, sed exterorum hostium feritate belluinâ solo funditus æquatorum. Et in ipso quidem loco magis lustra ferarum, quàm hominum habitatio, tunc temporis videbantur. Hunc ergo locum vir Domini Wandregisilus atque ipsius nepos venerabilis Godo à prædicto Patricio sibi donatum, studuerunt cum nonnullis ipsis fauentibus, repurgare, superuacanea quæque euellendo, deinde verò etiam iacere fundamenta, vt iuxta prophetiam Esaiæ in cubilibus, in quibus habitabant dracones, oriretur viror calami ac iunci, videlicet fructus bonorum operum ibi nascerentur, vbi priùs bestiæ commorari & habitare*

AN.CH. 648.
SIGIB. III. R. 16.
CLOD. II. R. 11.

consueuerant. Cœptum est autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo-quinto, sub die Calend. Martiarum, Indictione tertiâ, qui erat annus Clodoaci Regis vndecimus, obtinente Sedem Romanæ Ecclesiæ beatissimo Papâ Martino. Tam verò solerti studio, tantâque industriâ perfectum est, vt penè illo in tempore venerabilibus Cœnobiis æquaretur. Est autem hoc Cœnobium situm in territorio Rothomagensi, distans à memorata vrbe millibus fermè decem & octo; porrò à fluuio magno Sequana spatio passuum circiter octingentorum. Huc vsque Author vitæ [a], quem hoc loco interpolatum fuisse docent Characteres Chronologici, cùm ab Incarnatione Dominica & ab Indictione, tum à Martino Papa petiti, qui nec alligantur anno Clodouei Regis vndecimo, nec inter se benè conueniunt, nam Martinus Pontificatum ante annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum non obtinuit. Illâ ætate nulla nota temporis præter annos Regum in Francorum scriptis apponebatur, quapropter hac solâ retentâ cæteras vt supposititias respuimus.

XXIX. EREMBERTVS FIT MONACH. FONTANEL.

Wandregisilus Fontanellense Monasterium rexit annos completos nouemdecim, regnante Clodoueo septem, duodecim regnante Clotario Clodouei filio. Erembertus superstite Clodoueo Monachum induit in Cœnobio Fontanellensi, deinde sub Clotarij Principatu factus est Episcopus Tolosanus. Huiusce Præsulis vitam publicarunt ex Membranis Fontanellensibus Hugo Menardus in obseruationibus [b] ad Martyrologium Benedictinum, & ex Codice Moissiacensi Guillelmus Catellus in Historia [c] Occitana. Initium tale est. *Erembertus Sanctus atque religiosus, ortus erat ex territorio Pineracensi, & loco nuncupato Villiolicorte, qui vicinus fuerat fisco quondam regio Alpico, & fluuio magno Sequanæ, tempore Dagoberti Regis inclyti, siue filij eius Ludouici, deinde processu temporis rebus sæculi spretis in Fontanella Monasterio sub regimine Sancti Wandregisili monasticum assumpsit habitum, sícque demum Domino iubente sub Rege Clothario iuniore, filio videlicet præfati Ludouici Regis, & Balthildis Reginæ, iussu Regum, populíque electione Tolosæ vrbi præficitur Antistes*, vt suo loco dicturi sumus.

XXX. INITIA MONAST. SITHIV.

Prima Sithiuensis Monasterij fundamenta iacta sunt hoc eodem anno, Clodouei Regis vndecimo, quo villam suam *Sithiu* piissimis Monachis, Bertino, Mommolino & Ebertramno tradidit Adroaldus, vt instrumentum ipsius donationis à Miræo & Malbranco iam publicatum testatur. Audomarus Morinensis Episcopus Adroaldum virum nobilem ac prædiuitem ab idolorum cultu reuocauit baptizauítque. Hic tanti beneficij non immemor prænominatam villam Audomaro ad Xenodochium ædificandum dare voluit, sed auctore ipsomet Episcopo aliud iniit consilium, maluítque locum eundem erigendo Monasterio destinare. In sancti Audomari vita [d], quam à Folchardo Bertiniensi Monacho scriptam plerique autumant, hæc de Audomaro & Adroaldo leguntur. *Cùm Præsul Sanctissimus* Audomarus *Morinensem Ecclesiam gubernaret, & fœdissimum paganismum cælesti doctrinâ extirparet, Adroaldus quidam rebus locuples, stemmate mundanæ nobilitatis clarus, beato Audomaro in diuinis laborante triumphis, Catholicæ fidei doctrinæ aures mentémque accommodat, planè detrectans ceruicem deinceps dæmonum inclinare simulacris. Eum vir Sanctus baptismo expiauit, æternæ salutis immensas opes & horrendas inferorum tenebras ei inculcans. Itaque Adroaldus admixtus iam turmis fidelium, Ecclesiæ limen, quod anteà valdè erat detestatus, religiosè frequentat, Christúmque veneratur & adorat. Hinc amoris diuini studio, ad cælestes opes inhians, omnes facultates suas & villam Sithiu Christo & Sancto Audomaro transcribit.* Adroaldi mens erat vt Audomarus Xenodochium ibi construeret, mutati consilij causam suprà notauimus ex tabulis ipsius donationis, quas ita refert Miræus [e]. *Dominis Sanctis Presbyteris, Bertino, Mommoleno, Ebertrando, ego in Dei nomine Adroaldus sanâ mente sanóque consilio integræ mentis, prout mundana peccata abstergere Dominus dignetur, dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ, in pago Taruanense, quam Domino Patri Audomaro, Apostolico viro, ad Xenodochium suum*

[a] Ap. Sur. die 22. Iul.
[b] Lib. 1. die 30. Apr.
[c] Lib. 5. in Episc. Tolos.
[d] Ap. Sur. die 9. Sept.
[e] Cap. 3. donat. piar.

AN. CH. 648. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

adificandum, dare voluimus, sed ipse salubre consilium nobis donauit, vt ipsam rem vobis delegarem, vt ibi Monasterium in honore Petri, Principis Apostolorum, construere debeatis, ad conuersandum Monachis, vbi beati pauperes spiritu & domestici fidei adiuuari debeant, quorum voces quotidie ad aures Domini personare noscantur, quorum petitiones audit & implet. Propterea vobis in Christo Patribus dono, per hanc epistolam donationis, in pago Tarnanensi, villam proprietatis mea nuncupatam Sithiu, super fluuium Agnione cum omni merito suo, vel adiacentiis seu aspicientiis ipsius villa. Hae sunt, villa Magnigeloca, Vinciaco, Tatinga, villa Anreio, Masto, Fabricinio, Lonsantanas, & Alfundenis seu Malros, Alciaco, Lauriadiaca, villa Franciliaco, cum omni merito eorum, cum domibus, adificiis, terris cultis & incultis, mansiones cum siluis, pratis, pasenis, aquis, aquarúmque decursibus, seu farinariis, mancipiis, accolabus, greges cum pastoribus, mobilibus & immobilibus, vel quibuslibet adificiis. Hac omnia vobis ad integrum trado atque transfirmo, vt hereditate teneatis atque possideatis, & quibus volueritis ad possidendum relinquatis. Si quis verò, quod futurum esse non credo, si ego aut vnus de heredibus meis vel qualibet opposita persona contra hanc donationem venire cogitauerit vllo vnquam tempore, in prasentia iram Dei incurrat, & S. Petri offensam, & insuper fisco cogente, auri libras XV. pondo XXX. coactus exsoluat, & quod repetit non valeat euendicare. Et vt hac donatio omnibus temporibus firmissima sit, manu nostrâ roborauimus, & qui signarent aut subscriberent, ad prasens rogauimus. Facta donatio VIII. Idus Septembris, anno XI. regni Domini nostri Clodouei Regis. Actum Ascio, villa Dominicâ, publicè, coram strenuis viris, quorum nomina cum subscriptionibus vel signaculis subter tenentur inserta. Signaui ego Adroaldus hanc donationem à me factam. In Christi nomine peccator Audomarus, nomine absque opere Episcopus, pro testimonio. Ego Agolfus Presbyter. Ego Ingobertus Presbyter. Signum Chuneberti Graphionis. S. Laudeberti. S. Maurilionis. S. Baboni & aliorum. Agnio fluuius, cuius nomen in præcitatis tabulis occurrit, hodie *Aa* nuncupatur, & apud Malbrancum [a] vetus Ascium, vbi donatio conscripta fuit, est hodiernum *Aix* Pernas inter ac Paulopolim. Bertinus, Mommolinus & Ebertramnus Adroaldi donatione acceptâ Monasterium statim inchoarunt, cuius exordia, in vita sancti Audomari, prædictæ donationi proximè subiiciuntur hoc modo. *Sancti illi diuina religionis cultores, Mummolinus, Bertrannus & Bertinus, in Domino conspirantes, Cœnobium condunt, quod Vetus Templum dicitur atque illic fraterna concordia Angelicam instituit Monachorum vitam, & cælestem adunauit in Christi laudibus sodalitatem.* Falluntur igitur qui primordia Monasterij Sithiuensis ante hunc annum, Clodouei Regis vndecimum, collocant.

[a] Lib. 3. c. 27.

XXXI. PRIMVS ABBAS MOMMOLIN.

XXXI. In præcitata sancti Audomari vita, Cœnobium, quod Bertinus Mommolinus & Ebertrannus extruxerunt, *Vetus Templum* appellatur, vt distinguatur ab altero, quod Bertinus post annos quatuordecim incboauit, cùm Ebertramnus Abbas esset sancti Quintini, & Mommolinus Ecclesiæ Nouiomensi iam præesset, vt ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum fusiùs exponemus. Prænominati Cœnobitæ non eodem ordine recensentur in tabulis Adroaldi & in vita sancti Audomari, illic enim primus, hîc vltimus Bertino locus tribuitur. Ratio totius differentiæ petenda est à diuersis temporibus, quibus ista scripta prodierunt. Confectæ sunt Adroaldi tabulæ, cùm nondum vllus è tribus prædictis Monachis aut Abbas aut Episcopus acclamatus esset, ideóque Bertinus, qui Monasticam vitam primus omnium susceperat, iure ceteris anteponi debuit. At longè post illorum sanctorum obitum emissa est in lucem vita sancti Audomari, quapropter Author è muneribus, quæ singuli gesserunt, eorum præeminentiam collegit; Mummolinum duobus aliis, & Ebertramnum Bertino prætulit, quia Mummolinus & Episcopus fuit & Abbatis titulum primus obtinuit, & Ebertramnus Abbas sancti Quintini factus est priusquàm Bertinus Mummolino ad Episcopatum Nouiomensem assumpto in regimen Sithiuensis Monasterij succe-

deret. Hæc omnia suis locis probabuntur. Inpræsentiarum id vnum duntaxat examinandum habemus, quis primus Abbas Sitiuensis extiterit. Super ea re duæ sunt sententiæ, alij Mommolinum, alij Bertinum primum Abbatem Sitiuensem constituunt. Rursum qui causam Bertini tuentur, in duas diuiduntur classes, alij Bertino sufficiunt Mommolinum, alij Mommolinum ex albo Sitiuensium Abbatum abradunt. In vita sancti Audomari, Mommolinus Monasterio Sithiensi nondum perfectè constructo primus Abbas præficitur ab ipsomet Audomaro Episcopo. *Necdum operi*, inquit Scriptor vitæ, *suprema erat imposita manus, & iam Monastico structa apparatu fortissima castra religiosorum virorum implet multitudo. Itaque Sacerdos Domini Audomarus in his omnibus Dominum benedicens, Mummolinum illi Cœnobio præficit. Is verò Pastoris munus adeptus, cælestis doctrina semina discipulis depromit, dæmonum virus linguæ fulminibus profligat. Et iam Deo plenus, instar cedri Libani, virtutum suarum longè latèque diffundit odorem suauissimum.* Hanc opinionem lubenter amplectimur, ceteras infra refellemus. Aduerte tamen Authorem proximè citatum in hoc decipi, quòd Mummolinum Abbatem non prius agnoscit, quàm Sitiuense Monasterium mutatâ priori sede de nouo construatur. Id autem stare non potest, quia Mummolinus Eligio Nouiomensi Episcopo successit, antequàm Monachi Sitiuenses à primâ statione commigrarent. Malbrancus, vt Mummolinum ex indicibus Sitiuensium Abbatum expungat, recitat Adroaldi tabulas suprà descriptas, in quibus Mummolinus & Ebertramnus Bertino postponuntur, deinde sic ratiocinatur. *Satis hoc Diploma refragatur iis, qui Bertinum Mommolino postponentes conuincuntur omnibus monasterij ipsius monumentis, continuâ traditione, catalogis omnibus Sitiuensium Abbatum, qui Bertinum primò & in apice collocant, & nunquam Mummolini meminere, & huic etiam nullus Auctor, aut monimentum antiquius nauim adpinxit vel attribuit, vti iam de Bertino fusiùs narrabitur; licèt enim in patrem spiritalem Luxonio egressi delegerint, liquet tamen Abbatis munus in Sitiu minimè obiisse perfectum, cum Episcopo, vti modo videbitur, datus sit adiutor, & Folchardo teste fluctuantem Diui Bertini nauim minimè fuerit ingressus, quam proculdubiò intrasset, si ex tunc ipsissimi Abbatis munera fuisset aggressus.* Malbranco nullomodò fauent Adroaldi tabulæ, quia confectæ sunt, antequàm prima Sitiuensis Monasterij fundamenta iacerentur. Catalogi Sitiuensium Abbatum, in quibus nomen Mummolini desideratur, originem Sitiuensis Monasterij non altiùs repetunt quàm à primordiis posterioris stationis, quæ cadunt in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum, cùm Bertinus Monachis Sitiuensibus iam præesset, & Mommolinus eius antecessor ex Abbate factus Episcopus Ecclesiam Nouiomensem gubernaret. Nec aliam rationem quæras, cur Bertino non autem Mommolino nauis adpingatur, Bertinus enim fratres Sitiuenses ex vno loco in alium traduxit, &, antequam id fieret, Mommolinus ex Abbate Sitiuensi Nouiomensis Episcopus est ordinatus. Obiit Eligius Nouiomensis Antistes anno Christi sexcentesimo vndesexagesimo, eique non viuo adiutor sed mortuo successor datus est Mommolinus. Hæc constant aduersus Malbrancum. Locrius in Chronico Belgico ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-sextum texit seriem Abbatum Sitiuensium seu Bertinianorum, orditúrque à sancto Bertino cui sanctum Mommolenum sufficit. Hanc opinionem multis iam placuisse vehementer miramur, est enim omnium absurdissima, quia Bertinus Abbas diutissimè superstes vixit Eligio, post cuius obitum Mommolinus Nouiomenses infulas obtinuit. In catalogis igitur Abbatum Sitiuensium, primus locus beato Mommolino, secundus sancto Bertino tribuendus est. Vtrumque Abbatem constituit Audomarus Morinensis Episcopus, vt legitur in eius vita, cuius Author sic scribit. *Necdum operi suprema erat imposita manus, & iam monastico structa apparatu fortissima castra religiosorum virorum implet multitudo. Itaque Sacerdos Domini Audomarus in his omnibus Dominum benedicens, Mummolinum illi Cœno-*

AN. CH. 648.
SIGIB. III. R. 16.
CLOD. II. R. 11.

AN. CH. 648.

bio præficit. Et paulò pòst. *Porrò in Episcopum electo Mummolino, Sanctus Audomarus pastoralem curam Sithiensis Monasterij beato Bertino demandauit.*

SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

XXXII. Idem Audomarus Episcopus in villa *Sithiu* semestre supra triennium expleuit, vt ferunt Audomarentium Breuiaria teste Malbranco [a]. Tunc Ecclesiam in honorem beatissimæ Virginis extruxit, eodem videlicet tempore, quo Mommolinus, Ebertramnus & Bertinus Monachi Vetus Templum ædificarunt. De vtroque opere sic Author vitæ. *Sanctus Audomarus, dum extirpatis spinis & vepribus, mundat Christi messem, etiam horrea præparare volens, egregium Templum in Sithin magnis sumptibus extruit in Sanctissima Dei genitricis & perpetuæ Virginis honorem, Sanctorum patrociniis illud muniens. At Sancti illi diuinæ religionis cultores, Mummolinus, Bertramnus & Bertinus in Domino conspirantes, Cœnobium condunt, quod Vetus Templum dicitur.*

[a] Lib 3. cap. 15.

AVDOMAR. EPISCOPVS EXTRVIT ECCLES. B. VIRG. IN SITHIV.

XXXIII. His circiter temporibus Clodoueus Rex pro Longoretensi Monasterio Præceptum emisit, cuius fragmentum quod superest in tabulis quæ pro fundationibus vtriusque Cœnobij Millepecenfis & Longoretensis apud Choppinum [b] & Sammarthanos [c] nomine Dagoberti publicantur, datum reperitur *Wlfoldo Episcopali Sede Biturigis ciuitatis residente, Indictione sextâ.* Indictionis sextæ, quæ cum hoc anno Christi sexcentesimo duodequinquagesimo coincidit, nullam rationem haberi volumus, quia quandiu Clodoueus regnauit, vsus non inualuit, vt Indictio publicis instrumentis apud Francos apponeretur. Neglectâ igitur Indictionis notâ solum Wlfoldi siue Wlfolendi vel Wlfoleni Bituricensis Episcopi Pontificatum attendimus. Istud autem fragmentum nonnullis deprauatur interpolationibus, & Dagoberto perperam sic adscribitur. *Est locus non longè à confinibus Pictauensis seu Turonensis pagi, vberrimus pascuis pecorum ac iumentorum, irriguus decursibus aquarum, atque amœnus venationi ferarum, quò fuit mihi animus sæpiùs commorari, qui etiam ob frequentiam Regum delectandi gratiâ Longoretus à commanentibus vocatur, quem mihi placet dare Sigiranno mihi genere propinquo, qui ab Archidiaconatu Turonensium se, fæliciore vitâ frui desiderans, sub monachali norma, cum iam sibi iunctis fratribus, existentem, vitam transigere inibi profitetur. Itaque ego Dagobertus Francorum Rex, tranquillâ pace, diuinâ præordinante Clementiâ quietus, cum Clodoueo filio meo, quampluribus præsentibus ex meis Magnatibus, hunc supradictum locum in decursu Clasiæ* * *consitum, ac Sanctæ Dei genitricis & semper Virginis Mariæ honore præuotatum cum omni curia & honoribus ipsi curiæ pertinentibus,* &c. Pro Longoretensi Monasterio quod anno Christi sexcentesimo quadragesimo, quo Flaucadus obiit, Sigirannus Abbas inchoauit, Præceptum dare non potuit Dagobertus Rex, qui vitam clausit ineunte anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo. Ex duobus Præceptis, quorum primum Dagoberti pro Millepecensi Cœnobio, secundum Clodouei pro Monasterio Longoretensi fuit, vnicum esse conflatum, quod Dagoberto totum tribuatur, iam monuimus suprà. In fragmento igitur proximè recitato solum Clodouei nomen legi debet, & sublatis interpolationibus textus est ita reponendus. *Est locus non longè à confinibus Pictauensis seu Turonensis pagi, vberrimus pascuis pecorum ac iumentorum, irriguus decursibus aquarum, qui Longoretus à commanentibus vocatur, quem mihi placet dare Sigiranno, qui ab Archidiaconatu Turonensium se, fæliciore vitâ frui desiderans, sub monachali norma, cum iam sibi iunctis fratribus, existentem, vitam transigere inibi profitetur. Itaque ego Clodoueus Francorum Rex, quampluribus præsentibus ex meis Magnatibus, hunc supradictum locum,* &c. Expunximus has voces, *(mihi genere propinquo)* quæ Sigirannum regiæ familiæ propinquum fingebant, nihil enim simile in eius vita reperitur. Expunximus & plures quæ de situ & de nomine Longoreti erant, putà illas *(atque amœnus venationi ferarum)* quis enim locum, qui Monachis ad erigendum Monasterium concedebatur, à Rege commendatum putet quòd idoneus esset venationi ferarum cui vacare piaculum illis erat? Item istas *(quò fuit mihi animus sæpiùs commorari)* & subsequentes *(etiam ob frequentiam Regum delectandi gratiâ)* nondum enim in vllo vetere monumento

[b] L. 2. Monast.
[c] Tom. 4. Gal Christ.

PRÆCEPTVM REGIS PRO COENOBIO LONGORET. INTERPOLATVM

* La Claise.

EMENDATVR.

monumento legimus quemquam Regum, qui Clodoueum Secundum antecesserunt, saltu Brionensi delectarum esse. AN. CH. 648.

Hisce temporibus florebant Erchinoaldus Maiotdomûs eiúsque vxor Leutsinda. Erchinoaldus, amissâ priori coniuge, voluerat primùm Batildem sibi sociare, quæ posteà Clodoueo Regi nupsit, sed mutato pòst consilio Leutsindam duxerat, quæ liberos vtriusque sexûs ei priùs peperit, quàm B. Furseus ex hac vita discederet, vt ex libro de Miraculis S. Fursei iam laudato constat. Bathildis inter Erchinoaldi famulas viuebat, diuináque prouidentiâ factum est, vt effugerit torum Maiorisdomûs, & vxor Clodouei Regis ac mater regiorum liberorum euaserit. Apud Malbrancum [a] exhibetur schema genealogicum S. Berthæ Blangiacensis, in quo Bathildis dicitur filia Eadbaldi qui post patrem Ethelbertum Chariberti Regis Francorum quondam generum regnauit in Cantio, sed hanc fabulam facilè destruent ea quæ de Bathilde narrabimus inferiùs. SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11. XXXIV. LEVTSINDA NVBIT ERCHINOALDO. [a] Lib. 3. cap. 30.

Sanctæ Baltildis, quam alij Baldechildem, Baltechildem, Baltichildem, Bathildem, Baltidem, Batildem, Bathildem, Betildem, Baldetildem, & Balthildem vocant, vitam scripsit Author [b] synchronus, qui suam ætatem satis prodit, dum testatur Theudofredum Episcopum in viuis adhuc esse, quem Baltildis à Galberto seu Walberto Luxouiensi Abbate expetiit, vt fratrum Corbeiensium gregi præesset. Vetus autem ille Anonymus de Baltildis patria, profectione in Franciam, sanctis moribus ac regio connubio sic disserit. *Baltildis de transmarinis partibus vili pretio venundata huc aduenit, receptáque est à Principe Francorum viróque illustri Archinoaldo quondam, in cuius ministerio ipsa adolescens honestissimè conuersata est, itaut pia eius conuersatio & admirabilis complaceret tam Principi quàm & omnibus eius ministris. Erat enim benigna animo, & moribus omnibus sobria, prudens & cauta, nulli machinans malum, non leuis in eloquio, non præsumptuosa in verbo, sed in cunctis actibus suis honestissima. Et cùm esset ex genere Saxonum, formâ corporis grata ac subtilissima, & aspectu decora, vultu hilaris, & incessu grauis; & cùm talis esset, fuit omnino grata Principi, & inuenit gratiam in oculis eius. Quam instituit vt sibi in cubiculo pocula porrigeret, & vt pincerna honestissima sapiùs præsens adstaret in ministerio eius. De cuius dignitatis gratia nullam habuit extollentiam, sed potiùs in humilitate fundata omnibus erat suis consodalibus obediens atque amabilis, honore congruo ministrans senioribus, itaut de earum pedibus calceamenta detraheret, & ipsa detergeret ac dilueret, aquam quoque ad lauandum afferret, & vestimenta earum festinanter pararet. Et hoc absque murmurio, bono & pia animo exercebat eis ministerium. Ex qua eius nobili conuersatione, maxima ei inter socias laus atque amor adoleuit. Et in tantùm felicem famam promeruit, vt matronâ supradicti Principis Archinoaldi defunctâ, ei complacuisset, vt denuò sibi Baltidem honestissimam virginem in thoro matronali sociaret. Quam rem ipsa comperta, latenter se & studiosè ab eius subtraxit aspectu. Et cùm iam vocaretur ad Principis cubiculum, secretà se ipso abscondit in angulo, superiectis sibi vilibus panniculis, itaut nemini pateret illic aliquem latere potuisse. Ipsa verò vt prudens & astuta virgo, iam tunc honores vanos fugiens, & humilitatem diligens, tentabat, vt poterat, humanum deuitare thorum, vt mereretur ad spiritualem cælestémque peruenire sponsum. Sed & illud proculdubiò diuinâ peragebatur prouidentiâ, vt ipse Princeps ipsam tunc quæsitam minimè inueniret, & sibi ad coniugium aliam sociaret. Et tum ita demum Baltidis puella inuenta est, nutu Dei verè, vt qua Principis nuptias deuitauerat, posteà Chlodoueum Dagoberti quondam Regis filium in coniugium acciperet, vt meritum humilitatis ad altiorem gradum eam attolleret. In quo gradu ipsam diuina dispensatia decreuerat honorare, vt dum ministrum Regis contempserat, ad Regis copulam perueniret, atque ex ipsa regalis soboles procederet,* vt suis locis dicturi sumus. XXXV. [b] Ap. Bolland. die 26. Ian. S. BATHILDIS PRÆCLARI MORES.

Incunabula sanctæ Baltildis à quibusdam Scriptoribus apud Saxones Germaniæ populos frustrà quæruntur barbaros tum atque à Christiana religione & cultu humanitatis alienos. Britanniam Insulam fermè integram Angli & Saxones Germanicæ originis populi tunc tenebant. Porrò consueuisse Anglo- XXXVI. PATRIA.

AN. CH. 648.

SIGIB. III. R. 16.

CLOD. II. R. 11.

rum Saxonúmque liberos è Britannia in exteras prouincias deportari venales, ex sancti Gregorij Magni vita aliisque Historiis constat. Inde quoque orta Baltildis, & siue à prædonibus rapta, siue ab amicis siue ab hostibus vendita, in Franciam cælo auspice deuenit. Quare Martyrologio Anglicano meritò ascripta est VII. Kal. Febr. quamuis Author illius Martyrologij minùs propriè scribat *Clodoueo nuptui datam*, quasi sui eam parentes aut amici collocarint.

XXXVII. GEREMARUS FILIABUS SUIS MORTUIS.

Hoc anno, Geremarus, cuius suprà non semel meminimus, Monachum induit. Antequàm seculo nuntium remitteret, quas ex vxore Domana susceperat, duas amisit filias adhuc virgines, vt Author vitæ testatur his verbis. *Generauit ex ea duas filias; quarum prior, dum ad maturam ætatem perueniret, sponso destinatur, sed virgo permansit morte interueniente carnis; iunior tradita monasticis disciplinis in virginitate permansit; sic in virginitate corporis ambæ permanentes meruerunt computari inter prudentes virgines; sepeliuit autem eas B. Geremarus in Ecclesia B. Remigij in prædicto vico*, id est, in villa Giuiarandra, quæ sita est in confinio Bellouacensium super fluuium Ittam, *vbi multa largitus est de propriis rebus.* Supererat filius Amalbertus, quem Clodoueo Regi commendauit, sic enim Author vitæ prosequitur.

FILIUM REGI COMMENDAT.

Anno vndecimo, regnante Clodoueo Rege, correctus est beatus Geremarus in viam salutis æternæ. Videns ergo quoniam nihil in mundo perpetuæ mercedis animæ suæ acquirebat, sed magis detrimentum perpetuum illi præparabat (adhortante eum beato Audoeno) adiit Regem Clodoueum, petiitque ab eo vt filio suo quod pater eius concessit concederet, & capitis

FIT MONACHUS ET ABBAS PENTALLI.

comam ei deponere liceret, séque Deo in Monasterium ad seruiendum traderet. Per iussionem autem Regis, licèt abnegantibus Francis tonsurauit eum beatus Audoenus, deditque ei monachilem habitum, & instruens illum cælestibus disciplinis, misit eum in Monasterium Pentalli vocabulo denominatum, vt ibi fuisset in obedientia Ab-

ANNUENTE VXORE.

bas & Pastor ouium Christi, & illuminator animarum, &c. *Derelictâ autem vxore & filio suo, & omnibus huius mundi curis secundùm Euangelicum præceptum secutus est Christi Iesu vestigia, & abiit in Monasterium quod suprà nominauimus Pentallium * in pago Rothomagensi super fluuium * Lirizinum. Cuius vita qualis, & quàm sancta ibi cunctis refulsit, testantur sanitates, & plurima incolis facta virtutes.* Domana reliquam vitam piè transegit; colitur in pago Wilcassino, vt Louuetus [a] in Antiquitatibus Bellouacensibus testatur. Eosdem honores vtrique filiæ tribuit Author [b] Martyrologij Gallicani. Amalbertus filius in aula vixit à Clodoueo Rege plurimùm deamatus.

* *Pentallion.*

* *Sur la riuiere Lisaine.*

[a] Lib. 3. c. 12.

[b] d. 24. Sept.

XXXVIII. AUSTREBERTHA RENUNTIAT SECULO.

Austrebertha Taruanensis puella, ne nuptui traderetur, hoc anno confugit ad Audomarum Episcopum, ab eóque velamen accepit, ac paulò pòst pacatis parentibus in Portense Monasterium se recepit, vbi per annos quatuordecim monasticam vitam insigni laude duxit. *Procedente tempore*, inquit Author vitæ coætaneus, *cum Parentes eius, qui felicibus actibus eius parum fauebant, arrhabone pro amore seculi recepto, tempus præfinitum & diem statuissent nuptiarum, illa in angustiis posita, cogitare cœpit quid ageret. Mœsta verò iter furtim arripuit, germano secum fratre, licèt paruulo, assumpto. Cúmque pergerent simul, interrogata ab eo quò tenderet, respondit se ad villam, quæ proxima erat, ituram. Veniens igitur ad flumen, quod dicitur Quantia *, vbi pons erat, ita flumine exuberante, aquarum abundantia totum repleuerat, vt superiorem pontem illic absconditum sub se vnda teneret, & facultatem eundi omnibus itinerantibus penitus denegaret. Tunc demum confessa est fratri, quò ire cupiens festinabat. Erat his temporibus vir sanctus, magni apud Deum meriti, Audomarus nomine, Taruanensis vrbis Pontifex, in cuius Diœcesi puella nobilis originem traxerat. Ad hunc ipsa tunc properabat, sacro velamine consecranda. Habebat etiam secum multos sui itineris comites. Qui vt viderunt transeundi difficultatem, omnes pari voce conterriti, non ausi sunt ingredi, sed habito consilio, vt redirent itinere quo venerant, cœperunt à loco abscedere. Non enim ibi vel modicum quidem nauigium poterat transire. Sancta igitur Dei famula, Christo deuota, sancti Spiritûs gratiâ illustrata, orationeque factâ, signum salutis præmittens, pontem vndis submersum ingreditur, her-*

* *Le Canche.*

AN. CH. 648.

SIGIB. III. R. 16. CLOD. II. R. 11.

tatúrque ceteros vt se sequerentur. Iam enim naturâ elementorum quodammodò inter se commutatâ, facta est eis aqua sub pedibus instar ligni solida, porrò lignum velut aqua liquidum. Transiuit igitur Dei famula cum vniuersis comitibus illæsa, quasi sicco calle in vndis nihil mali perpessa. Amne verò transmisso, quantocyùs properantes, perueniunt ad hominem Dei, prouolutáque puella ad pedes eius quod desiderabat obtinuit. Consecrata namque est Christo, & accepto velamine adhæsit anima eius post ipsum, ipsámque suscepit dextera Christi. In vanum ergo deinceps quæsita est copulari viro terreno, quæ iuncta erat Christo in cælo. Vir autem Dei cùm cognouisset parentes eius hac re esse perturbatos, assumptâ secum Dei famulâ consolandi gratiâ eos visitare studuit, eorúmque commotos animos verbis pacificis deliniuit, eosdémque mansuetos & mites redditos ad caritatem pristinam reuocauit. Pater filiam, fratres amplectuntur sororem, deosculantúrque eam singuli, Deum in commune glorificantes. Diuinâ quippe dispensatione actum est, vt qui priùs illudentes eam despexerant, summâ pòst deuotione venerarentur. Aliquamdiu ergo cùm in domo parentum commorata fuisset, cœpit implorare matrem & fratres, vt votum ipsius non ampliùs impedirent, sed potiùs adiuuarent eam, vt Monasterium posset ingredi, & sanctis sociari virginibus, sub potestate scilicet alterius victura. Quod illi benignè assentientes, non solùm abeundi liberam ei tribuunt potestatem, verùm etiam cum ea pergentes ad Monasterium vsque perducunt. Est autem ipsum Monasterium super fluuium, qui dicitur Somma, constructum, nominatur autem Portus. Ibíque præerat spiritualis Mater, nomine Burgofledis. Cui cùm indicassent omnia, quæ gesta erant, gauisa valdè suscepit eam in filiam, ceterísque sororibus aggregauit. Beata quoque Dei famula ouile Christi ingressa, ouibus sanctis adiuncta, sancta est ouis effecta. Paulò pòst, *eligentibus cunctis, consentiente Matre*, siue Abbatissâ Burgofiede, *licèt inuita, Præposita constituitur.* Malbrancus [a] vnum ex Austrebertæ fratribus Adalsquarum vocat, reliquorum nomina reticet. Petrus de Natalibus [b] Sanctum Ansbertum, qui sancto Audoeno in Episcopatum Rothomagensem successit, Austrebertæ fratrem finxit, & plerosque Neotericorum decepit. *Ansbertus*, vt Aigradus in eius vita testatur, *à patre nomine Siwino, & pago Veliocaßino, patrimonióque vocabulo Calceio, nobili ortus est genere.* Austrebertæ alius pater, alia patria fuit.

AOIT MONAST. PORTENSE.

[a] Lib. 3. c. 33.

[b] Lib. 3. c. 112.

XXXIX

EIVS PARENTES EXTRVVNT BASILICAM.

Austrebertâ Portensibus Monialibus addictâ, Framehildis eius mater, cui Marconnense prædium patrimonij iure obtigerat, beatissimæ Virgini templum insigne construendi facultatem à viro suo Badefrido periit obtinuítque. Lapide plùs medio supra Quantiam, vnde ipsa filia noctu profuga flumen transiliit, structuræ delectus locus, erectáque Basilica, in qua chorus Deo famulantium à piis coniugibus institutus est, vt ex monumentis Monstroliensibus refert Malbrancus [c], qui prætereà notat cis tránsque Quantiam esse & iam olim fuisse Marconnæ nomen ac dominatum, & omne spatium ad vtramque fluminis ripam eodem affectum Marconnæ vocabulo, quasi diceres maris aduentum, quòd illuc marinus accessus æstúsve exporrigeretur, voce partim Gallicâ, partim Theutonicâ, veteri quippe Gallicismo *mor* vel *mar* pro mari vsurpanti permixto Theutonismo cui *Konne* aduentum adsignificat. Portensis ad Somonam Cœnobij, quod perexiguum fuit, ita defluxit memoria, vt vix credatur extitisse. Quapropter idem Author existimat Portenses Moniales euocatas fuisse Marconnam ab Austrebertha, postquàm eius parentes ex hac vita migrarunt. Sed in Austrebertæ vita nihil legitur simile, nec liquet vtrùm Badefridus & Framehildis priùs obierint quàm eorum filia è Portensi Monasterio ad Pauliacense perrexerit. Framehildis * sepulta fuit sexto Kalendas Iunias in Basilica, quam in honorem beatæ Virginis erexerat, de Badefridi tumulo nihil comperitur. Vterque sanctus appellatur à Malbranco, vtriusque sanctitatem *miraculorum gloriâ* declaratam testatur Author coætaneus in vita sanctæ Austrebertæ.

[c] Lib. 3. c. 34.

* *Sainte Fremeuse.*

PIE MORIVNTVR.

XL.

IVNKEHELVS EPISC. VENET. OBIT.

Iunkehelus Venetensis Episcopus obiit hoc anno, cùm sedisset annos septem. Vacauit Episcopatus annos quatuor. Ita scribit Auctor Armoricæ Sanctæ.

AN. CH. 649.
SIGIB. III. R. 17.
CLOD. II. R. 12.

ANNVS CHRISTI 649.
SIGIBERTI III. R. 17.
CLODOVEI II. R. 12.

I. IOANNES EP. TRAIECT. OBIT.

ANNO Christi sexcentesimo vndequinquagesimo Ioannes cognomento Agnus Traiectensis Episcopus obiit, cùm sedisset annos sex ac viginti. Longè dissident à nostra computatione Cratepolius, Placentius, aliíque qui sex duntaxat annos Pontificatûs ei tribuunt. At hi videant quomodò conuenire possint cum Harigero & cum Baudemundo, quorum ille Ioannem *in bona senectute* mortuum tradit, hic triennio circumscribit Præsulatum Amandi, qui Ioanni successit, & Ecclesiæ Traiectensis * administrationem gerebat anno Christi sexcentesimo quinquagesimo primo, cùm ei literas, quas suo loco recitabimus, inscripsit Martinus Papa. Porrò B. Ioannes ad Deum migrauit octauo Kalendas Augustas, vt obseruant Ægidius & quædam Martyrologia teste Molano. Sepultus fuit *in Ecclesia Sancti Cosmæ, Hoy * in monte sita*, multa prædia Ecclesiæ Traiectensi ab ipso collata sunt, *quorum decimationem*, inquit Harigerus, *Sancti Cosmæ retinet Ecclesia in Castro Hoyensi, pro eiusdem sancti viri sepultura.* De successore Amando sic in eius vita Baudemundus Abbas.

* De Mastrich.
* Huy.

AMANDVS SVCCEDIT.

Rex huius viri venerabilis, nempe Ioannis, *comperiens obitum, Sanctum accersiri fecit Amandum. Congregatâque multitudine Sacerdotum, populíque turbâ non modicâ, ad regendam Traiectensium Ecclesiam eum præposuit. Illo verò renuente, atque se indignum vociferante, omnes vnâ voce clamabant dignum eum esse Sacerdotio, atque ob animarum sollicitudinem Ecclesiam magis quàm pecunia quæstum debere suscipere. Coactus igitur à Rege ac Sacerdotibus Pontificalem suscepit Cathedram. Sícque per triennium ferè vicos vel castra circumiens, verbum Domini constanter omnibus prædicauit. Multi etiam (quod dictu nefas est) Sacerdotes atque Leuitæ, prædicationem illius respuentes, audire contempserunt. At ille secundùm Euangelij præceptum, puluerem de pedibus in testimonium excutiens ad alia properabat loca.* Plura de Traiectensi Amandi Præsulatu non edidit Baudemundus. Rex qui Traiectenses infulas Amando deferendas curauit, non alius fuit à Sigiberto, quem idem Amandus baptizarat. Errant Philippus Haruengius aliíque non pauci, qui eodem triennio, quo Diœcesim Traiectensem Amandus rexit, Dagobertum Francis imperasse scribunt. Amandus statim ac Traiectensis Episcopus renuntiatus fuit, *de grege sibi commisso sollicitus Traiectensem suam Diœcesim visitare disposuit, anteà tamen Elnone vices gerentem suas in Abbatem suum ordinauit discipulum, nomine Vrsum, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem beato fine quieuit*, vt ex Elnonensi Chronico refert Miræus in Originibus Benedictinis [a]. Triennium, quo Traiectensem Pontificatum Amandus gessit, Bollandus [b] in notis ad Baudemundum exorsus est indeterminatè ab anno Christi circiter sexcentesimo quadragesimo-septimo, clausítque anno Christi circiter sexcentesimo quinquagesimo. Vt aliam Chronologiam iniremus, impulerunt literæ, quas Amando Martinus Papa scripsit, & Ordinatio Remacli Episcopi, quæ tertio Nonas Februarias à Martyrologiis consignata est, inciditque in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium, qui literâ Dominicali F prædictus fuit.

VRSVS ABB. ELNON.

[a] Cap. 10.
[b] Die 6. Febr.

II. BAVO MORITVR.

Amandus Episcopus, priusquàm Traiectum proficisceretur, exequias sancti Bauonis hoc anno Kalendis Octobribus mortui celebrauit. Vltimum fuit ope-

rum apud Gandam gestorum ante susceptum Episcopatum Traiectensem. AN. CH. 649.
Theodoricus [a] mortem ac sepulturam sancti Bauonis ita describit. *Festinabat tempus, quo palmes Dominicæ putationis purgaretur, & flos qui apparuerat, ad componendum summi capitis sertum colligeretur, cùm ecce gloriosus Dei Athleta lectum ægritudinis incidit, quam tamen longè antè præuidit & prædixit. Familiarem habebat Domlinum, Thurholtensis Ecclesiæ Presbyterum. Vocatur famulus, & ad requirendum eum festinare iussus, incipit velle ire quò nesciebat. Sed adest derepentè Angelus Domini, iter ostendit, ipse comitatur, Turholt vsque deducit, & exposito negotio Presbyterum assumit & recomitatur. Hunc vir Domini inter loquendum secretum habuit, curam funeris sui vt haberet iniunxit, eius postremùm officio communicauit. Et iam securis diuinæ vocationis admoneri ad radicem sanctissimæ arboris, cùm ecce manibus & toto corpore in cælum extensis, concines suos recognoscit Angelos, eorúmque dulci delectatus præsentiâ, vale, ait, seruorum Dei Ecclesia, Christus adest, egredere in occursum eius anima mea. In hac verba, spiritum de huius fæcis luto cùm efflasset, Monachorum statim turba super eum irruit, & sanctissimum corpus deosculando publicum luctum prior incipit. Aderat impræsentiarum Sanctus Episcopus Amandus & venerabilis Abbas Florebertus, qui & ipsi cellulam ingressi cernunt mirabilia Dei in martyrio militis sui. Quid enim viuens spiritus eius egerit, corpus mortuum loquebatur, in quo tota caro ita depasta videbatur, vt pelli adhærerent ossa, & circa dentes tantummodò relicta labia. Translatum verò funus, Sacerdotum Christi manibus, multo cum studio ceruicem feretro subiicientibus, mediâ Ecclesiâ beati Petri Apostoli ad pernoctandum locatur. Apparuit autem felix eius anima in ipsa exitûs sui hora longè manenti Sanctæ virgini Gertrudi, petens vt mitteret linteamina condendo funeri necessaria. Expletis igitur, quæ necessaria erant funeri, cum lampadibus & cereis & psallentium choris in locum agonis sui, hoc est, in reclusionis cellulam reportatur, ibique ex officio Sancti Episcopi Amandi iterum sepelitur. Facta est autem huius preciosissimi vasis ab omnipotente artifice post multarum tribulationum excoctiones piissima purgatio, & in æternitatis honorem gloriosa assumptio, Calendarum Octobrium die primo, anno à conuersione sua quadraginta dies minùs de tertio*, id est, Kalendis Octobris, anno reclusionis secundo nondum expleto, secundum enim reclusionis annum expleuisset, si vixisset adhuc dies quadraginta, vitámque clausisset quinto Idus Nouembris.

SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

[a] Apud Sur. die 1. Oct.

In Chronico Bauoniano mors sancti Bauonis consignatur anno Florberti Gandensis Abbatis decimo-tertio, quocum hic annus, Christi sexcentesimus quadragesimus-nonus coincidit. At à vitæ Scriptore Theodorico refertur *anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo tricesimo-primo, Heraclio Romanum Imperium, Martino vniuersalem administrante Pontificatum.* Quo loco Surius expuncto Martino Honorium *fortè* reponendum suspicatur. Verùm in dubium vocari non debet, quin Theodoricus Bauonem mortuum affirmarit anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo, existimaritque illo anno floruisse Martinum Papam, Ecclesiæ Tornacensi præfuisse Acharium Episcopum, Franciam paruisse Dagoberto Regi, summam Imperij Romani penes Heraclium Augustum fuisse. Sedebat quidem tunc in Cathedra Tornacensi Acharius, regnabat apud Francos Dagobertus, Imperio Romanorum potiebatur Heraclius, sed anno pòst duodeuicesimo Martinus Romæ Pontifex esse cœpit. Præ manibus habentur Acta plurimorum Sanctorum, in quibus Martinus Papa dicitur Pontificatum gessisse, cùm Dagobertus Principatum Francorum obtinebat, vnde error fluxerit explicatum est suprà. Vixit beatus Bauo annos vnum & septuaginta. Sodalitio Benedictinorum adscribitur in Martyrologio Benedictino, quia degit in Cœnobio Gandensi sub Abbate Florberto, sed, vt in Monasteriis Elnonensi & Marchianensi viguit Regula sancti Columbani, sic & in vtroque Gandensi Regulam illam obseruatam arbitramur, quia quatuor ista Cœnobia vnum eundémque auctorem Amandum agnouerunt. III.

IV.

GERTRVDIS ABBATISSA HAMATIC. MORITVR.

Hoc anno, cùm idem Amandus Traiectensem Diœcesim administrabat, Gertrudis Hamaticensis Abbatissa viuere desiit octauo Idus Decembres, quo

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12. die coli solet. Eius obitus seriùs reiici non potest, nam teste Huebaldo tunc duodennis tantùm erat eius proneptis Eusebia, quam regnante Dagoberto Regina Nanthildis ex sacro fonte susceperat. Caue ne Gertrudem Hamaticensem cum Gertrude Niuellensi, quæ per idem tempus florebat, malè confundas. Prior post mortem Rigomari coniugis sui Monasterium in Hamatico * ad dexteram Scarpi ripam ædificauit. Mater extitit Gerebertæ, per Gerebertam auia Ducis Adalbaldi qui sanctam Rictrudem in vxorem duxit, & per Adalbaldum proauia fuit Eusebiæ quæ posteà Cœnobium Hamaticense rexit. Hucbaldus in vita beatæ Rictrudis agit de sanctæ Gertrudis obitu, sollicitudinémque ipsius Rictrudis propter ætatem Eusebiæ filiæ adhuc teneram, cui plurimùm metuebat, ita describit. *Dei famula Gertrudis, auia Adalbaldi, iam prouectâ admodum ætate, & multis cumulata operibus bonis, in Hamatico Monasterio, quod ipsa ædificauerat, vbi etiam sacra virgo Eusebia, eius proneptis, educabatur, viam vniuersæ carnis ingressa est, cui in Monasterij regimine eadem Eusebia successit, bonæ quidem indolis puella, sed adhuc teneræ ætatis, vtpote duodennis. Itaque mater eius Rictrudis altiori vsa consilio atque prudentiâ, non ignorans multos etiam in virtutibus exercitatos hostis tartarei astutiâ decipi, tum etiam metuens ætati illi filiæ suæ, ne præproperam adepta libertatem, illius maligni serpentis fraudibus circumscriberetur, ad se eam acciuit, secúmque habitare voluit. Recusante verò illâ, & in Hamatico Cœnobio permanere volente, mater eius regias compulsa aures appellare, facultatem obtinuit illam Regis authoritate reuocandi*, vt dicemus anno sequenti.

* Hamaige.

SVCCEDIT EVSEBIA PRONEPTIS.

V. NVPTIÆ BATHILDIS. Quæ de matrimonio Erchinoaldi Maiorisdomûs & Leutsindæ anno priori narrauimus, hæc nobis persuadent Bathildem hoc anno nupsisse Clodoueo Regi decimum-sextum ætatis annum ingresso, qui tres ex ea filios suscepit, vt dicemus Infrà.

VI. NASCITVR DAGOBERTVS. Clodoueo senior erat frater Sigibertus Rex Austrasiæ, qui decimum-septimum in Principatu annum tunc agebat, & circa eadem illa tempora Dagobertum filium, de quo sermonem sæpiùs facturi sumus, ex Imnechilde Regina suscepit.

VII. Annus decimus-septimus Sigiberti Regis cum anno vicesimo-tertio Desiderij Cadurcensis Antistitis in vita eiusdem Episcopi sic comparatur. *Sigoberti VII. & decimo Regni anno, Episcopatûs autem sui vicesimo & III. parat Desiderius solum proprium paternæ possessionis Albigense territorium visitare.* Et in Sanctorali Cadurcensi, quod à Crucio * citatur, idem Desiderij Pontificis annus vicesimus-tertius cum anno decimo-sexto Sigiberti Regis ita confertur. *Sigeberti Regis anno decimo-sexto, Episcopatûs autem sui vigesimo-tertio Desiderius solum paternum Albigense petiuit.* Horum Authorum neuter assecutus est annum Desiderij. Nam cùm Desiderius, vt in eius vita legitur, Episcopatum inierit anno Dagoberti Regis octauo, & Sigibertus, vt ex Fredegarij Chronico probauimus, Austrasiæ Rex præpositus fuerit anno Dagoberti Regis duodecimo, certè Desiderius solo quadriennio Pontificatum citiùs quàm Sigibertus Regnum adeptus est, & anni Sigiberti Regis cum annis Desiderij Præsulis ita componi debent, vt annus Sigiberti decimus-sextus anno Desiderij vicesimo, annus Sigiberti decimus-septimus anno Desiderij vicesimo-primo illigetur. Albigense igitur territorium adiit Desiderius hoc anno, sui Præsulatûs vicesimo-primo, Sigiberti Regis decimo-septimo, *cúmque iam Dominus*, vt Author vitæ prosequitur, *pro cunctis eum laboribus vellet remunerare iussione missâ arcessire famulum iubet, móxque febre correptus tadiari cæpit, deinde ampliùs ægritudine vallatus Wistrelingus in villa Monasterij sui decubuit.* In eadem vita dies quo spiritum Deo reddidit, paulò pòst indicatur his verbis, *sub die decimo-septimo Kalendarum Decembrium vltimum spiritum exalauit.* Quæ mortem sancti Desiderij subsecura sunt, ab Authore vitæ copiosiùs enarrata, in epitomen à Crucio sic rediguntur. *Famuli, qui eum concomitabantur, corpus eius Cadurcum asportarunt. Qui cùm Albigensis prouincia ru-*

* Num. 41.

DESIDERIVS EP. CADVRC. MORITVR.

AN. CH. 649.
SIGIB. III. R. 17.
CLOD. II. R. 12.

ra præteriisset, & Cadurcensis terminos ingredi cœpisset, mulier quædam à dæmonio malè vexata multis clamoribus corpus beati viri insequitur, quod vbi ad oppidum, cui vocabulum est Milliarcum, adlatum est, muliere ante feretrum prostratâ illicò ope diuinâ fugatur dæmon, & mulier sana remansit, quo facto omnes circumquaque stantes viso miraculo laudauerunt Deum, & mulier Deo gratias egit, deinde corpus ad Ecclesiam priùs insigni opificio constructam deductum, ibidem sepultum est, vbi multis diutiùs claruit miraculis. Ecclesiam intellige sancti Amantij nomine tutelâque percelebrem, quæ fundatoris assumpto pòst nomine vocata fuit ædes sancti Desiderij, vulgò *sanct Geri*, vt iam obseruatum est suprà.

VIII.
SVCCEDIT CAPVANVS MAGISTER S. SACERDOTIS.

Sancto Desiderio, cuius memoriæ sacer apud Cadurcenses manet dies decimus-septimus ante Kalendas Decembris, successit Capuanus, vt optimè Sammarthani fratres obseruarunt aduersùs Crucium, [a] qui Capuanum vult seculo quinto sedisse, atque in Episcopatu antecessisse Boetium, cuius subscriptio in actis Synodi Aurelianensis primæ reperitur. Diuturnum fuit Capuani Pontificium. Id colligitur ex sancti Sacerdotis Lemouicensis Episcopi vita cuius fragmentum ex Guidone accipe. *Traditus est puer* Sacerdos *S. Capuano Cadurcensi Episcopo, viro inter Præsules Aquitaniæ præcellenti, vt eum litteris & Christianâ institueret disciplinâ, sic igitur nouâ dignitate, parentum nobilitate, dono regio, sanctique Præsulis ministerio dilectus Domini Sacerdos decoratus est in infantia. Transactis denique annis puerilibus, dum doctrinæ salutari insisteret, & pubescentes annos maturitate transcenderet, cœpit cunctos coætaneos suos virtutum præconiis præcellere. Vnde venerabili Capuano, sub cuius degebat magisterio, admodum charus erat, & ei semper assistens doctrinam quam ab eo hauriebat in suo pectore recondebat. Astutiam eius simplicitas commendabat, & vrbanum eloquium modestia temperabat. Cùm autem iam metas attingeret iuuentutis, in ipsa feruenti ætate cœpit castitatis amator existere, mundique delectamenta spernere. Memoratus autem Capuanus Episcopus per Angelicam admonitionem ordinauit eum Leuitam, post quam ordinationem cœpit magis virtutum iubare clarescere.* Agemus fusiùs atque accuratiùs de sancti Sacerdotis epocha, cùm ad illius Pontificatum peruenerimus.

[a] Num. 28.

IX.
LANDONIS EPISC REMENS. OBITVS.

Lando Remensis Episcopus, cui Coluenerius, Chenutius, Robertus & Sammarthani tribuunt annos quatuor in Præsulatu, vitam clausit pridie Idus Martias, hoc anno iuxta Chronologiam à nobis suprà stabilitam. Præcitatis autem Auctoribus, qui mortem illam seriùs in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum differunt, refragatur Flodoardus [b], qui testatur Landonem Episcopum fuisse *Sigiberti Regis tempore*. Ceterùm ipsius Landonis elogium accipe ex eodem Flodoardo. *Fuit Lando vir illustrissimus & multorum possessor prædiorum, quorum nonnulla iunxit Ecclesiæ, quædam verò propinquis suis distribuit. Sed & ea quæ trans Ligerim Remensis habuerat Ecclesia, & Felix Abbas quidam Ecclesiæ sancti Iuliani Martyris indebitè retinebat, apud Maiestatem Regiam legibus euindicata recepit, pro quibus iam anteà prædecessor eius Anglebertus Episcopus cum Gallo Aruernensi Episcopo coram Rege controuersiam habuisse reperitur.*

TESTAMENTVM

Hinc Lando Præsul Ecclesiam Remensem rerum suarum per testamenti paginam ritè fecit hæredem; & quæcumque aliis dedit personis vel Ecclesiis, eidem Ecclesiæ vel successori suo constituit dispensanda. Diuersorum siquidem sanctorum Basilicis diuersa delegauit donaria. Basilicæ sancti Remigij, vbi sepulturam fieri sibi delegit, villas & munera. Basilicæ sancti Gangerici & sancti Quintini, argenti varia dona. Item Basilicis atque matriculis Remis; sanctorum scilicet Timothei & Apollinaris. Item sancti Martini. Item sancti Nicasij. Item sanctæ Genouefæ. Monasterio quoque sanctorum Theodorici & Theodulfi. Item ad Basilicam sancti Germani, & matriculam ipsius. Item sancti Iuliani. Item sanctorum Cosmæ & Damiani. Item sancti Petri ad cortem. Item sancti Petri ad Monasterium puellarum. Item ad Basilicam sancti Symphoriani, quæ vocatur ad Apostolos. Item sancti Medardi, & sanctorum Crispini & Crispiniani. Item sancti Victoris. Item sancti Mauritij. Item sancti Basoli diuersa contulit donaria. Ecclesiæ quoque Laudunensi cu-

[b] Lib. 2. c. 6.

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLON. II. R. 12.

iusdam villæ portionem suam delegauit, & Basilica sanctæ Genouefæ ibidem constituta villam Appiam, cum omni re ad se pertinente tribuit. Turrim quoque auream, quam ad votum suum fabricari fecerat, super altare posuit Sanctæ Mariæ Remensis Ecclesiæ, & patenas tres, ac brachiale aureum.

X. NIVARDVS SVCCEDIT. [a] Flodoard. lib. 2. cap. 7.

Landoni subrogatus est Niuo seu Niuardus [a]. Hic intra ciuitatem Remensem Monasterium puellare, cui Boua Abbatissa præerat, initio sui Pontificatûs dedicauit, vt ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-septimum iam insinuauimus. *Priùs in aula Regis, vtpote vir illustrissimus, traditur conuersatus. In Episcopatu verò positus, emptis per diuersa loca tam fundis quàm domibus, necnon mancipiis dilatasse res inuenitur Ecclesiæ. Disposuit etiam nonnullas ordinatis coloniis villas Episcopy.*

XI. GEREMARVS ABBAS PENTALLI RECEDIT IN EREMVM.

Exeunte hoc anno Geremarus Abbas Pentalli in Diœcesi Rotomagensi pastorale munus abdicauit, & in desertum locum secessit. Petendæ eremi causa hæc fuit. *Erat in Monasterio multitudo maxima Monachorum, cui ad regendum Pater Geremarus constitutus erat. Erat illi consuetudo in primo galli cantu ad laudem Dei surgere, & vsque ad crepusculum lucis in Dei laudibus noctem peruigilem ducere, completo autem officio suo reuertens in dormitorium in strato suo collocare se consueuerat; hoc noscentes inuidiosi atque proterui, consilium inter se acceperunt, vt cultellum sub lectisternio ponerent, vt sanctus vir rediens ab Ecclesia super cultellum se cum impetu corporis iniiceret, & sic semetipsum interficeret; quod & fecerunt. Manubrium cultelli solo fixerunt, acumen ferri nudum in acris spatium erexerunt. More solito reuertens B. Geremarus ab Ecclesia ad lectum, Spiritu S. eum hortante, fecit hoc quod solitus non erat facere; non enim in consuetudinem habebat lectum tangere, sed cum toto corpore se in medium lecti iniiciebat. Tetigit manu lectum, & circumducens manum, inuenit quod erat absconditum. Statim vt sensit fraudem esse paratam, relicto lectulo reuersus est in templum amicus; quod supererat noctis, lachrymas fundens, in hymnis & laudibus Dei duxit, & mane primo rem qua ei contigerat nemini indicauit. Tertiâ verò horâ diei ante pedes omnium prostratus, vt à pastorali cura illum absoluerent, & meliorem quemcumque Patrem super se eligerent. Erat autem quædam crypta in vasto solitudinis super fluuium Sequanam, vnde S. Sanson serpentem eiecit, hanc petebat vt ad habitandum concederent. Victi petitionibus cryptam quam petebat ei concesserunt. Relinquens autem Monasterium B. Audoeno abiit ad prædictum locum.* Hæc Author vitæ, qui posteà testatur Geremarum ibi mansisse *annis quinque & mensibus tribus*, donec Flauiacum adiit ineunte, vt probabimus, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto.

XII. TRANSLATIO SANCTORVM CRISPINI ET CRISPINIANI. [b] Mart. Gall. [c] Ap. Duchesn. tom. 1. S. DRAVSII PRIMORDIA.

Ansericus Suessionensis Episcopus hoc anno, qui literâ Dominicali D præditus fuit, corpora sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani, euocatis sanctissimis Præsulibus, Audoeno Rothomagensi, Farone Meldensi & Eligio Nouiomensi, ex loco vbi diu abdita post agonem iacuerant, ad Basilicam à se eorum nomine dedicatam, magna cum veneratione transtulit octauo Idus Martij, quo die [b] celebris est huius Translationis memoria. Tunc inter Clericos Suessionenses & Anserici discipulos enitebat Drausius, cuius primordia sic laudat Author [c] vitæ. *Hic sanctus vir Drausius non solùm superbo satus sanguine satis spectabilis lineam generositatis traxit de parentum nobilitate, verùm etiam ipsam ingenuitatem in seruilem redactam conditionem Deo subdidit sponte. Pater eius Leudomarus est nuncupatus, vir sagax & industrius; genitrix verò est vocitata Rachildis, matrona admodum nobilis & Deo in omnibus amabilis,* &c. *Parentes eius videntes eum tam miris morum virtutibus excellere, decreuerunt eum inclyto viro & Patri Anserico Suessionensis ciuitatis quondam Episcopo ad educandum tradere.* De illius Pontificatu agemus suo loco.

XIII. Eligius non tantùm interfuit prædictæ Translationi sanctorum Crispini & Crispiniani, sed & thecam elaborauit, in qua beatorum illorum Martyrum reliquiæ collocarentur. Eodem etiam honore prosecutus est sanctum Lucianum, qui Bellouacensem populum Christianam religionem edocuit. *Suessionis ciuitate,*

ciuitate, inquit Audoenus, *Sanctos Martyres & germanos Crispinum & Crispi-* AN. CH.
nianum ex quadam crypta prolatos mirificè composuit, eorúmque memoriam insigni 649.
*ornamento decorauit. Necnon & Beluacus * municipio beatum Martyrem Lucia-* SIGIB.
num, collegam quoque Sancti Quintini, inuentum similiter fabricauit atque com- III. R. 17.
posuit. Atque ita singulari prorsus dispensatione à Deo felicissimè eum illo CLOD.
actum est, vt non suarum modò Diœcesum Nouiomensis ac Tornacensis, sed II. R. 12.
vicinarum quoque, putà Suessionensis & Bellouacensis, Apostolos ac Patro- * Beauuais.
nos humo eleuaret, insigníque cultu veneraretur.

Crispinus & Crispinianus sanctorum Quintini & Piatonis socij fuerunt. XIV.
Martyrium consummarunt sub Diocletiano & Maximiano Augustis. Horum encomium tale reperitur in Tabulis Ecclesiasticis. *Octauo Kalendas Nouembris, Suessione in Gallia Sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani, nobilium Romanorum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiouaro Præside post immania tormenta gladio trucidati, coronam Martyrij consecuti sunt.*

Lucianum non tantùm sancti Quintini collegam, vt Audoenus loco proxi- XV.
mè citato vocauit, sed etiam Bellouacensem Apostolum probant Acta sancti
Quintini [a]. *Sanctus Quintinus relicto mundialis Monarchiæ loco, Galliis se intu-* [a] Ap. Surium
lit, & cum beato Luciano Ambianos vsque peruenit, sed sancto Luciano Bellouacen- die 31. Oct.
sium vrbem adeunte beatus Quintinus agonis sui tempus expectans Ambianis resedit. Et paulò pòst. *Beatus verò Quintinus & Lucianus ieiuniis & orationibus instantes, agonum suorum certamina Domino commendabant, & laborum suorum studia, vt à Domino dirigerentur, cunctis nisibus implorabant. Igitur tempore illo Imperatoria sceptra gerentibus Diocletiano & Maximiano tanta in Christiani nominis religionem exarsit inuidia,* &c. Acta sanctorum Crispini & Crispiniani Lucianum sancti Quintini socium æquè constituunt his verbis. *Sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, qui vnâ animi impietate Christi Ecclesiam oppugnandam suscepere, beati viri, Quintinus, Lucianus, Ruffinus, Valerius & Eugenius, Roma claris orti natalibus in Gallias Christum annunciaturi sese contulerunt, felicíque Martyrio sancti laboris cursum consummantes ad Christum commigrarunt. Eos secuti pari fidei deuotione & generis splendore Crispinus & Crispinianus Suessiones venerunt.* Apud Vsuardum de Luciano & sodalibus Maximiano ac Iuliano hæc leguntur. *Sexto Idus Ianuarij, Beluaci Sanctorum Martyrum Luciani Presbyteri, Maximiani & Iuliani, quorum Maximianus & Iulianus primò à persecutoribus gladio puniti sunt: deinde beatus Lucianus post nimiam cædem cùm Christi nomen viuâ voce confiteri non timuisset, priorum sententiam & ipse excepit.* Eadem habet Martyrologium Romanum, nisi quòd Dionysium Luciano comitem itineris ex Italia in Galliam adiungit. *Bellouaci in Galliis Sanctorum Martyrum Luciani Presbyteri, Maximiani & Iuliani, quorum duo vltimi à persecutoribus gladio perempti sunt: Beatus autem Lucianus qui cum Sancto Dionysio in Galliam venerat, post nimiam cædem cùm Christi nomen viuâ voce confiteri non timuisset, priorum sententiam & ipse excepit.* Apud Vsuardum idem Dionysius Piatoni, qui Luciani comes fuit, socius attribuitur Kalendis Octobris. *Ciuitate Tornaco, passio Sancti Piatonis Presbyteri, qui cum beato Dionysio eiúsque sociis ab vrbe Roma Galliam prædicationis causâ expetiit, ac posteà consummato Martyrio migrauit ad Dominum.* Molanus summoto Dionysio Quintinum publicauit, & in Natalibus Sanctorum Belgij, Kalendis Octobris in elogio sancti Piatonis hanc rationem reddidit, *quòd improbentur qui Dionysium sub Diocletiano dicunt Parisios adiisse.* Verùm de Dionysio nihil habemus hic inquirendum, neque enim nomen illius apud Audoenum auditur in Eligij Gestis de quibus nunc agimus. Bellouacenses Lucianum, qui in Martyrologiis suprà recitatis Presbyter tantùm vocatur, vt Episcopum pingunt coluntque more plerisque populis vsitato, vt quos suæ gentis Apostolos agnoscunt, hos tanquam Episcopos venerentur teste Mola-
no [b]. Maximianus & Iulianus patriâ Galli fuerunt, ad fidem Christianam à [b] Die 16 Ian.
Luciano perducti. Maximianus promotus est ad Presbyteratum, ad Diaconatum Iulianus. Extat sancti Maximiani siue Messiani nomine Prioratus medio

AN. CH. milliari à Sancti Luciani Abbatia prope Bellouacum, eóque loco putantur trucidati, vt in Historia Bellouacensis scribit Loiselius [a].

649. Hoc anno Madelgarius fundamenta iecit Altimontensis Monasterij. Vt
SIGIB. ita sentiamus hortantur Vrsio [b] in itineratione sancti Marcelli Papæ & Ano-
III. R. 17. nymus [c] in vita sancti Gisleni Confessoris. Initia prædicti Cœnobij seriùs
CLOD. differri vix possunt, Vrsio enim asserit sancti Marcelli reliquias in Altimon-
II. R. 12. tense Monasterium delatas fuisse *concessu Martini Papæ*, qui sedere cœpit hoc
[a] Cap. 3. anno, & quadriennio nondum expleto Româ pulsus est. Eadem autem in-
XVI. cunabula Cœnobij citiùs anticipanda non videntur, quia teste Vinchantio [d]
[b] Ap. Bolland. d. 16. Ian. Madelgarius in extruendis ædificiis tres annos insumpsit, tum Ecclesiam
[c] Ap. Sur. d. 9. Oct. Deo in honorem Principum Apostolorum ab Autberto Cameracensi Ponti-
COENOBII fice dedicandam curauit, ac modico interuallo temporis interiecto Mona-
ALTIMONT. chum in eodem loco induit, id verò non præstitit ante annum Christi sex-
INITIA. centesimum quinquagesimum-tertium, quo beatus Amandus Româ reuersus
[d] L. 3. c. 10. est in Belgium Episcopatu Traiectensi dimisso, sic enim in vita sancti Gisleni loquitur Anonymus. *Cùm Deo & hominibus charus Amandus Episcopus, quem triennio ferè inuitum tenuerat Traiectensis Episcopatus, visitandi & consolandi gratiâ veniret ad beatum Gislenum, & ab eo honorificè susceptus, more suo optimis sermonibus, eorum qui aderant animos recreasset, iámque ab illis deduceretur Elnonem proficiscens, Beatus Gislenus multo cœpit mœrore affici, quòd vir Sanctus nihil alimoniæ illic accepisset.* Et paulò pòst. *Absolutâ Oratorij structurâ, rogante Beato Gisleno, sanctissimi Pontifices Amandus & Autbertus in honorem Apostolorum more Ecclesiastico illud celeberrimè dedicarunt. Eâ dedicatione peractâ, populo salutari prædicatione pasto, & in fide corroborato, impensâque Episcopali benedictione, quisque ad sua reuersus est. In iis quidam Comes illustris Madelgarius, prædicantibus Episcopis, corde compunctus est, & fallacissimo mundo nuncium remittens, Autberti Episcopi manibus tonsus est, & in Alto-monte Monasticum indutus habitum inclusus, sanctè vixit vsque ad obitum suum.*

XVII. De situ & initiis Altimontensis Monasterij sic Vrsio. *Est locus super fluuium*
SITVS. *Sambram nuncupatum situs, à parte non à toto (neque enim adeò eminens est) Altusmons dictus quem illustrat Cœnobium formosæ antiquitatis, &, vt conijci datur ex vestigiis antecessorum, antiquæ nobilitatis. Siquidem metatâ ab Angelo eiusdem templi mensurâ, Vincentius Madelgarius potenter laborauit in eius structura.* Fusiùs Chronographus Cameracensis. *Nec prætercam vicum, quem Altum Montem dicunt, nec immeritò sic nominatum, cùm Beatus Vincentius cum multis viris religiosis qui cum eo fuerant, suâ conuersatione reddiderit sublimatum. Porrò iste Vincentius Comes egregius, Sanctæ Waldetrudis maritus, iuxta quidem secularem eminentiam & rebus & genere potentissimus, eruditione tamen & crebris monitionibus Beati Autberti Pontificis Cameracensis informatus, secularis militiæ pompam procul abhorruit, Deíque obsequiis mancipare se potiùs æstimauit. Igitur cùm de loco suæ conuersationis expetendo sollicitus curam gereret, non defuit diuina pietas, sancti viri desiderium completura. Nam quadam nocte pluit Dominus niuem, & omnem regionem circùm & circà nineo rore respersit, excepto paullulo loci, quod in supradicto vico, in modum videlicet crucis, respergendum reseruauit. Quod vir Dei suo desiderio cælitus contigisse altiore consilio intellexit, diuinóque indicio certior factus, mox*
XVIII. *eodem loco Monasterium ex proprio sumptu fundauit.*

[e] Ap. Sur. d. 15. Iun. His circiter temporibus, Landelinus, vt Auctor vitæ scribit, [e] *diuturnâ*
LANDELIN. *excoctus pœnitentiâ*, quam sub habitu seculari agebat in Monasterio, *statuit*
FIT CLER. *mundi à se negotia omnino reiicere vt posset liberiùs cælestia cogitare. Rogat igi-*
XIX. *tur Beatum Autbertum* Cameracensem Episcopum, *vt se tondeat, & militiæ*
FVRSEVS *cælestis chlamydem induat. Lætatur sanctissimus Præsul, comam capitis eius secat,*
EMINIANVM *à quo iampridem cordis maculas deterserat.*
ET ALIOS SVSCIPIT EX HIBERNIA.

Hoc anno Eminianus siue Æmilianus & alij, qui Furseo Abbati, de quo fusè anno priori disseruimus, cognati & amici erant, ex transmarinis partibus Latiniacum venerunt. *Hymno dicto, S. Furseus*, inquit vetustior Ano-

AN. CH. 649.

SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

AMICVS FIT S. ILDEVERTO.

nimus in libro de illius miraculis, *Latiniacum suis manibus construxit. Beatus quoque Erchenaldus Perronam cum festinatione properauit. At non multò pòst audientes hæc transmarini, cognati atque amici, simul cum S. Eminiano accelerauerunt venire ad sanctissimum virum Furseum. Qui eos honorificè suscipiens, & simul cum eis manibus operans magnoperè construxit illum locum.* Dum Furseus Latiniaci morabatur, familiaris ei fuit Ildeuertus Faronis discipulus ac deinde in Episcopatu Meldensi successor, & pietas Francorum in id sedulò incubuit, vt non solùm alimentis Monachorum nihil deesset, sed etiam vt eisdem omnia diuini cultûs ornamenta, & multa numero, & pretio ac splendore magnifica suppeditarentur. *Ex quibus*, ait Desmaius, *sola iam restat casula, quâ vir Dei sacrosancta mysteria peragebat. Nam cappas duas, quas nouem sæcula tantâ curâ ac reuerentiâ custodierunt, nuperus Caluinistarum furor, ne sectæ ac religionis suæ nouitatem tanta antiquitas redargueret, ignibus absumpsit.*

XX.

S. FVRSEVS ÆGROTAT.

Hoc eodem anno, vt liber ab Auctore coætaneo de miraculis Sancti Fursei scriptus docet, *contigit ei vt reuerteretur in Saxoniam visitare proprios germanos suos, id est, Foillanum & Vltanum, quos dimisit ad regendum suum Monasterium*, nempe Cnoberesburch in Anglia. *Qui in sua relinquens sede Eminianum virum sanctum curam gregis* scilicet Latiniacensis *agere, iter accelerabat. Veniens igitur in prædictam traditionem Haimonis Ducis, vocabulo Macerias, Sanctus Domini infirmitate corripitur.* Idem Auctor in altero libro quem de vita eiusdem Sancti composuit, ait eum diu iacuisse ægrotum, & virorum nobilium atque ipsius Regis Clodouei visitatione frequentatum fuisse. Agemus de obitu sub initium anni sequentis.

XXI.

THEOD IV. DVX BOIOARVM.

Tunc florebat Dux Boiorum Theodo Quartus, cuius Præfecturam plurimùm illustrauit aduentus insignium virorum. In his annumeratur Beatus Emmerammus, cuius patria, dignitas, ætas, encomiastæque hodie controuertuntur.

XXII.

S. EMMERAMMI VITA.

Cirinus Frisingensis Episcopus, qui temporibus Caroli Magni sedit, vitam Sancti Emmerammi primus conscripsit. Illius opus ab Arnolfo Comite *de Cham & Vochburg* Monasterij Sancti Emmerammi Præposito sic commendatur [a] in literis ad Purchardum Abbatem eiusdem Cœnobij. *Admodum amaricabar in gestis videlicet domesticis clarissimi Patroni nostri Emmerammi Martyris dudum à quodam, qui se Cirinum & Heredem nominat, Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, vt puto rectè scriptis, ante nos autem maiorum negligentiâ deprauatis.* A Laurentio Surio publicatum [b] est stylo passim nonnihil mutato, paucisque omissis, quæ deprauatè scripta intelligi non potuere. Meginfredus Parthenopolitanus seu Magdeburgensis Præpositus librum edidit *de vita & virtutibus B. Emmerammi* rogatus à prædicto Arnolfo. Duos libros *de miraculis B. Emmerammi & de memoria cultorum eius* idem Arnolfus composuit. Vtramque lucubrationem Henricus Canisius Tomo secundo antiquæ Lectionis in lucem emisit. Ætas Meginfredi & Arnolfi colligitur ex eiusdem Arnolfi literis iam laudatis. Inscribuntur hæ literæ Purchardo Abbati. *Domino Purchardo ad optima quaque haud tardo, pro paterna quidem dignitate reuerendo ac plurigenâ probitate diligendo, Arnoldus siue* Arnolfus *adprimè sibi vtpote Abbati, exin cæteris merito suppositus, veruntamen rebus Monastery præpositus, quidquid fidelis domino seruus, seu magistro discipulus.* Arnolfus in Saxoniam profectus Meginfredi Præpositi Magdeburgensis amicitiam sibi conciliauit. Itineris à se suscepti causam sic exponit in iisdem literis. *Admodum amaricabar in gestis videlicet domesticis clarissimi Patroni nostri Emmerammi Martyris dudum à quodam, qui se Cirinum & Heredem nominat, Frisingensis Ecclesiæ Episcopo, vt puto rectè scriptis, ante nos autem maiorum negligentiâ deprauatis. Quæ cùm, Abbate id petente, fieri quoque permittente, simplici animo emendare vellem, & in confusionem loci nostri diutiùs incorrecta stare nollem, consurgunt aduersùm me quorundam animi fratrum dicentium, haud æquum, à me dictis antiquitatis quid addi vel minui, maximè cùm hæc peritiores ac perfectiores omiserint. Quibus*

[a] Ap. Canis. Tom. 2 antiq. Lect.

[b] D. 22. Sept.

SCRIPTA A MEGINFREDO PRÆPOSITO MAGDEBVRG.

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

videtur probum me aptè sic temperare responsum. Quare illi hoc fecerint, immò quod vtile fuit in hac parte non fecerint à vilitate mei temerarium est discussum iri. Hoc tantùm dixerim pace eorum & omnium bonorum, quia non solùm nouis vetera licet mutare, sed etiam, si sint inordinata, penitus abiicere, sin verà ordinaria, sed minùs vtilia, cum veneratione sepelire. Et quia dispensatione diuinâ à præcedentibus multa relinquuntur sequentibus, in quibus possint mereri alicuius aut admissionem aut remissionem peccati. Quod cauendum huiuscemodi simplicitate, seu, quò veriùs dicam, stoliditate, etiam rustici nos manent, qui peccare illos putant, qui arbores succidant, in quibus pagani augurari solebant. Quid plura? Cedens æmulis ad tempus, per Abbatis imperium abripui me in Saxoniæ exilium, portans mecum in libello suo Sanctum Emmerammum, qui suum me voluit esse seruum. Ibi me simulanda scire, quod nescia, Meginfredum Parthenopolitanum Magistrum, pauculis beneficiis, paraui mihi amicum. Arnolfus, vbi Meginfredum sibi amicum nouit, statim ab eo postulauit, vt nouum librum de vita sancti Emmerammi cuderet, eo enim consilio amicitiam illius ambiuerat. *Hunc*, inquit, *cùm audirem frequenter disputare sapienter, mirabar eius ingenium, ex quo & ipse agnouit meum studium. Inter familiares autem consermocinationes, stylum eius agnoscens, & propositum fixum animo tenens, postulaui ab eo, quò pro pignore amicitiæ nouum patrono nostro librum minùs pigritaret cudere. Quod cùm ille renueret, quasi suæ non esset possibilitatis, & ego opponerem debitum caritatis, ipse verò maiori excusatione nostrû id meliùs assereret conuenire, & è contrario referrem, penè esse naturale ciues ciuibus inuidere, tandem victus voluntati meæ, imò B. Emmerammo, animum substrauit.* Meginfredus Arnolfi postulatis annuit, opus tamen ante triennium haud absoluit, inchoauit illud Henrico Imperium Romanorum obtinente, confecitque Conrado Augusto, Henrico Conradi filio Rege, Gebehardo secundo Ratisponensem Ecclesiam administrante, & Purchardo præfecturam Monasterij sancti Emmerammi iam adepto. Sic enim suas ad eundem Purchardum literas persequitur Arnolfus. *Vt autem acceleraret me rogante, respondit serenâ fronte, summâ diligentiâ in laribus probandum quod extra parietes multarum oculis foret præsentandum. Hac, vt opinor, occasione tribus annis opus mihi charissimum remansit imperfectum, dum temporibus Henrici Augustissimi esset cœptum. Regressus ergo ad Monasterium è Saxonia, ferebam mecum beatissimi Martyris hymnum, quem mihi pro arrabone libri saltem vel versiculum poscenti, præfatus Magister metro composuit Saphico. Demùm Chuonrado imperante & nihilominùs Heinrico filio eius regnante, Gebehardo autem secundo Ratisponensem Ecclesiam regente, in aduentu vestro, sæpissimè optatus atque diu expectatus venit libellus.* Hi Characteres certam & indubitatam epocham constituunt. Meginfredus lucubrationem suam auspicatus est anno Christi millesimo vicesimo-quarto ante diem decimam-tertiam Iulij, cùm superstes adhuc in viuis esset Henricus Imperator cognomento Sanctus, transmisitque in Bauariam anno Christi millesimo vicesimo-septimo post Pascha cùm Conradus cognomento Salicus Imperatoris & Augusti titulum iam assumpsisset. Obiit enim Henricus Imperator tertio Kalendas Iulias anno Christi millesimo vicesimo-quarto, de successore mox actum in comitiis, electúsque in Regem Conradus, qui Romam profectus anno Christi millesimo vicesimo-septimo coronatus est Imperator septimo Kalendas Apriles. Hæc constant ex vita Conradi Salici, quam Wipo Presbyter synchronus exarauit. *Anno ab Incarnatione Domini millesimo* XXIIII. *Imperator Heinricus Secundus, benè compositis Imperij rebus, cùm iam post longum laborem maturum fructum pacis metere cœpisset, Imperia incolumi, mente sanâ, corporis correptus est infirmitate, quâ inualescente,* III. *Idus Iulij hanc vitam excessit.* Et infrà. *Inchoante anno Natiuitatis Christi* MXXVII. *Rex Chuonradus in Iporegia ciuitate Natalem Domini celebrauit*, &c. *Rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno, vt suprà, id est, à Natiuitate Saluatoris* MXXVII. *Indictione decimâ, à Papa Ioanne & vniuersis Romanis, Regio honore mirificè receptus est, & in die sancto Pascha, qui eo anno* VII. *Cal. Apriles terminabatur, à Romanis ad Imperatorem electus, Imperialem benedictionem à Papa*

suscepit. Ex Arnolfi textu suprà recitato colligere est Henricum electum fuisse in Regem eodem anno quo Conradus eius pater coronatus est Imperator; nec audiendi sunt qui Regem creatum volunt anno sequenti, citántque Wiponem qui hodie eo loco non caret mendâ, vt Lector facilè iudicabit. De Gebehardo Ratisbonensi Episcopo nulla est difficultas, nominatur enim à Wipone inter Episcopos qui comitiis Germaniæ post mortem Henrici Augusti cognomento Sancti celebratis interfuerunt, & in Ratisbonensium Episcoporum catalogo, quem Wiguleus Hundius *à Sultzemos* Tomo primo Metropolis Salisburgensis inseruit, ita laudatur. *Gebhardus secundus, Canonicus Augustensis, successit Gebhardo primo, anno* 1023. &c. *Præfuit annis* 13. *Obiit anno* 1036. Hic autem Auctor Tomo secundo Chronologiam Abbatum sancti Haimerani siue Emmerammi nonadeò rectè instituit, Purchardum enim siue vt vocat Burckardum, quem Arnolfus docet Abbatem iam fuisse anno Christi millesimo vicesimo-septimo, cùm Meginfredus è Saxonia libellum suum de vita sancti Emmerammi Ratisbonam transmisit, vult factum fuisse Abbatem anno Christi millesimo tricesimo. AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

XXIII. Ante Purchardum seu Burckardum Abbas sancti Emmerammi fuit Hartwicus, ante Hartwicum Richoldus. Administrationem Monasterij gessit Richoldus annis duobus ac viginti, mense vno, diebúsque duodetriginta; Hartwicus anno vno, mensibus decem, diebúsque viginti & octo. Ad Richoldi Abbatis tempora referri debet duplex Arnolfi profectio, prior in Pannoniam, posterior in Saxoniam. De posteriore præter ea quæ suprà retulimus, nihil scribit. De priore sic loquitur. *Erat quædam necessitas, pro qua in Pannoniam me direxerat meus Abbas.* Deinde narrato periculo, *quod in profundus Danubij decursibus apud Pogicam charybdin* incurrit, euasitque implorato sancti Emmerammi auxilio, sic commendat humanitatem quâ susceptus fuit ab Anastasio Archiepiscopo. *Mox nauis ceu aliquo minitante tremefacta, & interitûs puteo eiecta, renatabat nemine ducente, immò Domino regente. Tum cursu prosperato tertiâ die aduehebar Pannoniæ solo. Quâ me Anastasius Archiepiscopus cæteris suscepit humaniùs & affatur familiariùs. Is cùm beati Emmerammi veterem illum & vitiatum legeret librum*, à Cirino scilicet Episcopo Frisingensi compositum, *materiam probauit cum sententiis, sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis.* Vt autem nihil desiderare possis ad comprobandam ætatem Meginfredi, qui vitam sancti Emmerammi retulit in literas, obserua quis ille fuerit Anastasius Archiepiscopus Pannoniæ, quem Arnolfus posteà non Archiepiscopum sed Episcopum sic appellat. *Memoriæ Sanctissimi Patroni* Emmerammi *Antiphonas aliquantas cum Responsoriis composui, non tam fretus ingenio, quàm dedito laudibus Martyris animo. Has præfatus Episcopus* Anastasius *Monachos & Clericos suos fecit discere, & in Ecclesia die ipsius natali publicè celebrare.* In vita sancti Stephani primi Regis Hungarorum, quam Chartuitius Episcopus Colomannô eorumdem Hungarorum octauo Regi dicauit, plurimùm commendatur Astricus, alio nomine Anastasius. Hic rexit primùm cum Abbatis titulo Cœnobium, quod in sancti Benedicti honorem *ad radices Montis ferrei* in Hungaria construxit, posteà ex Abbate factus est primus Episcopus Colocensis, iterque Romam anno Christi millesimo primo suscepit. *Stephanus*, inquit Chartuitius, *prouinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum Metropolim & Magistram esse voluit Ecclesiam Strigoniensem. Non ignorans autem vir prudens Astrici Abbatis religionem, Episcopum eum Colocensem constituit, canonicâ electione creatum. Deinde quarto à patris obitu anno diuinitus permotus, eundem Astricum Præsulem, qui etiam Anastasius dictus est, ad Sanctorum Apostolorum limina misit; à Petri Apostolorum Principis successore petiturum, vt recens conuersæ Pannoniæ largam benedictionem impertiret, Strigoniensem Ecclesiam suâ authoritate Metropolim constitueret, reliquos Episcopatus suâ benedictione muniret.* Profectionem illam consignamus anno Christi millesimo primo, quia, teste eodem Chartuitio, Geisa Dux Hungarorum, Stephani Regis pater, *anno à Christo nato nongentesimo*

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

nonagesimo-septimo vita huius ærumnas cum cælestibus gaudiis commutauit. Anastasius Romá reuersus Metropolitanam Ecclesiam Strigoniensem triennio rexit. Rationem idem Auctor sic reddit. *In Monasterio Sancti Martini erat Monachus quidam, Sebastianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religiosa deuotio habebatur. Eum Stephanus miro cœpit amore complecti (quantò enim quisque esset religiosior, tantò illi quoque charior erat) atque ob vitæ eius merita dignum eum censens, qui Episcopi dignitate polleret, Strigoniensis Ecclesiæ Archiepiscopum eum esse voluit. Sed quia flagellat Deus omnem filium, quem recipit, Sebastianum illum, vt eius patientia probaretur, ad tempus vtriusque luminis orbitate afflixit. Ne verò nouellus grex, Pastoris gubernatione destitutus à recto itinere deflecteret & aberraret, Romano Pontifice assentiente, Astricum Colocensem Episcopum, cuius iam crebrò est habita mentio, in eius locum Rex substituit. Triennio inde euoluto, Sebastianus ex Dei benignitate recuperauit visum, & Pontifice Romano approbante Astricus cum Pallio rediit ad suam Colocensem Ecclesiam, Sebastianus Strigoniensem gubernandam recepit.* Hinc factum, vt plerumque Anastasius vocetur Strigoniensis Archiepiscopus, quamuis Colocensem Ecclesiam ad finem vsque vitæ administrarit. *Ex eo porrò*, inquit Melchior *Inchofer* [a] in Annalibus Ecclesiasticis Regni Hungariæ, *quòd cum Pallio redierit, facile est colligere ipsum Archiepiscopi titulum semel adeptum retinuisse, aut certè eâ occasione transtulisse, vt hoc tempore & hac Colocensis Ecclesia, secunda post Strigoniensem, eo titulo & priuilegio, erecta gauderet.* Hic Auctor obitum Sancti Anastasij consignauit anno Christi millesimo tricesimo-quarto, deinde mutatâ sententiâ rejecit in annum Christi millesunum quadragesimum-quartum. Præstat posterior sententia, quia Sanctus Anastasius *piè obdormiuit die Nouembris duodecimo, feriâ secundâ, postridie Martini Sabariensis, quem totius Hungariæ suúmque Tutelarem vnicè coluerat.* Mensis autem Nouembris dies duodecimus, cui præfigitur litera A, coincidere non potest cum feria secunda, nisi per illum mensem currat littera Dominicalis G, vt contigit anno Christi millesimo quadragesimo-quarto, qui præditus fuit literis Dominicalibus A, ante bisextum, & G post bisextum; annus verò Christi miliesimus tricesimus-quartus non fuit bisextilis, habuitque solam literam Dominicalem F. At siue anno Christi millesimo tricesimo-quarto, siue anno Christi millesimo quadragesimo-quarto Sanctum Anastasium ex hac vita sublatum credas, illum necesse est fatearis synchronum Meginfredo, qui librum de vita Sancti Emmerammi, rogante Arnolfo, composuit.

[a] Ad ann. 1002.

XXIV. ET A CIRINO EPISCOPO FRISINGENSI.

Citinum cui nomen Aribonis tribuunt, & Meginfredum in epitomen redegerunt Brunnerus & Adlzreitterus, questique iam sunt quædam nimis crudè scripta esse ab ipso, vt vocant, Aribone Episcopo Frisingensi, qui Meginfredum aliósque in errorem induxerit, vt post triennium obseruaturi sumus. At quia Cirini nomen in Frisingensium Episcoporum catalogis non inueniunt, illum cum Aribone successore perperam confundunt. Apud Wiguleum Hundium quatuor primi Frisingensium Episcopi recensentur hoc ordine, Sanctus Corbinianus Erimbertus, Ioseph, Aribo. Inter Iosephum autem & Aribonem medius reponi debet Cirinus, ídque ex manuscripta S. Heimeramni vita, quam Lucas Dacherius nobis communicauit, liquidò constat. Auctor enim istius vitæ decessorem suum Iosephum séque Cirinum vocat. *Prædecessori*, inquit, *nostro beatæ memoriæ Iosepho Episcopo, cui Deo authore, successi in honore*, &c. Et paulò pòst. *Quæ deprompsimus pro reuerentia S. Martyris & veneramur, ipsúmque Deum deuoti supplicamus, vt misero subueniat Cyrino peccatori.* Quapropter apud Surium anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo-quarto editum præfigitur hic eidem vitæ titulus. *Vita Sancti Heimeramni vel Emmerammi, Ratisponensis Episcopi & Martyris, ab Cyrino æquè Ratisponensi Episcopo ante multa secula conscripta. Stylum F. Laurentius Surius passim nonnihil mutauit, paucis omissis, quæ deprauatè scripta, intelligi non potuere.* Questiones autem super hoc titulo moueri possunt duæ; prior, an

Emmerammus Ratisponensis Episcopus fuerit; posterior, an Citinus Episcopis Ratisponensibus sit accensendus. Priorem post triennium examinabimus in obitu sancti Emmerammi. Posteriorem paucis hoc loco enodabimus. Surium, vt Cyrino Ratisponensem Pontificatum attribueret, duæ res impellere potuerunt ex ipsamet Emmerammi vita desumptæ. De Gaubaldo enim seu Gauuibaldo vel Garibaldo Episcopo sic Cyrinus. *Erat autem ordinator rei infra Ecclesiam venerabilis Dei cultor Gauuibaldus Episcopus, qui in his diebus ciuitatis Radasbona regebat Pontificatum, cum Presbyteris & Diaconibus, quorum multi adhuc superfunt.* Et infrà de puella, quæ cùm cibum sumere nec vellet nec posset, Iosepho Episcopo ipsius Citini decessori oblata est. *Puella in nostris subiacentibus Diæcesibus, primo diluculo egressa*, &c. *Dum se minimè proficere parentes eius viderent, dimiserunt inito ab his consilio, vt eam Summo præsentarent Pontifici, cuius sub cura pastorali fuerat constituta. Quæ prædecessori nostro beatæ memoriæ Iosepho Episcopo, cui, Deo authore, successi in honore, præsentata est.* Gaubaldum Ratisbonensem Episcopum fuisse non inficiamur, sed textus suprà recitatus, quo Gaubaldus laudatur, nullum suppeditat argumentum, vnde concludas Cirinum inter Gaubaldi successores annumerandum esse. Cirinus duo tantùm docet in illa periodo; Gaubaldum Ratisbonensibus infulis redimitum fuisse, vitámque sancti Heimeramni à se scriptam esse, cùm multi ex Presbyteris & Diaconis, qui eidem Gaubaldo Ratisbonensi quondam Episcopo ministrauerant, in viuis adhuc superstites essent; se verò nec Ratisbonensibus Episcopis nec Gaubaldi successoribus accenset. Surius alterum textum deprauauit, expunctis enim illis vocibus *puella in nostris subiacentibus Diæcesibus*, hasce reposuit *puella quædam Diæcesis sancti Martyris*, sicque asseruit quandam puellam, quæ *Diæcesis* erat *Sancti Martyris* Heimeramni, à parentibus oblatam fuisse *Iosepho Episcopo*, ipsius Cyrini decessori, *cuius sub cura pastorali fuerat constituta*. Vnde Lector statim colligit Iosephum eiúsque successorem Cyrinum ad eum promotos Episcopatum, quem sanctus Heimeramnus antè gesserat, id est, ad Ratisbonensem ex Surij sententia. Sed Heimerammus nec Ratisbonensem Episcopatum nec vllum alium in Boioaria suscepit, vt infrà probabimus, & apud Cyrinum hæ voces, *in nostris subiacentibus Diæcesibus*, parœcias Episcopatus Frisingensis à Cyrino Episcopo administrati significant, in quarum numero est parœcia vbi sanctus Heimeramnus Martyr occubuit. Quam sententiam non parum confirmant quæ sequuntur. Addit enim Cirinus quemdam puellæ parentibus id consilij dedisse, vt eam ad sancti Emmerammi corpus Ratisbonam adducerent, illósque noluisse propter laboris & itineris difficultatem, assensos tamen vt ad venerabilem locum perducerent in quo beatus Pontifex gloriosum Martyrium consummauit. *Cuidam autem per diuinam inspirationem secreto cordis reuelatum est, vt eam ad beati Martyris Dei Ecclesiam deducerent. Qui dum ex difficultate & itineris prolixiore spatio ad beati Dei Martyris corpus adducere recusassent, tamen ad venerandum locum, vbi Pontifex beatus gloriosum consummauit Martyrium, perduxerunt.* Sanctus Emmerammus spiritum Deo reddidit in campo, qui iacet inter Isaram * & Oenum * fluuios, distátque tribus milliaris à pago cui nomen *Aschaim*. Loca illa sunt in Episcopatu Frisingensi. Erectus est autem Episcopatus Frisingensis octauo seculo. Primus Episcopus Frisingensis fuit sanctus Corbinianus. Sancto Corbiniano successit Erimbertus, huic Iosephus, quem alij volunt annos sedisse tres, alij verò tredecim, ídque dissidij facilè componi potest saluâ decessorum successorúmque Chronologiâ, si Iosepho Episcopo tres anni, Cyrino, quem Nomenclatores omittunt, anni tribuantur in Episcopatu decem. Ceterùm illud decennium Cirini Pontificis, vt suo loco probabimus, in Principatum Pippini Regis cadit. Nec ipsemet Cirinus in vita sancti Emmerammi recedit ab hac computatione. Scribit enim de hero quopiam, quòd captiuum, nisi vxorem accipiat, traditurus sit *genti Saxonum quæ tot idolorum*, &c. Et Surius ad marginem notat *Historiam hanc*, quæ Saxonum adhuc

AN. CH. 649.
SIGIB. III. R. 17.
CLOD. II. R. 12.

* *L'Iser.*
* *L'Inn.*

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

idololatrarum meminerit, *scriptam ante Carolum Magnum*. En igitur Episcopatus & ætas Cirini, qui Gesta sancti Emmerammi primus literis commendauit.

XXV. PATRIA. Ab illius patria lucubrationem suam sic orditur. *In Aquitania partibus, Pictauis vrbs antiqua sita dinoscitur, ex qua ortus est puer vocabulo Heimerammus.* Genuinum Auctoris textum allegamus, quem ex Codice Duchesniano descriptum Lucas Dacherius nobis communicauit. Cirino Meginfredus ita suffragatur. *Est in Aquitania partibus vrbs virorum illustrium titulis celeberrima, in qua B. Emmerammus sinu Christianorum parentum est nutritus.* Ab vtroque dissentit Auentinus in Annalibus Boiorum [a], vbi sic scribit. *Diuus Haimeranus Pictaniâ Noricorum vrbe, cuius Hieronymus meminit, oriundus fuit, quæ Colonia quondam Romanorum insignis, tunc municipium Boiaria erat, nunc in villas abiit.* At Cirinum & Meginfredum secuti sunt Brunnerus & Adlzreitterus. Nec dubium quin errarit Auentinus. Noricum enim Occasum versùs à Vindelicia disterminabat Oenus * amnis, qui dexteram Danubij ripam ad Patauiam * subit. Ergo trans Noricum erant sedes Hunnorum, cis Noricum Ratisbona, nec Emmerammo è Norico iter ad Hunnos habenti occurrebat Ratisbona, quam tamen adiit, cùm è natali solo ad Hunnos proficisceretur, vt dicetur infrà. Sunt & hoc loco apud Auentinum alij errores haud pauci. Vult enim Thassilonem seu Thessalonum secundum ad annum vsque Christi sexcentesimum quinquagesimum peruenisse, vitámque clausisse tribus relictis filiis, qui Boioariam hæreditario veluti iure tres in partes diuiserint. *Inter hæc*, inquit, *Thessalonus secundus fato concedit, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo. Tres eius filij, Theodo Quintus, Grimoldus & Theodopertus Tertius Boiariam in tres partes diuidunt. Theodo Reginoburgium, Nariscos, Vindeliciam sortitus est. Grimoldus Bathauiam, Laureacum, Iuuaniam, Vticum, Noricum Ripense, & contigua loca accepit. Ea pars Norici, quæ inter Oenum & Athesim amnes in montibus cubat, Theodoperto euenit.* At post Thassilonem Secundum, qui viuebat anno Christi sexcentesimo decimo-septimo, cùm Eustasius Abbas Luxouiensis iter in Boioariam suscepit, Boicæ præfecturam obtinuit Huchbertus, cuius temporibus Boicas Leges Dagobertus Rex absoluit vulgauítque. Deinde Huchberto in administrationem Boioariæ successit Theodo Quartus, qui sanctum Emmerammum ante annum Christi sexcentesimum quinquagesimum excepit, imò ducatum seu præfecturam gessisse legitur anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto, cùm beatus Vitalis Iuuauensis seu Salisburgensis Episcopus ad Deum feliciter migrauit. Adde quòd hi Duces instituebantur à Regibus Francorum, & Boioariâ, cùm non eius domini sed gubernatores tantùm essent, non potiebantur tanquam auitâ hæreditate, quam post patris obitum fratres inter se diuidere pro libitu possent. Inter eiusdem quoque Auctoris putidissima commenta illud repone, quòd, vt mendaciis suprà recitatis aliquam fidem conciliet, ait Maiestatem Imperij Francorum collapsam corruisse cum Dagoberto Rege, cuius mortem ad annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum retulimus.

[a] Lib. 3.

* L'Inn.

* Passau.

XXVI. EPISCOPATVS. De sancti Emmerammi primordiis eiúsque promotione ad Episcopatum ita Cirinus. *Hic puerili ætate cœpit mundum despicere, & quasi quisquilias huius mundi gloriam calcare, & ad sacrum liberalium literarum studium se informare, ita duntaxat vt superno Iudice inspirante ad summum promereretur conscendere Pontificatûs honorem.* Ex illo textu colligi non potest cui Sedi præfuerit Emmerammus. Indicatur infrà Pictauiensis per has voces, *in Sede ciuitatis iamdictæ*, sic enim loquitur Cirinus de discessu Emmerammi ex Diœcesi quam rexit in Galliis, *relictâ igitur domo & immensis substantiis, tot parentum nobilium turbas deserens, in Sede ciuitatis iamdictæ alium constituens Episcopum, imitans exemplum Patriarchæ Abrahæ, cui præcipitur per diuinam vocem exire de terra sua & de domo patris sui & de cognatione sua*, nec anteà nominauit vllam ciuitatem præter Pictauiensem, de qua sic præfatus est, *in Aquitania partibus, Pictauis vrbs*

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

vrbs antiqua sita dinoscitur, ex qua ortus est puer Heimeramnus. Verùm has voces, *in Sede ciuitatis iamdicta*, quæ disputationi locum præbent, haud existimamus referendas esse ad ciuitatem Pictauiensem quam Citinus suprà nominauit, sed ad Sedem ciuitatis cuius Episcopatum gerebat Heimeramnus, quæcumque illa esset. Opinionem nostram non parum fulcit Meginfredus, qui genuinam Cirini lucubrationem præ manibus habuit, nullúmque verbum de sancto Heimeramno scripsit, vnde coniectare possis hunc Episcopum Pictauiensem fuisse. Regnante Clotario Secundo, cuius obitus in annum Christi sexcentesimum duodetricesimum incidit, Episcopatum Pictauiensem suscepit Dido, superstésque erat in viuis anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, quo Sigibertus Austrasiæ Rex, prædicti Clotarij nepos, ex hac vita discessit. Hæc infrà probabimus ex Vrsino in vita sancti Leodegarij, ex Auctore coætaneo in vita sancti Boniti, & ex Anonymo in Gestis Regum Francorum, itaut Heimeramno siue Emmerammo locus inter Episcopos Pictauienses ad hunc annum, Christi sexcentesimum vndequinquagesimum, nequaquam tribui possit.

XXVII. Sammarthani nomen Emmerammi, quod ab omnibus Episcoporum Pictauiensium catalogis priùs aberat, in Gallia Christiana primi collocarunt, suámque sententiam tribus argumentis firmare conati sunt. Primum duxerunt à literis Caroli Magni, secundum à Diplomate Leonis Tertij Papæ, tertium à scriptis Hieronymi Ziegleri.

XXVIII. Literæ Caroli Magni, quarum fragmentum Sammarthani descripserunt ex vetustissima, vt ipsi loquuntur, membrana, catalogo Ratisbonensium Episcoporum apud Wiguleum Hundium *à Sultzenmos* integræ sic subiiciuntur. *Carolus, gratiâ Dei, Rex Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum. Quidquid ob amorem Dei locis Sanctorum venerabilium, beneuolâ deliberatione dedimus vel condonamus, hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquidò credimus. Quoniam hoc proculdubiò ad saluationem corporis & animæ nostræ fore creditur, vt hi, qui in laude Dei sunt, sine querela persistant, & exinde sæpiùs & deuotiùs in nostra maneant memoria. Igitur notum sit omnibus successoribus nostris, & fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ præsentibus & futuris, qualiter nos propter nomen Domini & æternam remunerationem, seu pro opportunitate dilectissimi filij nostri Ludouici Regis, absque omnium hominum contradictione confirmamus, Ecclesiam Dei liberam esse, & in potestate Imperatorum siue Regum, vsque in æuum permanere, quæ est constructa in honore Domini nostri Iesu Christi, & Matris eius Mariæ, & Principis Apostolorum Petri, & Sancti Georgij Martyris, & pretiosi Dei Martyris Emmerani atque Pontificis Aquitaniæ, iuxta muros ciuitatis nostræ Regensburgk vbi venerabile corpus eius, miraculis declarantibus, requiescere comprobatur, & rectorem eiusdem Cœnobij eiúsque successores, vnoquoque anno, 7. aureos Romam ad altare Sancti Petri persoluere. Proinde nouerit omnium Christi nostríque fidelium vniuersitas, omnia quæ à patre meo Pipino Rege, & ab Antecessoribus meis, vbicunque locorum hactenus tradita sunt & collata, per hanc nostram autoritatem perennibus temporibus, eâ videlicet ratione confirmamus, vt neque Dux, neque Episcopus eiusdem loci, aliquam potestatem habeant, prænominata bona præfatæ Ecclesiæ auferre vel abalienare, sed Rector eiusdem loci suíque successores habeant potestatem quicquid eis placuerit faciendi, ad vtilitatem tantummodò Monachorum sub sancto ordine consistentium. Et, vt hæc autoritas firmior habeatur, & diuturnis temporibus, Domino auxiliante, meliùs conseruetur, manu propriâ subter confirmauimus, & de annulo nostro sigillari iussimus.*

XXIX. Quamuis anni, quo datæ sunt hæ literæ, nota desideretur, titulus, quo Carolus se Regem Francorum & Longobardorum ac Patricium Romanorum dicit, satis indicat scriptas priùs esse, quàm Carolus Imperator & Augustus acclamaretur. Atque inde falsitatis argumentum sumitur haud inualidum. Quis enim credat Carolum Regem in Regio Diplomate mentionem fecisse Imperatorum, ac statuisse, vt Ecclesia sancti Emmerammi libera *in potestate*

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

Imperatorum vsque in aunm permaneret, cùm nec vllo modo Francia subderetur Imperatori, nec à multis retrò seculis esset Imperator in Occidente, nec ipse Carolus aut quispiam alius de Imperio per Occidentem rursus erigendo cogitaret? At demus has literas non esse suppositit ias. Vocauitne Carolus Emmeranum Pictauiensem Episcopum, quia nuncupauit *Pontificem Aquitaniæ?* Tres erant Aquitaniæ, quælibet Aquitania multos Episcopatus habebat, nec quem Aquitaniæ Pontificem Carolus indigitauit, is necessariò Pictauiensis Episcopus censeri debet.

XXX. Literas, Caroli Magni nomine, suprà recitatas apud Wiguleum Hundium proximè sequitur hoc Leonis Tertij Papæ Diploma. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, Leo Papa. Agnitum esse volumus cunctis Christianæ Religionis fidelibus, tam præsentibus quàm & futuris, qualiter Christianissimus Imperator & Augustus, nomine Carolus, Deo aspirante, Christum hæreditatis suæ desiderans fieri possessorem, quoddam Monasterium iuxta muros Tiburniæ ciuitatis, quæ à Tiberio Cæsare Augusto ædificata est, quæ modò vulgò appellata est Reginaspurch, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ, Matris Domini nostri Iesu Christi, & Principis Apostolorum Petri, & S. Georgy Martyris, vbi præclarissimus Martyr & Episcopus Pictaniæ, corpore requiescit Emmeranus, in nostram immunitatem successorúmque nostrorum gratiâ defensionis transfudit. Et nos continuò pro Christi amore gratuitâ mente petitioni eius piè annuentes, decreuimus ita fieri, & iussimus hanc chartam autoritatis nostræ inde conscribi. Et Episcopus eiusdem ciuitatis tertius, nomine Adalwinus, iuxta decreta Canonum, & cum nostra autoritate, in præsentia piissimi Imperatoris Caroli, rectâ ratione, in Synodali Concilio cum iudicio Episcoporum, Clericorum, necnon nobilium laicorum, de eodem loco Cathedram Pontificalem mutauit, & Canonicâ autoritate in ciuitatem in Ecclesiam S. Stephani Protomartyris statuit, & suæ successorúmque suorum proprietati ac potestati, deinceps in futurum abalienauit. Econtrà autem dictus Christianissimus Imperator dedit ad illum locum, vbi modò Sedes Episcopalis est, à parte meridiana ipsius Monastery perticos decem pedes* XLI. CC. *& in alia parte* C. *in longitudine* CCVII. *& Ecclesiam S. Petri, & Ecclesiam S. Pauli, iuxta muros prædicta ciuitatis, & Wunnitingen, & Egilolfesheim, & Ecclesiam Nababurck, quæ vocatur Bersana, & confirmauit Monasterium pretiosi Dei Martyris Emmerani, in potestate Imperatorum siue Regum, vsque in aunm permanere. Et ita confirmauit, vt Abbas & Rector eiusdem Cænoby, vnoquoque anno, 7. aureos Romam ad altare sancti Petri persolueret. Hæc mutatio & confirmatio fuit anno ab Incarnatione Domini* DCCXCVIII. *auctoritatis nostræ, itaut si quis Imperator aut Rex eandem Ecclesiam tam sanctam alicui præstet, anathema sit. Congregatio autem Monastery liberam habeat potestatem, & electionem Abbatis, iuxta decretum sancti Benedicti, sine omnium contradictione substituendi, & præfatum Monasterium cum Monachis, & omnibus ibidem in præsens collatis vel in posterum conferendis, in nostram successorúmque nostrorum immunitatem recepimus feliciter. Amen.*

XXXI. Huius Diplomatis Pontificij non est potior auctoritas quàm Regiarum literarum, quas suppositit ias esse suprà diximus, illâ enim basi, quâ nititur, euersâ corruat quoque necesse est. Nec priuata desunt argumenta quibus refutetur. Carolus enim anno Christi septingentesimo nonagesimo-octauo nondum erat Imperator, nec occurrit ratio cur Romanus Pontifex in suo Diplomate verba Caroli mutarit, & Emmeranum, quem Carolus Pontificem Aquitaniæ vocarat, Episcopum Pictauiæ dixerit.

XXXII. Præterea vtrasque literas Leonis & Caroli confutat Arnolfus Comes capite quinto libri primi de Miraculis sancti Emmerammi. Sedis enim Ratisbonensis translationem, quam Leo in suo Diplomate anno Christi septingentesimo nonagesimo-octauo sub Adalwino Episcopo factam contendit, refert ad Episcopatum Simperti, qui Adalwinum antecessit, longéque ante annum Christi septingentesimum nonagesimum-octauum viuere desiit. *Carolus*, inquit Arnolfus, *Sedem Ratisbonensis Episcopi à Ducibus prioribus extra vr-*

bem translatam, ad Martyris videlicet sancti Emmerammi Basilicam, infra vrbis eiusdem muros constituta Beati Petri Apostoli sub Simperto Episcopo restituit Ecclesia. Brunnerus difficultatem agnouit, nec aduersùs chartas, quas Hundius publicarat, ausus est pronuntiare, sic enim ad annum Christi septingentesimum nonagesimum-octauum scripsit [a]. *Reginoburgi, eodem anno, Sedes Episcopalis, qua ad D. Emmerammi huc vsque steterat, ab Adalwino Episcopo in vrbem ad D. Stephani translata est. Ostenduntur litera, quibus Rex & Pontifex factum probant, & Monastery ab Episcoporum deinceps iure liberi tutelam profitentur. Quæ cùm ita sint, errore lapsum Arnolfum Comitem Vochburgensem dicere necesse est, accuratissimum catera Scriptorem, qui Sedis translationem ad annos Simperti Episcopi, qui Adalwinum antecessit, retulit.* De illa translatione cursum fusiúsque suo loco.

[a] Lib. 6 n. 3.

XXXIII Hieronymi Ziegleri testimonium de sancto Emmerammo sic commendant Sammarthani [b]. *Natione Aquitanum & Prasulem Pictauensem an. 642. illum* Emmerammum *indigitat Hieronymus Zieglerus Professor Academia Ingolstadiensis in Historia illustrium Germania virorum: Martyrium in Bauaria passum fuisse narrat, & tumulatum Reginoburgi, vbi eius nomini celebre Monasterium Ordinis Benedictini à Theodone Bauaria Principe conditum.*

[b] Gall. Christ. Tom. 3. in Ep. Pictauiens.

XXXIV. Aduersùs Zieglerum pugnant Auctores antiqui. Concilio Remensi, quod Clotario eiúsque filio Dagoberto Regibus anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto celebratum est, Ioannes Pictauiensis Episcopus interfuit teste Flodoardo [c]. Ioanni successit in Episcopatum Pictauiensem Dido superstite adhuc in viuis Clotario Rege, cuius obitum anno Christi sexcentesimo duodetricesimo consignauimus. *Beatus Leodegarius*, inquit Vrsinus in eius vita, *ex Francorum praecelsa & nobilissima progenie ortus, in primis atatis initiis à parentibus in Clotarij Regis Palatium adductus est, nec diu post ab eodem Rege Didoni Pictauensis vrbis Prasuli, auunculo scilicet suo, litterarum studiis imbuendus traditus est.* Eâ ratione permoti Didonem anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto Pictauiensibus infulis donatum asseruimus. Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, cùm Sigibertus Rex Austrasiæ, Dagoberti filius, Clotarij nepos, ex hac vita discessit, supererat idem Dido Pictauensis Episcopus. De illo enim sic Author coætaneus in vita sancti Boniti [d]. *Mortuo Sigiberto Rege, Grimoaldus Maiordomûs Dagobertum filium eius sua fidei commendatum, vt Austrasiorum potiretur regno, tonsorauit in Clericum consilio Didonis Pictauiensis Episcopi, qui fuit auunculus sancti Martyris Leodegarij, & per manum ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio irreuocabili.* Et Anonymus in Gestis Regum Francorum [e]. *Mortuo Sigiberto Rege Grimoaldus Maiordomûs filium eius paruulum nomine Dagobertum totondit, & per Didonem Pictauiensis vrbis Episcopum in Scotia ad peregrinandum eum dirigens, filium suum in regno constituit.* Iam verò si Dido Pontificatum Pictauiensem gessit & anno Christi sexcentesimo duodetricesimo quo Clotarius Rex obiit, & anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto quo Sigibertus Rex eiusdem Clotarij nepos vitam clausit, an locus Emmerammo tribui potest inter Episcopos Pictauienses ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum?

[c] Lib. 2. c. 5.

[d] Ap. Bolland. d. 15. Ian.

[e] Cap. 43.

XXXV. Emmerammus, antequàm iter ad Hunnos susciperet, trans Ligerim in Aquitania Pontificatum gessit. Cirinus enim, postquàm illius assiduam in erudiendis Diœcesanis curam laudauit, profectionem ad exteras gentes sic exponit. *Arrepto itaque comitatu, prout ministrauerat voluntas, transmisso amne Ligeris, per partes Galliarum seminando fidei semina carpebat iter, vsquedum caput Germania transiret, idest, Rheni fluenta.* In Aquitania Sedes Episcopales erant sex ac viginti. Tres Metropoliticâ dignitate gaudebant, Bituricensis, Burdigalensis & Elusana. Tribus hisce Metropolitanis reliquæ tres ac viginti subiiciebantur, octo Bituricensi, Burdigalensi quinque, decem Elusanæ. Quinam autem tunc in plerisque illarum sederint Episcopi, nescimus, quia propter incursiones Saracenorum ac Nortmannorum, de quibus infrà, manci sunt atque im-

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

perfecti multarum Ecclesiarum catalogi. Locum in quopiam eiusmodi Indicum, apud quos Episcoporum haud paucorum nomina desiderantur, obtinere debet Emmerammus, sed in quonam collocandus sit, determinatè sciri non potest.

XXXVI. In Aquitania prima nouem erant Episcopatus, Bituricensis Metropolitanus, Aruernus, Rutenensis, Albigensis, Cadurcensis, Lemouicensis, Gabalitanus, Aniciensis & Tolosanus. In Cathedra Bituricensi, sedebat Wlfolenus; in Lemouicensi, Felix cuius suprà meminimus, aut eius successor Adelphius de quo nihil præter nomen occurrit; in Aruerna Progolus; in Albigensi Constantius; in Aniciensi, Benignus; in Cadurcensi, Desiderius qui paulò pòst eodem obiit anno. Manci sunt Indices aliarum Ecclesiarum. De Gabalitanis Episcopis post Iserum, qui regnante Dagoberto sedit, nihil ante ætatem Ludouici Pij legitur. In catalogo Tolosanorum Episcoporum desideratur is, qui Willegiselo successit, & Erembertum, de quo infrà, in Episcopatu antecessit. De Rutenensibus Episcopis post Verum, qui Concilio Remensi subscripsit, ad ætatem vsque Caroli Magni nihil inuenitur, excepto Aredij Rutenensis Episcopi nomine, quod absque vlla temporis nota legitur in Miraculis [a] vitæ sancti Desiderij Cadurcensis Episcopi subiectis.

[a] Mirac. 4.

XXXVII. In Aquitania secunda sex erant Episcopatus, Burdigalensis Metropolitanus, Aginnensis, Ecolismensis, Santonensis, Pictauiensis & Petrocoricensis. Ab anno Christi quingentesimo nonagesimo, quo Gundegisilum Burdigalensem Episcopum in viuis adhuc superstitem ex Gregorio Turonensi [b] probauimus, ad nonum vsque seculum in probatis Authoribus nihil de Burdigalensibus Episcopis inuenitur. Paulò feliciùs actum est cum Episcopis Petrocoricensibus, post Saffarium enim, quem Gregorius Turonensis Conuentui Pictauiensi cum prædicto Gundegisilo Burdigalensi Episcopo interfuisse testatur, in catalogo Petrocoricensium Episcoporum occurrit Bertrandus, cuius mentionem in quodam Diplomate ad annum Christi septingentesimum sexagesimum-septimum fieri dicunt. Aginnensibus Episcopis accensuimus Salustium, cui iam Episcopo Desiderius Episcopatum Cadurcensem nondum adeptus, id est, ante annum Christi sexcentesimum vndetricesimum literas scripsit, at Salustij successores ad decimum vsque seculum ignorantur. Episcoporum autem Ecolismensium & Pictauiensium catalogi carent hiatu. Post Nicasium, qui teste Gregorio Turonensi tumultum Pictauiensem cum Episcopis suprà laudatis Gundegisilo Burdigalensi & Saffario Petrocoricensi sedare conatus est, hi recensentur Antistites Ecolismenses in Gallia Christiana Roberti & Sammarthanorum, *Anselmus, Sigismundus, Ardoinus, Adelardus, Madabertus, Fredebertus, Sidranius, Launus tempore Caroli Magni*. Sed Namatius ex Flodoardo restituendus est ad annum Christi DCXV. quo Sonnatius Concilium Remense *cum Namatio Ecolesmensi* aliisque Episcopis celebrauit. A Canonico Engolismensi, qui duodecimo seculo Historiam Pontificum & Comitum Engolismensium conscripsit, omittitur idem Namatius cum Frontonio, Heraclio & Nicasio, pluresque sufficiuntur [c] à Mererio vsque ad Launum hoc ordine, *Matheus, Sigismundus, Gotismundus, Anselmus, Bertholais, Ardoinus, Gerbardus, Theomundus, Erogius, Gibaldus, Adebalardus, Madabertus, Guillermus, Fredebertus (ad cuius petitionem Pipinus Rex dicitur chartam dedisse) Sidranius, Launus*, &c. Non capimus cur hic Auctor Nicasium reticuerit, de quo Gregorius Turonensis adeò distinctè locutus est in Historia Ecclesiastica Francorum [d]. *Gundegisilus Burdegalensis, adiunctis secum, Nicasio Egolismensi, & Saffario Petragorico, ac ipso Maroueo Pictauensi, Episcopis, eò quòd huius vrbis Metropolis esset, ad Basilicam Sancti Hilary aduenit.* Quæ de Frontonij & Heraclij Episcopatu diximus, non solo Interpolatore Gregorij sed & Aimoino nituntur. Interpolator enim Gregorianus ita scribit [e]. *Hac ægritudine & Nantinus Egolismensis Comes exinanitus interiit. Sed quæ contra Sacerdotes vel Ecclesias Dei egerit, altiùs repetenda sunt. Denique Marachairius auunculus eius,*

[b] Lib. 10. c. 15.

[c] Cap. 6.

[d] Lib. 9. c. 41.

[e] Lib. 5. cap. 37.

diu in ipsa vrbe vsus est Comitatu. Quo officio expleto, Ecclesiæ sociatur, Clericúsque factus ordinatur Episcopus. Qui multùm vigilanter vel Ecclesias vel Ecclesiæ domos & erigens & componens, septimo Sacerdotij anno, iniecto ab inimicis in caput piscis veneno, simpliciter accipiens crudeliter enecatur. Sed non diu inultam eius mortem pertulit diuina clementia. Nam Frontonius, cuius consilio hoc scelus est perpetratum, adsumpto confestim Episcopatu, vno in eo degens anno, præcurrente iudicio Dei interiit. Cuius post obitum Heraclius Burdegalensis Presbyter, qui quondam Legatus Childeberti Senioris fuerat, Episcopus ordinatur. Nantinus verò ob requirendam auunculi sui mortem, Comitatum in ipsa vrbe expetiit. Et Aimoinus [a] sic. *Tunc temporis Nantinus Engolismensis Comes huiusmodi ex causa grauem diuinitus est passus mortis pœnam. Marachariùs auunculus eius Comitatu prædictæ vrbis diu potitus, ad Clericatum accedens, post non multum tempus Episcopus est factus. Quem cùm aduersarij, immisso in capite piscis veneno, nefandissimè necassent, non diu lætati sunt. Nam Frontonius, cuius consilio hoc perpetratum est scelus, vno tantùm anno post eum functus est Episcopatu. Cúmque ei Heraclius Burdegalensis Presbyter successisset, à Nantino, qui ob vlciscendam auunculi mortem Comitatum à Rege emerat, grauissimè increpabatur, quòd auunculi sui interfectores secum retineret.* Seruandi sunt igitur in Ecolismensium Episcoporum catalogo, Frontonius, Heraclius, Nicasius & Namatius. Mererio seu Marario vel Marachario, qui vitam finiuit anno Christi quingentesimo septuagesimo-sexto, successit Frontonius, Frontonio Heraclius, Heraclio Nicasius, qui Præsulatum iniit anno Christi quingentesimo octogesimo, nec post annum Childeberti Regis decimum-quintum, Christi quingentesimum oonagesimum, ampliùs nominatur. Vnde dubium oboritur, an ei proximus successor attribui debeat Namatius, de quo nihil occurrit omnino, nisi quòd anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto Synodum Remensem suâ subscriptione communiuit. Certè cùm in Historia Pontificum & Comitum Engolismensium copiosus admodum sit Episcoporum Ecolismensium numerus, nihil prohibet quominùs inter Nicasium & Namatium medij reponantur Mathæus & Sigismundus; à Concilio enim Remensi, cui Namatius interfuit, ad Pippini Regis vsque tempora, supererunt Episcopi duodecim, Gotismundus, Anselmus, Berthoalis, Ardoinus, Gerbardus, Theomundus, Erogius, Gibaldus, Adebalardus, Madabertus, Guillermus, & Fredebertus. De Pictauiensibus Episcopis nihil hic repetemus, Dido enim, qui regnante Clotario sedere cœpit anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto, superstes adhuc in viuis erat post obitum Sigiberti Regis, quem anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto ex hac vita sublatum probabimus suo loco. Santonensium Episcoporum catalogus est imperfectus. A Leontio enim, qui Concilio Remensi cum Namatio Ecolismensi Episcopo subscripsit, vsque ad Islonem, qui, teste Ademaro, anno Christi millesimo duodecimo ordinationi Geraldi Episcopi Lemouicensis interfuit, per annos octoginta-septem supra trecentos, hi decem duntaxat Episcopi recensentur à Roberto, Adelbertus, Anianus, Leodegarius, Vlricus, Dizantius, Seuerious, Mainardus, Alo, Grimoardus & Iustus, nec plures enumerantur à Sammarthanis, imò Seuerinus ab eis omittitur. At cùm hodie sola supersint illorum Episcoporum nomina, probè sciri non potest, quibus temporibus alij floruerint, quorum nomina etiamnum desiderantur.

AN. CH. 649.
SIGIB. III. R. 17.
CLOD. II. R. 12.

[a] Lib. 3. cap. 31.

XXXVIII. In Aquitania tertia seu Nouempopulania vndecim erant Episcopatus, Elusanus Metropolitanus, Aquensis, Lactorensis, Conuenensis, Consoranensis, Benarnensis, Vicoiuliensis, Vasatensis, Bigorritanus, Oloronensis & Auscienfis. Cùm beatus Emmerammus ex Aquitania discessit, Episcopatum Auscienfem tegere potuit Perpetuus, cuius mentionem ante quinquennium fecimus. Ad illam autem ætatem manci sunt omnes ceterorum Episcopatuum catalogi. Concilio Matisconensi secundo, quod anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto celebratum est, præter alios hi subscripserunt Pontifices ex Nouempopulania, Rufinus Conuenensis, Sauious Benarnensis, Lucetius Olo-

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12. ronensis, Orestes Vasatensis, Amelius Bigorritanus. Abhinc nullus occurrit Episcopus Benarnensis ante tempora Theodorici Tertij Regis, nullus Episcopus Conuenensis ante annum Christi septingentesimum duodenonagesimum, nullus Episcopus Bigorritanus ante annum Christi octingentesimum septuagesimum-nonum, nullus Episcopus Vasatensis ante annum Christi nongentesimum septuagesimum-septimum, nullus Episcopus Oloronensis ante annum Christi millesimum-quadragesimum. In eodem Concilio Matisconensi secundo depositus est Faustianus Aquensis Episcopus, eique subrogatus Nicetius, atque exinde nihil de Præsulibus Aquensibus ad annum vsque Christi duodenongentesimum inuenitur. Concilio Aurelianensi quinto, quod habitum est anno Christi quingentesimo-vndequinquagesimo, subscripserunt Theodorus Episcopus Consoranensis & Aletius Episcopus Lactorensis; ignorantur vtriusque successores; Francolinus enim, qui primo loco post Theodorum in catalogo Consoranensium Episcoporum reperitur, anno Christi septingentesimo duodenonagesimo floruit; & Bernardus, qui primo loco post Aletium in catalogo Lactorensium Episcoporum occurrit, vixit anno Christi circiter nongentesimo-nonagesimo. Filibaudes Episcopatum Vicoiuliensem sub Dagoberto Rege gessit, successorum nomina nesciuntur vsque ad Gumbaldum, qui sedebat anno Christi nongentesimo septuagesimo-septimo. Senocus, cuius mentionem ad annum quadragesimum-tertium Clotarij Regis, id est, ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-sextum, ex Fredegario [a] fecimus, in Elusanorum Antistitum catalogo postremum locum occupat, ceteri desiderantur ad nonum vsque seculum, quo diruta penitus fuit Elusa, túncque Diœceses Elusana & Auscensis simul vnitæ sunt, & Auscensis deinceps aucta titulo Metropoleos.

[a] Cap. 54.

XXXIX Ex prædictis patet memoriam periisse multorum Episcoporum, qui Diœceses ætate S. Emmerammi tegebant in Aquitania. Cuipiam illarum restituendus est ipsemet Emmerammus, sed cuinam, certò deprehendi nequit. Si coniecturis agere licet, Emmerammus, cùm patriâ Pictauiensis esset, Episcopatum in Aquitania secunda gessit, vbi præter Burdigalam Metropolim Ciuitates erant Santonum, Petrocoricorum & Aginnensium, quarum Episcopi per illa tempora nesciuntur.

XL. GESTA. Qualem Heimeramnus apud Aquitanos in Episcopatu se gesserit, Cirinus paucis in eius vita sic docet. *Erat staturâ procerus; decorus formâ; syncerus vultu; eleemosynis præcipuus; ieiuniis, castitate & continentiâ præclarus; sermone facundus; ad eradicanda vitia sagax; ad plantanda & irriganda subiectorum pectora simplex. Cuius ex ore, quasi aqua amnis in ima conuallium prosilientes psalmodia inquietè emanauit, vsquedum cuncta Dauidica pro more finiret. Subiectorum, vt suprà diximus, præcordiorum arua cælesti imbre rigare insudabat, itaut penè otium ori minimè concederet. Pes enim erat claudi & oculus cæci, recreator pauperum, genitor pupillorum, defensor viduarum, gementium consolator. Dominicas autem oues pascendi, eius pectori tanta inerat cura, vt per vrbes Gallorum & oppida, & per vicos & fidelium domos, huc illúcque discurrens prædicando, sapientibus arcana eructans, imbecillibus lac emanaret, & quod ore prædicabat, exemplo confirmabat, itaut à cunctis diligeretur. Ad eum autem confluebant Gallorum Regni nobiles, ignobiles, locupletes & inopes, quibus penè omnibus, prout necessitas compellebat, abundanter tribuere non recusabat; aliis indumentum, aliis alimentum, aliis autem ornamenta, prout indigebant, hilarissimo vultu largitus est. Ante omnia autem intrinsecus ædificare omnes insudabat.*

XLI. ADVENTVS IN BOIOARIAM. Idem Auctor iter illius in Boioariam describendum mox aggreditur hoc modo. *Dum autem vir prudentissimus Heimeramnus Episcopus tot vigoribus polleret, peruenit ad eum fama, quòd in quibusdam Europæ partibus Pannoniensis plebs excæcatis oculis à veritatis luce, qua est Christus, maxime idolis deseruiret. Vnde Dei famulus contristatus valdè & intrinsecus dolore tactus, intra semetipsum meditari cæpit illuc venire, vt Christum ibi prædicare deberet*, &c. *Arrepto itaque co-*

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12.

mitatu, prout ministrauerat voluntas, transmisso amne Ligeris, per partes Galliarum seminando fides semina carpebat iter, vsquedum caput Germaniæ transiret, id est, Rheni fluenta. His autem omissis partibus Germaniam ingressus est. Qui dum linguam non nouisset, per interpretem quendam religiosum Presbyterum, Vitalem nomine, in augmento audientium eximia diuinitus plantando perrexit. Erat enim sermo illius in audientium pectore, quasi imber temporaneus, dum verno arida arua suo infudit rore, de cuius infusione reuiuiscunt segetum radices, & omnium germinum virescunt genera, itaut tellus quasi ex somno mortis resurgens suo decore in pristinam restauretur amœnitatem. Dum intentione huius sollicitudinis perfecisset iter, vt illorum postponeret partes, cœpit Germaniam Austri ingredi, & ad fluenta Danuby amnis in partibus Bawariorum aduenit. Cuius dum sequeretur fluenta, ad Radesbonam ciuitatem peruenit, quæ ex sectis lapidibus constructa in metropolim huius generis arcem creuerat, quam tunc in tempore dum gentes Bawariorum vir alacer Theoto regebat, in quam ciuitatem venerabilis Episcopus ingressus est. Hanc vltimam periodum sic amplificauit illustrauitque Meginfredus. *In Baioarios fines, qui Meridiem versùs, Alpibus; ad Orientem, Vngris; ad Aquilonem verò Hircano nemori limitem Germaniæ protendunt, non hac conterritus metâ, deuenit. Vbi cùm defluentis Histri fluminis impetum sequeretur, Ratisbonam accessit vrbem, quæ olim totius Germaniæ, & nomine & dignitate Principum, & adhuc eiusdem gentis metropolis, antiquæ prosapia caput aduentu beatissimi Sacerdotis ornatioribus illustrauit fastis, & insignia victoriosæ gentis triumpho concepta, nouo pacis praconio in melius commutata, fidei spoliis & ornatu sanctæ religionis ampliauit.*

XLII. Boioariis igitur Orientem versùs contermini tunc erant Auares, idque benè iam tibi notum fecimus ad annum Christi quingentesimum vndeseptuagesimum [a], cùm sermonem de variis sedibus illius gentis instituimus. Heimeramnus Ratisbonæ substitit, & ne proficisceretur ad Auares, prohibuit Theodo Boioariæ Præfectus. Recens adhuc erat memoria grauissimi belli, quod in finibus vtriusque nationis ad Anisum amnem detonuerat. Insidiæ timendæ, licèt pax esset sacramento firmata, nec, si deessent insidiæ, tutus facilisve transitus, loca enim olim cultissima bestiarum immanitatibus horrebant. Sic enim pergit Cirinus. *Dum* Heimeramnus Episcopus *prænotati Principis* nempe Theodonis *præsentatus est obtutibus, suúmque secretum ad aditum oris perducens, Deo opitulante partibus Pannoniæ ad robustam gentem Auarorum se iturum professus est, ibique se aut pro Christo pati pollicetur, aut illius nutu vitam in pace finiret. Eo namque tempore inter Hunnorum gentem & Bawariorum orta est discordia, itaut à vastantium manibus circa amnem Anisum * interiacentem depopulata vrbes penè deserta esse viderentur, vt saltus bestiis in augmentum daretur intelligi, quia humana fragilitas huc illúcque transire diffidebat, quia quamuis iurandi vinculo aliquis à quodam detentus fuisset, penitus tamen magis insidia quàm ostensa benignitas æstimaretur. Tunc prædictus Theoto Baioariorum gentis Dux se discordare cum Auaribus præuuntians illum eum ire minimè sinere professus est, sed petebat vt tantus ac talis Deo notus Episcopus apud se & suos remansisset. Postquàm verò dulcia illius prædicamenta gustauisset, sinendo locum egressionis consentire non deberet, sed largiendo vultu honesto iam in memorata prouincia Pontifici possessiones concedere deberet, & illorum Pontifex esse debuisset, & si ita dignaretur vel pro humilitatis studio Abbas huius Prouinciæ Cœnobialis normæ studio præesse non recusaret. Sacer autem Dei famulus se in hoc exisse ait à Gallorum finibus, vt gentes Hunnorum, quæ ignorarent Deum cœli, hoc est, Christum crucifixum conuertere debuisset. Dum minimè explendi cœptum iter licere sibi cognosceret, supplicanti Duci consentit, prospiciens ipsam terram optimam, superficie amœnam, nemorosis arboribus locupletem,* &c. *Sed habitatores illius neophyti eo in tempore idololatriam radicitus ex se non extirpauerant, quia vt patres calicem Christi communem & dæmoniorum suis quoque filiis propinabant. Vnde superno inspiramine venerabilis Pontifex eam quam prospexerat idololatriam funditus eradicare decreuerat, & cùm huius terræ rure pectori inhabitantium commendaret fidei semina, vt in*

[a] Num. 14.

* L'Ens.

AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12. *augmento frumentum iam doctrinæ consummatum conderet horreis in nouissimis, quo gloriosam in loco consequeretur mortem, vt regio, in qua morabatur, in campum sufficeret certaminis. Hac meditans continuè per triennium satagebat, per vrbes infra prædicti Principis fines, per oppida, per vicos & fidelium domos discurrens, instantissima cura intentus, aliis fidei semina plantabat in pectore, aliis vitia sagaci sermone radicitus abscidebat. Contra mites humilis apparuit; contra potentes erectus leonis fortitudinem ostendebat; & quicquid, excepto singulari habitu, à fidelium receperat manibus, cum gratiarum actione indigentibus impertiebat.* Agemus de illius Martyrio post triennium, &, vt cœpimus, ex manuscripto Codice genuinam Cirini lucubrationem citabimus, cuius stylum, quia rudior videbatur, Surius [a] passim nonnihil mutauit.

[a] Die 22. Sept.

XLIII. MARTINVS PAPA. Cùm rerum à Martino Papa gestarum pleræque, vt inferiùs patebit, ad Annales nostros pertineant, studiosiùs inuestigandum videtur, quonam anno Pontificatum inierit. Recentiorum Authorum triplex est sententia. Bucherius & Bollandus Martinum Pontificem renunciatum scribunt anno Christi sexcentesimo quadragesimo-septimo, Onuphrius & Malbrancus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-octauo, Baronius anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono. Totam controuersiam dirimemus, Anastasio Bibliothecario & epistolis Martini Papæ ac synchroni Scriptoris Anonymi simul collatis. Anastasius author est Martinum sedisse annos sex & ampliùs, itaut Martyrium consummarit anno Pontificatûs septimo. Martinus epistolâ decimâ-quintâ testatur exilium sibi decretum feriâ secundâ, decimo-quinto Kalendas Iulias, & eiectionem suam contigisse feriâ quartâ, decimo-tertio easdem Kalendas, quibus Characteribus designat annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium currente literâ Dominicali F, additque se Misenum adiisse ipsis Kalendis Iuliis, tum nauigasse in Naxon Insulam, ibique moram per annum fecisse, ac demùm peruenisse Constantinopolim. In collectione Conciliorum extant hæ literæ Constantinopoli datæ die quadragesimo-septimo post ipsius Pontificis aduentum, proximéque subiunguntur aliæ viri Orthodoxi & in exilio comitis, qui quas Martinus iniurias Romæ, quas in itinere, quas Constantinopoli passus est, Orthodoxis fratribus in Occidente degentibus exposuit prolixâ narratione, quâ docemur Romanum Pontificem ad portum Constantinopolitanum appulisse die decimâ-septimâ Nouembris, & Constantinopoli post dies centum & septuaginta-octo Chersonam clanculo nauigio transuectum fuisse. Peruenit igitur Constantinopolim mense Nouembri, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, & Chersonam deportatus est mense Maio, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto. Epistolam, quæ numero est decima-octaua, scripsit Chersonæ mense Septembri. His attentè consideratis, Martyrium Martini Papæ referri non debet ante annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum, seriùs quoque differri non potest, nam Martinus, qui septimo Pontificatûs anno ad Deum migrauit, Synodum Lateranensem habuit mense Octobri Indictione octauâ iam inchoatâ, id est, anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono, standum est igitur à computo Baroniano in assignando initio Pontificatûs quem Martinus gessit.

XLIV. SVCCEDIT THEODORO. Hoc anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-nono Theodorus Papa discessit ex hac vita pridie Idus Maias, vacauit Episcopatus dies quinquagintaduos, successit Martinus teste Anastasio. Tunc prauus vsus inualuerat, vt quem Romanus Clerus Pontificem elegerat, Imperator assensu suo confirmaret, hæresis quoque Monothelitarum in Oriente altissimas iam radices egerat. Anno priori, Indictione scilicet VI. vt Acta publica sancti Maximi Martyris declarant, Constans Augustus, seu Constantius vel Constantinus (tot enim nominibus indigitatur) Heraclij quondam Augusti nepos, penes quem summa Imperij erat, impellente Paulo Constantinopolitano Episcopo Edictum de fide, quod Typum vocarunt, emiserat eo prætextu, vt omnes Christiani Orbis Ecclesiæ in vnam

vnam eandémque sententiam vnirentur, páxque firma in Ecclesia esset silentio AN. CH.
indicto tam iis qui vnam, quàm iis qui duas in Christo voluntates assererent. 649.
Porrò cùm idem missus fuerat Romam Typus, tantùm abfuit vt reciperetur, SIGIB.
quin Paulus eius auctor, & Pyrrhus qui post recantatam palinodiam in pristi- III. R. 17.
num errorem relapsus fuerat, anathemate damnati reperiuntur. Postquàm au- CLOD.
tem nuncius de morte Theodori & de subrogatione Martini Constantinopo- II. R. 12.
lim allatus est, huius electioni consentiens Imperator quasi pro quodam grati-
tudinis præmio conatus est exigere sui subscriptionem Edicti, sed Martinus in contrarium nisus Synodum indixit, in qua perfidiam promulgatam condemnaret. Hæc ita se habuisse docet Fridegodus manuscriptus in vita sancti Audoeni. *Hæresis infanda totum penè fœdauit Orientem, in tantum vt ipsum Patriarcham Paulum Constantinopolitanæ vrbi præsidentem, necnon & Alexandrinum Antistitem peruerso dogmate peruerteret. Asserebat enim eadem pestis Dominum nostrum Iesum Christum non veram carnem ex Virgine assumpsisse Maria. Quæ cùm ab ipso Paulo & cæteris infausti dogmatis assertoribus cum auctoritate etiam Constantini Imperatoris Tertij, nepotis Heraclij, beato Martino Pontifici Romano scripta dirigerentur, quatinus & ipse ad hæc consentiret atque subscriberet, gustum mortifera persuasionis summâ execratione respuit dicens, si totus mundus dogmata peregrina & à fide aliena sequi maluisset, se nec vllis minis vel blandimentis, nec ipsâ morte à doctrina & Euangelica & Apostolica vllatenus euelli posse.* Coegit itaque Synodum Lateranensem mense Octobri, Indictione octauâ iam inchoatâ. Hoc enim principium Actis ipsius Concilij præpositum legitur. *In nomine Domini Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, Imperij Domini Constantis, piissimi Augusti anno nono, sub tertio Nonas Octobris, Indictione octauâ.* In Actis manuscriptis sancti Audoeni dicitur Legatos ad Clodoueum Francorum Regem misisse, vt Episcopi Francorum cum Italis ad Synodum conuenirent. *Nec mora*, inquit Fridegodus, *continuò ad Regem Francorum Legationem mittens rogat vt sibi viros in fidei puritate fundatos, in verbo & sapientia prouidos quantocyùs dirigere dignaretur, quatinus cum ipsis & cunctis Italiæ Præsulibus Domino auxiliante aliquod antidotum contra venenum tantæ prauitatis porrigere temptaret. Rex autem cunctis Regni sui Sacerdotibus in vnum coactis, quid Legati tanti Pontificis afferant indicat, iubétque vt ex semetipsis viros tales eligerent, quos ad peragendum tantæ rei negotium puritate fidei & sapientiâ verbi idoneos non dubitarent. At illi vno consensu beatum Audoenum cum Sancto Eligio ad hoc destinandos eligunt. Tanta erat autem in viro Dei sapientia, vt cùm adhuc Ordinem Sacerdotalem non haberet, penè omnibus tunc Franciæ vel Galliæ Sacerdotibus in sapientia præferretur, vel, vt indulgentiùs dicam, æquaretur. Tamen quadam causa, ne tunc illuc mitteretur, obstitit.* Postremam huius textus partem Surius, *qui stylum* Fridegodi *passim nonnihil correxit*, sic edidit. *Tum illi vno animo B. Audoenum cum Sancto Eligio ei rei destinandos eligunt. Tanta enim erat in viro Dei Audoeno sapientia, vt quamuis Ordinem Sacerdotalem nondum adeptus esset, tamen penè omnibus eius temporis Galliæ vel Franciæ Sacerdotibus sapientiâ anteferretur, vel, vt moderatiùs dicam, æquaretur. Sed obstitit tunc quiddam, ne Romam mitteretur.* Quod autem Surius *in gratiam Lectoris* opinatus est se fecisse, fecit in deceptionem. Plerique enim editione Surianâ nixi scriptum putarunt à Fridegodo, quòd Audoenus nondum adeptus erat Episcopatum, cùm Martinus Papa literas ad Clodoueum Francorum Regem direxit. At Fridegodus, si primigenia phrasis attenditur, Audoenum à cæteris Episcopis electum vt Romam cum Eligio proficisceretur, eò præcipuè commendauit, quòd tantâ iampridem sapientiâ præstaret, vt, *cùm adhuc Ordinem Sacerdotalem non haberet*, ipsis Galliarum Episcopis anteponeretur aut saltem æquaretur. Vsus est Fridegodus particulâ *cùm*. Eius loco Surius posuit *quamuis*, & vnius vocis mutatione sensum à mente Fridegodi adeò discrepantem reddidit. Fridegodus tamen non expers est erroris. Vult enim à Martino Papa, priusquàm Concilium conuocaret, Legatos in Franciam directos fuisse. Sed Audoenus, cui potior fides haberi debet, in vita

AN. CH. 649. sancti Eligij, cuius genuinum textum infrà recitabimus, scribit Legationem à Martino missam Synodo Lateranensi iam habitâ.

SIGB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12. XLV. COGIT SYNODVM LATERAN. Martinus Synodum Lateranensem celebrauit quinque Secretariis, vel si mauis quinque Consultationibus seu Sessionibus aut Actionibus, quæ totidem diebus confectæ sunt, prima tertio Nonas Octobris, secunda octauo Idus Octobris, tertia decimo-sexto Kalendas Nouembris, quarta decimo-quarto easdem Kalendas, quinta pridie easdem Kalendas. Extant Acta singularum Sessionum cum viginti Canonibus, qui fixos ostendunt antiquorum Patrum terminos, quos transgredi nefas sit.

XLVI. *I. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & veraciter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus & æqualis gloriæ, vnam eandémque trium Deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, volnutatem, operationem, inconditam, sine initio, incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium, & protectricem; condemnatus sit.*

XLVII. *II. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem ipsum vnum sanctæ & consubstantialis & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cælo descendisse, & incarnatum ex Spiritu Sancto & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum, sepultúmque, & resurrexisse tertiâ die, & ascendisse in cælos, atque sedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum gloria paterna, cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius, iudicare viuos & mortuos; condemnatus sit.*

XLVIII. *III. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem Dei genitricem sanctam sempérque Virginem & immaculatam Mariam, vtpote ipsum Deum Verbum specialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia sæcula natus est, in vltimis sæculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente & post partum eiusdem virginitate; condemnatus sit.*

XLIX. *IV. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem ipsius & vnius Domini nostri & Dei Iesu Christi duas natiuitates, tam ante sæcula ex Deo Patre incorporaliter & sempiternaliter, quámque de sancta Virgine semper Dei genitrice Maria corporaliter in vltimis sæculorum; atque vnum eundémque Dominum nostrum & Deum Iesum Christum consubstantialem Deo & Patri secundùm Deitatem & consubstantialem homini & matri secundùm humanitatem, atque eundem passibilem carne, & impassibilem Deitate, circumscriptum corpore, incircumscriptum Deitate, eundem inconditum & conditum, terrenum & cælestem, visibilem & inuisibilem, capabilem & incapabilem, vt toto homine eodémque & Deo totus homo reformaretur, qui sub peccato cecidit: condemnatus sit.*

L. *V. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem vnam naturam Dei Verbi incarnatam, per hoc quòd incarnata dicitur nostra substantia perfectè in Christo Deo & indiminutè, absque tantummodò peccato, significata: condemnatus sit.*

LI. *VI. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem ex duabus & in duabus naturis substantialiter vnitis, inconfusè & indiuisè, vnum eundémque esse Dominum & Deum Iesum Christum: condemnatus sit.*

LII. *VII. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem substantialem differentiam naturarum inconfusè & indiuisè in eo saluatam: condemnatus sit.*

LIII. *VIII. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem naturarum substantialem vnitionem indiuisè & inconfusè in eo cognitam: condemnatus sit.*

LIV. *IX. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem naturales proprietates Deitatis eius & humanitatis indiminutè in eo & sine deminoratione saluatas: condemnatus sit.*

LV. *X. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm verita-*

tem duas vnius eiusdémque Christi Dei nostri voluntates coharenter vnitas, diui- AN. CH.
nam & humanam, ex hoc quòd per vtramque eius naturam voluntarius naturaliter
idem consistit nostræ salutis: condemnatus sit. 649.

XI. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm verita- SIGIB.
tem duas vnius eiusdémque Christi Dei nostri operationes coharenter vnitas, diui- III. R. 17.
nam & humanam, ab eo quòd per vtramque eius naturam operator naturaliter idem CLOD.
existit nostra salutis: condemnatus sit. II. R. 12.

XII. Si quis secundùm scelerosos hæreticos vnam Christi Dei nostri voluntatem LVI.
confitetur, & vnam operationem, in peremptionem sanctorum Patrum confeßionis, & LVII.
abnegationem eiusdem Saluatoris nostri dispensationis: condemnatus sit.

XIII. Si quis secundùm scelerosos hæreticos in Christo Deo in vnitate substantia- LVIII.
liter saluatis & à sanctis Patribus nostris piè prædicatis duabus voluntatibus & dua-
bus operationibus, diuinâ & humanâ, contra doctrinam Patrum, vnam voluntatem
atque vnam operationem confitetur: condemnatus sit.

XIV. Si quis secundùm scelerosos hæreticos cum vna voluntate & vna operatione, LIX.
quæ ab hæreticis impiè confitetur, & duas voluntates, paritérque & operationes,
hoc est, diuinam & humanam, quæ in ipso Christo Deo in vnitate saluantur, & à
sanctis Patribus orthodoxè in ipso prædicantur, denegat & respuit: condemna-
tus sit.

XV. Si quis secundùm scelerosos hæreticos Deiuirilem operationem (quod Græci LX.
dicunt θεανδρικὴν*) vnam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse*
confitetur secundùm sanctos Patres, hoc est, diuinam & humanam, aut ipsam Dei-
uirilis, quæ posita est, nouam vocabuli dictionem vnius esse designatiuam, sed non
vtriusque mirificæ & gloriosæ vnitionis demonstratiuam: condemnatus sit.

XVI. Si quis secundùm scelerosos hæreticos in peremptione saluatis in Christo Deo LXI.
essentialiter in vnitione & à sanctis Patribus piè prædicatis duabus voluntatibus, &
duabus operationibus, hoc est, diuinâ & humanâ, dissensiones & diuisiones insi-
pienter mysterio dispensationis eius innectit, & propterea Euangelicas & Apostolicas
de eodem Saluatore voces non vni eidémque personæ & essentialiter tribuit eidem
ipsi Domino & Deo nostro Iesu Christo secundùm beatum Cyrillum, vt ostendatur
Deus esse & homo idem naturaliter: condemnatus sit.

XVII. Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm ve- LXII.
ritatem omnia quæ tradita sunt & prædicata sancta Catholica & Apostolicâ Dei Ec-
clesiæ, perindéque à sanctis Patribus & venerandis vniuersalibus quinque Conciliis,
vsque ad vnum apicem, verbo & mente: condemnatus sit.

XVIII. Si quis secundùm sanctos Patres consonanter nobis paritérque fide non LXIII.
respuit & anathematizat animâ & ore omnes quos respuit & anathematizat ne-
fandißimos hæreticos cum omnibus impiis eorum conscriptis vsque ad vnum apicem
sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica (hoc est, sancta & vniuersales quinque Sy-
nodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres) id est, Sabellium, Arium,
Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timo-
theum Ælurum, Seuerum, Theodosium, Colluthum, Themistium, Paulum Samosa-
tenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum Persam, Origenem, Didy-
mum, Euagrium, & compendiosè omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Eccle-
sia reprobati atque abiecti sunt, quorum dogmata diabolicæ operationis sunt genimi-
na, & eos qui similia cum his vsque ad finem obstinatè sapuerunt, aut sapiunt, vel
sapere reperiuntur; cum quibus meritò numeramus, vtpote similes eis paríque erro-
re præditos, ex quibus dogmatizare noscuntur, proprióque errori vitam suam de-
terminantes, hoc est, Theodorum quondam Episcopum Pharanitanum, Cyrum Ale-
xandrinum, Sergium Constantinopolitanum, vel eius successores Pyrrhum & Paulum
in sua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conscripta, & eos qui similia
cum illis vsque ad finem obstinatè sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, hoc
est, vnam voluntatem, & vnam operationem Deitatis & humanitatis Christi; &
super hæc impiißimam Ecthesin, quæ persuasione eiusdem Sergij facta est ab Heraclio
quondam Imperatore aduersùs Orthodoxam fidem, vnam Christi Dei voluntatem,

AN. CH. 649. Sigib. III. R. 17. Clod. II. R. 12.

& vnam ex concinnatione definientem operationem venerari, sed & omnia quæ pro ea impiè ab eis scripta vel acta sunt, & illos qui eam suscipiunt, vel aliquid de his quæ pro ea scripta vel acta sunt, & cum illis denuò scelerosum Typum, qui ex suasione prædicti Pauli nuper factus est à Serenissimo Principe Constantino Imperatore contra Catholicam Ecclesiam, vtpote duas naturales voluntates & operationes, diuinam & humanam, quæ à Sanctis Patribus in ipso Christo Deo vero & Saluatore nostro piè prædicantur, cum vna voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impiè in eo veneratur, pariter denegare & taciturnitate constringi promulgantem, & propterea cum Sanctis Patribus & scelerosos hæreticos ab omni reprehensione & condemnatione iniustè liberari definientem, in amputationem Catholicæ Ecclesiæ definitionum, seu regulæ. Si quis igitur iuxta quod dictum est, consonanter nobis omnia hæc impiissima hæreseos illorum dogmata, & ea quæ pro illis, aut in definitione eorum à quolibet impiè conscripta sunt, & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum, & Paulum non respuit & anathematizat, vtpote Catholicæ Ecclesiæ rebelles existentes; aut si quis aliquem de his, qui ab illis vel similibus eorum in scripto vel sine scripto, quocumque modo vel loco aut tempore temerè depositi sunt aut condemnati, vtpote similia eis minimè credentem, sed Sanctorum Patrum nobiscum confitentem doctrinam, vti condemnatum habet aut omnino depositum, sed non arbitramur huiusmodi quicumque fuerit, hoc est, siue Episcopus, aut Presbyter, vel Diaconus, siue alterius cuiuscumque Ecclesiastici ordinis, aut Monachus, vel laicus, pium & Orthodoxum, & Catholicæ Ecclesiæ propugnatorem, atque in ipso firmiùs consolidatum in quo vocatus est à Domino ordine, illos autem impios atque detestabilia eorum pro hoc iudicia, vel sententias vacuas & inualidas atque infirmas, magis autem profanas & execrabiles vel reprobabiles arbitratur: huiusmodi condemnatus sit.

LXIV. *XIX. Si quis ea, quæ scelerosi hæretici sapiunt, indubitanter professus atque intelligens, per inanem proterniam dicit hæc pietatis esse dogmata, quæ tradiderunt ab initio speculatores & ministri verbi, hoc est dicere, sanctæ & vniuersales quinque Synodi, calumnians vtique ipsos Sanctos Patres, & memoratas sanctas quinque Synodos in deceptione simplicium, vel susceptione suæ profanæ perfidiæ: huiusmodi condemnatus sit.*

LXV. *XX. Si quis secundùm scelerosos hæreticos quocumque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco, terminos remouens illicitè, quos posuerunt firmiùs sancti Catholicæ Ecclesiæ Patres, id est, sanctæ & vniuersales quinque Synodi, nouitates temerè exquirere, & fidei alterius expositiones, aut Typos, vel leges, aut definitiones, aut libellos, aut epistolas, aut conscripta, aut subscriptiones, aut testimonia falsa, aut Synodos, aut gesta monumentorum, aut ordinationes vacuas & Ecclesiasticæ regulæ incognitas, aut loci seruaturas incongruas & irrationabiles, & compendiosè si quid aliud impiissimis hæreticis consuetum est agere, per diabolicam operationem tortuosè & callidè agit contra pias Orthodoxorum Catholicæ Ecclesiæ, hoc est dicere, paternas eius & synodales prædicationes, ad euersionem sincerissimæ in Dominum Deum nostrum confessionis, & vsque in finem sine pœnitentia permanet hæc impiè agens: huiusmodi in sæcula sæculorum condemnatus sit. Et dicat omnis populus. Fiat, fiat.*

LXVI. Concilio Lateranensi subscripserunt Episcopi centum & quinque. Sanctam hanc Romanam Synodum magno plausu & honore ab vniuerso Catholico Orbe acceptam docet Anglicana Synodus, quæ ad plenam fidei Catholicæ professionem, post quinque vniuersalium Synodorum assertionem, Synodi quoque sub Martino habitæ confessionem adiicit apud Bedam [a] his verbis. *Suscepimus sanctas & vniuersales quinque Synodos beatorum & Deo acceptabilium Patrum, id est, qui in Nicæna congregati fuerunt trecentorum decem & octo, contra Arrium impiissimum & eiusdem dogmata. Et in Constantinopoli centum quinquaginta contra vesaniam Macedonij & Eudoxij & eorum dogmata. Et in Epheso primo ducentorum contra nequissimum Nestorium & eiusdem dogmata. Et in Chalcedone ducentorum & triginta contra Eutychem & Nestorium & eorum dogmata. Et iterum in Constantinopoli, quinto congregati sunt Concilio, in tempore Iustiniani*

[a] Lib. 4. cap. 17.

minoris contra Theodorum & Theodoretum & Iba epistolas & eorum dogmata contra Cyrillum. Paulo post. Et Synodum, quæ facta est in vrbe Roma in tempore Martini Papæ beatissimi, Indictione octauâ, imperante Constantino piissimo, anno nono. AN. CH. 649. SIGIB. III. R. 17. CLOD. II. R. 12. LXVII.

Baronius [a] in Annales Ecclesiasticos retulit Synodalem epistolam circularem Martino Papâ & amplissimo illo Episcoporum cœtu dignissimam, vt omnibus Christi fidelibus vbique degentibus nota fierent ea quæ pro Catholica fide aduersùs hæreticos gesta essent. Eiusmodi literas Encyclicas cum Actis Synodalibus à Romano Pontifice directas acceperunt ambo Reges Francorum Sigibertus & Clodoueus, quorum præsidio potissimùm fulciebatur Orbis Catholicus.

[a] Ad an. 649.

DECRETA SYNODALIA MITTIT AD REGES FRANCORVM. LXVIII.

De Clodoueo constat. Audoenus enim Rotomagensis Episcopus, qui tunc in eius ditione cum Eligio Nouiomensi Episcopo degebat, in ipsius Eligij vita sic scribit. *Mortuus est Rex Magnus & Inclytus Dagobertus, & sepultus est in Sancti Dionysij Basilica sub arcu in latere dextro, cui successit in regno filius eius ætate iuuenculus, vocabulo Clodoueus. Sub huius regni principio nefanda hæresis partibus Orientis cœperat pullulare Constantino tunc Romani Imperij apicem gubernante. Cœperunt ergo Hæresiarchæ nefandi Ecclesiasticam Regulam violare, & peregrina quadam à veritate docere, & prædicare, asserentes Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum minimè habere formam serui, & neque eum ex Maria veram assumpsisse carnem prophanis vocibus garriebant. Quæ res plurimos in Ecclesia conturbabat, & plerosque iam contagium huius pestiferæ assertionis infecerat, non solùm in vrbibus quibus morabantur, sed & Vrbem quæ est caput omnium, Romam paulatim iam eorum prauitas penetrabat. Erat autem eo tempore Romæ Præsul Beatissimus Papa Martinus, qui solicitè ac viriliter pro hac causa inuigilans, imòque pugnans multa probra & aduersa ab hæreticis sustinebat, vnde tandem permotus cum & Imperatorem & plures cerneret eorum assertionibus obsecundare, intento satis animo congregauit Concilium Sacerdotum compescendi causâ, imò delendi huius prauitatem dogmatis. In quo Concilio omnibus Orthodoxis consentientibus edidit contra hæreticos fidem magnificè valdè atque accuratè, quam etiam cum subiuncta epistola Galliarum partibus destinauit, mandans & obtestans Regi Francorum, vt si essent eius viri Catholicè eruditi, hos sibi adminiculum ob hæresim comprimendam faceret destinari, vbi tunc Eligius cum sodali libentissimè perrexisset, nisi ei quadam causa impedimenti fuisset.* Si Baronio [b] fidem habemus, optauit Martinus Papa, petiitque à Francorum Regibus præcipuos Romam mitti Gallicanos Episcopos, quibus Apostolica Legatio credi posset, vt per eos quæ Romæ gesta essent, in reliquis Galliarum prouinciis innotescerent, ac Synodis prouincialibus posteà firmarentur. At ex ipsius Papæ literis ad Amandum Traiectensem Episcopum datis, quas suo loco recitabimus, patet Martini consilium non aliud fuisse, quàm vt Episcopi, quos Reges Francorum Romam misissent, Apostolicâ Legatione apud Imperatorem in Oriente fungerentur, & quæ statuta fuerant in Concilio Lateranensi cum aliis Synodalibus apicibus Constanti Augusto præsentarent.

[b] An. 649. n. 17.

AN. CH. 650.
SIGIB. III. R. 18.
CLOD. II. R. 13.

ANNVS
CHRISTI 650.
SIGIBERTI III. R. 18.
CLODOVEI II. R. 13.

I. FVRSEVS ABBAS MORITVR.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo consignandam putamus mortem sancti Fursei, quamuis ab ea sententia Scriptores quamplurimi recedant. In Annalibus Roscreensibus hæc leguntur, *anno 652. S. Furseus in Perona in Galliis pausauit.* Eadem habent Annales Buellienses, vt ex ipsis refert Varæus libro primo [a] de Scriptoribus Hiberniæ, & ex eo Colganus [b] capite nono Appendicis ad vitam sancti Fursei. Malbrancus in Indice Chronologico beatum Furseum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio mortuum colligit ex monumentis Centulensibus. Alij ad subsequentes annos confugiunt, nonnulli ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum, quidam ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum. Missis tot Auctorum opinionibus nostram hac ratiocinatione Chronologicâ confirmamus. Corpus sancti Fursei eleuatum est Peronæ post annos *ferè* quatuor ab eius obitu, id est, ineunte anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto. Eleuationi præsentes aderant Foillanus & Eminianus. Martyrium consummauit sanctus Foillanus pridie Kalendas Nouembris, eiúsque corpus inuentum est decimo-septimo Kalendas Februarij, die post necem septuagesimo-octauo, cùm præerat adhuc Cœnobio Niuellensi Gertrudis Abbatissa, quæ mense Septembri onus administrandi Monasterij cognatæ suæ Wilfetrudi quamuis nolenti imposuit, ac tertio pòst anno migrauit ad Deum decimo-sexto Kalendas Aprilis, die Dominico. Id est, sanctus Foillanus Martyrium passus est pridie Kalendas Nouembris, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto. Eius corpus inuentum est decimo-septimo Kalendas Februarias anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, eodémque anno mense Septembri Wilfetrudis administrationem Niuellensis Monasterij suscepit. Gertrudis verò discessit ex hac vita decimo-sexto Kalendas Aprilis, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-nono, cùm ætatis annum tertium supra tricesimum ageret, vt patet ex iis quæ superiùs ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-sextum à nobis dicta sunt. De anno, quo sanctus Furseus obiit, prolixiorem non inibimus disputationem, quia singulos nostræ ratiocinationis calculos suis locis examinabimus.

[a] Cap. 3.
[b] D. 16 Ian.

II. De loco nulla quæstio moueri debet, obiit enim apud Macerias in Pontiuo, quem locum ab Haimone Duce sibi traditum acceperat, postquàm eius filium, qui mortuus plangebatur, ad vitam suscitasset. *Veniens*, inquit Author vitæ coætaneus, *in prædictam traditionem Haimonis Ducis, vocabulo Macerias, sanctus Domini infirmitate corripitur, & Angelicâ perfruitus visione, præsentia relinquens, ad æterna migrauit regna.* Iacobus Malbrancus [a] in ea Pontiui ora, quam Furseus semel atque iterum adiit, binas Haymonis sedes constituit, quæ iam quatuor in vicos abierunt. *Maiocus inprimis non solùm trans Altheiam*, inquit, *sed etiam cis flumen excultus fuisse colligitur ex antiquo Beaunois castello, quod vetere obsolescente nouum illud nomen acceperit à loci venustate mutuatum. Ab altera verò fluminis parte Haymonis Toparcha appellatio suppleuit veterem Maioci titulum, atque etiamnum in aliquibus chartis topographicis Hemont nuncupatur. Locus pariter Macerias dictus in vicos binos excreuit, quorum Maioco*

[a] Lib. 3. c. 32.

propinquior Forhem vel Frohem nominatur, gerítque templum D. Fursai miraculis AN. CH.
nobile, quò hac etiam atate ab aduenis excurritur ad languidam luem ab infantium 650.
corpusculis auerruncandam, quamobrem in limpido illic fonte intinguntur, exsiccan- SIGIB.
túrque accenso fomite, cui materiem subministrat Ecclesia ad id, ob factam sibi III. R. 18.
donationem, obstricta. Vicinus pagus nomen Macerias vulgò Maseroeles sibi vindi- CLOD.
cat, vix verò Diui memoriam; porrò cùm vnam eâ atate cum Forhem conficeret II. R. 13.
*Dynastiam, factum est vt ea pars, qua Fursæum (Gallicè S. Forsy) excepit expi-
rantem, Forshem diceretur, remanente in altera parte Macerias vetere nomenclatu-
rá: Forshem enim & posteà Forhem Forsai domicilia seu vicum adsignificat.*

III. De die quo sanctus Furseus ad Deum migrauit, non leuis est apud Authores controuersia. Septem diebus per annum, vel festum aliquod vel commemorationem sancti Futsei reperio apud hagiologos obseruari, decimo-septimo Kalendas Februarias, octauo Idus Februarij, quinto easdem Idus, quinto Kalendas Martij, quarto Nonas Martij, decimoquinto Kalendas Octobres, & quarto easdem Kalendas. Ex illis septem solemnitatibus tres, quæ ceteris antiquitate longè præstant, optimè distinguuntur à Beda & à duobus Anonymis Scriptoribus quos toties citauimus. Prima signat obitum, secunda depositionem, tertia eleuationem. Mortuus est apud Macerias, depositus fuit Peronæ, eleuatus verò post annos ferè quatuor. De singulis ita differit vetustior Anonymus in libro de vita sancti Futsei. *Præsentia relinquens in loco Maceria nominato, XVII. Kal. February, ad æterna commigrauit loca. Corpus verò illius ab illustri viro Erchenaldo Patricio retentum causâ Ecclesia, quam sibi magno opere construxit in villa, cui Perona vocabulum est, ponitur. Et quia ipsius dedicatio intra viginti & septem parabatur dies, in quodam loco in porticu Ecclesia interim corpus sanctum summa cum diligentia custoditur, ac post tantos dies ita illæsum inuenitur, ac si eâdem horâ de hac luce fuisset egressus. Reuerenter ergo die VI. Februarij iuxta morem prope altare reconditur, ibique annis ferè quatuor demoratur.* Beda libro tertio [a] Historiæ Ecclesiasticæ. *Infirmitate correptus diem clausit vltimum, cuius corpus idem Hereonualdus Patricius accipiens seruauit in porticu quadam Ecclesia, quam in villa sua, cui nomen erat Perona, faciebat, donec ipsa Ecclesia dedicaretur. Quod cùm post dies viginti sex esset factum, & corpus ipsum de porticu ablatum, prope altare esset recondendum, inuentum est ita illæsum ac si eâdem horâ de hac luce fuisset egressus. Sed & post annos quatuor constructâ domunculâ cultiore receptui corporis eiusdem ad Orientem altaris, adhuc sine macula corruptionis inuentum ibidem digno cum honore translatum est.* Et recentior Anonymus in libro de vita eiusdem Sancti. *Corpus illius ab illustri viro Erchenaldo Patricio retentum causâ Ecclesia, quam sibi magnoperè construxerat, in villa, qua vocatur Perona, ponitur. Et quia ipsius Ecclesia dedicatio intra triginta dies parabatur, in quodam loco, in porticu interim sanctum corpus summa cum diligentia custoditur, ac post tantos dies ita illæsum inuenitur. ac si eâdem horâ de hac luce animus fuisset egressus. Reuerenter ergo iuxta morem prope altare reconditur, ibique ferè annis quatuor demoratur.* Beda & recentior Anonymus locis citatis nullum obitûs, depositionis & eleuationis diem notant. At recentior ille Anonymus in libro de miraculis obitum & eleuationem refert quinto Idus Februarij. *Ad eleuandum*, inquit, *venerabile corpus de sarcophago accedentes, ita illæsum inuenerunt, vt fuerat illâ die quâ posuerunt. Quod præ gaudio lachrymantes, vt erat, Clero & populo detexerunt, & posthac condignâ veneratione multis aromatum odoramentis conditum V. Idus February, quâ die cæli palatium adiuit, in feretro clauserunt.* Vetustior quoque Anonymus in libro de miraculis depositionem consignat quinto Idus Februarias his verbis, *venit autem dies quo templum ædificationis præparatum fuit, hoc est V. Idus Februarij. Ibi magnâ collectâ populorum adunatâ*, &c. Existimamus priorem Anonymum à dierum notis abstinuisse, quas eius scriptis Neoterici perperam inseruerint. Non leui coniecturâ ducimur. Nam dierum numeri desiderantur in vita sancti Fursei apud posteriorem Anonymum, qui priorem, vt ex textuum collatione constat,

[a] Cap. 19.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

eo loco de verbo ad verbum descripsit ne literulâ quidem mutatâ; deinde apud priorem Anonymum dies depositionis alius in libro de vita sancti Fursei, alius in libro de Miraculis legitur, in vita ponitur dies sextus Februarij, in Miraculis verò quintus ante Idus Februarias, quamquam putamus nouum errorem in vitam irrepsisse, cùm in ea primò scriptum esset, v. *Id. Februarij*, vnde factum posteà sit v I. *d. Februarij* & *die* v I. *Februarij*, sed nec dies quintus ante Idus Februarij dies est depositionis apud recentiorem Anonymum, imò cùm hic Author mortem & eleuationem collocet v. Idus Februarij, necesse est vt depositionem reiiciat in mensem Martium, quia contigit eam fieri vicesimo-septimo post obitum die in ipsa Peronensis Ecclesiæ dedicatione, quam Beda *post dies viginti-sex*, vetustior Anonymus *intra viginti & septem dies* peractam docent. Ex illo viginti-sex dierum interuallo, quod à morte sancti Fursei vsque ad corporis depositionem intercessit, haud obscurè colligimus mortem esse referendam octauo Idus Februarij, depositionem quarto Nonas Martij, neque enim inter reliquas sancti Fursei solemnitates, quamuis multæ sint, spatium viginti-sex dierum reperitur. Desmaius vult sanctum Furseum decessisse die nonâ Februarij, eâdemque die recurrente, quâ Translationis solemnitatem adhuc Peronæ fieri scribit, post quadriennium ab Episcopis Eligio & Auberto eleuatum fuisse, diem verò Ianuarij decimam-sextam illi præcipuè sacram esse, *quòd 16. Ianuarij ab Ecclesia canonizatus in Sanctorum numerum & cœtum fuerit adscriptus*. At aliam sancti Fursei canonizationem haud requirere quàm corporis eleuationem, cùm multa iam miracula patuissent, à sanctissimis Episcopis Eligio & Autberto factam post annos ferè quatuor ab obitu, id est, decimo-septimo Kalendas Februarias, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, nec vetustior Anonymus, qui præcipuus super eo negotio testis produci debet, diem decimum-septimum ante Kalendas Februarij meliùs indicare potuit, quàm cùm significauit à depositione corporis vsque ad eleuationem medios effluxisse annos *ferè* quatuor, quadriennium enim post dies vnum & viginti completum fuisset octauo scilicet Idus Februarias. Obitus igitur siue Natalis S. Fursei recolitur octauo Idus Februarias, Depositio quarto Nonas Martias, Eleuatio decimo-septimo Kal. Februar. aliis quatuor diebus commemoratio fit aut Inuentionis aut Translationis. In Kalendario Festorum, quotum officium fit in Ecclesia sancti Fursei Peronensis, decimo-septimo Kalendas Februarij ponitur festum sancti Fursei Episcopi & Confessoris cum octaua, quinto Idus Februarij Translatio sancti Fursei Episcopi & Confessoris cum ritu duplici, Dominicâ secundâ post Pascha festum Dedicationis Ecclesiæ sancti Fursei cum octaua, decimo-quinto Kalendas Octobres festum sancti Fursei Episcopi & Confessoris cum ritu duplici. Solemnitatum, quæ cum octauis aguntur, causas explicuimus suprà, duæ aliæ sunt tantùm commemorationes totidem Translationum quas Desmaius agnoscit, de priori nihil habemus addendum, posterior facta est *anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo-sexto*, *decimo-quinto Calendas Octobris*, *Dominicâ post octauam Natiuitatis B. Mariæ Virginis*, vt constat ex charta verbalis processûs super ea re habiti, cuius tenorem ex archiuis Ecclesiæ collegiatæ sancti Fursei Peronæ exscriptum recitat idem Desmaius. Apud Maurolycum, Galesinium, Wionem, Menardum quinto Kalendas Martij notatur *in Gallia Translatio sancti Fursei Monachi.* Denique quarto Kalendas Octobres Petrus de Natalibus, Maurolycus, Ferrarius, Wion meminerunt adhuc sancti Fursei, *apud Latiniacum in Gallia*, inquit Wion illo die, *sancti Fursei Episcopi qui in Hibernia claruit*, meliùs vocauerat Monachum decimo-quinto Kalendas Octobres, Abbatem & Confessorem decimo-septimo Kalendas Februarias.

IV. MIRACVLIS CLARET.

Miracula quæ Deus in sancti Fursei morte ac depositione operari dignatus est, ab antiquiore Anonymo in libro de Miraculis sic enarrantur. *Venit in prædictam traditionem Haimonis Ducis, vocabulo Maceriæ, Sanctus Domini infirmitate corripitur, & Angelicâ perfruitus visione, præsentia relinquens ad æterna migrauit regna.*

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

regna. Sed Haimo neglexit dicta sancti viri, tempúsque transitûs Sancti, aduenićnsque ad prandium suum vidit B. Furseum cum suis duobus Diaconis, & cum tribus cereis, quos posuerunt super mensam suam & abierunt. In illius rei memoriam olim, vt Desmaïus obseruat, *posita sunt Peronæ tria candelabra ante summum altare Sancti Fursei, in quibus tres candelæ continuò ardebant.* Rei nouitate *Haimo stupefactus interrogabat circumstantes se. Videtis gloriam quam ego video? Dixerunt se neminem vidisse. Qui dixit eis. Ecce vidi ante me virum sanctum stantem, qui vnigenitum meum resuscitauit, & signa magna nobis demonstrauit cum duobus Diaconis & tribus cereis, quos posuerunt super mensam meam & abierunt. Credo enim huic signo, quòd mihi mercedem præstabit, & nunc scio quòd de corpore migrauit. Ergo pergamus ad sepeliendum eum. Tunc ipse cum omni domo sua & cum cunctis pagensibus, seu cum Clero & turba Virginum, cum thuribulis & cereis perrexit ad sepeliendum Sanctum. Qui veniens in locum vocabulo Macerias, ibi cum odoribus magnis, hymnis atque canticis, custodiebat corpus Sancti. Audiens hæc inluster vir Erchenaldus Maiordomûs illuc cum turba multa hostiliter perrexit. Qui veniens ad supradictum locum super fluuium Alteia, vbi sancta iacebat gemma, ibi Haimonem Ducem præparatum inuenit hostiliter, vigilantem & custodientem corpus. Tunc Erchenaldus dicit Haimoni Duci. Redde mihi Monachum meum. Alioquin cras mane iudicet hoc Deus inter me & te. Haimo respondit. Et mihi primogenitum meum resuscitauit. Sed tamen quid inter nos hæc ratio? Iubeantur crastino iungi duo tauri indomiti, vt eleuent feretrum, & pergant Deo iubente quocumque voluerint. Tunc vir Domini Erchenaldus lætus effectus dixit. Rectè indicasti. Fiat secundùm iudicium tuum. Factum est autem dum vterque custodiret corpus beati viri, atque confabularentur, ecce puella cæca à natiuitate, quæ prostrato corpore tetigit pallium, quo feretrum operiebatur, & recepit lumen oculorum. Mane autem facto fecerunt vt hæc probarentur quæ dixerant. Tauros iungunt ad feretrum, ac statim eleuant sanctum corpus. Qui tenentes rectam viam itineris, peruenerunt ad villam, vocabulo Perronam. Erchenaldus verò post corpus pergebat cum turba populorum, & psallens glorificabat Deum. Et ecce claudus iacebat in via, qui expectabat consolationem Domini clamans & vociferans. Sancte Dei Fursee, adiuua me. Ego si potuissem tibi appropinquare, credebam me tuis meritis saluari. Tunc quidam viri misericordes portantes eum ante feretrum, fide poscente recepit sanitatem. His rite gestis ecce Bercharius Dux Lugdunensis*, id est, Dux Lugduni Clauati seu Lauduni *, * Laon.
venit cum exercitu magno volens rapere corpus. Tunc dixit ei Erchenaldus. Quid est hoc, Berchari, quòd sic armatus aduenis? Respondit ei Bercharius. Meus est legibus quem ducis, eò quòd ego prior omnibus in hac terra eorum dux fui, & quicquid mea fuit facultatis, ad cultus amoris eius & parentum ipsius tradidi ad posidendum. Ille viuens voluit ad me peruenire, quod tu non permisisti. Tamen obsecro quamuis non meruissem illum videre viuum, vt mihi saltem dimittas corpus eius custodire. Et hoc si nolueris, vnum è duobus elige, aut duos pueros rem ignorantes ad feretrum pone, vt eant partem quam elegerint, & hoc altissimus Iudex inter nos hac horâ diiudicet, quod placitum sibi fuerit. Respondit Erchenaldus. Prout dixisti fiat. Tunc misit Erchenaldus vnum puerum habentem septem annos de parte Berchary, & Bercharius similiter posuit puerum suum de parte Erchenaldi. Qui statim eleuantes feretrum, iubente Saluatore deduxerunt sanctum corpus ad montem Cygnopum. Et prædicti viri post corpus, cum eorum plebe & magna lætitia gaudenter pergunt, ibíque cum odoribus magnis condunt, vbi ipse Sanctus priùs multorum Sanctarum condidit pignora, id est, Patricy, Beani, Meldani, & ceterorum, quos secum detulit. Ex eo loco Desmaïus colligit Bercharium Furseo & eius sociis ex Anglia in Galliam soluentibus comitem fuisse, sed Anonymi verbis, quæ suprà recitauimus, attentè consideratis id tantùm eruitur, quòd Bercharius Furseo & eius sociis per pagum Veromanduorum, in quo sita est Perona, dux fuit, cùm rerum in Pontiuo gestarum famâ commotus eos Laudunum inuitasset duceretque, sed Erchinoaldus, qui longè potentior erat, eos in suis fundis, putà Peronæ & Latiniaci retinuit. *Corpus* sancti Fursei, vt idem Anonymus in eius

AN. CH. 650. SICIB. III. R. 18 CLOD. II. R. 13.

vita scribit, *ab illustri viro Erchenaldo Patricio retentum causâ Ecclesiæ, quam sibi magno opere construxit, in villa, cui Perona vocabulum est, ponitur. Et quia ipsius Ecclesiæ dedicatio intra viginti & septem parabatur dies, in quodam loco in porticu Ecclesiæ interim corpus summa cum diligentia custoditur.* Leutsinda Erchenaldi viri sui pietati plurimùm obstrepebat. *Coniux Erchenaldi nomine Leutsinda*, inquit idem Anonymus in libro de Miraculis, *furore repleta, eò quòd tam diligenter diligeret Sanctum, dixit viro suo. Ecce me desolatam cum filiis meis & filiabus derelinquis absque pecunia & possessione, tradens omnia nostra in manu eius quem nos ignoramus qui fuerit vel ex qua origine ortus est. Cui dixit Erchenaldus. Dulcißima mea Leutsinda, noli talia verba loqui. Leutsinda respondit. Fac me extraneam de tuo consortio, si sic perseueras vt cœpisti. Erchenaldus dixit. Cessa verbosare, Leutsinda, quòd si furor tuus non cessauerit, eris extranea de potestate mea & de deliciis quas tibi tradidi. Leutsinda irata respondit. Vtinam numquam peruenissem ad diem illum nuptiarum, vnde nunc reproba effecta sum. Erchenaldus dixit. Charißima, si scires quanta nobis venerunt bona à die, quo nobis suam tradidit familiaritatem, numquam in talia proueheres; scito certißimè, quòd si furor suus contra te versus fuerit, tu & omnia tua ibunt in perditionem. Subridens Leutsinda dixit. Audite cuncti, homo triginta dies putrefactus, quid mihi faciet mali? Venit autem dies quo templum ædificationis præparatum fuit.* (Dies ille quartus fuit Nonas Martij vt probatum est suprà.) *Ibi magnâ collectâ populorum adunatâ, Erchenaldus dixit. Leutsinda, ecce dies, in qua probare poteris, quæ semper dolosè inquiris; hodie Deo iubente transfertur Sanctus ad locum, quem ei præparatum habeo, & si sic inueneris, vt dicis, centuplum restaurabo tibi pecunias tuas. Tunc Leutsinda læta effecta, perrexit cum turba multa ad locum, vbi sanctum iacebat corpus, iubet discooperiri sepulchrum. Et ideo quia non erat digna videre sanctum corpus, amisit lumen oculorum. Quæ diu iacens in terra iuxta Sancti sepulchrum, quicquid à iuuentute adquisiuit, Christo propter amorem Sancti Fursei vouit. Statim vt credidit, sanata est. Cuncti adstantes gaudio magno repleti, eleuauerunt corpus cum magna exultatione, & condiderunt dextrâ parte altaris Apostolorum Principis.* Posterior Anonymus in libro de Miraculis testatur Ecclesiam quam Erchinoaldus construxerat, ab Episcopis Eligio Nouiomensi & Autberto Cameracensi dicatam fuisse. Sancti Fursei corpus illo die repertum est ita illæsum, ac si eâdem horâ de hac luce migrasset, id vterque Anonymus & Beda confirmant.

V. Posthæc, vt posterior Anonymus subiungit, *Erchenaldus & præfata vxor sua religiosos Canonicos ad seruiendum Deo & Sanctis suis, & præcipuè eis quorum præsentia ibidem habebatur, iuxta beatorum Patrum decreta instituunt, ac possessionibus suis amplißimis ditauerunt.* Desmaïus binas ait ab Erchenaldo extructas Ecclesias, vnam Canonicorum in monte Cygnorum quæ nunc est sancti Fursei, alteram Monachorum in loco qui mons sancti Quintini dicitur, & huic primum præfectum fuisse sanctum Vltanum sancti Fursei fratrem. Ecclesia sancti Fursei quæ hodie est Collegiata intra pomerium Peronæ, quæ Cygnopolis à cygnorum frequentia nominatur, vetus olim Capella fuit Principum Apostolorum, de qua iam locuti sumus. Mons sancti Quintini mediâ leucâ distat ab oppido Perona. Vtrobique Monachos à principio fuisse arbitramur, quamuis lapsu temporis Basilica sancti Fursei in Collegiatam abierit. Quæres cuius ordinis extiterint hi Monachi? Ioannes Manriquez in suo libro [a] de origine Fratrum Eremitarum contendit sanctum Patricium eiúsque discipulos atque alios Hiberniæ Sanctos plerosque fuisse Ordinis Eremitarum sancti Augustini. Contra verò Gabriel Pennotus [b] contendit eosdem fuisse Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini, addítque nullum aliud institutum in Hibernia fuisse vsque ad tempus sancti Malachiæ & sancti Bernardi. Trithemius in opere de viris illustribus Ordinis Benedictini, Wion in ligno vitæ, Menardus in Martyrologio Benedictino, & alij passim huius sacri instituti Scriptores, plerosque Hiberniæ Sanctos Benedictini faciunt instituti, ídque peculiariter de

[a] Cap. 15.

[b] Lib. 2. capp. 34. 35.

ſancto Furſeo aſſerunt Trithemius [a], Wion [b] & Menardus [c]. Colganus in Appendice [d] ad vitam ſancti Furſei ait in ipſa Hibernia olim extitiſſe octo & plures Regularum Conditores & Patriarchas, nempe ſanctos Patricium, Alueum, Columbam, Brendanum, Kieranum, Comgellum, Adamnanum, Brigidam, &c. ſub quorum Regulis vixerunt Religioſi & Monachi Hiberniæ per plura ſecula, donec paulatim Monachis hiſce à priſtino ſui inſtituti rigore deflectentibus, inſtitutum tum Benedictinum, tum Canonicorum Regularium pedetentim ſit introductum. Et quantùm ad ſanctum Furſeum attinet, is proculdubio ſancti Brendani ſeu Brandani, ſui primi & celeberrimi Magiſtri, quem iſto æuo trium millium Monachorum Patrem & Regulæ ab Angelo ſuſceptæ authorem Acta eius propria, Capgrauius, Poſſeuinus, & alij teſtantur, ſecutus eſt inſtitutum, nec aliam Regulam ſuis diſcipulis in Gallia præſcripſit, Vltanus enim illius frater Abbas extitit Cœnobiorum Peronenſis & Foſſenſis, quorum vltimum Eginhardus Scotorum ſiue Hibernorum Monaſterium nono ſeculo vocauit, cùm librum quartum [e] de ſanctorum Martyrum Marcellini & Petri Tranſlatione ac miraculis exararet, ſanitatiſque, quam Dothius recuperauit, narrationem ſic abſolueret. *Hic homo de Monaſterio Scotorum, quod Foſſæ vocatur, ſe veniſſe, Dothiumque appellari dicebat.*

SECVTVS EST REGVLAM S. BRENDANI.

[a] Lib. 3 c 86.
[b] d. 16. Ian.
[c] d. 16. Ian.
[d] Cap. 5.
[e] Cap. 22.

VI.

Auditâ ſancti Furſei morte, duo eius fratres Vltanus & Foillanus in Gallias ſtatim transfretarunt. In vita ſancti Foillani, quam Hugo Menardus [f] ex veteri Codice manuſcripto ſancti Arnulphi Metenſis deſcripſit, hæc leguntur ſub initium. *Fuit ſanctus Foillanus Scotus Hibernicus, frater ſanctorum Furſei & Vltani, nobili loco natus. Ab ineunte pueritia Deum colere cœpit religioſiùs. Tempore Sigeberti Regis, Grimoaldi Maioriſdomûs, & Erchenaldi Patricij cum ſeniore eorum fratre Vltano in Galliam venit, & vnà diuerſa loca peragrando (erat autem Epiſcopus) Chriſti euangelium longè latéque diuulgauit. Tunc temporis ſancti illi viri diuerſati ſunt apud ſanctam Itubergam, eiúſque filiam Geretradem virginem ſanctiſſimam. Sancta igitur Geretrudis cùm eorum ſanctimoniam perſpectam & exploratam haberet, dedit eis villam vulgò Foſſas dictam, vt in ea Monaſterium conſtruerent & Xenodochium. Monaſterium regebat Vltanus. Sanctus verò Foillanus ſe ſanctæ Geretrudis adiunxit contubernio.* De dignitate Epiſcopali, quam Author vitæ Foillano attribuit, diſputabimus inferiùs. Interim obſerua Characteres, quibus Vltani & Foillani aduentum in Franciam conſignat, à Chronologia noſtra non diſcrepare, cùm enim ſanctus Furſeus ad Deum migrauit, regnabat in Orientali Francia Sigibertus, apud quem Maioriſdomûs officio fungebatur Grimoaldus, in aula verò Clodouei fratris præ ceteris enitebat Erchenaldus Patricius ſeu Maiordomûs, eodémque tempore Niuellenſi Cœnobio præerat Gertrudis Abbatiſſa, & ſuperſtes in viuis adhuc erat Itta ſiue Iduberga ipſius Gertrudis mater, cuius obitus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo contigit, octauo Idus Maias, illo enim die nomen eius legitur in additionibus Molani ad Vſuardum, mortuáque poſt annos duodecim à morte Pipinij mariti traditur cùm in vita ipſius Pipinij tùm in vita Gertrudis filiæ. Idem Menardus [g] ex veteribus monumentis Monaſterij Centulenſis ad ſe tranſmiſſis vitam ſancti Magdelgiſili compoſuit. Operis initium tale eſt. *Fuit ſanctus Magdelgiſilus natione Hibernus, & diſcipulus ſancti Furſei, alti generis proſapiâ ortus. Sanctus igitur Furſeus mundi gloriam fugiens in Britanniam maiorem traiecit, deinde in Germaniam comitem habens ſuorum itinerum & laborum Magdelgiſilum. In illa regione Cœnobium ædificauit ſanctus Furſeus, illiúſque curam commiſit clariſſimo ſuo fratri beato Abbati Vltano, & acceptâ licentiâ à Sigeberto Rege vnà cum Magdelgiſilo aliiſque diſcipulis venit in Galliam Occidentalem, quam debebat exemplis & meritis illuſtrare. Ibi ergo ſanctus Magdelgiſilus Magiſtro ſuo adhærens, famem, ſitim, vigilias, & labores multos tolerabat. Sancto autem Furſeo in cœlum recepto & corpore eius Peronam delato beatus Magdelgiſilus ob abſentiam tanti Magiſtri non leui mœrore angebatur, quippe qui*

VLTANVS ET FOILLAN. EIVS FRATRES VENIVNT IN GALLIAM.

[f] In Append. ad lib. 1. obſeruat. d. 31. Oct.

MAGDELGISILVS FIT MONACHVS CENTVLENSIS.

[g] Lib. 1. obſeruat. d. 30. Maij.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

aduena & locorum ignarus, quo se conferret, hæsitabat. Monastica vitæ cupidus locum tranquillitati idoneum quærebat. Tandémque Centulensis Cœnoby ad eius aures fama peruenit, ad quod illicò se contulit, petiitque in fratrum numerum recipi, quod facilè obtinuit. In hoc sanctorum Cœnobitarum cælo tanquam nouum sidus omni virtutum genere fulgere cœpit, itaut cæteris vitæ Regularis facem præberet. Tunc temporis Clodoueus Dagoberti filius & Bathildis venerabilis eius coniux Regnum Francorum administrabant, & crebra ad tumulum sancti Richary Deus operabatur miracula, quibus inflammati Centulenses Monachi omnes neruos ad vitæ perfectæ studium intendebant, & præcipuè sanctus Magdelgisilus, qui districtioris vitæ ardens desiderio ad vitam Eremiticam citò animum conuertit, vt ab omni turba seiunctus maiori cum tranquillitate in rerum cælestium meditationem posset incumbere. Menardus frustrà quærit interpretationem, frustráque citat Desmayum, vt Auctorem illorum monumentorum excuset, quòd sanctum Furseum primò *in Britanniam maiorem*, deinde *in Germaniam* siue in Austrasiam, postremò *acceptâ licentiâ à Sigeberto* Austrasiorum seu Francorum Orientalium *Rege in Galliam Occidentalem* ad Clodoueum Neustrasiorum seu Francorum Occidentalium Regem, prædicti Sigiberti fratrem, deduxerit. Ante biennium de Fursei peregrinationibus fusè disputatum est. Ne laberemur in errorem, Saxoniam Anglicanam à Saxonia Germanica, necnon Sigbertum Anglorum Orientalium Regem à Sigiberto Francorum Orientalium Rege distinximus. Nec Furseum ex Anglia discedentem comitatus est Vltanus, nec Austrasiam seu Franciam Orientalem adiit Furseus. Hic enim è Britannia rectà nauigauit in illam Galliarum partem, quæ Neustrasia seu Francia Occidentalis appellabatur, & vnà cum Burgundia Clodoueo Regi parebat. Est & alius næuus in Menardo, vbi affirmat Deum crebra miracula operatum esse *ad tumulum sancti Richary*, priusquàm Magdelgisilus Centulam se conferret, seriùs enim ex hoc seculo migrauit sanctus Richarius, vt dicemus infrà. Postremus hic error à Menardo transiit ad Saussaium, qui de sancto Magdelgisilo seu Madelgisilo sic scripsit in Martyrologio Gallicano. *Tertio Kalendas Iuny, in Ambianis Centula Monasterio repositio sancti Madelgisili Monachi & Confessoris discipuli sancti Fursæi; qui natione Hibernus, altâ ortus prosapiâ, cum eodem in Galliam venit, eximios vbique spargens & piæ imitationis & sanctæ conuersationis odores. Cui ad illius vsque transitum adhæsit, famem, sitim, vigilias, & labores multos in delitiis habens. Tum eo in cælum recepto, ad Centulæ Asceterium se contulit, cuius fama erat religiosæ disciplinæ celebris, vbi in fratrum cœtum admissus, mira omnium virtutum edidit specimina. At subinde pertæsus concursûs frequentioris eorum, qui ad petenda sancti Richarÿ tunc miraculis coruscantis præsidia confluebant, de Abbatis licentia in agellum à strepitu remotiorem secessit.* Porrò qui Magdelgisilus est Menardo, Saussaio Madelgisilus, is Malbranco Malguillus est libro tertio [a] de Morinis, Colgano Malguillas in notis ad vitam [b] sancti Fursei. Præter Malguillæ nomen nihil occurrit apud Colganum, apud Malbrancum multò plura præcitatis Auctoribus valdè conformia. *Ademptus Pontiuo Fursæus, at insigni sui pignore in eo relicto. Ipsi ad Gallias transmeanti comes additus fuerat Malguillus non inferiore genere: atque vt in transmarinis Fursæanorum miraculorum testis, ita Pontinicorum fuit eiusdem laborum, inediæ, vigiliarum, precationum & concionum socius. Vnde Diui mortem omnium charorum amissione ægriùs tolerabat. Quò verò eius imitatione suam leuaret ægritudinem, sedulus expiscabatur qua in statione reliquos annos figeret. Centulensis ei proposita societas, quæ optimis firmata institutis, ex Anglia suum acceperat Richarium auctorem. Et hic cùm innumeris clarescceret miraculis, non potuit Marguillus, quin tam sacro se addiceret domicilio. Asceta plurimùm eius contubernio iucundati, velut Angelum cælo lapsum suspiciebant. Sed Malguillus inde ratus non parùm suorum meritorum cumulo decedere, sibi facultatem fieri obnixè petiit solitariam deligendi sedem, quò liberiùs diuina contemplaretur.* Scribebat hæc Malbrancus anno Christi millesimo sexcentesimo vndequadragesimo. Citauit ad marginem Chronicon Centulense manuscriptum, illúdque sub fi-

[a] Cap. 38.
[b] d. 16. Ian.

nem Scholiorum in librum quartum sic commendauit. *A Chlodouao primo Francorum Christianissimo Rege orditur, finitúrque opus ad annum* 1437. Operâ & studio Domni Lucæ Dacherij [a] prodiit in lucem Chronicon Centulense Auctore Hariulfo Monacho Centulensi, quod à superiore longè diuersum videtur, tum quia ne verbum quidem habet de Marguillo, tum quia desinit in anno post Christum natum millesimo duodenonagesimo, vt ipsemet Hariulfus hoc epilogo contestatur. *Ego frater Ariulfus Monastery Beati Richary humilis Monachus, hoc de sancti loci nostri nobilitate vel vtilitatibus à Domno Saxouualo ante plures annos inchoatum opus Deo auxiliante perficiens, obsecro omnes, qui in hoc sancto loco militaturi sunt, immò per virtutem Dei & sapientiam Christum obtestor, vt hæc, in quibus congregandis desudauimus, diligenter ipsi custodiant, & ea qualicumque modo deperire non permittant. Completum est autem istud opus humanitatis fily Dei anno* MLXXXVIII. *Indict.* XI. *anno Regis Philippi* XXVIII. *Widone Pontiuorum Comite anno* XXXVI. In editione Dacheriana legitur Indictio X. reposuimus Indictionem XI. quæ coincidit cum anno Christi millesimo duodenonagesimo, necnon cum anno duotricesimo Philippi Regis, qui Henrico patri in Regnum anno Christi millesimo sexagesimo successit. Malbrancus Chonicon Centulense, quod præ manibus habuit, fœtum agnoscit Auctorum quinque, quorum primus & antiquissimus Alcuinus, secundus Ratbertus, tertius Saxouualus, quartus Hariulfus, quintus Anonymus. Vitam sancti Richarij, quam Surius [b] publicauit, scripsit Alcuinus sub Carolo Magno. Ratbertus sub Ludouico Pio eiúsque liberis floruit, & à Monachis Centulensibus expetitus ampliorem sancti Richarij vitam dedit, quam nondum excusam remur. Calamo manum seriùs admouit Saxouualus seu *Sauuable*, quo tempore incertum, licèt eius conatum laudent Hariulfus & Anonymus. Finem operibus suis imposuerunt Hariulfus anno Christi millesimo duodenonagesimo, Anonymus anno Christi millesimo quadringentesimo tricesimo-septimo. Chronicon Hariulfi siue Ariulfi, quem Arnulphum vocat, Anonymus non tantùm persecutus est ab anno Christi millesimo duodenonagesimo ad annum vsque Christi millesimum quadringentesimum tricesimum-septimum, sed & sparsim multis auxit additionibus, e quarum numero habendum est encomium sancti Malguilli, quod ab eo Malbrancus suprà citatus desumpsit. In laudes Hariulfi siue Arnulphi, teste eodem Malbranco [c], sic exspatiatus est Anonymus. *Geruinus vndecimus Abbas sancti Richary in Centula complures Centulensium Monachorum numero adscripsit, quos inter viri duo honorificentissimi extitere. Primus Arnulphus, qui res omnes hactenus à nobis traditas conscripsit, cuiúsque insigni operâ maxima earum notitia ad nos peruenit, strenuus admodum vir fuit Scriptórque probatissimus in Pontino, vnde oriundus. Cùm iam multis annis inter Centulenses vixisset, in tertium Abbatem Ecclesiæ Ardemburgensis in Flandria adsumptus est, vbi vti Sanctus habitus est, & in paucis charus.* Et inferiùs. *Hoc tempore creatus Abbas Ardenburgensis Arnulphus Pontinensis & sancti Richary Monachus, qui hæc gesta hactenus à nobis descripta tradiderat, compereràtque iam à pluribus annis anteà incœpta collectáque per alium Scriptorem, Sauuable nomine: Monachos verò obtestabatur per Dei virtutem & Iesu Christi sapientiam, vt omne hoc rerum piarum florilegium diligentissimè adseruarent in Archiuis suis, & ne minimam paginam sinerent deperire.* Deinde asseruit finem operi ab eodem Arnulpho impositum *anno Christi* 1088. *Philippi Regis Francorum* 28. *Guidone Comite Pontiui.* Hæc omnia cum Ariulfi siue Arnulphi epilogo suprà recitato quadrant optimè. Quicquid autem de Saxouualo dicant Arnulphus & Anonymus, de Arnulpho Anonymus, de Anonymo Malbrancus; id nos minimè moratur, quia Chronologia, quâ sancti Richarij ætas ac gesta nituntur, tota pendet ab Alcuino inter prænominatos Auctores antiquissimo, cui præ manibus etiam fuerunt duo vetustiores Codices, quorum locutionem simplicem ac minùs politam in elegantiorem stylum seruato priorum verborum sensu commutauit, vt ipsemet in sua præfatione ad Carolum

[a] Tom. 4. Spicileg.

[b] d. 26. Apr.

[c] Sub finem scholiorum ad lib. 4.

AN. CH. Magnum testatur. Hariulfus libro primo sui Chronici, vbi de sancto Richa-
650. rio sermonem instituit, eiusdem Alcuini auctoritatem tanti facit, vt, ne vi-
Sicin. deatur ab illius computo vel tantillùm recedere, confugiat ad subtilem in-
III. R. 18. terpretationem, putetque tutum hoc sibi subterfugium fore. *Verba Domini*
Clod. Alcuini *de vita S. Richarij*, quæ leguntur apud Alcuinum in ipso vitæ initio,
II. R. 13. sic recitat capite quarto. *Temporibus igitur Gloriosissimi Regis Francorum Dagoberti, qui & seculari potestate præclarus, & Christianâ Religione nobilis effulsit: nam & Optimates suos dignitatibus exaltauit, & seruos Dei honoribus excoluit; plurima Monasteria à sanctis Patribus cœperunt construi, necnon multi ex laico habitu viri religiosi inuenti sunt, ex quibus Richarius quidam natus in villa Centula prouincia Pontiua velut lucifer inter vmbras oriens emicuit, non tam nobilibus iuxta seculum parentibus ortus, quàm moribus honestus, & omni probitate deuotissimus, itaut in laica vita quædam præsagia futuræ sanctitatis gereret.* Et capite quinto eadem Alcuini verba sic interpretatur. *Quod in præfatione monuimus, & nunc itidem commonemus, vt nemo ferat indignè, si hæc Domini Albini verba de vita Sanctissimi Confessoris rhetoricè & perplexè dicta causâ intelligentiæ manifestioris enucleare tentamus. Ecce enim videtur dixisse quòd Dagoberti temporibus Sanctus ille ortus sit: cùm profectò fieri non potuerit, vt sub tempore vnius Regis paucnlo spatio regnantis homo nasceretur, adolesceret, educaretur, & ad perfectæ senectutis fastigium, vel decrepitæ ætatis perueniret senium. Quid ergo, inquis, contradices Auctori vitæ eius? Non contradico, nec aliud astruo, sed ipsum, quod disertissimus vir paucis & connexis elocutus est verbis, elucidare cupio. Denique audi. Dicit Dagoberti temporibus plurima Monasteria cœpisse construi, & multos ex laico habitu viros religiosos inuentos fuisse. Ac deinde subiungit. Ex quibus Richarius quidam. Animaduerte quia non dicit Dagoberti tempore esse natos, sed religiosos inuentos, quos vtique olim ortos, & grandæuæ tunc ætatis necesse est intelligas, & ac si diceres. Ecce, honeste vir, dixisti multos viros religiosos inuentos fuisse, & ago Deo gratias; quia merui ex illis Patronum; sed cùm sanctitatis eius bonum inchoas prædicare, vellem vt & quo loco natus sit manifestares. Protinus egregius vir consilio tuo adquiescens & ad superiora recurrens rhetoricè intulit & nimis parcè. Natus in villa Centula prouincia Pontiua. Ac demum velut adhuc inquirenti, an ipsa eius natiuitas humiliori parentum prosapiâ extiterit, absurdè interroganti cum exaggeratione indignationis intonat dicens. Velut lucifer inter vmbras oriens emicuit. Tum verò tanquam adhuc insistenti, ne fortè illa splendidissima natiuitas & generis claritudo sancti viri virtutibus obfuerit, vt quasi minùs se humiliauerit, qui tantùm de seculo præsumere potuisset, doctor modestus ab hac te remouens cogitatione salubriter infert. Non tam nobilibus iuxta seculum parentibus ortus, quàm moribus honestus, & omni probitate deuotissimus. Tanquam dicens. Adeò in illo viguit excellens nobilitas, vt qualis inter vmbras lucifer, talis & ipse splendore generis inter patriotas haberetur. At ne putes quòd tantâ sanguinis natus altitudine, cælestis militiæ difficiliùs arma corripuerit, scito illum contempto generis supercilio, tam humiliter ac summissè diuinis paruisse mandatis, vt nobilitatis magnitudinem vicerit religionis magnitudo, & seruatâ in omnibus dulcedine totum vendicaret honestas, nihil possideret arrogantia.* Eodem capite ex prædicta explicatione circa ætatem sancti Richarij mox ita ratiocinatur. *His ita existentibus, aliquid de ipsis vitæ eius temporibus recenseamus, videtur enim absonum, vt Dagoberti temporibus æstimetur esse ortus, cùm ille gestorum eius textus postquàm dicit quomodo prædicatione seruorum Dei conuersus sit, & post conuersionem qualiter conuersatus sit, ac post abstinentissimam conuersationem quo feruore verbum Dei annuntiauerit, vtque sanctam commatrem suam Richtrudem visitans, filium eius, Sanctum scilicet Maurontum, benedixerit, atque ad postremum tentantem se hostem prostrauerit, euidenter doceat ipsum Regem Dagobertum Sancti famâ excitatum, eundem Dei virum visitasse, & benedictionis suæ orationis gratiam flagitasse. Denique ipse, cuius modò mentio incidit, B. Maurontus in aula eiusdem Regis militauit, & vt nobilis Regiæ bullæ vel sigilli baiulus, quem videlicet Christi Sacerdos Richarius dudum infantulum baptis-*

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

mate regenerauerat. Omnino igitur hac gestorum tenenda est discretio, vt iuuenem hunc sanctâ prædicatione conuerterit Chaydocus, sed Dei Sacerdotem iam penè decrepitum inuisit Rex Dagobertus. Quæ omnia sic esse, ipsorum gestorum euidens ratio manifestat, si tamen industria legentium sagaci discutiat intellectu. Hæc anticipando præmisimus, vt commendatâ temporum ratione cetera iam fidentiùs exequamur. Quæ tamen nos post venerabilis Albini facunda eloquia dicere præsumpsisse fraterna caritas benignè indulgeat. Posteà sic orditur caput sextum, quod inscribitur *de aduentu & prædicatione Sanctorum Hiberuensium*, id est, de aduentu Chaydoci & Adriani in Pontiuam regionem vbi Richarius morabatur. *Eo tempore quo B. Richarij iuuentus insignissima, necdum seculari schemate exuta, diuinis iam Christo volente erat mandatis informanda, quo videlicet tempore Sigibertus Rex cum Regina Brunichilde statuto apud Mettensium vrbem Regni sui solio, Orientalem Franciam gubernabat, contigit duos Sacerdotes sanctitate florentes & virtutum meritis fulgentes de Hybernia partibus Pontiuas peruenisse regiones. Prioris nomen Chadoycus, alterius nomen eò quòd rictu linguæ barbaræ ineptum visum est, à prioribus mutatum vocatur & scribitur Adrianus. Ipso autem tempore, quo isti, propria deserentes, Christum secuti sunt, multorum Sanctorum examina produxisse scitur Hibernia, ex quibus beatus quoque Columbanus homo Scotici generis floruit, cuius laudabilis conuersatio virtúsque eximia totius Galliæ loca respersit. Fertur verò, quòd cum ipso illi quoque maria huc properanda transmearunt. Quos ad nostra loca ferimus diuertisse, vnde & illa temporum ratio, quam paulò superiùs notauimus, maximè confirmatur, quia cùm notissimum sit omnibus B. Columbanum Sigiberti Regis & Brunichildis coniugis eius tempore Franciam aduenisse, necessariò creditur beatissimus Richarius superioris Clotharij Regis temporibus natus fuisse, quem illi Sancti viri diebus Sigisberti iam iuuenem inuenerunt, quem tamen sic iuuenem dixerim, vt animi libertas & industria summa in illo vigens nihil admitteret iuuenile.* Illa autem Alcuino penitus aduersantur. Textum enim, quem Hariulfus fideliter quidem ex Alcuino descripsit, sed, vt obseruatum est suprà, pro suo libitu explicuit, hæc proximè sequuntur apud eundem Alcuinum. *Contigit autem illo tempore*, id est, tempore Dagoberti Regis, de quo Alcuinus in præcedenti periodo loquebatur, *duos Sacerdotes, sanctitate florentes & virtutum meritis fulgentes, quorum prior Caidocus vocabatur, alter verò Frichorius, de Hybernia partibus in Pontiuas peruenisse regiones, sed à rusticis & popularibus illius loci propter insolentiam morum non sunt suscepti, nec digno eorum sanctitate honore tractati, sed magis iniuriis afflictos & opprobriis castigatos à finibus suis cœperunt eos expellere. Quorum violentiæ & sceleratis præsumptionibus futurus Dei famulus Richarius obuiauit, Christíque seruos de manibus impiorum eripuit, & cum omni benignitate eos deducens in domum suam, Deo prouidente, vt illi protegerentur, & ipse saluaretur, obtinuit.* Posteriorem hunc textum, quo Alcuinus quid de sancti Richarij ætate sentiret manifestissimè declarauit, allegasset etiam Hariulfus, si quâ potuisset illum arte atque interpretatione ad opinionem suam detorquere, sed animaduertit id nullâ ratione fieri posse. Stet igitur sua fides Alcuino, cuius auctoritate freti diximus Richarium natum esse *in villa Centula prouinciæ Pontiuæ*, & in illam regionem ex Hibernia venisse Caidocum & Frichorium circa annum Christi sexcentesimum vndetricesimum, cùm Dagobertus in Neustrasia post Clotarium patrem iam regnaret. Vnde redarguas & Anonymum, qui teste Malbranco suprà citato Richarium in Anglia natum scripsit, & Hariulfum qui Caidocum & Frichorium siue Adrianum asseruit in prouinciam Pontiuam aduenisse regnante tunc apud Orientales Francos Sigiberto, cuius mors, vt suo loco probatum est, in annum Christi quingentesimum septuagesimum-quintum incidit. Cùm Caidocus & Frichorius in Galliam nauigarunt, Richarius virilem iam attigerat ætatem, & paulò pòst promotus est ad Presbyteratum. Vt ita censeamus, nos impellit Alcuinus, qui de Richario sic differit. *Christi seruos*, nempe Caidocum & Frichorium, qui recenter ex Hi-

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

bernia venerant, *de manibus impiorum eripuit, & cum omni benignitate eos deducens in domum suam, Deo prouidente, vt illi protegerentur & ipse saluaretur, obtinuit. Nec lucerna gratia Dei accensa diutiùs abscondi potuit, sed patefactum lumen sanctitatis & prædicationis longè latéque ad salutem multorum fulsit. Nam introductos hospites suos cum magna charitatis honore curauit, eósque sibi verbum Dei prædicantes cum tota humilitate & intentione audiuit. Nec frustrà in terram bonam semen verbum Dei sparsum est, sed quod aure audiebat, hoc radicitus corde retinebat, & centenos in horrea Christi, vt posteà luce clariùs & sanctitate & miraculorum ostensione claruit, fructus germinauit. Igitur ex prædicatione famulorum Dei & adspiratione gratiæ diuinæ compunctus, ad lachrymas conuersus, confessionem suorum fecit peccatorum, & in conspectu omnipotentis Dei ardenter veniam petens, lachrymis absoluit, quod ignoranter ab adolescentiæ illecebris peccauit, & qui Dominum suscepit in famulis suis hospitalitatis gratiâ susceptus est à Domino in misericordia & pietate. Nam ex eo tempore initium sacræ religionis sumpsit, & ad altiora pietatis fastigia gradibus quotidie humilitatis scandere nitebatur, & arreptum semel vitæ iter, fidei passibus peragere conatus est, atque posteriora obliuiscens, se in anteriora cum Apostolo extendit, illius Versiculi per singulos gradus memor, [ibunt Sancti de virtute in virtutem] quatenus perueniant ad id quod sequitur. [Videbitur Deus Deorum in Sion.] Itaque mox ab initio conuersionis suæ tam durâ se castigatione constrinxit, vt post longa & diuturna ieiunia, pane hordeaceo cinere commixto, & aquâ lachrymis temperatâ, fessum ieiuniis corpusculum refocillaret, & huius cibi sustentaculo deuotus Christi Athleta vigiliis & orationibus die noctúque Domino militabat, non aerem verberans, sed corpus suum castigans, ne futurus Christi prædicator, in aliquo reprobus inueniretur. Sed his atque huiusmodi virtutum gradibus & sanctissimæ vitæ moribus Deo acceptabilis, dignis successibus ad Sacerdotalem peruenit honorem, vt cui prædicationis deuotio inerat, honoris dignitas non deesset.* Neustriam administrauit Dagobertus Rex annis nouem & ampliùs. Illo temporis spatio geri potuerunt ea, quæ de Richario narrantur ab Alcuino sub Dagoberti Principatu. Richarius Caidocum & Frichorium excepit hospitio, factus est Presbyter, Euangelium prædicauit in Anglia, reuersus in Galliam Maurontum baptizauit, Dagobertum Regem ad se venientem suscepit. Quibus de rebus à nobis actum ad annos Christi sexcentesimum vndetricesimum [a], sexcentesimum tricesimum-secundum [b], & sexcentesimum tricesimum-quartum [c]. Cetera Richarij gesta post Dagoberti Regis obitum reiicienda sunt. Nec te moueat, quòd apud Hariulfum, qui se subnixum Alcuino iactat, Richarius, qui Maurontum baptismo regenerauit, in aula Dagoberti Regis militat, & Regij sigilli baiulus perhibetur. Id enim ex Alcuini textu, quem alio loco recitabimus, elici nequit; & teste Hugbaldo, qui Hariulfum antiquitate longè superat, Rictrudis, quæ Maurontum Adalbaldo marito peperit, non antè nupta est, quàm Dagobertus ditionem Chariberto fratri post Clotarij patris obitum traditam recepit Chilperico ipsius Chariberti filio extincto. Superstes igitur in viuis erat Richarius cùm Dagobertus Rex obiit, imò Centulense Monasterium regebat cùm Magdelgisilus eò se contulit post mortem sancti Fursei. De tempore, quo Richarius Monasterium Centulense construxit, non conueniunt Auctores, nec mirum, cùm super illius Abbatis ætate multùm disputent. Alcuini auctoritate quæstio dirimi non potest. Hic enim ea de re nihil scripsit, excepto quòd Richarius, vt alio loco dicturi sumus, *eremum concupiuit quatenus liberiùs soli Deo vacaret, & monasticam*, id est, solitariam, *vitam petiit, quo secretiùs sola cælestia mente rimaretur, Ecclesiæ regimen alteri tradens, quam ipse in Centula vico Christo fundauerat.* Hariulfus distinctiùs egit de constructione Centulensis Monasterij, cuius initia capite decimo-quinto libri primi retulit post Richarij reditum ex Anglia. *Postquàm*, inquit, *fugatis ignorantiæ ac errorum tenebris multas Dei famulus Richarius Christi nomine repleuerat regiones, & paganos conuersos innumeros sanctâ fide, plerosque autem monasticâ religione instruxerat, post locatas Ecclesias & Clericos*

[a] Num. 11.
[b] Num. 14.
[c] Num. 17.

AN. CH. 650. SIGEB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

Clericos delegatos, cùm sentiret se non posse ampliùs præualere ad circuitionem prædicationis, permaneret tamen in eo infatigata voluntas sanctæ exercitationis, solo natiuo, & paternæ hæreditati, quam nostrates alodium vel patrimonium vocant, sese contulit, quod reliquum erat vitæ ibidem in Dei seruitio transacturus. Hanc denique possessionem Christo secum dudum obtulerat, Monasteriúmque in paterno solo construxerat, vt vbi ipse fuerat mundo procreatus, ibi multos per Dei gratiam generaret, & in loco suæ natiuitatis procrearentur filij supernæ hæreditatis. Qui locus, Deo conseruante, clarus adhuc in villa Centula permanet, & Christo Domino famulantium hactenus turbam retentat. Igitur cùm hoc perfecisset, prout sanctissimæ eius voluntati complacuit, quæ non amplitudinem ædificiorum aut venustatem tectorum, sed salutem animarum, & sanctitatem quærebat morum honestorum, ex prouincialibus aliquos, & ex his quos redemptos fecerat liberos, qui scilicet sanctitatem eius certiùs æmulabantur, inibi fratres collocauit, quorum vitas discutiens, moresque corripiens, de imis ad alta, de terrenis ad cælestia, plùs exemplo quàm verbo tendere perdocebat præsidendo eis iure Abbatis. Hic Chronographus, quia Richarium regnante Clotario Primo in lucem editum putauit, eundem Richarium, cùm prima Centulensis Monasterij fundamenta sub Dagoberto Rege posuit, prouectæ tunc ætatis virum finxit, qui *sentiret se non posse ampliùs præualere ad circuitionem prædicationis.* Nos verò, quoniam Richarium sub Clotario Secundo, Primi nepote, natum existimamus, eundem asserimus robustis præditum viribus & ætate vegetâ, cùm reuersus est ex Anglia déque condendo apud Centulam Monasterio primùm cogitauit. In hanc quoque sententiam vi quadam veritatis attractus ire videtur ipsemet Hariulfus, cùm in fine capitis, quod inscribit *de constructione Centulensis Monasterij*, Richarium sic laudat. *Tantus illum ad colligendas Deo animas feruor accenderat, vt sic Monasterio præesset, quatenus per Ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, & corda audientium ad amorem patriæ cælestis accenderet.* Idque sequenti capite confirmat, vbi Richarium exhibet equo insidentem, vt visitet *Deo deuotam fœminam Hrictrudem*, cuius filium, nomine Maurontum, baptizauerat. Illustria fuerunt primordia Monasterij Centulensis, & Dagobertus Rex *eâ ipsâ die*, quâ Richarium Abbatem inuisit, *aliquid de censu suo*, vt Alcuinus ait, *ad luminaria domûs Dei condonauit.* Præter id, *delegauit* etiam Dagobertus Rex Abbati Richario, vt Hariulfus subiungit [a], *territorium quoddam in pago Pontiuo, quod dicitur Campania, vbi habentur villæ tres, ex ea die Sancto viro, & post eius transitum Centulo Cœnobio hodiéque seruientes: quarum prima vocatur Altuillaris, secunda Rebellis-mons, tertia Valerias.* Sub Clodoueo Secundo, Dagoberti Regis filio ac successore creuit fama fratrum Centulensium, quorum sodalitio post obitum sancti Fursci Magdelgisilus se addixit hoc anno, Clodouei Secundi Regis decimo-tertio. De Richario déque Magdelgisilo plura non scribemus hoc loco, sermo enim de vtroque inferiùs recurret.

VII. EVSEBIA VENIT MARTIANAS.

Hoc anno, Rictrudis Abbatissa Martianensis, cùm Eusebiæ filiæ suæ Hamaticensi Abbatissæ propter ætatem teneram multùm metueret, illam authoritate regiâ compulit relicto Hamatico Martianas seu Marchianas cum suo sodalitio venire. *Coacta Eusebia*, inquit Hucbaldus, *ad matrem venit mœrens, secúmque adduxit totam Congregationem suam, & proauiæ sanctæ Gertrudis corpus cum reliquiis Sanctorum, quæ illic condita fuerant. Mater autem eius, voti compos effecta, hortabatur illam multis verbis vt cum ipsa in spiritali militia Deo inseruiret. Et illa quidem maternis admonitionibus libentissimè parebat, diuinis ministeriis iugiter sese mancipans, sed tamen non potuit amor eius & desiderium reuocari ab Hamatico Monasterio, quæ ei quasi innata videbatur. Quamobrem flebat sæpissimè, & propè singulis noctibus post absolutam vespertinam synaxim, cùm eam putarent se dare cum aliis quieti, illa relictis ante lectum sandaliis ibat ad Hamaticum Monasterium intempesta noctis silentio cum sanctissimo Episcopo & Monacho Amato, & cum collactanea sua, aliisque fidis, vt putabat, sui secreti sociis. Ibique celebratis vigi-*

[a] Lib. 1. cap. 18.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 15.

liis & omnium horarum officiis Martianas reuertebatur, fideli illo peracto furto, ne illic nocturnis precibus non interfuisse deprehenderetur. Scribunt omnes Amatum Senonensem Episcopum ab Ebroino Maiore domûs regiæ pulsum fuisse in exilium regnante Theodorico, expungendum igitur illius nomen ex Hucbaldi Codice superiùs allegato, Eusebia enim Hamaticensis Abbatissa, quæ sub Dagoberti Principatu vitam inchoauit, vixitque *annos plùs minùs viginti tres*, obiit dubio procul, antequàm Theodoricus regnum auspicaretur. Si verò, quod in animum nostrum vix inducere possumus, Eusebia consilium suum cuidam Episcopo communicauit, certè non Amatum Senonensem quem nuspiam nouit, sed Aurbertum Atrebatensem Antistitem arcanorum suorum participem fecit, & per *A* primam nominis literam, quæ Autbertum significabat, Amatum Hucbaldus, alij Amandum designari perperam crediderunt. Amatum, qui diu cum Mauronto Eusebiæ fratre in Broylo Monasterio degit, Hucbaldus nominauit, sed rationem temporis, vt ex prædictis patet, non satis attendit. Alij recurrerunt ad Amandum, qui eodem quidem quo Eusebia vixit tempore, primùm Elnonensis Abbas, deinde Traiectensis Episcopus, postremò Abbas iterum Elnonensis, sed hoc anno, cùm lis inter Rictrudem & Eusebiam eius filiam acerrimè mota est, à Cœnobiis Hamaticensi & Marchianensi procul abfuit, regebat enim adhuc Ecclesiam Traiectensem, cuius curâ pòst dimissâ Romam profectus est, vt infrà narrabimus. Porrò Eusebiæ amor erga Monasterium Hamaticum diu celari non potuit, nec defuit qui cuncta, quæ clàm illa faciebat, ad Rictrudis notitiam perferret, *qua*, vt Hucbaldus prosequitur, *eam ad se vocans & blandis mulcebat, & asperis terrebat sermonibus, vt eam ab hoc proposito retraheret, sciens eam magis carnis propinquitate quàm spiritûs permoueri. Sed cùm neque per se, neque per amicos quicquam proficeret inito cum filio Mauronto, Leuitâ & Abbate venerabili, consilio, vtrisque placuit, vt pro huiusmodi inobedientia & pertinacia, verberibus Eusebia castigaretur. Itaque Maurontus, tenente eam famulo, verberauit eam, sed interim ad capulum ensis, quo famulus accinctus erat, grauiter attriuit latus teneri corpusculi, itaut multis, quibus posteà superuixit annis, purulentam & sanguine mixtam ab ore saliuam eiecerit. Verum neque hoc pacto eius compresso desiderio & conatu, conuocant è propinquis locis Episcopos, Abbates & illustres viros, qui omnes variis modis eam nitebantur ab hoc studio reuocare, sed frustrà.*

REDIT HAMATICUM.

Tandem igitur consilium hoc illius matri dedère, vt fineret eam optatum repetere locum, quibus etiam assensit mater, quamuis inuita. Confirmabat autem eius religiosam conuersationem maternis adhortationibus, & Deo eam precibus commendans à se dimisit. Ea igitur voto potita suo, cum omnibus suis læta abiit ad Hamaticum Cœnobium, secum eò reducens corpus proauiæ suæ cum venerandis sanctorum reliquiis. Non placet, quòd in eo textu Maurontus *Leuita & Abbas venerabilis* appellatur, seriùs enim hos titulos Ecclesiasticos in ætate virili suscepit, postquàm laicos diu gessisset, Regiarum syluarum custodiæ primùm præfectus, deinde præpositus Regiis Diplomatibus conscribendis, vt Alcuinus in vita beati Richarij Centulensis & Hucbaldus in vita sanctæ Rictrudis attestantur. Hic, vt Rictrudem ac Maurontum excusaret, & prædictæ narrationi, cuius fides dubia plerisque videbatur, potiorem authoritatem conciliaret, ista proximè subiunxit. *Non desunt autem, qui dente rodant canino, quòd diximus sanctam virginem tam malè acceptam à matre Rictrude & fratre Mauronto, sed nouerint illi, Rictrudem non vllo odio insectatam filiolam suam, sed eius immaturæ timuisse ætati. Sciebat enim scriptum à sapientissimo Salomone. [Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.] Nec illud Ecclesiastici ignorabat. [Filiæ sunt tibi, serua corpus earum.] Voluit igitur filiam apud se manere, vt suis & adhortationibus & exemplis ad perfectiora eam proueheret. Et Eusebia, licèt se sciret cælesti Regi desponsatam, non tamen sanctam matrem proteruè aspernabatur, sciens sponsi sui illud esse præceptum. [Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram.] Sed innitens gratia eius, qui ipsam sibi desponderat; eiusque vnius flagrans amore,*

AN. CH. 650. SIGEB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

nec maternum quidem affectum sibi patiebatur vllum feruoris sui adferre detrimentum. Et Mauronius quoque frater non odij crudelitate id fecit, quòd eam flagellauit; sed matri immorigeram & propè insolentem volebat coercere. Etsi autem vterque, & mater & frater, in illa castiganda humano quodam errore lapsi sunt, ignorantes gratiam Dei, quæ illi inerat, non debent tamen temerè reprehendi, cùm non possint ea numerari in operibus iniquitatis, quæ ex charitatis radice proficiscuntur, dicente ipsâ veritate Christo. [*Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.*] *Quòd verò hac occasione in morbum incidit sacra virgo, quo etiam non caruit quamdiu superuixit, quis non videat hoc illi ad collata gratiæ cumulum accessisse, vt dum corpore deficeret, spiritu roboraretur, conuenienter illi Apostolicæ sententiæ, cùm enim infirmor, tum potens sum? Et certè eius conuersatio talis fuit, vt verbis exprimi vix queat.*

VIII. ELIGIVS EXTRVIT. MONAST. PVELLARVM NOVIOMI. ET VIRORVM TORNACI.

Guillelmus Gazetus in Historia sua Ecclesiastica, vbi texit catalogum Tornacensium Antistitum obseruat hoc anno sancti Eligij sumptibus iacta esse fundamenta duorum Cœnobiorum, quorum alterum fuit ad Tornacum, alterum Monialium in ciuitate Nouiomensi. De Monasterio Nouiomensi sic loquitur Audoenus [a]. *Ædificauit in oppido Nouiomagensi ancillarum Christi Monasterium, vbi & congregationem magnam, & vitæ institutionem districtam indidit. Terræ quoque redditus sufficienter delegauit, & omnia quæ essent Monasterio necessaria, solerti satis curâ prouidit.* De Tornacensi sic Meyerus in Chronico, *anno* DCL. *inchoat Eligius Episcopus Monasterium Diui Martini Tornacensis*, vetera tamen illius Cœnobij monumenta originem faciunt biennio posteriorem. Vtramque sententiam sic conciliat [b] Author Historiæ Tornacensis, vt Eligius hoc anno Basilicam sancto Martino in colle prope Tornacum cœperit ædificare, post biennium verò Monachos ibidem congregarit. Cur autem Ecclesiam in honorem sancti Martini construxerit Eligius, ex Herimanno illius loci quondam Abbate hanc causam afferunt Gazetus & Cousinus locis iam citatis. Eligius cùm thecam sancti Martini apud Turones regnante Dagoberto confecit, duos sanctissimi Confessoris dentes sibi seruauit, posteà cùm factus est Episcopus, alterum illorum dentium in Ecclesia Deiparæ Virginis à Nouiomensibus custodiri voluit, alterum verò statuit Tornacensibus in singulare beneficium elargiri, compertóque quòd sanctus Martinus in monte prope Tornacenses muros mortuum ad vitam olim suscitasset, ægris plurimis integram sanitatem reddidisset, multos quoque ab idolorum cultu reuocatos ad Christianam fidem perduxisset, illic eidem Sancto tanquam loci patrono Ecclesiam erexit, in qua dentem prædictum cum maxima reuerentia collocauit. Habet eadem Miræus ex illius Monasterij monumentis, quæ sibi à Petro Loberio eiusdem loci Abbate transmissa laudat in Originibus Benedictinis [c]. Eximia plerisque in locis illuxit Eligij pietas erga sanctum Martinum, cui dicauit Ecclesiam Corttacensem hoc etiam anno, si Gazetus & Vassotius verum calculum inierunt, atque inde colligimus eum hisce temporibus in Diœcesi Tornacensi versatum esse, quia regionis illius populi præ ceteris studio & vigilantiâ tanti Præsulis indigebant. Idque etiam confirmat Translatio sancti Piatonis, quam hoc anno factam infrà probabimus. Quos autem Eligius in sancti Martini Cœnobio Monachos constituit, ij proculdubio Regulam beati Columbani profitebantur. Eligius enim, cùm adhuc laicus Solemniacense Monasterium in agro Lemouicensi condidit, Luxouio Monachos illuc euocauit, &, ex quo factus est Episcopus, Tillonem alióſque Solemniacenses Monachos, quorum operâ & consilio vtebatur, in suo comitatu semper habuit.

[a] Lib. 2. c. 5.

[b] Lib. 2. c. 10.

[c] Cap. 71.

DICAT ECCLESIAM CORTRAC.

IX. ELEVAT RELIQVIAS.

Audoenus, postquàm descripsit singularem diligentiam, quam adhibuit sanctus Eligius in agro Viromandensi, vt corpus sancti Quintini diu quæsitum inuenire posset, subdit illum quoque in Tornacensi posteà non segniùs incubuisse, vt sancti Piatonis corpus humo eximeret. *Post hac*, inquit [d], *simili modo, grandi labore atque instantiâ inuenit in territorio Medenantense, vico*

[d] Lib. 2. c. 7.

AN. CH. 650. Sigib. III. R. 18. Clod. II. R. 13.

Sacilinio *, *sanctum Martyrem Piatonem. Cui similiter clauos prolixos ex corpore ablatos, populis in argumentum monstrauit. Corpus denique, sicut Martyrem decuit, eleganter composuit, atque mausoleum vrbanè desuper fabricauit.* Quod Audoenus territorium Medenantense vocat, Carolus Caluus Medenensense, corruptè Medenensemsc, Meierus Melanthiscum appellat, recentiores Melanthoisam regionem, quæ Pabulensi agro contermina est alluentibus hinc Marquâ inde Deullâ Insulam vsque, & in hodierna Galloflandria complectitur Annapium, Anstainum, Peronam, Fretinium, Laudem, Esquelmiam, Wazennas, Sainghinum, Roncinium, Flersium & Siclinium teste Buzelino, qui dirionem illam tribus capitibus eleganter describit libro primo [a] Galloflandriæ. Sacilinij nomen hodie controuertitur, in Pontificiis Decretalibus Siclunium legitur & Siclunum, in veteribus monumentis Siclinium & Siccliclinium, neoterici Seclinium scribi volunt, & vocabulum deriuant à sancti Piatonis * illuc aduenientis inclinatione, quòd cadendo inclinauerit sese, vbi nunc eius sepulchrum cernitur. Siclinium retinebimus, hanc enim vocem sic efferunt illius loci Clerici in ea sancti Piatonis vita quam Simoni Tornacensium ac Nouiomensium Episcopo inscribunt. *Locus*, inquiunt, *tumuli vocitatur Siclinium, vbi sanctus Pontifex Eligius adueniens, & monumentum huius Martyris requirens tandem Deo volente reperit, & quasi nuperrimè passum, sic recenti sanguine & integris vestibus inuenit.* Nonnulla, quæ non reperiuntur in Audoeno suprà citato, paulò pòst ita subiiciunt iidem Clerici. *Consepultos quoque illos decem ferreos clauos reperit, quibus Dei Martyr candentibus per vngulas digitorum traditur excruciatus. Hos decem clauos beatus Eligius ad populum palàm protulit, & immane tormentum, quod scriptura non pandit, ipsorum clauorum signis beatum Martyrem pertulisse prodidit, & beatissimum corpus de priori monumento honorificè translatum, in melius compositam & honoratiùs decoratam sepulturam recondidit. Qui beatus Episcopus gloriosum Martyrem multo amore & honore prosequens, Ecclesiam eius antiquam deiiciens, ampliorem atque decoratiorem ædificari præcepit, Clericos instituit, beneficia delegauit, vt diatim cultus diuini officij ex more ibi celebraretur, ad laudem & gloriam sanctæ Trinitatis. Amen. Tumuli autem eius faciem idem sanctus Pontifex auro & argento, gemmísque ac lapidibus pretiosis mirificè manu propriâ exornauit, vt ostenderet ex cultu sepulchri, quantus esset apud Deum in curia cæli.* Hæc Translatio sancti Piatonis recolitur quot annis quarto Kalendas Nouembris, vt obseruat Molanus [b], & hoc anno facta traditur apud Claudium Hemeræum in Augusta Viromanduorum [c] illustrata. Ecclesiasticæ Tabulæ Natalem sancti Piatonis hoc encomio commendant. *Kalendis Octobris, Tornaci, Sancti Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cum beato Quinctino eiúsque sociis ab vrbe Roma in Galliam prædicationis causâ perrexit, ac posteà in persecutione Maximiani consummato Martyrio migrauit ad Dominum.* In vita sancti Quintini, quam pridie Kalendas Nouembres se daturum pollicetur Bollandus [d], isthæc habentur. *Hac tempestate beatissimus Quintinus & sanctissimus Lucianus Româ egressi, Domino ducente, Gallias venerunt. Fertur etiam, sed & libelli de eorum certaminibus testantur, cum eis sanctos Crispinum & Crispinianum, Valerium, Marcellum, Eugenium, Victorianum, Fuscianum, Piatonem atque Regulum pariter aduenisse.* In passione sanctorum Fusciani, Victorici atque Gentiani, quam in Codice Duchesniano legimus, tempus quo Quintinus sociique venerunt in Gallias, ita notatur. *Ad rabiem persecutionis explendam successit Diocletianus, qui Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum, vt contra bella tunc instantia Reipublicæ pugnando ferret obsequium, præcauens etiam ne Deorum cultura se principante deficeret, præfecturam Galliæ Rictiouaro tradidit, eíque in Christianos grauiter sæuire præcepit. Qui eius monitis parere deliberans, facibus furorum accensus cultores Christi variis affecit suppliciis, & cateruatim piaculis indidit mortis. Eo tempore sancti viri Fuscianus & Victoricus, aliis simili sanctitate præditis aggregati, videlicet sanctis Quintino & Luciano, Crispino & Crispiniano, Piatoni atque Regulo, Marcello & Eugenio, Rufino & Valeriano ab vrbe Roma progredientes ve-*

* Seclin.

S. Piatonis.

[a] Capp. 22. 23. 24.

* S. Piat.

[b] Die 1. Oct.

[c] Lib. 2.

[d] Die 8. Ian. in not. ad vit. SS. Luciani, &c.

loci curſu ferventiſque animo pro victoria Chriſti dimicare parati, vt bellatores egre- AN. CH.
gij, armis fidei roborati, ad vrbem Pariſius intra fines Galliæ ſitam Chriſto Duce per- 650.
uenerunt, ibique diuinâ illuſtrante gratiâ nominatim elegerunt, in quibus diuiſi Sigib.
prædicarent locis, Dei nimirum diſpoſitio athletas ſuos per loca ſibi placita ad prædi- III. R. 18.
candum deſtinare voluit, quæ vnius linguæ tenorem in varias vocum diuerſitates Clod.
diſtribuit, ſolâ verò regione non mente diuiſi, Chriſti adorſi ſunt prædicare magna- II. R. 13.
*lia, quia quos fidei ardore caritas connectit adſtrictos, diuerſitas locorum diſpar non
facit eſſe diuiſos. Igitur cultores Dei Fuſcianus & Victoricus Taruanenſem vrbem
greſſu celerrimo petierunt. Sanctus verò Quintinus diuino fultus oraculo, Ambia-
nenſium vrbi laudabilis extitit prædicator, & ſacer cultor Domini Lucianus Belua-
cenſium aggreſſus fines, ardenti animo diuina eloquia populo prædicabat. Beatus au-
tem Regulus cùm ad vrbem Siluanectenſium peruenisſet, aſſiſtit ei in tantùm gratia
diuina, vt confeſtim gentilem populum ab idolorum cultura ad fidem Catholicam re-
uocaret, diuinóque ſibi munere tribuente, Pontificali in ſolio ſublimatus, in vrbe
eadem paſtorale ſuſcepit regimen.* Hinc patet hoſce ſanctiſſimos viros in Galliam
veniſſe ſeriùs iis, de quibus ſub Decio Auguſto, qui Diocletianum annis duo-
bus ac triginta in Imperio anteceſſit, Gregorius Turonenſis [a] ita loquitur. *Hu-* [a] Lib 1. cap 28
ius, nempe Decij, *tempore, ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gal-
lias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis ſancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim.
Sub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſum-
mum Tholoſana ciuitas Sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo
miſſi ſunt: Turonicis, Gratianus Epiſcopus: Arelatenſibus, Trophimus Epiſcopus:
Narbonæ, Paulus Epiſcopus: Tholoſæ, Saturninus Epiſcopus: Pariſiacis, Dionyſius
Epiſcopus: Aruernis, Stremonius Epiſcopus: Lemouicinis, Martialis eſt deſtinatus
Epiſcopus.* Irrepſit igitur Dionyſij nomen in Acta [b] ſancti Chryſolij, quæ Dio- [b] Ap. Bolland.
nyſium Quintino, Piato ſeu Piatoni, Luciano & aliis comitem ſic adiungunt. die 7. Febr.
Cùm verò Chryſolius *ab Vrbe egrederetur, aſſociatus eſt beatis Chriſti Martyribus,
Dionyſio, Quintino, Piato, Luciano, & aliis quampluribus, quorum nomina in
libro vitæ ſcripta ſunt.* Idem Dionyſij nomen nec Kalendis Februariis apud Mi-
ræum in elogio ſancti Euberti, nec ſeptimo Idus Februarias apud Molanum in
encomio ſancti * Chryſolij legitur. Sic enim Miræus de ſancto Euberto. *Chriſ-* * S. Cryſol.
*tianiſmi initia Tornacenſes, Inſulenſes, & alij vicini populi debent S. Piato, S.
Chryſolio, & S. Euberto aliàs Eugenio, qui ex vrbe Roma miſſi ſunt ad prædican-
dum Euangelium per Galliam cum SS. Quintino, Lucio* ſeu Luciano, *Criſpino,
Criſpiniano, & aliis, imperante Diocletiano.* Et de ſancto Chryſolio Molanus.
*Chryſolius cum Quintino, Criſpino, Piato, & aliis, ab vrbe Roma Gallias causâ
prædicationis expetiit, tempore Diocletiani.* Fuerunt Chryſolius & Eubertus co-
mites adiutoréſque ſancti Piatonis, nec huius tantùm ſed & illorum reliquias SS. Chry-
eleuauit beatus Eligius, quamuis Audoenus ſolius Piatonis meminerit. De solii et
Chryſolio ſic teſtatur auctor Actorum. *Beatiſſimus Chriſti Confeſſor ac patrator* Euberti.
*Eligius, Nouiomenſis Eccleſiæ Paſtor ſtrenuiſſimus, auditâ B. Chryſolij vitâ, eiuſ-
que venerando triumpho, iuſſit eiuſdem Martyris corpuſculum poſt multos annos à
terra ſubleuari, & in argentea capſa venerabiliter honorificéque collocari.* De ſancto
Euberto tem eandem innuunt Molanus aliique Scriptores, qui ſepultum Si-
clinij cum beato Piatone tradunt, ibique diu quieuiſſe, donec eius exuuiæ de-
portatæ ſunt Inſulam, vbi nunc etiam cum maxima veneratione cuſtodiuntur.
Eubertus, cùm Siclinij verſaretur, morbo conſumptus creditur, vt Buzelinus
in Annalibus [c] Gallo-Flandriæ notat. Chryſolius verò vitam Martyrio con- [c] Lib. 1.
ſummauit, vt indicant eius Acta, quæ Arnaldus Raiſſius Canonicus Duacen-
ſis ex Lenſienſi manuſcripto lectionario publicauit, & Buzelinus elegantiore
ſtylo ſic expoliuit. *De Sancto Chryſolio compertum habeo Vrelenghehemi quondam
oppido, nunc pago non ignobili, bis mille paſſus Inſulâ diſtante, percolendus homi-
num animis nauantem ſani Iudicis iuſſu captum, dein atrocibus affectum iniuriis,
& membra virgis conciſum fuiſſe: ad hæc maturandâ morte, cùm nihil animi &
conſtantiæ Chriſtianæ remitteret, ac potiùs inter cruciatus ſuauiter renideret, de-*

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

*fectam ipsi summam capitis partem, quæ coronâ insignis erat, effusúmque humi ce-
rebrum: sed Martyrem tormentis maiorem, postquam impy omnes abiuerant, cere-
brum verticémque manibus collegisse: cùm ita versùs Cominium * iter faceret, in-
gentíque siti æstuaret, ad preces eius enatum repentè fontem aquas præbuisse ardori
restinguendo: postquàm Cominium duabus ferè leucis ab Vrelenghebemo in Lisæ ripa
prominens oppidum peruenisset, ibi cerebrum & coronam aris imposuisse videntibus
multis: dein ridenti similem molliter animam egisse: eo tumulatum loco corpus mul-
tis quondam claruisse mirísque hominum curationibus, lectum ideò ab Cominiensi-
bus & Vrelenghebemensibus Patronum, quibus fidei facem, vt plerisque aliis, in-
signi curâ studióque luxerat.* Plura de tribus hisce Tornacensis Diœceseos pri-
mis Apostolis non dicemus hoc loco, alias eorumdem Translationes suis tem-
poribus relaturi.

* Comines.

X. Prætereà Eligius Episcopus Gandam adiit, & vt Molanus scribit [a], reliquias
sancti Bauonis non tantùm visitauit, verùm etiam easdem è terra honorificè
Kalendis Augustis eleuauit. Illis autem Translationibus non interfuit Aman-
dus, quia Traiectensis Diœceseos administrationi totus incumbebat.

[a] d 1. Oct. ET S. BAVONIS.

XI. EPISCOPI LEONENSES. Obiit hoc anno Houardonus Leonensis Episcopus. Colitur à Diœcesanis
decimo-tertio Kalendas Decembris, vt Albertus obseruauit in Indice Alpha-
betico Sanctorum Armoricanorum. Ei successit in Episcopatum Goeznoueus
Abbas, de quo sæpè iam locuti sumus.

XII. Hoc anno, duo egregij adolescentes Benedictus Biscopius & Wilfridus
iter ex Anglia Romam ad Apostolorum limina susceperunt, *qui cùm Lugdu-
num peruenissent* vt Beda [b] scribit, *Wilfridus à Dalfino ciuitatis Episcopo ibi re-
tentus est, Benedictus cæptum iter grauiter Romam vsque compleuit.* Dalfinus in
Episcopatum Lugdunensem successerat Gauderico, cuius mentionem ante
sexennium in Concilio Cabilonensi fecimus. Idem fuit Dalfinus cum An-
nemundo, quapropter in veteri Breuiario cameræ Lugdunensis apud Seuer-
tium hæc leguntur. *Igitur Dalphini seu B. Annemundi Martyris vitam exponam.*
Natus est patre Sigonio Lugdunensium Præfecto, fratrem habuit Dalphi-
num, qui patri in præfectura Lugdunensi datus est successor. Vt ambo fra-
tres meliùs distinguantur, Episcopum frequentiùs Annemundi nomine vo-
cabimus. Pontificatum gessit sub Clodoueo Rege. *Erat vir affabilis, fortis,
humilis, prudens & instans, in obiurgationibus mansuetus, in disputationibus vi-
ctor, in iudicio iustus, in bonitate prælatus, in eleemosynis pius, in generositate
conspicuus, & in facultatibus latus. Tantam denique in eum Dominus suam contu-
lerat gratiam, vt egregiè veneraretur in populo, etiam vt gentes eum niterentur
placare muneribus. A Regibus tamen atque Proceribus ita habebatur acceptus, vt
mox quicquid posceret impetraret, nullúsque de aliquibus ad suum profectum quic-
quam volebat appetere, nisi suâ suggestione Principi deportaret.* Hæc Seuertius
ex vetere Breuiario iam laudato, in quo Princeps ille perperam Clotarius
Tertius appellatur, Annemundus enim necatus est regnante Clodoueo Clota-
rij patre.

[b] Lib. 5. c. 20.

ANNEMVND. EP. LVGDVN.

XIII. WILFRIDVM ANGLVM LVGDVNI VVLT RETINERE. Cur Annemundus Wilfridum Lugduni retinere voluerit, hanc rationem
affert Beda [c]. *Delectabatur Antistes prudentiâ verborum iuuenis, gratiâ venusti
vultûs, alacritate actionis, & constantiâ ac maturitate cogitationis. Vnde & omnia
quæ necesse habebat, abundanter ipsi cum sociis suis (quamdiu secum erant) dona-
bat, & insuper offerebat, vt si vellet partem Galliarum non minimam illi regendam
committeret, ac filiam fratris sui virginem illi coniugem daret, cúmque ipse loco
adoptiui haberet. At ille gratias agens pietati quam erga eum (cum esset peregrinus)
habere dignaretur, respondit propositum se magis alterius conuersationis habere, &
ideo patriâ relictâ Romam iter agere cœpisse. Quibus auditis Antistes misit eum Ro-
mam, dato duce itineris, & cunctis simul quæ necessitas poscebat itineris largiter
subministratis, obsecrans sedulò vt cùm in patriam reuerteretur, per se iter facere
meminisset. Veniens verò Wilfridus Romam, & orationibus ac meditationi rerum
Ecclesiasticarum (vt animo proposuerat) quotidianâ mancipatus instantiâ, peruenit*

[c] Lib. 5. c. 20.

AN. CH. 650.
SIGIB. III. R. 18.
CLOD. II. R. 13.

ad amicitiam viri sanctißimi ac doctißimi, Bonifacij videlicet Archidiaconi, qui etiam consiliarius erat Apostolici Papæ, cuius magisterio quatuor Euangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschæ rationabilem, & alia multa quæ in patria nequiuerat, Ecclesiasticis disciplinis accommoda eodem magistro tradente percepit. Wilfridus cùm soluit è Britannia sexdecim circiter annorum erat. Id non obscurè testatur Beda [a], cùm res ab eo in Anglia gestas ita describit. *Vbi quartum-decimum ætatis contigit annum monasticam seculari vitam prætulit. Quod vbi patri suo narrauit (iam enim mater obierat) libenter eius votis ac desideriis cælestibus annuit, eúmque cœptis insistere salutaribus iußit. Venit ergo ad Insulam Lindisfarnensem, ibique Monachorum famulatui se contradens, diligenter ea quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, & discere curabat & agere. Et quia acris erat ingenij, didicit citißimè Psalmos & aliquot Codices, necdum quidem attonsus; verùm his quæ tonsurâ maiores sunt virtutibus, id est, humilitate & obedientiâ non mediocriter insignitus, propter quod & à senioribus & coætaneis suis iusto colebatur affectu. In quo videlicet Monasterio cùm aliquot annos Deo seruiret, animaduertit paulatim adolescens animi sagacis, minimè perfectam esse virtutis viam quæ tradebatur à Scottis, proposuítque animo venire Romam, & qui ad Sedem Apostolicam ritus Ecclesiastici siue Monasteriales seruarentur, videre. Quod cùm fratribus referret, laudauerunt eius propositum, eúmque id quod mente disposuit, perficere suadebant. At ille confestim veniens ad Reginam Eanfledam, cui notus erat, eiúsque consilio & suffragiis præfato fuerat Monasterio sociatus, indicauit ei desiderium sibi inesse beatorum Apostolorum limina visitandi. Quæ delectata bono adolescentis proposito, misit eum Cantiam ad Regem Erconbertum, qui erat filius auunculi sui, postulans vt eum honorificè Romam transmitteret. Quo tempore ibi gradum Archiepiscopatûs Honorius vnus ex discipulis beati Papæ Gregorij, vir in rebus Ecclesiasticis sublimiter institutus, seruabat. Vbi cùm aliquamdiu demoratus adolescens animi viuacis diligenter his quæ incipiebat discendis operam daret, superuenit illo alius adolescens nomine Biscop, cognomento Benedictus, de nobilibus Anglorum, cupiens & ipse Romam venire. Huius ergo comitatui Rex sociauit Wilfridum, atque illum secum Romam perducere iußit.* Anno autem Christi sexcentesimo quinquagesimo Wilfridus annum agebat ætatis circiter decimum-sextum, nam teste eodem Bedâ [b] factus est Episcopus, *cùm esset annorum circiter triginta*, & *post quadraginta & quinque annos accepti Episcopatûs diem clausit extremum, anno imperij Hosredi quarto*, id est, anno Christi septingentesimo nono, quia Hosredus in Imperium Alfridi patris successit *anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo-quinto*. Ceterùm Wilfridi aduentus in Franciam post annum Christi sexcentesimum quinquagesimum vix differri potest, quia Romæ *menses aliquot*, tum Lugduni *tres annos* commoratus est, antequàm Dalfinus occideretur, interemptus est autem Dalfinus regnante Clodoueo, vt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum probaturi sumus.

[a] Lib. 5. c. 20.

[b] Lib. 5. capp. 19. 20.

XIV.
INITIA MONAST. CELLENSIS IN SVBVRB. TRECENS.

His circiter temporibus Frodobertus Monasterium Cellæ prope Trecas extruere cœpit in loco palustri, cui nomen erat Insula Germanica. Frodobertus Clericus, vt ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-secundum obseruauimus, Monachum induit in Cœnobio Luxouiensi, cui Walbertus Abbas tunc præerat. *Annis post hæc pluribus interiectis*, vt Author vitæ prosequitur, *ad vrbem Trecasium, pro Episcopi sui desiderio, & parentum visitatione, cum quibusdam fratribus remeauit. Aliquot sanè diebus apud præfatum suæ vrbis Antistitem commoratus, redeundi vnde venerat licentiam postulabat. At Pontifex saniori vsus consilio tantum ac talem virum à se dimittere non sibi fore integrum arbitratus violentâ hunc authoritate retinuit. Sancto igitur Quadragesimæ tempore accedente, in secretiore se cellula condens, cum orationis & vigiliarum instantia, acerrimis se cœpit ieiuniis coarctare. Cùm enim semper incomparabili virtute polleret, his tum diebus austeriorem sibi carnis macerationem corporis sui hostis indixerat, adeò vt plures continuósque dies absque vllius cibi adminiculo consummaret. Denique annorum curriculo recurrente, dum se duabus vel tribus Quadragesimis hu-*

AN. CH. 650. Sigib. III. R. 18. Clod. II. R. 13.

iusmodi crudelitate conficeret, hac vita illius institutio ad notitiam defertur Pontificis, nec defuere maleuoli, qui sanctitatem eius inuido dente carpentes, dicerent eum, aut latenter edere, aut corpus suum inediâ velle perimere. Proximâ igitur imminente Quadragesimâ, Pontifex talium curiosus, intra porticum Ecclesiæ cellulam ei constituit, in qua solita deuotionis officio, abstinentiæ tempora consummaret. Sæpiùs namque cellam ex improuiso penetrabat Episcopus, certiùs cupiens experiri quanto ferueret studio sanctitatis, quantámque in virtute abstinentiæ superna pietas illi gratiam ministraret. Móxque criminatorum fallacia patuit, & sanctæ conuersationis eius sinceritas, Episcopali curiositate probata refulsit. Quódque anteà simulationi deputabatur, ad diuinæ laudis transiit incrementum. Ex eo tempore fama beatitudinis eius longè latéque personuit, adeò vt ex remotioribus quoque locis, infirmantium ad eum cateruæ confluerent, Sanctitatis eius merito, sospitatis beneficia reposcentes, &c. *Quantùm fauoris vel iactantiæ refugus fuerit, cultus vitæ solitariæ declarauit. Humanæ conuersationis ardens vitare collegia, sollicitâ secum frequentiùs mente voluebat, quonam loco suæ professioni ac proposito opportunum habitaculum collocaret. Et quamquam plurimi nobilium regionis, Sanctitati eius familiarissimè cohærerent, ineptum tamen duxit à quoquam eorum partem agri vel prædij postulare, non sibi solùm sed etiam posteris consulens, ne religiosa fraternitas, quam ipse in sacro habitu aggregare cupiebat, à quolibet secularium pro loco suæ habitationis, quid inquietudinis vel molestiæ pateretur. Quocirca diuino aspirante consilio regiam profectus ad aulam Clodouei illustris quondam Regis Francorum, locum quendam palustrem in suburbio Trecassinæ vrbis obtinuit, qui antiquo ritu Insula Germanica vocabatur. Deinceps verò post decessum Clodouei filium eius Clotarium secundo anno regni eius*, id est, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-septimo, *expetens, annuente venerabili Batilde Reginâ, eiusdem Clotarij matre, super præfato loco, Priuilegium Regiæ authoritatis*, quod suo loco recitabimus, *denuò meruit adipisci.*

XV. Abbatissæ S. Quintini Trecis. In eadem sancti Frodoberti vita laudatur *puellarum Cœnobium B. Quintini Martyris nomini consecratum, intráque vrbem* Tricassinam *situm*, de quo nihil antiquius legimus. Illi Monasterio ætate sancti Frodoberti præfuerunt Abbatissæ Rocula & Gibitrudis, quarum posterior Abbati Frodoberto superstes vixit, vt ad annum Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum obseruabimus.

XVI. In eadem quoque vita commendantur Abbates Theudecarius & Leo, sed cuius loci vel quorum locorum Abbates extiterint, textus non exprimit. Auctor, postquàm sermonem de Basilica S. Auentini fecit, Theudecarium venerabilem eiusdem suburbij Abbatem vocat. *Ad Basilicam*, inquit, *B. Auentini Confessoris, eius gratiâ, ex more, Christi famulus* Frodobertus *accedebat.* Et paulò pòst. *Die quadam venerabilis Theudecarius eiusdem Abbas suburbij, visitationis pariter & instructionis suæ gratiâ, ad eum venerat, vt mos erat cunctis per circuitum religiosis hunc ipsum sanctum virum frequenter expetere, quatenus eius & exhortatione instrui & benedictione possent sanctissimâ roborari.* Nec aliter de Leone loquitur. *Accitis duobus nominatim discipulis, Leone scilicet viro sanctissimo, qui tum in eodem suburbio Abbas mitissimus existebat, itémque Lupello, qui vitæ & conuersationis eius insignia, vt ipsius scripto declaratum est, licèt iusto breuiùs litteris allegauit.*

XVII. R. P. Iacobus *Cousinot* Canonicus Regularis sancti Augustini Congregationis Gallicanæ & Supprior insignis Abbatiæ sancti Lupi apud Tricasses, maximâ diligentiâ atque industriâ Thesaurum Antiquitatum illius Monasterij è plutcariis eruit, & in tria diuisit volumina, quæ seruantur manuscripta Parisiis in Abbatia sanctæ Genouefæ, nobísque ex ipsius Auctoris assensu à R. P. C. *du Molinet* nuperrimè communicata sunt. Primo volumine comprehenditur vita sancti Lupi incerto Auctore hactenus inedito; item aduersaria de illius actibus in septem appendices distributa; neenon Historia Attilæ ex variis Scriptoribus concinnata. Secundum volumen notas & explanationes in Historiam sancti Lupi complectitur. Tertio volumine Chronologia exhibetur Abbatum

ac

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

ac Rectorum illius Monasterij à primo conditu ad annum vsque Christi millesimum sexcentesimum sexagesimum-tertium. Ait Auctor erectum à sancto Lupo Trecarum tunc Episcopo in illius Ciuitatis suburbio Monasterium, Beatæ Mariæ titulo insigne, iuxta quod extructa pòst sancti Auentini Basilica, atque inde concludit Theudecarium & Leonem, quos Anonymus in vita sancti Frodoberti laudauit, Abbates illius Cœnobij fuisse, quod è suburbio posteà in vrbem translatum ad hodiernam vsque diem sub beati Lupi nomine subsistit. Sex igitur primos istius loci Rectores & Abbates sic enumerat. Primo loco recenset sanctum Lupum Trecensem Episcopum ac Monasterij conditorem. Secundo loco ponit sanctum Camillianum sancti Lupi in administratione cùm Episcopatûs tum Cœnobij successorem. Vtrumque autem propter Episcopalem dignitatem non Abbatem Monasterij sed Rectorem vocat. Tertio loco collocat Audericum quem prædicti Cœnobij primum Abbatem ac tertium Rectorem appellat. Quarto loco nominat sanctum Winebaudum, quem simili modo secundum Abbatem & quartum Rectorem dicit. Quinto loco subrogat Theudecarium tertium Abbatem ac quintum Rectorem. Denique sexto loco Leonem sufficit, in Abbatum numero quartum, in Rectorum nomenclatura sextum.

XVIII. MONASTERIVM B. MARIÆ IN SVBVRBIO TRECENSI.

Sanctus Lupus, si fides est prædicto vitæ Auctori hactenus inedito, sepultus fuit in Monasterio Beatæ Mariæ semper Virginis, quod extra muros Trecenses in Orientali suburbio situm erat. Sic enim ille Scriptor vltimo capite. *Tandem in Orientali suburbio Trecassina Ciuitatis, Monasterio dicato sub honore beata Maria semper Virginis, tam discipuli quàm plebs totius condunt Ciuitatis, vt quem, dum adviueret, semper habuerunt defensioni & propugnaculo, etiam mortuum pro inexpugnabili haberent scuto.*

XIX.

Basilicæ seu Monasterij Titulum in dubium reuocauit Nicolaus Camuzarus, illam enim vitam legit nec valdè antiquam ratus in notis ad Historiam sancti Winebaudi sic scripsit. *Qua Basilica, quo tempore è viuis excessit D. Lupus, Deipara Virgini erat consecrata. Quod tamen asseueranter affirmare non ausim, quamuis illud in ms. eiusdem S. Lupi Historia scriptum legatur, longè enim post eius obitum concinnata est, vt & stylus temporibus consentaneus satis indicat.* Iacobus *Consinot* initio secundi Voluminis aliter censet, & Auctorem illius vitæ adeò antiquum arbitratur, vt multa credat ab eo fuisse conscripta, quæ narrantibus ipsismet sancti Lupi discipulis audiisset. *Quis*, inquit, *integerrimi Scriptoris Historia fidem negabit, qui ab ipsismet sancti Lupi discipulis audiret, qua scriptis diligentissimè commendauit.* Niti videtur capite quinquagesimo vitæ, quod de sancti Lupi discipulis inscribitur, habétque istam periodum sub initium. *Subscriptis eius referantibus discipulis, qui eius vitalibus semper adhæserunt monitis, relatio eius actuum tradita est posteris.* At Auctor illâ periodo testatur tantùm vitam beati Lupi scriptam fuisse referantibus illam eiusdem Lupi discipulis, nec indicat à quo tunc scripta sit, multò minùs affirmat à se tunc scriptam fuisse.

XX.

Sunt in illa vita locutiones non paucæ, quæ sapiunt ætatem sancto Lupo eiúsque discipulis longè recentiorem. Capite decimo hæc leguntur. *Tempore, quo post Incarnationem Domini trecentesimus nonagesimus-quartus impletus est annus, Archadio & Honorio regnantibus, quidam Brito, &, vt sic dicam, brutus intonnis hareticus, pelago falsitatis demersus, nomine Pelagius.* Capite vndecimo ista. *Anno Dominica Incarnationis quadringentesimo quadragesimo-nono, Marciano regnante cum Valeriano, iam in tantùm in auras se extulit, vt totam Britanniam suffundere decreuerit.* In vtroque textu anni numerantur ab Incarnatione Dominica, quâ computatione qui sit vsus, Historiographum Bedâ vetustiorem non reperies. Scripsit hic octauo seculo, nec ab alio Characteres Chronologicos mutuatus est Anonymus quem examinamus. Sic enim Beda caput decimum libri primi Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum exorsus est, *Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo nonagesimo-quarto Arcadius filius Theodosij*

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

cum fratre Honorio quadragesimus-tertius ab Augusto Regnum suscipiens, tenuit annos tredecim. Et caput quintum eiusdem libri. *Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo-nono Martianus cum Valentiniano quadragesimus-sextus ab Augusto Regnum adeptus septem annis tenuit.* Cousinotus in notis ad Anonymi capita decimum & vndecimum frustrà rationes affert, vt eius Chronologiam tueatur. Satius est ingenuè fateri Characteres Chronologicos, qui leguntur apud Anonymum, ex Historia Bedæ suprà citata desumptos esse. Lectum à se Bedam non obscurè subindicat ipsemet Anonymus in fine capitis vndetricesimi, vbi sic ait. *De his plùs iusto est, vt timeo, dictum, cùm scire volentibus in medio sit Historia Actuum Anglorum.* Deinde adeò fallitur in stabilienda Chronologia, vt facilè censeatur res scribere multùm ab ætate sua remotas, nam profectionem, quam beatus Lupus anno Christi quadringentesimo vicesimo-nono in Britanniam suscepit, anno Christi quadringentesimo quadragesimo-nono consignat, vt patet ex vndecimo capite. Lapsus est in hunc errorem, quia quem præ manibus habuit Bedam non benè intellexit. Beda capite decimo-quinto libri primi suæ Historiæ, primum Anglorum in Britanniam aduentum sic enarrat. *Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo-nono, Martianus cum Valentiniano quadragesimus-sextus ab Augusto Regnum adeptus septem annis tenuit. Tunc Anglorum siue Saxonum gens inuitata à Rege præfato,* id est, à Vortigerio Britonum Rege, *Britanniam tribus longis nauibus aduehitur, & in Orientali parte Insulæ, iubente eodem Rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem verà hanc expugnatura suscepit.* Sub finem eiusdem capitis ac sequenti breuiter attingit bella quæ gesta sunt ab Anglis in Britannia *vsque ad annum obsessionis Badonici montis.* Tum caput decimum-septimum sic auspicatur. *Ante paucos sanè aduentûs eorum,* id est Anglorum, *annos, hæresis Pelagiana per Agricolam illata, Seueriani Episcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœdâ peste commaculauerat. Verùm Britanni, cùm neque suscipere dogma peruersum, gratiam Christi blasphemando, nullatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent, inueniunt salubre consilium, vt à Gallicanis Antistitibus auxilium belli spiritalis inquirant. Quam ob causam collectâ magnâ Synodo quærebatur in commune, qui illuc ad succurrendum fidei mitti deberent, atque omnium iudicio eligebantur Apostolici Sacerdotes, Germanus Altissiodorensis & Lupus Trecassenæ Ciuitatis Episcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cælestis Britannias venirent.* Profectus est igitur in Britanniam beatus Lupus, priusquàm Angli cum Saxonibus è Germania in eandem Britanniam transfretarent. Quicquid dicant Beda & Anonymus, Imperium nec Arcadius & Honorius ante annum Christi trecentesimum nonagesimum-quintum obtinuere, nec Martianus ante annum Christi quinquagesimum supra quadringentesimum. Nam Prosper in Fastis Consularibus ita scribit, *Olybrio & Probino Coss.* id est, anno Christi trecentesimo nonagesimo-quinto, *Theodosius Imperator Mediolani moritur, Arcadius regnat cum fratre Honorio annos* XIII. Et *Valentiniano Augusto septimùm & Abieno Coss.* id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo, *Theodosio Imperatore,* Iuniore videlicet, Senioris nepote, *diem functo, & Chrysaphio Præposito, qui amicitiâ Principis malè vsus fuerat, interempto, Martianus consensione totius exercitûs suscepit Regnum.* Priùs autem quàm Martianus imperaret, Angli è Germania in Britanniam transierunt, anno scilicet Christi circiter quadringentesimo quadragesimo-sexto. Beda enim capite vltimo suæ Historiæ annum aduentûs Anglorum in Britanniam circiter ducentesimum octogesimum-quintum cum anno Christi septingentesimo tricesimo-primo sic comparauit. *Hic est in præsentiarum vniuersæ status Britanniæ, anno aduentûs Anglorum in Britanniam circiter ducentesimo octogesimo-quinto, Dominicæ autem Incarnationis anno septingentesimo tricesimo-primo.* Beatus Lupus in Britanniam citiùs traiecit, Anglis illuc è Germania nondum euocatis, nam viæ se commisit cum Germano Altissiodorensi Episcopo, cuius aduentum in Britanniam Prosper in Fastis Consu-

laribus, Florentio & Dionysio Consulibus, id est, anno Christi quadringen-
tesimo vicesimo-nono sic connotat. *Florentio & Dionysio Coss. Agricola Pelagia-* AN. CH.
nus, Seueriani Episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britannia dogmatis sui insinuatio- 650.
ne corrupit, sed actione Pallady Diaconi Papa Calestinus Germanum Autisiodoren- SIGIB.
sem Episcopum vice sua mittit, & deturbatis hereticis Britannos ad Catholicam fi- III. R. 18.
dem redigit. Ex hac ratiocinatione Chronologica duæ res colliguntur; prima CLOD.
est Bedam malè intellectum fuisse ab Anonymo vitæ sancti Lupi Auctore; II. R. 13.
secunda, illum Auctorem longè post ætatem discipulorum sancti Lupi, imò
post ætatem Bedæ scripsisse, nono videlicet seculo, seu paulò ante Nortman-
norum aduentum in agrum Trecensem.

Licèt de tempore, quo Anonymus vitam beati Lupi retulit in literas, hæc
nostra sit opinio, fidem tamen illi non ideo denegandam putamus, dum XXI.
Monasterium, in quo idem Pontifex sepultus fuit diúque quieuit, affir-
mat dicatum fuisse *sub honore Beata Maria semper Virginis*; quin existimamus
illud Monasterium ab initio dictum fuisse *Monasterium Beata Maria semper*
Virginis, deinde *Monasterium sancti Lupi* ob frequentia miracula quæ fiebant
illic ad tumulum eiusdem Pontificis, ac promiscuè *Monasterium Beata Maria*
semper Virginis, & *Monasterium sancti Lupi*, necnon simul *Monasterium Beata*
Maria semper Virginis & sancti Lupi. Fredegarius in suo Chronico [a] Basili- [a] Cap. 71.
cam *sancti Lupi* commendat ob pacem in ea initam & sacramento firmatam
à Guntchramno, Chilperico & Sigiberto, Regibus Francorum. *Intercurrenti-*
bus, inquit, *Legatis hy tres germani, Sigibertus, Guntramnus & Chilpericus, Tre-*
cas iunxerunt, & in Ecclesia sancti Lupi sacramenta contra Guntramnum, vt pa-
cem seruarent, dederunt, Guntramnus idémque cum eis pacem sacramentis firmauit.
Et ex eiusdem Monasterij Calendario hæc in notis ad vitam sancti Wine-
baudi citantur à Camuzato. *Anno Dom. 724. prasens Ecclesia dedicata fuit in*
honore B. Maria Virginis. Item, anno 1104. religio constituta fuit in hac Ecclesia
in honore B. Maria & B. Lupi. Scimus hodie super hoc controuersiam moueri,
cùm id alij de vetere sancti Lupi Basilica extramurana, alij de noua intra
Ciuitatem ædificata scriptum velint. Pro vetere stat Camuzatus, in cuius
sententiam lubenter imus. Verùm hac de quæstione fusiùs ad annos Christi
septingentesimum vicesimum-quartum & millesimum centesimum quartum.

Præthereà licèt in ætate Anonymi, cuius fragmenta ex vita sancti Lupi te-
citauimus examinauimúsque, non parum dissideamus à manuscripto Thesau- XXII.
ro *Antiquitatum Augusta Basilica sancti Lupi apud Tricasses*, non possumus non
laudare diligentiam, eruditionem & humanitatem Auctoris, qui tantum
Thesaurum ex multitudine Scriptorum tam copiosa collegit, tot adeóque
scitu dignis obseruationibus illustrauit, nobísque singulari prorsus beneuo-
lentiâ communicari voluit. Opus integrum perattentè legimus, citabimúsque
que plerumque, gratias toties habituri, seu lateat diutiùs in Bibliothe-
ca sanctæ Genouefæ, seu prodeat in publicum, vt breui proditurum spe-
ramus.

Prædictum Beatæ Mariæ Monasterium, quod extra muros Trecenses in
Orientali suburbio situm erat, erexit sanctus Lupus Trecensis tunc Episco- XXIII.
pus. Ita testatur Hugo Abbas Flauiniacensis in Chronico Virodunensi, vbi A QVO
agit de sancto Lupo déque Pulchronio seu Polychronio illius discipulo, qui CONDI-
natus est Trecis & Pontificatum Virodunensem summa cum laude gessit. Hu- TVM.
goni suffragantur Chenutius, Seuertius, aliique, nec audiendi sunt Rober-
tus & Sammarthani, qui Cœnobium in loco, vbi beatus Lupus sepulturam
accepit, recentiùs conditum volunt.

Sanctus Lupus, vt Tomo primo probauimus, Episcopatum iniit anno Christi
quadringentesimo vicesimo-septimo, vitámque clausit anno Christi quadrin- XXIV.
gentesimo septuagesimo-nono. Trecæ nondum in potestatem Francorum de-
uenerant, anno Christi quadringentesimo octogesimo-sexto facta est hæc ad
Franciam accessio, cùm Camelianus seu Camillianus beati Lupi successor an-

AN. CH. 650. num in Pontificatu septimum iam agebat. Iacobus *Consinet* Monasterium à sancto Lupo, priusquàm in Britanniam proficisceretur, sub initium Pontificatûs extructum scribit. Idtanti Præsulis zelo consentaneum videtur.

Sigib. III. R. 18. Clod. II. R. 13.

XXV. In eo collocati Clerici. In illo Monasterio collocati sunt Clerici, quorum plerique, vt suprà de Polychronio dictum est, promoti sunt ad Episcopatum. Duplicis enim generis erant Monasteria pro viris, alia scilicet pro Clericis, alia pro Monachis. Clerici Canonicas Regulas se velle obseruare ceteris arctiùs deuouebant, ideóque dicti sunt Canonici teste Iuone Carnotensi [a], Monachi Regulam Institutoris sui sectabantur, purà sancti Basilij, sancti Benedicti, &c. Vtrique suberant Episcopis, vtrorumque Basilicæ Monasteria vocabantur, vtrisque claustrum erat ac mensa communis, quin & Abbates vtrisque præpositos inuenimus.

[a] Ep. 69.

XXVI. Et Abbates. Abbatum, qui Monasterio Beatæ Mariæ prope muros Trecenses præfuerunt, antiquissimus occurrit Audericus, qui sub Pontificatu Gallomagni Trecensis Episcopi floruit. Antecessorum nomina perierunt, nec feliciùs actum esset cum eo, nisi Winebaudi successoris Acta superessent, quæ Tomo superiore non semel allegauimus. Hæc opinio nobis magis arridet, quàm si dicamus administrationem Monasterij penes ipsum Episcopum fuisse, qui fungeretur Abbatis officio. Sancti Lupus & Camelianus, aliique, qui priùs Episcopatum Trecensem gesserunt, quàm Audericus ad Abbatialem titulum promoueretur, Episcopalia munera strenuè admodum ac diligenter obierunt, parati semper ad iter suscipiendum, quocumque propter ouium salutem vocabantur, vixque probabile videtur per eorum absentiam Monasterium Clericorum absque Abbate seu Rectore permansisse.

XXVII. Multa de Abbate Auderico, déque illius successore Winebaudo scripsimus Tomo secundo. Peruenit Audericus ad vltima Gallomagni Trecensis Episcopi tempora, qui vitam anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto clausit. Sanctus Winebaudus Auderico successit, Gallomagno Pontifice adhuc superstite, vixitque post annum Christi decimum-quartum supra sexcentesimum.

Theudecarius Abbas. Eidem sancto Winebaudo proximè subrogatus est Theudecarius, cuius mentio fit in vita sancti Frodoberti. De Leone Abbate, quem Auctor eiusdem vitæ commemorat, agemus ad annum Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum, quo sanctus Frodobertus ex hac vita discessit.

XXVIII. Antequàm pedem è Diœcesi Tricassina remoueamus, hoc loco commodè nobis agendum videtur de sancta Tancha Virgine ac Martyre déque sanctis

Sancti celebres in Diœcesi Tricassina. Presbyteris Sereno, Blitario & Victore, qui eâdem quâ sanctus Frodobertus ætate vitam in agro Tricassino degisse perhibentur. Priùs autem, quàm res ab iis præclarè gestas aggrediamur, obserua cum Camuzato in notis ad Historiam sancti Victoris, *indiligenter* conscriptas fuisse *illustris sanctimonia virorum* Historias, *quos Tricassina Diœcesis felicissimè edidit & educauit.*

XXIX. S. Tancha. Excepto Martyrij loco, nihil apud eundem Camuzatum legitur de sancta Tancha, cuius encomium è Martyrologio Gallicano descriptum accipe. *Sexto Idus Octobris, Augustæ Trecarum, Sanctæ Tanchæ Virginis & Martyris, quæ illo ex tractu nata prosapiâ illustri nobilitatem generis, eximio cultu castitatis & piæ mentis affectibus, quibus ab ipso ætatis flore Christo se addixit, plurimùm decorauit. Cuius cùm mater ab humanis decessisset, pater voti conscius, quo ipsa se perpetuâ virginitate adstrinxerat, religiosis eiusdem cedens propensionibus, de ineundis nuptiis ipsimet nusquam, etsi rarâ præstaret formæ venustate, negotium facessiuit, sed curâ familiæ eidem commissâ, quietè sancto in proposito sinebat eam persistere. Cùm autem ipse aliquando inuitatus esset ab Archiensis Castri Dynasta sibi affinitate coniuncto (qui Virginem Tancham sacro è fonte susceperat) ad solemne conuiuium, ab illo amicè reprehensus est quòd filiam Tancham (quam is tenerè diligebat) secum ad epulas venire non præcepisset. Pater eam domûs curam gerere, nec libenter adire cœtus non-sacros respondit. Id non gratè cùm acciperet Dynasta, mox se eius iussis paratum offerens armiger Vexannius nomine, non morabor, ait, si præcipis me puellam istuc adducere. Annuente illo, currit is ocyùs ad paternam arcem, blandè Virginem*

affatur, patrísque ac patrini eius ait voluntatem esse, vt Archeium veniat vnicè ab AN. CH. 650. bus & cæteris conuiuiis desiderata. Virgo abhorrens ab epulis (nam et conuiuium perenne fermè ieiunium erat) nescio quid doli in loquente suspicata, primùm excusationis prætextû ire abnuit. At victa reuerentiâ patris, cui nefas putabat iubenti refragari, tandem acquieuit, seque commisit inuitantis tutelæ. Equo igitur impositam amiger ex arce eduxit, absistitque omnino à procacitate, donec longius Virginem abduxisset. At vbi ad montem ventum est, cui Banania nomen, impuri amoris æstum prodidit quo feruebat, virginemque de actu turpi sollicitare aggressus est. Quæ perterrita pudibundáque nefarios declinans affatus hæc in solitudine, omni destituta auxilio humano, suspiriis, lacrymis, ac intimis obsecrationibus opem diuinam cœpit deposcere. Domine Iesu (aiebat) auxiliator meus, ne sinas, quæso, corpus meum à corruptore inquinari. Serua meam à labe animam, vt immaculata tibi valeam occurrere. Hos dum fudit Virgo pios gemitus, orantem insidus comes interrumpit, cesque vrget, sistere preces iubet, sibique obtemperare. Renuit magis enixè Virgo, vocesque geminans auxilium superni numinis intensius aduocat. Quâ re exasperatus procus effectum cupidine in iram conuersus, constantémque in sancto castitatis proposito, ense transuerberat orantem nihilominus & Iesum sponsum laudantem, quòd mori sibi potiùs obire concesserit, quàm integritatis damnum perpeti, pungit ferocius, tandémque ad collum transfixam perimit. Sic mactata cecidit grata Deo hostia, geminum simul præmium referens bonorum. Sic enim Christo amore castitatem tuetur, vt vno eodémque agone binum reciperet virginitatis & pietatis. Corpus pura domicellæ Deus custodiuit etiam mortuum, vt nec feræ attingerent, nec æstus afficeret. Repertum denique cruore roseo purpuratum pater desolatus collegit, sepeliuitque ac multis cum lacrymis in Lustriæ vici parœciali ædicula. At ista tumulo gemma tam nobilis non diu isto in puluere delituit. Eruperunt mox inde miri beatæ meritorum fulgores, qui regionem totam ad eius ueneranda membra exciurunt, tantóque feruentiùs impulerant, quantò promptius & vberius, opem quicumque eius supplex implorabat, suffragiorum consequebatur præsidia. Viget etiamnum illic beatæ Virginis recordatio & cultus, sed quod agonis eius Historia passim exciderit, hinc minor deferri cœpit ei veneratio, quàm meritorum, quæ ingentia fuit, sibi dignitas vendicaret, si vt par est ab incolis agnosceretur.

Eodem tempore, quo Andreas du Saussay Parisinus, tunc Ecclesiæ sanctorum Lupi & Ægidij in Vrbe Pastor, hodie Tullensis Episcopus, Martyrologium Gallicanum Parisiis in lucem emisit, Historiam Ecclesiasticam Diœcesis Tricassinæ Trecis edidit Nicolaus Desguerrois Presbyter Trecensis, Ecclesiæ Tricassinæ hodie Canonicus. In hac Historia præter catalogum Episcoporum Trecensium, cui præcipuè suam Chronologiam Auctor illigauit, extant Gesta Sanctorum, qui Diœcesim Tricassinam vel ortu suo vitâque quondam decorarunt, vel inæstimabili thesauro suarum reliquiarum etiamnum illustrant, nec omittitur vita beatæ Tanchæ satis prolixa, quam consule. XXX.

Non existimamus Tancham Syrissam fuisse, cuius parentes è Syria post expugnatam ab Arabibus seu Saracenis Antiochiam in Gallias profugerint. Stare malumus à partibus Saussaij, qui Tancham ex parentibus veteris in Campania Tricassina prosapiæ natam scribit. Frustrà Desguerroisius argumentatur ab exemplo sanctæ Aureæ, quæ per hæc eadem tempora Parisius Monasterio puellarum præerat, neque enim hæc Syrissa fuit, quamuis à plerisque Neotericorum talis habeatur. Quæstionem illam ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-primum * discutiemus. XXXI. An Syrissa?

Beata Tancha Martyrium subiit in territorio parœciæ de Lustria, quæ sesquileucâ tantùm ab oppido Ramerudensi distat, sitaque est in Archidiaconatu Archiacensi Diœcesis Tricassinæ. Hæc annotanda ducimus, ne varia te moretur Martyrologia, quæ videntur inter se dimicare, dum alia Trecis, alia in territorio Archiacensi, alia in territorio vel in oppido Ramerudensi Tancham Martyrio coronatam tradunt. Colitur sancta Tancha * decimo-quinto Kalendas Maij, quo die translatæ fuerunt eius reliquiæ, & sexto Idus Octobris. XXXII.

Marginal notes: SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13. — * Nu. 11. & 2. — * Sainte Tanche.

AN. CH. 650. quo die migrauit ad sponsum. Sepulta fuit in Ecclesia parœciali Lustriæ, vt dictum suprà. Si plura cupis, lege Desguerroisium in illius vita, & Camuzatum in notis ad vitam sancti Balsemij.

SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13. XXXIII. S. SERENVS. In corollario Martyrologij Gallicani sanctus Serenus hoc encomio decoratur. *Die secundâ Octobris, in territorio Trecensi, sancti Sereni Confessoris & Eremita. Hic ortu Metensis, prosapiâ nobilis, patre Adriano, matre Seruâ; ab ipsis infantia rudimentis pronum in Christi obsequium animum prodidit, actibus pietatis & misericordiæ deditus; nam deuotione in Deum, charitate in pauperes ita iam eniтebat, vt specimina futura sanctitatis admiranda exhiberet. Crescente ætate, cùm ingenuæ educationis tincturam iam imbibisset, diuinarum literarum studium adiecit, scientiæque Sanctorum candidatus nihil prætermisit, quo ad Dei placita se componeret. Interim Dagobertus Rex in Austrasiæ populos tumultuantes arma mouet, hostilique quasi incursu Metenses aggressus, multos ex iis in acie peremit, multos in pugna captos seruituti mancipauit. Dux quidam Bozo Serenum vili pretio, nempe quinque solidis emptum, suum in mancipium adduxit. At in eo nescio quid ingenui conspicatus admodum benignè habuit. Paulò post Sereni mater multâ curâ quæsitum filium tandem apud Bozonem repertum læta quouis oblato pretio libertati restituere voluit. At Serenus altiori consilio illum attendens, qui cùm esset Dominus omnium pro nobis formam serui induere dignatus est, seruili in sorte statuit permanere, matrem enixè deprecatus, vt grauatè non ferret, si filius, Christi amore, despicabilem serui statum anteferret præsentis vitæ gloriæ, cùm hæc vix momentanea sit, at quæ speratur ex spontanea dimissione felicitas, æterno sit cum honore perfectæ libertatis duratura; malle siquidem pro Christo se fieri aduenam, & exulem, quàm mundi cupiditate, euanidæ potestatis vel futilis oblectationis præstigiis implicari. Non flexit iuuenem matris his afflicta dictis lamenta & gemitus, quin potiùs filij mens fortis & religiosa hortatio matrem eò adduxit, vt ipsius votis, pietatis intuitu cederet, omniáque ad Dei nutum & beneplacitum referens, sese post charissimi nati suauia oscula & teneros amplexus, dumum demum reciperet. His nexibus expeditus Serenus erexit se contra cuncta oblectamenta carnis, & magnâ spiritûs alacritate sese in officium diuini famulatûs accinxit, fide feruens, spe patiens, charitate succensus, humilitate, abstinentiâ, castitate, pietate adeò insignis, vt illius dominus, (cui ob Dei amorem ad præscriptum Apostoli seruiebat) tot aduertens in eo dona gratiæ & signa sanctitatis, iam non vt seruum sed amicum ipsum habere voluerit, atque à se in omnibus secundum sua in domo constituere decreuerit. Sed vir Dei Serenus verè mitis & humilis corde, heri tantam in se beneuolentiam modestè ac gratanter recusauit. Verùm enixè illum precatus est, vt gregis duntaxat sibi curam committeret, quod munus ideo affectabat, vt procul ab hominum turba & vitiorum contagio, in puritate mentis & innocentia vitæ, Deo piè seruiret. Vltrò annuit ille Sereni petitioni, qui cùm custodia & augmento pecudum domini sui sedulò intenderet, animam nihilominùs maiori curabat studio, vt cultu virtutum & placitorum diuinorum obseruantiâ, Christo illam efficeret acceptiorem. Cùm autem vir beatus cælestium rerum meditationi totus esset defixus, ægrè ferre cœpit, quòd literarum ignarus, quæ in Dei lege mirabilia erant, lectionis adminiculo non conspiceret. Occasionem igitur nactus, quâ animaduerterat filium Comitis ad vicinum Monasterium propter Christianæ sapientiæ studia quotidie pergere, clanculum sese cœpit ei adiungere, relictis inter lucos lustráque saltûs creditis sibi armentis, sub ferarum agrestium custodia. Quo factum, vt, sicut habet vaticinium Isaiæ, bos & leo, lupus & agnus vnà vescerentur, pacificéque cohabitarent, interímque Serenus scientiæ fluenta copiosè delibabat, adeò vt omni literaturâ instructus, de discipulo Magister perfectus breuì euaderet. Porrò cùm reuertebatur ab exercitatione, pecudum greges solo buccinæ sono ad se vndique reuocabat, rursúsque pro nutu ad pastua remittebat, comitantibus feris, quæ eius obsequiis (quia totus à Deo pendebat) penitus inseruiebant. Tres supráque annos vbi sic exegisset Serenus, non minùs virtutibus quàm admirandis factis radians, mansuetudine scilicet, misericordiâ, innocentiâ, humilitate, castitate, abstinentiâ, deuotione, charitate, & quibusque gratiæ dotibus perornatus; non tulit diutiùs hostis*

Sanctorum micantem tanti sideris splendorem. Tetrâ lucem caligine, ut decorem eius obfuscaret corpus per instar [illegible] os inuidia æmulos seruum fidelem apud Dominum suum traducere, quasi malæ artis operatorem, callidum præstigiatorem, pecudúmque incuriosum custodem. Verùm Serenus [illegible] bene sibi conscius facilè calumniam hanc depulit, armenta siquidem non modo integra, sed aucta admodum, Domino suo exhibuit, ipsumque adhuc nihil ominantem [illegible] repentináque siti in agro ardenter succensum, fonte diuinâ inuocatione excitato, [illegible] per taurum, cui terram fodere iussit, propalato, cum mirabiliter recreasset, maiorem [illegible] in suî amorem ac venerationem inflexit, adeò ut ille in signum gratitudinis, [illegible] ipsum omni seruitutis iugo solutum, proprio arbitrio relinqueret, utque Deo soli [illegible] liberè obsequeretur, agellum eidem dederit, ubi tuguriolum construeret, & quæ [illegible] necessaria erant humano usui, ut ibi perciperet, [illegible]. Quo beneficio bene usus [illegible] Serenus, sese Christi strictius suaui iugo deuinxit, [illegible] solitudine [illegible] perfectâ Angelica puritatis æmulatione admirandumque ea in [illegible] tanta sanctitatis [illegible] fulgoribus omnium in se oculos raperet, tum fu- dem. Verùm cùm [illegible] exercendæ deuotionis causâ Romam perrexit cogende humana [illegible] venerationis [illegible] itinere habere meruit. Incredibile est quantùm mite Angelo, quem familiarem [illegible] attenuauerit, frigore, fame, siti, vigiliarúmque [illegible] hac peregrinatione corpus [illegible] piis affectibus, orationibus, meditationibus exercitiis, quantùm etiam animum [illegible] temporis impendit circuiendis locis sacris, inuestigandis [illegible] autem amplissimis [illegible] Virginúmque gestis, colligendis pretiosis conquirendis [illegible] Martyrum [illegible] thesauris. Cùm autem demum repedare in patriam cogitaret [illegible] Ioanni Papæ IV. in visu, Dei ex iussione præ- [illegible] Angelus Domini, Serenum, Deo gratissimum, in patriam reuerti [illegible] honore Presbyteratûs insigniret, eidémque [illegible] Clericum, nominis [illegible] sancti Petri, in qua erant conditæ Sanctorum [illegible] indiciis notatum [illegible] pretioso carbunculo, eidem in manus traderet, [illegible] principali altari [illegible] ipsi prospiceret. Cuncta ad diuinæ voluntatis [illegible] reliquias, cum [illegible] Apostolicus, sícque Serenus magno de thesauro sa- [illegible] ad reditum necessario [illegible] lætus in Galliam repedauit. Obuium habuit [illegible] impleuit Præsul Apostolicus [illegible] Nouiomensem Episcopum, Romam ad Apostolorum pignorum [illegible] quem de honore suscepit [illegible] Serenum * tam pretiosa lipsana suam * Serein. [illegible] sanctum Eligium [illegible] Apostolis sibíque retineret. At Deus, gemitus [illegible] proficiscentem, qui cùm [illegible] factam incredibili animi mœrore ferebat, [illegible] zelo feruens ea ut sibi [illegible] festinantem compescuit. Nauicula enim [illegible] spoliationem [illegible] retrò moueri posset. Intellexit illicò, unde [illegible] sarcina fluminum [illegible] ut nec antè [illegible] éque altâ voce Sereno sacra pignora restituit [illegible] Eligius, [illegible] est ab inuisibili nexu illicò ratis. Reuersus [illegible] Serui Dei orante, soluta [illegible] solum opatúmque tugurium Serenus, ma- est igitur cum gaudiis tandem ad patriam [illegible] venerandas reliquias in Oratorio reposuit, ponegnáque omnium exceptus lætitiâ, [illegible] virtutes tot nouas accumulauit, ut quoquod noctè diéque diuinis obsequiis interesset [illegible] semper ascenderet, donec tandem prostrato tidiana exercitationis processu, ultra se [illegible] certamine cum quotidie impetebat, triumproterno Sanctorum hoste, qui singulari [illegible] copiosis iustitiæ manipulis, Christi pugil diphóque plenè victoriis adornato, collectis [illegible] mole, in occursum Domini properauit. Grandiuinâ imitatione nobilis, exutus carnis [illegible] feruidæ mentis charitate, cùm populum circa enim febre decessus, at magis æstuans [illegible] admonuisset, & quæ futura erant post suum cumstantem religiosissimis hortationibus [illegible] exitum suum Domino piissimis vocibus ac afdecessum superno afflatu prædixisset, [illegible] Pacis consopitus, animam maturam gloriæ in fectibus commendasset, somno æternæ [illegible] Cuius gloriam diuina virtus, quæ circa eius tumulum Redemptoris manus transmisit. [illegible] testato est. Sepultus autem fuit vir beatus honorificentissimo deinde mirè refulsit, affatim [illegible] in Ecclesia, quam ipse pone cellam suam ædificauerat, & in qua Sanctissimo funere Martyrum Fabiani & Sebastiani sacratissima deposuerat ossa veneranda: at potiori cultu, præcipuum scilicet ut religionis pignus, caput sancti Sebastiani, e quo profusæ deinde gloriæ splendores mirificè eruperunt. Huc usque Auctor Martyrologij Gallicani. Quæ sequuntur, ad hunc locum non pertinent.

AN. CH. 650.
SIGIB. III. R. 18.
CLOD. II. R. 13.

AN. CH. 650. Sancti Sereni ne mentio quidem fit apud Camuzatum. Vita legitur apud Desguerroisium, multóque fusior quàm apud Saussaium, sed vtrobique naeuis foedata.

Sigib. III. R. 18. Cloo. II. R. 13. Apud Fredegarium & alios Auctores, qui Gesta Dagoberti Regis enarrarunt, altum est de Metensi bello silentium, meritóque reuocari possunt in dubium, quae de primordiis sancti Sereni cùm à Saussaio tum à Desguerroisio descripta circumferuntur.

XXXIV. XXXV. XXXVI. Deinde commentitia sunt quae de sancti Eligij Nouiomensis Episcopi profectione ad Apostolorum limina, déque occursu sancti Sereni sub Alpium iugis aut ad Padum recitantur, absunt enim à vita sancti Eligij, quam beatus Audoenus Rotomagensis Episcopus accuratissimè conscripsit. Mira miris accumulat Desguerroisius Saussaio longè prolixior in explicando sanctorum Eligij & Sereni congressu. Apud illum Auctorem, Serenus ab Eligio sacra pignora reddituro vocatus, vt ad eum perueniat, instar Principis Apostolorum super aquas incedit; Eligius in admirationem tanti prodigij rapitur, Sanctorum reliquias Sereno mox restituit, eius cellam se pollicetur aditurum in reditu ex Italia, promissorum posteà fit immemor, Romà sospes recedit, iter per Galliam habet haud procul à tugurio Sereni nec illud subit, à Deo in poenam pollicitationis haud impletae mox excaecatur, orbatus visu delictum agnoscit, nuntiúmque, qui totum hoc negotium referat, ipsúmque breui adfuturum annuntiet, ad Serenum statim dirigit; hic obuiam ei procedit; ambo mutuos ruunt in amplexus; Eligius crimen fatetur, preces ad Deum pro se fundi rogat, Sereno illachrymante misericordiámque diuinam implorante lumen oculorum recuperat, in gratiarum actionem per sesquiannum in eadem eremo commoratur, tum viae se committit quae Nouiomum ducit. Haec certè praestantiora sunt, quàm vt Audoenum latuerint, aut ab eo non debuerint commemorari.

XXXVII. Illis quoque temporibus in Dioecesi Tricassina floruit sanctus Blitarius * Hic, si Neotericis fidem habemus, in Hibernia, vbi lucis vsuram accepit, ordinatus est Presbyter; in Franciam cum beato Furseo transfretauit; Trecensem lustrauit Episcopatum; in vico, cui nomen *Verdey*, tandem consedit, ibíque feliciter ad Deum migrauit tertio Idus Iunij. Corpus delatum est in oppidum * Sezanense haud procul remotum, deinde translatum in Castrum Broyense *, Translationem illam promouente Hugone praedicti Castri Domino ac Sezanensis oppidi gubernatore; posteà reuectum Sezanam, tum Broyas, postremò Sezanam. Lege Desguerroisium sub Leuso seu Lupo Episcopo.

* *S. Blier.* S. Blitarius.

* *Sezanne.*

* *Brayes.*

XXXVIII. S. Syria. Idem Auctor sub eodem Leuso Antistite Trecensi recitat vitam sanctae Syriae matronae Trecensis, de qua commodiùs ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum agemus. Interim per antecessum te monitum volumus in antiquis monumentis nullum inueniri Characterem Chronologicum, cuius ope deprehendi possit aetas sanctae Syriae, illam enim qui constanter affirmant hisce temporibus vixisse, sororem beati Fiacrij comminiscuntur. Nec Sanctorum suprà laudatorum, qui coluntur in Episcopatu Tricassino, certior nobis videtur epocha. Si Tancham negas patriâ Syrissam extitisse, nullum superest argumentum, quo probes illam floruisse septimo seculo, nam qui virginem hanc septimo seculo vixisse tradunt, illi parentes eius in Galliam profectos affirmant Antiochiâ Syriae Metropoli sub Arabum seu Saracenorum iugum missâ, nec opinionem suam aliâ Chronologiae notâ tuentur. Simili modo, si Metenses aduersùs Dagobertum rebellasse Serenúmque inficiaris Romam iuisse, necesse est fatearis aetatem sancti Sereni à te penitus ignorari. Denique sanctus Blitarius, quia comes sancti Fursei perhibetur, adscribitur septimo seculo, sed sanctos Furseum ac Blitarium peregrinationis socios nemo veterum dixit.

XXXIX. S. Victor. Haud certior est aetas sancti Victoris, qui promotus ad Presbyteratum in Arciacensi territorio Dioecesis Tricassinae consenuit. Huius pijssimi Sacerdotis vitam

vitam primus publicauit Camuzatus ex Membranis Ecclesiæ Trecensis. Ean- AN. CH.
dem vitam notis illustrauit Bollandus * in præuio Commentario. Neuter de- 650.
terminauit Characterum appellant Chronologicum, vnde tempus erui possit, SIGIB.
quo beatus hic Presbyter vixit. Apud Auctorem vitæ, quod ad indicandam III. R. 18.
epocham pertineat, nihil præter occursum Regis Francorum inuenitur, cúm- CLOD.
que nomen eiusdem Regis reticeatur, spes omnis euanescit stabiliendæ Chro- II. R. 13.
nologiæ. Camuzatus ut à se perlecta quædam monumenta, quæ sanctum *Die 26 Febr.
Victorem * Chilperico Francorum Regi coætaneum faciunt, tamen quoniam *S. Victor.
eius Historia indiligenter conscripta fuit, super hac re nihil certi audet sta-
tuere. Bollandus, quia Trecensis Diœcesis non Chilperico Regi sed eius fratri
Guntchramno paruit, suspicatur Chilperici loco legendum Childericum,
Clodouei Secundi filium, qui regnauit primùm in Austrasia, deinde Monar-
chiam Francorum adeptus est, túncque sub Imperio suo Campaniam Tricassi-
nam habere cœpit. Quamuis autem Guntchramnus Chilperico fratri super-
stes diu vixerit, Trecásque semper in sua tenuerit potestate, si quis obstina-
tiùs asseueret Chilpericum, cùm in Diœcesi Tricassina venaretur, ad Victoris
tugurium aduenisse, non carebit Auctore, eóque perueteri, qui suam opinio-
nem tueatur. Nam, si Fredegario fides est, cùm tres fratres Guntchramnus,
Chilpericus ac Sigibertus, toti Franciæ dominabantur, bello Guntchramnum
lacessiuerunt Chilpericus ac Sigibertus, in agro Tricassino congressi iterunt vtriuſ-
que partis copiæ, pacem fratres inter se statim redintegrarunt, sacramentóque
firmarunt in Ecclesia sancti Lupi extra muros Tricassinæ ciuitatis, vt superiùs
obseruauimus, sita. Textus Fredegarij talis est. [illegible] ambo, nem-
pe Chilpericus & Sigibertus, mouerunt exercitum, volentes [illegible] hramnum inter-
ficere, Regnúmque eius adsumere. Sigibertus [illegible] resedens, Chil-
pericus duodecim Pontes. Audiens hæc Guntramnus exercitum Arcia[illegible] [illegible] monet, ve-
niens [illegible]sque villâ Veriaco, intercurrentibus Legatis, hy tres germani [illegible] Sigibertus, Gun-
tramnus & Chilpericus, Trecas inierunt, & in Ecclesia Sancti [illegible] pi sacramenta
contra Guntramnum, vt pacem seruarent, dederunt, Guntramnus [illegible] que cum eis
pacem sacramentis firmauit. Atcùm hæc legantur tantùm apud [illegible] degarium in
Historia Francorum epitomata b, id est, apud Fredegarium [illegible] gorij Turo- b Cap. 71.
nensis abbreuiatorem, nec simile quidquam apud ipsummet G[illegible] orium inue-
niatur, hoc loco vacillare videtur auctoritas Fredegarij. Sed hi[illegible] Auctor in suo
Chronico meminit Clotarij Regis, qui Trecas adiit, ibique a[illegible] no sui Prin-
cipatûs XLIII. Christi sexcentesimo vicesimo-sexto, comi[illegible] Burgundiæ
celebrauit. Eo, inquit, anno Chlotarius cum Proceribus & Leudé[illegible] Burgundia
Trecassinis coniungitur, cùm eorum esset sollicitum, si vellent iam Wa[illegible] charario Ma-
iore domûs discesso, id est, mortuo, alium in eius honoris gradu [illegible] sublimare.
Certè Anonymum in vita sancti Victoris de Clotario Rege po[illegible] iùs quàm de
Chilperico vel de Childerico locutum arbitramur, quia Chilper[illegible] cus in Diœ-
[illegible] Trecensem non venandi studio sed animo belligerandi se c[illegible] ntulit, nec
[illegible] illo Scriptore Childericus in territorio Tricassino aliquandom[illegible] ratus perhi-
[illegible] tur. Victor autem longæuam vitam duxit, & si de Clotarij [illegible] ongressione XL.
[illegible] n illo benè coniectauimus, ad hæc vsquetempora peruenit.
[illegible] Hispani litem Francis intentant de sancti Victoris natali solo [illegible] regione in
[illegible] vitam Anachoreticam egit; Arciacense territorium Diœce[illegible] s Trecensis
[illegible] agum Arcilacensem Hispaniæ detorquent, sed, vt Tamayo rec[illegible] Bollandus
[illegible] robrat, vitam sancti Victoris, quam Camuzatus ex antiquis [illegible] Codicibus
[illegible] conscriptis publicauit, apud ipsum Camuzatum minimè leg[illegible] runt. Vni-
[illegible] nituntur auctoritate Chronici, quod anno Christi millesim[illegible] sexcentesi-
[illegible] quinquagesimo-primo, sub nomine Marci Maximi, Cæsarau[illegible] ustani ante
[illegible] os mille Episcopi, excusum Madriti cum Francisci Biuari C[illegible] mmentario
[illegible] dit. In illo Chronico ad Eram duodequingentesimam, id est, [illegible] ad annum
[illegible] christi sexagesimum supra quadringentesimum hæc inueniuntur. [illegible] Per hæc tem-
[illegible] florebat in Batica, in territorio Arcilacensi, S. Victor Eremita [illegible] vir egregiè
[illegible] o

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18 CLOD. II. R. 13.

sanctus, de quo memoria proditum est, ab vtero matris suæ dæmonibus fuisse formidabilem. Cuius corpus in Gallias delatum est. Inde Tamayus encomium sancti Victoris in Martyrologio Hispanico sic contexuit. *Quarto Kalend. Mart. in territorio Arcilacensi in Bætica, sancti Victoris Eremitæ, qui ab vtero matris suæ dæmoniis formidabilis, solitariæ vitæ silentia in illis montibus Marianis inueniens, cælestibus fauoribus fruens, operum sic texuit bonorum vitæ stamina, vt ad æternam gloriosus Confessor coronis redimitus accesserit. Eius sacra pignora postmodum in Galliam aduecta, adhuc apud Aremarense Cœnobium cultu debito venerantur.*

XLI. Biuarus in notis ad prædictum Chronicon ait grauem oriri difficultatem, *fueritne Victor Gallus genere, an Hispanus? & vbinam vitam egerit Eremiticam, in Hispania, an in Gallia?* Statum totius controuersiæ sic proponit. *Galli S. Victorem in Gallia natum credunt, & in ea vitam egisse, nimirum in territorio Archiacensi; quod Trecensis seu Tricassina Diœcesis oppidum est. Et tamen M. Maximus vixisse ait in Arcilacensi territorio.* Tum inquirit quid per Arcilacense territorium intelligi debeat, vtrùm *Aracena*, an *Alcalaborra*, vel *Alcaraz*? postremam opinionem lubenter amplectitur *vel ipso*, vt loquitur, *alludente Arcilacis nomine.* Paulò pòst, ad dirimendam quæstionem quid opus sit, breuiter apertéque sic declarat. *Sanè, si antiquorum Scriptorum opuscula de eiusdem vita Victoris extarent, quibus Bernardus vsus fuit, ipsorum testimonio totum negotium terminaretur: nunc autem, cùm ipsa perierint Acta, nec Bernardus quicquam scribat de patria, aut loco sui Eremitorij, M. Maximo fidem adhibendam, multa sunt, quæ conuincant.*

XLII. Quæ Biuarus à se videri summoperè percupiuit Acta sancti Victoris, ea Trecis Camuzatus, ante annos vnum & quadraginta, ex antiquis Codicibus eruerat publicaràtque anno Christi decimo supra sexcentesimum. Lucubrationem illam attentè perlege, sunt in ea res non paucæ, quibus comprobare possis Victorem in Francia vitam duxisse. *Victor Tricassinæ Diœceseos claris natalibus ortus* asseritur, Presbyter ordinatus *in Arciacense territorium* se transfert, eum inuisit *vnus ex Francorum Regibus*, idem *reuerentissimus vir* filium habet spiritalem *de alto Francorum genere*, quem *visitat* haud procul à suo tugurio. Quid, amabo, commercij vel affinitatis esse potuit Diœcesi Tricassinæ, quid Arciacensi territorio, quid Regi Francorum, quid viro Magnati de alto Francorum genere, cum Hispano eremum in Bætica incolente?

XLIII. Quod Camuzatus ex vetustis Codicibus in vita S. Victoris *Arciacense* & *Arceiacense* territorium vocauit, illud Biuarus *Archiacense* dixit, & corruptelâ sermonis deprauatum putauit, literâ vnâ demptâ & aspiratione adiunctâ, cùm appellandum esset *Arcilacense*. Subtile prorsus inuentum, vt pagus Arceiacensis in Episcopatu Tricassino, post Translationem sancti Victoris ex Hispania, nomen à pago Arcilacensi ad Hispaniam Bæticam pertinente sortitus insinuetur. At Arceiacensis pagi, cuius mentio fit in Actis sancti Balsemij Martyris, antiquior est notitia, quàm ætas sancti Victoris de qua disputatum suprà.

XLIV. Idem Biuarus in prædictis Actis sancti Victoris, vbi sermo de Rege Francorum habetur, *Regem Gothorum* aut *Regem* duntaxat suspicatur olim legi solitum. Si prælaudata sancti Victoris Acta nactus esset, filium eius spiritalem, qui *de alto Francorum genere* fuit, pari subterfugio vel *de alta Gothorum genere* vel simpliciter *de alto genere* proculdubiò dixisset. At esto, ab vtroque illo textu arguté se expedierit, quid ad hunc tertium responsurus est? *Victor Tricassinæ Diœceseos claris natalibus ortus.* Nihil enim clarius afferri potest, vt beatus Victor non in Hispania sed in Francia natus comprobetur.

XLV. Acta sancti Victoris, quæ Camuzatus typis edenda curauit, proculdubiò non alia sunt ab iis, quæ sanctus Bernardus præ manibus habuit, cùm duos Sermones & Officium Ecclesiasticum in honorem sancti Victoris componeret. Extant hæ sancti Bernardi lucubrationes inter eius opera, Tomo secundo; sed quia longiores sunt, nec in sola rerum à sancto Victore gestarum narra-

...cne versantur, à nobis, per fragmenta duntaxat, cum vita sancti Victoris à Camuzao publicata coniunguntur.

AN. CH. 650.
SIGIB. III. R. 18.
CLOD. II. R. 13.
XLVI.

VITA SANCTI VICTORIS.

CLARVIT splendor Domini super iustos, quorum indesinenter fama recitatur per orbem. Non de illis narratur quibus instata manet potestas, sed qui subiecti mente, fide deuoti, Christo famulari cernuntur. Dum certamen prælij Iob sanctissimus cum antiquo habuisset humani generis inimico, à summo vertice vsque ad plantas pedum vlcere pessimo & vermium quatiebatur dolore, sed patientiam habens, Domini meruit gratiam. Nunquid ignorantia erat apud Dominum, quòd iustus esset, ac ideo tentatus est? Nullo modo, sed vt probatus iustificaretur, & sciret vnusquisque, quia cum Dei adiutorio potest ab homine diabolus superari, quia magna est puguna certaminis, vbi de Christi victoria triumphamus. Fuit igitur quidam Victor, dulci de nomine gaudens, Tricassinæ Diœceseos claris natalibus ortus, antè nomen accepit quàm membra suscepit.

Antequàm soluerit moras genetrix vtero plena, cùm quidam ab spiritu vexaretur immundo, clamabat dicens: Quare nos torques pre initio nascendi, sancte Dei Victor? Sed in hac re non testimonium dæmonum quærimus, sed confessionem, vt eum annunciarent de nomine, quod posteà rei probauit euentus, deinde post septem menses, decimo inchoante, mota sunt viscera matris, & [illegible] Victorem progeniem sacram protu[illegible] orbi natum. Denique post transactum [illegible] iculum dierum, Baptismi vndâ perfu[illegible] ditur, & cælesti purgatur gratiâ ab [illegible] inali peccato.

TEXTVS SANCTI BERNARDI.

Ex Sermo[illegible] I.

Miror & stupeo [illegible] em adhuc in vtero pauori fuisse [illegible] a dæmoniis, quippe ab ipsis præcogn[illegible] m, & iam victoris ex nomine designa[illegible] m. Nec vacantem nomen, vbi hostium [illegible] fuga & extorta confessio victoriam [illegible] sit infantulo.

Ex Sermone [illegible] I.

Paruulus ad pugnam, [illegible] agmus ad victoriam, matris viscera [illegible] dum exiens, & dan[illegible] ciens dæmonia, [illegible] m incrementa virtutum ac meritorum [illegible] Victor viuens inter peccatores translatus [illegible] est. O virum præcipuæ sanctitatis, quâ [illegible] antè sanctum quam natus, antè opere [illegible] adme nomine Victor! Adhuc vtero clausu[illegible] iam de hoste triumphauit.

Ex Hymno ad Ma[illegible] tinum.

Sanctitas cuius dedicata [illegible] uit Matris in aluo.

Denique canes & graui[illegible] um torrentes, id est, dæmones, Matrem non ferunt, fugiun[illegible] t pauentes, Indicant nomen, confitentur [illegible] sanctum Vtero clausum.

Ex Responsorio post III. Lectionem.

O felix mater, cuius vte[illegible] s sensit natiuitatem nulli matrum con[illegible] riam à diebus Ioannis Baptistæ.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

Cùm in cunabulis positus à parentibus cerneretur, videntes Spiritum Sanctum esse in infantulo, stupefacti mirabantur, sed hoc fuit præsagium, quod posteà impletur in eo. Crescebat autem puer in corpore, dum pueriliter gestabatur in infantia, sed erat mentis senectus in Domino. Datus studiis literarum imbuitur, qui ieiuniis & orationibus deditus suas dapes pauperibus in eleemosynam ingiter tribuebat. Mundana linquens studia, diuinis lectionibus vacabat, scripturarum eloquia & dulcedinem Christô, fidei feruore gentibus prædicabat, & completur in illo sermo, quem David intonat dicens. [Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo!] Cúmque ad legitimam venisset ætatem, Clericatûs omni regulari normâ suscepit, donec Diaconatûs officium vel Presbytery ordinis gradus ascenderet. Nec multù pòst tempore in Arciacense territorium derelictis parentibus se transtulit, ibíque in villa, cui vocabulum est Saturniacus, à viris illustribus & ab omnibus incolis loci illius magno amore pro Christi gratia diligebatur, vbi diebus ac noctibus seclusus in cellula, indesinenter ieiuniis & orationibus incumbebat, orans pro populi indulgentia & remissione peccatorum. Cùm ibidem degeret, vnus ex Francorum Regibus cùm per opaca ripæ fluminis cum equitibus vel accipitribus per amœnissima loca venandi causâ deambularet, audiens beati viri famam, ad eius tugurium gauisus aduenit; sed beatus vir, quem nihil latebat, cellulâ suâ festinus in occursum eius egressus est. Rex ille vt eum vidit, occurrit & osculatus est eum. Tunc venerabilis vir exorsus est dicens. Si Celsitudo Regni vestri non respuit, cellulam serui vestri dignemini ingredi. Quo ingresso, vni ex pueris ait. Affer mihi vasculum, in quo vinum ferre soles. Cúmque attulisset, prostrauit se in orationem, & ita fudit ad Dominum preces. Deus, cuius potentia celsior est omnibus in excelso throno, qui cælum suspendisti à terra, & ceu gemmarum pulchritudine astrorum exornasti varietate, qui me ex vtero matris meæ in hunc mundum venire iussisti, tuúmque sanctum nomen confiteri, benedic vas istud, & reple eum rore cælesti, vt sicut mannâ in deserto Patres nostri satiati sunt, ita repleamur tua be-

Ex Sermone I.

Miror vina dedisse in eremo, non vitem sed fontem.

Item. *Infertur mensis vinum aquarum rubentium.*

Ex variis Responsoriis.

Post v. Lectionem. *Dum transiret Rex Francorum, & veniret secus vbi habitabat Eremita, admiratus est super his quæ dicebantur de viro hoc.*

Post vi. Lectionem. *Iam thesaurum absconditum fama delatrix prodiderat, & non potuit præterire Regem prætereuntem, sed diuertit ad tugurium pauperis excitus famâ Sanctitatis, vt videret operà Domini & mirabilia eius in deserto.*

Post vii. Lectionem. *Ingresso Rege pauperis cellam, sollicitus hospes quòd vinum non haberet, haustam de proximo fonte aquam benedicens conuertit in vinum, & bibit Rex, & qui cum eo erant. Repleti sunt omnes stupore & extasi in eo quod contigerat illis.*

Post viii. Lectionem. *Nouum genus potentiæ, aquæ rubescunt hydriæ, vinum iussa fundere mutauit vnda originem.*

AN. CH. 650.
SIGIB. III. R. 18.
CLOD. II. R. 15.

[illegible] editione loco : fatim [illegible] Crucis, [illegible] eo repletum est vas illud vino secundi- [illegible], cuius suauitas odo dulcedo nulla nec po- [illegible] illius dulcedinem lingua dissoluere, & [illegible] antes vniuersa turba satiata est, & cum [illegible] tripudiantes iter coeptum peregerunt [illegible] gaudio. Nec illum benignitas ibidem [illegible], qui in Chana Galilææ aquas in vi- [illegible] conuertit, & quod non habuerat per [illegible], nec in vite perpenderat, nec [illegible] fructificauerat, per verbum Christi [illegible] est in falernum. Miraculum [illegible] non est silendum, sed narrandum, videlicet quadam die operarios in agrum [illegible], vt triticum seminarent, & vnus [illegible] duorum modiorum capacem foueam faciens in terram suffodit. Illicò autem à dæmonio vexatus, sicut leo rapidus ex [illegible] partibus sanctum eructabat in- [illegible]. Quem vir Dei à longè videns, [illegible] illum faciens Crucis purgauit eum ; & triticum, quod absconderat, propriis [illegible] restituit.

Ex Hymno ad Laudes.

Vina de fonte [illegible] de vite manant,
Musta per vinum colorata fluunt,
Benedicentis manu benè vsa
Pro torculari.
Subitò super subiectis nouellus
In nouos vsus latices coegit,
Rege mouente, vbi non putabat
Regium potum.

Ex Sermone I.

Quis item non [illegible] furentem à dæmone deprehensum, & rursum à dæmone mox hominem liberatum ?

Ex Responsoriis [illegible] II. Nocturni.

Homo quidam [illegible] veritus malignari in Sanctum, furatus [illegible] triticum eius, & abscondit in terram, [illegible], ecce miser tradi- tur maligno spiritui. [illegible] iustitiæ plenum, [illegible] ipsum & vltorem [illegible] ateretur.

Triste miraculum, [illegible] mysteria : de- [illegible] quem suggestorem [illegible] dæmonem pro- [illegible] scelere homo dæmone [illegible] iecit inter illos, Reuelantur inquisi[illegible] hominem sanat, [illegible] hominem cogit ; [illegible] malignitate re- [illegible]. Victor medius [illegible] dæmonem fugat [illegible] frumentum prodente ip[illegible] [illegible] perat.

Ex Hymno ad [illegible] Laudes.

Dæmone tortus publi[illegible] homo,
Furtia fatetur miser vel [illegible] itus,
Pellitur torror sure depre[illegible] ipso
Tortus & ipse.

Ex Sermone [illegible] I.

Verè anima tua, Victor [illegible] vna ex gem- mis, quæ tibi in Cruce ap[illegible] ruerunt. Verè infixa Cruci, cùm diuin[illegible] inserta gloria, eandem sibi claritatis [illegible] ginem induit quam inuenit.

Ex vltimo Responsorio [illegible] II. Nocturni.

Sufficiens Victor vidit [illegible] los apertos & Crucem auream gemmis or- [illegible] natam. Et vox ad eum. Gemmæ sunt an[illegible], Crucis glo- riam assecutæ, cuius igno[illegible] miniam porta- uerunt.

Ex Antiphona IV. ad [illegible] Laudes.

Verè anima tua, Victor, [illegible] vna ex gem- mis, quæ tibi in Cruce ap[illegible] ruerunt, verè. Iam infixa Cruci, cùm diuin[illegible] inserta gloria [illegible] tandem sibi induit clari[illegible] imaginem quam inuenit.

Quadam die cùm ieiuniis & oratio- [illegible] inediáque corpus maceratum quieti [illegible] cupisset, consurgens per opaca noctis si- [illegible], quodam se in loco ad orationem [illegible] prostrauit, & cùm sursum inten- [illegible], vidit cælum apertum, & Crucem [illegible] aureo coruscantem fulgore, & ex [illegible] que parte lapidibus pretiosis ornatam, [illegible] audiuit vocem sibi dicentem. Hæ quæ [illegible], animæ sunt Sanctorum, qui pro [illegible] Domino stolas suas in sanguine [illegible] lauerunt. Et terrore concussus ruit [illegible] faciem suam magnificans Dominum, [illegible] illi terrena * patefecit arcana. Ab illo [illegible] ipse die in cellula clausus latebat, & [illegible] nullis vacaret secularibus per mun- [illegible], multi tamen diuersis languoribus [illegible] ad eum afflicti & fatigati [illegible].

Nec illud mysterium silendum putaui, [illegible] ad tanti viri laudis veram virtutem

AN. CH. 650.
SIGIB. III. R. 18.
CLOD. II. R. 13.

oportet edicere. Cùm esset vir beatissimus persenilis ætatis, deuitans omnia mundana, caducáque respuens quæ mundus habet iocunda, erat ei veneranda canities, erátque in charitate perfectus, & inter Proceres seculi ei fuit celitus à diuinitate concessum, quòd specialiùs ab omnibus diligebatur. Intereà reuerentissimus vir habebat filium spiritalem, de alto Francorum genere, in pago cognominato Cupidiniacò, quem de sacri fantis vnda susceperat, à quo obnixiùs deprecatus est, vt domum vel familiam suam visitare dignaretur, quia olim eius desiderabant aduentum. Sed beatus vir non rennuit & diem pollicetur, & sicut spoponderat adimplenit. Cúmque ad præfatam domum venisset, occurrunt vniuersi cum gaudio, & vt munus cæleste aut margaritam splendidam eum suscipiunt, & non recipiebat cibum nisi in vesperascente iam die, post refectionem quietem sibi paulisper vel suo corpusculo tribuens. Mediâ quadam nocte ex more consurgens, Psalmis & Hymnis Dominum modulatis vocibus implorabat, vsque illucescente Aurorâ quæ in Dominico die lucescit. Igitur matutinali solemnitate perfectâ, dum ad visitandum turba conuenisset, & de Religione Catholica eos doceret, cùm sermo prolongaretur, & appropinquasset hora, & ad Ecclesiam, vt mos est, ad audienda sacra mysteria properarent, quodam in loco dicitur restitisse, vbi audire meruit cateruas Angelorum, & Orationem Dominicam completam, vbi dicitur. [Sed libera nos à malo.] Et stupefactus caput inclinans in terram, simul ambabus manibus pectus suum percutiens ait. Heu me, quia cùm sim indignus, Iesu Domine, audire merui orationem auribus meis, quam tu ipse, Domine, docuisti dicere discipulos tuos, inenarrabilibus vocibus Angelorum, & hæc dicens ait. Reuertamur domum, quia iam diuina munia persoluta sunt in cælis. Quo audito non est gloriâ elatus humanâ, sed Dei bonitatem in suo miratus opere, quia Dominus diligit colentes se, & non derelinquit omnes qui sperant in eum. Illo verò die vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. In postero namque die ad cellulam suam remeauit in gaudio, & omnes incolumes dereliquit.

Ex Sermone I.

Quis non etiam omni admiratione stupendum ducat, carne circumdatum hominem, cælis patentibus, carnis oculos superno infigere lumini, & videre visiones Dei, Angelico insuper mulceri cantico. Item. *Cerno Angelos illum audisse canentes.*

Ex Sermone II.

Corpore denique terras, mente cælos inhabitans, aliquando familiarius aliquid nuntiantes, aliquando ineffabili cantûs suauitate plausibiles supernorum voces spirituum audiebat.

Ex Hymno ad Matutinum.

Meritò dulces Angelorum voces
Corpore graui audiebat homo
Carneos luxus premens, in carne
Angelum viuens.

Ex Antiphona I. ad Laudes.

Corpore terras, mente cælos Victor inhabitans, aliquando aliquid nuntiantes, aliquando ineffabili cantûs suauitate plausibiles voces Angelicas audiebat.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

[illegible] Tanta de pluribus nulli, ne legenti[illegible] fastidium generetur. Nam cæcis vi[illegible] furdis auditum, mutis loquelam, [illegible] claudis restituit gressum, & [illegible] vestificante, quarto semper à Calendas [illegible] martyr migrauit ad Dominum, recondi[illegible] [illegible]que in loco amœno, vbi fauilla tenen[illegible] membra sepulchro, & spiritus astra [illegible] magno petiit triumpho. Accidit tunc illo tempore, vt homo quidam sollo peccato [illegible] comprehensus in Arciacensi Castro, [illegible] ergastulorum custodia retrusus per diu[illegible] [illegible] custodiam detineretur. Qui in visu videre promeruit beatum Victorem, & quasi suo baculo compaginem catenarum tetigisset quibus vinctus fuerat. At ille expergefactus semiuiuus in se vir[illegible] [illegible] ostensam, quod de manibus vel collo ipsius vincula, quibus constrictus fuerat, dissoluta fuissent, & tantum in pedibus remansissent, quid ageret vel quid facere deberet anxius, venit in sensum eius, vt ad Basilicam Sancti viri peteret auxilium defensionis, & forsitan de pedibus eius vincula dissoluerentur. Custos carceris iacebat examinus, quia sopor Domini irruerat super eum. Surgens namque is qui vinctus fuerat, tentabat si posset incedere. Titubabant membra dum gressum porrigeret. Patefacto ostio ergastuli, telo arrepto in manibus, primum vix curuus incedens; magis ac magis roborabatur animus ad salutem, vt quem diuina virtus eripuit, nullum putaret habere impedimentum. Quamobrem ita cursu celeri per opaca noctis silentia, sex millia passuum percurrit, [illegible] ne vnum quidem stadium ambulasset, & videbatur illi vt quasi Angelica [illegible] vsus fuisset officio, nam cùm infra atrium, vel valuas ipsius Ba[illegible] contigisset, continuò ferri compago [illegible]uit, atque in frusta comminutum est, [illegible] in pedibus innexuerat, in ma[illegible] confractum populo teste monstraret. [illegible] quidem signa & prodigia per eun[illegible] benignitas Saluatoris nostri prodere [illegible] eius dignatur tumulum vsque in [illegible] diem, regnante Domino nostro [illegible] Christo, cui est honor & gloria ipsi [illegible] seculorum. Amen.

Ex Sermone I.

Imperat ille dæmonibus adhuc in corpore viuens; vinctis iam in corpore solutis corpore iam solutus.

[illegible] lucubrationibus sancti Bernardi cum Actis sancti Victoris, qu[illegible] Camuzat [illegible] in promptuario sacrarum Antiquitatum Tricassinæ Diœcesis [illegible] publicauit, [illegible] collatis, nemini dubium esse potest, quin apud Camuzatum hæc [illegible] eadem sint [illegible] Victoris Acta, quæ quondam in manus sancti Bernardi v[illegible]erunt, &

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

ex ipsiusmet Biuari iudicio litem omnem de patria sancti Victoris motam dirimere debent. Hæc autem sancti Victoris Acta sanctus Bernardus accepit à Guidone Monasterij * Arremarensis, vbi beatus Victor quiescit, Abbate. Sic enim ipse in literis [a] ad eundem Guidonem & Monachos Arremarenses scripsit. *Venerabili Guidoni Abbati Arremarensi & sanctis qui cum eo sunt fratribus Bernardus seruus sanctitatis eorum, seruire Domino in sanctitate. Petis, carissime mihi Guido Abbas, & tecum pariter qui tecum sunt fratres, dictare me aliqua vobis legenda solemniter vel canenda in festiuitate sancti Victoris, cuius apud vos corpus sacratissimum requiescit.* Ex infrà. *Seruatâ antiquorum veritate scriptorum, quæ tu mihi transmiseras, de vita Sancti* Victoris *duos Sermones dictaui qualicumque sermone meo; illud quantùm potui cauens, vt nec breuitas obscuros, nec prolixitas redderet onerosos. Deinde quod ad cantum spectat, Hymnum composui, metri negligens, vt sensui non deessem. Responsoria* XII. *cum Antiphonis* XXVII. *suis in locis disposui, addito Responsorio vno quod prioribus Vesperis adsignaui, itémque duobus aliis breuibus ipso die festo pro vestra regulari consuetudine, vno ad Laudes, altero ad Vesperas, decantandis.*

* *Monstier-Ramey.*

[a] Ep. 312.

XLVIII. Licèt ea quæ superiùs dicta sunt, aduersùs Biuarum sufficere videantur, quia litem omnem testimonio antiquorum opusculorum de vita sancti Victoris, quibus sanctus Bernardus vsus est, dirimendam iudicauit, nihilominùs operam hoc loco dabimus refellendis rationibus, quarum auxilio idem Auctor fidem vulgato Maximi Chronico conciliare conatur.

XLIX. Prima sumitur ab ætate Maximi, *qui 500. spatio annorum Bernardum ipsum superauit, & propinquior Victori rem ipsam enucleatiùs potuit calere, vtpote qui non longè ab eius transitu degebat.* Sed nec Chronicon, quod Maximo tribuitur, fide dignum sentiunt eruditi, nec de sancti Victoris ætate cum illo Chronico conuenimus.

L. Secunda petitur à sancti Bernardi silentio *de patria & incolatu Victoris, quæ quidem minimè prætermisisset, si eius territorij fuisset incola, quod præsentiâ sui corporis honestabat.* At huic obiectioni iam satisfecit ipsemet sanctus Bernardus in literis ad Guidonem Abbatem Arremarensem suprà laudatis. Rogatus enim, vt dictaret *aliqua legenda solemniter vel canenda in festiuitate Sancti Victoris*, qualia hæc deberent esse, sic docuit. *In solemnitate celebri non nouella audiri decet vel leuia, sed certè authentica & antiqua, quæ & Ecclesiam ædificent, & Ecclesiasticam redoleant grauitatem.* Et paulò pòst. *Sensa indubitata resplendeant veritate, sonent iustitiam, humilitatem suadeant, doceant æquitatem; quæ etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus deuotionem, sensibus disciplinam.* Neglectis igitur locis Natiuitatis & Eremiticæ habitationis, ea tantùm tradidit, quæ propter ædificationem Ecclesiæ solemniter legenda canendáque censuit. Sibi tamen nequiit temperare, quin asseretet Francis imperasse Regem, qui tugurium Victoris adiit, eâque denominatione palàm indicaret eremum, quam Victor incoluit, intra Franciæ fines extitisse. *Dum transiret*, inquit, *Rex Francorum, & veniret secus vbi habitabat* Victor *Eremita, admiratus est super his quæ dicebantur de viro hoc.*

LI. Tertia ducitur à sancti Victoris sepulchro cuius meminit sanctus Bernardus, nullâ patriæ & incolatûs factâ mentione. Locum, vbi reliquiæ sancti Victoris asseruabantur, aptè admodum memorauit sanctus Bernardus in literis ad Guidonem Abbatem Arremarensem & in Oratione Officij. Rogatus fuerat ab Abbate Guidone Monachísque Arremarensibus, vt aliqua dictaret legenda solemniter ac canenda in festiuitate sancti Victoris, cuius corpus in ipsomet Arremarensi Monasterio requiescebat. Hanc loci circumstantiam præterire non potuit, cuius potissimùm occasione prouocatus fuerat ad scribendum. Quapropter suam ad Abbatem fratrésque Arremarenses epistolam sic inchoauit. *Petis, carissime mihi Guido Abbas, & tecum pariter qui tecum sunt fratres, dictare me aliqua vobis legenda solemniter, vel canenda in festiuitate Sancti Victoris, cuius apud vos corpus sacratissimum requiescit.* Appositè quoque corporalem sancti

Victoris

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

[illegible] Colle[illegible], quæ [illegible] esset in Ecclesia [illegible] eiusdem Confessoris ex [illegible] quas corporale beati [illegible] supplicantium preces, [illegible] intercessione vndi- [illegible] concedat [illegible] benè congruéque [illegible] V trobique non ita [illegible] Eremiticæ. Sed [illegible] Natiuitatis [illegible] fubiecto Regem Fran- [illegible] Lectiom quatæ [illegible] aret. Id enim fa- [illegible] accessisse constanter [illegible] super eius patria [illegible] quam Bi[illegible] Hispani[illegible]

LII. Quarta ratio eruitur ex Ferrario, qui de Archiaco noua Martyrologij Ro- mani Topographus sic scribit. *Archiacum, Arcby, pagus* [illegible] *hoc tempore appe-* [illegible] *Galliæ Lugdunensis, in ea regione quam Campaniam vocant,* [illegible] *in territorio &* *Diœcesi Trecensi.* Ex illo enim Ferrarij loco Biuarus sic arg[illegible] *Archia-* [illegible] *non vetus pagus fuit, sed recentius* [illegible] Ferrarius fatetur [illegible] *Martyrologij Romani Topographia de eodem S. Victore* [illegible] *Vnde conie-* [illegible] *est à corpore Victoris Arcilacensis illuc translato ob eius* [illegible] *cœpisse op-* [illegible] *cui à Sancti cognomine nomen inditum fuit, liberà* [illegible] *& assera-* [illegible] *adiunctâ, itaut Archiacum quasi Arcilacum dictum* [illegible] At vetus Au- [illegible] in Historia sancti Balsemij * Martyris, qui Marty[illegible] in persecutione [illegible] Wandalorum consummauit, longè aliter de Arceyis seu de Ar[illegible] [illegible]iaco disserit. [illegible] *inquit, inter Campaniæ* [illegible] *ad quandam* [illegible] *Arceyas nomine,* [illegible] *dicitur illo tempore ciuitas fuisse* [illegible] *villam* [illegible] *Agueramus esse.* [illegible] *agit autem eo tempore* [illegible] *suis demotam,* [illegible] *quadam inuasisse Francia, & maximè* [illegible] *gentem à* [illegible] *circa contigui* [illegible] *Campaniæ.* Et infrà. *Vade in Franciam* [illegible] *ipsos, qui* [illegible] [illegible]mine. Item. [illegible] *ciuitatem prædictam Arceyas.* [illegible] *ad ciuitatem Arcey*[illegible] [illegible] sumus ad [illegible] Christi sexcentesimum [illegible] situ Arceyarum [illegible] [illegible] Ballemios, al- * [illegible] Martyrem, alterum Confessorem distinximus, vbi duo [illegible] Arceyæ ad Al- [illegible] * amnem, quà Trecis iter est Catalaunum. Sic[illegible] [illegible] autem, quod * [illegible] imè obseruandum est, non ab Arcluaco vel Arcilaco denua[illegible] [illegible] Arciacen- * [illegible] territorium & Arceiacense Castrum in vita sancti Victoris, qua[illegible] [illegible] Camuzatus [illegible] vetusto Codice publicauit.

* Saint Basserge. * Num. 12. * Aube. * Arcies.

LIII. Tamayus non aliâ quàm Biuarus eget re[illegible] [illegible] iisdem vsus [illegible] argumentis, vt opinionem suam confirmaret. Vituperio [illegible] aliquantò [illegible] dignus est Tamayus, quoniam sancti Bernardi Sermone[illegible] à Camuza- [illegible] transcriptos asseruit. Vitam autem sancti Victoris, quam Cam[illegible] [illegible]tus edidit, [illegible] Sermonibus sancti Bernardi plurimùm differre facilè diiudica[illegible] [illegible], quisquis [illegible] illam, quam suprà recitauimus, vel cum integris Sermoni[illegible] [illegible] sancti Ber- [illegible], vel cum illorum fragmentis ad latus eiusdem vitæ superius [illegible] etiam trans- [illegible] contulerit.

LIV. Camuzatus in notis ad Historiam sancti Victoris, locum qu[illegible] [illegible] ei tribuit [illegible] Sanctos, *quos Tricassina Diœcesis felicissimè edidit & educauit* [illegible] sed nec vbi [illegible] tarius vixerit, nec vbi sepultus sit, vnquam deprehendere po[illegible] [illegible] ut. In fine [illegible] orum mentio fit Ecclesiæ, quæ Deo in honorem sancti Vict[illegible] [illegible] dedicata [illegible], & ab Arceiacensi Castro sex millibus passuum distabat. Ex[illegible] [illegible] mus in [illegible] eodem loco vbi beatus Eremita solitariam vitam duxerat, erectam [illegible] [illegible] illam [illegible] basilicam, ibique sacras exuuias diu quieuisse, donec ad Arrema[illegible] [illegible] Monas- [illegible] um Ordinis Benedictini translatæ sunt. Hoc Cœnobium qua[illegible] [illegible] leucis ab [illegible] e Tricassina distat, nomen Adremari Presbyteri gerit, à qu[illegible] [illegible] fundatum [illegible] nono seculo. Vnde redarguas Ferrarium qui sanctum Victore[illegible] [illegible] Monachis [illegible] Arremarensibus accenset. Turpiùs hallucinantur, qui eundem [illegible] Cistercienti [illegible] tribuunt Ordini, nam Cisterciense Monasterium vndecimo sec[illegible] [illegible] lo exeunte [illegible] conditum fuit. Nec etiam audiendi, qui Benedictino illum Sodali[illegible] [illegible] annum [illegible] t. Vixit enim solitarius, nec vlli se Monasterio addixit.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

Colitur quarto Kalendas Martij, qui dies obitûs fuit. Colitur & quinto
Idus Octobris, qui dies fuit Translationis. De anno, quo translatus est in
Ecclesiam Arremarensis Monasterij, non liquet. Ibi iam quiescebat ætate
sancti Bernardi, vt ex eiusdem sancti Bernardi literis ad Guidonem Abba-
tem illius loci suprà citatis constat. Atque inde obiter Auctoris, quem Ca-
muzatus in lucem edidit, antiquitatem nota, cùm in eo nulla mentio præ-
dictæ Translationis habeatur. In Arremarensem Basilicam, vbi etiamnum
LV. reliquiæ custodiuntur, cranium videlicet argenteo capiti artificiosè elabora-
to ac reliqua ossa capsæ similiter argenteæ inclusa vt Desguerroisius obser-
uauit, quinto Idus Octobris ad celebrandam prælaudatæ Translationis me-
moriam quot annis maximus peregrinorum fit accursus. Eò deduci solent
energumeni; dæmoniaci ac lymphati, &, vt Camuzatus in notis ad Histo-
riam eiusdem sancti Victoris scribit, *salutari illius ope & beneficio liberantur &
sanitatem assequuntur, vixque dies vlla effluit, quâ non huiusmodi quidpiam con-
tingat.* Hæc de sanctis, qui peculiarem cultum in Diœcesi Tricassina prome-
ruerunt, inpræsentiarum sufficiant.

LVI. Anno proximè elapso prodiit in lucem Augustæ * Vindelicorum *Rhætia
* Ausbourg. *Ethrusca, Romana, Gallica, Germanica, Sacra & Prophana, Topo-Chrono-Stemma-
HISTORIA *tographica, breui compendio descripta per R. P. F. Gabrielem Bucelinum Imperialis
RHÆTICA *Monastery Weingarttensis Ordinis S. Benedicti Ascetam Theologum, Priorem S. Ioan-
BVCELINI *nis Baptistæ in Veldtkirck.* Hic Auctor sub initium sui operis in Rhætia Topo-
EXAMINA- graphica fatetur fines Rhætiæ sæpè mutatos esse, móxque subdit acturum
TVR. se de Rhætia, *vti hodie obtinet nomen, & præter trium fæderum*, seu Liga-
* Les Ligues rum * Grisonum, *ditionem (quæ maximam Rhætiæ possident partem) Austriacas
des Grisons. *quoque prouincias aliquot, Imperiales item & Helueticas nonnullas, complectitur.*

LVII. Antiqui Rhætos in duplici differentia posuerunt, alios enim in Italia col-
locarunt, alios inter Italiam & Germaniam. Rhæti Itali Gallos inter ac Ve-
netos medij erant, alij Alpes inter ac Danubium. De prioribus locuti su-
[a] Num. 28. mus ad annum Christi quingentesimum octogesimum [a], de vtrisque fusiùs ad
[b] Num. 11. annum Christi decimum supra sexcentesimum [b], Bucelinus neutros integrè
descripsit, vtrorumque parte tantùm delineatâ. Rhætiam tertio loco *Galli-
cam* cognominauit, id est, Francicam, neque enim Rhætiam, quam vltra
Rhenum sitam agnouit, accensere voluit Galliæ quæ Rheno claudebatur, sed
eo modo, quo Reges Francorum à plerisque minùs peritè Reges Galliarum
hodie nuncupantur, Rhætiam dixit *Gallicam* quæ sub potestate Francorum
esset.

LVIII. Rhætia, qualis à Bucelino statuitur, nec Sigiberto Regi, de quo ille ad
hunc annum multa fabulosè scribit, nec antecessoribus Sigiberti tota paruit,
* Coire. pars enim quæ pertinebat ad Italiam, vbi Curia * ciuitas Episcopali Sede
nobilis, in Francorum ditionem ante ætatem Pipini Regis haud deuenit.

LIX. Opus Bucelini tres in partes diuiditur. Prima Rhætiam Topographicam,
secunda Chronologiam Rhætiæ Sacram & Prophanam, tertia Rhætiam Stem-
matographicam repræsentat. In secunda parte ad annum Christi quingente-
simum tricesimum-septimum Auctor hæc habet. *Belisario feliciter Neapolim
& non multò pòst Romam occupante, dum otio torpet Theodatus, pertæsi inutilem
Regem Gothi, Vitigem salutant, Theodato interfecto. Vitiges à Belisario metuens,
Francorum exambit opem, qui magnam nauatæ opera mercedem accipiunt, partem
non minimam Rhætiarum.* In hoc autem textu multa sunt corrigenda.

LX. Primò, quæ de capta Neapoli, de Theodato Rege Ostrogothorum inter-
empto, déque ope Francorum à Vitige Theodati successore expetita narran-
tur, non anno Christi quingentesimo tricesimo-septimo sed præcedenti con-
ueniunt, gesta sunt enim anno secundo belli Gothici, vt Tomo primo ad
[c] Num. 1. annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum [c] ex Procopio teste pro-
batissimo notauimus.

LXI. Secundò, Belisarius Romam non recuperauit superstite in viuis Theoda-

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

[illegible] Rege. Vitiges [illegible] nece Theodati [illegible] factus est, Romæ [illegible] in custodiam [illegible] lætitiam Theodegisc[illegible] eiusdem Theo[illegible] [illegible] τοῖς [illegible], ἐς [illegible] Οὐίττιγις δὲ [illegible] Θευδάτου [illegible] [illegible] τε, καὶ αὐτὸς [illegible] [illegible] atas videbat, satius esse [illegible] Et quoniam Gothorum res minus [illegible] ibi probè ornata bellum susciperet [illegible] contendere, vt omni[illegible] habuit, quam [illegible] omnia Rauennam con[illegible] concione, oratio[illegible] Roma, capietur. [illegible] Aduocati igitur [illegible] ipsa vrbs, nem[illegible] [illegible] neque vllam [illegible] vestrûm quisquam timeat [illegible] constanti fide ser[illegible] aliquid in vos cadunt [illegible] Romani studeant, cum Gothis [illegible] reduces acceperit [illegible] enim est cum aperto [illegible] difficultatem, nec prepedimeant ad [illegible] admiseritis; [illegible] Quippe [illegible] pugnare. Quamquam ne quid [illegible] eiusmodi contingat [illegible] sufficiant, relinquemus [illegible] Præfectum [illegible] qui tuendæ [illegible] vllum discessu hic nostro [illegible] neque detrimen[illegible] [illegible]

[illegible] Γότθων φυλάξουσι [illegible] τῷ Ῥωμαίων [illegible] [illegible] ἐπεὶ ἐν Βεσχί[illegible] [illegible] ἐλάσαι [illegible] τῷ [illegible] [illegible] ἐγὼ [illegible] οἱ Ῥωμαῖοι [illegible]

[illegible] Senatum Populumque Romanum [illegible] Vrbis Antisti[illegible] [illegible] regno Theoderici, sibique [illegible] in me[illegible] [illegible] benevo[illegible] sibique eorum fidem grauissimo sacramento [illegible] Deinde Silue[illegible] commonefecit [illegible] Gothorum grati [illegible] deuinxit. [illegible]

[illegible] τῆς πόλεως [illegible] Σιλβερίῳ [illegible] πολλὰ [illegible] Οὐίττιγις, καὶ τὴν Θευδερίχου [illegible] ἐν βουλῇ, καὶ [illegible] ἐς Γότθους [illegible] ἄπα[illegible] [illegible] Δενique [illegible]

Denique, vt promissis staret, [illegible] ex nobilibus viro[illegible] qui Romam Gothis custodirent, [illegible] prudentia celebrem præfecit: cum reliquo stipatorum exercitu, Rauennam pet[illegible] [illegible] ἄνδρας τε [illegible] οὐχ ἧσσον ἢ τετρακισχιλίους [illegible] Λεύδεριν [illegible] Ῥωμαίων [illegible] πόρρω ἥκοντα [illegible] [illegible] σφίσιν, [illegible] ἐς Ῥάβενναν ἤει. [illegible] constante copiosa. [illegible]

Tertiò, Vitiges, vt Francorum amicitiam societatémque sibi conciliaret, LXII. partem duntaxat Galliarum, quam Alpes inter ac Rhodanum tenebat, ni[illegible] prætereà cessit. Apud eundem Procopium[b], Primores gentis [illegible] sic allo[illegible] tur. Existimo Germanos (hoc vocabulo Francos designat) non [illegible] dissident [illegible] depositurus, sed nostros etiam in hoc bello socios fore [illegible] Galliam, & quamcumque pecuniam cum ea se daturum [illegible] Theodo[illegible] [illegible] promiserat [illegible] Οἶμαι τοίνυν, ὡς ἢν Γαλλίας [illegible] ὁμόρους Γερ[illegible] [illegible] Vt [illegible] Ostrogothorum Proceres lubenter annuunt. Ergo [illegible] statim [illegible] Germanos, id est, ad Francos, Legati, qui illis Galliâ cedant, [illegible] [illegible] societatem. [illegible] Γαλλίας τε αὐτοῖς [illegible] ὁμαιχμίαν [illegible] [illegible] Francorum, [illegible] Childebertum, Theodebertum & Clotharium [illegible] qui medium [illegible]

a L. 1. de bell. Goth. c. 11.

b L. 1. de bell. Goth. c. 13.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

sibi Galliam ac pecuniam inter se pro cuiusque regni portione diuiserunt, promiserúntque se Gotthis amicissimos fore. Φράγγων δὲ τότε ἡγεμόνες ἦσαν Ἰλδίβερτός τε καὶ Θευδίβερτος, καὶ Κλωδαδάριος, οἳ Γαλλίας τε καὶ τὰ χρήματα παραλαβόντες, διενείμαντο μὲν κατὰ λόγον τῆς ἑκάστου ἀρχῆς, φίλοι δὲ ὡμολόγησαν Γότθοις ἐς τὰ μάλιστα ἔσεσθαι. Nulla hîc Rhætiarum mentio.

LXIII. Quicquid igitur apud Bucelinum, vel à Regibus Francorum, vel à Ducibus seu Gubernatoribus, quos Rhætis præfecerunt, ante Pipini Regis ætatem in Rhætia gestum legis, id interpretare de Rhætia inter Alpes & Danubium, id est, inter Italiam & Germaniam, sita, nec oscitantiæ nos redargue, quòd Rhætiam Italicam hactenus intactam reliquerimus nullâ Curiensis Episcopatûs aut Cœnobiorum in illa Diœcesi conditorum mentione factâ. Francicæ Monarchiæ laudi studemus non adulationi. Sigibertus eiúsque Antecessores Rhætiam Italicam non obtinuerunt, sed eâ tantùm Rhætiâ potiti sunt, quæ media erat inter Alpes & Danubium, & ab Auctoribus Sueuia & Alemannia nonnumquam appellata reperitur.

LXIV. Bucelinus Sigibertum Regem ad hunc annum Christi sexcentesimum quinquagesimum ita commendat. *Memorabili ad omnem æternitatem exemplo sanctissimus Rex noster & Princeps Rhætiæ Sigebertus, desponsatam quidem, concupitam diu quàm honestissimè sponsam, Gunzonis Rhætiæ & Alemanniæ Ducis filiam Fridebergam, splendidissimo ornatu & comitatu sibi præsentatam, dum iungere sibi nexu solemni coniugij parat, & ipsa septem dierum inducias postulat, atque impetrat, hísque euolutis regias exuta vestes, monasticásque induta, apprehenso altari sancti Stephani Metis, hunc obsecrat cor immutare Regis, vt Regi se immortali sponsam relinquat: auditâ re sanctus sponsus mandat nihilominùs vestes nuptiarum & coronam regalem ad idem templum deferri, eóque regio splendens habitu progressus sponsam ipse trementem deduci ad se imperat, & cultu regio exornatam, sacro insuper velamine amictam his verbis affatur. Ecce, inquit; meis te nuptiis præparatam, Sponsi cælestis, Domini nostri, videlicet Iesu Christi cedo complexibus. Et dextram eius apprehendens in altari ponit, atque Ecclesiâ excedens lachrymis absconditum patefaciens amorem, ipsam virginum illic Cœnobio illustri præficit, quod Regali munificentiâ locupletat. Porrò vrgentibus Regni negotiis aliam sibi deligens, Imnechildem vxorem ducit, ac dein sanctissimè imperat, æternâ & anniuersariâ solemni memoriâ, ab omnibus suis prouinciis & Regnis, vt miraculum Regis, Apostoli & Patroni, celebrandus.* At hanc fabulam, quam nono seculo Walafridus Strabo Abbas Augiensis * in vita sancti Galli de Sigiberto Secundo, Theodorici Secundi filio, primùm scripsit, ad annum Christi sexcentesimum decimum-quartum [a] abundè refutauimus, illiúsque rursum meminisse nos puderet, nisi fons esset & origo plurium errorum, quos necesse est indicare.

* de Richenou.

[a] Num. 6. & seqq.

LXV. Bucelinus, quia quæcumque de Frideberga narrantur à Walafrido, vera credit, eáque regnante vel Dagoberto vel eius filio Sigiberto gesta putat, vult Fridebergam Sigiberto adhuc septenni desponsatam fuisse anno Christi quadragesimo-primo supra sexcentesimum; & anno sequenti, cùm à dæmone torqueretur, pessimo insessore liberatam, precibus sancti Galli; Monialem denique factam hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo. Inde sequitur magna Chronologiæ perturbatio: Mors sancti Galli, quam anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto consignauimus, in annum Christi sexcentesimum quadragesimum-tertium reiicitur; Episcoporum Constantiensium ordo peruertitur, Ioannes enim, cuius successor Boso anno Christi sexcentesimo duodeuicesimo sedebat, in viuis anno Christi sexcentesimo quadragesimo-tertio superstes fingitur, quia B. Gallum sepulturæ mandauit; multò serius quàm par est referuntur gesta virorum, qui sancto Gallo familiaritate vel amicitia coniuncti fuerunt; exemplo sit beatus Magnus seu Magnoaldus, cuius obitus, qui anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto contigit, in annum Christi sexcentesimum nonagesimum-quintum perperam differtur, dissidio

AN. CH. 650.

SIGIB. III. R. 18.

CLOD. II. R. 15.

LXVI. Chronologiæ ad annos ferme quadraginta ... excrescente. Longum esset à Patre de ceteris erroribus, in quos necesse est eos labi, qui mortem sancti ... alij non eo collocant tempore, quo referri debet.

Hactenus ignorauit Bucelinus Dagobertum Sigiberti, de quo loquimur, filium, Dagoberti Magni nepotem, ex Hibernia rediisse, regnasse in Austrasia, patrémque extitisse alterius Sigiberti. Quapropter vt duos Dagobertos sic & duos Sigibertos simul confundit, & Sigibertum prioris nepotem, Dagoberti Magni pronepotem, quem Deus Arbogasti tunc Argentoratensis Episcopi precibus exoratus à morte suscitauit, asserit Dagoberti Magni filium fuisse. Eodem laborat inde mendo Chronologia Pontificum Argentoratensium, ... mors enim sancti Arbogasti, quam in annum sextum Dagoberti Secundi Regis, id est, in annum Christi sexcentesimum septuagesimum-nonum reiicimus, citiùs ad annum Christi sexcentesimum duodesexagesimum refertur. Sigiberto, quem Deus rogante eodem sancto Arbogasto ad vitam reuocauit, nondum nato, imò Dagoberto, cuius filius fuit, ne tum coniugato. Hæc discrepantia est annorum vnius ac viginti ... Nomenclaturam vel Chronologiam Præsulum Argentoratensium ..., sed ab iis etiam qui res à sancti Arbogasti ... consignant.

LXVII. Est & alius error in Bucelino ... in eremo vel alibi gestas ... dissimulare non possumus, quoniam ad Principatum Sigiberti spectat. ... ille mortem Clotarij Secundi Regis anno Christi sexcentesimo ... rectè illigauit, sed malè subiecit Dagobertum ... Clotarium patrem regnasse, sexdecim enim annos ... sexdecim post ... initium Fredegarius repetit à die quo Dagobertus à Clotario patre ... Austrasiæ renunciatus est, ... inchoauit. Inde factum magno Chronologiæ detrimento, vt nec benè sit ... annum quo natus est Sigibertus, nec annos benè notet quibus idem ... regnare cœpit desiitque. Scripsit Sigibertum in lucem editum esse anno Christi sexcentesimo ... præpositum tertio tricesimo-quinto, Regem Austrasiæ à Dagoberto patre ... sublatum anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo, & ex hac vita ... Sigibertus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-tertio. Natus est autem ... Orientalium à Dagoberto patre constitutus, Rex Austrasiorum seu Francorum ... tricesimo-tertio, vitamque mortalem clausit anno Christi sexcentesimo ... quinquagesimo-quarto. Lege quæ sub finem Tomi superioris & initio huiusce ... sunt ad annum Christi sexcentesimum tricesimum, & sexcentesimum ... cesimum-tertium quinquagesimum-quartum, quæque dicenda sunt inferiùs ad annum Christi sexcentesimum ...

LXVIII. Porrò licèt hos næuos in Rhætia Bucelini deprehenderimus, ... non possumus Auctoris conatum studiúmque non laudare, cuius operâ sæpè ... feliciùs vsuri sumus.

LXIX. Rhætia non qualis à Bucelino sed qualis à nobis alibi describitur, locum ... net inter prouincias, quæ fines sunt inter Alpes ac Danubium, & vt per Alpes ab Italia, sic per Danubium ab Alemannia distermiatur. ... fuit in diregione Sigiberti Regis, vt & confinis Alemannia. Vtrobique copiosus idololatrarum numerus. In Alemannia tenerrimam tunc ætatem agebat Bertulphus, cuius ortu sic in eius vita Monachus Blandiniensis: *Cùm summo gloriosissimo Regi ... Ecclesia Christi pacem simul & gloriam meruit, beatissimus Confessor ... Bertulphus ortum natiuitatis patriâ Alemanniâ habuit: parentibus quidem honestis ... moribus, sed gentilibus. Neque enim adhuc Alemanniam fides Christi ... respexerat, nunquam in ea hic futurus Ecclesiæ filius carnis tunc progenitores habuerit.*

Cuius vterque parens, Paganis ritibus horrens,
Sicut spina rosam, Sanctum sic edidit istum.

LXX. Hic Auctor scripsit seculo vndecimo, cùm Folcardus Abbas Blandiniensis Monasterium administrabat. Lucubrationem antiquioris ... scriptoris, qui ...

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 18. CLOD. II. R. 13.

fortè eâdem quâ Bertulphus ætate vixit, præ manibus habuit, & vt eam expoliret calamo manum admouit. Sic enim præfatur in suo prologo. *Vitam veteri olim stylo descriptam, vt nouo scribendi percurrerem studio, Domini Abbatis nostri Folcardi obtinuit iussio.* Vitæ subiecit varias Translationes, miraculáque narrauit ad suam vsque ætatem, vt initio capitis octaui testatur his verbis. *Tametsi ea, quæ fidelium hominum sermone referuntur, haud difficilè ab auditoribus æquè fidelibus creduntur, multò tamen certiori fide ea sciuntur, quæcumque oculis licet intueri. Vnde sicut ea, quæ à maioribus de sanctissimo Patre nostro Bertulpho didicimus, sic & illa, quæ oculis ipsi vidimus, stylo tradere conamur.*

LXXI. In tota sancti Bertulphi vita nullus inuenitur Character, quo niti possit Chronologia, si nomen Sigiberti Regis excipias, de quo nec omnes idem sentiunt, alij enim Sigibertum Primum, alij Sigibertum Tertium interpretantur. Certè Auctor præcitatus, cùm disertis verbis asserat se loqui de Sigiberto Rege, sub quo *Ecclesia Christi pacem simul & gloriam meruit*, apertissimè declarat sibi sermonem non esse de Sigiberto Primo, cuius Principatus in Galliis, vbi Christiana Religio florebat, ob frequentissima bella turbulentissimus fuit, vt suis locis ex Gregorio Turonensi aliisque probatæ fidei Scriptoribus Tomo superiore demonstrauimus.

LXXII. Præ ceteris igitur, qui de sancti Bertulphi ætate disputarunt, nobis arridet Malbrancus libro quarto [a] de Morinis. Hic scribit Bertulphum in Alemannia natum esse *Sigeberto Austrasiis dominante;* solum vertisse *suo ad coniugium appetente, an. Chr. 668.* & post annos *quadraginta*, id est, anno Christi septingentesimo-octauo feliciter in cælum migrasse. Nihil occurrit in illa computatione, quod Auctori vitæ refragetur. Post Ottonis cædem, qui tumultus in Austrasia ciebat, Sigibertus ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo vsque ad exitum suæ vitæ altâ per vniuersum Regnum pace potitus est. Illis temporibus, cùm *nec adhuc Alemanniam fides Christi resperserat*, id est, cùm Christianam Religionem pauci Alemannorum adhuc susceperant, natus est Bertulphus. Iam verò si valet hæc de sancti Bertulphi ortu computatio, nec illius ætas vxori ducendæ idonea discrepabit ab anno Christi sexcentesimo duodeseptuagesimo, nec illius obitus ab anno Christi septingentesimo-octauo remouebitur, quia longum eiusdem famulitium, Clericatus & Abbatica Præfectura quadraginta circiter annos exigere videntur.

[a] Capp. 7. 54.

NASCITVR BERTVLPHVS.

---

651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

ANNVS
CHRISTI 651.
SIGIBERTI III. R. 19.
CLODOVEI II. R. 14.

I. ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, beatus Gislenus in Belgium venit, & in loco, cui nomen erat Vrsidungus, Cellam cum Oratorio ædificare cœpit. Audiendus super ea re Fulbertus in vita sancti Auberti Cameracensis Episcopi. *Athenis vrbe Græcorum nobilissimâ adolescens quidam inclytis ortus natalibus, studiisque literalibus propemodum exercitatus, sed fidei moribus adornatus, ex inspiratione superni amoris patriam parentésque deserere, cursúmque longæ peregrinationis meditabatur adsumere, quatenus impensione temporalis exilij mercaretur æternæ portionem hæreditatis. Igitur Romam adueniens Oratoria Apostolorum orationis gratiâ lustrando aliquantulùm temporis expleuit. Quadam nocte quadam lassescentibus ex itinere artubus, in somnum resolutus, diuina iussione voce monetur occiduos Galliarum fines expetere, pagúmque Hagnon penetrans, congrua*

GISLENVS VENIT IN BELGIVM.

[illegible] quareret, vbi constructo Oratorio vocationis suæ tempus expe- AN.CH.
[illegible] in prouidentiam sibi semper adfuturam, laboriosi cursus non 651.
[illegible] ad locum perueniret, ibique inueniret, qui sibi peregrina- SIGIB.
[illegible], & rerum adiumenta præstaret. Quâ voce diuinâ beatum III. R. 19.
[illegible] menta indicans. Sed iussionem Domini explere desiderans vir CLOD.
[illegible] erat nomen illi, regionibus diuersis, insulis & vrbibus pera- II. R. 14.
[illegible] tandem peruenit ad locum, qui tunc temporis Vrsidungus ab
[illegible] ex consuetudine videlicet vrsæ parturientis, nunc vero Cella voca-
[illegible] triginta fere millibus ab vrbe Cameracensi, in qua ipse ex di-
[illegible] Pontificem supra gregem Christi curâ peruigili audierat insuda-
[illegible] auulsis arboribus, Basilicam in honore beatorum Apostolorum cæpit INCHOAT
[illegible] studiisque bonorum excitore. Disseminante ergo diabolo zelum inuidia per MONASTE-
[illegible] malorum, auditum est aliquos, vt est mos adulantium, sancto Episcopo sua- RIVM
[illegible] non debuisse pati pseudodoctorem in finibus suis ad inuidiam sui honoris ma-
[illegible] sanè qui ad seducendas mentes simplicium, vrbana sapientium conuenticula
[illegible], in has solitudines deuenisset. Sed vir Domini aduertens suggestionem ini-
[illegible] otiis quàm ratione compositam, non est, inquit, nostrûm, hominem indiscus-
[illegible] iudicare, neque omni spiritui credere, donec probetur si ex Deo sit. Mittitur ita-
[illegible] antius, qui hominem ad conspectum Pontificis accersire debeat, hoc interim pro-
[illegible], ne vir Dei ex conuentu quouis iniuria motu contristaretur. Euocatus autem
[illegible] Gislenum cæpit Deo gratias agere, quod se per summum Pontificem superna
[illegible] visitasset. Perueniens itaque ad vrbem sancto præsentatur Episcopo, quem
[illegible] flagrabat caritatis dulcedine, sic affatur. Dic nobis, inquit, frater carissime,
[illegible] ciuitatis es cuiúsue dignitatis. Cui ille respondens, Græcus, inquit, sum natio-
[illegible] Christianus vero dignitate, Athenis ortus, baptismate renatus, ita Romam adiens
[illegible] præceptum hanc perueni in patriam, super fluuium * Hagnam, in loco, qui * LaHayne.
[illegible] Vrsidungus, operis manibus, ædificare gestiens Deo Oratorium. Desiderabam
[illegible] tuam expetere sanctitatem, petiturus licentiam agendi quæ sunt cæpta, sed
[illegible] gratia tua quæ me accersiuit. Intuitus autem almus Episcopus viri sermo-
[illegible] hospitalitatis retentum, & corporalis alimoniæ subsidio, & sacro spiritalis vi-
[illegible] colloquio satiauit. Dehinc benedictionis suæ munere donatum, acceptâque regre-
[illegible] licentiâ, cum venerabilis Pater hortatur perficere studio quæ cæperat, sicque
[illegible] congruenter Oratorium suæ auctoritatis benedictione consecraturum pro-
[illegible] Qui Episcopi promissione lætus, operi ardentiùs instabat, animaduertens iam
[illegible] eueniss[e] [illegible] euenisse, quem ad ministerium socialis laboris diuinitus
[illegible] audierat sibi promissum.

Apud Philippum Abbatem Bonæ Spei, qui vitam beati Gisleni scripsit, ha- II.
bentur plura prolixioráque. Gislenus Atheniensis à pueritia institutum sanctè i-
Basilij profitetur, per Ecclesiasticos gradus promouetur ad Presbyteratum, a
relictâ patriâ Romam proficiscitur; diuino monitu pagum adire Hainoensem,
& in loco, quem incolæ ab vrsa cum catulis illic deprehensa Vrsidungum
vocant, Oratorium ædificare iussus vix se committit, cum duobus tantùm
comitibus Lamberto & Bellirico; in itinere Amandum Episcopum famâ ce-
leberrimum à Domino inuitur consultque; montem, cui Castrilocus nomen est, locum
[illegible] ingentem promissum [illegible] ratus illic extirpat arbusta, templo construendo
[illegible] insequebantur operam [illegible] à regiis venatoribus vrsam quam per Brachban-
[illegible] spicientibus, sub [illegible] eius tunica ad arborem suspensa securam quiescere
[illegible] déque cum sociis prodigij magicæ arti tribuentibus, impiè contume-
[illegible] ititur vita in[illegible] excipitur; ipsi Regi Dagoberto mox accedenti & depa-
[illegible] paulò benedictionem [illegible] satisfacit humili responsione, atque abeunti suam
[illegible] pòst ipsemet [illegible] eandem vrsam, quam venatores illæsam relique-
[illegible] sacrificare [illegible] qui cogitur, vt recuperet ablatas ab ea sacras vestes
[illegible] præuiâ perducitur [illegible] consueuit, & ignarus viæ cùm nesciat quo tendendum
[illegible] ad campum, vbi pastores reperit, qui dicunt vi-

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

sam à se vrsam quæ vestem quamdam ferebat, locúmque dumosum ac mirè condensum in quo vrsa catulos nutrire solet eâque causâ Vrsidungum appellatum ostendunt; illuc citato gressu contendit; dumetum lustrat; inter catulorum complexus vestimentum inuenit nihil læsum aut contaminatum; lætatur se tectà perductum eò quò iussus esset proficisci; belluæ præcipit in Christi nomine, vt neminem lædens quamprimùm discedat; eâ foras egressâ repurgat locum; templum construit & Cellam Apostolorum vocat; ab Autberto Cameracensi Episcopo statim accersitur, vt reddat rationem suæ vitæ; paret mandato Pontificio; viæ se dat quantocyùs; imminente nocte humanissimè hospitio excipitur in pago Resino; sequenti diè in procinctu discessus ab hospite obnixè rogatur, vt patem in redditu humanitatem experiri velit; in conspectum Antistitis adductus genus suum susceptásque peregrinationes exponit; sanctis sermonibus confirmatus & munere benedictionis Episcopalis auctus dimittitur; nocte iterum appropinquante repetit hospitium supradictum; hospitis vxorem ex partûs difficultate penè exanimem sanat; infante baptizato iter prosequitur cum hospite suo, qui animaduertens Vrsidungum locum esse Monachis Deo seruientibus idoneum, quicquid iuris in pago Resino habere videtur, beatissimis Apostolis concedit. In his multa sunt, quæ scriptis Fulberti consentiunt, de ceteris quid sentiamus, sequentibus animaduersionibus patefaciemus.

III. ABBATIS BONÆ SPEI SCRIPTA DE S. GISLENO EXAMINANTVR.

Primò, Gislenum in sodalitio Monachorum Regulæ sancti Basilij addictorum, & in numero Presbyterorum collocare non dubitamus, quamuis Fulbertus de illius Monachatu & Presbyteratu nihil scripserit. Eum verò nec Ordini Benedictino à beato Amando in Belgio adscriptum putamus, licèt Arnoldus Wion in illa sit sententia, nec Atheniensem priùs Episcopum extitisse credimus, licèt Molanus talem prædicet, dicátque in Ecclesia propria *vt Episcopum* coli, in multis aliis *vt simplicem Confessorem, eò quòd deposito onere Episcopatûs maluerit in Cella Apostolorum esse Abbas & gentium doctor: quemodò Sanctus Petrus Cælestinus coli potest vt Papa, quia tamen Pontificatui renunciauit, canonizatus tantùm est pro simplici Confessore.* Variis exemplis iam probauimus festa sanctorum Presbyterorum non tarò celebrari cum officio Confessorum Pontificum, vt in propriis Ecclesiis & in pagis, vbi verbum Domini prædicarunt, maiori sint venerationi. Quod attinet ad institutum, quod Gislenus eiúsque discipuli obseruarunt, non aliud fuit à Regula sancti Basilij; nec audiendi sunt ij qui normam sancti Benedicti Gisleno traditam volunt à beato Amando, hic enim in Monasteriis quæ condidit, aut Clericos collocauit, aut Monachos iuxta sancti Columbani Regulam instituit.

IV. Secundò, licèt Fulbertus nullum verbum habeat de Gisleni colloquio cum Amando, fidem nihilominùs habendam putamus Abbati bonæ Spei, qui Gislenum Romà deducit in pagum Hainoensem per Diœcesim Traiectensem, vt super rebus, ad quas mittitur, consilium ab Amando Episcopo capiat, idque nostram Chronologiam, quantùm ad Præsulatum Traiectensem per annos tres ab Amando gestum attinet, non parum confirmat. Maior est difficultas de Lamberto & Bellirico, quos itineris socios Gisleno prædictus Abbas attribuit, non enim videntur esse Græca nomina. Molanus [a] Belliricum deflectit in Berlerium, deinde ad prædictam obiectionem ita respondet. *Cùm Berlerius etiam Valerius vocetur, illud nomen à Græcis alienum non est. Sed Lamberti nomen prorsus Belgicum est, quare verisimile est eum aut ex Græcia non venisse, aut in Belgio aliud nomen accepisse.* Vtrumque Belgam potiùs arbitramur, & ex trecentorum discipulorum numero quos Gislenus congregauit à Massæo [b] *trecentorum Monachorum Pater* ideo nuncupatus.

[a] Die 9. Oct.

[b] Lib. 13.

V. Tertiò, quæ de Castriloco, de Dagoberto Rege, déque venatoribus regis & vrsa profugiente narrantur ab Abbate Bonæ Spei, desiderantúrque in Fulberto, fabulis accensemus. Existimamus Gislenum è Diœcesi Traiectensi, vbi cum Amando colloquium habuit, recto velocíque itinere peruenisse ad locum in quo Monasterium construere iubebatur, nec Castriloci alibíve moram fecisse

Gisle-

[illegible] inchoasse. Rex autem Dagobertus iam pridem è viuis dis- AN. CH. 651.
[illegible] pars hodiernæ Hannoniæ, vbi Gislenopolis sita est, Brac- SIGIB. III. R. 19.
[illegible] tur, vt constat ex iis quæ de Dagoberto Rege ad annum CLOD. II. R. 14.
[illegible] m duodequadragesimum [a], & de Pipino Duce ad annum
[illegible] m quadragesimum [b] scripsimus. Apud Vinchantium [c] in
[illegible] laudatur Raynerius Monachus, qui vitam & miracula
[illegible] in literas, dicauitque Rabodo Abbati Gisleniano, cuius
[illegible] Christi quadragesimum-secundum supra millesimum incidit.
[illegible] Bonæ Spei, cuius obitus anno Christi millesimo centesimo
[illegible] consignatur, vitam quoque sancti Gisleni conscripsise, nec
[illegible] tantùm sed & in beati Amandi vita Principatum Dagoberti Regis
[illegible] ad Traiectensem Episcopatum Amandi & vsque ad Pontificatum Mar-
[illegible] apæ protogauit. In hunc errorem, cuius originem alias indicauimus, an-
[illegible] um lapsi sunt Notgerus Episcopus Leodiensis, Vrsio Abbas Altimonten-
[illegible] heodoricus Abbas Trudonensis, quos suprà reprehendimus. Et, si sanctæ
[illegible] gundis vita, quam Hucbaldus Elnonensis Monachus composuit, ea est
[illegible] illius nomine Bollandus [d] publicauit, Notgerum, Vrsionem, Theodori-
[illegible] Philippum aliósque fefellit ipsemet Hucbaldus, qui Stephano Leodiensi
[illegible] opo vitam sanctæ Rictrudis anno Christi septimo supra nongentesimum
[illegible] it, & Præsulatus Romanorum Pontificum, Honorij, Seuerini, Ioannis,
[illegible] dori ac Martini cum Imperio Heraclij Augusti & Principatu Dagoberti
[illegible] ita comparauit. *Anno Dominicæ Incarnationis circiter euoluto sexcentesimo*
[illegible] *mo, circa hæc tempora non longè multùm Romanæ Sedi Apostolicæ præsidentibus*
[illegible] *accessiones Pontificibus, Honorio, Seuerino, Ioanne, Theodoro, Martino, im-*
[illegible] *apud Constantinopolim Heraclio, in Francia regnante Dagoberto filio Clotha-*
[illegible] Toto quidem tempore, quo Dagobertus apud Francos regnauit, impera-
[illegible] Heraclius in Oriente, quia Francorum regnum Dagobertus tenuit ab anno
[illegible] Christi sexcentesimo vicesimo-secundo ad annum Christi sexcentesimum tri-
[illegible] cesimum-octauum, Heraclius Imperium rexit ab anno Christi sexcentesimo
[illegible] decimo ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-primum; sed Da-
[illegible] gobertus regnum iniit sedente Romæ Bonifacio Quinto, vitámque clausit su-
[illegible] perstite in viuis Honorio Papâ prædicti Bonifacij successore, itaue subsequen-
[illegible] tes Pontificatus Seuerini, Ioannis, Theodori & Martini cum eiusdem Dago-
[illegible] berti Principatu conferri nullo modo possint. Ceterùm Gislenus teste Balderi- [e] Lib.
[illegible] co [e] in Chronico Cameracensi *Monasterium auctoritate Sancti Autberti, sed &*
sanctæ Waldetrudæ, cui eorum temporu familiari dilectione inhæserat, opitulante,
fundauit, atque inde factum suspicamur vt Philippus, qui post Baldericum
scripsit, arbitratus sit Gislenum Castriloci primùm consedisse, vbi Waldetru-
dem diu versatam esse constat.

VI. Quarreò, quæ in pago Resino à Gisleno gesta recitantur in eius vita, omit-
runturque à Fulberto, veritati nullatenus repugnant. Molanus [f] pagum Resi- [f] Die 9. Oct.
num, vulgò *Roisin*, vocat Racemum, additque de Racemensibus dominis
nonnulla, quæ, vt credantur, probatione plurimùm indigent. *Quod attinet,*
inquit, *ad Racemensis dominus, mater in partu liberata per cingulum S. Gisleni,*
quod erat ex corio asini, & tunc vulgari linguâ Bodri dicebatur, in facti memo-
riam infantem genitum, Bodri nominauit. Et nomen istud, masculâ prole
deficiente, miraculo in hanc vsque horam in dicta familia, proprium nomen primo-
geniti remanet.

VII. STATVTA S. BASILII. Regula sancti Basilij, quam Gislenus in Græcia professus est, & à suis disci-
pulis in Francia voluit obseruari, laudata reperitur à Francis, priusquam Gis-
lenus Athenis iter in Galliam susciperet. Sanctus Aredius Athanensis Abbas
in Diœcesi Lemouicina, cuius obitum anno Christi quingentesimo nonagesi-
mo primo [g] consignauimus, *Cœnobium fundauit, in quo non modò Cassiani, ve-* [g] Num. 6
rùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt,
regulæ celebrantur, vt Gregorius Turonensis Episcopus in Historia Ecclesiasti-

Margin notes: [a] Num. 1. [b] Num. 4. [c] Lib. 3. cap. 17. [d] Die 12. Maii

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

ca Francorum scribit [a]. Sanctus Benedictus, cuius discipulus beatus Maurus sancto Aredio Synchronus vixit, suíque magistri Regulam Monachis Glannafoliensibus in Episcopatu Andegauensi custodiendam reliquit, eandem sancti Basilij Regulam ita commendauit vltimo capite suæ Regulæ. *Collationes Patrum, & Instituta, & vita eorum, sed & Regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi benè viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum?* Regulam suam, de qua nos ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-quartum, quo Monachi Glannafolienses congregari cœperunt, sanctus Benedictus in capita tria & septuaginta distribuit, multa mutuatus est à sancto Basilio, vt patet ex Concordia Regularum quam beatus Benedictus Abbas Anianensis concinnauit. In Codice Regularum, quem Lucas Holstenius publicauit, Regula sancti Basilij tres interrogationes supra ducentas totidémque responsiones complectitur. Longum esset in singulas excurrere, præcipuas tantùm attingemus.

a Lib. 10. c. 29.

VIII. De disciplina suscipiendorum fratrum.

Interrogationes, quinta, sexta, septima, & octogesima-septima, cum responsionibus Basilij pertinent ad disciplinam suscipiendorum fratrum. Basilius fratres suscipiendos in duplici ponit differentia propter ætatem, alij enim infantes sunt, alij adulti; rursum adultos propter varia eorum consilia distinguit in duas classes, in Monasterio enim alij per totam vitam manere statuunt, alij moram tantùm aliquam volunt facere.

IX.

Ad hanc interrogationem [b], *ex qua ætate oportet nosmetipsos offerre Deo, vel virginitatis professionem quando oportet firmam ac stabilem iudicari?* Basilius in gratiam infantium ita respondet. *Dicente Domino, [sinite infantes venire ad me,] & Apostolo collaudante eum qui ab infantia sacras literas didicisset, & rursum præcipiente educari filios in doctrina & correptione Domini, omne tempus à prima ætate opportunum quidem esse ducimus ad suscipiendum timorem & eruditionem Domini; firma tamen tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta iam ætas esse cœperit, & ea quæ solet nuptiis apta deputari ac perfecta. Oportet tamen infantes, voluntate & consensu parentum, immò ab ipsis parentibus oblatos sub testimonio plurimorum suscipi, vt omnis occasio, maledicti gratiâ, excludatur hominum pessimorum. Adhiberi autem eis oportet summam diligentiam, quò possint ad omne virtutis exercitium probabiliter institui, tam in verbo, quàm in intellectu & opere. Quicquid in tenero quis & paruo inseruerit, firmiùs & tenaciùs inposterùm conseruabit. Iniungenda est ergo infantium cura his, qui ante omnia in virtute patientiæ documenta sui probabiliter præbuerunt, qui possint pro merito delicti & ætatis singulis quibusque etiam correptionis adhibere mensuram, & qui seruent eos primò omnium à sermonibus otiosis, & ab iracundia, atque ab incitamentis gulæ, & à cunctis indecentibus atque inordinatis moribus. Si verò cum ætatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industria, sed vaga mens & animus cassus ac tumens etiam post instituta probabilia infructuosus permanserit, huiuscemodi abiici oportet, & maximè cùm iuuenilis feruor rudem lacessit ætatem.* Hæc de infantibus; alia sequuntur in eadem responsione quæ pertinent ad adultos; vtraque, ne literulâ quidem demptâ vel mutatâ, leguntur in Concordia Regularum capite sexagesimo-sexto [c], cui titulus est, *de filiis nobilium & pauperum, qui offeruntur.* In eadem materia cum subiecta responsione versatur interrogatio, quæ numero decima-quinta est apud sanctum Basilium in libro Regularum fusiùs disputatarum.

b Interrog. 7.

c Ş. 2.

X.

In Regula decima-quinta fusiùs disputata, sanctus Basilius duo genera distinguit infantium, alij enim sunt orbati parentibus, alij sub eorum sunt potestate. *Ad eos,* inquit, *qui ad nos accedant, admittendos, nullum non ætatis tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeò tenera atque ineuntis, vt videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum simus. Qui autem sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus, vt non demus occasionem iis, qui volunt occasionem sed obtrectatoribus nostris maledicendi causa omnis hac etiam in parte præcisa sit*

AN. CH. 651.
SIGIB. III. R. 19.
CLOD. II. R. 14.

Deinde quomodo de vtrisque cura sit habenda, proximè sic subiungit. *Is illi quidem recipiendis hoc, quam dixi, tenerà à nobis ratio debet; non tamen continuò propterea ad reliquum fratrum corpus aggregandi, aut cum his simul censendi sunt, ne videlicet, si illi propositum suum minimè fuerint assecuti, eorum probra in omnes promiscuè pietatis sectatores redundent. Sed educandi illi quidem sunt cum omni castitate, non secus ac si communes totius fratrum collegij filij essent, seorsumque ipsis & locus in quo habitent, & victûs ratio quàm senum assignari debet tam masculis quàm femellis à se diuerso domicilio disparatis, vt ne sibi fortassis nimium fiduciam praesidentiores facti, quin potiùs vt verecundiam aduersum ipsos retineant, neue ex molestia, quae iis imponuntur, quod in exequendis officiis suis non ita interdum (si modo, vt assolet, inciderit aliquando) proclinitas quaedam maior ad peccandum ipsorum temeritati sapenumerò etiam sentire de se elatiùs incipiant, in iis natu grandiores labi animaduertant. Itaque nihil est mirum eadem in quibus ... vitia reperiri. Simulque ex huiuscemodi separatione & habitatione illud etiam prouidebitur, ne quibus in rebus natu maiores sibi ... propter aetatem seruatur, ad eas adolescentuli ob assiduam cum ipsis ante tempus assiliant. Quocirca cùm horum, quem dixi, ordinem seruandae disciplinae ac sanctimoniae causâ, separata esse loca illa oportet, in quibus & pueri, & natu grandiores versentur. Quae ex re illud etiam commodum sequetur, quòd in praeceptorum commentatione adolescentuli necessaria, frequenti illam solet comitari, reliqui Monachi non offendentur. Verùm enim quae statis interdum horis descripta sunt ac praefinita, communes illa quidem precationes esse, & natu maioribus debent. Siquidem hoc modo & parui ex gratulatione ad compunctionem assuescunt, & qui aetate antecedunt, in oratione non mediocriter adiuuantur. Caeterùm quod ad somnum, ad vigiliam tempus, eiúsque cùm modum, tum genus pertineat, seorsim pueris praecepta, ac regula quaedam, adhibitâ tamen eâ pro aetatis decoro moderatione, describantur. His autem, qui tales sint, praeficitur is, qui cùm aetate antecedat, cuiúsque omnibus testata morum facilitas sit, cum vsu rerum, tum prudenti etiam sermone errata corrigat adolescentulorum, videlicet cum pro ipsius regula errata remediis adhibitis eiusmodique, quibus vno & eodem tempore & noxa castigetur, & animus ad tollendas perturbationes vitiáque assuescat.*

In eadem Regula fusiùs disputata sanctus Basilius agit de tempore quo admittenda est virginitatis professio, illúdque determinat, cùm & ratio quid expediat admoneat, & ad id assequendum facilitatem praebeat consuetudo. *Sic enim animus, dum tener est adhuc, & ritu cerae, quae ipsa impressas in se formas quascumque facillimè recipit, mollissimè cedit, confestim ab ipso initio, omni bonarum imbui exercitatione debet, quò videlicet, vbi postea rationis vsus accesserit, & habitum illum rerum diiudicandarum aetas maior attulerit, pietati iam ab ineunte aetate assuetus, nullo impedimento, cursu vtatur faciliore, cùm & ratio quid expediat admoneat, & ad id assequendum facilitatem praebeat consuetudo. Quo sane tempore admittenda est virginitatis professio, tanquam firma iam & eiusmodi, quae à proprio consilio iudicióque proficiscatur, ratione iam propè adultâ. Post quod tempus & praemiis & suppliciis à iusto iudice afficiuntur ij, qui vel benè vixerint vel malè, pro meritis videlicet eorum, quae gesserint.* In Regula quam examinatius, sanctus Basilius distinguit duo genera infantium, professionémque virginitatis in aetatem grandiorem contrahendóque matrimonio iam maturam ita differt. *Firma tunc erit professio virginitatis, ex quo adulta iam aetas esse coeperit, & ea quae solet nuptiis apta deputari ac perfecta.* Et in litteris ad Amphilochium [a] sic loquitur de professione virginum. *Virgo nominatur, quae se suâ sponte Domino obtulit, & matrimonio renuntiauit, & vitam in sanctificatione praetulit. Professiones autem ab eo tempore indicamus, quo aetas rationis complementum*

a Can. 18.

AN. CH. 651. Sigib. III. R. 19. Clod. II. R. 14.

habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his esse ratas existimare oportet, sed eam, quæ supra sexdecim vel septemdecim annos nata fuerit, rationisque compos & diu examinata probatáque perseuerauerit, & vt admittatur precibus contendit; tum oportet in sacrarum virginum catalogum referri, eiúsque confessionem comprobare, & illius infirmationem inexorabiliter punire. Quem tamen locum Theodorus Balsamon rectè negat de Monachis aut Asceteriis intelligi, licèt aliter sentiat Leo Augustus Nouellâ sextâ, vbi dicit à magno atque admirabili Basilio statutum esse, *vt qui monachicum habitum ambiunt, decimo-sexto primùm aut decimo-septimo ætatis anno digni illo habeantur.* Apud Græcos Monachi votum olim vnicum emittebant; virginitatis videlicet, si iuniores; cælibatûs verò, si thorum priùs experti essent, vt Hugo Menardus in notis ad Concordiam Regularum [a] obseruauit. In Regula igitur, quam Abbas Anianensis ex ipsomet Basilio iam allegauit, & Lucas Holstenius integram edidit, mens sancti Basilij fuit, vt infans seu puer, quem Deo parentes coram testibus obtulerant, virginitatem seu monachatum, priusquàm ætatem nuptiis aptam attigisset, haud vouerét, imò in illa ætate, si monasticæ vitæ nondum idoneus esset, eiiceretur è Monasterio, quod propter oblationem de se à parentibus factam deserere suâ sponte non posset.

[a] Cap. 66. §. 2.

XII. De probatione adultorum in responsione ad sextam interrogationem sic decernit Basilius. *Cùm Dei clementia omnes vocet per illam prædicationem quâ dicit, [venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos,] non est absque discrimine abiicere quempiam venientem ad nos. Veruntamen neque immundis, vt aiunt, pedibus indulgendum est introire quempiam in sanctam doctrinam, sed sicut Dominus noster Iesus Christus iuuenem illum, qui ad se venerat, interrogauit de priore vita sua, & cùm audisset quia rectè transacta esset, quod deerat ei præcepit adimplere, & ita demùm iussit eum sequi se; ita etiam nos oportet inquirere de præterita vita & conuersatione, ne fortè simulatâ quis mente & fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demùm dignoscitur, si facilè omnem laborem corporis qui iniungitur ferat, & ad castigationem vitæ pronus inclinatur, vel si etiam delictum aliquod suum, cùm interrogatus fuerit, nequaquam pronuntiare confunditur, & medelam delicti, quæ adhibita fuerit, gratanter assumit, & si ad omnem humilitatem absque vlla verecundia inclinatur, ac vilioribus & abiectioribus artificiis, si ita ratio poposcerit, tradi se non accipiat aspernanter. Cùm ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus, quia firmâ mente & stabili consilio ac prompto animo sit, tunc suscipi eum decet. Priùs autem quàm corpori fraternitatis inseratur, oportet ei iniungi quædam laboriosa opera & quæ videantur opprobrio haberi à secularibus; & obseruari oportet, si libenter hæc & liberè ac fiducialiter expleat, nec confusionem eorum grauiter ferat, vel etiam si in labore impiger inueniatur & promptus.* Hæc responsio totidem prorsus verbis recitatur apud Abbatem Anianensem in Concordia Regularum [b], prolixiùs autem exponitur apud sanctum Basilium in Regula decima fusiùs disputata. De probatione adultorum nonnulla quoque repetit idem sanctus Basilius in fine responsionis ad septimam interrogationem. *Eorum*, inquit, *qui ætate iam robustâ accedunt ad seruitium Dei, oportet inquirere, vt diximus* in responsione videlicet ad sextam interrogationem superiùs descripta, *qualitatem vitæ præteritæ, & sufficere etiam hoc ipsum, si fa- cit instanter hoc expetunt, & si verum & ardens desiderium est eorum erga opus Dei. Huiuscemodi verò fieri documenta ab his oportet, qui valdè prudenter de his discernere potuerint & probare.* Denique de adultorum eiectione, si propositum suum transgressi fuerint, in eadem responsione hæc proximè subiungit. *Cùm autem fuerint suscepti, si fortè propositum suum transgressi fuerint, nec videri eos oportet amplius, tanquam eos qui in Deum deliquerunt, quo teste confessionis suæ pollu- transgressi sunt. Etsi peccauerit, inquit, homo in hominem, orabunt pro ipso ad Dominum; si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?*

[b] Cap. 65. §. 2.

XIII. Ad quintam interrogationem, quâ quæritur, *si oportet eum, qui serui Dei so- ciari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facultatum suarum*

ita respondet Basilius. Domino dicente [vende omnia bona tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me,] & iterum, [vendite omnia quæ habetis, & date eleemosynam,] arbitror quidem, quod is qui accedit ad Dei servitium, non debeat contemnere, & ut libet relinquere ea quæ sibi competunt, sed tentet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta, tanquam ea quæ iam Domino sacrata sunt, quantum fieri potest rationabiliter dispensare, sciens quia non est absque periculo in opere Dei agere negligenter. Si verò propinqui eius vel parentes contra fidem veniant, debet rursum meminisse Domini dicentis. [Quia non est qui reliquerit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centuplum in præsenti tempore, & in futuro seculo vitam æternam.] Verumtamen oportet eum his, qui sibi quæ sua sunt denegant & resistunt, & desidem faciunt, protestari & denuntiare, quia in sacrilegii crimen incurrunt, secundùm mandatum Domini dicentis. [Quod si peccaverit in te frater tuus, vade & argue eum, &c.] Iudicio verò experiri apud iudices sæculi, abnuit religionis auctoritas per id quod dixit Apostolus. [Audet aliquis vestrûm negotium habens adversus alium, iudicari apud iniustos, & non apud Sanctos?] Et rursum. [Quia iamquidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos.] Hic textus habetur in Concordia Regularum [a], sed depravatus in quibusdam vocibus, quas emendare conatus est Hugo Menardus, eius tamen correctioni præstat Codex Holstenii suprà descriptus. Idem autem Basilii præceptum de bonis eorum, qui servis Dei sociari volunt, prolixiori stylo legitur apud eundem Basilium in Regula nona fusiùs disputata.

AN.CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

[a] Cap. 65. §. 7.

XIV. In Interrogatione octogesimâ-septimâ quæritur, utrùm is suscipi debeat, qui per aliquod duntaxat tempus in Monasterio morari velit. Ad illam quæstionem ita respondet Basilius. Domino pronunciante [quia venientem ad me non eiiciam foras] & Apostolo nihilominùs dicente, [propter subintroductos autem falsos fratres qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo quibus nec ad horam cessimus subiectioni, ut veritas Euangelii permaneat apud vos.] concedi quidem ei convenit ingressum, propter incertos exitus rerum. Interdum enim potest fieri, ut per tempus proficiat, & delectetur sanctitate vitæ, & perduret in cœptis, sicut & frequenter factum scimus. Sed & ut manifesta fiat veritas institutionum nostrarum, de quibus fortasse homines aliter opinantur. Oportet tamen circa eum tantiùs agi & diligentiùs, ut sive in veritate permaneat vel proficiat sive institutionum nostrarum libertas exploretur, probabilis inveniatur & purus. Ita namque & nos Deo placebimus; & ille aut proficiet si verax est, aut si mendax est erubescet. Similia præscribit in Regula breviore nonagesima-septima.

XV. Basilius interrogatus [b], quid sentire de se debet is qui præest, in quibus præcipit vel imperat, ita respondet. Apud Deum quidem, sicut minister Christi & dispensator mysteriorum Dei, timens ne præter voluntatem Dei, vel præter quod in Scripturis evidenter præcipitur, vel dicat aliquid, vel imperet, & inveniatur tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus, vel introducens aliquid alienum à doctrina Domini, vel certè subrelinquens & prætereuns aliquid eorum quæ Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet, tanquam si nutrix foveat parvulos suos, paratum secundùm voluntatem Domini, & secundùm quod unicuique expedit, communicare cum eis non solùm Euangelium Dei sed etiam animam suam, memor præcepti Dei ac Domini nostri dicentis. [Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, sicut ego dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm ut ponat animam suam pro amicis suis.] Hic textus iisdem verbis legitur in Concordia Regularum [c], paucis autem immutatis in duodecentesima breviore Regula sancti Basilii, quam consule si lubet.

[b] Interrog. 15.

DE EO QVI PRÆEST MONASTERIO.

[c] Cap. 5. § 2.

XVI. De Monachis, qui circa cellarium vel coquinam aliaque huiuscemodi opera occupantur, ita statuit Basilius [d]. Vnusquisque in opere suo observare debet propriam regulam, sicut membrum in corpore; & damnum habebit, si neglexeris in eo, quod iniunctum est ei; & de communi fratrum utilitate negligens ampliùs pe-

[d] Interrog. 207.

DE MINISTRIS MONASTERII.

AN. CH. 651.
SIGIB. III. R. 19.
CLOD. II. R. 14.
a Interrog. 141.

riclitabitur. *Et ideo totâ mente & deuotione complere debet id, quod scriptum est. [Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.] Si enim corporaliter non occurrat adesse cum ceteris ad orationis locum, in quocunque loco inuentus fuerit, quod deuotionis est expleat. Oportet tamen obseruare, ne fortè possit quis implere in tempore suo quod implendum est, & occurrere: sed dum loqui vult, occasiones nectit tanquam in ministerij opere occupatus. Quod qui facit, & offendiculum ceteris praestat, & ipse negligentiæ crimen incurrit.* Et interrogatus [a], quâ mensurâ potestatem suæ dispensationis temperare debet is, cui cellarij vel cuiuscumque ministerij cura commissa est, ita respondet. *Erga eum quidem, qui ei credidit huiuscemodi dispensationem, meminisse debet Domini dicentis. [Non possum ego à meipso facere quicquam.] Ad ceteros verò sollicitè scire debet, quid vnusquisque opus habeat, vt compleat illud quod scriptum est. [Diuidebatur autem vnicuique prout opus erat.] Eadem autem ratio obseruari debet ab omnibus, quibuscunque aliqua ministerij vel dispensationis sollicitudo commissa est.* Deinde eum, cui dispensationis cura commissa est, si quid *secundum personæ acceptionem, vel per contentionem faciat*, vult notari siue excommunicari donec resipuerit. *Si quis hoc facit*, inquit, *notetur, vsquequo corrigatur. Verumtamen oportet cum summa diligentia & probatione discutere & considerare, ad quam partem vnusquisque aptus sit vel opportunus, & ei iniungi quodcunque illud operis est vel officij, vt neque illi qui iniungunt ex hoc ipso condemnentur, quòd non aptum alicui officium iniunxerint, & inueniantur mali dispensatores esse siue animarum siue mandatorum Dei, neque illi ipsi, quibus iniungitur, occasionem peccati ex hoc habere videantur.* Denique in huiuscemodi Monachum, *si neglexerit dare fratri quod opus est*, hanc Domini sententiam vibrat. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi bibere*, &c. Hæc omnia penè ad verbum occurrunt in Regulis breuioribus eiusdem Basilij, centesima quadragesima-septima tribúsque proximè sequentibus. Lege & Concordiam Regularum, capite quadragesimo, paragraphis, quarto, quinto & sexto. Prætereà consule Regulam tricesimam-quartam fusiùs disputatam ab eodem Basilio, vbi studiosè inquirit, *cuiusmodi esse debent ij, qui res in conuentu vsibus fratrum necessarias dispensant?* Certè Monachi, qui se facultatibus omnibus propter Christum spoliauerunt, veri sunt pauperes atque etiam vera Christi membra; proinde sanctus Basilius censet auaros ac negligentes rerum monasterialium dispensatores aleam subituros in die iudicij cum his, qui pauperes & egenos non pauerunt, ceteráque opera misericordiæ neglexerunt.

XVII.
DE REBUS MONASTERII.
b § 5. 6. 7. 8.
c § 5. 6.

Interrogationes centesima-secunda & quinque subsequentes, quæ totæ sunt de rebus & vtensilibus Monasterij déque artificibus, leguntur iisdem verbis in Concordia Regularum, partim capite quadragesimo-primo [b], quod *de ferramentis & rebus Monasterij* inscribitur, partim capite sexagesimo-quarto [c] quod est *de artificibus Monasterij*, necnon eodem planè sensu in Regulis Basilij breuioribus, centesima quadragesima-secunda, & quinque subsequentibus. Hæc autem sunt Basilij decreta. Qui nouit artificia, si *absque conscientia vel iussione eius, qui præest. & operum sollicitudinem gerit*, opus ab aliqu[o] suscipit, *furti reus* est, *vel similis eis qui furibus concurrunt*. Qui operantur, fe[r]ramentis & vtensilibus Monasterij, *sicut vasis Dei, vel his quæ iam Deo conse[*]*crata sunt, vti debent*, ac meminisse quòd *non possint sine ipsis deuotionis & stu[dij]* *sui emolumenta consequi*. Si quid ex his periit per alicuius contemptum aut n[e]gligentiam, is qui contemptûs aut negligentiæ reatum incurrit, *velut sacr[ilegus]* *legus iudicandus est pro eo quòd omnia, quæ ad vsus seruorum Dei deputata sunt, D[eo]* *sine dubio consecrata sunt*. Similiter qui voluerit aliquid ex his à seipso com[modare]modare alicui vel accipere ab alio, *tanquam insolens & temerarius habendus [est].* *Hæc enim eorum qui præsunt, & curam dispensationis gerunt, officia propria sun[t].* Si verò necessitas poscit, vt is qui præest, vas vel ferramentum ab aliquo re[quirat]quirat, nemo contradicat, nam *qui seipsum & membra sua tradidit in alteri[us]*

potestatem propter mandatum Domini, quomodo licebit ei de vtensilibus contradicere; huic præcipuè cui cura commissa est?

AN.CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14. XVIII.

Basilius interrogatus [a], quis est dignus vel decens habitus Christiani, prolixam habet responsionem, quam de cauenda vestium diuersitate sic claudit. De numero indumentorum nihil possumus dicere, cùm manifestâ definitione præscriptum sit, ea qua dicit. [Qui habet duas tunicas, det non habenti vnam.] Ex quo sine dubio plures habere illicitum est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diuersitate indumentorum præcipi potest? Vnde interrogatus [b] postea, si licet nocturnam tunicam habere alteram, vel ciliciam, vel aliam quamlibet, ita respondet. Cilicij quidem vsus habet proprium tempus, non enim propter vsum corporis, sed propter afflictionem eius inuentum est huiuscemodi indumentum, & pro humilitate animæ. Cùm autem duas tunicas habere prohibeat sermo [illegible], quomodo potest hoc suscipi, nisi ad eos vsus, quos superiùs diximus? Interrogatus [c] autem, quis est, qui ab Apostolo dicitur habitus ordinatus, vel, vt Menardus in suis ad Regularum Concordiam [d] notis restituendum docet, cùm in Græco textu sit κόσμιος, is, inquit, qui secundùm propositum [illegible] honestus est vsu, vel secundùm locum, vel secundùm tempus, vel secundùm personam. Non idem vsus esse potest in tempore hyemis & in tempore æstatis; nec idem habitus est operantis & quiescentis; nec militis idem est & priuati; [illegible] viri qui mulieris. Habet & tres responsiones ad totidem interrogationes, quæ spectant ad vestimenta calceamentaque Monachorum. Si vestimentum vel calceamentum breue aut grande est, is, cui offertur, hoc indicare debet [e], [illegible] omni verecundia & mansuetudine. Si verò pro abiectiori & viliori [illegible] quia non est nouum, memineris mandati Domini dicentis, quia dignus est [illegible] operarius mercede suâ. Discutiat seipsum, si dignè operatus est [illegible] & adimpleuerit omnia, quæcunque præcepta sunt, & tunc non aliud [illegible] sed de eo ipso quod ei datur, adhuc erit sollicitus, quia super suum meritum [illegible] Hoc enim quod de esca dictum est, etiam de omni re, quæ ad vsus corporis [illegible] eâdem formâ seruari potest. Si quis irâ quoque commotus accipere [illegible] aliquid eorum, quæ ad vsum præbentur, iste talis dignus est etiam [f] vt si [illegible] non accipiat, vsquequo probet is qui præest, & cùm viderit vitium animi [illegible], tunc etiam quod corporis vsibus necessarium fuerit præbebit. Peccat etiam [illegible] qui pretiosas vestes abiicit, indumenta verò viliora quibus vtitur vel calceamenta sic componit, vt studeat decorem inde aliquem capere. Nam qui [illegible] decorem habitûs placere hominibus, manifestum est [g] eum huius ipsius vitij [illegible] laborare, id est, hominibus placendi, & certum est mentem eius à Deo [illegible] euagari. Sed & hoc ipsum est vitium perperam agere, cùm indumentis vel calceamentis non vsûs caussâ vtitur sed decoris, quia, vt alio loco dicit [h], quicquid non propter vsus necessarios, sed vel ornatûs caussâ vel decoris alicuius fit, hoc est perperam agere. Hæc autem omnia citantur in Concordia Regularum, capitibus quinquagesimo-secundo [i] & sexagesimo-secundo [k], quorum prius est de his qui ad opus Dei vel ad mensam tardè occurrunt, posterius de vestiariis & calceariis fratrum. Lege & apud sanctum Basilium inter Regulas fusiùs disputatas vicesimam-secundam & vicesimam-tertiam; necnon inter Regulas breuiores, quadragesimam-nonam, quinquagesimam, nonagesimam, centesimam tricesimam-quartam, centesimam duodeseptuagesimam, & ducentesimam decimam.

Et calceamentis Monachorum.

[a] Interrog. 11. De vestibus.
[b] Interrog. 129.
[c] Interrog. 143.
[d] Cap. 62. §. 4.
[e] Interrog. 95.
[f] Interrog. 96.
[g] Interrog. 144.
[h] Interrog. 144.
[i] §. 11. 14.
[k] §. 4. 5. 6. 7. 8.

XIX. De cauenda proprietate.

Basilius in sua Regula sæpiùs inculcat proprietatem Monacho maximè cauendam esse. Ad interrogationem vndetricesimam sic ait. Si quis proprium sibi esse dicit aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis Dei, & à caritate Domini, qui docuit verbo, & opere compleuit, & animam suam posuit pro amicis suis. Si ergo ipse animam suam pro amicis dedit, quomodo nos etiam ea, quæ extra animam sunt, propria vindicamus? Deinde vituperat eum [l] qui dicit se nec à fratribus quicquam accipere nec eis dare, sed suis contentum esse propriis. Si non acquiescat, inquit, doctrina Domini dicentis [diligite inuicem, sicut & ego dilexi

[l] Interrog. 30.

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

vos,] acquiescat Apostolo dicenti, [auferte malum ex vobis ipsis,] ne fortè accidat, vt modicum fermentum totam massam corrumpat. Imò prohibet ne quis à carnalibus propinquis aliquid licèt sibi iure debitum accipiat, in tali enim casu sic agendum decernit [a]. *Propinquis quidem, reddere quo sua sunt hi qui ad seruitium Dei accedunt, necessarium est, & nihil subtrahere, vt non crimen sacrilegij incurrant. Veruntamen hæc prærogari in conspectu eorum ad quos visa sunt pertinere, non expedit; ne & illis ipsis occasionem præstet elationis ac superbiæ, & aliis fratribus eiusdem propositi pauperioribus tristitiam generet, itaut accidat illud, in quo Corinthy increpantur ab Apostolo dicente. [Quo confunditis non habentes.] Et ideo hi, qui per loca singula præsunt, si sunt fideles & prudentes dispensatores, ipsis offerri debent, secundum imitationem eorum, qui in Actibus Apostolorum id fecisse perscribuntur, de quibus dicitur. [Quia afferentes pretia prædiorum suorum ponebant ante pedes Apostolorum.] Certè quoniam non est omnium huiuscemodi dispensationes explere fideliter, ipsis offerri conuenit, qui apud omnes in hoc officio probati habentur. Veruntamen etiam de his probabit ille qui præest, per quem debeant dispensari.* Nec omittendum hoc loco quid censeat de illo, qui Monasterium adiit relinquens fiscalia debita, pro quibus parentes eius tribulantur. Interrogatus [b] *si non affert hoc culpam aliquam vel his qui eum susceperunt, vel illi ipsi qui ita egerit*, sic respondet. *Dominus noster Iesus Christus his qui interrogauerunt se, [si licet dari censum Cæsari, aut non,] ait [ostendite mihi denarium, cuius habet imaginem & subscriptionem?] Cùm autem dixissent quia Cæsaris, respondit dicens, [reddite ergo quæ Cæsaris sunt, Cæsari; & quæ Dei sunt, Deo.] Ex hoc ergo manifestè docemur, quia hi obnoxij sunt tributis Cæsaris, apud quos inuenitur Cæsaris census & imago. Si quid ergo tale etiam iste veniens ad fratres secum detulit, obnoxius est ad exoluendum debitum. Si verò omnibus derelictis in manibus propinquorum abscessit, nullus vel ipsi, vel fratribus scrupulus debet existere.* Lege apud eundem Basilium breuiorem Regulam nonagesimam-quartam.

[a] Interrog. 32.
[b] Interrog. 296.

XX. De correptione.

Multa de correptione fratrum præcipit idem Basilius in sua Regula. Inprimis docet quis affectus ac sensus debeat esse cùm in eo qui corripit tum in eo qui corripitur. *Qui corripit* [c], *ad Deum quidem tali mente esse debet, qualem indicat beatus Dauid dicens, [vidi non seruantes pactum, & tabescebam, quoniam eloquia tua non custodierunt.] Ad eos autem quos increpat, hunc debet affectum seruare, quem pater & medicus erga ægrotantem filium seruat, & tunc maximè, cùm qualitas cura tristior videtur & grauior.* Qui verò corripitur, is debet esse [d] *sicut æger filius patris & medici de vita sua solliciti, qui etiamsi aliquid asperum offerat vel amarum ad curandum filium, scit vtique filius quòd nec pater in aliquo negligere potest de salute fily, nec medicus falli.* At si tristatur aduersùs eum qui corripit [e], certè *neque periculum peccati agnouit, maximè ad Deum, neque lucrum pœnitentiæ; nec credidit illi qui dixit. [Quia qui diligit, diligenter corripit.] Sed & seipsum alienum facit ab illa vtilitate dicentis. [Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me.] Sed & ad læsionem cæterorum iste talis permanet inter fratres, resoluit enim & impedit animos eorum qui possunt proficere.* Quicquid autem adu[...] sint qui correptione digni sunt, *peccantibus fratribus silere & acquiescere no[n]* oportet [f]. Id manifestum est ex ipsius Domini præceptis. *Argue*, inquit, *pro[...] ximum tuum, & non assumes ex eo peccatum.* Oportet tamen peccantem cor[ri]pere patienter secundùm modum à Domino positum. *Quod si non sufficit ad emendationem, sicut illi Corinthio, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, sicuti gentilis de reliquo & publicanus haberi debet, qui eiusmodi est* [g]. *Quio ei parcere, quem Dominus condemnauit, velle tuum non est.* Lege Concordiam Regularum, ca[pi]tibus quinto [h] & tricesimo-septimo [i], necnon Regulas breuiores sancti Basil[ii] quinquagesimam-septimam, nonagesimam-nonam, centesimam quinquag[e]simam-octauam, & centesimam quinquagesimam-nonam.

[c] Interrog. 23.
[d] Interrog. 24.
[e] Interrog. 25.
[f] Interrog. 122.
[g] Interrog. 175.
[h] §. 22. 23.
[i] § 7.

XXI. De cauenda detractione.

Aduersùs maledicos & detractores agit sanctus Basilius in responsionibus [ad] interrogationem quadragesimam-primam trésque subsequentes. Quærit primò, *quis est maledicus, id est*, λοίδορος, vel potiùs vt est apud eundem Ba[si]lium

AN. CH. 651.

SIGIB. III. R. 19.

CLOD. II. R. 14.

lium in textu Græco Regulæ breuioris vicesimæ-quartæ, ἥ ἐστι λοιδορία, quid est maledictum? Respondet Basilius. *Omnis sermo, qui ob hoc profertur, vt infamet aliquem, deroget, vel male commendet, maledicus est, etiamsi non videatur esse iniuriosus. Et hoc manifestum est ex sententia Euangelij cùm dicit de Iudæis: Quia maledixerunt eum dicentes, tu sis ex discipulis eius.* Secundò quæritur, quid est detractio vel derogatio? Respondet Basilius. *Duas opinor esse causas, in quibus liceat alicui dicere & retractare aliena mala. Si quando consilium habere necesse est cum ceteris, qui in hoc ipsum videntur assumi, quomodo corrigatur is qui peccauit vel mali aliquid egit. Et rursum, si quando necesse est præmuniri aliquem & commoneri, ne fortè incurrat in consortium alicuius mali, dum eum putat esse bonum. Quia Apostolus dicit. [Nolite commisceri cum huiusmodi.] Item in Salomone. [Noli manere cum homine iracundo, ne fortè vias eius discas, & sumas laqueum animæ tuæ.] Quod & ipsum Apostolum fecisse inuenimus per hoc quod scribit ad Timotheum dicens. [Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, quem tu quoque deuita. valdè enim restitit nostris sermonibus.] Præter huiusmodi autem necessitates, quicunque dicit aliquid aduersus alium, vt vel deroget ei, vel obtrectet, istud est detrahere, etiamsi vera esse videantur quæ dicit.* Porrò qui detrahit fratri, aut audit detrahentem & patitur, excommunicari debet. Et si de eo qui præest quis detraxerit, *in hoc manifestum est iudicium iracundiæ Dei, quæ facta est super Mariam, cùm detraxit de Moyse, & peccatum eius nec ipso quidem Moyse orante inultum esse Deus permisit.* Hæc omnia citantur in Concordia Regularum [a] inter instrumenta bonorum operum. Consule & Regulas breuiores sancti Basilij vicesimam-quartam, tresque subsequentes.

[a] Cap. 7. §. 3. 4. 5. 6.

XXII. DE IVRGIIS VITANDIS.

In interrogatione septuagesimâ-secundâ quæritur, *si frater fratrem contristauerit, quomodo debet emendari?* Respondet Basilius adhibitâ distinctione. *Si contristauit, sicut Apostolus dicit, [contristati enim estis, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis] non ille qui contristauit emendari debet, sed ille qui contristatus est, indicia eius tristitiæ, quæ secundùm Deum est, debet ostendere. Si verò contristauit, id est, non secundùm Deum, memor sit is, qui contristauit, Apostoli dicentis. [Si autem propter escam frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas.] Et cùm cognouerit tale delictum esse suum, impleat illud quod à Domino dictum est. [Si offeras munus tuum ad altare, & recordatus fueris ibi, quia frater tuus habet aliquid aduersùs te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.]* Deinde posito casu, quòd quis fratrem contristauit non secundùm Deum, quæritur sequentibus [b] interrogationibus quomodo agendum sit cum eo qui postquam fratrem contristauit non acquiescit vt satisfaciat, & cum eo qui postquam contristatus est non vult reconciliari licèt satisfaciat is qui contristauit. Basilius in priore implendum ait, quod à Domino dictum est de eo qui peccauit & non egit pœnitentiam. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut gentilis & publicanus.* De altero manifestam dicit esse Domini sententiam, quæ refertur in parabola de seruo, qui rogatus est à conseruo suo & noluit patienter agere, & videntes conserui renunciauerunt domino suo. Iratus autem dominus reuocauit omnem gratiam quam concesserat debiti, & tradidit eum tortoribus vsque quo redderet omne debitum. Habet similia Basilius in Regulis breuioribus quadragesimâ duabúsque sequentibus.

[b] 73. 74.

XXIII. DE OBEDIENTIA.

Omnes monasticarum legum conditores obedientiam in Monacho plurimum commendant, perniciosúmque putant permittere vt in Monasterio quæ vult vnusquisque faciat. Quid præcipiat in sua Regula Basilius, ex eius responsionibus accipe. Interrogatus [c], *si quis non contentus est, quotidie sibi aliquid iniungi de his, quæ pro mandato Dei incidunt, sed artificium vult discere, quali vitio ægrotat, aut si oportet ei acquiescere,* sic respondet. *Iste talis & præsumptor est, & sibi placens, & infidelis, qui non timet sententiam Domini dicentis. [Estote parati, quia horâ, quâ non putatis, filius hominis veniet.] Si enim quotidie expectat quis Dominum, sollicitus est & trepidus, quomodo præsentem diem non transeat*

[c] Interrog. 67.

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19 CLOD. II. R. 14.

otiosus; & nihil ampliùs quærit. Si autem imperatur ei artificium discere, obedientiæ suæ habeat lucrum, & in hoc placeat Deo, & non in eo quod sibi placet assumat iudicium. Deinde illius, qui sit industrius & ad implenda mandata promptus, agat autem non quod ei iniungitur, sed quod ipse vult, mercedem ait[a] illam ipsam esse, quòd sibi placet. Quantum autem vnicuique periculum sit in eo quòd sibi vult placere, sic subiungit. *Cùm Apostolus dicat, [vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bono ad ædificationem,] & vt ampliùs inclinaret & constringeret audientes, addidit dicens, [quia ipse Christus non sibi placuit,] scire debet vnusquisque periculum suum esse in eo, quòd vult sibi placere, simul enim inobediens inuenitur.* Tertio loco negat[b] licere alicui excusare opus quod ei iniungitur, & aliud quærere. *Cùm definitum sit*, inquit, *mensuram obedientiæ vsque ad mortem esse, qui deuitat hoc quod ei iniungitur & aliud quærit, primò omnium inobedientiæ reus est, & manifestè ostenditur, quia nondum negauit semetipsum. Deinde multorum malorum caussa efficitur tam sibi quàm etiam cæteris, quia aditum contradictionis pluribus aperit, & seipsum ad contradicendum insuescit, & cùm non possint singuli discernere quod melius est & eligere, potest fieri, si talis est licentia, vt aliquid quod deterius est eligat. Tum deinde etiam suspicionem dabit fratribus, quòd passione aliquâ, vel ad opus illud quod eligit, astringatur, vel certè erga eos cum quibus necesse est operari. Itaque omni modo non obedire, multorum malorum caussa est & radix. Si autem ratio est aliqua, quâ sibi rectè excusare videatur opus illud quod excusat, exponat hanc ipsam caussam huic qui præest, & relinquat eius iudicio, vt ipse probet si excusatione dignum est quod allegat.* Quarto loco, de Monacho, qui propter iniunctum sibi opus contradixerit, posteà tamen suâ sponte obedierit, ita statuit[c]. *In eo quòd contradixit, quasi non obtemperans iudicandus est, & velut cæteros ad simile concitans malum. In quo sciat se illi sententiæ obnoxium, quæ dixit. [Contradictiones suscitat omnis malus, Dominus autem Angelum immisericordem immittet ei.] Cùm autem certus sit quia non homini obtemperat, sed Domino dicenti, [quia qui audit vos, me audit; & qui spernit vos, me spernit,] si compunctus est recordatione mandati, priùs satisfaciat, & ita, si permittitur, quod iniunctum est impleat.* Quinto loco, aduersùs Monachum qui obediendo murmurat, ita decernit. *Apostolo dicente, [omnia facite sine murmuratione & hæsitationibus,] alienus sit à fratrum vnitate qui murmurat, & opus eius abiiciatur. Manifestum enim est, iste qui talis est, quia infidelitate ægrotat, & certam futuræ spei fiduciam non gerit.* Horum sanctionum nonnullæ allegantur in Concordia Regularum capite sexto[d] de adhibendis ad consilium fratribus & capite octauo[e] de obedientia, nec in sensu differunt à Regulis breuioribus Basilij centesima decima-septima duabúsque subsequentibus.

[a] Interrog. 68.
[b] Interrog. 69.
[c] Interrog. 70.
[d] §. 4. 5.
[e] §. 9.

XXIV. Ad eandem obedientiam pertinent alia decreta. Basilius in sua Regula[f] Monacho, qui vult omnino discere literas & lectioni vacare, negat indulgendum esse. *Apostolo*, inquit, *dicente, [vt non quæ vultis faciatis,] in omni negotio suâ voluntate permittere vnumquemque agere perniciosum est, sed oportet illud suscipere quod ab his qui præsunt iniungitur, etiamsi contra voluntatem sit eius cui iniungitur, secundùm Domini exemplum dicentis. [Pater, non mea volunta[s] sed tua fiat.]* Præterea vetat ire quocumque, non commonito eo qui præ[est] atque ita ratiocinatur[g]. *Cùm Dominus dicat [non enim veni vt à me facia[m] quidquam, sed ab illo qui me misit,] quantò magis vnusquisque nostrûm sibi p[er]mittere nihil debet? Qui enim suâ auctoritate aliquid agit, manifestissimè super[biæ] morbo detinetur, & subiectus est illi sententiæ, quæ dicit. [Quod in hominibus [su]perbum est, abominatio est in conspectu Dei.] Sed in omnibus suâ sponte vel auctor[i]tate aliquid agere, culpabile est.* Quapropter vbi Monacho permittit[h], vt e[at] ad domos consanguineorum, à quibus est inuitatus, illam indulgentiam re[s]tringit duabus hisce clausulis, *si pro ædificatione fidei* illuc eat, & *si probaue[rit] ille qui præest.* Lege Concordiam Regularum capite sexto[i] & Regulam br[e]uiorem Basilij centesimam vicesimam.

[f] Interrog. 81.
[g] Interrog. 20.
[h] Interro. 33.
[i] §. 6.

Longè plura sunt sancti Basilij statuta, quæ commodè in illius Regula consulere poteris. Hæc inpræsentiarum descripsisse sufficiat, vt probè scias quam viuendi normam in Francia Gislenus homo Græcus eiúsque discipuli seruarint. Porrò cùm textus suprà recitati, quos nostrâ ætate Lucas Holstenius in Regula sancti Basilij publicauit, textibus, quos nono seculo Benedictus Abbas Anianensis in Concordia Regularum allegauit, sensu styloque sint simillimi, nec rarò differant in verbis à textibus Regularum cùm breuiorum tum fusiùs disputatarum, inde colligimus Regulam sancti Basilij, de qua locuti sumus, non incognitam fuisse Benedicto Abbati Anianensi, distinguendámque esse ab Asceticis operibus sancti Basilij quæ legi solent sub titulis Constitutionum Monasticarum in triginta-quatuor capita distributarum, & Regularum quinquaginta-quinque fusiùs disputatarum, itémque breuiorum Regularum tredecim supra trecentas.

AN.CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14. XXV.

XXVI. MARTINVS PAPA AMANDO EP. TRAIECT. RESCRIBIT.

Amandus Traiectensis Episcopus, cùm prauos Ecclesiasticorum ministrorum mores pertæsus à Martino Papa vacationem ab Episcopatu & reliquias sanctorum Martyrum expetiisset, has ab eo literas accepit, quæ priorem petitionem denegarunt, ratam habuerunt posteriorem, ac præterea res in Synodo Lateranensi gestas exposuerunt. *Dilectissimo fratri Amando, Martinus. Fraternitatis tuæ studio pietatis congestam epistolam suscipientes, animos nostros releuari cognoscimus. Quippe quoniam huius sæculi fluctiuagas atque transitorias despicientem oblectationes, illa quæ perpetua & sublimia dona pro Domini Dei nostri obsequiis tribuuntur, appetere certum est. Ex relatione igitur, iuxta tenorem tuæ fraternitatis epistolæ, præsentium lateris, laborum tuorum certamen cognouimus, ex quibus cælestis patriæ ascensu, humilitatis mentibus, atque contritis corporibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Nam cùm sit nulli omnino comparationis co[illegible]andum, quod à Creatore nostro pro bonis seruitiis repensatur, dum breui a[illegible]no temporis spatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipsius sustinemus, con[illegible]ione refrigerij nos oportet libenti animo tolerare præsentis vitæ angustias. Sed [illegible] nobis laborum vestrorum operatio magnam gaudij vbertatem inducit, tan[illegible]o duritia Sacerdotum gentis illius conterimur, quod postpositis salutis suæ suf[illegible], atque Redemptoris nostri contemnendo seruitia, vitiorum fætoribus ingra[illegible]; quibus ad præparandam salutem quandoquidem tantùm nos necesse est in[illegible] prædicationibus imminere, quantùm nos perfectæ negotiationis creditorum [illegible] talentorum duplicat assignatio, atque Dominicæ vocis ad suscipiendam eius re[illegible] persuadet assertio. Suggestum est namque nobis, eò quòd Presbyteri, seu Diaconi, aliique Sacerdotalis officij, post suas ordinationes in lapsu coinquinantur, & propterea à nimio mœrore fraternitatem tuam adstringi, velléque Pastorale obsequium pro [illegible] inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & in silentio atque otio vitam degere, quàm in his quæ tibi commissa sunt permanere, dicente Domino, [beatus qui perseuerauerit vsque in finem.] Vnde namque beata perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? quia secundùm Apostolicam prædicationem, [omnes qui voluerint in Christo piè viuere, persecutiones patiuntur.] Ideóque, frater charissime, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutione nostri & liberatione Creator Dominúsque noster pertulerit, quibúsque se contumeliis afficiendum tradiderit, vt nos à vinculis diabolicæ potestatis liberaret. Propereà nullatenus in huiusmodi peccato delinquentibus ad destructionem Canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit, nullúmque gradum Sacerdotij poterit adipisci, sed sufficiat ei lamentationibus fletibúsque assiduis quousque aduixerit in eadem pœnitentia perdurare, vt commissum delictum diuina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros Ordines promouendos, quibus nulla ruga, nulláque vitæ contagium mentes & corpora præpediat, quantò magis si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & præuaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare? Sícque huiusmodi semper,*

MARTINVS PAPA AMANDO EP. TRAIECT. RESCRIBIT.

NE ABDICET EPISCOPATVM.

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

iuxta Sacrorum Canonum Statuta, in hac vita depositus, vt ab illo, qui mentis interiora scrutatur, nullámque de ouibus errare congaudet, dum adspexerit suceram pœnitentiam eius, in terribili iudicio habeat reconciliatum. Ideóque iterum hortamur caritatem tuam exemplo eius qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis eius seruitiis permanere. Neque pigeat vos temporales cruciatus pro Christi numine sustinere, sed emolumenta futuræ remunerationis huius sæculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est, [quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.] Tantum enim à nobis exigitur, quantum possumus famulatûs nostri obsequio commodare. Cúmque cuncta, quæ nobis ad confortandus fraternitatis vestræ animos poterant ministrari, largiente supernæ Maiestatis clementiâ vobis sint proculdubiò manifesta, restat vt de 'aliis, quæ nos per sua scripta consuluit, fraternitatê vestræ significemus. Credimus etenim ad vos peruenisse, quomodò in conturbatione rectæ fidei & Catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos annus plus minùs quindecim, à Sergio falso Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, execranda & abominanda hæresis pullulauit, Apolinaristarum & Seuerianorum, Eutychianistarum atque Manichæorum errorem renouans, quam successor eius Pyrrhus idémque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam Sedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re sæpiùs Apostolica Sedes persuasionibus, contestationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab huiusmodi errore recederent, & ad lumen pietatis ex quo lapsi sunt remearent. Et non solùm hoc facere nullatenus voluerunt, sed & nunc successor eius Paulus, temerator fidei, Episcopus Constantinopolitanus, aliud nequius excogitauit in præiudicium Catholicæ fidei conamen, quasi quæ à decessoribus suis hæreticè exposita sunt destruens, & Imperialem typum, sacrilego ausu, totius plenum perfidia, à Clementissimo Principe nostro fieri persuasit, in quo promulgatum est, vt omnes populi Christiani credere debuissent. Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento quæ nobis commissæ sunt, culpa reatu adstringamur, cœtum generalem Fratrum & Coepiscoporum nostrorum in hac Romana ciuitate congregare. In quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata, atque denudata sunt, & Apostolico mucrone, Patrúmque definitionibus, vno ore vnóque spiritu condemnauimus, vt cognoscentes vniuersi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur.

MITTIT ACTA SYNODI ROMANÆ.

Vnde prauidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere, vnà cum Encyclia nostra. Ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum, vt filij lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, vt tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quámque suæ salutis sacramenta addiscere valeant, atque Synodali conuentione omnium Fratrum & Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundùm tenorem Encycliæ à nobis directæ, scripta vnà cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro Orthodoxa fide, & destructione hæreticorum vesania nuper exorta à nobis statutæ sunt. Et Sigebertum præcellentissimum filium nostrum Regem Francorum, pro suæ Christianitatis remedio consultissimè admone atque præcare, dirigere nobis ex corpore Fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ legatione, diui[na] concedente propitiatione, fungi debeant, & quæ in nostro Concilio peracta sunt, cu[m] his Synodalibus apicibus vestris, ad Clementissimum Principem nostrum sine du[bio] adsportare; vt nostrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipisci vale[at], & sui Regni protectorem inueniat eum, cuius causa flagitari dignoscitur. Hoc nu[m]que & in eius epistola exhortari eum cognouimus.

ET RELIQVIAS SANCTORVM.

Reliquias verò Sanctorum, quibus præsentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam Codices iam exi[na]niti sunt à nostra Bibliotheca, & vnde ei dare nullatenus habuimus: transc[ri]bere autem non potuit, quoniam festinanter de hac ciuitate regredi properauit. E[a] igitur prælibatis, quæ à nobis per epistolam vobis scripta sunt, effectui man[ci]pari fraternitatem vestram hortamur. Deus te incolumem custodiat, dilectissime f[ra]ter.

Magdeburgenses [a] Amandum, cui Martinus Papa scripsit, fingunt Epi- AN. CH.
scopum Senonensem, aiúntque eundem Martinum in illis ad Amandum lite- 651.
ris errasse de peccato, quòd Clericis post ordinationem delinquentibus veniam SIGIB.
denegarit. Illis temporibus in Cathedra Senonensi sedebat Armentarius, quem III. R. 19.
Concilio Cabilonensi subscripsisse suprà notauimus. Martinus in suspicionem CLOD.
haereseos Nouatianae apud aequum iudicem nunquam venit. Nouatiani con- II. R. 14.
tendebant capitalium quorumdam scelerum reos absolui ab Ecclesia non posse. XXVII.
Id à vero semper alienum dixerunt Catholici, quamuis amplissimae potestatis, a Cent. 7 c. 10.
quam Ecclesia à Christo suscepit, vsum certis finibus aliquando circumscri- ERROR
pserint, & peccatis quibusdam spem omnem reconciliationis praereptam olim MAGDEBVRG. RE-
voluerint, vt Gabriel Albaspinaeus Aurelianensis Episcopus obseruationum de FELLITVR.
veteribus Ecclesiae ritibus libro secundo prolixè docet. At ea de re ne verbum quidem apud Martinum in literis ad Amandum, quem monet duntaxat, vt Presbyteros, Diaconos & alios Ecclesiastici officij ministros, quos post ordinationem apostatas fieri contigerit, à gradu deponat, & pristinae dignitatis recuperandae spe penitus ablatâ reos huiusmodi remittat ad laicam communionem iuxta Canones pridem constitutos, qualis est nonus primae Synodi Aurelianensis, quo statuitur, *vt si Diaconus aut Presbyter crimen capitale commiserit, simul officio & communione pellatur.*

XXVIII. LIVINVS EPISCOPVS MARTYR

Liuinus Episcopus biennio iuxta Chronicon Gandense post sancti Bauonis obitum elapso Martyrium passus est in Dioecesi Cameracensi pridie Idus Nouembris. Haud aliter censent, qui sanctum Liuinum anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio mortuum affirmant, loquuntur enim in eorum sententia qui sanctum Bauonem anno Christi sexcentesimo tricesimo-primo in caelum migrasse constanter asserunt. Nec te moueat, quòd beatum Bauonem *à triennio* iam defunctum dicant, nam triennium illud vsurpant pro vno duntaxat anno completo & duobus incompletis. Vitam & Martyrium sancti Liuini descripsit sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus. Historiam illam Nicolaus Serarius ab Auberto Miraeo acceptam publicauit. Epitomen dabimus ex eodem Miraeo [b]. *Liuinus in Scotia nobili genere natus, praeceptoribus vsus est, primùm egregio Dei Sacerdote Benigno, deinde susceptore suo è sacro fonte magno illo Augustino Episcopo. A quo tandem etiam Sacerdotij ordine decoratus, tanta cum laude [illegible]atu versatus est, vt cum Scoti haud multò pòst in Archiepiscopum suum eligere non dubitarint. Pòst relicto in Scotia Vicario, magnae Sanctitatis & virtutis viro Siluano Archidiacono, ipse Euangelij plantandi causâ tribus cum discipulis, Foillano, Helia & Kiliano, Oceano traiecto deuenit in Flandriam. Et ingressus Coenobium Gandense à beato Amando Episcopo tunc recèns extructum, humaniter à Florberto Abbate fratribúsque exceptus est. Vbi cùm Beatum Bauonem à triennio defunctum magnis coruscare miraculis comperisset, triginta continuos dies super eius sepulchrum Missarum solennia celebrauit. Pòst inde praedicationis causâ digressus innumeros ad Christi fidem verbo, exemplo ac miraculis conuertit. Sed homines impij, quibus Christus & pietas omnis erat exosa, animaduertentes Sanctum Episcopum [illegible] hominum multitudinem ad religionem, erroribus pristinis vitiisque spretis, adducere, miris eum modis persequebantur. Nec omnino destiterunt, donec linguam eius extractam canibus deuorandam proiicerent (quae tamen illi mox fuit miraculo restituta) ac tandem apud Escham Flandriae vicum, multis vulneribus saucium, an. 653. obtruncarent. Quo eodem loco nobilem quoque ac religiosam matronam Craphaildem, Liuini hospitam, vnà cum filiolo eius Brixio, quem Liuinus de sacro fonte susceperat, cùm palàm quererentur immeritò interfectum esse Sanctum Episcopum, dementer trucidarunt. Discipuli porrò corpus Martyris, simul cum beati Brixij corpusculo, vno eodémque in sepulchro, in Hanthem vicino pago, decenter sepelierunt, ac iuxta eos seorsim Sanctam Craphaildem. Est autem Hanthem pagus, tertio milliari à Gandauo situs.* In literis [c] ad Ogiuam Flandriae Comitissam vndecimo seculo scriptis, quibus Othelboldus Abbas Gandensis Sanctos in Monasterio Gandensi tunc quiescentes recensuit, octauo loco positus inuenitur

b In Fast. Belg. d. 12. Nou.

CVM BRIXIO ET CRAPHAILDE.

c Ap. Miraeum in notit. Eccl. Belg. c. 82.

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

Sanctus Liuinus Episcopus, qui *de Scotia caussâ orationis veniens*, *& apud villam quamdam Sancti Bauonis hereditariam à viris malignis interfectus*, *palmam est Martyrij à Christo adeptus*. Villæ seu loco, vbi Liuinus Martyrium subiit, nomen Escha. Vicinum verò pagum, vocabulo *Hauthem*, vbi sepultus fuit, ad Alostense territorium & ad Diœcesim Cameracensem pertinere testatur Theodoricus Cameracensis Episcopus [a], qui sanctorum Liuini & Brixij corpora *quarto Calendas Iulias*, *anno partæ redemptionis octingentesimo quadragesimo-secundo*, è terra eleuauit. In Breuiario Gandauensi, quod anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo-secundo auctoritate Cornelij Iansenij tunc Episcopi Gandauensis editum est, sanctus Liuinus dicitur ingressus Cœnobium Gandense *decimo-septimo Calendas Augusti*, Martyrióque coronatus *pridie Idus Nouembris*. Vocatur ibidem *Archiepiscopus*, quòd apud Scotos *primarius & præ ceteris eminens Episcopus* fuerit, vt interpretatur Miræus [b], qui paulò pòst obseruat duos Archiepiscopatus *Andreopolitanum & Glascuensem* anno Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo-primo à Sixto Quarto Papa in Scotia primùm institutos fuisse. Duplex distinguitur Scotia, vna quam vsitatiori voce Hiberniam appellant, altera quæ Borealem maioris Britanniæ partem occupat. In hac natus est Liuinus, vt ex præcitatis Auctoribus liquet. Corrigendi sunt igitur qui Foillanum sancti Fursei fratrem patriâ Hibernum cum vno è comitibus sancti Liuini suprà nominatis confundunt. Est etiam in ipsis vocabulis differentia, quæ diuersos fuisse non parum confirmat. Frater sancti Fursei vocatur ab omnibus Foillanus, comes sancti Liuini Folianus à Miræo nuncupatur.

a Ap. Surium die 12. Nou.

b In Fast. Belg. die 12. Nou.

XXIX. AN BENEDICTINVS. Sanctus Liuinus inscribitur Martyrologio Benedictino, quia Benedictini Gregorium Magnum, necnon Augustinum aliósque Monachos, quos idem Gregorius Papa in Angliam direxit, Regulam sancti Benedicti professos esse & Anglis obseruandam tradidisse volunt. Id autem à nullo veteri Authore traditum est, & viuente adhuc Beda omnino inauditum fuit. Post Bedam contigit prima Monachorum Anglicanorum reformatio sub Cutberto Archiepiscopo, anno Christi septingentesimo quadragesimo-septimo in Concilio Clouishouiæ, in quo nonnulla *de moribus & habitu monasteriali* emendata sunt nullâ Regulæ Benedictinæ factâ mentione. Insecuta est Danica Monasteriorum strages, illa demùm instaurauit Rex Edgarus, quo regnante contigit altera Monachismi reformatio sub Dunstano Archiepiscopo in Concilio Wintoniensi, anno Christi nongentesimo sexagesimo-quinto. Tunc enim primùm Monachis præscripta fuit Constitutio generalis tam ex sancti Benedicti Regula quàm ex veteribus Consuetudinibus contexta, quæ dicta est *Regularis Concordia Anglicæ nationis*, atque abhinc celebris esse cœpit in Cœnobiis Anglicanis Regula sancti Benedicti. Lege præfationem Monastico Anglicano præfixam. Delendus est igitur ex catalogo Monachorum Benedictinorum sanctus Liuinus.

XXX. AN GANDÆ SVSCEPTVS A SANCTO AMANDO. Est & error in Martyrologio Gallicano. Ibi enim sanctus Liuinus legitur *benignè à Sancto Amando atque Florberto Abbate Sancti Bauonis susceptus*, cùm *in Flandriam plantandi Euangelij desiderio* venisset. Aberat autem à Flandria & à Monasterio Gandensi sanctus Amandus, erat enim tunc Episcopus Traiectensis, & suæ Diœceseos administrationi totus incumbebat. Deinde sanctus Liuinus, si consuluntur eius Acta, non susceptus est à Sanctis Amando & Florberto, sed *ingressus Cœnobium Gandense à beato Amando Episcopo tunc recèns extructum*, *humaniter à Florberto Abbate fratribúsque exceptus est*. Hæc de sancto Liuino, cuius Martyrium hoc anno consignandum duximus, quia mortem sancti Bauonis retulimus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono.

XXXI. Haimonis Ducis beneuolentiam ac munificentiam, vt ex supradictis constat, non Furseus modò sed & Iudocus expertus est. Hic cùm per annos octo incompletos in eremo degisset, & à frequenti populo propter gratiam miraculorum conueniretur, hoc anno secessit in secretiorem, de qua sic in eius vita Florentius [c]: *Quæ erga beatum Iudocum Dominus quotidie monstrare dignatus est miracu-*

c Ap. Surium d. 13. Dec.

AN.CH. 651.

SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

IVDOCVS IN SECRETIOREM EREMVM SECEDIT.

patriam, ad visitationem eius & impetranda le, totam longè latéque commouerunt ipsius apud Deum suffragia. Quod cùm diutiùs sustinere non posset, iam octo annis ibidem elapsis, ad vlterius Domino Duce processit desertum, vt populi nimiam declinaret frequentiam, construens Oratorium in honorem beati Martini, in loco qui dicitur Rimacus super fluuium, vbi plurimas ab hoste antiquo, qui felicibus eius actu inuidebat, passus est insidias per quatuordecim annos quibus ibidem commoratus est. Eo in loco, aquilam cum gallo auolantem in sublime, post iniuriam sibi illatam de gallinis vndecim tot vicibus sigillatim depradatis, per signum Crucis prostrauit ad pedes suos, gallum autem suum sanum recepit. Non longo tempore interlapso, diabolus terribilem mutatus in colubrum, grauiter Sanctum Dei momordit in pede, quâ lasione accepta, per Sanctum edoctus Spiritum vt aliò transmigraret, comitante se Duce Haymone, vastam circuibat eremum, vt inueniret in ea habitationis locum. In quærendo autem ea idem Dux post venandi exercitium, quo immanissimum ceperat aprum, grauiter torquebatur sitis molestiâ ac præ sitis lassitudine obdormiuit. Electus interim Domini Iudocus orationi incubuit, surgénsque, baculo quo innitebatur terræ infixo, sicut alter Moyses, aquam produxit & fontem largiùs effluentem, quo exhilarati Dux & eius familia sua sitis extinxerunt ardorem; & transeuntibus perinde vsque in hodiernum diem aquam administrat indeficientem. Progressus inde versùs mare, in vallicula vmbrosa riuulum offendit paruum, quo delectatus, hîc est, inquit, cathedra, hæc requies mea in seculum seculi. Haymone itaque Duce ad pristinum locum reuerso, vir Dei duo ibi lignea manibus propriis construxit Oratoria, vnum S. Petro Apostolorum Principi, aliud Sancto Paulo gentium doctori, vt anno sequenti dicemus. Interim accipe nonnulla quæ de secunda Iudoci sede omittenda non debent, & à Malbranco partim capite vicesimo-tertio libri tertij de Morinis, partim in Scholiis ad illud caput referuntur. Secunda Iodici Eremi sedes à Florentio Rimacus, in monumentis Iudocensibus Rumaco nuncupatur. Apud Florentium Rimacus ponitur ad fluuium; in monumentis Iudocensibus Rumaco locus est iuxta fluuium Canchiæ situs, & Iudocus perhibetur dimisisse locum de Radic, & tetendisse ad locum, qui Rumaco dicitur situs iuxta fluuium Canchie. Vnde duplex oritur difficultas. Prima, vtrùm Rimacus & Rumaco loca sint distincta. Altera, vtrùm Rumaco referri debeat ad Monasterium Iudocense, quod ab antiquis Cœnobium S. Iudoci ad mare vel supra mare est appellatum. Super vtraque quæstione quid sentiamus, paucis aperimus. Rimacus & Rumaco vt nomine ita situ parum differunt, ab vtroque autem longiùs abest Monasterium Iudocense. Rimacus, quem Florentius super fluuium constituit, & templo S. Martini à Iudoco auctum tradit, benè collocatur ad Altheiam, vbi modò Monasterium Dommartinense; Rumaco autem paruo milliari remotiùs ad Quantiam excurrendo, vbi modò villa Sancti Iudoci, ita vt locus hiccùm in chartis Iudocensibus dicitur *situs iuxta fluuium Canchie*, non ad Quantiam seu Canchiam, sed versùs Quantiam situs asseratur, quia re verâ distat ab Altheia situsque est inter Altheiam * & Quantiam *. A Monasterio Dommartinensi *, & à villa Sancti Iudoci multùm distat Cœnobium Iudocense supra mare, distantiáque illa non obscurè indicatur à Florentio, hoc enim teste Iudocus aliam à Rimaco sedem quærit, Rimaco derelicto venabundum Haymonem eiúsque canes binis fontibus excitatis recreat, & vlteriùs ad Oceanum pergens alios in vallicula fontes comperit, exclamátque, *Hæc requies mea in sæculum sæculi*. Fusiùs de istis fontibus & de Monasterio Iudocensi disseremus ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum, quo Iudocus Rimacum deseruit, itérque Oceanum versùs suscepit.

* L'Authie. * La Canche. * Dommartin.

XXXII.

De Landelino quater iam locuti sumus, semel ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-tertium [a] quo Baptismum suscepit, iterum ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-tertium [b] quo factus est prædo, tertiò ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-sextum [c] quo resipuit, quartò ad annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum [d] quo comam depo-

[a] Num. 12. [b] Num. 9. [c] Num. 5. [d] Num. 18.

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

fuit séque numero Clericorum adiunxit. Chronologiam nostram fulciuimus interpretatione quorumdam Characterum, quos apud Surium [a] in eiusdem Landelini vita legeramus. Nam iuxta Surianam editionem Landelinus nascitur *temporibus Dagoberti inclyti Regis;* viuit flagitiosè *dies multos;* ab Angelo per visum admonitus vt vitam emendet, redit ad meliorem frugem; agit primùm pœnitentiam in Monasterio *sub seculari habitu*, deinde comâ depositâ *militiæ cælestis chlamydem* induit. Stylum Auctoris, vbi visum est, Surius more suo mutauit, prædictos tamen Characteres iisdem penè verbis expressit, vt nuperrimè deprehendimus factâ collatione cum manuscripto Codice, quem ante paucos dies in nostras manus opportunè venisse lætamur. In illo Codice Landelinus nascitur *temporibus Dagoberti Regis inclyti;* rapinis & cædibus delectatur *multis diebus;* pœnitentiam acturus degit in Monasterio *sub seculari habitu*, posteà *militiæ cælestis chlamydem* assumit. Qui sequuntur apud Surium alij Characteres, absunt à Codice manuscripto, nec inueniuntur in vita sancti Landelini, quam Philippus Abbas Bonæ Spei Surio longè vetustior exarauit. Si Surio fides est, Landelinus benedictionem *à beato Martino Romano Pontifice* percepit, & ab ipsis fundamentis Monasterium Laubiense construxit *sub Iuniore Clodoneo*. Hæc autem si vera sunt, Landelinus, vt ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-tertium [b] diximus, Romam profectus est hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, iterum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, necnon tertiò sub finem eiusdem anni, reuersúsque anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio construere cœpit Lobiense Monasterium regnante Clodoueo, qui vitam ad annum vsque Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum produxit. At cùm in vita sancti Landelini, quam nobis Codex manuscriptus & Abbas Bonæ Spei suppeditarunt, nec Clodoueus Rex nec Martinus Papa nominetur, imò Fulcuinus Abbas [c] capite primo de Gestis Abbatum Lobiensium testetur Lobiense Monasterium erectum fuisse *tempore quo à Clodoueo septimus Lotharius agebat in sceptris*, id est, regnante Clotario Tertio, prædicti Clodouei Iunioris filio primogenito, alia videtur ineunda Chronologia, per quam primordia Cœnobij Lobiensis post annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum differantur. Re tamen diligentiùs examinatâ non arbitramur recedendum à Surio, quis enim ab eo credat intrusa Romani Pontificis ac Regis Francorum nomina, quæ nullibi repererit? Facilè nobis persuademus lectum ab eo Codicem, cuius Auctor cùm Martinum Papam tùm Clodoueum Regem laudarit. Nec hoc loco magnæ est apud nos auctoritatis Fulcuinus Abbas, quia post annos trecentos scripsit, &, vt alibi probabimus, in multis peccauit, quæ spectant ad initia Lobiensis Monasterij. Philippus Abbas Bonæ Spei calamo manum seriùs admouit, & Regis nomen in vita sancti Landelini fortè reticuit, quia propter Auctorum discordiam dubius hærebat, vtrùm Clodouei deberet an Clotarij meminisse. Prolixiorem de S. Landelini ætate disputationem non inibimus. Breui temporis spatio Landelinus ter Romam ad Apostolorum limina profectus est. Primam hoc anno peregrinationem suscepit, de qua sic Anonymus in eius vita manuscripta. *Cum benedictione profectus pij Patris Autberti* Cameracensis Episcopi, *squallida assumens itinera tandem Romam peruenit, quò nouerat indices seculi corpore quiescere. Praedulcia igitur in eorum liminibus figens oscula, orabat ad purum sua emendari crimina. Perfecto autem suo desiderio celeriter Galliam rediit, diu nolens abesse suo Patrono.* Mox adscitus est in collegium Diaconorum. *Tunc vir Domini Autbertus Sanctitatis in eo considerans vigere virtutem, promouit ad Diaconatûs ordinationem. Ad quod ita apparuit aptus, vt liquidò clarescerct omnibus, quòd ad hoc Dei gratiâ fuerat electus.* Qualem se gesserit in Diaconatu, sic idem exponit Auctor. *Erat animo benignus, simplex, humilis ac deuotus, obedientiam cunctis impendens, omnésque puro affectu diligens. Tantum autem ardorem & cordis compunctionem Dominus largitus est ei, vt vitâ bonorum Cœnobitarum non esset contentus, sed magis ac magis semetipsum erigens in Dei famulatum,*

Margin notes:
[a] Die 15. Iun.
[b] Num. 3.
[c] Ap. Dacher. Spicileg. 6.

LANDELINVS IT ROMAM.

REVERSVS FIT DIACONVS.

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

mulatum, & cum gemitu & lacrymis in afflictione vigiliarum, ieiuniorum & orationum, frequenter positus vitam Sanctorum exerceret, nec vllo modo daret suo corpori requiem, inediis, nuditate, frigore, siti ac multis tribulationibus seipsum macerans.

XXXIII. GEREMARVS ORDINATVR PRESBYTER.

His circiter temporibus, cùm Geremarus in crypta prope Sequanam delitesceret, *beatus Audoenus* Rotomagensis Episcopus *audiens famam Sanctitatis eius, & sciens meritum eius in gradum Presbytery eum ordinauit, cuius voluntati multùm resistere voluit, sed Spiritu Sancto eum compellente praceptis Sancti Prasulis obediuit.* Hæc Author vitæ.

XXXIV. NASCITVR CLOTARIVS TERTIVS.

Hoc anno ex Bathilde Regina Clodoueo Regi natus est filius; qui Clotarij nomen accepit. Ortus huiusce prolis Regiæ citiùs vix referri potest, hoc enim anno Clodoueus Rex annum ætatis suæ decimum-septimum absoluit inchoauitque duodeuicesimum. Vix etiam potest in aliud tempus reiici, tum quia ipsemet Clotarius obiit post annos duodeuiginti, & pueri cuiusdam, de quo sermonem suo loco faciemus, pater habitus est à nonnullis rerum nouarum cupidis, tum quia Childericus, qui frater Clotarij natu minor erat, autumnali tempore necatus est anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio, prole masculâ iam susceptâ & vxore secundò impregnatâ. *Cùm* Clotarius *adhuc in vtero esset inditus, & Regina magnoperè ob id pauitaret, verens ne fœminam ederet, & ob hoc Regnum succumberet, veniens ad eam Eligius* Nouiomensis Episcopus *alacriter eam recreauit, atque coram omnibus puerperam vocitans, partum eius masculum prænuntiauit, suúmque filium ex mysterio regenerationis fore prædixit. Nomen etiam puero adhuc in aluo imposuit, & ad hæc omnia certiùs tenenda quoddam opificium, quod paruulo posset aptari, fieri rogauit, atque ad vsus eius vsque dum nasceretur, custodiri iussit. Hæc autem omnia sicut prædixit, ita demum rerum euentus probauit. Nam & Regina filium protulit, & Eligius eum filiolum habuit, ac nomen Clotharius, quod dudum indiderat, vocitauit.* Verba sunt Audoeni in vita sancti Eligij. Corrigendus igitur Seuertius, qui S. Annemundum Lugdunensem Episcopum Clotarij patrinum perperam vocat in elogio ipsius Annemundi [a]. [a §. 2.]

XXXV. SERVORVM MANVMISSIO IN SIGNVM LÆTITIÆ.

Olim cùm puer Regi nascebatur, tres seruientes vtriusque sexûs ex vnaquaque fiscali villa manumittebantur in signum publicæ lætitiæ. Extat apud Marculfum [b] formula Regiarum literarum, quæ super ea re scribi solebant Comitibus ac Domesticis, qui villis fiscalibus & fundis Dominicis præerant. [b Lib. 1. cap. 39.] *Ille Rex Francorum viro inlustri illi Comiti. Dum & nobis diuina pietas, iuxta votum fidelium & Procerum nostrorum, de Natiuitate fily nostri illius, magnum gaudium habere concessit, vt misericordia Dei vitam eidem concedere dignetur, iubemus vt per omnes villas nostras, quæ in vestra, vel in cuncto Regno nostro aliorum Domesticorum sunt actionibus, tres homines seruientes in vtroque sexu, in vnaquaque villa, ex nostra indulgentia, per vestras epistolas, ingenuos relaxare faciatis.* Extat & apud eundem Authorem [c] formula epistolæ, per quam Domesticus ex ordinatione Regis ingenuos relaxat. [c Lib. 2. cap. 52.] *Ego in Dei nomine ille Domesticus, ac si indignus Gloriosissimi Domini illius Regis super villas ipsius illas, illi ex familia dominica de villa illa. Dum generaliter ad omnes Domesticos Regis ordinatio processit, pro Natiuitate Domnicelli nostri illius, vt à Domino meliùs conseruetur, de vnaquaque villa fiscali tres homines ex seruientibus, ex vtroque sexu, à seruitio laxarentur, & nos ita faciendum ob hoc ordinationem recipimus. Propterea te per hanc epistolam, sicut mihi iussum est, ab omni vinculo seruitutis absoluo. Itaut deinceps tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & in nullo seruitio, nec à nobis, nec à successoribus Domesticis, nec à quocumque de parte fisci penitus in seruitio inclinari non possis; sed per hanc epistolam ingenuitatis, sicut nobis iussum est fieri, benè & integrè ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis verò te de statu ingenuitatis tuæ impulsare voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri libram 1, & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnixâ. Actum ibi, sub die illo, anno illo, Rege illo, suprascripto illo Domno nostro Rege.*

AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

XXXVI. Omittere hoc loco non possumus egregium Reginæ Bathildis elogium, quod ab Authore [a] coætaneo in illius vita sic texitur. *Ipsa collatâ sibi à Domino prudentiæ gratiâ, vigilanti studio & Regi obtemperabat vt domino, & Principibus se ostendebat vt mater, Sacerdotibus vt filia, iuuenibus siue adolescentibus vt optima nutrix, erátque amabilis omnibus, diligens valdè Sacerdotes vt patres, & Monachos vt fratres, pauperes vt pia nutrix, largásque eleemosinas distribuens singulis, Principum honorem conseruans, consiliáque eorum congrua retinens, iuuenes ad religiosa studia semper exhortans, Regi humiliter & assiduè pro Ecclesiis & pauperibus suggerens. Iam enim sub seculari habitu Christo ministrare cupiens, frequentabat orationem, quotidie commendans se Christo Regi cælesti. Quam ipse Rex pius consolans iuxta fidem & deuotionem eius, dedit ei adiutorium suum fidelem famulum Abbatem Genesium, per cuius manus ministrans ipsa Sacerdotibus & pauperibus, pascebat egenos, & induebat vestibus nudos, studioséque sepelire ordinabat mortuos, dirigens per ipsum ad Cœnobia virorum ac virginum auri vel argenti largissima munera. Qui ipse Christi famulus Domnus Genesius, posteà Christo iubente Lugduno Galliæ ordinatus est Episcopus.* Agemus suo loco de Pontificatu Genesij. Hic sancto successit Annemundo, ad quem Wilfridus hoc anno rediit, postquàm Romæ *menses aliquot exegisset*, vt testatur Beda [b].

[a] Ap. Bolland. d. 26. Ian.
LAVS BATHILDIS.
WILFRIDVS REDIT LVGDVNVM.
[b] L. 5. c. 20.

XXXVII. Monachus San-Dionysianus, qui Gesta Dagoberti & Clodouei Regum conscripsit, ad hunc annum de Clodoueo sic differit [c]. *Anno XIIII. Regni sui absidam, infra quam prædictorum Christi Martyrum Dionysij ac sociorum eius corpora requiescunt, quam inclytus Rex pater suus desuper argenteo tegumento deuotissimè foris operuerat, quorumdam suasione & consilio ipsum argentum desuper prædicta absida pauperibus Christi & egenis atque peregrinis, quia, vt fertur, eo tempore fames valida inerat, erogari præcepit, & insuper Aigulfo Abbati, cui tunc cura Monasterij ipsius commissa erat, præceptum huiusmodi dedit, quatinus ipse Abba hoc cum timore Dei fideliter studeret adimplere, nullámque requisitionem nec à suo Pontifice, eò quòd adhuc illo tempore Monasterium illud sub potestate Pontificis Parisiorum Ecclesiæ videbatur esse subiectum, nec à quolibet vnquam homine pertimesceret.* Aimoinus res à Fredegario scriptas, quæ in anno quarto Clodouei Regis desinunt, absoluit capite quadragesimo libri quarti, deinde sequenti capite nonnulla complexus est quæ pertinent ad eiusdem Clodouei Principatum. Initium duxit à narratione Monachi Sandionysiani proximè recitata, quam breuiori stylo sic reddidit, *Anno XIV. suscepti regiminis, Clodoueus Rex argentum, quo genitor suus absidam super sepulchra Martyrum, Dionysij, Rustici ac Eleutherij, prominentem operuerat, auferri mandauit, & Aigulfo loci illius Abbati tradi, vt ipse illud egenis & necessitatem patientibus (quia fames eo tempore totam penè occupauerat Franciam) dispensaret. Et quia idem locus sub potestate adhuc constitutus erat Parisiaci Pontificis, tale quid idem Deo amabilis excogitauit Princeps.* Quid à Clodoueo excogitatum feratur, exponemus annis sequentibus, interim obserua ex Abbatum Sandionysianorum Chronologia, quam superiùs iniuimus, Aigulphum hisce temporibus Abbatem fuisse.

[c] Cap. 10.
CLODOVEI ERGA PAVPERES INSIGNIS CHARITAS.

XXXVIII. Fredegarius [d] Aigulphum vituperat, quòd eius facilitate siue indulgentiâ vel remissiore disciplinâ factum sit, vt in Monasterio Sandionysiano non ampliùs obseruaretur ordo psallendi, quem Dagobertus Rex instituendum curauerat. *Tanta opes*, inquit, *ab eodem* Dagoberto, *& villa, & possessiones per plurima loca, ibi* nempe Monasterio Sancti Dionysij *sunt conlata, vt miraretur à plurimis. Psallentium ibidem ad instar Monasterij Sanctorum Agaunensium instituere iusserat. Sed facilitas Abbatis Aigulfi eandem institutionem noscitur refragasse.* De illo psallendi ordine, quem Dagobertus Rex agi præceperat, ita differit Aimoinus [e], qui, qualis esset, studiosiùs inuestigauit. *Ordo in Monasterio S. Dionysij à Dagoberto Rege agi præceptus, & à nobis cuiusmodi esset exquisitus, taliter se habere est repertus. In diebus namque æstiuis sex Antiphonæ binis Psalmis explicabantur. Porrò toto Augusto, propter crebras festiuitates, manicationes fiebant. Manicare autem mane surgere dicitur. In Septembri verò septem*

[d] Cap. 79.
AIGVLPHVS ABB. S. DIONYS.
[e] Lib. 5. cap. 81.

Antiphona canebantur, distributis vnicuique binis Psalmis. In Octobri octo, cum ternis Psalmis. In Nouembri nouem, cum ternis itidem Psalmis. In Decembri decem, cum ternis similiter Psalmis. Verùm in Ianuario ac Februario, vt possibilitas sinebat. Hoc tamen obseruantes, ne minùs ad duodecim Psalmorum quantitate ad Vigilias dicerent nocturnas. Ad Sextam tamen sex Psalmi cum Alleluia; ad duodecimam duodecim, idque cum Alleluia, psallebantur. AN. CH. 651. SIGIB. III. R. 19. CLOD. II. R. 14.

Hisce temporibus Leodegarius Pictauensis Archidiaconus, *cùm Pater Monasterij in Sancti Maxentij honorem conditi obiisset, iussu* Didonis Pictauensis *Pontificis* auunculi sui *illud regendum suscepit. Quod sex ferè annis ille gubernans, & structuris & magnis opibus ditauit*, teste Vrsino in eius vita. XXXIX. LEODEG. FIT ABB. S. MAXENT.

Obiit hoc anno Hamon seu Chamonus Aletensis Episcopus, cùm sedisset annos septem. Lege Armoricam Sanctam. De illius successore agemus anno sequenti. XL. HAMON EP. ALETENS. OBIT.

ANNVS
CHRISTI 652.
SIGIBERTI III. R. 20.
CLODOVEI II. R. 15.

652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, qui post obitum Pipini Ducis duodecimus numeratur, Itta siue Iduberga eiusdem Pipini vidua iam sexagenaria migrauit ad Dominum octo Idus Maias. Dies notatur in additionibus Molani ad Vsuardum. Annus indicatur cùm in vita ipsius Pipini, tum in vita Gertrudis filiæ. I. ITTA MORITVR.

Anonymus [a], qui vitam beati Pipini Ducis scripsit, in laudes Ittæ coniugis, quæ mortuo marito Niuellense Monasterium construxit, ibique Cœnobiticam vitam sub Gertrudis filiæ regimine duxit, exspatiatus est etiam vbere stylo, eiúsque mortem sic commendauit. *Tanta in ea accumulata est virtutum omnium perfectio, vt sorores, quæ ab annis puerilibus illius Angelicæ conuersationis exercitium ceperant, vitam eius attentis animis considerarent, & inde viuum sibi sanctitatis exemplar sumerent. Hanc igitur beata actionis semitam annis* XII. *post obitum beati coniugis indefesso gradu cucurrit. Quibus transactis, excurso stadio huius vitæ peruenit ad brauium felicitatis æternæ, migránsque sexagesimo ætatis anno ad Dominum, recepit debitum sanctæ viduitati sexagesimum fructum. Sepulta est in Basilica beati Petri Apostoli religiosâ deuotione fidelium defleta vt vera ac pia mater à fratribus & sororibus, viduis & orphanis, cæcis & claudis, omníque genere pauperum ac debilium.* Auctor synchronus [b] eadem perstringit in vita sanctæ Gertrudis, hoc modo. *Mater eius Itta, plena iam dierum, cùm etiam nepotes suos vidisset, non minor annis sexaginta, ab obitu mariti sui Pipini anno duodecimo, Deo & sanctis Angelis spiritum suum commendans, migrauit ad Dominum, atque in Niuellensi Monasterio sub beati Petri Apostoli tegmine honorificè sepulta est.* Per nepotes intellige Hildebertum Grimoaldi filium, & Pipinum cognomento Heristallium ex Begga natum. II.

[a] Tom. 1. Collect. Hist. Franc.

[b] Apud Sur. d. 17. Mart.

Cùm autem matre defunctâ Sancta Gertrudis totum regiminis pondus in se solam recepisset, cogitabat secum de rerum cælestium contemplatione, cupiebátque sine rerum temporalium strepitu illi vni vacare. Itaque foris quidem bonis & fidelibus fratribus, intus verò, id est, intra Monasterij septa, spiritalibus sororibus rei familiaris curam demandabat, vt posset ipsa liberius die ac nocte in sancto agone persistere, & vigilando, orando, sacris incumbendo lectionibus & ieiuniis aduersùs spiritales nequitias dimicare. Et hac quidem ratione eò vsque progressa est, vt penè omnem scriptu- III. GERTRVDIS EIVS FILIÆ PIA EXERCICIA.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

ram diuinam memoriæ commendarit, & obscura allegoria mysteria, Sancto reuelante Spiritu, luculenter auditoribus explanarit. Extruebat verò etiam Diuorum templa aliáque egregia ædificia, simúlque orphanis, viduis, captiuis, peregrinis & Clericis victum quotidianum liberaliter subministrabat. Hæc Suriano stylo Scriptor vitæ, qui duo posteà subiungit miracula, quorum vnum ab ipsa Gertrude audiuit, alterum à viro qui præsens interfuerat. Primum tale est. *Cùm* Gertrudis *ad altare Sancti Sixti Martyris orationis causâ assisteret, vidit super se descendentem sphæram igneam sanè luculentam, adeò vt tota Basilica eius splendore irradiaretur dimidia fermè horæ spatio, quæ sensim disparens, eò rediit vnde processerat. Posteà quoque, etiam aliis sororibus cernentibus, rursus eodem modo super ipsam lux illa apparuit.* Alterum sic effertur. *Ablegauerat quandoque* Gertrudis *nonnullos pro sui Cœnobij vtilitate. At illi cùm iam mare nauigarent, in præsens vitæ discrimen coniecti sunt. Tum illi in Sanctæ Gertrudis memoriam redeuntes, periculum omne euaserunt. Primò quidem illi tranquillum sensere pelagus, deinde autem procul conspiciunt quasi nauim quandam miræ vastitatis, à latere ad ipsos accedentem, cúmque ad illos appropinquasset, ingens orta tempestas est, & feruescens mare horrendis agitabatur fluctibus. Ecce autem immanis quædam & terribilis bellua ab illis conspicitur, non quidem tota, sed solo dorso è mari eminens. Eâ re perterriti nautæ, & iam salutem omnem desperantes falsis diis vota nuncuparunt. Porrò illi quos Sancta Gertrudis miserat, nomen Christi inuocantes, putabant se iam ad supremam huius vitæ horam peruenisse, vnúsque ex illis exclamauit. Gertrudis adiuua nos vti pollicita es. Cúmque id ille tertiò diceret, cetus ima pelagi petiuit, & illi cum multo gaudio, redditâ maris tranquillitate, eâdem nocte in portum appulerunt.*

IVDOCVS INCHOAT MONASTERIVM.

IV. Hoc anno Iudocus Eremita longiùs recessit ab Altheia fluuio, iecitque prima fundamenta celebris Monasterij quod Cœnobium sancti Iudoci supra mare nuncupatur. Rem, vt gesta est, ita describit Florentius [a] in ipsius Iudoci vita. *Diabolus terribilem mutatus in colubrum, grauiter Sanctum Dei momordit in pede, quâ læsione acceptâ, per Sanctum edoctus Spiritum vt aliò transmigraret, comitante se Duce Haymone vastam circuibat eremum, vt inueniret in ea habitationis locum. In quærendo autem eo idem Dux post venandi exercitium, quo immanissimum ceperat aprum, graui torquebatur sitis molestiâ, ac præ sitis lassitudine obdormiuit. Electus interim Domini Iudocus orationi incubuit, surgénsque, baculo quo innitebatur terræ infixo, sicut alter Moyses, aquam produxit & fontem largiùs effluentem, quo exhilarati Dux & eius familia, suæ sitis extinxerunt ardorem, & transeuntibus perinde vsque in hodiernum diem aquam administrat indeficientem. Progressus inde versùs mare, in vallicula vmbrosa riuulum offendit paruum, quo delectatus, hic est, inquit, Cathedra, hæc requies mea in seculum seculi. Haymone itaque Duce ad propria reuerso, vir Dei duo ibi lignea manibus propriis construxit Oratoria, vnum S. Petro Apostolorum Principi, aliud Sancto Paulò Gentium Doctori.* Hunc Florentij textum illustrat erudito commentario Malbrancus libro tertio [b] de Morinis, & ab ipsis Monachis Iudocensibus ex hodierno loci genio veritatem eruentibus quid hauserit, ita declarat. *Defatigatio illa Haymonem incessit vix leucæ quadrante ab ipso iam Monasterio, ídque in colliculo venustè nemoroso, vbi Iudocus scipionem terræ impressit, quæ mox dedit scaturiginem siti Haymonis extinguendæ peropportunam: paulò inferiùs circiter ad triginta passus progrediens Anachoreta, rursus scipionem in humum adegit, lymphâ, vt priùs, fæliciter scaturiente, canibúsque venaticis affatim potum suppeditante: verùm duo illi riuuli in vnum coalescentes in demissiora confluxere. Vnde scaturiginem alteram Venatorum vocitant viri religiosi, alteram Canum: quo indicatur è bifido fonte duplex miraculum, beneficiúmque præsentissimum. Locum probabant omnes, & quasi diuinâ manu commonstratum. Non tamen hic placuit immorari. Vlteriùs tendamus, ait curiosus inuestigator, (sic eum appellat Iudocensis Historia) & certam fixámque sedem, quæso, adspiret Dominus. Vt syluarum adhuc nonnihil opaciora perlustrarunt, penè ad Quantiæ ripam, vbi Oceanum latissimè excipit, ventum est in valliculam riuulo leni murmure per media serpenti nobilem cui nomen Pidraga: sed ipse riuulus pari-*

[a] Apud Sur. die 13. Dec.

[b] Cap. 32.

ter è duobus capitibus suam accersit originem : vnde alterum nuncupant LA FONTEINE AVX BRETONS, *quòd forsan Britones indigenam suum vel eius lipsana visentes ex illius potu quidpiam haurirent salutare : alterum* LA FONTEINE DV GARD *vocant, quod puto esse residuum antiqui nominis Pidraga. Hanc igitur vt prospexit Iudocus valliculam, ab Austro sylua densiore tectam, ab Ortu in nuda secundùm flumen spatia tendentem, censuit eremitico suo instituto, & vita solitaria, quam depcribat, nil magis accommodum, & exclamauit, hæc requies mea in sæculum sæculi. Quare actutum supra fontanum istum riuulum Iudocus bina Oratoria seu sacraria suopte Marte & regiis illis manibus non segniter adlaborantibus molitus est Diuis Petro & Paulo, quibus adiunctum est posteà D. Martini templum, itaut etiamnum in læuo latere chori eiusdem templi visere sit ianuas binas discretas, per quas dabatur in illa Oratoria ingressus.* Hanc postremam beati Martini Basilicam ornatu lapidum instaurauit Dux Haymo, Florentius enim, cùm loquitur de reliquiis quas Iudocus Româ in Gallias attulit, vt anno sequenti dicemus, eas ait depositas fuisse *in noua beati Martini Ecclesia, quam præfatus Dux lapidum ornatu iam instaurarat.* AN.CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

V. Audomarus Morinensis Episcopus, cùm semestre supra triennium [a] in *Sitiu* feliciter expleuisset, hoc anno ex illo loco recessit lætus admodum, quòd ibi multos homines ad veri Dei cognitionem perduxisset, duásque construxisset Basilicas, vnam in honorem beatissimæ Virginis vbi fanum Mineruæ priùs steterat, alteram in honorem sancti Martini, vt omittamus tertiam, quam pij Monachi, Mommolinus, Ebertramnus & Bertinus in honorem sancti Petri condiderunt. De Basilicis beatæ Virginis & Principis Apostolorum iam locuti sumus, hîc agemus tantùm de templo, cui sanctus Martinus vt occasionem sic nomen fecit. *Audomarus*, ait Malbrancus [b], *dum in Sitiu decumbit, diuino instinctu somnum ad concubiam noctem interpellante, tectis solus, laneóque pede egreditur. Vicus Sitiuensis vt plurimùm à Mottensi castello ad hodiernum mœnibus adsitum Septentriones versùs incolebatur, ad Ortum verò vix ciuitatis iam clausæ meditullium excedebat. In herbidam planitiem, quæ erat post ciuium domicilia (& nunc extra pomœria veterem portam inter & nouam Bononiensem ad vrbis fossas interiacet) se prosternit. Ibi longas placet precando moras trahere, tandem facie ad superos conuersâ, ac totus in beatum Martinum defixus, ardentißimis quàm potest votis efflagitat, quo sibi loco ædem condi sacraríque præoptet, non obscuris indiciis manifestare dignetur. Et ecce subitò delapsum est cælo lumen cerei instar latè promicantis, sensímque in punctum desinentis, quo tellurem icere videbatur, vbi modò constitutum est altare princeps, ait Auctor antiquus. Audomarus ne beneficum, vti euenit, radium subtrahi contingeret, festino gradu manúque Pastorale pedum ad ima puncti coruscantis vestigia infigit. Tum innumeras Deo Martinóque grates rependere, Hymnos gratulabundus concinere, stratum cum iubilo repetere, sed intrando sibi solùm cauere, ne somno suorum esset obnoxius, qui tamen maturiùs euigilantes, nescio quid noui è non reperto Præsulis scipione augurantur : multùm supplicabundis rei nocturnæ seriem haud grauatè recenset Audomarus, ac deducit, vbi fixum pedum eminebat. En, ait, votorum & orationum mearum terminus : dudum S. Martino munus aliquod libare fuit animus; ecce tandem vbi suarum laudum figi vult domicilium. Eia opus aggrediamur. Fuisse ferunt primam Sitiuensium paræciam, vnde factum videtur, ne tanti beneficij oblitteretur memoria, vt quot annis iam olim Canonici Audomarenses eò supplicatum concedant frugibus benè precaturi, & quodammodò nocturnum illud Præsulis ab hospitio Adroaldino iter repræsentantes.* Idem Author ex ipsius Historiæ decursu colligit, ante Normannorum irruptionem, agro areæque domiciliis cultæ ad templum ipsum Martinense accedentibus *Marten* fuisse nomen, quod linguâ Theutonicâ tum patriæ natiuâ Martinum sonat, quódque postquàm vicus Sitiuensis vallo muróque cingi cœpit, in *Narte* vulgare desiit, sicut *Minhouen* modò *Ninouen* dicitur literâ *M* initio vocabuli in *N* commutari plerumque solitâ. Omittere non debemus cubile, vnde Audomarus ad Martinicum pratum prosiliit, multis exinde seculis etiam

[a] Breuiar. Audom.

TEMPLVM SANCTI MARTINI IN SITHIV.

[b] Lib. 3 cap. 15.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15. AVDOMARVS CARNEM SVAM DOMAT.

virtutum seu miraculorum indiciis inclaruisse, vt pronum sit credere illic eundem Audomarum de carne sua triumphasse insigni prorsus facinore, quod Malbrancus authoritate Codicis Claromariscensis innixus ita quoque describit[a]. *Nocte quapiam precanti cœperunt nescio qua obscœna obuersari, eóque vehementiùs premere, quò mentem magis ad cælestia reuocare nitebatur, immò quam aliàs vnquam vix huiuscemodi senserat, carnem incessit titillatio. Assurgit, adgeniculatur, pectus tundit; parum sic æstu remittente, inuat Benedictum induere, exuere Audomarum. Itaque per posticum subrepens fallit sopori deditos, & opportunè agri partem vrticis ac vepribus horridam conspicatur. Igitur omni prorsus ablatâ veste in ericinam syluam, salutari in cutem exardescens odio, se proiicit, tamdiùque voluitat, donec toto corpore sauciatus, per cutis vulnera fenestram dedit, quâ libidinis aculei foras emergerent. Tam heroico facinore ac victoriâ dæmon & caro deinceps suis incitamentis abstinuere. Rediit Præsul furtiuo pede rem occulens, sed cruenta vestis prodidit arcanum.*

a Lib. 5. cap. 21.

VI. LAVS MONACHORVM SITHIENS.

Porrò cùm Audomarus è Sitiuensi vico recessit, in Cœnobio sancti Petri feruebat sacræ religionis cultus sub Abbate Mommolino, cuius disciplinæ numerus Monachorum haud paruus se iam addixerat. *Dies hîc partim psalmodiâ piisque commentationibus, partim Codicibus euoluendis transigebatur. Quæ resocillando corpori alimenta tempúsue insumebantur, erant perexigua: mensa sæpiùs nullo penè obsonio condita, quandóque nil nisi extrema vitæ subsidia panem & aquam cernebat. Non quòd facultates, facultásue se pinguiùs habendi deessent (quippe affatim iam vidimus sese Adroaldi munificentiam effundentem) sed cùm rigidæ disciplinæ essent principia posituri, huiusmodi abstinentiam sibi imperabant, necnon etiam toti pauperum & peregrinorum alimonia studentes, sua sibi detrahebant.* Hæc è manuscripta sancti Mommolini vita collegit suóque stylo exarata publicauit Malbrancus[b]. Ibidem autem ista præclarè subiiciuntur de Mommolino. *Post longas inedias nouam adinuenit ipse stomachum exsaturandi rationem, pane scilicet ordeaceo, eóque cinere commixto & aquâ lacrymis temperatâ. Egenis non solùm manu diuite, sed etiam medicâ mirificè profuit; sine enim purulenti, siue grauioribus aliis ægritudinibus detenti accederent, primùm in genua procumbere, vtramque salutem homini ardentissimis precibus implorare, dein curare vlcera, protinúsque persanare, sic vt certior foret quisque notis inemptísque remediis, quàm in medicorum fide iniquissimam mercedem ex superuacanea curationis mora captantium.* Author præcitatus ad illam sancti Mommolini vitam obseruat duo, quibus refragari piaculum esset. Ait ea, quæ de Mommolino proximè tecit ata sunt, *duobus aliis*, Bertino videlicet & Ebertramno, pariter conuenire, quis huic sententiæ non adstipuletur? Ait & tres illos egregios religiosæ disciplinæ cultores, ac præsertim Mommolinum, post hæc etiam tempora, operi Euangelico incubuisse, quis audeat ab hac opinione discrepare? Audomarus, antequàm Sitiuense Monasterium inchoaretur, è Cœnobio Luxouiensi, vbi Monachum aliàs induerat, euocauit Bertinum, Mommolinum & Ebertramnum, Ascetas probatissimæ vitæ, vt eorum operâ vteretur in erudiendis Morinis, quibus Episcopus ab aliquot annis præpositus fuerat. Condito pòst Cœnobio, vicum hi Sitiuensem cum sociis incoluerunt præcipuè, sed Euangelium per totam Morinensem Diœcesim annunciare non destiterunt. Non displicet etiam Malbrancus, cùm affirmat Mommolinum disseminando Dei verbo præ ceteris ab Audomato præpositum fuisse, quia beatus Episcopus eum aliquando promouendum ad altiorem Ecclesiæ gradum iam præsagiebat. Vnum est cui suffragari non possumus. Negat Mommolinum Abbatem fratrum Sitiuensium fuisse, Bertinum primum Abbatem loci constituit, asseritque Mommolinum concionibus tantùm externísque Monasterij rebus operam nauasse. Rem aliter se habuisse suprà docuimus. Mommolinus cœtui fratrum Sitiuensium Abbas ab Audomaro præfectus fuit, eíque variis extra Cœnobium negotiis per Diœcesim occupato Bertinus & Ebertramnus in administrando Monasterio non impigram opem contulerunt. Bertinus ab Authore præcitato magnoperè laudatur, *se diuinis*

b Lib. 5. cap. 25.

ET ABBATIS MOMMOLINI.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

commentationibus addicebat impensius, ac præsertim super vita Christi ac nece toto animi studio recolenda, quod meditationis genus semper suis præfixit, tamquam ingens vitæ religiosius ducendæ incitamentum. Agemus de illius præfectura post septennium, cùm Mommolinus, cui successurus est in Monasterij regimen, ex Abbate Sitiuensi Nouiomensis Episcopus ordinabitur. Ebertramnus, qui monasticam vitam cum vtroque per multos annos in Cœnobiis Luxouiensi Sitiensique duxit, in Nouiomensem quoque Diœcesim migrauit, & Abbas constitutus Monasterium Viromandense sancti Quintini regendum suscepit, quonam anno id contigerit non proditur, admodum probabile videtur euenisse priusquàm Mommolinus ad infulas Nouiomenses assumeretur, quia prædium, cui nomen Vallis, Ebertramnus Abbas primùm Mommoleno Episcopo, deinde Mommolenus Episcopus Bertino Abbati Sitiuensi factâ cum aliis rebus commutatione tradidit, posterioremque permutationem Clotarius Tertius Regiis literis, de quibus agemus suo loco, confirmauit Kalendis Februariis anno sui Principatûs sexto, id est, anno duntaxat vno duobúsque mensibus ab Eligij morte reuolutis. Abbates Episcopis apud Viromanduos in Ecclesia sancti Quintini successerunt, postquàm Episcopalis Sedes à beato Medardo Nouiomum translata est. Id in dubium reuocari non potest haberúrque comprobatum in Augusta Viromanduorum illustrata. Sub illis autem Abbatibus, vtrùm Clerici vixerint an Monachi, non ita liquet. Claudius Hemeræus, vtpote Canonicus eiusdem Ecclesiæ, stat pro Clericis, quorum vitam sub Abbatibus communi mensâ claustróque constitisse, Basilicámque Monasterij nomine nuncupatam fuisse scribit. Non inficiamur olim Abbates communiter appellatos esse, qui primâ dignitate in quauis Ecclesia præcellebant, siue illa Clericorum esset siue Monachorum. Non negamus vtrorumque Basilicis promiscuè inditam fuisse nomenclaturam Monasterij. Fatemur & vtrisque claustrum mensámque communem conuenisse. Sed vt Monachorum partes amplectamur, nos impellit ipsemet Ebertramnus, qui quoniam hactenus in Cœnobiis Luxouiensi Sitiuensíque Monachus vixit, ex Asceterio Sitiuensi videtur euocatus vt Monachis non vt Clericis præficeretur. In Augusta Viromanduorum, Abbas Monasterij sancti Quintini vetustior Ebertramno non occurrit, nam Stupilio siue Scupilio, qui præponitur, postponi debet, si florebat anno septimo Theodorici Regis, vt Author colligit ex immunitatis Priuilegio, quod Abbatiæ Vedastinæ à sancto Vindiciano Cameracensi & Arrebatensi Episcopo concessum fertur [a], & à nobis examinabitur suo loco.

ABBATES S. QVINTINI.

[a] Mir. Diplom. Belg. l. 2. c. 5.

VII. LANDELINVS IT SECVNDO ROMAM,

Landelinus Diaconus Cameracensis alteram peregrinationem hoc anno suscepit ad limina Apostolorum. Sic enim scribit Anonymus in eius vita manuscripta. *Paucis transactis diebus*, ex quo videlicet ad Diaconatum post primum ex Italia reditum ab Autberto Cameracensium Episcopo promotus fuerat, *secundò Romam adiit, votáque optata complens ac feliciter remeans, à beato Autberto Episcopo Presbyterij suscepit officium. Sublimatus verò in huius apicem honoris, enarrari non potest quantùm excreuerit culmine sanctitatis.* At ex asperitate vitæ quam, vt anno superiore dictum est, Diaconus gessit, collige quantam gesserit Presbyter. Sub finem huius anni tertiò Romam profectus videtur. *Iterum ergo*, inquit idem Anonymus, *augmentare sibi labores cupiens, quamuis defessus iam esset corpore, rursus Romam adiit cum duobus discipulis Adeleno videlicet & Domitiano, qui ei iam dudum in prædicatione verbi Dei adhæserant, & Apostolorum limina adoranda expetiit felicitérque ad propria remeauit.* Agemus anno sequenti de illius reditu. Caue ne postremam hanc Landelini peregrinationem seriùs differendam putes, quia suscepisse illam dicitur cùm *defessus iam esset corpore*. Hæc enim phrasis non ad ætatem referenda est, sed ad secundam peregrinationem quam nuperrimè confecerat. Robustâ tunc florebat ætate, nam Laubias * insigne Monasterium posteà construxit sedente Cameraci Autberto Pontifice & regnante in Francia Clodoueo, id est, Clodoueo Secundo, qui vitam clausit anno Christi sexcentesimo quinquagesi-

REVERSVS FIT PRESBYTER.

IT TERTIO ROMAM.

* *Lobbes.*

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15. VIII.

mo-quinto, cùm Landelinus iuxta nostram supputationem annum circiter tricesimum-secundum ageret. Nec hoc loco Clodoueus Tertius intelligi debet, Autberti enim Præsulatus ad Principatum Clodouei Tertij non pertigit.

Apud Vinchantium [a] Madelgarius Comes, qui & Vincentius, in extruendo Altimontensi Monasterio tres annos insumit, deinde idem Cœnobium in honorem beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli ab eodem Autberto Cameracensi Episcopo dedicandum curat, ac paolò pòst nuncio rebus secularibus remisso Monachum in eodem loco profitetur. Baldericus in Chronico Cameracensi notâ temporis abstinuit, cetera recentioribus ipsique Vinchantio suppeditauit his verbis. *Vir Dei*, nempe Vincentius, *Monasterium ex proprio sumptu fundauit, quod etiam suus magister Autbertus viris secum religiosis adhibitis, in honore Apostolorum Petri & Pauli dedicauit, ibique vir sanctus feliciter conuersatus laudabilis vitæ sanctitatem ducere adstuduit.* Altimontensis Ecclesia hoc anno dedicata est, & Vincentius induit Monachum anno sequenti. Huius Chronologiæ probationes indicauimus suprà.

[a] Lib. 5. c. 10.

DEDICATIO ECCLES. ALTIMONT.

IX. Si narratio Vrsionis Altimontensis Abbatis vera est, his circiter temporibus, cùm Martinus Romanus Pontifex Ecclesiæ præsidebat, ad Altimontense Monasterium delatæ sunt sancti Marcelli Papæ ac Martyris reliquiæ. *S. Vincentij*, inquit [b], *intercessu, & Martini Papæ concessu, & Dagoberti Regis conductu, ab octauo vrbis Romæ milliario remotus S. Marcellus Papa & Martyr ad prædictum locum*, scilicet ad Altum Montem, *cum honoris gratia est translatus.* Sed in hac periodo tres occurrunt difficultates. Dagobertus enim priùs obiit quàm Martinus Pontificatum obtineret, Marcellus Papa non fuit sepultus octauo ab Vrbe milliario, eiúsque reliquiæ etiamnum Romæ quiescere dicuntur. Primæ quæstioni abundè satisfactum putant nonnulli, si dicant Martinum & Dagobertum ab Vrsione coniunctos esse, quia beatus Vincentius Altimontense Monasterium sub Principatu Dagoberti Regis inchoauit, & fauente eodem Rege corpora Sanctorum ex multis locis conquisiuit, quamuis Marcelli Papæ reliquias ante Martini Præsulatum non obtinuerit. At friuola est hæc responsio, quoniam iacta sunt Altimontensis Monasterij fundamenta post obitum Dagoberti Regis, & Vrsio, qui vixit vndecimo seculo, locutus est in eorum sententia qui Martinum Pontificem & Dagobertum Regem synchronos iamptidem crediderant, vt constat ex vitis sanctæ Aldegundis & sancti Remacli, quarum posteriorem edidit Notgerus Leodiensis Episcopus Vrsione Abbate longè vetustior, priorem Hucbaldus Elnonensis Monachus Notgero Episcopo antiquior scripsisse fertur. Altera difficultas nullam admittit solutionem, fatendum est enim ingenuè Vrsionem errasse, cùm sancti Marcelli sepulturam ad octauum vsque milliarium remouit, nam sanctus Marcellus, vt vetera testantur eius Acta quæ Molanus ab Ecclesiæ Romanæ Notariis conscripta censet, *emisit spiritum sub die septimodecimo Calend. February. Cuius corpus rapuit Ioannes Presbyter noctu cum B. Lucina, & condiuit cum aromatibus, & sepeliuit in cœmiterio Priscillæ viâ Salariâ veteri, non longè ab vrbe Roma, milliario tertio.* Ibi quiescebat adhuc medio sexto seculo, nam Vigilij Papæ, qui vitam clausit in Sicilia, corpus ductum est Romam, & teste Anastasio *sepultum est ad sanctum Marcellum viâ Salariâ in cœmiterio Priscillæ.* Tertia controuersia, quæ super Translatione sancti Marcelli mouetur, maioris est momenti, quia per eam traditio Monachorum Altimontensium impugnatur. Hi volunt sanctum Marcellum ex cœmiterio Priscillæ delatum esse in Belgium collocatúmque in Monasterio Altimontensi. Alij dicunt ex Priscillæ cœmiterio translatum esse in Vrbem. Octauius Pancirolus in libro, quem inscripsit *thesauros absconditos almæ Vrbis*, suspicatur id Paschalis Papæ temporibus contigisse, Ludouico Pio imperante, & vbi agit de tertiæ regionis Ecclesia septima quæ est sancti Marcelli, testatur isthic sancti Marcelli corpus in ara maiore custodiri. Ea de re quid sentiamus, exponemus suo loco, cùm ad tempora Ludouici Pij peruenerimus.

[b] Ap. Bolland. d. 16 Ian.

Hoc

AN. CH. 652.
SICIB. III. R. 20.
CLOD. II. R. 15.

X.
VRSVS ABBAS ELNON. MORITVR.

Hoc anno collocandus est obitus Vrsi Abbatis Elnonensis, qui factus est Abbas, cùm infulæ Traiectensis Episcopatûs Amando delatæ sunt, priúsque obiit quàm idem Amandus administrationi Diœceseos Traiectensis renuntiasset. In Elnonensis Cœnobij regimen successit Ionatus Abbas Marchianensis. Hæc ex Elnonensi Chronico Miræus in Originibus [a] Benedictinis ita refert. *Amandus de grege sibi commisso sollicitus Traiectensem suam Diœcesim visitare disposuit, ante.i tamen Elnone vices gerentem suas in Abbatem suum ordinauit discipulum, nomine Vrsum, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem beato fine quieuit. Cui à beato Amando ordinatus successor Sanctus Ionatus, vir modestißimus, ipsius Monastery Monachus, quem pridem Marchianis instituerat idem Amandus primum Abbatem.*

[a] Cap. 20.

SVCCEDIT IONATVS.

XI.
AMANDVS ABDICATO EPISCOPATV TRAIECT.

Amandus verò, cùm per tres ferè annos Traiectensem Episcopatum administrasset, eius curâ dimissâ Romam hoc ipso anno post mortem Vrsi Abbatis Elnonensis profectus est. Illius Pontificatum paucis ita describit Baudemundus. *Coactus à Rege ac Sacerdotibus Pontificalem suscepit Cathedram. Síque per triennium ferè vicos vel castra circumiens, verbum Domini constonter omnibus prædicauit. Multi etiam (quod dictu nefas est) Sacerdotes atque Leuitæ, prædicationem illius respuentes, audire contempserunt. At ille secundùm Euangely præceptum, puluerem de pedibus in testimonium excutiens, od alia properobat loca.* Vt istud triennium ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum computaremus, impulit Remacli successoris ordinatio, quam tertio Nonas Februarias anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio factam fuisse constat. Baudemundus, quia res eiusdem generis, licèt diuersis temporibus gestæ sint, simul connectit, posteriorem hanc Amandi profectionem in Italiam priori propter solam materiæ similitudinem coniungit, vt ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-septimum [b] iam notauimus, idque facilè Neotericos decepit, qui sanctum Amandum Romam ter iuisse crediderunt, semel atque iterum priusquàm Traiectensem Episcopatum susciperet, tertiò postquàm eundem Præsulatum dimisisset. Baudemundi mentem nos assecutos arbitramur, si dicamus Amandum bis tantùm Romam perrexisse, primùm anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto cùm egressus est è cellula Bituricensi, deinde hoc anno cùm Traiectensem Pontificatum abdicauit. Posteriorem peregrinationem suscepit, *adiunctis sibi SS. Humberto de Maricolis & Nicasio Elnonensi Monacho & discipulo*, vt Author Elnonensis Chronici tradit. Itineri quidem se dedit cum solo Nicasio, sed aliquantulùm progressus ipsum Humbertum, à quo perhumaniter exceptus est hospitio, comitem alterum sibi sociauit. Hæc in vita sancti Humberti, quam Bollandus in commentario præuio vitæ sancti Amandi citat, ita confirmantur. *Cùm Humbertus ad quemdam locum suæ ditionis peruenisset, superuenit ibi S. Amandus Episcopus cum venerabili viro Nicasio, qui peregrinationis gratiâ ad Apostolorum limina pergebant. Cùm ergo à beato Humberto hospitio recepti & consolati fuissent, ipse S. Humbertus eâdem deuotionis gratiâ peregrinationem cum ipsis accepit.* Fallitur Molanus [c], cùm Humberti ortum *temporibus Hilderici Regis* consignat. Meliùs Miræus ait eum *temporibus Hildrici* claruisse, & ex Historia vitæ, quæ apud Maricolenses extat manuscripta, sic eius encomium orditur in Originibus [d] Benedictinis. *Temporibus Hildrici, qui inter Francos Regni Monarchiam tenebat, S. Humbertus, Sacerdos Dei egregius & Confessor claruit emeritus, qui Maceriis * ad Mosam fluuium ditißimis parentibus natus, & Lauduni * sacris disciplinis institutus, tandem Romam cum S. Amando, Traiectensi Episcopo, pia peregrinationis ergo se contulit.* Molanus Humbertum patre beato Eurardo & matre Popitâ natum scribit. Hæc parentum vera nomina non inficior, sed cur Eurardus beatus appelletur non comperio, apud Buzelinum enim libro primo Annalium grauiter errant, qui patrem sancti Humberti confundunt cum altero Eurardo, quem nono seculo sub Lothario & Ludouico Augustis floruisse, & decimo-septimo Kalendas Ianuarias in Monasterio Cisonio coli constat.

IT ROMAM, CVM NICASIO, ET HVMBERTO.

[b] Num. 9.

[c] Die 25. Mart.

[d] Cap. 12.

* Maisieres.

* Laon.

AN.CH. Profecto in Italiam Amando, Remaclus ex Abbate Stabulensi creatus est
652. Episcopus Traiectensis. Illius Ordinationem, quæ tertio Nonas Februarias à
SIGIB. Martyrologis consignatur, anno sequenti referemus.
III. R. 20. Heimeramnus Episcopus, cùm in Boioaria triennio verbum Dei prædicasset,
CLOD. set, hoc anno vitam Martyrio consummauit. Causam exposuerunt Cirinus
II. R. 15. & Meginfredus, sed Cirinus, qui Meginfredum aliósque in errorem traxit,
XII. nimis crudè nonnulla scripsit, quæ proculdubiò fabulis æquus Lector accen-
REMACLVS sebit. Inde factum, vt nostrâ ætate Brunnerus & Adlzreitterus à Cirini Me-
ELIGITVR ginfredique sententiâ longè recesserint. In manuscripto Codice, quem ante
EP. TRAIECT. triennium laudauimus, genuinus Cirini textus talis est. *Vir sanctissimus per Spiritum Sanctum præuidens finem vitæ suæ appropinquantem, quo eum omnipotens*
XIII. *Deus à vinculo laboris sui soluens, sibi sociore & perenni gaudio remunerari voluisset,*
HEIMERAMNVS EP. *qui intrepidus vt robustus Athleta in certaminis campo clypeo inuisibili munitus, suæ vocationis ac remunerationis expectabat diem, & nihilominùs certis temporibus die noctúque in antiquum hostem orationis mucronem extenso brachio iaculari non cessabat. Cæpit namque à cunctis inhabitantibus deposcere, vt orationis studio Romam ire licentiam concedere deberent. Erat ei conuersabilis modus tam cum fæminis quàm cum viris, quorum solertem in pectoris venis conditam regebat curam, quibus, vt præualuit, sigillatim irrigabat pectora, & vbi communis non sufficiebat illata, diligentissimè impertiebatur secreta, vt penè nullus pertransiret, in cuius corde vel scintillam non seminaret diuinam. Eo namque tempore prædictus & illustris Dux prænotatæ gentis*, id est, Theodo Dux seu Gubernator Boioariæ, *habebat filiam nomine Otam, quæ libidine atque suadente diabolo à cuiusdam Iudicis filio nuncupato Sigibaldo est deuicta, itaut in vtero conciperet. Cæperunt autem intra semetipsos vtrique congemiscere, & dum iam minimè stuprum abscondere potuissent, facto inuicem consilio sanctissimi viri Heimeramni Episcopi pedibus prouoluti sunt, séque in stupro deprehensos insinuant, vt nullo modo cruciatus euadere potuissent, nisi illius pietatis inspiramine supernus Iudex lapsis porrexisset manum. Plùs enim, vt peccantium mos est, præsentes pœnas pertimescebant, quàm perpetuos cruciatus animarum. Cæpit itaque sanctissimus vir gementium condolere sermonibus, commissum tamen peccatum acriter increpando animæ damnationem pertimescere magis debere insinuans quàm temporalia corporum supplicia, pœnitentiæ modum his indixit, pietatisque modum non subtrahens sub silentio illis iussit, vt super eum scelus commissum mitterent, vt faciliùs euaderent cruciatus. Præsciebat venerandus Pontifex, si hoc in publicum veniret crimen, quia nullo modo his veniam à patre puella impetrare potuisset. Tunc se criminis alieni reum fieri obtulit, vt ab his flagellum, quod pertimescebant, auerteret. Acceptâ à Principe licentiâ, salutatis cunctis, tam Duce quàm prole*
PROFICISCENS ROMAM, *& satrapis terræ, statim profectus est. In egressione autem illius, ciuitas tota in luctum conuersa est, tam egeni quàm locupletes, eò ne tanto Pontifice orbati permanerent. In cuius etiam itinere, Clericorum cautela eum assequuta est. Erat enim vir sanctissimus, spiritu prophetiæ plenus, & ne legentibus occasionem subtraham, prophetiam illius inter multas veram innotesco. Cùm enim ex vrbe exiret vir venerandus, quendam religiosum Presbyterum, nomine Wolfletum ad se accersierat, prophetiæ spiritu secretum indicans ait. Attende, dilectissime frater, & ne cui me viuente dixeris. Etenim cùm diuersis cruciatibus ex cuiusdam crimine vitam me finisse audieris, tunc detur intelligi, vt omnibus in sacris constitutis ordinibus denuntiare studeas, vt ne eorum quis signa vitæ derelinquat, nec huius criminis noxium me indicet, & quasi imitando huius rei exempla ex suo labatur statu, quia docentium reprehensiones radicitus extirpare depromimus, & quamuis crimine innoxius absistat, tamen exemplis sectantium atque detrahentium in peccato animas fouet, cùm se à prauorum exemplis minimè abscondit. Sícque prophetiæ spiritum eum habuisse nimirum constat, vt religiosus & prænotatus Presbyter post gloriam remunerationis beati Pontificis ad cunctos, quos reperire potuit in sacris ordinibus positos, secretum se reuelasse testatus est, vt huius esset innoxius criminis. Venerabilis Dei Episcopus, vt pollicitus est, Apostolorum simulat limina quærenda, inscius tamen non fuerat rei quæ*

AN. CH. 652.
SIGIB. III. R. 20.
CLOD. II. R. 15.

*acciderat. Carpendi itineris, quem prædixerat, dierum trium cursum expleuerat, & ad locum dilectum perueneret occasionémque egrediendi non tulerat. Erat námque in loca fons, qui perspicuas emanabat aquas, vbi victoria in agonem quam aptabat, certaminis campum elegerat, sed cuiusdam rei causam * expectandæ simulat, vt discipulorum miraretur agmen, cuius Pontificis inesset cura pectori. Factum est autem, cum prænotati Ducis filia in stupro apertè deprehensa fuisset, & patris præsentaretur obtutibus, & coram astantibus inquisita quis hanc nefandam auderet committere sententiam, aut tanti viri soboli præsumpsisset commixtione sociari. Illa namque exterrita & nimio pauore perculsa, Episcopi commixtione hoc contigisse professa est. Pater verò temporali gloriâ indomitus in vehementißimam exarsit iram, itaut vix à suis retentus, vt proprias in eam manus non mitteret, & suam ense prosterneret * sobolem. Dum hoc perficere non posse se cerneret, priuatam substantiis rebúsque omnibus in exily damnationem in Ausoniam direxit, in qua damnatione prædicta fœmina vsque ad mortis permansit diem. Erat autem ei germanus, nomine Lambertus, qui dum sua sororis cerneret confusionem, nimio furore repletus ad suam condemnatianem arrepto comitatu, vt posset anima implere nequitiam, velocißimo cursu per callem post venerabilem Dei famulum iter explicare conatus est, vsquedum peruenisset ad villam nuncupatam Helphindorf, in qua cælesti sede beatus Episcopus propriam animam Martyrio Deo propinare decreuerat. Stans verò miles Christi ense præcinctus in certaminis campo, corde intrepidus diei illius hymnificabat Tertiam, in qua domo clypeus parieti infixus erat, super quem suspensis patrociniis,* id est, reliquiis Sanctorum, *accensâ lucernâ studiosißimam cum suis fundebat ad Dominum orationem. Audientes autem in choro Deo deuotißimi Episcopi currentium impetum & sonitum equorum immensum & clypeorum commotionem, cucurrit vnus ex his de choro prosiliens ad aditum domûs, dum proteruâ mente cum clypeis & hastis infra septa domûs intrare multitudinem cerneret, Magistri auribus in conspectu condiscipulorum altâ voce intulit. Sanctus itaque Dei Episcopus hilari vultu illorum corda confirmanda, ea intulit, dicens. Hi, qui venerunt, non nostræ condemnationis re, sed per hos remunerari me oportet. Cùm autem prædictus puellæ germanus venerabilem ibi adesse Episcopum comperit, prosiliuit ex equo quo sedebat. Erat namque in medio vestibula petra posita, sicut mos est, in equum ascendentium, super quam exiliens, stans virgâ suffultus Episcopum adduci præcepit. Dum autem adductus esset, temporali gloriâ elatus ex occasione intulit verba, dicens. Age, Episcope & gener noster. Ipse autem Deum testem inuocans so terrenis actibus soecrum non habere testatus est. Cùm hæc prædictus Princeps audire contempsisset, & multis iniuriis & contumeliis in conspectu adstantium verba in fatiem illius iacularetur & improperiis sine numero, quibus honoribus tot tempora honorificè sub Ducis ditione vitam duceret, vt tantam tantumeliam inferre Pontifex non debuisset, & vt tanti viri talísque summi Principis filiam libidinosus in exemplum malorum vsque ad partum deduceret. Cœpit itaque sanctißimus vir Dei Episcopus hilari vultu, modestis ac pacificis verbis excusationem inferre, dicens. Ad Romam me iturum promisi, limina supplex quærenda Apostolorum Principis Petri, cuius Ecclesia Euangelicâ authoritate fundata esse dinoscitur, cuius sub mundi thalamo censorem adesse dubium non est, qui, Deo authore, Petri successit in honorem Apostolicus vir & sanctißimus tenet Primatum in sacris constitutus ordinibus. Mitte quemuis prudentem mecum pariter, vt præsentemur in conspectu tanti Pontificis hac de re & tali sententia, & ibi normaliter diiudicer, ne huius reus appaream criminis. Ex charitatis causa tibi consilium do, sed scio te illud non recipere, non quòd cruciatus tuos pertimescam, sed tuæ damnationi magis condoleo, quia animæ tuæ detrimentum facere te, iam dubium non est. Contumax verò tyrannus veritatis verbis colla supponere despexit. Luminis cæcatus mente, clausis oculis cordis, arrepto baculo cui suffultus incumbebat infirmo pectore, tanti & talis dicta Dei Episcopi non metuens, statim sequentibus præcepit, vt in eum manus iniicerent.* Cetera persequemur infrà, cùm ipsum sancti Heimeramni Martyrium describemus. Interim obserua Codicem, qui nobis à Luca Dacherio communicatus est, ei simillimum esse quem Surius præ manibus ha-

* Cod. quasi

* Cod. prostraret

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15. XIV.

buit. Ad illum enim locum, quem ex manuscripto Codice descripsimus, *corde intrepidus, dici illius hymnificabat Tertiam*, Surius [a] additâ in Auctoris laudem parenthesi sic habet, *corde intrepidus, (vt Author loquitur) hymnificabat Tertiam.*

Iuit in Cirini sententiam Meginfredus [b], cuius textum hîc recitare superuacaneum videtur. Aduersùs vtriusque narrationem egregiè disputant Brunnerus & Adlzreitterus. Ille sic [c]. *Quod Emmerammum ipsummet, flagitij in se transferendi, Vta auctorem fuisse affirmant, multi refugiunt credere. Nam præterquàm quòd Emmerammi ipsius à mendacio vindicandi via plana non suppetit, ne Vta quidem, cuius potissimùm ratio habenda fuerat, periculo subduci eo figmento poterat, an enim illa patri, vel mortalium adeò vlli causam suam probatura fuit, si generum Principis Episcopum potiùs nominaret, quàm nobilissimum iuuenem, cuius & amor patrocinium, excusationem ætas, & error veniam, etsi non merebatur, inueniret tamen? cùm ad incestum Episcopi damnandum, cælum & terra coniuratura fuerint. Persuaserit sanè Vta sibi, ingens in Emmerammi nomine sceleri suo præsidium situm, nam cæca amore & amens nihil noui facit, si in consilio capiendo delirat, at enim prudentissimus vir quâ mente fuisset, si miserabilem illam ex Charybdi in multò periculosiorem Scyllam coniiceret? nam quæ stupri crimen eluere apud patrem desperat, verba scilicet reperiret, quibus sacrilegij causam dicat. Equidem in Scriptoribus illis etiam constantiam desidero, cur enim apud eos Landberto se purgat Emmerammus, qui paulò antè suum ipse nomen detulit, & Sigebaldo subtracto, se reum fecit? cur illum propositi tam repentè pudet? cur defensionem parat prostituta ad infamiam innocentiæ? quam si probauerit, Vta duplo ideò pereat, & stupri & periurij conuicta. Sic illi, dum mansuetudinem Emmerammi extollere parant altiùs, penè tyrannum ex Episcopo fecerunt. Apud eosdem Emmerammus à Volfleto seu Wolflaico Presbytero silentij fidem exigit, quam tamen ipse sibi non præstat; sacramento adigit hominem ne sui viuentis patrocinium suscipiat, sepulto demùm seras vindicias paret; ipsemet interim meditatâ oratione impositi sibi criminis inuidiam amoliri omni studio contendit, quâ illi minimè opus fuit, si præconium innocentiæ suæ, non nisi post funera, fieri voluit. Atque ob has rationes existimo, etiam in Romano Martyrologio causam, quæ vulgò mortis Emmerammi affertur, studiosè prætentam, molliore sanctioréque in vicem subiectâ, his verbis. Ratisbona in Bauaria S. Emmerani Episcopi & Martyris, qui, vt alios liberaret, mortem sæuissimam, Christi causâ, patienter tulit. Vt proinde propior opinanti sim, alieni sceleris suspicione & calumniâ Emmerammum oppressum, cùm parata necis subterfugiendæ rationes plures haberet, cùm in lucem protrahere verum sceleris autorem reúmque peragere Sigebaldum posset, maluisse tamen, Christi æmulatione & exemplo, vitam prodigere suam, quàm alienam prodere. Quòd si paulò liberiori coniecturæ locus est, credam eundem etiam Vta consilium subministrasse, non fœdi in se sceleris deuoluendi, quod neque sanus dare neque pius potuit; sed paternæ iræ, tempestinâ fugâ, declinandæ, cuius in molimine intercepta retractáve Vta autorem fugæ Emmerammum nominarit, atque illum non inuidiâ tantùm dictati consilij, sed, quod eiusdem caput & fons videbatur, stupri insuper infamiâ aspersum temerarióque damnatum præiudicio, à furente Lantberto carnificibus obiectum. Id postmodum perperam ab Aribone* (meliùs *à Cirino* dixisset) *intellectum explicatúmque alios etiam in errorem induxerit.* Et Adlzreitterus sic [d]. *Sigibaldus iuuentâ & maiorum nobilitate clarus habuerat cum Vta Theodonis filia furtiuorum amorum consuetudinem, & iam propè erat vt intumescens vterus facinus detegeret, crearétque vtrique non modò summam infamiam sed etiam vltimum vitæ discrimen. Fama est consuluisse eos Emmerammum, velut expediendæ salutis oraculum, rogasséque ne deploratos rebus tam afflictis desereret, & eum quidem fecisse potestatem miseris, vt crimen in se velut autorem transferrent. Hoc posterius, cùm citra enorme peccatum suadere nequiuerit, non ausim de tanta viri sanctitate & sapientia suspicari. Quis enim credat virum Deo plenum suasisse tam fœdum perniciosúmque mendacium, ex quo prouenturum nouerat atrocissimum scelus necis crudelissimæ innocenti sibi inferendæ? Horret animus cogitare*

[a] Die 22. Sept.

[b] Ap. Canis. Tom. 2 antiq. Lect.

[c] Lib. 5. cap. 5.

[d] Part. 1. l. 6. nu. 36. 37.

idipsum fecisse diuino instinctu, qui ne minimi quidem peccati causa vnquam fuit aut esse potest, tametsi quædam citra communem modum ordinémve, Deo instigante, sed absque vllo peccati næuo fieri posse non diffitemur. Atqui tale, quale Emmerammo tribuitur, consilium manifestè Deo & rectæ rationi aduersatur. Emmerammus Romanum iter ingressurus, Volfleto (Wolflaicum habet Brunnerus) vni ex Presbyteris fidißimo denuntiauit atroci se supplicio, ob alienam noxam, crudelem in modum esse tollendum, rem quidem haberet in præsens tacitam, sed, vbi foret de nece certior, intrepidè vulgaret, Emmerammum Deo ac conscientiâ teste per summam iniuriam esse necatum, tamen, numine sic disponente, volentem tolerasse mortem ex Christiana charitate, & docuisse mori ad imitationem supremi virtutum omnium magistri; adfutura de cælo argumenta, quæ innocentiæ patrocinentur. Vnde primò promptum est colligere, prænouisse ipsum crudele homicidium, cui Vta & Sigibaldi putidißima mendacia causam essent datura, & Lantbertum vitiata fratrem inductura ad peccatum longè grauißimum, quod meritò, si Episcopi partes agere voluisset, debuisset pro viribus impedire. Quod si Sigibaldo & Vta prospectum volebas, ne Theodonis ferro caderent, suasisset potiùs fugam vel amicorum intercessionem. Si ipse Martyrium affectabat, non erat Lantbertus ad illud inferendum mendacio proritandus. Nec verò etiam, cùm ad rem ventum est, proritauit, quando ipsemet criminis inuidiam omni studio contendit à se amoliri, vt sicam homini furenti de manu excuteret. Denique neque licuit ipsi mentiri, vt alienæ impunitati consuleret, neque mendacium suadere potuit, vt ipse nocens videretur, & vitam amitteret. Deinde, quandoquidem Christi causâ mortem ferre voluit, eam non debuit mendacio sibi accersere, hoc enim si fecisset, Christum non fuisset imitatus. Atqui, inquies, Martyrologium Romanum habet Emmerammum Episcopum & Martyrem, vt alios liberaret, Christi causâ mortem sæuißimam patienter tulisse. Id verò est quod facit ad ipsius laudem; tulit patienter mortem, non accersiuit fraudulenter: vt liberaret alios, non manifestauit reos. Vulgi, quam refutaui, opinio, Historiæ neuus est ab Aribone (rectiùs à *Cirino* scripsisset) *qui rem nimis crudè, non tam ex vero, quàm famæ sensu descripsit, aliósque Scriptores induxit in fraudem. Ergo omissâ communi opinione longè credibilius est Emmerammum consultum suasisse criminosis, Deum vt voluntariis suppliciis & sceleris sincerâ pœnitudine sibi propitiarent, cætera committerent clementiæ Theodonis, nisi fugâ crederent suæ saluti esse consulendum. Verùm Vta stupri comperta, vt fit in re formidolosa, maluit ex muliebri leuitate & imprudentia Emmerammum, quem fugâ iam lapsum credere potuit, quàm Sigibaldum, cuius capiti metuebat, accusare.* OB ALIENVM DELICTVM,

XV. IN ITINERE MVTILATVR.

Causâ cædis sic examinatâ, Martyrium ipsum, quo vix quidquam immanius excogitari potest, ex Cirino describemus. *Contumax verò tyrannus veritatis verbis colla supponere despexit. Luminis cæcatus mente, clausis oculis cordis, arrepto baculo, cui suffultus incumbebat infirmo pectore, tanti & talis dicta Dei Episcopi non metuens, statim sequentibus præcepit, vt in eum manus iniicerent. Clericorum illius cùm hæc viderent cautela, pauore immenso exterriti per latebras domorum velamini se supposuerunt imitantes, quod de veritate iam olim propheta vaticinio intulerat. Percutiam, inquit, Pastorem & dispergentur oues gregis. Militum verò non modica turba acriter inferebant manus in Sanctum Dei Episcopum, vt furentis temporalis domini animum mitigare potuissent. Ex imperio Principis expoliatum chlamyde & stolâ in hospitis sui aream *, vbi grana condere videbatur, deductus est. Scalæ superpositus, funibus alligatus, inter spatia & membrorum abscissionem, vt potuit, maximas fundebat preces, dicens: Domine Iesu Christe, qui manus in Crucem misisti, & de tuo sanguine redemisti me, tibi maximas refero gratias, quia me de tot regionibus ad hunc locum deducere dignatus es, & huius innoxium criminis tuo amore sanguinem disponis fundere. Eo namque orante quinque electi sunt, qui eius membra absciderent. Quorum duo tremefacti pallidâ facie ex arcano cordis proferunt verba, dicentes. Domine Iesu Christe, huius sanguinem de manibus nostris non requiras, tu enim scis non sponte sed imperio coactos nos agere, quod acturi erimus. Sanctißimus verò Dei famulus vt audiuit, dixit. Domine, re-*

* Cod. Scyriam.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

*tribue illis secundùm corda illorum. Reliqui autem, qui aderant, carnificum tres impietatem cordis aperto testimonio eructabant, dicentes. Cur non crudeliter manum in eum mittere debemus? Impudenter libidinis suæ fomite in tanti viri sobolem manus iniecit, itaut in exemplum longè latéque doceatur fœminis iniectas illicitè manus amputari debere. Tunc summitates digitorum membratim absciderunt. Deinde, vt furentis viri vrgebat imperium, oculos ab imo capite radicitus eruerunt. Deinde amputatis naribus vtrasque aures, vt crudelißimi viri & puellæ fratris mitigarent animum, truncarunt. Inter tot cruciatus sanctus Dei Martyr, quasi perspicuus fons manando cursum suum non intermittit ita hymnificans Deo psalmodio non cessabat. Factus namque est in agone ex superna virtute robustus, vt astantium ei nec gemitus commonuissent, sed hilari vultu synceráque mente Deo, vt diximus, indesinenter fundebat preces. Tunc nec pœnis torquentium videbatur sufficere; pedes vtrosque cum palmis, priùs euacuatis articulis, abscidentes, tanti altithroni Dei Martyris genitalia impudenter abstrahere veriti non sunt. Cuius quamuis modica vox ih Dei perseuerans laudibus nihilominus anhelabat Dauidicum carmen psallere. Cúmque eum pœnis afflictum, membrorum compagine solutum prospexissent, lingua inuidentes ministerio, eius ori ferrum imponentes, ex palato Dei Martyris beati eam absciderunt, relictóque truncato corpore euacuatis membris abierunt. Remansit autem in certaminis campo sanguine inuolutus, victor triumphalis * exultans.*

* Cod. triumphalis gloria

XVI. PRÆDICIT FVTVRA.

*His abeuntibus, ad venerabilem Dei Martyrem ex latebris & fructetis & ædificiorum angulis Clericorum cohors cum vicinis mulieribus adunati sunt. Sanctus Dei & gloriosus Martyr ab astantibus sibimet ad refocillandum aquam poscebat. Tunc religiosus suus Presbyter & interpres, cuius superiùs fecimus mentionem, nomine Vitalis, ex Magistri cruciatibus dolore coactus flebiliter dixit. Quidnam refocillari velis, cùm euacuatus tot ornamentis membrorum esse dinosceris? namque melius est, vt mihi videtur, mortem adoptes, quàm tantis contumeliis afflictus viuendi studium habere desideres. Tunc Dei Martyr vt vidit subiecti sui animum terrenis actibus magis affectum * quàm expedisset, collecto spiritu abscissa lingua verba, vt potuit, explicauit *, dicens. Numquid ad memoriam redit sæpè me dixisse, quempiam ad mortem festinare minimè debere, sed magis optando differre, vt poßit piis intercessionibus faciem præoccupare Domini, vt detur spatium infirmis ad pœnitendum quæ perpetrauerat infirmitas humana? An pigritia tua graue videtur cruentum refrigerare pectus? Sed nunc temporali vita tua præponam pœnam, vt quocumque die aliquod potandi genus ori tuo propinaueris, à pristino sensu alienus efficiaris, non damnum alicui inferas, sed inobedientibus exemplum permaneas. Sícque factum est, vt sermo sancti viri & Dei Martyris in veritate permansisset. Nam prædictus Presbyter Vitalis in ea ciuitate, quâ corpus Christi Martyris fuerat deductum, diu & dies multos post Magistri obitum vixerat, & quamdiu ieiunabat, peritiâ sua sententia præbebat exemplum eximiè viuentibus, vt penè nullus præterisset dies, in quo Missarum solemnia cum psalmodia hymnificando non complesset laudem, vt putà indagando vestigia Magistri, in arduo huius seculi calle insudando, vt eum poli culmen ascendisse dubium non sit, quia eleemosynarum erat studiosus, & quod viribus implere non potuit, voluntate tamen indigentibus non abstraxit; orationibus & vigiliis non mediocriter intentus, charitate & hospitalitate insignis. Sed tamen, vt diximus, Magistri sui verba vsque ad obitum suum complesse certum est. Nam cùm perfecto ieiunio certis temporibus emensis alimentum sumeret, cuiuscumque poculi genus ore percepisset, statim pristino alienatus sensu à spiritu immundo est correptus, commutatâ facie & stridoribus immensis huc illúcque discurrens per plateas ciuitatis, per terrarum voragines, per disrupta petrarum loca, per monumenta mortuorum, per diuersa spatia locorum nefandis verbis & turpibus perstrepebat, & tamen nemini inferens damnum, aliquoties cum per altitudinem turrium currere contigit, & præcipitium sui corporis minimè pertulit, vsquedum vocationis suæ complesset diem.*

* Cod. pudicum

* Cod. explicuerat.

XVII. *His itaque transactis, incolæ huius loci, collectis abscißis sacri Martyris membris, in quadam arbore condentes, vulgari locutione spinâ albâ, abierunt. Erat namque à multis medicis vulgatum, vt cuiuslibet abscissa membra & sub humo pro-*

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

*iecta, huius truncus nullius medici arte sanitatis recuperationem consequeretur. Sed hoc fidelibus in exemplum tradendum non est, sed magis Propheticum imitari testimonium, vt iactet curam suam in Deum & ipse eum enutriet. Eâdem namque die, duo ignoti atque pulcherrimi viri equitantes per publicum callem à quibusdam arantibus in agro de sacris sancti Martyris membris inquirentes, dum diutiùs sciscitarentur, innotuerunt quòd in quandam arborem submissa essent. Cunctis agri cultoribus videntibus ad eum locum declinauerunt, & ampliùs ab his visi non sunt. Tanti huius rei testes sunt, quanti habitatores huius loci existunt. Quâ ammiratione perculsi de his incognitis viris & de disparitione illorum, pergentes ad arborem ea quæ posuerunt sancti Martyris membra minimè inuenire potuerunt. Res namque mira & nostris temporibus valdè stupenda, quia adhuc incognita permanent humana infirmitati, à quibus sublata vel vbi deportata fuissent. Sed quod ex his, quæ prædiximus, membris sentiendum sit, ignoro, nisi per diuinam dispensationem hoc fuisse datum poßit intelligi, quibus fuisset sanctus Dei Martyr dignus laudibus, cùm cruenta & secta ab se eo adhuc viuente membra, per cognitionem diuinam ab eo loco assumpta sub gloria honoris condita esse dubium non est, & tamen, vt diximus, hominibus incognita permanent. Sed idcircò ea membra latere * existimo, & per suos artus capiti inuisibili, quod est Christus, subministrantia *, remotis propriis voluptatibus, pauperibus præbentia * famulatum, intrepidè pro Christo contumeliis affecta *, vt illorum spes & caput quod est Christus, ad ædificationem viuentium, ne sperantia in se membra, vt digna erant, prouidisset sub honore, & propterea ab incognitis ablata viris, in cognitione capitis, id est, diuinitatis, condere non mediocri gloriâ dubium non est. Res autem habitantibus innotuit membrorum, itaut illis verteretur in timorem, & quamuis parum apertis oculis tamen eius cognoscebant sanctitatem.*

* Cod. à veritatis tramite deuiasse
* Cod. subministrantes.
* Cod. præbentes
* Cod. affectis.

Tunc viri, qui erant cum eo, beatum & deuotißimum Episcopum Heimeramnum, & gloria Martyrij triumphum ex certaminis campo, id est, ex area, quæ tunc frumento pretiosiore margaritis purgati tritici, id est, cruore, conspersa iacebat, ponentes in plaustro, reducentes certatim ad villam publicam, nuncupatam Aschaim, distantem ferè milliario duodecimo, vbi Ecclesia beati Petri Apostoli constructa esse videbatur, vt tantum virum & Dei Martyrem illuc deducere deberent, ne in eorum vilibus ædificiis vitalem finiret flatum, quia quamuis in eorum oculis priùs non tantùm despectus sed etiam neci submissus fuisset, tunc in magnam, vt dignus erat, venerationem excreuerat. Sed & mulieres ex vicinis locis cum ducentis viris pietatis viscere commota, gyrantes plaustrum ob venerationem Martyris Christi, in comitatu sequuta sunt. Cùm autem peruenissent in partes campestres distantes à prædicto loco vbi tendere videbantur, milliario tertio, venerandus Dei Martyr voce, vt potuit, quamuis inconditè, eiulare cœperat innuens quòd hora remunerationis suæ in cælestibus eum locum præterire non deberet. Vnus ex his, qui erant cum eo, inspiratione diuinâ ceteris quasi subiectis imperans, vt eum de plaustro, quo iacebat, deponerent. Qui subitò deponentes in amœno gramine submiserunt in campestri deserta planitie. Sicque factum est, cùm sancta illa anima de corpore exiret, cunctis, qui aderant, videntibus, quasi immensa lampadis lux ex ore sancti viri processisset in alta, tramitis remoto aere cælestia penetraret, itaut egreßionis suæ splendor faciem præsentium fulminaret. Et iam emisso spiritu cunctos pauor inuasit, & ita sunt timore perculsi, vt vix tanti viri corpus in plaustrum subleuare auderent. Auctor excurrit in varia miracula, necnon in vltionem diuinam, quâ correpti sunt, qui sanctum Episcopum enecarunt aut in eius cædem consenserunt, deinde ad eiusdem Pontificis funus ac sepulturam ita redit. XVIII.

MORITVR.

Si de his locis & illorum miraculis ordinabiliter disponere debemus, quanta iam ibi coruscasse per Dei dispensationem in beati Heimeramni Martyris Christi gloriam miracula oculis propriis vidi, siue fidelium narratione didici, dies vtique priùs cessat quàm sermo. Sed ne fastidium legentibus gignam, de sacri Martyris corpore quod inprimis gestum sit, breuiter pandam. Nam splendidior vllâ præsentis luce vitæ, vt iam diximus, sancti viri anima cunctis qui aderant videntibus resoluta corporali XIX.

AN. CH. 652. SIGEB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

*vinculo athereum cùm penetraret calum, vt perenni frueretur gaudio quod meruerat, hi qui aderant cum timore magno & reuerentia sancti viri corpus feretro imponentes iter cœptum expleuerunt, & ad Ecclesiam beati Petri Apostoli, in villam publicam, Aschaim nuncupatam, sitam peruenerunt, infra cuius septa honorificè adiunctis vicinis loci illius habitatoribus sepelientes regressi sunt. Sed cum minimè velle Resurrectionis expectare ibi diem, quia, vt longè superiùs memoriam fecimus, quòd de ciuitate Radasbona cùm placuisset amœnitas, vt remunerationis post aui ruinam expectans diem corpus suum illuc deferri voluisset, dubium non est. Sed res mira, vt aer eius obtemperaret voluntati, qui commotus à parte Occidentalis plaga fauonio, impetu fortitudinis sua, itaut nubium densitate facies cali velaretur, & pluuia inundabat super terram, & discurrentia fulgura, vt quadraginta diebus plueret, & tam diuturnâ infusione imbrium torrentes in amnes excreuerant, vt repleti ab his procedentes per plana & campestria, itaut penitus facies telluris velaretur, & nisi tanti viri & Dei Martyris ad vrbem duxissent corpus, clementa aquarum ruinam prouinciæ minarentur. Tunc nonnullis fidelibus viris per Dei dispensationem reuelatum fuerat per nocturnas visiones, vt corpus sancti viri in adiutorium eorum ad ciuitatem deducerent. Collecta igitur cohors cum Principe & Sacerdotibus inito consilio conuenientes, per quosdam fideles tanti viri corpus, quò iacebat, ex humo tollentes & deducentes ad amnem Isaram *, puppi imponentes, accensis cereis, amnis fluenta descensione sequuti sunt vsque ad Danubium amnem. Cui contra ortum fluenti tantâ prosperitate iter celerrimè per tot spatia nauigio perrexerunt, quasi extenso velo fuisset in prosperitate peractum. Sed res mira fit valdè, & fidelium contemplationi honorificè tradenda. Nam inter tot ventorum flabra, & procellarum fluctuosa spiramina, & promiscuam inundantiam aquarum, & supernorum infusionem imbrium, & subternarum intumescentium amnem vndarum, ex his lampadibus non extinguerentur lumina, sed tantâ securitate quietissimam in altum flammæ direxerunt aciem, ac si in cubiculo tranquillissimo sine commotione aeris stetissent. Hi verò qui secus amnium fluenta commorabantur, dum tantum in lampadibus inextinctis Martyris vidissent meritum, sua percutientes pectora, in facies procidentes, Deum cali adorauerunt. Cùm autem peruenissent viri cum corpore beati Dei Martyris ad ciuitatem quò tendebant, & ibi, vt erant docti, salubrem elegerunt portum. Obuiam his factus est Princeps terra cum satrapis & Sacerdotibus deferentes vexilla cum thuribulis. Erat enim innumerabile cum viris & mulieribus promiscuum vulgus, qui exaltatâ voce hymnificabant Deo. Ex quorum vocibus tam pra gaudio quàm timore tellus tremere videbatur. Tunc collecto corpore per manus Sacerdotum, in beati Georgy Ecclesiam deferentes, ibi, vt erat dignum, cum summo honore sepelierunt. Eodem verò momento calum tantam reddidit serenitatem, vt nubes in nullis appareret plagis.*

* l'Iser.

DEFERTVR RATISBONAM.

Caue ne te decipiant in hoc Auctore nonnullæ phrases, quæ Theodonem Boioariæ Ducem, id est, Gubernatorem, adeò magnificè laudant, vt eum istius prouinciæ Dominum ac Dynastam repræsentare videantur. Theodo Boioariam tunc regebat nomine Sigiberti Regis, penes quem imperium erat Orientalis Franciæ. Lantbertus ipsius Theodonis filius, qui vitam, vt infrà dicemus, apud Hunnos in exilio clausit, solum vertit, ne pœnas ob interemptum Heimeramnum eidem Sigiberto Regi daret, aliam fugæ causam ne quæras.

XX. AVTHORES CÆDIS DIVINITVS PVNIVNTVR.

Cirinus seu Cyrinus fusè descripsit vltionem quam Deus sumpsit non tantùm de Lantberto, sed etiam de ceteris, qui vel sanctum Episcopum enecarunt, vel in eius cædem consenserunt. *Longè superiùs*, inquit, *ex sancti viri sententia pertulisse me comperio de carnificum verbis, quod silere minimè licere me suspicor. Quorum duo dignas Deo fundentes preces, vt superna prouidere hoc dignaretur pietas, quòd non sponte sed imperio coacti tanto Dei Episcopo suis manibus pœnam inferrent. Vnde suppliciter postulabant, vt huius sanguinem ab his in die iudicy non deberet requirere. Dúmque vir Dei vt vidit illorum corda, pro his Dominum deprecatus est, dicens. Domine retribue illis secundùm fidem illorum. Sicque factum est, vt hi in pacis tranquillitate sua vocationis expectarent diem. Reliqui verò tres torquentium, vt prædiximus, qui sua crudelitatis in eum contumaciter manus imponebant,*

AN. CH. 652. SIGIB. III. R.20. CLOD. II. R.15.

ponebant; zelo diabolico succensi improperantia & contumeliosa verba in faciem ei mittere non timebant; in illorum damnatione miseris actio non sufficeret, nisi in augmentum neqmitiæ malitiam cordis od aditum oris perducerent. Vnde veritatis probatur sententia, vt ex cordis abundantia os loqueretur. De quibus infra spatium septem dierum peractum est, vt vnusquisque eorum immundo prostratus esset spiritu, & tamdiu vexati & vsque ad hoc perducti, vt intempestæ noctis silentio aditum ædificiorum vnusquisque in impetu immundi spiritûs prosilientes, relicto tramite, vt erant digni, ad deserta confugiunt, & per cacumina montium, & per ima conuallium, per loca inhabitabilia & humana fragilitati incognita discurrentes, itaut miserorum cadauera nusquam vlteriùs comparuisse probarentur. Quidnam de his aliud sentiendum est, nisi superno æquitatis iudicio, qui impietatis eorum animo ferocissimo, tom loquendo quam perficiendo, in tantum Sacerdotem, eorum cordis nequitiam explere non verebantur, vt in damnationem eorum mens feris comparari deberet, vt propriâ mente alienati illorum corporibus ipsi damnum inferrent? Quid enim de sanctis viris dicendum est, nisi Apostolorum illud testimonium, quo aït, an nescitis quia templum Dei estis & Spiritus Sanctus habitat in vobis? vnde subiungitur vt violatores huius templi à Deo disperdantur. De qua dispersione comprobatur de temporali eorum domino Lamberto, vt nihilominùs dispergeretur, quàm vt suæ damnationis in exilium apud Hunnos siue Auares, vt Brunnerus & Adlzreitterus testantur, *vitam finiret; & sic in posteram progeniem eius, tanti viri vindicaretur sanguis, vt & radicitus hos exterminaret, itaut eorum quis non remaneret, & vbi tam eminentia ædificia ceteris præminebant, in quibus sua confusionis gloriabatur, modò vrtica & platanus expansis foliis propagantur, & qui venenosam suam iram in habitatorem templi Dei perficere non metuit, sua ædificia venenatis serpentium generibus relinqueret inuitus, itaut sint in sibilum & exemplum viuentibus, & quamuis dicentium verba sileant, quia sua contemplationis viatorem aliquotiens suspiria exprimunt, propter hoc vt & ipsi canere possint, ne in Sanctis Dei Sacerdotibus incautè aliquid committant, & ne illorum euacuatâ posteritate, sicut & contemplata loca testificantur, redigatur, & in talparum obscuram habitationem conuertatur, & coacernata humus in testimonium permaneat viuentibus. Cauenda namque est ira iustorum, ne & ipsum in iracundiam prouocent, qui inhabitator in illorum corporibus existit. De quibus per semetipsum veritas dicit. [Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.] Ensem enim inuisibilem non ostendunt, & tamen inulti non permanent, quia vnusquisque iustorum inuisibili gladio præcinctus est sagacissimi sermonis Dei, qui vltionem infert his, qui non sibi proponunt ipsum veritatis Spiritum in Deum, sed eius templum ictibus destruunt, & vbi manus nocendi non immittunt, detractionis veneficia secretè seminare non metuunt. Sicque Spiritum Sanctum inhabitatorem templi ad iracundiam prouocant non attendentes quod scriptum est. Nam qui illum non habet placatum, nunquam euadet iratum. Quidnam de his dicendum est, qui tam sanctum interemerunt virum, dum tot in loco illo commorantium, vbi venerabilis Dei Episcopus triumphans victor extitit, consensissent in necem eius, vt his Deus non parceret in præsenti æuo, sed sic dissipati sunt de eodem loco, vt eorum quis non remaneret, destructa ædificia, certaminis campus in solitudine permansit per annos multos. Sed res mira & ad multorum ædificationem contigit. Cœpit namque humus suæ amœnitatis crescere, vbi beatus Episcopus membrorum sectionem passus fuerat, vt in cubiti altitudinem se coaceruaret, & à niuium infusione atque hyemali soliditate se defenderet, vt palam daretur intelligi, quibus dignus fuisset meritis Martyr, dum elementa sua virtutis in eum non præualuerunt locum, sed in sua vsque ad tempus permansit iocunditate. Dum autem nonnullis res innotuisset, vt longè latéque commorantes ad videndum amœnissimum locum pergerent, & ibi sanctâ religione Christianitatis in honore beati Martyris Deo funderent preces. Res tandem cunctis innotuit. Vndecunque confidenter peterent, exauditos se cernebant. Tunc quidem Christiani inito consilio in eodem loco Ecclesiam in honore ipsius Martyris Christi, manibus construxerunt, vbi perenniter innumera coruscant miracula. Est autem in eodem loco perspicuus fons, qui distat è præ-*

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

dicta Ecclesia quantùm quis lapidem propriâ eiicere prævalet manu, sed sua fluentâ secus fundit Ecclesiam. Humus autem hinc indéque exaltatus deprimitur ripis, vt prolixiùs fundendi cursûs spatium non fineret, sed infrà deprimente ripâ, relaxato sinu, itaut lacum efficiat pulcherrimum. Cuius in Septentrionis plaga amœnis muris in Martyris laudem constructa constat Ecclesia, vbi innumeri cæci recipiunt visum & gressum claudi; multorum namque lingua, vincula ad gloriam & laudem Dei Martyris disrupta & soluta declarant.

XXI. De loco, vbi beatus Martyr occubuit, hoc miraculum narrat idem Auctor. *Huius loci miraculum, vt mihi videtur, silentio tradendum non est. Erat namque incultus per spatia annorum innumera, & quasi oblinioni traditus, quòd talem ex se Domino propinasset animam. Sed in cunctis locis per gyrum præclaruit in signum, quia vt mos est Germaniæ, vt faciem suam immensâ nimium effusione cooperiat per totum hyemale tempus, itaut in cubiti altitudinem excrescat, sed in eo loco minimè permansit, vt quis prætereuntium quamuis parum permansisset, & in vernali decore & amœnitate totum permansit annum. Sícque factum est, vt locus inferret excusationem imbrium, atque procellarum turbini & elementorum ditioni subiici non debuisset, qui Angelicorum Spirituum præsentia in tanti Dei Martyris anima egressione fuisset consecratus. Erat autem secus locum quadriuium, itaut à multis prætereuntibus huc illúcque in miraculum excreuisset, & dum subtiliùs à nonnullis in circuitu fuisset suscitatum tam ammirabile signum, statim per quadriuium his, qui tunc aderant, ad memoriam rediit, quòd in eo sancti Christi Martyris Heimeramni anima exuta huius exilij nexibus alta poli penetrasset. Tunc commorantes in circuitu sua collectionis Ecclesiam eiusdem Martyris nomini dicatam in eodem loco construxerunt, in qua non mediocriter innumera ex merito Martyris clarescunt signa.* Huc vsque Cyrinus in vita sancti Heimeramni. Lege eandem quoque vitam apud Surium [a], vt sensum Cyrini, cuius textus in multis locis obscurior est, ex phrasi Suriana faciliùs assequaris.

ECCLESIA ERECTA IN LOCO MARTYRII.

[a] d. 22. Sept.

XXII. Sanctus Emmerammus Martyrium compleuit decimo Kalendas Octobris, hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo. Dies habetur in Tabulis Ecclesiasticis, annus insculptus est tumulo. Wiguleus Hundius ipsam inscriptionem sic refert. *Emmeranus, Pictauiensis Episcopus, prædicando Dei verbum, venit in Bauariam, & ibidem in Helffendorf passus est anno 652. & hic tumulatus est.* Eundem annum constantissimè retinent, Brunnerus, Inchoferus, Bucelinus, Adlzreitterus, aliíque, nec audiendus Henricus Pantaleon, qui librum scripsit de viris illustribus Germaniæ, sanctíque Emmerammi encomium in annum Christi sexcentesimum septuagesimum reiecit.

TEMPVS MARTYRII.

XXIII. De Diœcesi, quam beatus Emmerammus in Gallia rexit, inquisiuimus suprà. Patriâ quidem Pictauiensis fuit, & Episcopus in Aquitania, sed Pictauiensis Episcopus numquam fuit. Quapropter epitaphij verba, quæ proximè recitata sunt, ita distingue, *Emmerammus Pictauiensis, Episcopus, prædicando Dei verbum, venit in Bauariam*, &c. Verbum Dei prædicauit in Boioaria per triennium; Ratisbonæ, vbi Theodo Dux seu Gubernator Boioariæ morabatur, aliquandiu mansit, ibíque mandatus est sepulturæ, sed Pontificatum in Boioaria nec Ratisbonæ nec alibi gessit. Primus Ratisbonensis Episcopus fuit sanctus Garibaldus, qui Gaubaldus, Gauuibaldus, Gæbaldus, Gaiabaldus, Gariobaldus & Garioualdus etiam nominatus inuenitur, octauóque seculo sedere cœpit. Si qui Ratisbonensem populum priùs erudierunt Antistites, ij fuerunt aduentitij, nec locum in catalogo Ratisbonensium Episcoporum sibi vendicare debent. Cùm beatus Emmerammus Martyrio coronatus est, tres duntaxat Episcopatus erant in Boioaria, Salisburgiensis Metropolitanus, Laureacensis & Patauiensis. In Cathedra Salisburgiensi sedebat Ansologus, in Laureacensi Philo, in Patauiensi Bruno.

AN S. EMMERAMMVS EPISC. FVERIT RATISPON.

XXIV. Nec hoc loco de sancto Emmerammo tacendum videtur, quòd Iudæi, cùm frequenter ad sepulchrum miracula fierent, sibi laborandum putarunt, vt eum Sabbatarium fuisse populo persuaderent. Fabulam ex ore Iudæorum

exceptam primus catalogo Ratisbonensium Episcoporum inseruit [a] Laurentius Hochwartus, ex eóque descriptam sic retulit Brunnerus. *Admiranda deinceps ex tumulo patrauit tot tantáque, vt acerbissimi Religionis nostræ hostes Hebræi sibi laborandum putarint, vt Emmerammum Sabbatarium fuisse populo persuaderent, mendacij fuco ex nomine petito; Amramum enim dictum, & Moysis parenti cognominem fuisse, id leni flexu in Emmerammum detortum. Addidere nugatores illud alterum æquè friuolum, cùm aduerso Danubio corpus Reginoburgum portaretur, nullum ferè nauigij pondus fuisse; id Moysaicæ Legis suauissima sarcina, quæ vnà cum corpore aduecta fuerit, beneficio factum, cum deinde Codicem à suæ gentis hominibus asseruatum esse, Christianis in deuenerando duntaxat corpore occupatis. Fabulam, vti à me relata est, Laurentius Hochwartus ex ore Iudæorum exceptam in literas misit.*

[a] L. 1. c. 6.

FABVLA DE EO A IVDÆIS EXCOGITATA.

XXV. Hoc anno Bathildis alterum Clodoueo Regi filium peperit nomine Childericum, qui vixit annos duntaxat vnum ac viginti, obiitque anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio, cùm prolem masculam suscepisset, vxorémque secundò impregnasset, vt alio loco iam obseruauimus.

NASCITVR CHILDERICVS SECVNDVS

XXVI. Hic annus Clodouei Regis decimus-quintus numeratur, quo Priuilegium hoc libertatis Monasterio sancti Dionysij concessum à Landerico Episcopo Parisiacensi fertur. *Diuinâ largiente gratiâ Landericus Parisiorum Ecclesiæ Episcopus. Quoniam quidem inter ea quæ Dei disponente prouidentiâ cursu temporis agimus, si quid rectè actum est, ad illius qui & dando præmonuit, & posse contulit, gloriam & nostram prosperitatem non est dubium attinere, decet & præsertim eos, qui in sacris Ordinibus eminere videntur, priuata & publica rei ita curam agere, vt & sua peccamina adnullare, & si quid est virtutis, hoc semper ad altiora studeant prouehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia inuigilent corrigere. Debet etiam esse grata omnium Dei fidelium inter se familiaritas, & in expetendis dandísque beneficiis adeò opportuna propinquitas, vt nulli prorsus digna petenti non modò non abnuat, verùm etiam vt ampliùs quod dignum est ab altero petere postuletur. Quapropter nouerit omnium Catholicæ Ecclesiæ cultorum generalis vniuersitas, quòd Domnus Gloriosissimus Cludouicus Francorum Rex, diuino irradiatus lumine, religiosâ petitione humilitatis nostræ extremitatem poposcit, vt & nos & Canonicorum nostrorum communis fraternitas, securitatis & incommutabilitatis Priuilegium ederemus, pro reuerentia sancti Dionysij, sociorúmque eius Rustici & Eleutherij, qui cum eo laureâ Martyrij sunt redimiti, ad Basilicam ipsorum, vbi ipsi corpore requiescunt & in virtutum miraculis coruscant, & vbi Dagobertus genitor suus quondam Rex vel genitrix sua Nanthildis Regina sepulturas habere videntur. Quanquam sancta Carthaginensis Synodus facta à beatæ memoriæ Domno Bonifacio, eiúsque Coepiscopis, non prohibeat Monachos sub Priuilegio proprio residere, vel sancti Augustini libri de Ecclesiasticis gradibus doceant, Monachos sub quiete regulariter viuentes, suâ singulari lege debere quiescere, & ab omni infestatione Clericorum intrepidos permanere, ne sæcularis strepitus eos lædat, quos districta regula seruitutis Domini moderatur. Quod nos considerantes, dum & Canonica institutio nos hac de re non præiudicat, vel ideo quia supradicti Domni Clodouici Regis petitio quasi nobis iussio est, cui difficillimum est resisti, vel pro reuerentia tantorum Martyrum, quorum patrocinio se ipse commisit, vt ipsis Monachis secundùm sanctum Ordinem viuere liceat, & vt tam pro nobis quàm pro omnibus nostræ Ecclesiæ fratribus Deum orent, ipsum Priuilegium plenâ voluntate, vnà cum consensu fratrum meorum, ipsis concessisse visus sum. Per quod decerno, atque ob testificationem diuini nominis interdico, vt nec ego deinceps, nec vllus successorum meorum hoc audeat infringere, vel temerario ausu aliquatenus violare. Videlicet vt omnis Presbyter vel Clericus ex his quæ in ipso loco beatissimi Dionysij Martyris, vel extra, ex loco qui dicitur fons sancti Remigij, sicut via distinguit, quæ præbet iter iuxta pratum quod dicitur Formosum, vsque ad Ecclesiam sancti Quintini Martyris, & illinc per regalem stratam, donec veniatur ad viuarium in capite Triceni pontis, sicut prata fratrum distinguunt, vsque ad præfatum locum fontis beati Remigij, omnes illi qui in hoc circumscripto spatio Ecclesiis*

PRIVILEGIVM LANDERICI EP. PRO COENOBIO S. DIONYS. EXAMINATVR.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

seruiunt, sint liberi & absoluti ab omni debito, & redditione circadarum & Synedorum. Tamen volumus, & pro reuerentia Sancti Martyris Dionysij concedimus, vt si necessitas eis fuerit, ex nostro & successorum nostrorum Episcopatu, sine pretio chrisma & oleum suscipiant. Et si quis eorum Presbyterorum vel Clericorum, fortè aut occisus, quod absit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius iniuria acclamatio surrexeris, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipso sancto loco præfuerit, ceterísque fratribus habendum & disponendum concedimus. Quòd si aliquis calliditate, aut cupiditate præuentus fuerit, & ea quæ sunt superiùs comprehensa temerario spiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum sequestratus, & nihilominùs hoc Priuilegium Christo protegente, qui & adiuuet illud conseruantes, & dissipet illud destruere cupientes, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostræ, vt nostris & futuris temporibus valitura sit, manûs nostræ subscriptionibus roborauimus, & Coepiscopos, domnos, & fratres nostros rogauimus, vt ipsum insuper firmare debeant. In Christi nomine Landericus, ac si peccator, Episcopus vrbis Parisiacæ hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Munemundus Episcopus consensi & subscripsi. Gonualdus Episcopus consensi & subscripsi. Wlfolenus Episcopus consensi & subscripsi. Armentarius Episcopus consensi & subscripsi. Rauratus Episcopus consensi & subscripsi. Malehardus Episcopus consensi & subscripsi. Eligius Episcopus consensi & subscripsi. Gratus Episcopus consensi & subscripsi. Ioannes Episcopus consensi & subscripsi. Burgundofar Episcopus consensi & subscripsi. Richoaldus Episcopus consensi & subscripsi. Baldomarus Episcopus consensi & subscripsi. Audoenus Episcopus consensi & subscripsi. Taurinus Episcopus consensi & subscripsi. Eustorgius Episcopus consensi & subscripsi. Karioendus Episcopus consensi & subscripsi. Berthefridus Episcopus consensi & subscripsi. Audobertus Episcopus consensi & subscripsi. Clarus Episcopus consensi & subscripsi. Castadius Episcopus consensi & subscripsi. Litterius Episcopus consensi & subscripsi. Palladius Episcopus consensi & subscripsi. Ætherius Episcopus consensi & subscripsi. Ingildus Episcopus consensi & subscripsi. Facto Priuilegio sub die Iulij in anno XV. regnante Cludouico Gloriosissimo Rege. Austrolenus Lector, iubente Domno Landerico Episcopo, hoc Priuilegium scripsi & subscripsi. Meliùs apud Bignonium dies ita notatur *sub diē Kl. Iulij*, id est, sub die Kalendarum Iuliarum, seu Kalendis Iuliis.

XXVII. Hoc Priuilegium vel omni ex parte suppositum vel certè interpolatum esse censet Ioannes Launoius in assertione [a] Inquisitionis in chartam Immunitatis, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano Monasterio dedisse fertur. Ab illa sententia non recedimus, Priuilegium enim, quod hodie nomine sancti Landerici circumfertur, suppositiitium arbitramur. Positum autem remur alterius loco, quod reuerâ concessum sit à Landerico Parisiensium Episcopo, atque in hac parte dissentimus à Launoio, qui Landerico locum inter Episcòpos Parisienses sub Clodoueo Rege tribuendum negat. Sententiam nostram duobus potissimùm argumentis confirmabimus. Primum eruemus ex ipsomet Priuilegio, quod à Priuilegij formula, quam Marculfus publicauit, plurimùm differt, tria enim capita complectitur, quorum vnum duntaxat apud Marculfum occurrit. Alterum argumentum desumemus ex Concessione Regia, nam Clodoueus Rex in sua Concessione non eas res quæ in vulgato Landerici Priuilegio leguntur, sed alias recenset quæ continentur in formulis Marculfi. Certè non potest in dubium vocari, quin Landericus Episcopus Parisiensis Monasterio Sandionysiano Priuilegium concesserit, Clodoueus enim Rex anno proximo, siue anno Regni sui decimo-sexto, Priuilegium illud suo Præcepto confirmauit, vt omittamus plerosque Scriptores, qui subsequentibus seculis celeberrimam eiusdem Priuilegij mentionem fecerunt. Non est igitur hodie disputandum, an Landericus Parisiensis Episcopus Priuilegium in gratiam Monachorum Sandionysianorum emiserit; sed an Priuilegium, quod suprà descripsimus, genuinum sit opus eiusdem Landerici.

[a] Part. 4. c. 10. sect. 1. p.

XXVIII. Totum Priuilegium, quod examinandum suscepimus, ad hæc tria capita re-

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

ducitur; vt Monachi Sandionysiani liberi sint ab omni solutione pecuniarum, quæ postulantur authoritate Synodorum aut ratione circadarum exiguntur; vt iidem ab Episcopo Parisiensi chrisma & oleum sine pretio suscipiant; útque quórumdam criminum mulctæ pecuniariæ, quæ Parisiensi Episcopo pendi debent, Abbati & Monachis Sandionysianis pendantur. Ex tribus autem prænotatis Priuilegij Sandionysiani capitibus, vnum duntaxat occurrit apud Marculfum [a] in formula Priuilegij, nempe vt Episcopus sanctum chrisma Monachis sine pretio concedat. Formula talis est. *Sancto Domino & in Christo venerabili fratri illi Abbati, vel cuncta Congregationi Monasterij illius in honore beatorum illorum in pago illo constructi, ille Episcopus. Compellit nos affectio charitatis vestra, radio inflammante diuino, illa pro vestra quiete prouidere, qua nobis maneant ad mercedem, & ea recto tramite, inconuulso limite terminari, qua perennem deinceps propitiante Domino obtineant firmitatem, quia non minor à Domino retributio speratur futura pro succiduis contemplante temporibus quàm ad præsens munera pauperibus offerente, & ne nobis aliquis detrahendo æstimet in id noua decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta consuetudinem Pontificum, per Regalem Sanctionem, Monasteria Sanctorum, Lirinensis, Agaunensis, Luxouiensis, vel modò innumerabilia per omne Regnum Francorum, sub libertatis Priuilegium videntur consistere, sed pro reuerentia sanctorum beatorúmque omnium fratrum implendo iussa, custodiendo præcepta, obedientiam propalabo. Quid verò vos vel successores vestri, Sancto suadente Spiritu deinceps custodiatis, immò sancta illius Ecclesiæ Episcopus debeat adimplere, huic pagina credidimus inserendum. Hoc est, vt de vestra Congregatione, qui in vestro Monasterio sancta debeant baiulare officia, cùm Abbas cum omni Congregatione poposcerit, à nobis vel à successoribus nostris sacros percipiat gradus. Nullum pro ipsorum honore præmium percepturus, altare in ipso Monasterio prædictus Episcopus benedicat, & sanctum chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reuerentia loci sine pretio concedat, & iuxta dispensationem diuinam cùm Abbas de ipso Monasterio ad Dominum migrauerit, quem vnanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis, optima regula comparatum, & vitæ meritis congruentem similiter sine præmio memorata vrbis Episcopus ipse promoueat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem in Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem iam conlatis aut deinceps Regio munere aut priuatorum conlaturis, vel in reliqua substantia Monasterij, nos successoréśque nostri Episcopi, aut Archidiaconi, seu cæteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædicta ciuitatis habere non præsumat, aut quodcumque de eodem Monasterio, sicut de parochiis aut cæteris Monasteriis, muneris causâ audeat sperare aut ferre. Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus vel quibuscumque speciebus ad ornatum diuini cultûs pertinet, aut præsens conlata vel conlatura fuerint, auferre præsumat. Et nisi rogatus à Congregatione illa, vel Abbate, pro oratione lucranda, nulli nostrûm liceat Monastery adire secreta, aut finium ingredi septa; & si ab eis illuc Pontifex postulatus, pro lucranda oratione vel eorum vtilitate accesserit, celebrato ac peracto diuino mysterio, simplici ac sobriâ benedictione perceptâ, absque vllo requisitu domo studeat habere regressum. Vt quatenus Monachi, qui solitary nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & sub sancta Regula viuentes, & beatorum Patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ, & salute Regis, vel patriæ, valeant pleniùs Dominum exorare. Et si aliquid ipsi Monachi, de eorum religione tepidi, aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, si præualet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa ciuitate coercere debet, quia nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, ea quæ sunt superiùs comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit, à diuina vltione prostratus, reatu anathematis subiaceat, & tribus annis à communione omnium fratrum se nouerit alienum. Et nihilominùs hoc Priuilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, vt firmis*

[a] Lib. 1, cap. 1.

AN.CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOO. II. R. 15.

seruiunt, sint liberi & absoluti ab omni debito, & redditione circadarum & Synodorum. Tamen volumus, & pro reuerentia Sancti Martyris Dionysij concedimus, vt si necessitas eis fuerit, ex nostro & successorum nostrorum Episcopatu, sine pretio chrisma & oleum suscipiant. Et si quis eorum Presbyterorum vel Clericorum, fortè aut occisus, quod absit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius iniuria acclamatio surrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipso sancto loco præfuerit, ceterisque fratribus habendum & disponendum concedimus. Quòd si aliquis calliditate, aut cupiditate præuentus fuerit, & ea quæ sunt superiùs comprehensa temerario spiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum sequestratus, & nihilominùs hoc Priuilegium Christo protegente, qui & adiuuet illud conseruantes, & dissipet illud destruere cupientes, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostræ, vt nostris & futuris temporibus valitura sit, manûs nostræ subscriptionibus roborauimus, & Coepiscopos, domnos, & fratres nostros rogauimus, vt ipsum insuper firmare debeant. In Christi nomine Landericus, ac si peccator, Episcopus vrbis Parisiacæ hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Munemundus Episcopus consensi & subscripsi. Gonualdus Episcopus consensi & subscripsi. Wlfolenus Episcopus consensi & subscripsi. Armentarius Episcopus consensi & subscripsi. Rauracus Episcopus consensi & subscripsi. Malchardus Episcopus consensi & subscripsi. Eligius Episcopus consensi & subscripsi. Gratus Episcopus consensi & subscripsi. Ioannes Episcopus consensi & subscripsi. Burgundofar Episcopus consensi & subscripsi. Richoaldus Episcopus consensi & subscripsi. Baldomarus Episcopus consensi & subscripsi. Audoenus Episcopus consensi & subscripsi. Taurinus Episcopus consensi & subscripsi. Enstergius Episcopus consensi & subscripsi. Kariocendus Episcopus consensi & subscripsi. Berthefridus Episcopus consensi & subscripsi. Audobertus Episcopus consensi & subscripsi. Clarus Episcopus consensi & subscripsi. Castadius Episcopus consensi & subscripsi. Litterius Episcopus consensi & subscripsi. Palladius Episcopus consensi & subscripsi. Ætherius Episcopus consensi & subscripsi. Ingildus Episcopus consensi & subscripsi. Facto Priuilegio sub die Iulij in anno xv. regnante Cludouico Gloriosissimo Rege. Austrolenus Lector, iubente Domno Landerico Episcopo, hoc Priuilegium scripsi & subscripsi. Meliùs apud Bignonium dies ita notatur *sub diē Kl. Iulij*, id est, sub die Kalendarum Iuliarum, seu Kalendis Iuliis.

XXVII. Hoc Priuilegium vel omni ex parte suppositum vel certè interpolatum esse censet Ioannes Launoius in assertione [a] Inquisitionis in chartam Immunitatis, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano Monasterio dedisse fertur. Ab illa sententia non recedimus, Priuilegium enim, quod hodie nomine sancti Landerici circumfertur, suppositicium arbitramur. Positum autem remur alterius loco, quod reuerà concessum sit à Landerico Parisiensium Episcopo, atque in hac parte dissentimus à Launoio, qui Landerico locum inter Episcopos Parisienses sub Clodoueo Rege tribuendum negat. Sententiam nostram duobus potissimùm argumentis confirmabimus. Primum eruemus ex ipsomet Priuilegio, quod à Priuilegij formula, quam Marculfus publicauit, plurimùm differt, tria enim capita complectitur, quorum vnum duntaxat apud Marculfum occurrit. Alterum argumentum desumemus ex Concessione Regia, nam Clodoueus Rex in sua Concessione non eas res quæ in vulgato Landerici Priuilegio leguntur, sed alias recenset quæ continentur in formulis Marculfi. Certè non potest in dubium vocari, quin Landericus Episcopus Parisiensis Monasterio Sandionysiano Priuilegium concesserit, Clodoueus enim Rex anno proximo, siue anno Regni sui decimo-sexto, Priuilegium illud suo Præcepto confirmauit, vt omittamus plerosque Scriptores, qui subsequentibus seculis celeberrimam eiusdem Priuilegij mentionem fecerunt. Non est igitur hodie disputandum, an Landericus Parisiensis Episcopus Priuilegium in gratiam Monachorum Sandionysianorum emiserit; sed an Priuilegium, quod suprà descripsimus, genuinum sit opus eiusdem Landerici.

[a] Part. 4. c. 10. sect. 1.

XXVIII. Totum Priuilegium, quod examinandum suscepimus, ad hæc tria capita re-

AN. CH. 652.
SIGIB. III. R. 20.
CLOD. II. R. 15.

ducitur; vt Monachi Sandionysiani liberi sint ab omni solutione pecuniarum, quæ postulantur authoritate Synodorum aut ratione circadarum exiguntur; vt iidem ab Episcopo Parisiensi chrisma & oleum sine pretio suscipiant; útque quórumdam criminum mulctæ pecuniariæ, quæ Parisiensi Episcopo pendi debent, Abbati & Monachis Sandionysianis pendantur. Ex tribus autem prænotatis Priuilegij Sandionysiani capitibus, vnum duntaxat occurrit apud Marculfum [a] in formula Priuilegij, nempe vt Episcopus sanctum chrisma Monachis sine pretio concedat. Formula talis est. *Sancto Domino & in Christo venerabili fratri illi Abbati, vel cunctæ Congregationi Monasterij illius in honore beatorum illorum in pago illo constructi, ille Episcopus. Compellit nos affectio charitatis vestræ, radio inflammante diuino, illa pro vestra quiete prouidere, quæ nobis maneant ad mercedem, & oa recto tramite, inconuulso limite terminari, quæ perennem deinceps propitiante Domino obtineant firmitatem, quia non minor à Domino retributio speratur futura pro succiduis contemplanto temporibus quàm ad præsens munera pauperibus offerente, & ne nobis aliquis detrahendo æstimet in id noua decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta consuetudinem Pontificum, per Regalem Sanctionem, Monasteria Sanctorum, Lirinensis, Agaunensis, Luxouiensis, vel modò innumerabilia per omne Regnum Francorum, sub libertatis Priuilegium videntur consistere, sed pro reuerentia sanctorum beatorúmque omnium fratrum implendo iussa, custodiendo præcepta, obedientiam propalabo. Quid verò vos vel successores vestri, Sancto suadente Spiritu deinceps custodiatis, immò sanctæ illius Ecclesiæ Episcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inserendum. Hoc est, vt de vestra Congregatione, qui in vestro Monasterio sancta debeant baiulare officia, cùm Abbas cum omni Congregatione poposcerit, à nobis vel à successoribus nostris sacros percipiat gradus. Nullum pro ipsorum honore præmium percepturus, altare in ipso Monasterio prædictus Episcopus benedicat, & sanctum chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reuerentia loci sine pretio concedat, & iuxta dispensationem diuinam cùm Abbas de ipso Monasterio ad Dominum migrauerit, quem vnanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis, optima regula comparatum, & vita meritis congruentem similiter sine præmio memoratæ vrbis Episcopus ipse promoueat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem in Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem iam conlatis aut deinceps Regio munere aut priuatorum conlaturis, vel in reliqua substantia Monasterij, nos successorésque nostri Episcopi, aut Archidiaconi, seu cæteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ ciuitatis habere non præsumat, aut quodcumque de eodem Monasterio, sicut de parochiis aut cæteris Monasteriis, muneris causâ audeat sperare aut ferre. Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus vel quibuscumque speciebus ad ornatum diuini cultûs pertinet, aut præsens conlata vel conlatura fuerint, auferre præsumat. Et nisi rogatus à Congregatione illa, vel Abbate, pro oratione lucranda, nulli nostrûm liceat Monasterij adire secreta, aut finium ingredi septa; & si ab eis illuc Pontifex postulatus, pro lucranda oratione vel eorum vtilitate accesserit, celebrato ac peracto diuino mysterio, simplici ac sobriâ benedictione perceptâ, absque vllo requisitu domo studeat habere regressum. Vt quatenus Monachi, qui solitarij nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & sub sancta Regula viuentes, & beatorum Patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ, & salute Regis, vel patriæ, valeant pleniùs Dominum exorare. Et si aliquid ipsi Monachi, de eorum religione tepidi, aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, si præualet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa ciuitate coercere debet, quia nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, ea quæ sunt superiùs comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit, à diuina vltione prostratus, reatu anathematis subiaceat, & tribus annis à communione omnium fratrum se nouerit alienum. Et nihilominùs hoc Priuilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, vt firmis*

[a] Lib. 1. cap. 1.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

subsistat vigoribus, & nos & fratres nostri Domini Episcopi subscriptione & manibus nostris decreuimus roborari. Actum ibi, sub die illo, anno illo.

XXIX. Vulgato Landerici Priuilegio subiicitur Concessio Clodouei Regis, mos enim erat vt ad Episcopi Priuilegium accederet Regis Præceptum seu Concessio, cuius Formulam integram anno sequenti ex Marculfo recitabimus. At Clodoueus Rex in sua Concessione non eas res quæ in vulgato Landerici Priuilegio leguntur, sed alias recenset quæ continentur in Formulis Marculfi. *Nos igitur*, inquit, *per hanc seriem auctoritatis nostræ, iuxta quod supradictum Priuilegium à Pontificibus factum vel præstitum est, pro reuerentia ipsorum Martyrum, vel nostra confirmanda mercede, per hanc auctoritatem iubemus, vt si quid ad ipsum sanctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuscumque rebus atque corporibus, à priscis Principibus, seu genitoribus nostris vel Deum timentibus hominibus, propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit additum, dum ex munificentia parentum nostrorum, vt diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus Episcoporum neque præsentes, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de ipsa loco aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio vsurpare, vel aliquid quasi per commutationis titulum absque voluntate ipsius Congregationis, vel nostro permissu minuere; aut Calices, vel Cruces, seu indumenta altarium, vel sacros Codices, argentum, aurum, vel qualemcumque speciem, quicquid ibidem collatum fuit aut erit, auferre aut minuere, vel ad ciuitatem deferre præsumat. Sed liceat ipsi sanctæ Congregationi, quod eis per rectam delegationem collatum est, perpetim possidere, quatenus eandem pro animabus parentum nostrorum, & pro stabilitate nostri Regni, Dominum attentiùs delectet iugiter exorare. Nos enim pro Dei amore, vel reuerentia ipsorum sanctorum Martyrum, & adipiscenda vita æterna, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum, cum consilio Pontificum, & illustrium virorum nostrorum ac Procerum, gratissimo animo & integrâ voluntate visi sumus præstitisse.* Marculfus autem sic habet in Formula Priuilegij iam citata. *Nullam penitus aliam potestatem in Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus, ibidem iam conlatis, aut deinceps Regio munere, aut priuatorum, conlaturis vel in reliqua substantia Monasterij, nos successoresque nostri Episcopi, aut Archidiaconi seu ceteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ ciuitatis habere non præsumat; aut quodcumque de eodem Monasterio, sicut de parochiis aut ceteris Monasteriis, muneris causâ audeat sperare, aut ferre. Nec de hoc, quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus vel quibuscumque speciebus ad ornatum diuini cultûs pertinet, aut præsens conlata vel conlatura fuerint, auferre præsumat.* Et in Formula [a] Concessionis Regiæ. *Ergo, si quid in villabus, mancipiis, vel reliquis quibuscumque rebus, atque corporibus, aut Regio munere, aut suprà scripti illius, vel à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo Pontifice vel ceteris Dominis Episcopis ad præfatum Monasterium iuxta quod eorum continet Priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognouimus, nullus Episcoporum, vt diximus, nec præsens, neque si fuerint successores seu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel qualibet persona, possit quocumque ordine de loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio, præter id quod scriptum est, adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de ministerij ornamentis, vel de altari, vel de offertione in altario illata abstollere.*

[a] Lib. 1. cap. 2.

XXX. Hæc obseruatio, si ceteræ desint, abundè persuadet suppositititium esse Landerici Priuilegium quod hodie circumfertur, genuinum verò, quod ab illo Parisiorum Antistite emissum est, haud discrepasse à Marculfi Formula, quam suprà integram descripsimus, infráque nonnullis illustrabimus notis, vt quisque meliùs intelligat, quibus in rebus Priuilegia Monasteriorum per illa tempora consisterent. Sed priùs examinanda nobis videntur argumenta, quæ Launoius ex ipso vulgati Priuilegij textu protulit.

XXXI. In Priuilegio Landerici, præter Synodum Carthaginiensem, de qua copio-

652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

sè ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum [a] disseruimus, citantur Libri sancti Augustini de Gradibus Ecclesiasticis. At *Augustinus*, inquit Launoius, *de Gradibus Ecclesiasticis librum nullum composuit, in quo id de Monachis tradiderit, quod ab eo traditum esse dicitur. In Librorum beati Augustini catalogo, quem confecit Poßidius, non comparet. Venerabilis Beda, qui beati Augustini libros ferè omnes citat, huius non meminit. Editiones omnes, Louaniensis, Parisiensis, cetera Librum hunc minimè repræsentant, etiam inter opera, quæ vel Librariorum errore, vel vnius Codicis compactione Augustino perperam adscripta sunt. Qui vel supposuerunt Priuilegia, vel imposuerunt Episcopis Priuilegia concedentibus, Augustino subiecerunt Librum illum, vt adhibito glorioso Doctoris tanti nomine faciliùs imponerent.* Verùm haud adeò validum nobis hodie videtur hoc argumentum, nuper enim publicata est [b] Sessio secunda Concilij Carthaginiensis habiti sub Bonifacio Episcopo, in qua de Monasteriurum libertate actum est, recitatique sunt duo textus ex secundo Libro *de Moribus Clericorum*, qui leguntur hodie in Sermone secundo de communi vita Clericorum, siue in Sermone quinquagesimo inter diuersos, nec caret verisimilitudine, quòd per Libros sancti Augustini *de Gradibus Ecclesiasticis* in Landerici Priuilegio citatos intelligi debeant eiusdem sancti Augustini Libri *de Moribus Clericorum* laudati in prædicta Synodo Carthaginiensi sub Bonifacio Episcopo celebrata.

Prætereà Launoius Auctorem Priuilegij, de quo nunc inquirimus, existimat recentiorem Clodoueo Secundo Rege, quia mentionem facit Sanctorum Martyrum Rustici & Eleutherij Sed hoc argumentum satis supérque refutauimus ad annum Christi sexcentesimum tricesimum [c], quo scripta Gregorij Turonensis, Fortunati, Fredegarij, Audoeni & Anonymi qui Gesta Regum Francorum in literas misit, accuratè examinauimus. Potentior est ratio, quæ sumitur à nomine *circadarum*, si benè Launoius obseruauit hoc vocabulum neque apud Auctores Clodoueo Secundo vetustiores, neque apud æquales, neque apud suppares reperiri. XXXII.

Multa diuersis locis scribit Launoius, vt probet inculcétque sanctum Dionysium in vrbe Parisiensi sepultum fuisse, atque inde colligit commentitium esse Landerici Priuilegium, ex cuius textu beatus Dionysius extra Ciuitatem Parisiensem tumulatus deprehenditur. Sed Tomo superiore ad annum Christi sexcentesimum tricesimum [d] probauimus sepulchrum sancti Dionysij Martyris intra muros Ciuitatis Parisiensis numquam fuisse, & argumenta, quæ Gregorius Turonensis, Fredegarius, Audoenus & Dynamius Patricius suppeditare videntur, copiosâ refutatione diluimus. Locum illum adi, ne bis eadem repetamus. XXXIII.

Launoius Priuilegium Landerici commentitium dicit, quia subscribunt Episcopi, quos tunc nec Conciliorum subscriptiones, nec Ecclesiarum tabulæ repræsentant, nec alij veteres commentarij loquuntur. Tres proponit, Gouualdum, Eustorgium, Castadium; addemus Karioendum quem alia editio apud Bignonium in notis ad Marculfi Formulas Laridanum appellat. Ceteros nouimus aut nobis notos suspicamur. Concilio Cabilonensi subscripserunt Wlfolenus seu Wlfoledus Episcopus Bituricensis, Armentarius Episcopus Senonensis, Rauracus Episcopus Niuernensis, Malihardus seu Malardus Episcopus Carnotensis, Eligius Episcopus Nouiomensis, Gratus Episcopus Cabilonensis, Baldomerus seu Baudomeris Episcopus Tarantasiensis, Audoenus Episcopus Rotomagensis, Berthefridus seu Bertefredus Episcopus Ambianensis, Clarus Episcopus Gratianopolitanus, Litterius seu Licerius Episcopus Vindauscensis seu Carpentoractensis, Palladius Episcopus Autisiodorensis, Ætherius Episcopus Ebredunensis, & Ingildus (Bignonio Ingoldus) Episcopus Valentinus. Erat Taurinus Episcopus Namnetensis. Munemundum pro Annemundo Episcopo Lugdunensi & Richoaldum pro Erchoaldo Episcopo Ausciensi vitiosè scriptos existimamus. Ioannem Arelatensem Epi- XXXIV.

[a] Num. 5. & seqq.

[b] Ap. Dacher. Tom. 6. Spicileg.

[c] Nu. 13. 14.

[d] Num. 9.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15. scopum, Faronem seu Burgundofaronem Episcopum Meldensem, & Andobertum (Bignonio Audebertum) siue Autbertum Episcopum Siluanectensem iam laudauimus. Qui supersunt autem quatuor Episcopi, Gouualdus, Eustorgius, Castadius, & Karioendus seu Laridanus, ij Pontificatum gerere potuerunt in Aquitania, nam pleríque catalogi Præsulum transligeritanorum, vt iam monuimus, hodie manci reperiuntur & imperfecti, nec quia quatuor Pontificum Sedes ignorantur, ideo Landerici Priuilegium inter supposititia reponendum putamus.

XXXV. Aliud argumentum ex iisdem subscriptionibus Episcoporum eruit Launoius, aitque duos Episcopos Parisienses, Landericum videlicet & Audobertum, vulgato Landerici Priuilegio subscripsisse, nullum enim illâ ætate Pontificem nomine Audobertum agnoscit præter Parisiensem, qui Concilio Cabilonensi per Germoaldum Abbatem sub Clodoueo Rege subscripsit. Inter subscriptiones Priuilegij Corbeiensis, quod anno septimo Clotarij Regis emissum legitur, Audoberti nomen etiam inuenitur. Hinc & Launoius Landericum ex Antistitum Parisiensium catalogo expungendum contendit. Absit vt beatum Landericum, cuius solemnis memoria quot annis quarto Idus Iulij Parisiis agitur, è diptychis Parisiensibus abradamus. Satius duceremus prædictorum Priuilegiorum subscriptiones interpolatas censere. Sed eò res non est redacta. Regnante enim Clodoueo, præter Audobertum, qui Germoaldum Abbatem ad Cabilonense Concilium direxit, & in Parisiensis Diœceseos administratione Landericum anteceßit, duo floruerunt in Galliis Audoberti siue Audeberti vel Autberti; quorum alter Ecclesias Atrebatensem & Cameracensem ab anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio ad annum vsque Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum rexit; alter eodem anno, quo Concilium Cabilonense sub Clodoueo Rege celebratum est, infulas Siluanectenses accepit gessítque diutissimè.

XXXVI. Launoius aduersùs vulgatum Landerici Priuilegium ratiocinatur etiam ex hac phrasi. *Francorum Rex poposcit, vt & nos & Canonicorum nostrorum communis fraternitas, securitatis & incommutabilitatis Priuilegium ederemus.* Ait hunc loquendi modum ad seculum Clodouei Secundi non pertinere. Respuit hæc verba, *Canonicorum nostrorum communis fraternitas*, quia Priuilegio nullus Canonicorum subscripsit. Quærit denique quid sibi velit *securitatis & incommutabilitatis Priuilegium*, cùm apud Marculfum legatur libertatis Priuilegium, securitatis & incommutabilitatis nequaquam. At in præcitata periodo nihil ætatem Clodouei Secundi non sapit. Antiquior occurrit Canonicorum mentio. Necesse non fuit, vt Priuilegio, cui Landericus aliique complures Episcopi subscripserunt, subscriberent etiam Canonici. Nec malè vel contra Marculfi mentem Priuilegium securitatis & incommutabilitatis appellatur, per quod Monachi securè res sui Monasterij possideant, nec eas vllo commutationis titulo cedere teneantur inuiti. Marculfus illam securitatem sic exprimit in formula Priuilegij [a]. *Compellit nos affectio charitatis vestra, radio inflammante diuino, illa pro vestra quiete prouidere, qua nobis maneant ad mercedem, & carcerato tramite, inconuulso limite terminari, quæ perennem deinceps propitiante Domino obtineant firmitatem.* Securitatem simul ac incommutabilitatem sic in formula [b] Concessionis Regiæ. *Nullus Episcoporum, nec præsens neque si fuerint successores, seu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel qualibet persona posit quocunque ordine de loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio, præter id quod scriptum est, adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere.* Nec ab hac Marculfi formula discrepat Clodoueus Rex in suo Præcepto. *Nullus*, inquit, *Episcoporum, neque præsentes, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona posit quoquo ordine de ipso loco aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio vsurpare, vel aliquid quasi per commutationis titulum absque voluntate ipsius Congregationis, vel nostro permissu minuere.*

[a] Lib. 1. cap. 1.

[b] Lib. 1. cap. 2.

XXXVII. De ceteris argumentis Launoij, quæ sumuntur ex Auctoribus longè recentioribus,

tioribus, agemus commodiùs ad tempora, quibus illi Scriptores vixerunt. In- AN. CH.
terim quasdam accipe notas ad formulam Priuilegij suprà descripram. Cognos- 652.
ces inde, quibus in rebus antiqua Monasteriorum Priuilegia versarentur.

Formula siue instrumentum libertatis, quam Episcopus Monasterio conce- SIGIB.
dit, Priuilegium vocatur, quia iure communi Abbates subsunt Episcopis. Id III. R. 20.
patet ex Canone Concilij [a] Chalcedonensis quarto, qui præcipit Monachos CLOD.
per vnamquamque ciuitatem aut regionem subiectos esse Episcopo, τοὺς δὲ καθ' II. R. 15.
ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας, ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ. Necnon ex Ca- XXXVIII.
none octauo, qui Clericos, Monachos ac laicos proprio sic Episcopo subiicit. PRIVILEGIVM
Qui verò audent euertere huiuscemodi formam quocumque modo, nec propria subii- CVR ITA
ciuntur Episcopo; siquidem Clerici sunt, Canonum correptionibus subiaceant; si verò DICTVM.
Monachi vel laici fuerint, communione priuentur, οἱ δὲ τολμῶντες ἀνατρέπειν τὴν [a] Action. 15.
τοιαύτην διατύπωσιν καθ' οἷον δή ποτε τρόπον, καὶ μὴ ὑποταττόμενοι τῷ ἰδίῳ
ἐπισκόπῳ, εἰ μὲν εἶεν κληρικοὶ, τοῖς τῶν κανόνων ὑποκείσθωσαν ἐπιτιμίοις, εἰ
δὲ μονάζοντες, ἢ λαϊκοὶ, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. Idem constat ex variis Conciliis
habitis in Gallia sub Francorum Regibus. Ex Aurelianensi primo [b], cui He- [b] Can. 19.
raclius Parisiensis Episcopus interfuit regnante Clodoueo. *Abbates pro humili-*
tate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra Regulam fecerint,
ab Episcopis corrigantur; qui semel in anno, in loco vbi Episcopus elegerit, acceptâ
vocatione conueniant. Ex Aurelianensi secundo [c], cui Amelius Episcopus Pari- [c] Can. 21.
siensis subscripsit, sub Regibus, Theodorico, Childeberto & Clotario fratri-
bus. *Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem nec penitus*
admittantur, nisi contumaciam susceptâ humilitate deponant. Ex Altissiodorensi [d], [d] Can. 7.
quod Aunacharius Altissiodorensis Episcopus Metropolitæ Senonensi æquè
ac Parisiensis Episcopus subiectus regnante Guntchramno celebrauit. *Vt me-*
dio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant, & Kalendis No-
uembris omnes Abbates ad Concilium veniant.

Formula Marculfi, quia recedit à communi iure, se tuetur exemplis quam- XXXIX.
plurimorum Cœnobiorum, vt res minùs noua minúsue stupenda videatur.
Proponit inprimis Monasteria, Lirinense, Agaunense & Luxouiense, quæ
florentissima fuerunt regnante Clodoueo Secundo.

Extat Lirinense Priuilegium [e] in Arelatensi Concilio sub Rauennio Episco- XL.
po, causa tenórque talis est. *Institutio Sanctorum Episcoporum, Rauenny, Rustici,* [e] Tom. 1. Con-
Nectary, Flori, Constantij, Asclepy, Maximi, Iusti, Salony, Ingenui, Ynanti, cil. Gall.
Zotici, Chrysanthi, in causa Insulæ Lirinensis. Cùm Arelate in secretario Ecclesiæ
conuenissemus, præmissâ prece ad Dominum, nullo extrinsecus arbitro interueniente
resedimus, de remedio scandali, quod in Monasterio in Insula Lerinense obortum
fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis, Sancto, vt credimus, Spiritu gubernante,
vt omnibus quæ in querelam venerant sollicitè ventilatis atque discussis sanctus ac
beatissimus frater Theodorus Episcopus primùm exoragetur à nobis, vt scandalum,
quod, & ipse, sicut & nos, grauiter dolebat exortum, differendo in tempora mane-
re diutiùs non pateretur, sed potiùs ad recipienda satisfactionum remedia festinaret,
& sanctum Presbyterum Faustum, Abbatem Monastery supradicti, indultâ si qua
illa esset culpa veniâ, in pristina pace toto caritatis affectu reciperet., & ad Insulam,
ac Congregationem ipsi Deo dispensante commissam, cum sua gratia & caritate re-
mitteret. Nec quicquam deinceps ex his, quæ sibi fratrem Faustum arguebat fecisse,
aut verbis repeteret, aut animo retineret. Quin potiùs conlationem, vtpote antiquus
Abba & Episcopus, ei vt piam ac necessariam perpetuò exhiberet, & solatia secutura,
quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipsis, in quo vsus exigeret, plenissimè ex-
hiberet. Hoc tamen sibi tantummodò vindicaturus, quod decessor suus sanctæ memo-
riæ Leontius Episcopus vindicauerat, id est, vt Clerici atque altaris ministri, à
nullo nisi ab ipso, vel cui ipse iniunxerit, ordinentur; chrisma non nisi ab ipso spere-
tur; neophyti si fuerint, ab eodem confirmentur; peregrini Clerici, id est, Clerici
extranei, qui non fuerint in ipso Monasterio enutriti, *absque ipsius præcepto in*

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

communionem vel ad ministerium non admittantur. Monastery vero omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa Clericum, nisi Abbate petente, præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, vt Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciant: laica verò omnis Monastery Congregatio ad solam ac liberam Abbatis propry, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionémque pertineat, Regulâ, quæ à fundatore ipsius Monastery dudum constituta est, in omnibus custoditâ.

XLI. Agaunense Priuilegium Launoius [a] simile putat Cabilonensi quia Fredegarius initio sui Chronici de Guntchamno Rege sic loquitur. *Anno* XXIV. *Regni sui, diuino amore tactus, Ecclesiam beati Marcelli, vbi ipse preciosus requiescit in corpore, que in suburbano quidem Cabillonense, sed tamen in Segonum est territorio, mirificè & sollerter ædificare iussit, ibíque Monachos congregans Monasterium condidit, ipsámque Ecclesiam rebus plurimis ditauit. Synodum* XL. *Episcoporum fieri præcepit, & ad instar institutionis Monastery sanctorum Agaunensium, quæ temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Episcopis, ipso iubente Principe fuerat firmata, idémque & eius Synodi coniunctione Monastery sancti Marcelli Guntramnus institutionem firmandam curanit.* At hæc Synodus, in qua Fredegarius, qui rotundo numero vtitur, Episcopos quadraginta sedisse scribit, Matisconensis fuit secunda, cui quadraginta tres Episcopi subscripserunt, vt ad annum Christi quingentesimum octogesimum-quintum obseruauimus. In Matisconensi autem Synodo non actum est de Priuilegio, quod Monasterio sancti Marcelli Guntchramnus Rex ab Episcopis concedi postularet, sed de ordine psallendi quem ibi seruari vellet iuxta normam Agaunensis Asceterij, sic enim Fredegarium suprà citatum exponit Aimoinus [b]. *Synodum* XL. *Episcoporum*, inquit, *aggregari præcipiens, vt ordo psallendi, qui in loco Sanctorum Agaunensium temporibus Sigismundi Regis ab Auito & ceteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in Cœnobio, quod ipse fabricarat, teneretur, effecit.* Cabilonense Priuilegium, vt ipsemet Launoius [c] fatetur, sancitum est in Synodo Valentina, hæc Matisconensem paucis tantùm mensibus antecessit, corroborataque reperitur septemdecim duntaxat Episcoporum subscriptionibus, itaut necessariò distinguenda sit ab ea, cui Fredegarius & Aimoinus Episcopos quadraginta interfuisse testantur. Agaunense Priuilegium ex Agaunensi Tabulario publicarunt Sammarthani [d], expendit ac reiecit Launoius [e], præter rationes quas hic affert vt falsitatem aut interpolationem ostendat, occurrit & alia, quæ petitur ab Episcoporum numero, qui Concilio Agaunensi præsentes adfuisse perhibentur. Priuilegium sic incipit. *In timore Domini nostri Iesu Christi cum felicitate. Domino nostro Sigismundo Pio, sub die pridie Kal. May à* LX. *Episcopis, tótque Comitibus, habito Concilio in Dei nomine Agauni publicè, idem Rex exorsus est dicere.* Sigismundus Burgundiæ Rex numquam ditiones habuit adeò amplas, vt è Regno suo Episcopos sexaginta conuocare posset. Ad aliud igitur Agaunense Priuilegium, quod excidit, respexit Marculfus, quamquam nec hoc dissidet à Marculfi formula, totum enim vertitur in duobus capitulis, quorum alterum est de victu Monachorum, alterum de disciplina. Primum sic habet, *de vestimentis verò scimus, quia locus iste acris intemperie intemperatus est, propterea tam ad induendum, quàm in lectis in Abbatis sit consideratione; similiter de cibo & potu.* Alterum sic. *De disciplina verò, de grauioribus culpis secundùm Canones iudicentur, de minoribus autem vt Abbas iudicauerit, & fratres consenserint.*

[a] In assert. inquis. part 2. c. 2. lect. 3.

[b] Lib. 3. c. 81.

[c] In assert. inquis. p. 2. c. 2. sect. 2.

[d] Tom. 4. Gall. Christ.

[e] In assert. inquis. p. 4. c. 7.

XLII. Luxouiense Priuilegium nusquam reperitur.

XLIII. Marculfus in sua Formula meminit Regalis Sanctionis seu Concessionis

XLIV. Regiæ, quæ ad Priuilegium Episcoporum accedere consueuerat, vt ad annum

XLV. sequentem obseruabimus.

DISTINGVITVR IN SEX CAPITA.

In eadem formula totum Priuilegium ad sex capita reducitur.

Primum in his verbis consistit. *Vt de vestra Congregatione, qui in vestro Monasterio sancta debeant baiulare officia, quum Abbas cum omni Congregatione popos-*

cerit, à nobis vel à successoribus nostris sacros percipiat gradus. Iuxta hanc Sanctionem Monachi ad sacros Ordines non ab alio quàm ab Episcopo Diœcesano promouentur, Priuilegium autem in hoc positum est, quòd Episcopus, qui iure communi quemlibet e Monachis suæ Diœceseos ordinare potest, spondet à se suisque successoribus eos duntaxat ordinatum iri, quos Abbas omnisque Congregatio petierit ordinari. In Priuilegio Litinensi, quod ab Atelatensi Concilio emissum est, eadem res ita statuitur. *Monastery omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex ea Clericum nisi Abbate petente præsumat.* Et in Augustodunensi Priuilegio, cuius Authot Gregorius Magnus [a]. *Episcopum tollendi de eodem loco Monachum ad Ecclesiasticum Ordinem promouendum, vel pro alia quacumque causa, sine consensu Abbatis atque Presbyteri habere licentiam prohibemus.*

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

[a] Lib 11 ep 10.

XLVI. Secundum caput Priuilegij conceptum est in hæc verba. *Nullum pro ipsorum honore præmium percepturus, altare in ipso Monasterio prædictus Episcopus benedicat, & sanctum chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reuerentia loci sine pretio concedat.* Hac definitione sancitur, vt altaria Monasteriorum ab Episcopis Diœcesanis consecrentur, & Monachi sacrum chrisma, si postulate voluerint, ab iisdem Episcopis Diœcesanis accipiant. Vtrumque pertinet ad ius commune. Nam iuxta Concilium Aurelianense tertium [b], *Episcopus in Diœceses alienas ad alienos Clericos ordinandos, vel consecranda altaria irruere non debet; quod si fecerit, remotis his quos ordinauerit, altaris tamen consicratione manente, transgressor Canonum anno à Missarum celebritate cessabit.* Et Pattes Concilij Vasensis primi statuunt [c], vt *per singula territoria Presbyteri vel ministri, ab Episcopis, non prout libitum fuerit à vicinioribus, sed à suis propriis, per annos singulos chrisma petant.* Priuilegium tamen videtur in hoc versari, quòd Episcopi, qui ob suam sustentationem aliámve rationabilem causam aliquid accipere consueuerant, quoties altaria consecrabant, aut sanctum chrisma concedebant, altaria Monasteriorum *sine præmio* se consecraturos, Monachísque sanctum chrisma *sine pretio* se concessuros promittunt.

[b] Can. 15.

[c] Can. 3.

XLVII. Tertium Priuilegij caput hoc est. *Iuxta dispensationem diuinam cùm Abbas de ipso Monasterio à Domino migrauerit, quem vnanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis, optima Regula comparatum, & vita meritis congruentem, similiter sine præmio memorata vrbis Episcopus ipse promoueat Abbatem.* Iure communi, Monasteriis Abbates ab Episcopis Diœcesanis præficiebantur. Apud Fortunatum [d], Germanus Ptesbytet, qui posteà Patisiorum Episcopus fuit, *à venerabili Pontifice Nectario Abbas ad sanctum Symphorianum meritò dignus adsciscitur.* Tria igitur per Priuilegium conceduntur in Abbatis electione ac benedictione; primum vt à Monachis eligatur, alterum vt eligatur ex ipsa Congregatione cui præesse debet, tertium vt ab Episcopo Diœcesano benedicatur absque præmio. Duo priora Monasterio sancti Cassiani iam indulserat Gregorius Magnus, nam Respectæ illius loci Abbatissæ sic aliquando scripsit [e]. *Monasterio, quod in honorem sancti Cassiani est consecratum, in quo præesse dinosceris, iuxta petitionem filiorum nostrorum Dynamij atque Aureliani, qui id religiosâ deuotione domui sui iuris iniunctis vniisse ædificiis comprobantur, hæc Priuilegia præuidimus indulgeri. Constituentes vt obeunte antedicti Monasterij Abbatissâ, non extranea, sed quam Congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur.* Quin & aliquot antè annis pro Pictauiensi Monasterio ab Episcopis eadem postularat Radegundis per literas, quas Historiæ suæ Gregorius Turonensis [f] inseruit. *Monasterium puellarum*, inquit Radegundis, *Pictauâ vrbe constitui, conditúmque, quantùm mihi munificentia Regalis est largita, factâ donatione dotaui. Insuper Congregationi per me Christo præstante collecta Regulam, sub qua sancta Cæsaria deguit, quam solicitudo beati Cæsarij Antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum conuenienter collegit, adsciui. Cui consentientibus beatissimis, & huius ciuitatis, & reliquis Pontificibus, electione etiam nostræ Congregationis, domnam & sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & eduxi, Abbatissam institui,*

[d] Ap. Sur. d 28. Maii.

[e] Lib. 6. ep. 12.

[f] Lib. 9. c. 42.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

ac me post Deum eius ordinationi regulariter obedituram commisi. Et nonnullis interiectis, *hoc etiam deprecans, vt cùm Deus prædictam Domnam sororem nostram Agnetem de seculo migrare voluerit, illa in loco eius Abbatissa de nostra Congregatione debeat ordinari, quæ Deo & ipsi placuerit, custodiens Regulam, & nihil de proposito Sanctitatis imminuat.* Illa autem Monasteriis conceduntur eâ conditione, vt ad Abbatis aut Abbatissæ officium persona digna eligatur, sic enim ait Gregorius Papa iam citatus, *obeunte Monasterij Abbatissâ, non extranea, sed quam Congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur; quam tamen, si digna huic ministerio iudicata fuerit, eiusdem loci Episcopus ordinet,* nec ab ea clausula recedit Marculfus, dum vult eum, quem omnis Congregatio Monachorum vnanimiter ex seipsis Abbatem elegerit, esse *optimæ Regulæ comparatum & vitæ meritis congruentem.* Quòd autem idem Marculfus addit, vt talem Abbatem Episcopus Diœcesanus benedicat *sine præmio*, nota Diœcesanos Episcopos præmium inde accipere solitos, & remissionem eiusmodi præmij in partem Priuilegij venisse.

XLVIII. Quartum Priuilegij caput in his verbis consistit. *Nullam penitus aliam potestatem in Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem iam conlatis, aut deinceps Regio munere, aut priuatorum conlaturis, vel in reliqua substantia Monasterij, nos successoresque nostri Episcopi aut Archidiaconi, seu ceteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ ciuitatis habere non præsumat, aut quodcunque de eodem Monasterio sicut de parochiis, aut ceteris Monasteriis muneris causâ audeat sperare aut ferre. Nec de hoc, quod à Dominum timentibus hominibus transmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus, vel quibuscunque speciebus ad ornatum diuini cultûs pertinet, aut præsens conlata, vel deinceps conlata fuerint, auferre præsumat.* Iure communi, personæ résque cùm Ecclesiasticorum tum Monachorum subsunt administrationi siue ordinationi Episcoporum Diœcesanorum, hoc autem Priuilegio Episcopus Diœcesanus tali renuntiat administrationi quantùm ad personas résque Monachorum. Eadem iam indulserat Monasterio sancti Cassiani Gregorius Papa, sic enim in suis literis Respectam Abbatissam alloquitur. *In rebus autem vel in dispositione Monasterij eiusdem nec Episcopum, neque Ecclesiasticorum quempiam aliquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad sollicitudinis tuæ, vel quæ post te in eodem loco fuerit Abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere.*

XLIX. Quintum Priuilegij caput continetur his verbis. *Nisi rogatus à Congregatione illa, vel Abbate, pro oratione lucranda, nulli nostrûm liceat Monasterij adire secreta, aut finium ingredi septa, & si ab eis illuc Pontifex postulatus pro lucranda oratione vel eorum vtilitate accesserit, celebrato ac peracto diuino mysterio, simplici ac sobriâ benedictione perceptâ, absque vllo requisitu domo studeat habere regressum, vt quatenus Monachi, qui solitarij nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & sub sancta Regula viuentes, & beatorum Patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ, & salute Regis, vel patriæ, valeant pleniùs Dominum exorare.* Iure communi licet Episcopo ingredi quouis tempore septa Monasteriorum, & in secreta illorum loca penetrare, sed isti iuri per hoc Priuilegium renuntiat, & vt solitudini quietique Monachorum meliùs consulatur, spondet se illuc non accessurum nisi rogatus fuerit à Monachis & ab Abbate ad fundendas orationes & ad diuina mysteria peragenda. Ne tamen Monachi se credant penitus liberos ab Episcopi iurisdictione, captâque inde occasione solutioris vitæ recedant à proposito, proximè subiungitur modus, quo, si deliquerint, corrigi debeant ab Abbate & ab Episcopo.

L. Sextum hoc Priuilegij caput tale est. *Si aliquid ipsi Monachi, de eorum religione tepidi, aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, si præualet, corrigantur; sin autem, Pontifex de ipsa ciuitate coercere debet, quia nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.* Iure communi inquisitio in vitam & actus Monachorum pertinet ad Episcopum, qui ratione pastoralis sui muneris tenetur emendare, quicquid in illis emendandum inuenerit. Ita docet Gregorius Magnus [a] in literis ad

[a] Lib. 7. ep. 33.

Ioannem Episcopum Schillitanum. *Questi nobis sunt*, inquit, *Monachi Castel-* AN.CH.
liensis Monasterij, quod in fraternitatis vestra ciuitate est constitutum, quia eidem 652.
Monasterio quadam contra ea, qua à pradecessoribus vestris permissa, ac consuetudi- SIGIB.
ne longâ seruata sunt. festinetis superinducere, & antiquam ordinationem quadam III. R. 20.
praiudicij nouitate turbare: proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus, vt CLOD.
si ita est, ab eius molestia se sine aliqua excusatione contineat, & qua ei sunt diu- II. R. 15.
tiùs custodita, nullius occasione tentet vsurpatione conuellere, sed cuncta illibatè, &
sine aliqua studeat refragatione seruare, & plùs sibi in eodem Monasterio, quàm
pradecessoribus suis licuit, nouerit non licere. Et paulò pòst. *Seruatis itaque omni-*
bus, qua à tuis, sicut diximus, pradecessoribus permissa sunt ac seruata, cura tua
sit circa actus ac vitam consistentium illic Monachorum te vigilantem insistere, & si
quempiam illic prauè conuersari, aut in aliquam immunditia, quod absit, culpam
inueneris incidisse, districtâ ac regulari emendatione corrigere. Nam sicut ab iis,
qua incongruè vsurpantur, fraternitatem vestram volumus abstinere, ita in his, qua
ad disciplina rectitudinem, vel animarum custodiam pertinent, esse solicitam modis
omnibus admonemus. Et in literis ad Respectam Abbatissam Massiliensem iam
laudatis. *Erga vitam actúsque ancillarum Dei, sine Abbatissa, qua in supradicto*
fuerit Monasterio constituta, secundùm Dei timorem, solicitudinem statuimus adhi-
bere, vt si aliquam de illic habitantibus exigente culpá oportuerit vltioni submitti,
ipse (nempe Episcopus) *iuxta sacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat*
vindicare. Episcopus autem in Priuilegio quod expendimus, curam illam ac
solicitudinem Abbatibus committit, ita tamen vt suo iure non cedat absolutè,
nam sibi reseruat potestatem corrigendi Monachum, quem Abbas corrigere
vel nolit vel non possit, egregiámque adhibet cautionem ne videatur sacris Ca-
nonibus refragari, *nihil*, inquit, *de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid do-*
mesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.

Eiusmodi Priuilegia sanciri consueuerant in Synodis, ideóque multorum LI.
Episcoporum subscriptionibus muniebantur, Lirinense promulgatum est in
Synodo Arelatensi, Cabilonense in Valentina. Marculfus ad illam consuetu-
dinem respexit, cùm formulam suam sic absoluit. *Constitutionem nostram, vt*
firmis subsistat vigoribus, & nos & fratres nostri Domini Episcopi subscriptione &
manibus nostris decreuimus roborari.

Marculfus Monachus *Landerico Papa* duos formularum libros inscripsit, vt LII.
paret ex verbis ipsius procemij. *Domino sancto, meritis beatißimo, & Apostolico*
semper honore suscipiendo, omníque praconio laudis celebrando Domino ac reueren-
tißimo Papa Landerico, Marculfus vltimus ac vilißimus omnium Monachorum. Co-
natus est autem iniunctum à Landerico subire negotium, vt ipse de semet te-
statur, cùm *ferè septuaginta aut ampliùs annos viuendi* expleret. Cujacius sæpè
laudat Marculfi librum *de formulis publicorum priuatorúmque negotiorum.* Du-
bium non est quin omnes Marculfi lucubrationes vel ad publica vel ad priuata
spectent negoria. Sed alia quæri non debet operis diuisio quàm quæ vsurpatur
ab ipso Authore, qui *tam Praeceptiones Regales quàm cartas pagenses intimare* cu-
rat duobus libris. Præceptiones Regales vocat literarum & negotiorum formu-
las, quæ Regio nomine & in Palatio expediri solebant, eásque primo libro
complectitur. Chartas verò pagenses appellat eas, quæ in vnoquoque Comi-
tatu & pago in præsentia Comitis, aut Vicarij, aut Centenarij, aut etiam pri-
uatim conficiebantur, eásque absoluit libro secundo. Malè quis priorem li-
brum de negotiis publicis, posteriorem de priuatis esse contenderet. Non enim
omnia quæ secundo libro traduntur priuata sunt, nam quod ante Comitem
peragitur publicum est non priuatum.

Marculfi formulas primus in lucem edidit ac notis illustrauit Hieronymus LIII.
Bignonius vir ingenio atque eruditione præstantissimus. Eas contulimus cum
Codice manuscripto Regiæ Bibliothecæ, factâque collatione deprehendimus
Marculfi solœcos à Bignonio, cui displicebant, in multis locis correctos fuisse,
maluimus tamen genuinum Marculfum citare cum suis næuis, idque obiter te

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

monitum volumus, vt minùs obstupescas, si plerasque Marculfi formulas stylo, quàm ab aliis excusæ sint, multò vitiosiore ac barbariore publicatas in nostris Annalibus repereris. Bignonius Landericum Papam, cuius iussu Marculfus opus susceepit, Parisiensem Antistitem interpretatur, qui sub Clodoueo Rege, Dagoberti filio, claruit. Ab illa sententia recedendum haud putamus, quamuis aliter quidam sentiant. In Parisiensium Episcoporum catalogo locum tribuimus Landerico post Audobertum, qui regnante Clodoueo Concilio Cabilonensi subscripsit.

LANDERICVS EP. PARIS.

LIV. Longè seriùs vixit Landericus Meldensis Episcopus, quem nonnulli Marculfo coætaneum volunt. Hisce verò temporibus, cùm Sigibertus & Clodoueus fratres in Francia regnabant, Ecclesiam Meldensem rexit beatus Faro, hunc adiit Fiacrius Scotus, cuius vitam ex egregio Traiectensis Ecclesiæ Codice Surius [a] ita descripsit. *Beatus Fiacrius ex Hybernia nobilibus ortus parentibus, solitariam vitam appetens, Meldis ad sanctum Faronem Episcopum cum quibusdam sociis suis aduenit. Cuius desiderium cùm Pontifex cognouisset, & ei locum in nemore ad se ex proprio patrimonio pertinentem, nomine Brodolium, assignasset, eum ibidem perduxit. Beatus autem Fiacrius, cuulso nemore, Monasterium in honore beatæ Mariæ virginis construxit, & exiguam domum seorsum ædificauit, in qua manens hospites suscipiebat, & de die in diem virtuti studens, in Deo proficiebat, corpori proprio hostis nimiùm austerus, & quod sibi subtrahebat, peregrinis & pauperibus erogabat. Famâ igitur eius sanctitatis longè latéque compertâ, omnes robore priuati, elingues siue contracti aut obsessi, aut aliâ incommoditate detenti, qui ad eum veniebant vel deferebantur, solâ manus impositione sanitati pristinæ reddebantur. Cuius beata opinio vbique discurrens sanctum Cillenum, qui ex Romana peregrinationis itinere applicuerat, adduxit ad videndum eum. Quem sanctus Fiacrius sibi sanguine coniunctum cognoscens, spirituali cognatione & gaudio suscepit, atque diuino alloquio cum eo vacans, aliquandiu apud se detinuit in Domino. Post hæc Fiacrius non habens vnde inopiam aduenientium releuaret, accessit ad Episcopum, petens vt liceret ei tantùm nemoris euellere, vt ibidem posset hortum facere ad nutrienda olera pauperibus peregrinis. Cui Pontifex tantùm rogati nemoris, quantùm in gyro circa domum suam propriâ manu fodiendo in vna die fossato posset circumdare, & quicquid intra fossatum concluderet, liberum absque cauillatione, quasi hæreditarium possideret. Quo audito ad solitudinem reuersus, factâ oratione baculum quem tenebat per terram trahebat, & quod est dictu mirabile, ad nutum viri Dei, tactu baculi, terra dehiscens patebat, & nemus hinc & inde funditus corruebat. Interca mulier quædam aduenit, quæ viso terræ dehiscentis miraculo, stupefacta ad Episcopum festinauit, Eremitam magnificum, esse magum, maleficum & incantatorem asserens, & non Dei cultorem. Deinde cum celeritate ad eremum reuersa, sancto viro conuicia contumeliásque & blasphemias irrogauit, & cum authoritate Episcopi ab incœpto opere cessare præcepit, ipsum etiam Episcopum aduenire nunciauit. Hac de causa ab incœpto opere cessans, sanctus contristatus super petram resedit. Mirabilibus mirabiliora succedunt. Petra namque durissima, nutu Dei, vt sessioni sancti esset habilior, sub ipso concauum eidem præstitit locum. Quæ petra in hodiernum diem eodem in Monasterio seruatur, & locus sessionis eius demonstratur, cuius tactu debiles sæpiùs restituuntur sanitati. Prouocatus igitur Pontifex verbis mulieris aduenit, & videns vtraque miracula, intellexit Eremitam magni esse meriti apud Deum, & deinceps eum feruentiùs dilexit, & quandiu vixit, ei familiariùs adhæsit. Fossata verò tactu baculi viri Dei facta vsque in hodiernum diem ab incolis demonstrantur. Ab illo tempore quo mulier sanctum virum Dei accusauit apud Episcopum vsque in præsens mulieres in eius Monasterium non intrauerunt. Ad iram siquidem prouocatus à muliere, orauit quòd omnis mulier, quæ eius Monasterium ingrederetur, sui corporis infirmitatem incurreret.* Ibidem subiiciuntur duo miracula, quæ temeritatem totidem mulierum diuinitus castigatam ostendunt. Alij Scriptores de Regio Fiacrij genere, & de Legatis ad eum, vt paternum regnum occuparet, in Galliam directis, addunt multa quæ dubiæ videntur esse fidei;

DISTINGVITVR A MELDENS.

[a] d. 30 Aug.

FIACRIVS HIBERNVS FIT EREMITA IN DIOECESI MELDENSI.

ſcribunt inptimis Fiacrium de nunciorum aduentu ſupernè admonitum à Deo impetraſſe, vt leprâ infecto ſimillimus hominum aſpectui appareret, eâque de cauſa frigidiùs inuitatum fuiſſe ad reditum in patriam ſuſcipiendum. Huic narrationi locum fortè præſtiterunt crebræ leproſorum & vlceroſorum hominum curationes ad beati Fiacrij tumulum fieri ſolitæ. In vita ſuperiùs laudata teeiratur hoc miraculum. *Septem peregrini de ſancto Dionyſio venientes, cùm non longè eſſent à Monaſterio S. Fiacry, dixerunt quatuor ex illis. Eamus ad ſanctum Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt. Nos viſcoſi non ſumus, non habemus neceſſe ire ad eum, ipſe non habet peregrinos niſi viſcoſos. Quatuor tamen ad ſanctum incedentibus, tres prædicti eos irridentes ſæpiùs clamabant. Ite viſcoſi ad medicum viſcoſorum. Nec mora, cæci facti ſunt, & apertis oculis nihil videbant. Pœnitentes igitur clamabant poſt quatuor ſocios, qui ad ſanctum Dei properabant. At illi putantes eos, vt priùs, irridere, ipſis non intenderunt. Tandem viſitato ſancto Fiacrio reuerſi, prædictos tres ſocios ſuos inuenerunt cæcos, errare per agros. Cognoſcentes verò culpam, eos ad ſanctum Fiacrium duxerunt, & cum ipſis Sancti miſericordiam implorantes obtinuerunt eis viſum reſtitui.* Nomen ſancti Fiacrij legitur in Tabulis Eccleſiaſticis tertio Kalendas Septembris, quo die propter miraculorum celebritatem à Sauſſaio ſic commendatur. *Innumeris in tumulo claruit miraculis, quæ cùm frequentia ad eius ſepulchrum edantur, perpeti deuotorum clientum concurſu pollet memoria eius celebris. Nec ibi modò vbi Deo famulatus eſt & quieuit vir diuinus, fulgent meritorum eius inſignia, quæ etiam poſtquàm corpus eius Meldas ad ſanctum Pharonem delatum fuit, illic perennia perſtiterunt, ſed & in parthenona * Hederenſi Pariſienſis agri, vbi in Dei genitricis templi Cænobitico ſacrario, maxilla eius, in decoro lipſanodochio, quod imago eius profert in manibus, condecenti cultu aſſeruatur, iiſque rutilat glorioſis virtutum coruſcationibus, quæ celebrem ibidem illius & memoriam & feſtiuitatis diem reddiderunt, confluentibus vndique deuotis ſupplicibus, qui eum benignum ſibi ſuffragatorem interpellantes, itidem opitulatorem experiuntur. Vſu enim hactenus compertum eſt, ſi quis tantillum aquæ, in quam immergitur ſacrum pignus, morbo, quocumque laborat, eum fide infuderit, optatam continuò medelam conſequi, beati Confeſſoris virtute, quâ & aqua ipſa, quæ hac benedictione donatur, ad longos annos limpida manet, ſuauis ac incorrupta.*

** Hierre Abbaye de Religieuſes.*

LV. SYRA EIVS SOROR.

Erat beato Fiacrio ſoror nomine Syra. Hæc relictâ patriâ fratrem in eremo Meldenſi iam degentem adiit, ab eóque necnon à Farone Meldenſi Pontifice confirmata eſt in ſancto propoſito, deinde conceſſit in diſciplinam Faræ piiſſimæ Abbatiſſæ, quæ ſoror erat Faronis Epiſcopi, præerátque Brigenſi puellarum Monaſterio. Illic omni obſeruantiâ caſtimoniæ, abſtinentiæ, pietatis, obedientiæ, humilitatis, charitatis, adeò cœteris Monialibus præluxit, vt euocata fuerit Catalaunum, vbi Monaſterio extructo, cui etiam poſteà præfuit, inſignem ſui reliquit memoriam, multis in vita póſtque mortem clara miraculis. Hæc partim ex Ioanne Leſlæo & ex Hectore Boetio, qui res Scotiæ literis commendarunt, partim ex Gonono in vita ſancti Fiacrij & ex ſacro Gynecæo ſeu Martyrologio mulierum deſcripta ſunt. Colitur ſancta Syra decimo Kalendas Nouembres à Meldenſibus, & decimo Idus Iunias à Catalaunenſibus. Hæc differentia procedit ex eo quòd Catalaunenſes Syram virginem confundunt cum Syria matrona, cuius feſtiuitas ſexto Idus Iunias in pago Trecenſi celebratur, vt illo die Molanus in additionibus ad Vſuardum docet his verbis, *in territorio Trecaſſinenſi B. Syria matronæ.* Eundem errorem commiſerunt Menardus libro ſecundo obſeruationum ad diem octauam Iunij & Deſguerroiſius in vita ſanctæ Syriæ ſub Leuſo ſeu Lupo Epiſcopo. Vox *(matrona)* quâ Vſuardus vtitur, non parum torquet Deſguerroiſium, qui virgines nobiles à veteribus Grammaticis matronas olim dictas affirmat, nec vllum aſſertionis ſuæ teſtem producit. Quo tempore Syria vixerit, haud ſcitur. Huius mentio fit in ſolis Actis ſancti Sauiniani, ad cuius tumulum inſigni miraculo viſum recepit. Beatus Sauinianus in agro Trecenſi Marty-

DISTINGVITVR A SYRIA MATRONA TRECENSI.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

rium subiit sub Aureliano Imperatore, sed ab eius passione vsque ad ætatem Syriæ quantum temporis interuallum effluxerit, manet incompertum. Duplicem sancti Sauiniani vitam edidit Bollandus [a], priorem ac vetustiorem ex duobus Codicibus Treuirensi & Rotomagensi, alteram ex Promptuario Tricassino Nicolai Camuzati aliquantò prolixiorem & ex priore elegantiùs expolitam. In vtriusque fine narratio initur de Syria muliere cæca, quæ cùm multa de sancti Sauiniani Martyrio & miraculis audiisset, locum, in quo sepultus quiescebat, expetiit, visúmque recuperauit, quem ab annis quadraginta, vt Petrus de Natalibus & Bollandus scribunt, aut ab annis septuaginta, vt Treuirensis Codex habet, amiserat. Ad prioris vitæ calcem hæc leguntur. *Audiens hæc quædam mulier, nomine Syria, quæ quadraginta annos ab oculis cæca sedebat, ait parentibus suis. Ducite me ad amabile gaudium, vbi sacratissimus Sauinianus cælestem gloriam conquisiuit. Parentes autem illius dereliquerunt eam, & noluerunt cum ipsa pergere. Exiit paruulus de germine eorum, & introiit ad eam, & comprehendens eam manibus in viis eius ambulauerunt, & nescierunt vbi prædicarent passionem sanctam. Venientes autem vbi S. Sauinianus requiescebat, affixi sunt pedes eorum, & non potuerunt ampliùs iter pergere, quia in locum sanctum aduenerant. Illa humili corde flectere genua sua in terram cœpit & orare confidenter, dicens. Deus Christianorum, & S. Sauiniane, qui tibi impetrasti coronam pretiosam, lapidibus pretiosis ornatam, ostende virtutem tuam in me. Cùm hæc orasset, in ea hora aperti sunt oculi eius, & vidit lumen diei, & sepulchrum S. Sauiniani. Multus autem populus festinabat videre virtutem Dei. Tunc loquitur ad eos Syria. Diligamus sepulturam, & faciamus cellam magnam, vbi S. Sauinianus vitam non deposuit, sed mutauit.* Eadem ad posterioris vitæ calcem fusiùs exponuntur hoc modo. *Pluribus annis latuit corpus beati Martyris, ob nimiam Christianorum persecutionem, eius sepultura locus soli Deo erat cognitus. Igitur campus ille fit miraculis floridus, & redolens virtutibus, propter quod excitantur remoti odore, vicini attrahuntur dulcedine, conueniunt ægroti receptâ exultantes sospitate. Famâ ergo volitante, quædam mulier, Syria nomine, oculos habens carentes lumine, toto corde quærens beati Martyris thesaurum occultum, & ipsum flagitat vt recuperet visum. Quærens ergo quem corde desiderabat, Christum planctibus inuocat, ac sanctum Martyrem precibus exorat. Ad locum venit, & nondum oratio complebatur, & ecce iam mulier exauditur, oculi etenim reparantur ad visum, & depulsâ caligine reformantur ad visum. O quantas laudes & gratiarum actiones illa Deo & beato Martyri refert. Igitur miraculo diuulgato, accurritur à ciuibus, acceleratur ab omnibus, lætantur communiter omnes, ac Deo resonant vocibus laudes, quia ipse tam præclaro miraculo dignatus est reuelare Martyrem suum populo suo. Ergo ex communi sententia, hortante plurimùm B. Syriâ, decenter construitur sancta Ecclesia. Quâ diligenter ædificatâ, non immemor beneficij accepti, B. Syria deuouit se Deo seruire & beato Martyri, ibi se affligens multis ieiuniis, orationibus vacans & vigiliis, se viuam hostiam Domino immolauit. Ac sic iustè & sanctè viuendo per immensum vitæ Martyrium, ac per magnæ deuotionis famulatum meruit adipisci sancti Martyris in cælo consortium.* Plura de sancta Syria in antiquis monumentis non inueniuntur. Sanctus Sauinianus, vt Camuzatus in notis ad præcitatam eiusdem Martyris Historiam obseruat, capite truncatus est prope Sequanam in oppidulo quatuor leucis ab vrbe Tricassina remoto, quod olim dicebatur Rilliacum *, deinde à sancto Sauiniano nomen accepit, nunc autem sanctæ Syriæ vocabulo nuncupatur. Ibi sancta Syria * sepulta fuit in ædicula quam ipsa construxerat, vbi hodiéque custodiuntur eius reliquiæ æreâ capsâ affabrè factâ conclusæ, ad quas frequentissimus habetur peregrinorum concursus, præsertim eorum qui calculo laborant, & in illis curandis egregia quotidie miracula diuinitus eduntur. Fuit igitur sancta Syria mulier Tricassina, quæ nec Meldas vnquam nec Catalaunum adiit, distinguique debet à beata Syra sancti Fiacrij sorore, quæ Monasticam vitam in Cœnobio Brigensi Meldensis Diœceseos duxit, & Monasterium puellarum prope Catalaunum posteà construxit gubernauítque. In subur-

[a] Die 29. Ian.

* Rilly.

* Sainte Syre.

suburbano Catalaunensi, ad illum locum, vbi Parochus sancti Sulpitij suas ædes habet, haud pridem visebantur adhuc rudera veteris claustri, cui nomen erat sanctæ Sytæ *, vt ex quorumdam seniorum relatione scripsit Desguerroisius loco suprà citato.

AN. CH. 652.

SIGIB. III. R. 20.

CLOD. II. R. 15.

Ansericus Suessionensis Episcopus, cùm vixisset ad multam senectutem, obiit inter Clericorum manus, hoc anno [a], Nonis Septembris, quo die colitur in Breuiario Suessionensi. Bettolenus Monachus Causiacensis * successit simoniacè, quapropter post biennium abdicato Pontificatu rediit in Monasterium, vt dignâ pœnitentiâ tantum scelus expiaret. Lege vitam sancti Drausij [b]. Florebat autem Causiacum, illustre tunc Monasterium virorum prope Compendium, vt obseruauit Claudius Dormayus in Historia Suessionica [c].

* *Le Cloistre de Sainte Syre.*

LVI. OBITVS ANSERICI EPISCOPI SVESSION.

Obiit hoc anno Gegoberga Romarici Abbatis ex legitimo matrimonio filia, quæ Moniales Sancti Montis per annos triginta gubernauit. Successit in earumdem regimen Gebertrudis ipsius Romarici neptis & sancti Adelphi soror. Lege Hugonem Menardum [d] in vita sancti Romarici.

[a] Gall. Christ.

* *de Choisy.*

[b] Tom. 1. Hist. Franc. ap. Duchesn.

[c] Lib. 3. c. 43. in Ep. 21.

Obiit & hoc anno Latinus Turonensis Episcopus, cùm sedisset annos tredecim. Successit Carigisilus seu Coregisilus vel Carigisus.

In eadem prouincia Lugdunensi tertia Venetensem Episcopatum, qui per quadriennium vacauerat, hoc anno suscepit Budocus; Aletensem, qui menses aliquot vacauerat, iniit Noedius. Sedit Budocus annos quinque, Noedius menses nouem. Lege Armoricam Sanctam.

LVII. GEGOBERGÆ ABBATISSÆ S. MONTIS.

[d] L. 1. obs. d. 8. Dec.

Propter Auctorum penuriam, obuolutæ silentio manent res penè omnes, quas Reges Francorum Sigibertus eiúsque filius Dagobertus, necnon Clodoueus Sigiberti frater eiúsque filij, Clotarius, Childericus & Theodoricus, gesserunt ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo vbi Chronicon Fredegarij desinit, vsque ad annum Christi sexcentesimum octogesimum, quo Theodoricus vniuersæ Franciæ Monarchiam obtinere cœpit. Ex Actis [e] sancti Aquilini colligimus diuturnum Clodoueo Regi bellum fuisse *aduersùm barbaros, qui in extremis Regni Francorum finibus cœperant efferatis animis insolescere.* Paulò maior tricenario tunc fuisse videtur Aquilinus, Ebroicensem enim Episcopatum posteà suscepit, annísque rexit duobus ac quadraginta. Nobilibus parentibus natus est in ciuitate Baiocensi. Coniugem æquè nobilem duxit, ex qua liberos procreauit. Meruit in prædicto bello tres annos mensésque sex. Illo spatio temporis euoluto, cùm libera cuique domum redeundi potestas fuisset facta, reditum in patriam parauit. Amputatis moris occurrit apud Carnotum vxor, quæ per eius absentiam non cessarat à precibus, vouerátque, si Dominus saluum & incolumem maritum reduceret, se toto anno cum illo continenter victuram. Miratus est Aquilinus se præuentum ab vxore, continentiámque non annuam vt illa, sed perpetuam promisit. *Tu annuam*, inquit, *promisisti continentiam, ego opto & polliceor perpetuam, vt pariter non annuam, sed sempiternam possimus coronam adipisci.* Ex illa die sub vno tecto manserunt animis coniuncti, carnali consortio separati. Res suas pauperibus elargiti sunt, ieiuniis & vigiliis se macerarunt, hospitibus ministrarunt cum omni humilitate. *Verùm enimuerò qui eos diutiùs latere noluit, occasionem obtulit, quâ amator latibuli Aquilinus super candelabrum poneretur.* Factus est enim Episcopus Ebroicensis, vt anno sequenti dicemus. Hoc igitur anno, cùm Aquilinus è bello reuersus est, Ebroicensem Pontificatum gerebat Æternus, cuius decessor Ragnericus Cabilonensi Concilio anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto subscripserat.

LVIII. LATINI EPISCOPI TVRON.

LIX. BVDOCVS FIT EPISC. VENETENS. NOEDIVS EPISCOPVS ALETENS.

LX.

[e] Ap. Sur. d. 19. Oct.

AQVILINVS MERET IN EXERCITV CLODOVEI REGIS.

EPISCOPI EBROICENSES.

Gratus Cabilonensis Episcopus, cùm eidem Synodo Cabilonensi interfuisset, posteróque anno, Christi sexcentesimo quadragesimo-quinto cellulæ se inclusisset, post spontaneam septem annorum pœnitentiam ad Ecclesiam suam reuersus est hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, ibique *Sacerdotalis habitûs infulâ redimitus*, vt Auctor vitæ scribit, *Sacrosancti Corporis & Sanguinis Iesu Christi populum muniuit. Post dierum moras viginti, incommodo arreptus corporali Clerum sibi iterum præcepit accersiri. Cui congregato tem-*

LXI.

GRATVS EP. CABILONENSIS MORITVR.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

poralem suæ carnis & spiritûs dissolutionem adesse prædixit, & vt in Ecclesia beati Laurentij, in qua diu Domino seruierat, sepeliretur, inter cætera precibus obtinuit multis. Mox febre corporis diu macerati ingrauescente, vt Christianum decet, in cinere & cilicio recubando humilitatis Clero coràm posito ad cælos spiritum exhalauit octauo Idus Octobris, quo die nomen illius legitur in Martyrologio Gallicano. Supererat adhuc in viuis mater Celsa, quæ *filij patrisque sui spiritualis solatio temporali desolata, specus suum relinquens in beati Pontificis pœnitentiale ergastulum ingressa, quamdiu aduixit, ad promerendam gratiam Dei modis omnibus laborauit. Post denique gloriosum vitæ finem pro sanctitatis merito Dei familiaris ab omnibus cognita, sub altari eiusdem Ecclesiæ à religionis amatoribus venerabiliter est tumulata.*

LXII. SVCCEDIT LVPVS.

Lupus, quem plerique Neotericorum [a] priùs Abbatem sancti Petri constituunt, in Episcopatum Cabilonensem beato Grato successit. Patriâ Burgundus fuit ac nobilitatis titulo non mediocriter clarus, Baugiacum seu Boyacum, villam ex parentum hæreditate sibi dimissam Ecclesiæ beati Vincentij Martyris contulit, ibique fontem precibus suis elicuit. Incendium, quo ciuitas conflagrabat, signo Crucis extinxit. Habebat ad læuam matris Ecclesiæ, è regione altaris sancti Vincentij paruam orationis domunculam in honorem *sancti Papæ Siluestri*, vt Auctor vitæ scribit [b], id est, sancti Siluestri Cabilonensis olim Episcopi, consecratam, in qua brachium illius reconditum seruabatur. Ibi nocturnalibus horis familiare agebat secretum, vbi ob venerationem sanctorum pignorum lumen accensum indeficienter ardebat.

[a] Chenut. Robert. Saussaius Sammarth.

[b] Ap. Bolland. d. 27. Ian. Cusser. Tom. 2. Hist. Cabilon.

LXIII.

Laudatur etiam sanctus Lupus in vita beati Geruasij Diaconi & Martyris, qui pridie Nonas Iulij [c] quot annis coli solet. Natus est Geruasius Christianis parentibus in agro Cenomannico, baptizatus fuit à sancto Pauacio, tertio Cenomannensium Præsule, ab eodémque Pontifice, qui Diœcesim per annos tres ac quadraginta rexit, promotus est ad Diaconatum, postcà Romam perrexit, atque in reditu, cùm per syluam territorij Cabilonensis iter haberet, à latronibus interemptus est. *Vnus autem ex persequutoribus videns sancti viri patientiam, & miram animi continentiam, atque perfectam caritatem in fine seruatam, & etiam vsque ad ipsos inimicos indeficienter extensam, relicto conuentu malignantium, toto Christum corde secutus omni diligentiâ Sancti corpus custodiuit, conuocatis è vicino fidelibus Christianis passionem per ordinem enarrauit, vtpote qui viderat & audierat. Quod illi audientes & præ gaudio flentes sanctissimum corpus statim Christiano more decenter composuerunt, accensis cereis & præparatis aliis ministeriis cum magno Clericorum numero & vtriusque sexûs conuentu sepulturæ tradiderunt, paruulam ex lignis desuper cellulam construentes, in qua suæ deuotionis famulatum ante tanti præsentiam Martyris cotidie exhibere potuissent. Excrescente posteà circumquaque miraculorum eius famâ, beatissimus Lupus venerabilis Cabilonensis Ecclesiæ Præsul à beato Geruasio per visionem est admonitus, cúmque venerabilis Sacerdos eum quis esset inquireret, cuius faciem splendor tantus irradiaret. Ego sum, inquit, Leuita Christi Geruasius ab Orthodoxis parentibus procreatus, & has in partes adueniens peregrinus pro Christi nomine Martyrium suscepi, & nunc ad te venio, si vis particeps esse meæ societatis, constitue mihi locum orationis, vbi Deus dignè conlaudetur à te & à ceteris fidelibus suis. Quo audito venerandus Domini Sacerdos honorabiliorem in supradicto loco construens Ecclesiam, illam in honore sancti Martyris Geruasij consecrauit, multísque ampliatam prædiis Monasterio beati Petri Apostolorum Principis ab antecessore beato Flauio iamdicta ciuitatis Pontifice constructo, accepto à Sigiberto gloriosissimo Francorum Rege Regali Præcepto, perpetualiter possidendam tradidit. In eiusdem verò Ecclesiæ dedicatione, multa Deus ad declarandam gratiam sui Martyris, & meritum eiusdem qui dedicabat Pontificis, ostendit miracula, reddendo scilicet cæcis visum, & variis languoribus detentis perfectam corporum sanitatem.* Hæc Author vitæ [d], qui testatur se scripsisse, cùm Cathedralis Ecclesia Cenomannorum de nomine beati Geruasij vocabatur, & in Francia mos vigebat vt infantes statim ac baptismum susce-

CONSTRVIT ECCLESIAM IN HONOREM S. GERVASII LEVITÆ ET MARTYRIS.

[c] Supplem. Martyr. Gall.

[d] Ap. Petr. Cusset. Tom. 2. Hist. Cabilon.

AN. CH. 652.
SIGIB. III. R. 20.
CLOD. II. R. 15.

petant Eucharistiæ pabulo reficerentur, nam de sancto Pauacio, qui Geruasium baptizauit, ita loquitur. *Ipse per semetipsum fontem sanctificauit, atque p:is manibus infantulum baptizauit, & sancto chrismate consignauit, eique ob amorem sancti Geruasij Martyris, in huius honore Sedes illius ciuitatis est consecrata, Geruasij nomen imposuit. Illud verò non est prætermittendum, quod illi, qui Gesta istius Martyris audierunt, nobis qui hæc scripsimus retulerunt. Dicebant enim, quod in hora quâ sæpedictus Pontifex peracto baptismate in os illius infantis, sicut moris est, sanctum Christi corpus misit, in labiis illius guttam sanguinis vidit, quod sagaci mente intuens ait. Pro certo sciatis omnes, quòd iste paruulus sicut est beato Geruasio Martyri coniunctus nomine, ita erit fortis Christi assertor coniunctus & sanguinis effusione.* Primaria Cenomannorum Basilica primùm in honorem beatissimæ Virginis & Principum Apostolorum dicata fuit à sancto Iuliano primo illius ciuitatis Episcopo, priusquàm in ea regione nomen Francorum audiretur; posteà regnante Childeberto Clodouci filio dici cœpit Ecclesia sanctorum Geruasij & Protasij, postquàm eorum reliquias Mediolano transmissas Innocentius Antistes in illa collocauit vt suo loco diximus; denique sub Ludouico Pio, cùm sancti Iuliani corpus à beato Aldrico Episcopo in illam translatum est, accepit & nomen sancti Iuliani quod etiamnum retinet. Anonymus igitur præcitatus inter Authores octaui seculi iure numerandus videtur, & cùm obseruat prædictam Ecclesiam suâ ætate dictam fuisse Basilicam sancti Geruasij Martyris, cuius nomen infanti Pauacius Episcopus imposuit, innuere non vult sancti Pauacij temporibus illi Basilicæ nomen à sancto Geruasio fuisse, sed tantùm ostendit sedente in Cenomannensi Cathedra sancto Pauacio iam percelebre illic nomen fuisse Geruasij Martyris in cuius honorem Innocentius Episcopus posteà dicauit Ecclesiam, quæ tunc beatissimæ Virginis ac Principum Apostolorum Basilica dicebatur. Atque obiter hîc nota eundem Authorem non iis fauere, qui beatum Iulianum in Galliam venisse volunt imperante Domitiano, & sancti Pauacij mortem vndecimo Kalendas Augustas anno Christi centesimo nonagesimo referunt, nam si valet hic computus, Pauacius Episcopus infanti, quem lapsu temporis idoneum Leuitici Ordinis ministrum ordinauit, nomen imposuit Geruasij Martyris, antequàm Martyrium consummasset ipsemet Geruasius, qui cum Protasio, vt eorum Acta testantur, passus est Mediolani, cùm Astasius Comes, *Augustorum* nempe Marci Aurelij & Lucij Veri *iussu proficiscebatur ad bellum, quod à Marcomannis fuerat excitatum.* Præterea prælaudatus Author, quando Flauium Lupi Cabilonensis Præsulis antecessorem vocat, non sic explicari debet, vt Flauio Lupus immediatè subrogatus credatur, nam Flauio cuius mentio apud Gregorium Turonensem [a] sub Guntchramno Rege occurrit, successit Wadelinus in Altissiodorensium Antistitum [b] Historia notus, Wadelino Gelionius seu Gebderinus aut Gilderinus Dagoberto Regi synchronus apud Seuertium & in Gallia Christiana, Gelionio Gratus qui Concilio Cabilonensi sub Clodoueo Rege subscripsit, Grato Lupus de quo nunc agimus. Vnum est quod probare non possumus in supracitata Geruasij Leuitæ ac Martyris vita. Ibi Lupus Cabilonensis Episcopus Regale Præceptum à gloriosissimo Francorum Rege Sigiberto dicitur accepisse; loco Sigiberti, cui sola duntaxat Austrasia paruit, reponendum putamus Regem cui Cabilo ceteræque Burgundici Regni ciuitates obtemperabant, id est, aut Clodoueum eiusdem Sigiberti fratrem, aut Clotarium ipsius Clodouei filium, qui Francis post patris obitum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto dominari cœpit. Hac tamen emendatione non inficiamur Lupum Episcopum Sigiberto Regi synchronum fuisse, imò ex eo quòd Lupi promotionem ad Episcopatum hoc anno collocamus, à te volumus obseruari Pontificales Infulas ei delatas esse cùm Sigibertus in viuis adhuc superesset, ne putes eundem Lupum sedisse anno Christi sexcentesimo-primo, Flauióque, vt quidam hodie censent proximè successisse.

[a] Lib. 10. c. 18.
[b] Cap. 20.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

LXIV. Ioannes Iacobus Chiffletius in Historia Vesontionensi [a] vult Donatum Episcopum Vesontionensem, de quo sæpè iam locuti sumus, sedisse *annos plùs minùs viginti octo, nempe ab anno 633. ad annum circiter 661.* Annos Donati cum annis à Christo nato sic componit, quia Concilium Remense, cui teste Flodoardo [b] Donatus interfuit, existimat habitum fuisse anno Christi sexcentesimo tricesimo-tertio vel sequenti. Sed ex iis, quæ suo loco diximus, liquet illam Synodum anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto celebratam esse. Quapropter obitum Donati, si credis eum Antistitem extitisse annis duodetriginta, meliùs consignabis hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo. Certè à Concilio Cabilonensi, cui Donatus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto subscripsit, ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum quo Claudius Episcopatum suscepit, in catalogis Pontificum Vesontionensium non occurrit vllus Character Chronologicus, cui fides habenda sit.

[a] Part. 2. c. 25.
[b] Lib. 2. cap. 5.

CHRONOLOGIA EPISCOPORVM BISVNTINORVM.

LXV. *Cùm* Donatus *diem obiisset septimo Idus Augusti (quæ dies illi festa est in Diœcesi Bisontina) depositus est in sancti Pauli Basilica quam ipse construxerat, in qua etiam sepultus est ipsius pater Dux Wandalenus. Extat à dextra parte cœmeterij sancti Pauli, ædicula sub sancti Donati nomine, quæ Parochia est incolarum vici Paulini; illi suus olim præerat Parochus seu Curatus, nunc verò illud beneficium vnitum est Officio Cantoris sancti Pauli. Non desunt autem qui existiment iacere sanctum Donatum in eo sacello, quod ab illo nomen habet; verùm sepultum in sancti Pauli, constat sexcentis antiquorum testimoniis, & de Translatione nulla extat mentio.* Hæc idem Chiffletius.

OBITVS S. DONATI EPISC.

LXVI. Sancto Donaro in Episcopatum successit Migetius. Hic sub disciplina decessoris ad omnem virtutem efformatus est. Incruentum Missæ sacrificium æterno Deo quotidie offerebat. Largus erat in egenos; in diurnis nocturnisque precibus assiduus. Quotidie sibi proponebat alicuius Sancti quod imitaretur præclarum facinus, eámque diem putabat se perdidisse, quâ profectum in virtute non fecerat. Officia Ecclesiastica permulta instituit, iustis in eam rem collatis reditibus. Ecclesiam nouo censu & vasis auxit. *Ordinauit in Ecclesia Bisontina quinque Archidiaconos cum maiori Archidiacono, qui vices Archiepiscopi supplerent, assignauítque eis reditus, quos pro Sede acquisiuerat. Collationes nihilominùs prædictarum dignitatum, Cameræ Archiepiscopi; collationem verò maioris Archidiaconi, Decano & Capitulo liberè resignauit. Possessiones autem & reditus primi Archidiaconi assignauit in Luxonio; secundi assignauit in Fauerneyo; tertij in Treua; quarti in Grayaco; quinti verò in Salinis & in villarum confinibus prædictarum. Præterea Ecclesiam Parochialem, in honorem S. Ioannis Baptistæ, prope muros ciuitatis reædificauit; atque circùm hanc cœmeterium benedixit: in qua etiam instituit Baptisterium fieri per succedentium annorum curricula (exceptis tantùm Sabbatis Sanctis Pascha & Pentecostes & per octauas eorum) nam anteà ciues & suburbani, qui fuerant baptisandi, in Baptisterio maioris Ecclesiæ,* id est, S. Ioannis Euangelistæ, vbi extat hodiéque illud Bapristerium, *baptisabantur. In aliis verò Ecclesiis Parochialibus instituit Fontes fieri; videlicet in Ecclesiis S. Mariæ Iussani Monasterij, Sancti Mauritij, Sancti Petri, & Sancti Laurentij. Claustrum quoque columnis & testudinibus ædificauit, ab ostio Ecclesiæ, quod ducit ad Palatium, per partem illam, quæ Conuentus dicitur, & per partem Dormitorij vsque ad Refectorium. Priuilegium etiam à Sancto Machario Patriarcha Ierosolymitano dudum huic vrbi concessum, & per beatam Helenam delegatum, sed suo tempore iam deletum, per Romanum Pontificem renouari fecit.* Chiffletius [c] ait hæc esse veteris Auctoris verba, quem non alium esse credit à Ternatio Bisontino Episcopo, qui Migetium proximè sequutus est. At textum illum non esse Scriptoris adeò antiqui duæ res manifestissimè produnt. In Galliis enim illâ ætate nec Metropolitæ vocabantur Archiepiscopi, nec Baptismus conferebatur extra stata tempora Paschæ ac Pentecostes, nisi periculum mortis immineret. Lege quæ Tomo superiote dicta sunt ad Canonem tertium Concilij Matisconensis secundi,

ACTA MIGETII SVCCESSORIS EXAMINANTVR.

[c] Hist. Vesontion. part. 2. cap. 26

quod anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto celebratum est. Lege & AN. CH.
Concilium Parisiense, quod *anno Incarnationis Dominica octingentesimo vicesi-* 652.
mo-nono, imperantibus præcellentissimis ac gloriosissimis Deóque dilectis Augustis, Lu- SIGIB.
donico videlicet filióque eius Lothario sub die VIII. *Iduum Iuniarum* habitum est, III. R. 20.
nam capite septimo Patres auctoritate Sanctorum Pontificum Romanorum in- CLOD.
nixi vetant, ne quisquam *passim quocumque tempore* baptizet, *præter Paschale* II. R. 15.
festum & Pentecostes venerabile Sacramentum, excepto duntaxat grauissimi languo-
ris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari
fortassis ægrotans, excidio præuentus, abscedat. Fatetur Chiffletius nihil sibi com-
pertum de Priuilegio, quod in Actis beati Migetij Macarius Patriarcha Iero-
solymitanus vrbi Bisuntinæ concedit. Nos beatum Macarium, qui tempori-
bus Constantini Magni matrísque Helenæ floruit, Episcopum Hierosolymi-
tanum sub Metropolita Cæsariensi nouimus, Patriarcham minimè; nec capi-
mus quid Priuilegij Patriarcha Hierosolymitanus vrbi Bisuntinæ potuerit in-
dulgere. Gesta igitur sancti Migetij, quæ publicata sunt à Chiffletio, scatent
fabulis haud paucis; operísque adeò contemnendi, quod à Neoterico rerum
antiquarum ignaro concinnatum videtur, auctor censeri non debet Ternatius
Episcopus.

Hoc anno Martinus Romanus Pontifex, cùm Romæ degeret, Agrippanum LXVII.
Episcopum ordinauit. Hic autem in Gallias venit, vbi Diœcesim Aniciensem AGRIPPA-
post sanctum Benignum rexit. De sancto Benigno, cuius mentionem ante NVS ANI-
biennium fecimus, id potissimùm refertur, quòd initio sui Præsulatùs, vt ege- CIENSIS
nis opem præstaret, Xenodochium ædificauit. Plura de Agrippano * legun- EP.
tur in Officio Ecclesiæ Podiensis. *Agrippanus ex Aniciensibus Episcopis Martyr* * Aggréue.
vnicus, in Hispania natus, puer scholas frequentauit, eâ ingenij felicitate, vt con-
discipulos facilè superaret. Ad cibum à Magistro quæsitus, in templo sæpiùs genibus
flexis precabundus reperiebatur. Eum matrimonio dum parentes, quibus sola proles
erat, implicare tentant, Romam clanculò petit. Romæ vir eruditus latere non potuit,
quin viduatâ Pastore Aniciensi Ecclesiâ ab ipso summo Pontifice Martino primo ad
eam Pastor mitteretur, ab eodem Pontifice Velaunorum Pontifex consecratus. De pa-
tria deque itinere Agrippani non disputamus. Agrippanum in Hispania na-
tum, ex Hispania Romam profectum, ibíque Episcopum à Martino Papa con-
secratum arbitramur, sed ordinatum fuisse Episcopum Aniciensis Ecclesiæ
negamus. Anicij enim, vt in reliquis Ciuitatibus Aquitaniæ Primæ, cùm
Sedes Episcopalis vacabat, eligebatur ordinabatúrque Episcopus more apud
Francos tunc recepto, quem exposuimus ad annum Christi sexcentesimum
vndetricesimum, cùm de ordinatione sancti Desiderij Cadurcensis Episcopi
sermonem faceremus. Cadurcum & Anicium Ciuitates erant Aquitaniæ Pri-
mæ, illarum Ciuitatum Episcopi Metropolitæ Bituricensi subiacebant. Vt
autem Cadurcinæ, de qua superiùs ante annos duntaxat tres ac viginti, sic &
Aniciensis Ecclesiæ fiebat Episcopus inconsulto Romano Pontifice. Qua-
propter existimamus textum, quem suprà recitauimus, fœtum esse recentio-
ris Auctoris, qui scripsit Aniciensi Ecclesiâ Sedi Romanæ iam immediatè
subiectâ, sibíque persuasit exemptionem à Metropolita Bituricensi, quâ tunc
Aniciensis Episcopus gaudebat, in vsu fuisse septimo seculo, illâque ætate
Anicienses Episcopos à Romanis Pontificibus eligi atque consecrari solitos
esse. Agrippanus à Martino Papa Episcopus ordinatus videtur, non vt Ani-
ciensi Diœcesi præficeretur, sed vt per vniuersum Orbem, vbi opus esset,
Euangelium prædicaret. Româ digressus, iter fortassis in patriam, id est,
in Hispaniam, suscepit, cúmque in Gallias peruenisset, apud Anicium substi-
tit audito quòd in ea regione multi reperirentur cùm idololatræ tum hære-
tici. Benignum tunc Episcopum in administranda Diœcesi plurimùm iuuit,
eíque posteà in Episcopatum successit.

In supplemento Martyrologij Gallicani, pridie Idus Nouembris, de Beni- LXVIII.
gno aliísque sanctis Episcopis Vellauensibus atque Aniciensibus hæc legun-

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

tur. *Anitij in veteri Podio Vellauni, commemoratio sanctorum Episcoporum, Euodij, Scrutarij, Hermentarij, Aurelij, Benigni, Suacrij, & aliorum, quorum nomina in libro vitæ scripta sunt, & memoria in perpetua manet hominum, (quorum salutem impigri diuina gratia ministri sedulo procurarunt) laude & benedictione.* In eodem Martyrologio, Kalendis Februariis, habetur encomium sancti Agrippani, cuius initium hoc loco recitasse sufficier. *Apud Anitium, seu Podium Vellaunaurum in Aquitania, sancti Agripani Episcopi & Martyris, qui à sancto Martino Papa & Martyre Romà illuc transmissus, ibidémque Episcopus constitutus, ardenti zelo Christi gloriam propugnauit.* Quot annos in Aniciensi Cathedra sanctus Benignus sederit, & quonam anno sanctus Agrippanus Episcopatum inierit, haud scimus.

LXIX. IMPVGNAT IDOLOLATRAE ET HÆRETICOS.

Illis autem temporibus quis esset status Diœceseos Aniciensis ex Podiensi Breuiario iam allegato sic accipe. *Id temporis gentilitio ritu adhuc Velaunia sordebat, Arrianáque hæresis & Heluidiana eandem contaminabant. Aduersùs hæc tria monstra præliaturus Agrippanus abstinentiæ præsidio se communit, carne & vino sibi interdicit, verbi Dei concione crebrâ Catholicos armat, hæresim lacessit, paganismum impugnat.* Ex quibusdam Galliarum locis needum exulabat idololatria. In Aquitania, quæ sub Regibus Wisigothorum Arianis diu gemuerat, superetant adhuc Ariani, de quorum hæresi multa diximus Tomo primo [a] in caussa Lanthildis sororis Clodouei Magni, *quæ*, teste Gregorio Turonensi [b], *in hæresim Arrianorum dilapsa fuerat*, & eodem die, quo Clodoueus frater Baptismum suscepit, *confessa æqualem Filium Patri, & Spiritum Sanctum, chrismata est.* Nec ibidem deerant Heluidiani, quia nemo ferè cum Ario in Dei filium blasphemus est, qui non vnà sit in Matrem impius cum Heluidio Auxentij Mediolanensis Episcopi Ariani discipulo. Hic scripsit Deiparam Mariam, postquàm Iesum citra hominis operam peperit, ex Ioseph marito filios aliquot, qui fratres Domini sint appellati, communi cæterorum hominum more genuisse; deinde virginitati nuptias æquauit asserens *eiusdem esse gloriæ virgines & maritatas.* Aduersus hunc Hæresiarcham sanctus Hieronymus librum edidit *de perpetua virginitate beatæ Mariæ*, quem consule. Sectatores vt ab auctore Heluidio dicti sunt Heluidiani, sic & Antidicomariani quòd Mariæ Virginis essent aduersarij. Gisseius in Aniciensi Diœcesi non tantùm Arianos atque Heluidianos collocat, sed etiam Sabellianos hæreticos, qui differentiam personarum in Trinitate tollebant vt alio loco iam obseruauimus [c].

[a] Ad an. 496. nn 81. & seqq.
[b] Lib. 2. c. 31.
[c] Ad an. 580. n. 16.

LXX. INCVRRIT VITÆ PERICVLVM.

Aduersùs tot hostes egregiè per plures annos dimicauit, & plerumque de vita periclitatus est Agrippanus Aniciensis Episcopus. Aliquando, vt in præcitato Breuiario narratur, *aduersarij sancto Præsuli moliuntur insidias, tonsorem pretio comparant, qui dum de more crinem barbámque raderet, iugulum petat, & enecet. Adest tonsor sicarius. Non poteris, inquit Agrippanus, hodie præstare quod agitas, mihi vlteriùs progrediendum est. Nihil tamen desinas velim barbam pilósque decurtare. His perculsus tonsor scelere sibi temperat, ac detonsam Agrippani barbam religiosè sibi asseruat, quæ postmodum Ecclesiæ Gratianopolitanæ tradita prodigiis claruit, in expellendis præsertim morbis circa faciem enascentibus.*

LXXI. MARTYRIO CORONATVR CVM VRSICINO IN DIOECESI VIVARIENSI.

Quot annos Agrippanus in Pontificatu transegerit, haud scimus. Illius Martyrium in eodem Breuiario sic recitatur. *Romam profectus ad Pontificem Agrippanus, cùm inde suum ad ouile se reciperet, in idolorum cultores incidit vigesimo ferè ab Aniciana ciuitate milliario, contra eorum ritus sacrilegos inuehitur. Vnde in vincula detruditur, tertióque pòst die, hortante loci dominâ gentili, capite truncatur cum Vrsicino famulo. Agrippani autem capite in subiectam vallem delapso, fons exiliit ex vestigio, in quo substitit, qui posteà sanandis ægritudinibus plurimúmque Baptismo inseruiit. Ad eius sacros artus sepulturæ commendatos frequenter egere excubias Catholici, vbi cælestibus solatiis sunt irrigati. Martyrio sublatus fertur Kal. Februarij.* Prædicti fontis haustu ægri leuamen morborum in hos vsque dies percipiunt, vt Saussaius in Martyrologio Gallicano & Gisseius in Historia Podiensi testantur.

Sancto Agrippano in Episcopatum Aniciensem successit Dulcidius. Hic AN. CH.
corpus decessoris è loco Martyrij, qui situs est in Episcopatu Viuariensi, post 652.
aliquot annos Anicium transtulit. Qua de re sic Breuiarium Podiense. *Vbi* SIGIB.
Martyrio sublatus est beatus Agrippanus, eiúsque corpus sepulturæ datum, morbis fre- III. R. 20.
quentibus medicinam fecit, tot enim malè habentes suo præsidio recreauit, vt ad CLOD.
monumentum eius crebræ excubiæ fierent ac peregrinationes multæ, vnde oppidum, II. R. 15.
in quo membra quiescebant, antiquo nomine repudiato, quod Chinacum erat, (Saus- LXXII.
saius Chiuiacum, Gisseius Chiniacum vocat) *à sancto Agrippano sibi nomen fe-* TRANS-
cit, &c. *Stabat iam sacellum super Agrippani tumulum, cùm Dulcidius proximè post* FERTVR
sanctum Agrippanum Aniciensis Antistes, tanti pignoris auidus, à Viuariensi Episco- ANICIVM
po poposcit (in Viuariensi enim ditione Chinacum est, vbi condita beati Agrippani A DVLCI-
membra erant) fas sibi esset, è sepulchro sublatum beati Martyris corpus Anicium DIO SVC-
transferre, cùm Aniciana Sedis Præsul quondam extiterit. Annuit Viuariensis Pon- CESSORE.
tifex, effertur Chinaeo Anicium Agrippani sacrum corpus, Aniciique in subterranea
Stephano protomartyri nuncupata aedicula reconditur, vbi prisca repetiit miracula.
Narrantur aliæ sancti Martyris Agrippani Translationes in eodem Breuiario,
de quibus infra.

Annus, quo reliquiæ sancti Agrippani Chinaco Anicium translatæ sunt, LXXIII.
apud Robertum & Sammarthanos notatur post Christum natum sexcentesi-
mus quinquagesimus-tertius. At ex prædictis liquet id setiùs contigisse. Post
sanctum Aurelium, cuius mentionem ad annum decimum-sextum Childeber-
ti Regis, id est, ad annum Christi quingentesimum nonagesimum-primum
ex Gregorio [a] Turonensi fecimus, apud prædictos Auctores in Aniciensium [a] Lib. 10. c. 25.
seu Podiensium Episcoporum catalogis epocha certa non reperitur ante æta-
tem Harduuini, qui Præsulatum anno Christi sexagesimo supra octingente-
simum gerebat. Apud Chenutium, sancti Benigni, qui sancto Aurelio pro-
ximè successit, annus primus, auctoritate Tabularum Aniciensium, cum an-
no post Christum natum quingentesimo nonagesimo-sexto comparatur. Ve-
rùm Auctor illarum Tabularum ex eorum fortè sententia, qui mortem Clo-
douei Magni teiiciunt in annum Christi quingentesimum decimum-quar-
tum, & Clotarium eius filium annos vnum & quinquaginta regnasse volunt,
censuit ea, quæ teste Gregorio Turonensi sanctus Aurelius anno decimo-sex-
to Childeberti Regis confecit, illiganda esse anno Christi quingentesimo no-
nagesimo-quinto, cúmque nihil ampliùs de illo Episcopo scribendum repe-
risset, annum insequentem Benigno successori audacter attribuit. De Pon-
tificatu sancti Benigni non alius, quo nitamur, occurrit Character Chrono-
logicus, quàm quòd idem sanctus Benignus in viuis superstes fuerit anno
Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, cùm Martinus Primus Ecclesiæ
Catholicæ præesse cœpit. Quot autem annos in Aniciensi Cathedra post
annum Christi sexcentesimum vndequinquagesimum sederit, haud depre-
hendimus. Eo ad cælestem aulam translato, Episcopatum suscepit sanctus
Agrippanus, tum Dulcidius, qui peruenire potuit ad initium octaui seculi,
Translatione decessoris Chinaco Anicium priùs factâ.

Quæres quis ille Viuariensis Episcopus fuerit, à quo Dulcidius Anicien- LXXIV.
sis Episcopus postulauit, *fas sibi esset, è sepulchro sublatum beati Martyris* Agrip- ANNVENTE
pani *corpus Anicium transferre.* Nobis non alius videtur ab Aulo, cuius iam AVLO EP.
meminimus aliâ occasione. Post Melanium, qui Cautinum Archidiaconum VIVA-
ad Concilium Aurelianense Quintum anno Christi quingentesimo vndequin- RIENSI.
quagesimo direxit, ad initium vsque noni seculi quatuordecim enumeran-
tur Episcopi, Ardulfus, Venantius Secundus, Longinus, sanctus Lucianus,
sanctus Venantius Tertius, sanctus Rusticus, sanctus Melanius Tertius, sanc-
tus Firminus, sanctus Eucherius, sanctus Aulus, Eumachius, sanctus Longi-
nus Secundus, Eribaldus, sanctus Arcontius; inter quos decimum locum te- EPISCOPI
net beatus Aulus, ideóque credimus exeunte septimo seculo Translationem VIVARIEN-
sancti Agrippani in illius Pontificatum incidisse. Tres primi, nempe Ardul- SES.

AN. CH. 652. SIGIB. III. R. 20. CLOD. II. R. 15.

fus, Venantius Secundus & Longinus, commendantur in Ecclesiæ Viuariensis dotatione, quam Ioannes *Columbi* libro primo de rebus gestis Episcoporum Viuariensium inseruit. *Ego Ardulfus Episcopus Sedis Vinariensis dotaui Deo & Sancto Vincentio*, &c. *Ego Venantius Sedis Viuariensis Episcopus dotaui Ecclesiam*, &c. *Ego Longinus Episcopus ædificaui Ecclesiam*, &c. De septem proximè sequentibus, id est, de Sanctis, Luciano, Venantio Tertio, Rustico, Melanio Tertio, Firmino Secundo, Eucherio & Aulo, hæc in Martyrologio Viuariensi leguntur decimo Kalendas Martij. *Hac die in nostra præsente Ecclesia Viuariensi sit festum de Translatione Sancti Auli Episcopi, qui Sancto Luciano successit, vt habetur in nostris antiquis monumentis, qua cartam antiquam vocant. Libri moderni habent eum successisse beato Eucherio, cùm tamen inter illos*, id est, inter Sanctos Lucianum & Eucherium, *vt antiqua carta docet, sint Sancti, Venantius, Rusticus, Melanus, Firminus*, id est, Venantius Tertius, Rusticus, Melanius Tertius & Firminus. *Post sequitur Eucherius, cui successit beatus Aulus.* Hæc inpræsentiarum sufficiant de Præsulibus Aniciensibus & Viuariensibus ad initium vsque octaui seculi, tunc enim rursum de Dulcidio Episcopo Aniciensi déque Aulo Episcopo Viuariensi verba faciemus, ostendemúsque quinam eis per octauum seculum successerint.

653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

ANNVS CHRISTI 653. SIGIBERTI III. R. 21. CLODOVEI II. R. 16.

I. DIPLOMATA MARTINI PAPÆ

AD annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium referenda sunt duo Diplomata, quæ Martinus Papa pro totidem Monasteriis, Blandiniensi videlicet & Elnonensi, concessisse fertur mense Ianuario, cùm Amandus Traiectensis Episcopus Romæ versabatur. Extant apud Bollandum [a] in commentario præuio vitæ sancti Amandi.

[b] Die 6. Febr.

II. PRO COENOBIO BLANDINIENSI

Primum tale est. *Martinus Episcopus, vltimus seruorum Dei, omnibus diligentibus Deum salutem. De quotidiano Sanctæ Matris Catholica atque Apostolica Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus. Vnde notum fore volumus Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quàm & futuris, qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius Amandus cum consensu & petitione carissimi filij nostri diuæ memoriæ Dagoberti Francorum Regis, siue filij eius Sigeberti, Priuilegium aucctoritatis nostræ expetierit de quodam Cœnobio, quod ipse deliminatis gentilium spurcitiis fundo tenus extruxisse dignoscitur, cui nomen Blandinium indidit, quodque etiam ab ipso consecratum est in honore beatissimi Apostolorum Principis Petri, Doctorisque gentium Pauli; situm inter decursum duorum fluminum Scaldis & Legia. Priuilegium quidem sanctæ aucctoritatis nostræ, nostris futurisque temporibus, memorato loco indulgemus, ordinamus atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis & facultatibus, de Ecclesiis & Ecclesiarum decimis siue familia, & de quibuscumque stipendiis specialiter inibi Deo seruientium, & Ecclesia ornamentorum atque luminariorum ac matriculariorum, hospitum atque pauperum, iuxta petitionem carorum nostrorum præcellentissimorum Regum Dagoberti atque filij eius Sigeberti; nostrâ Apostolicâ aucctoritate stabilimus, corroboramus, atque inconuulsa statuimus. Decreuimus itaque, vt liceat Regulari Abbati Florberto ad præsens inibi subrogato vel constituto à filio nostro Amando, tam ipsi quàm in reliquum futuris Abbatibus, in vniuersis vtilitatibus loci, diuino solatio, ita omnia disponere & ordinare, absque vllius contradictione*

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

ctione vel refragatione, vt liberè inuigilent mandatis Domini, secundùm Regulam S. Benedicti. Si quis verò (quod non optamus) temerario ausu contra huius nostri Priuilegy Apostolici publica scripta agere præsumpseris, reum se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, ac à sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque perinde in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco ius seruantibus & de suis bonis locum ditantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Iudicem præmium æternæ pacis inueniant. Scriptum per manum Stephani Notary & Regionary & Sacrisceriny S. Romanæ Ecclesiæ in mense Ianuario, Indictione 11. *Datum* XIV. *Kalendas February per manum Amandi Episcopi Theatrapi Sanctæ Sedis Apostolicæ.*

III. ET ELNONENSI.

Alterum est huiusmodi. *Martinus Episcopus, vltimus seruorum Dei, omnibus diligentibus Deum Salutem. De quotidiano Sanctæ Matris Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laborantibus auxilium ferre debemus. Vnde notum fore volumus sanctæ vniuersalis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm & futuris, qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius Amandus cum consensu & petitione carissimi fily nostri ..... memoriæ Dagoberti Francorum Regis, siue fily eius Sigeberti Priuilegium auctoritatis nostræ expetierit de quodam Cœnobio, cui Helnonis indidit nomen, quódque etiam ab ipso consecratum est in honore beatissimè Apostolorum Principis Petri Doctorísque gentium Pauli intra decursum duorum fluminum Scarp & Helnonis. Priuilegium quidem sanctæ auctoritatis nostræ, nostris futurísque temporibus memorato loco indulgemus. Ordinamus itaque atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis & facultatibus, de Ecclesiis & Ecclesiarum decimis, siue familia & de quibuscumque stipendi s specialiter inibi Deo seruientium. Interdicimus autem in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex auctoritate B. Petri Apostolorum Principis prohibemus, cuius vice huic Ecclesiæ Romanæ, auctore Deo, præsidemus, vt nullus Episcoporum vltrà præsumat de reditibus, rebus vel chartis eorum, vel villis quocumque modo qualibet exquisitione minuere, nec dolos vel intermissiones aliquas facere, nec illorum ingredi Monasterium, neque placita, nec aliud quid facere. Sed si qua caussa fortè inter terram venientem ad partem...... Ecclesiæ & Monastery euenerit, & pacificè non potuerit ordinari, apud electos Abbates & alios Patres timentes Deum sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Euangeliis, finiatur. Defuncto verò Abbate non extraneus, nisi de eadem Congregatione, quem sibi concors Congregatio elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo & venalitate aliqua ordinetur. Pariter autem custodiendum est, vt inuito Abbate ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines Sacros vel Clericatûs officium tolli exinde Monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Dei laudes, vel vtilitates loci complendas sufficiant, de his, qui superfuerint, offerat Abbas coràm quos dignos potuerit. Quisquis autem ex Monasterio ad Ecclesiasticum Ordinem peruenerit, vlteriùs illic nec potestatem nec licentiam habeat habitandi. Missas quoque publicas ab Episcopo in eodem Cœnobio fieri omnino prohibemus; ne in seruorum Dei recessibus, & eorum receptaculis vlla popularibus præbeatur occasio conuenticuli, nec audeat Cathedram ibi collocare, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi habeat, nisi ab Abbate einsdem loci fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatis sui potestate. Hanc ergo Scriptorum nostrorum paginam, omni in futuro tempore, ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatámque seruari, vt & iam sua Ecclesia, iuuante Domino, suo tantùm sint iure contenta, & Abbas iam dicti Monastery atque Monachi Ecclesiasticis conditionibus seu angariis, vel quibuslibet obsequiis secularibus nullo modo subiaceant, nullis laicis viris deseruiant, sed remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus diuinum opus cum summa animi deuotione perficiant. Quicumque in Apostolicis constitutionibus sincerâ dilectione obseruator exstiterit, benedictionem & misericordiam à Domino percipiat. At qui ea, quæ Apostolica Sedes stabiliuit, pro nihilo ducere atque violare tentauerit, B. Petri Apostolorum Principis, nostríque Apostolatûs auctoritate, anathematis vinculis irre-*

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16. *titus, vt sacrilegus à sinu matris Ecclesiæ & participatione Corporis & Sanguinis Christi separatus, cum diabolo & Angelis eius sententiam damnationis accipiat. Scriptum per manus Stephani Notarij & Regionarij & Sacriscrinij sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Ianuario, Indictione 11. Datum XIV. Februarij, per manum Amandi Episcopi, Bibliothecarij sanctæ Sedis Apostolicæ.*

IV. Aduersùs eiusmodi Priuilegia prævalidæ possunt afferri rationes, quibus illa spuria & commentitia esse comprobentur.

REFELLVNTVR. Primò, in vtroque Diplomate Amandus Priuilegium à Martino Papa postulat *cùm consensu & petitione Dagoberti Regis*, vnde colligimus vtrumque Priuilegium & subditicium esse & posterius anno Christi nongentesimo octauo,

V. quo suum Chronicon Adalberoni Episcopo Treuirensi dicauit Regino, qui turpi hallucinatione Principatum Dagoberti Regis cum Martini Papæ Pontificatu primus coniunxit.

VI. Secundò, in vtroque Diplomate mentio fit Sigiberti Regis. Sigibertus regnabat in Austrasia, Rex autem Austrasiæ nusquam se negotijs immiscuit Cœnobiorum Blandiniensis & Elnonensis, quæ sita erant in Diœcesi Tornacensi, pertinebántque ad Neustrasiam siue ad Regnum Clodouei, qui Neustriæ simul ac Burgundiæ dominabatur.

VII. Tertiò, vtrumque Diploma consignatur Indictione secundâ, quæ cum Martini Papæ Pontificatu non conuenit; Martinus enim iniit Præsulatum anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, Indictione septimâ, missúsque est in exilium hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio, Indictione vndecimâ. Quòd Priuilegium Blandiniense legitur *datum* XIV. *Kalendas Februarij*, Elnonense verò XIV. *Februarij*, id vitio Librariorum damus, arbitramúrque mentem Authoris fuisse vt vtrumque *mense Ianuario*, XIV. *Kalendas Februarij* datum crederetur.

VIII. Quartò, nec Amandum Bibliothecarium Sedis Apostolicæ fuisse, nec Theatrapum eundem esse cum Bibliothecario alibi legimus, quamuis non desint qui suspicentur Bibliothecarium in Priuilegio Blandiniensi Theatrapum dici, quòd eius curæ commissum sit, vt Codices in Bibliotheca inspiciantur, non autem auferantur, Græcis enim θέα visio inspectióve est, & ἀτραπος siue ἀτράπελος immobilis.

IX. Quintò, Priuilegium Blandiniense commentitium ostendunt hæc verba, *secundùm Regulam S. Benedicti*, Monasterium enim Blandiniense Clericos ab initio non Monachos habuit, vt ad annum Christi DCXXI. iam probauimus.

X. Sextò, idem Priuilegium Blandiniense spurium arguit hæc clausula. *Si quis verò (quod non optamus) temerario ausu contra huius nostri Priuilegij Apostolici publica scripta agere præsumpserit, reum se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, ac à sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque perinde in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco ius seruantibus & de suis bonis locum ditantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Iudicem præmium æternæ pacis inueniant.* Hæc enim clausula posterior est æuo Hincmari, apud quem ista legitur [a]. *Si quis verò Regum, Sacerdotum & Iudicum atque sæcularium personarum, hanc constitutionis paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorísque sui dignitate careat, reúmque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo malè ablata sunt restituerit, vel dignâ pœnitentiâ inlicita acta defleuerit, à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei Domini nostri Redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum iudicem præmia æterna pacis inueniant.* Consule ea quæ suprà retulimus de huiuscemodi clausula, cùm ad annum Christi sexcentesimum secundum [b] in Priuilegium Xenodochij Augustodunensis inquireremus.

[a] Opusc. 46.
[b] Nu. 16. 18.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

Septimò, in eodem Priuilegio Blandiniensi non placet, quòd Cœnobium Blandinium à beato Amando sic appellatum traditur. Nam Philippus Eleemosynarius hoc nomen antiquius facit in vita sancti Amandi, & à blanditiis ita deducit ex ipsorum gentilium sententia. *Construitur altera cultibus diuinis Ecclesia, in loco, quem Blandinium vocare consueuerat voluptatum sectatrix prisca gentilitas, eò quòd blanditiis lenis, & amœnitate præcipuus videretur.*

XI. Octauò, Priuilegium Elnonense spurium arguit consensus Dagoberti Regis,

XII. nostro enim calculo Rex Dagobertus obiit, antequàm Monasterium Elnonense construeretur.

XIII. Apud Wionem, Gelenium, Saussaium, Bollandum, ordinatio Remacli Traiectensis Episcopi notatur tertio Nonas Februarias, illóque Charactere designatur hic annus, Christi sexcentesimus quinquagesimus-tertius, qui præditus fuit literâ Dominicali F, & primus Remacli Episcopi numerari debet.

REMACLVS ORDINATVR EPISC. TRAIECT.

XIV. Remaclus initio sui Episcopatûs vtrumque Monasterium, Stabulense videlicet & Malmundariense dedicauit regnante adhuc Sigiberto. *Rex*, inquit Notgerus [a], *ea didicit constructa Monasteria, & immensas omnipotenti Deo gratias egit, & quia Ecclesia recèns ædificata, Episcopali benedictione indigebant, beatum Remaclum accersiens, tam eam*, nempe Malmundariensem, *quæ erat Coloniensis parœcia, annuente venerabili Cuniberto Episcopo, quàm illam quæ nostra*, id est, Traiectensis, *Diœcesis est, ab eo voluit solenniter consecrari, vt cuius dispositione & ingenti studio condita erant, eius etiam operâ Pontificali benedictione afficerentur. Nec verò ad has res vir sanctus vllas moras attulit, qui sanè & Regi & Proceribus adeò charus erat, tantaque apud eos existimationis, vt nihil, quod magni esset momenti, absque eius consilio fieret.*

DICAT MONASTERIA MALMVND. ET STABVL.

[a] Ap. Sur. d. 3. Sept.

XV. Ad initium eiusdem Pontificatûs pertinet Sigiberti Regis Diploma, quod Bollandus [b] ex Archiuo Stabulensi publicauit cum næuo, sed Childericus Sigiberti ex fratre Clodoueo nepos in alio Diplomate docet, qualis sit ille næuus & quomodo tolli possit. Sigibertus in vulgato suo Diplomate sic ait. *Ex consensu fidelium nostrorum, videlicet Domini Cuniberti Coloniensis Archiepiscopi, necnon Attelani, Theodefredi, Gislocardi, Episcoporum; vel illustrium virorum, Glimoaldi, Folciardi, Bobonis, Adegrisili, item Bobonis; necnon & Domesticorum, Flodulfi, Ansigisi, Betselani, Gariperti, concessimus.* Childericus verò de Sigiberti Diplomate sic loquitur. *Per consilium Pontificum ipsius temporis, id est, Chuniberti, Nemoriani, Gisloaldi, cum illustribus viris, Grimoaldo, Fulcoaldo, Adregisilo, Bobono, Ducibus; Chlodulfo, Ansegisilo, Gariberto, Domesticis, taliter actum fuit.* Inde constat in Sigiberti Regis Diploma duos errores irrepsisse. Titulus enim Archiepiscopi, cùm Sigiberti Regis temporibus apud Francos in vsu non esset, in eiusdem Sigiberti Diplomate perperam tribuitur Cuniberto Coloniensium Antistiti, qui iure Metropolitico numquam gauisus est, & Episcopo Vormaciensi tunc vtriusque Germaniæ Metropolitæ semper subiacuit. Deinde Sigibertus apud Bollandum in suo Diplomate præter Cunibertum Episcopum Coloniensem nominat Attelanum, Theodefridum & Gislocardum, Episcopos, id est, Episcopos, Laudunensem, Tullensem ac Virodunensem; Childericus autem Attelano & Theodefrido, seu Laudunensi ac Tullensi Episcopis, prætermissis, solos commemorat Cunibertum Episcopum Coloniensem & Gisloaldum seu Gislocardum Episcopum Virodunensem, cum Nemoriano seu Numeriano, quem Rustico in Episcopatum Treuirensem successisse iam diximus. Interpolator, vbi mentionem Attelani & Theodefridi Pontificum facit, auctoritate Notgeri se munitum putat, in vita enim sancti Remacli quam Notgerus composuit, Sigibertus Rex, priusquàm Cœnobia Malmundariense & Stabulense construi permitteret, *fideles viros*, quorum consilio potissimùm vtebatur, dicitur conuocasse, *sanctum Cunibertum Episcopum, Aterlanum, Theodefridum & Gislochardum Episcopos; Optimates quoque suos, Grimoaldum Maiorem domûs*, &c. Sed ex eo quòd Attelanus

[b] d. 1. Febr.

DIPLOMATA REGIA PRO IISDEM MONASTERIIS.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

ſiue Aterlanus Laudunenſis Epiſcopus & Theodefridus Epiſcopus Tullenſis in conſilium à Sigiberto Rege vocati ſunt anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, cùm de condendis Monaſteriis deliberatio fieret; haud liquet eos hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio præſentes adfuiſſe, cùm Sigibertus Regium Diploma pro iiſdem Cœnobiis emiſit. Imò arbitramur Theodefridum Tullenſem Epiſcopum priùs obiiſſe, cui Leudinus, cognomento Bodo, frater Salabergæ, iam ſucceſſiſſet. Illud igitur Diploma ſic eſt corrigendum. *Ex conſenſu fidelium noſtrorum, videlicet Domini Cuniberti Colonienſis, necnon Numeriani, Giſlocardi, Epiſcoporum; vel illuſtrium virorum,* &c.

XVI. Ipſum Diploma ſic emendatum nunc accipe. *Sigibertus Rex Francorum. Veſtra comperiat largitas, qualiter pro deuotione animæ noſtræ, ſeruorum Dei compendiis, opitulante Domino, in foreſte noſtra, nuncupata Arduenna, in locis vaſtæ ſolitudinis, in quibus caterua beſtiarum germinat, conſulere cupientes, quatenus eorum meritis æternæ retributionis copiam adipiſci mereremur, quo patronorum noſtrorum Petri & Pauli, Ioannis Baptiſtæ, Martini, vel aliorum Sanctorum pignora venerari noſcuntur, conceſſimus eis, vt ibi Monaſteria iuxta Regulam Cænobiorum, vel traditionem Patrum, cognominata Stabulaus * ſeu Malmundarium * conſtruerentur, vbi, Chriſto auſpice, Remaclus venerandus Epiſcopus praeeſſe dignoſcitur, & eis tale beneficium praſtitiſſe comperium ſit, vt ibidem familia Dei, vel cuſtodes Eccleſiæ, quieto ordine contemplatiuam vitam agere debent, iuxta admonitionem diuinam.* [*Qui reliquerit domum, patrem, aut matrem, aut agros, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit.*] *Quapropter ex conſenſu fidelium noſtrorum, videlicet Domini Cuniberti Colonienſis Archiepiſcopi, necnon Attelani, Theodefredi, Giſlocardi, Epiſcoporum; vel illuſtrium virorum, Glimoaldi, Folciardi, Bobonis, Adegriſili, item Bobonis, necnon & Domeſticorum, Flodulfi, Anſigiſi, Betſclani, Gariperti, conceßimus ſupradicto Patri, ob cauenda pericula animarum inhabitantium, & ad euitanda conſortia mulierum, vt gyrum gyrando, & in vtrorumque partibus Monaſteriorum menſurarentur ſpatia dextrorſum ſaltibus, non plus duodecim milliaribus, vt abſque impreßione populi, vel tumultuatione ſeculari, Deo ſoli vacaretur. In reliquo verò taliter noſter promulgauit edictus, vt nullo vnquam tempore vitæ ſuæ, qualibet perſona illam foreſtem audeat irrumpere, aut manſiones aut domos ædificare, niſi tantummodò illi Serui Dei, qui hæc tuguriola cum tempore, noſtro conceſſu, excolere videntur. Et vt hæc Præceptio circa ipſam familiam Dei, vel poſteritatem illorum, quibus pro diuino intuitu hæc parua munuſcula conceßimus, pleniùs obtineat vigorem, manùs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus roborari.*

* Stauelo.
* Malmedic.

XVII. Extat [a] & aliud Sigiberti Regis Diploma, quod hoc anno datum aſſerimus, quia in eo Remaclus Epiſcopus & Abbas nominatur. *Sigibertus Rex Francorum, vir inluſter. Igitur ſancta ac venerabilia Monaſteria, Stabulaus, ſiue Malmundarium, cognominata, vbi vir venerabilis Remaclus Epiſcopus Abba, Chriſto auſpice, præeſſe videtur, quæ vir illuſter Grimoaldus Maiordomûs, in honorem Dei genitricis Mariæ, Sanctorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, Sanctíque Ioannis Baptiſtæ, vel S. Martini, ſeu ceterorum Sanctorum, ſuo opere in vaſta eremi Arduenuenſis ſolitudine conſtruxit, quemadmodum nos loca ipſa, ad ipſa Monaſteria ædificanda, pro noſtra Præceptione ex foreſta noſtra conceßimus, quæ licèt gratiâ Chriſti ſint ditata præfata Monaſteria, mundanæ tamen ſubſtantiæ cernuntur parumper habere. Ideo diuinâ inſpiratione commoniti, decreuimus aliquantulùm de fiſco noſtro ad ipſa Monaſteria conſpicere & conſolari. Telonium igitur, quod ad portum Vetraria, ſuper fluuios Tannuco, Ittâque, & portum illum, qui dicitur Sellis, imóque & Vogstium ad fluuium Ligeris, quod Iudices vel Agentes noſtri ad portus ipſos, tam quod naualis euectio conferebat, quàm vndique negotiantium commercia in telonio, aut quolibet ripatico ex ipſis portubus ſuperiùs nominatis, in fiſco noſtro ſolebant recipere, pariter homines, qui in ipſis portubus commanent, vel ipſos portus cuſtodiunt, aut ibi aſpicere videntur, pro ſtabilitate Regni noſtri ad Monaſteria noſtra ſuperiùs nominata, vel Monachis ibidem conſiſtentibus, noſtri muneris largitate concedimus.*

[a] Ap. Bolland. d. 1. Feb.

Quapropter præsenti ex hac iussimus promulgari Præceptione, vt neque vos, neque iuniores, seu successores vestri, aut quislibet, quæ ad partem ipsorum Monasteriorum ex hoc pertinet, numquam præsumant existere contrary, sed magis telonios ipsos de portubus superiùs nominatis, quodcumque exinde fiscus noster poterat sperare, in luminaribus, iamdictis Basilicis, vel stipendiis Monachorum, qui ibidem cursum regulariter quotidianis horis implent, annuimus posidendos, vt omni tempore proficiant in augmento. Et si fortè aliqui portus ipsos prænominatos pro terris eorum propriis transtulerint, quò faciliùs ipsum telonium, quemadmodum ad fiscum nostrum debuerat peruenire, subtraxerint, iubemus, vt nauigia ad portus ipsos, vbi per tempora præcedentium Regum, parentum nostrorum, ire consuetudinem habuerant, discurrant, & alibi telonius, neque à vobis, neque à iunioribus, seu successoribus vestris, exigatur. Quod fiat, vt si ante superiores annos, dum adhuc sub tenera videbamur ætate subsistere, aliquis quodlibet ex huius cessionis instrumentis accepit, nullus mancipetur effectus, sed vacuum & inane permaneat. Dum & aliter compluribus fidelibus nostris noscitur esse conuentum, vt, dum auxiliante Domino in regnum ad legitimam peruenimus ætatem, cessiones illius, quæ ex originario fisco nostro aliquando Serenitas nostra concesserat, deinceps in anteà, hoc est de anno decimo-quarto Regni nostri debeant in Dei nomine esse stabiles. Hanc quoque auctoritatem, vt in omnibus valitura, in nostris & futuris temporibus intacta valeat durare, manûs nostræ subscriptionibus roborauimus.

XVIII. Vtrumque Sigiberti Regis Diploma legit, breuíque compendio complexus est Notgerus in vita [a] sancti Remacli. Primum sic. *Vbi Rex Sigebertus cum audiuit fratrum feruorem erga Christi cultum, beatum Remaclum euocans, præter ea, quæ priùs dederat, & vir Illustrissimus Grimoaldus obtinuerat, vnde etiam hactenus fratres vixerant, ex consensu fidelium suorum, tam Episcoporum quàm Procerum supradictorum, in honorem Dei & cultum Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum & beati Martini, quibus ea loca dicata erant, permisit beato Remaclo, vt in vsus seruorum Dei, quò deinceps quietiùs viuerent, & absque vicinorum impressione soli Deo liberiùs vacarent, per vtriusque Monastery circuitum duodecim leucæ designarentur, intra quarum limites quicquid haberetur, ab solis vtriusque Cœnoby colonis excoleretur. Dicitur autem leuca apud Gallos, spatium mille quingentorum passuum, id est, duodecim stadiorum. Eam donationem testamento confirmatam, & annuli Regy impressione consignatam, sanctus vir libenter accepit, & reuerenter conseruauit.* Alterum sic. *Deinde anno decimo-quarto Regni sui idem Rex testamento legauit beato Remaclo quædam in Aquitania, putà telonium in portu Vetraria ad fluuios Tauuacum & Ittam; itémque portum Sellis, & Vogatium ad flumen Ligerim, cum omnibus ad eum attinentibus. Quod quidem testatur scriptum, eius manu subsignatum. Sancta, inquit, ac venerabilia Monasteria, Stabulaus siue Malmundarium, cognominata, vbi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abba, Christo auspice, præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus Maiordomûs in honore Sancti Petri ac Sancti Pauli vel Sancti Martini seu cæterorum Sanctorum, suo opere in vasta eremi Ardennensis solitudine construxit, quemadmodum nos loca ipsa ad ipsa Monasteria ædificanda pro nostra Præceptione ex foreste nostra concessimus, quæ licèt gratiâ Christi sint ditata, mundanam tamen substantiam cernuntur parumper habere. Ideò diuinâ inspiratione commoniti decreuimus, aliquantulùm de fisco nostro ad ipsa Monasteria respicere & consolari, & cætera quæ in eodem scripto sequuntur.* Huc vsque Notgerus, qui mentem Sigiberti Regis haud assecutus videtur, cùm ait posterius Diploma datum fuisse anno eiusdem Regis decimo-quarto. Desideratur enim in illo Diplomate nota temporis quo emissum est, & Sigibertus Rex cùm instrumenta cessionum ab anno duntaxat Regni sui decimo-quarto valitura protestatur, non innuit Præceptum quo id continetur, eodem anno decimo-quarto Regni confectum fuisse, imò ab anno Regni decimo-quarto ad annum quo Præceptum dedit multos annos effluxisse palàm ostendit, vbi *vacuum & inane* vocat quodlibet cessionis instrumentum, quod acceptum est *ante superiores annos*, dum ipse adhuc *sub tenera* videbatur *ætate* consistere, non enim

[a] Ap. Surium d. 3. Sept.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

ante superiores annos sed ante hunc annum diceret, si decimo-quarto sui Principatûs anno legitimam ætatem attigisset confecissétque Diploma de quo nunc loquimur. Hanc obseruationem vt meliùs capias, vltróque fatearis istud Diploma Chronologiæ nostræ non aduersari, textum ipsum ob oculos iterum tibi proponimus. *Si ante superiores annos, dum adhuc sub tenera videbamur ætate subsistere, aliquis quodlibet ex huius cessionis instrumentis accepit, nullus mancipetur effectus, sed vacuum & inane permaneat. Dum & aliter compluribus fidelibus nostris noscitur esse conuentum, vt dum auxiliante Domino in Regnum ad legitimam peruenimus ætatem, cessiones illius quæ ex originario fisco nostro aliquando Serenitas nostra concesserat, deinceps in anteà, hoc est, de anno decimo-quarto Regni nostri debeant in Dei nomine esse stabiles.*

XIX. THEODARDUS FIT ABBAS.

Postquàm Remaclus ad Pontificatum Traiectensem promotus fuit, perbreui spatio temporis interiecto subrogatus est in eius locum Theodardus, qui Cœnobiorum Stabulensis & Malmundariensis curam gereret. Natus est Theodardus nobilibus parentibus in Gallia, cùm Clotarius, auus Sigiberti, Regnum Francorum gubernabat. Eius vitam ab antiquiore Authore conscriptam Sigebertus Gemblacensis vrbaniore stylo à se melioratam testatur, hunc consule [a].

[a] Ap. Sur. d. 10. Sept.

XX. LANDRADA SOLITUDINEM MEDITATUR.

Ineunte Remacli Pontificatu Landrada nobilis puella, quæ nuptias respuerat, & in paternis ædibus adhuc degebat, solitudinem meditari cœpit. Haud aliud tempus in illius vita designant hæc Theodorici Trudonensis Abbatis verba. *Martinus eo tempore Romæ, Remaclus Traiecti verbo & opere peruigilabant in cura Sacerdotali, Trudo in Hasbania in tyronem Christi calescebat. Horum accensa virtutibus, per momenta aut patriam deserere aut eremum desiderabat inuolare.* Vitam beatæ Landradæ à Theodotico conscriptam Fisenus [b], quem descripturi sumus, politiore ac breuiore stylo in Floribus Ecclesiæ Leodiensis edidit. *Landrada pueritiam exegit eâ sanctitate quæ familiares omnes ad recti prosecutionem accenderet. Vbi primùm nubiles annos attigit, reiectis, quæ splendida offerebantur, nuptiis, vni se Christo despondit. Abhinc spretis omnibus, vnius cellulæ clausa angustiis, paradisi perfruebatur amplitudine, & deliciis; eodem orans solo & recubans; cibario pane & aquâ magis prouocans esuriem quàm sedans. Balneas ignorabat; mollia strata, etiam cùm febri æstuaret, abhorrebat. Cilicio obuoluta, in nuda humo Christi miles exercebatur. Si peccaret fortè quis alius, non aliter atque si rea fuisset ipsa, alieni delicti pœnas luebat. Sibi ipsa mollior inter hæc videbatur, quòd paternis in ædibus degeret. Solitudinem meditari cœpit, ac tandem inuitis parentibus, reclamante familiâ saltum inuadit, quem à feritate inhabitantium beluarum, Belluam vocabant; erectóque propriâ manu breui tugurio, ingreditur, & pugnatura cùm antiquo serpente, diuiniora quæpiam, & supra hominem pugnæ genera aggreditur. Multis breui victoriis ex singulari certamine nobilitatam, voluit Deus copias colligere, quas in aciem educeret. Ita sæpè nuntiarunt sub intempestam noctem beati genij mirâ luce conspicui, areámque statuendo Monasterio designarunt, sed maximè tum, cùm aliquando supra omnem hanc luteam infirmitatem erecta, libero mentis pede in odorem cælestium vnguentorum curreret. Discedente enim derepentè cælo, mirifici operis Crux delapsa est, cum clara luce, & Landradæ, quæ iam mundo crucifixa erat, velut pro munere super proximum lapidem deposita. Durant adhuc non languidæ fidei certa monumenta. Sicut enim mollis cera impressam sigilli recipit imaginem, & refert intuentibus, ita durissimus lapis totam eiusdem Crucis impressionem spectantibus hodiéque demonstrat. Cum Cruce vox missa est. Accipe Landrada ab immortali sponso caritatis arrham, ipse tibi Crucis mittit sponsalia, qui in Cruce moriens vniuersa restaurauit; amatoris tui hæc sunt munera. Dantis mentem intellexit Landrada, obfirmatóque ad ardua & Cruces animo, suis ipsa manibus, instituit vepres & spinas exstirpare, humum sarrire, ædem in honorem Dei Matris & Virginis Mariæ moliri, & quod mirum videatur legenti, suis ipsa manibus lapides effodere & comportare, lineam ducere, fundamenta iacere, & in loco destinata sibi Crucis non alius, quàm ipsa collocauit, quod adhuc perdurat altare.* Cetera prose-

[b] d. 8. Iul.

quemur inferiùs ſub Lamberto Pontifice, qui Baſilicam illam à Landrada ædificatam dicauit. AN. CH. 653.

Falluntur multi Neoterici, qui ſanctam Landradam Arnulphi & Dodæ neptem ex Anſigiſo filio putant. Hos in errorem traxit Theodoricus, qui vitam beatæ Landradæ deſcripturus ab eius genere ſic exorſus eſt. *Landrada Francorum ſoboles, & eorum, quos Maiores domûs appellant, inclyta proles, totam priorum progeniem à ſtirpe ſuis meritis nobilitauit & ornauit. Taceo quòd in matris vtero benedicta, antequam nata, priùs electa quàm concepta, ab vſque incunabulis ſtatim Chriſtum ſubintelligere, & quibus licebat motibus infantiam deteſtari, & neſcio quid diuinius ſtudebat ſapere. Vnica parentibus, eóque magis affectuoſior; iam in ea erat videre ætate, quantâ poſtmodum vas illud repleretur Spiritûs Sancti gratiâ & vbertate. Clotarius quartus à Ludouico, quem beatus Remigius baptizarat, trium Regnorum Monarchiam eo regebat tempore, Burgundia, Neuſtria & Auſtria. Pipinus Carlomanni filius cum viro Dei Arnulpho, poſteà Metenſi Epiſcopo, Maiores erant domûs, glorioſiores ſuper hac nuper nata neptis ſuæ ſanctitate, quàm ſuper eius, cui principabantur, Regni cura & moderamine.* Author ille dum Landradam Arnulphi & Pipini neptem vocat, eam ionuit natam egregiis parentibus, Anſigiſo Arnulphi filio & Beggâ Pipini filiâ, nam præter nuptias, quas Begga cum Anſigiſo contraxit, illis temporibus inter vtramque Arnulphi ac Pipini familiam nulla prorſus interceſſit neceſſitudo. At ſi Landrada parentes habuit Anſigiſum & Beggam, ſoror extitit Pipini Heriſtallij. Perperam igitur Theodoricus ipſam Landradam parentibus ſuis voicam prolem fuiſſe ſcribit. Duo prætereà Theodorici ſententiæ opponuntur argumenta. Primum petitur ab ætate Beggæ, quæ nubiles annos ante Arnulphi Pontificatum non attigit. Alterum ſumitur ab auctoritate veterum Scriptorum, qui vno conſenſu Anſigiſum conſtituunt patrem Pipini Heriſtallij, nuſquam verò Landradæ. Fallitur etiam Theodoricus, cùm Monarchiam totius Franciæ Clotario priùs attribuit, quàm Arnulphus ad Pontificatum promoueretur.

SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

XXI. THEODORIC. ABB. TRVDON. REFELLITVR.

In Auſtraſia ſub Dagoberto eiúſque filio Sigiberto floruit Comes Witgerus, qui Amelbergam Pipini Landenſis ex ſorore neptem in vxorem duxit, ex eâque ſuſcepit Emebertum filium, tréſque filias, Reinildem, Pharaildem & Gudilam natu minimam. Addunt nonnulli Geogulſum & Venantium cum Ermelinde ſiue Ermentrude. Sed antiquorum vidimus neminem, qui ſanctos Gengulfum & Venantium fratres, aut eorum alterutrum ſancti Emeberti vel alicuius ex ſororibus fratrem appellet. Et in vitis ſanctæ Gudilæ, quas Surius & Bollandus ediderunt [a], eidem Gudilæ præter Reinildem & Pharaildem nulla ſoror attribuitur, quamuis Baldericus in Chronico Cameracenſi [b] tertiam nominet Ermenlindem ſiue Ermeliodem, quæ vocatur Ermentrudis in Breuiario Malbodienſi *. Nata eſt Gudila ſub Sigiberto Rege in pago Brabantenſi; priuſquàm in lucem ederetur, eius ſanctitatem Angelus matri grauidæ atque anxiæ prænuotiauit, ex baptiſmali fonte ſuſcepta eſt à Gertrude cognata ſua, ſub cuius pedes in Monaſterio Niuellenſi adulta doctoribus ſcripturarum tradita eſt, à quibus ſcientiam accepit literarum non ſecularium ſed ſale diuinæ legis conditarum, vt Hubertus [c] in illius vita fuſiùs ſcribit. Witgerus Gudilæ pater in ſanctæ Berlendis vita, quam Anonymus poſt annum Chriſti milleſimum ſcripſit, vocatur *Dux Lotharingiorum*, idque fit valdè impropriè, nam Lotharingiæ ſeu Lotharingiorum nomen ætate Witgeri multò recentius eſt, nec ſtatim ac Lotharingiæ ſeu Lotharingiorum nomen audiri cœpit, Duces Lotharingiæ ſeu Lotharingiorum extiterunt. Sub eodem Witgero militauit Comes Odelardus, qui Comitatum *à portu Antuerpienſium vſque Condatum* rexit, & ex Nona beati Pontificis Amandi ſorore duos liberos Eligardum & Berlendem genuit. Sic enim prædictus Anonymus in eadem vita [d] ſanctæ Berlendis. *Tempore Dagoberti Regis Francorum, pater eiuſdem virginis*, nempe Berlendis, *Odelardus nomine, militans ſub Witgero Duce Lotharingiorum, marito ſanctæ Amalbergæ, quæ Lobiis quieſcit,*

XXII. WITGERVS COMES, EIVSQVE VXOR AC LIBERI.

[a] d. 8. Ian.
[b] Lib. 1. c. 16.
* de Manbeuge.
[c] Ap. Bolland. d. 8 Ian.
[d] Ap Bolland. d. 3. Febr.

AN. CH. 650. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

quorum filia fuerunt sancta Reineldis & sancta Gudila, totius Ducatûs exercitui præerat, atque præ cateris ipsi Duci adharens, familiaríque amicitiâ perfruens, cuncta prouido vtilique consilio, qua in domo & in exercitu illius gerenda erant, disponebat. Fuit autem possessio eius Humberch & Ascum Castella duo, quorum alterum, scilicet Ascum, ab Hunnis destructum, alterum verò naturâ munitum, militúmque copiâ defensum inexpugnabile perstitit. Quia igitur vir iste tam generosâ propagine, quàm diuitiis atque præsidiis, honorúmque dignitate ampliatus pollebat, nam a portu Antuerpiensium vsque Condatum Comitatum regebat, puellam nobilissimam sororem beati Pontificis Amandi, nomine Nonam, in matrimonium sumpsit. Erat enim virgo specie nimis decora, moribus honestis composita, castitate pudica, fide Catholica, omníque Euangelica doctrina scientiâ ad vnguem erudita. Ex hac igitur genuit filium, nomine Eligardum, qui in supradicti Castri destructione ab Hunnis interfectus fuit. Genuit etiam ex eadem coniuge filiam, virginem facie quidem formosissimam, formâ conspicuam, personâque elegantem, sed omni probitate & industriâ luculentiorem, nomine Berlendem. Quid hic Auctor per Ducatum Lotharingiorum intelligat haud sciri potest, quia longè post Witgeri ac Berlendis ætatem excogitatum est Lotharingiæ nomen, ipsiúsque Lotharingiæ fuerunt posteà variæ diuisiones variique limites, de quibus non semel nobis erit disputandum. Comitatus, quem Odelardus obtinuit, protenditur *à portu Antuerpiensium vsque Condatum*. Nec hæc descriptio caret difficultate, quoniam alij Condatum legunt, alij Condacum. Vitam sanctæ Berlendis ex manuscriptis Codicibus, Lobiensi, Merbecensi & Rubeæ Vallis, descripsit Rosweydus. Eandem vitam Bollandus [a] cum Codice Corsendoncano duobúsque aliis contulit, obseruauítque Condacum in Codicibus Lobiensi & Corsendoncano reperiri. Condacum, vulgò *Coutick*, pagus est medio ferè spatio inter Antuerpiam & Mechliniam; Condatum, vulgò *Condé*, oppidum est ad confluentes Haynæ in Schaldim. Longus sanè tractus Antuerpiam inter & Condatum, breuis admodum inter Condacum & Antuerpiam. Condatum in vita sanctæ Berlendis legendum arbitramur, itaut Odelardus ripæ Schaldis ab ostio Haynæ Antuerpiam vsque præfuerit. Vt ita sentiamus, non leuiter nos impellit situs duorum Castellorum, quæ pertinebant ad Odelardum. *Fuit*, inquit Anonymus præcitatus, *possessio eius Humberch & Ascum Castella duo*. Extat autem *Hombergh* in ditione Gerardimontensi; & *Ascum* siue, vt Codex Merbecensis habet, *Aschia*, vulgò *Assche*, celebris etiamnum locus est inter Bruxellam & Alostum. Odelardus vixit coniugatus annos duodecim. *Tribus annis quater reuolutis, post prima noctis copulam, præfata Nona, vxor illius, in Domino Iesu Christo obiit.* Hæc Anonymus in vita sanctæ Berlendis. Qui Nonam sancti Amandi Episcopi sororem constituat, alius Auctor non occurrit. De Witgero & Odelardo Comitibus, déque vtriusque liberis agemus iterum inferiùs.

[a] In not. ad c. 2.

XXIII. Amandus redit Roma, cum Landoaldo et aliis.

Auditâ Remacli ordinatione, Amandus Româ rediit in Galliam, cúmque deinceps in annuntiando gentibus Euangelio præcipuam curam impendere statuisset, cooperatores à Martino Papa petiit obtinuítque. *Romanum vniuersalem Pontificatum*, inquit Notgerus in vita sancti Landoaldi, *Martinus Papa tum administrabat. Cui beatus Amandus votum, cuius obtentu venerat, exprompsit, qui vt sibi ad id opus peragendum suppetias mitterentur, poposcit. Destinati sunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adiutores. Inter quos Sanctus Landoaldus Archipresbyter, Amantius Diaconus, quos etiam comitata sunt sanctæ fœminæ Vinciana & Adeltrudis cum aliis viris & mulieribus septem.* In itinere Amandus succurrit famulo quem diabolus submergere conabatur, sæuiente tempestate consolatus est nautas & apparente sancto Petro tranquillitatem imperrauit. Hæc in eius vita sic describit Baudemundus. *Illud etiam non est prætermittendum, quòd idem vir Dei Amandus à Roma secundò rediens, ascensâ naui peruenit ad Centumcellensem locum. Quadam igitur nocte dum solus, vt illi mos erat, oraret, immundus spiritus vnum è famulis apprehensâ manu trahebat ad mare, volens eum ibi demergi. Sed idem puer, qui trahebatur, magnis cœpit vocibus clamare dicens. Christe,*

In itinere claret miraculis.

adiuua

AN. CH. 653.

SIGIB. III. R. 21.

CLOD. II. R. 16.

adiuua me, Christe adiuua me. Mox malignus spiritus eidem puero insultando respondit: Qualis Christus? Sed dum puer, qui trahebatur, minimè responderet, ait S. Amandus. Dic illi, fili; Christus filius Dei viui, crucifixus. Statímque ad vocem illius inimicus vt fumus euanuit. Nec multò pòst cùm quadam die per medium pelagus nauigaret, nautásque verbum moneret Domini, subitò apparuit illis miræ magnitudinis piscis. Nautæ verò, misso in pelagus rete, eundem piscem ceperunt. Cúmque epularentur, muníisque plausibus exsultarent, subitò inopinata orta tempestas est, quæ omne gaudium eorum in luctum conuertit. Cæperunt autem, quidquid in naui habebant, tam ad stipendia cibi quàm omne subsidium, vel etiam armamenta nauis, in pelagus proiicere, vehementérque labori insistere, vt ad terras egrederentur, sed nihil omnino proficere valebant. Nauis verò quassata, huc illúcque à fluctibus ferebatur. Itaque omnes de vita spem nullam habentes reddiderat, statímque nautæ ad seruum Dei cucurrerunt Amandum, rogantes vt Dominum deprecaretur, quatenus eos per orationem ipsius de imminente liberaret periculo. Vir autem Domini Amandus blandè eos consolatus, confidere iussit, & vt de Domini misericordia fiduciam haberent, fideliter admonuit. Nautæ verò nimio fessi labore, huc illúcque in naui iacebant sopore depressi. Ipse etiam Sanctus in puppi nauis residens, quiescebat. Tum ei ex improuiso Sanctus apparuit Petrus, transiens per puppim nauis, excitánsque eum ac blanditer alloquens, ait. Noli timere, Amande, non peribis, neque qui tecum sunt. Mox verò ad verbum illius sedatâ tempestate, tranquillitas reddita est magna. Et facto mane, omnes, qui in naui cum viro erant Dei, sani atque incolumes ad terras egressi sunt. Amandus à mari ad Mosam perrexit, Remaclum suum in Episcopatu Traiectensi successorem inuisit, &, vt Theodoricus in vita sancti Bauonis testatur, *Landoaldum Traiecti reliquit.* Traiecto profectus est Elnonem, vt discipulos suos teuiseret. In itinere adiit Vrsidungum, ibique à Gisleno, qui Cellam & Oratorium construebat, honorificè susceptus, optimis sermonibus animos eorum qui aderant more suo recreauit. Hæc habentur in vita sancti Gisleni [a]. Huntbertus siue Humbertus, qui eumdem Amandum comitatus fuerat, in patriam reuersus secessit Maricolas*, ibíque factus est primus Abbas Monasterij, quod Chonebertus vir illustris erigebat. Miræus in notis ad caput quintum piarum donationum hunc Chonebertum arbitratur haud alium esse à Chunebetto Graphione seu Comite, qui donationi Adtoaldi anno Clodouei Regis vndecimo subscripsit.

INVISIT REMACLVM ET GISLENVM.

[a] Ap. Sur. d. 9 Oct.

* *Maroilles.*

HVMBERTVS ABBAS MARICOL.

XXIV.

LANDOALDVS MANET IN DIOECESI TRAIECT.

Landoaldus, quem Amandus Traiecti reliquit, in Diœcesi Traiectensi per nouem annos vices Pontificis administrasse fertur, antequàm Remaclus Abbas Stabulensis in Episcopum à Traiectensibus assumeretur. Id constante famâ se accepisse tradit Notgerus in ipsius Landoaldi vita, Notgeri sententiam secutus est Theodoricus in vita sancti Bauonis, à Notgeri & Theodorici computo recedere non ausi sunt nostrâ ætate Scriptores alioquin optimæ notæ. Sed interpontificium, quo Traiectensem Ecclesiam ante Præsulatum Remacli laborasse volunt, in fabularum numero iam collocauimus. Remaclus ordinatus est Episcopus hoc anno, súbque sui Pontificatûs initium hospitio Amandum ex Italia redeuntem excepit. Landoaldus vnus fuit è comitibus itineris, annuente Amando mansit in comitatu Remacli, potuítque illum per annos nouem in negotiis Ecclesiasticis consilio & operâ iuuare. Id vnum de Landoaldo asserendum hoc loco videtur.

XXV.

In vita sancti Gisleni, post colloquium quod Amandus cum Gisleno habuit, mentio fit Regiæ donationis, quâ Dagobertus Rex Hornutum & Vrsidungum Gisleno largitur, tum subiicitur Monasterij dedicatio quam Amandus & Autbertus Episcopi peragunt. Mentem suam Author sic explicat. *Sumpto cibo,* quem scilicet Gislenus Vrsidungi præparara, *recessit miraculorum gloriâ illustris Amandus Episcopus. Porrò beato Gisleno templum inchoatum absoluere cupiente, Dagobertus Rex illuc iter facturus erat. Id vbi resciuit vir Dei, honorificè obuiam processit, precibus eum Domino commendans. Eum verò Rex clementer resalutauit, & exosculatum rogauit, vt pro peccatis ipsius Dominum deprecaretur, diuinóque in-*

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16. *stinctu permotus, Hornutum & Vrsidungum Christo & seruo eius Gisleno cum omnibus eò pertinentibus largitus est. Inde autem recessit, & Gislenus tantis auctus beneficiis, in Dei cultum studio ardentiori incubuit, gratias illi agens. Absolutâ autem Oratorij structurâ, rogante beato Gisleno, sanctissimi Pontifices Amandus & Autbertus in honorem Apostolorum more Ecclesiastico illud celeberrimè dedicarunt.* At Dagobertus obiit priusquàm Gislenus in Galliam veniret, idque multis argumentis suprà confirmatum est. Autbertus Cameracensis Episcopus, vt ante biennium diximus, promiserat Oratorium, quod Gislenus erigebat, authoritatis suæ benedictione se consecraturum postquàm perfectum esset. *Expletis verò pro modulo suo, quæ monasticis vsibus congruebant, vir Dei Gislenus venerandum talibus verbis interpellat Episcopum. Tempus adest, Pater, quo seruo suo Dominus Pontifex promissæ benedictionis munus exoluere debeat. Gaudens igitur venerabilis Pater bonis viri studiis, accersito secum beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circumfusa plebis exultatione, Monasterium dictum ad laudem Domini, & honorem Apostolorum Petri & Pauli, consecrauit.* Hæc Fulbertus in vita sancti Autberti.

CELLA GISLENI DEDICATVR.

XXVI. Illi dedicationi præsens interfuit Madelgarius Comes, ac paulò pòst rebus secularibus nuntium in Altimontensi Monasterio, quod ipse construxerat, penitus remisit, vt in vita sancti Gislem declaratur his verbis. *Eâ dedicatione peractâ, populo salutari prædicatione pasto & in fide corroborato, impensáque Episcopali benedictione, quisque ad sua reuersus est. In iis quidam Comes illustris Madelgarius, prædicantibus Episcopis, corde compunctus est, & fallacissimo mundo nuncium remittens, Autberti Episcopi manibus tonsus est, & in Alto Monte, monastieum indutus habitum, inclusus, sanctè vixit vsque ad obitum suum.* Caue ne te fallat hic textus, & in animum inducas Madelgarium in Alto Monte ad suum vsque obitum vixisse. Madelgarius sanctè vixit vsque ad obitum suum, nec aliud intendit Author præcitatus, vixit autem partim in Alto Monte, partim Sonegiis vbi etiamnum quiescit. Nam teste Chronographo Cameracensi, *ad piam eius conuersationem multi viri religiosi confluxerunt, traditisque prædiis & propriis rebus cum sacro viro degentes, ad vitæ regularis normam sese construxerunt. Cùm autem locus à Regibus & Principibus augmentari & frequentiâ fratrum populosus cœpisset haberi, vt liberiùs Deo vacaret, ad secretiorem locum secessit. Hic ab incolis Sungeias * nuncupatur, vbi ipse vir Dei à frequentia populari remotus, fratribus sociatus Monasterium struxit, ibique exactis huius vitæ curriculis feliciter sepultus.* Madelgarius, quòd suo in Monasterium secessu diabolum mundúmque vicerit, Vincentij cognomen accepit apud Vinchantium *, certè sub Vincentij nomine colitur pridie Idus Iulias apud Molanum in Natalibus Sanctorum & apud Miræum in Fastis Belgicis. Waldetrudis eius vxor non tantùm mariti votis annuit, sed & ipsa Castriloci Monasterium puellarum posteà construxit vbi consenuit. Ex illorum coniugio nati sunt quatuor liberi, Landricus, Aldetrudis, Madelberta, de quibus recurret sermo, & Dentlinus de quo Molanus hæc habet pridie Idus Iulij. *Ressa * in Clivia, Natalis sancti Dentlini Confessoris. Is filius iam dicti sancti Vincentij Comitis Hannoniæ & sanctæ Waldetrudis, fertur puer septem annorum in albis mortuus. Cuius natalis nusquam, quod sciam, apud Hannones celebratur. Canonicæ tamen sanctæ Waldetrudis inuocant eum in Litaniis. Sed longè celebrior est apud Canonicos Ressensis oppidi in Clivia, qui annuè eum celebrant ad diem decimam-quartam Iulij, & hebdomadatim feriis secundis & quartis non impeditis. Embrica * prætereà parochia sanctæ Aldegundis celebrat eum in choro, die decimâ sextâ Martij. Porrò Matutinæ lectiones Cleri Reesensis merita eius occultis Dei iudiciis committunt, & magis versantur in laude parentum. Sequentia tamen inde desumpta ipsum concernunt. Postremò genuit S. Vincentius sanctum Dentlinum, patronum nostrum gloriosum, &c. Sepultus est S. Dentlinus honorificè in Cœnobio Sonegiensi iuxta beatum Vincentium genitorem suum, &c.* Vnde autem Reesensibus patronus obtigerit, & an eius reliquias habeant, *præsentes Canonici quia ignorant*, inquit idem Molanus,

MADELGAR. FIT MONACHVS ALTIMONT.

CONDIT MON SONEGIENSE.

* Soigny.

* Lib. 3, c. 10.

EIVS VXOR.

* Rées au Pays de Cleues.

LIBERI.

* Emerich.

S. DENTLIN.

affirmare non possunt, nisi thecas reliquiarum diligentiùs perlustrent.

In Annalibus Hannonicis [a] ante Nortmannorum irruptionem tres tantùm nominantur Abbates Altimontenses, sanctus Vincentius ipsius Cœnobij fundator, sanctus Landricus sancti Vincentij filius ac successor, & Halidulphus, qui sanctum Ansbertum Rothomagensem Episcopum exulem hospitio excepit, ceterorúmque nomina dicuntur excidisse. Sed cùm in iisdem Annalibus [b] sanctus Landricus vocetur Abbas Sonegiensis, certúmque sit sanctos Vincentium & Landricum Sonegiis & mortuos & sepultos fuisse, credimus Altimontensi Monasterio, priusquàm Vincentius in eo Monachum indueret, Abbatem præfuisse cuius memoria penitus interiit, nec temporum rationi repugnat secundum illius loci Abbatem fuisse Halidulphum cuius mentionem facit Aigradus in vita sancti Ansberti; Sonegiarum verò primum Abbatem agnoscimus ipsummet Vincentium cui post aliquot annos mortuo Landricus filius in præfecturam successerit. Sícque Abbates omnes, qui vel Altum Montem vel Sonegias ante vastationem Nortmannicam rexerunt, obliuione consepultos existimamus, si tres duntaxat excipias, Halidulphum videlicet qui Monasterium Altimontense, Vincentium & Landricum qui Cœnobium Sonegiense gubernarunt. Vinchantius [c], vt Vincentium Abbatem Altimontensem fuisse faciliùs persuadeat, eum tali dignitate auctum tradit, præsentibus, sancto Autberto Episcopo Cameracensi; sancto Amando Episcopo Traiectensi; sancto Achario Episcopo Tornacensi; sancto Gisleno Abbate Cellensi; sancto Ettone Episcopo; sancto Vltano Fossensi pòst Abbate; sancto Eloquio Walciodorensi pòst Abbate; sancto Humberto Maricolensi pòst Abbate; sanctis Waldetrude & Aldegunde; sanctis Landrico Meldensi pòst Episcopo & Sonegiensi Abbate, Aldetrude & Madelbertâ, liberis sancti Vincentij & sanctæ Waldetrudis; sancto Audoeno Dagoberti Regis Referendario, pòst Episcopo Rothomagensi; sancto Eligio Episcopo Nouiomensi; Pipino Landensi; sanctâ Ittâ eius vxore; sanctâ Gertrude illorum filiâ; sancto Hidulpho Duce Lobiensi; sanctâ Aiâ eius coniuge; sancto Adalbaldo Duce Duacensi; sanctâ Rictrude eius vxore; sancto Audomaro Episcopo Teruanensi; sancto Modoaldo Archiepiscopo pòst Treuirensi; sancto Clodulpho Duce Mosellano, pòst Episcopo Metensi; & Gomadrude Reginâ Dagoberti Regis coniuge. Copiosus hic testium numerus diuiditur in duas classes, vna est Ecclesiasticorum, altera laicorum, vtrique refragantur multa. Simul non adfuerunt Acharius & Eligius Episcopi, Achario enim mortuo Eligius in Episcopatum successit. Simul non adfuerunt Eligius Episcopus & Audoenus laicus, Eligius enim & Audoenus eodem die ordinati sunt Episcopi, vt ipsemet Audoenus in vita sancti Eligij testatur. Cum Achario Episcopo non adfuerunt Gislenus Abbas, Etto, Vltanus & Eloquius, Acharius enim priùs obiit, quàm Gislenus ex Græcia, Etto, Vltanus & Eloquius ex Britannia in Galliam aduentarent. Author, cùm Ettonem, Vltanum & Eloquium nominat, proculdubiò loquitur in eorum sententia, qui viros Apostolicos ac strenuos fidei prædicatores, Ettonem, Vltanum, Eloquium, aliósque cum Furseo ex Hibernia in Galliam à Madelgario Comite adductos perperam scribunt. Ab Ecclesiasticis transeamus ad laicos. Hos Author in duplici ponit differentia. Plerosque nominat tanquam consanguineos atque affines Vincentij, reliquos verò tanquam eiusdem aut vicinæ regionis incolas. In priori numero rectè collocat Waldetrudem vxorem ipsius Vincentij; Aldegundem sororem Waldetrudis; Landricum, Adeltrudem & Madelbertam liberos Vincentij. Ad idem genus videtur etiam referre Clodulphum, Hidulphum, Aiam vxorem Hidulphi, & Gomadrudem Reginam, laudat enim exhibétque [d] quamdam sanctæ Waldetrudis Genealogiam in qua Waldetrudis vxor Vincentij & Aia vxor Hidulphi sorores patrueles asseruntur, dicuntúrque Clodulphus & Gomadrudis ex duobus geniti fratribus, quorum auo Ansberto frater tribuitur Walbertus proauus Waldetrudis. In posteriore laicorum ca-

[a] Lib. 5 c. 14.
[b] Lib. 5. c. 10.

ABBATES ALTIMONT. ET SONEGIENS.

[c] Lib. 5. c. 10.

[d] Lib. 5. c. 15.

AN. CH. talogo complectitur Pipinum, Ittam Pipini vxorem, Modoaldum Ittæ fratrem, Gertrudem Pipini & Ittæ filiam, Audoenum Referendarium, Adalbaldum, & Rictrudem Adalbaldi coniugem. Prædicta Genealogia nullius est authoritatis, in antiquis enim monumentis prædicatur Walbertus Waldetrudis pater, silentur patruus, auus & proauus, nec beato Arnulpho frater vllus tribuitur qui Gomadrudem Reginam genuerit. Verùm esto, admittatur ista Genealogia, non desunt alia quæ narrationem suprà recensitam destruant, priùs enim quàm Gislenus, Etto, Vltanus & Eloquius in Galliam venirent, Audoenus Episcopatum Rothomagensem iniit, Modoaldus Treuirensem Pontificatum suscepit obiitque, Pipinus & Adalbaldus ex hac vita discesserunt. Quamuis autem Vincentium Altimontensibus Abbatibus non accenseamus, nihil imminutum volumus splendoris, quem eidem contulit Monasterio, cùm ibi Monastico habitu suscepto sub sanctæ conuersationis regula sese humiliter inclusit. *Tunc enim permulti sanctitate & religionis zelo illustres hunc montem vocabulo & religione altum frequentarunt, de animarum salute loquentes*, vt obseruat Molanus [a], apud quem posteà *exprimit Historia Scriptor Ansbertum Rothomagensem Episcopum exilio proscriptum, Hugonem Abbatem Gemeticensem, Wlmarum Abbatem Bolonienfis Monastery, Ettonem Britannum Sacerdotem, Amandum ex Elnone, Wasuulphum ex Condato, Gislenum ex Cellensi Monasterio, Vrsmarum & Erminum ex Laubaco, Foillanum & Vltanum ex Fossensi Monasterio, Aldegundem ex vicino Malbodio, Waldetrudem ex Castriloco, Gertrudem ex Niuella, illuc aduentantes.* Agemus de singulis, vt occurret occasio, hic tantùm nota nonnullos eorum ad Altum Montem accessisse Vincentio Sonegias iam profecto aut etiam mortuo.

SIGIB. 653. III R. 21. CLOD. II. R. 16.

[a] Die 14. Iul.

XXVIII. MONAST. MARCHIANENSE DEDICATVR.

Autbertus & Amandus Episcopi non tantùm Cellam postulante Gisleno, vt diximus suprà, sed & Marchianense Monasterium rogante Rictrude hoc anno dedicarunt, eidémque Cœnobio Rictrudis vniuersa quæ sibi residua videbantur esse, legitimo testamento concessit. Sic enim differit Author Chronici Marchianensis. *Ad Orientem Marchianensis villa Cœnobio ritè composito & à duobus Reuerendissimis Episcopis, Autberto videlicet & Amando, Monasterio in honorem Apostolorum Petri & Pauli, VI. Kalend. Nouemb. solemniter dedicato, nobilis matrona Rictrudis, voti compos effecta, vniuersa, quæ sibi residua videbantur esse, testamentum legitimum faciens, perpetuo iure possidenda, liberaliter Sanctis Dei, & eidem contulit Monasterio.* Hæc vt tibi clariora fiant, lege quæ de Rictrude ante septennium iam scripsimus, obseruáque diem sextum ante Kalendas Nouembris Dominicum fuisse hoc anno, qui prædictus erat literâ Dominicali F. Ceterùm *Amando*, vt in Chronico Elnonensi legitur, *liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locum, Marchianas Ionatum repetisse reperimus, vbi post mortem etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter viuens, diuersos vtriusque sexûs ad religionem induxit & castitatem.* Deinceps igitur Amandus Elnonensis Monasterij curam iterum gessit, & Ionatus qui simul vtrumque Cœnobium Elnonense videlicet & Marchianense rexerat, soli Marchianensi præfuit, vbi Moniales etiam erant, quibus præerat Rictrudis Abbatissa, præfuitque post Rictrudem Clotsendis eius filia, cuius soror Adalsendis, cùm iunior adhuc esset, ibidem, vt Hucbaldus in vita sanctæ Rictrudis obseruat, obiit in ipsa Sacrosancta Dominicæ Natiuitatis solennitate, & apud Saussaium colitur octauo Kalendas Ianuarij.

XXIX. IVDOCVS IT ROMAM.

Iudocus, qui Monasterium ad mare anno priori inchoarat, ineunte hoc anno Romam perrexit vt Martini Papæ desiderio satisfaceret. *Profectus est Romam*, ait in eius vita Florentius, *ex mandato D. Martini Sedis Apostolicæ Pontificis summi, qui longo tempore concupierat conspicere faciem eius, ac sanctissimo ipsius frui colloquio, à quo & receptus est cum honore debito ac multo dignationis obsequio. Verùm ibidem edoctus est à Spiritu Sancto, quem in omnibus magistrum habebat & custodem, vt ad eremum suam reuerteretur, quam in terris sibi elegerat habitationem, inde in breui exiturus à corpore, & transmigraturus ad Angelorum colloquium,*

AN. CH. 653.
SIGIB. III. R. 21.
CLOD. II. R. 16.

ac perpetuâ diuinæ Maiestatis fruiturus contemplatione. Post sacra igitur & multa de æternitate colloquia, inter ipsum & Pontificem habita, cum preciosissimis Sanctorum reliquiis à Domino Apostolico sibi collatis reuersus est, cum totius patriæ gaudio, ad Pontiui gaudia. Cui in monte habitationi suæ proximo (vbi modò requiescit sanctum corpus eius) obuia facta est puella quædam, parentum obsequio adducta, non tantùm à natiuitate cæca, sed prorsus oculorum orbibus carens. Hic vbi vir sanctus manus de more abluisset, illa vt fuerat visione nocturnâ præmonita, ex eadem aqua, quæ viri sacras manus attigerat, faciem & concaua oculorum loca lauit; qua statim receptis luminibus, maximam vniuersis, qui aderant, cum admiratione lætitiam, & gratiarum actionis materiam subministrauit. Visitur etiamnum castrum semilapide, viâ Abbauillensi, à Monasterio dissitum, vbi miraculum hoc patratum est. Apud Malbrancum [a] tradunt monumenta Iudocensia puellam, quæ vsum oculorum accepit, filiam extitisse Comitis Ayronis, qui tanti beneficij non immemor castellum illud Monachis dono postmodum concesserit. Sed Ayronis loco restituendum videtur nomen Aymonis siue Haymonis, qui laudatur à Florentio in vita sancti Iudoci, & per hæc ipsa tempora duobus Oratoriis ligneis, quæ Iudocus anno superiori construxerat, adiunxit lapideam sancti Martini Basilicam, in qua Iudocus reliquias Româ delatas posteà collocauit, vt anno sequenti narraturi sumus. Caue autem ne Iudocum, qui *in breui exiturus à corpore* dicitur in textu præcitato, statim ac ex Italia rediit mortuum in Gallia credas, vixit enim vsque ad annûm Christi sexcentesimum sexagesimum-quintum, qui decimus-quartus ab illius secessu in posteriorem eremum numeratur.

[a] Lib. 3. cap. 34.

XXX. OBITVS S. ROMARICI ABBATIS.

Vitâ sancti Romarici, quam Serarius & Ruyrus ex manuscriptis Codicibus eruerunt, Tabulis Ecclesiasticis in quibus nomen beati Romarici legitur, & notationibus, quas Serarius vitæ sancti Romarici subiunxit, simul collatis, discimus Romaricum ad Deum migrasse sexto Idus Decembres, die Dominico, regnantibus Sigiberto apud Austrasios, Clodoueo apud Francos seu Neustrasios. Quibus Characteribus optimè designatur hic annus, cui conuenit litera Dominicalis F. Non desunt, qui Romarici mortem in tempora Vitaliani Papæ reiiciant, sed ad Vitaliani Pontificatum nec Sigibertus Rex Austriæ nec Clodoueus Rex Neustriæ peruenit. Obiit sanctus Romaricus *ætate admodum iam grandis*, vt loquitur Author editus à Serario, idem alij asserunt, Ruyrus penè centenarium facit, octogenarium fuisse credimus, quia sub Theodoberto Rege floruit, & anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo Gegobergam filiam suam Monialibus præfecit. Hæc studiosiùs obseruamus de sancti Romarici ætate, quia dies octauus Decembris, in quem mors eius incidit, regnantibus Sigiberto & Clodoueo fratribus bis Dominicus fuit, semel anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo, iterum hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio, & annus Christi sexcentesimus quadragesimus-secundus cum grandi admodum ætate ipsius Romarici minùs benè comparari potest. Opinionem nostram plurimùm firmat Author coætaneus, qui Romaricum spiritu prophetiæ clarum fuisse & paulò ante obitum ad Palatium Regium perrexisse sic scribit. *Beatus Romaricus priusquàm ad diem supremum laudabilis peruenisset, & ad Principis Palatium eatenus tanquam præscius properasset, vt Regi seu Proceribus eius de periculo eorum vel casu venturo cauenda nunciaret, audito per internuncios vir magnificus Grimoaldus subregulus, quòd noctis tempore ad eum accedere voluisset, surgens cum facibus accensis, intempestæ noctis tempore, medio itinere obuius fuit, aspiciénsque hominem Dei, miræ magnitudinis nescio quid tanquam Angelum seu cæleste signum se super eum vidisse contremuit. Cum multa vtique reuerentia complexus muneribúsque allatis se facturum esse quæ dicebantur pollicitus est.* Hæc intelligenda esse de morte Sigiberti Regis, de Dagoberti exilio, déque nece Grimoaldi, de quibus anno sequenti disseremus, ita docet Menardus [b]. *Fuit etiam prophetiæ spiritu clarus. Præuidit enim quòd deberet Grimoaldus Maiordomûs Dagobertum Sigeberti Regis filium attonsum in Scotiam ablegare, & quid inde ipsi Grimoaldo obueniret. Quare ad Palatium Sigeber-*

[b] L. 1. obseru. d. 8. Dec.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

ti se contulit: quæ ventura essent aulicis prædixit. Adiit & ipsum Grimoaldum, monuitque vt à cœptu desisteret, qui quidem virum Dei honorificè suscepit, nec tamen consilium mutauit. Sed non frustrà virum Dei contempsit, nam crudeli morte necatus interiit. Pergit Author coætaneus, & miram visionem quæ Diacono cuidam oblata est, ita describit. *Quidam Diaconus honoratus vir, in eadem nocte Dominica, instante transitu* beati Romarici, *in visione se ductum fatebatur per loca amœna, vbi aspiciens pulcherrimas gemmas auróque nitentes domos, inter quas vnam eminentem cæteris vidit. Ductus itaque ad ostia, aperta aspexit, sed introeundi eidem in eam licentia nequaquam dabatur. Cúmque aspexisset comperit iustorum animas albissimis indutas stolis inibi cum gaudio inæstimabili cursitare, statímque qui ducebat eum ait ei. Cernis hæc omnia? Respondit. Video Domine. Rursúsque. Quem, inquit, inter istos agnoscis? Video, ait, beatum Arnulfum Pontificem & agnosco sanctum successorem illius Abbonem eundémque Episcopum, sed vellem nosse, quæ sit ista gaudiorum solemnitas & tanta claritatis apparatus immensus, & quid sibi velint hæ splendidæ, quas video, mensæ. Tunc audiente illo vnus intrinsecus albatorum tanquam conuersus ad S. Abbonem Episcopum ait. Quid moraris, ô Domine Abbo? cur non disponis sedentes per mensas has quas parasti? Nam illius dicebatur esse hæc multa apparitio. Tunc ait. Sustinete, Domini mei, paululùm, donec frater noster veniat Domnus Romaricus, illum enim expecto, nam hodie nobiscum erit. Hæc se vidisse, & alia nonnulla præfatus vir ille Diaconus testabatur, cuius de nomine ideo reticemus, quia adhuc superest in hoc lubrico & pendulo itinere.* Sepultus fuit sanctus Romaricus cum sancto Amato in Oratorio beatæ Virginis. In regimen S. Montis successit eius ex Adfaluide filia nepos Adelphus, qui Luxouij Monasticen optimè didicerat, erátque frater Gebertrudis Abbatissæ, de qua sermonem anno priori post obitum Gegobergæ materteræ fecimus.

XXXI. Apud Monachum Sandionysianum [a], qui Gesta Dagoberti Regis conscripsit, & apud Aimoinum [b] mentio fit Præcepti Regij, quod hoc anno à Clodoueo Rege pro sancti Dionysij Monasterio emissum fertur, & in Antiquitatibus Dionysianis [c] à Iacobo Doubleto necnon in collectione [d] Conciliorum Gallicanorum à Iacobo Sirmondo publicatum est. Monachi Sandionysiani textus adeò conformis est Regio Præcepto, vt alterum ex altero expressum fuisse nemo non iudicet. Aimoinus scripta Monachi Sandionysiani præ manibus habuit, & Historiæ Fredegarianæ, quam capite quadragesimo libri quarti absoluit, subiecit res à Clodoueo Rege annis regni decimo-quarto & decimo-sexto gestas, quas complexus est vno capite, descripsitque ex capitibus Monachi Sandionysiani quinquagesimo & quinquagesimo-primo.

[a] Cap. 51.
[b] Lib. 4. c. 41.
[c] Lib. 3. c. 4.
[d] Tom. 1.

XXXII. Textus Monachi Sandionysiani talis est. *Succedente tempore, XVI. anno Regni sui Hludowius Rex Clippiaco residens, conuocatis Pontificibus, necnon & Regni Primoribus, Regio stemmate ex more comptus, inter ceteras principalium rerum actiones, ob quas pro salute Regni tractandas Optimates, vt diximus, congregauerat, diuino impellente nutu ita cœpit. Oportet nos sedulè secundùm paternam institutionem locis venerabilibus Sanctorum reuerentiam exhibere, vt eos in die necessitatis Patronos & Defensores contra inuisibiles hostes possimus habere. Ideóque consilium, quod, vt credo, Omnipotens Dominus cordi nostro dignatus est inserere, vos, Domini & sanctissimi Sacerdotes, necnon Regni & Palatij nostri Principes, intentâ aure percipite, & si probaueritis esse vtile vnà mecum Christo protegente salubriter pertractate. Siquidem Omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen splendescere, per Incarnationis mysterium vnigeniti filij sui Domini nostri Iesu Christi, vel inlustratione Sancti Spiritus inluxit in corda sanctorum Christianorum, pro cuius amore & desiderio inter gloriosos triumphos Martyrum, beatissimus Dionysius, Rusticus & Eleutherius meruerunt palmam victoriæ & coronam percipere gloriosam. In quorum Basilica, vbi requiescere videntur, per multa tempora non minima miracula ad laudem sui nominis Christus dignatus est operari. In quo etiam loco genitores nostri Domnus Dagobertus & Domna Nanthildis videntur requiescere, vt per intercessionem sanc-*

torum illorum in cælesti regno mereantur participes esse, & vitam æternam possidere. Et quia ab ipsis Principibus, & à ceteris priscis Regibus, vel à Deum timentibus Christianis hominibus ipse sanctus locus in rebus propter amorem Dei, & adipiscendam vitam æternam, cernitur esse ditatus, nostra integra deuotio atque petitio extat, vt Apostolicus vir Landericus Parisiaca Ecclesiæ Episcopus Priuilegium ad ipsum sanctum locum Abbati vel fratribus ibidem consistentibus facere & confirmare, si vobis ita videtur, pro quiete futura debeat, quò faciliùs Congregationi ipsi liceat pro stabilitate Regni nostri ad limina Martyrum ipsorum diuinam clementiam iugiter exorare. Hoc autem & ipse Pontifex iuxta petitionem deuotionis nostræ promptissimâ voluntate præstare & confirmare dinoscitur. Nos verò pro reuerentia ipsorum Martyrum, vel nostra confirmanda mercede, huiuscemodi Præceptum præsentaliter vnà vobiscum confirmare volumus, vt si qua ad ipsum sanctum locum, in villabus, mancipiis, vel quibuscunque rebus à priscis Regibus seu genitoribus nostris, vel Deum timentibus hominibus propter amorem Dei ibidem delegata, aut deinceps fuerint addita, dum ex munificentia parentum nostrorum, vt diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus Episcoporum, nec qui præsens, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de loco ipso aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio vsurpare, aut aliquid quasi per commutationis titulum absque voluntate ipsius Congregationis vel nostro permissu minuere, aut Calices, vel Cruces, seu indumenta altarium, siue sacros Codices, argentum, aurúmve vel qualemcumque speciem, quicquid ibi conlatum fuit aut erit, auferre, nec ad ciuitatem deferre præsumat. Sed liceat ipsi sanctæ Congregationi, quod inibi per rectam delegationem conlatum est perpetim possidere, quatinus eidem pro animabus parentum nostrorum & pro stabilitate Regni nostri Dominum attentiùs iugiter delectet exorare. Nos enim propter Dei amorem & reuerentiam ipsorum sanctorum Martyrum, atque adipiscendam vitam æternam, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum cum vestro consilio gratissimo animo & integrâ voluntate volumus præstare, eo scilicet ordine, vt sicut ibidem tempore domni & genitoris nostri psallentium ordo per turmas fuit institutus, vel sicut in Monasterio sancti Mauricij Agaunis, & sancti Martini Turonis die noctúque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur. Itaque dum Regem omnes Regni Principes hæc concionantem attonitis auribus intenderent, Pontifices qui aderant optimam deuotionem Regis adprobantes, Præceptum ab ipso Rege modo suprà scripto factum tam Rex quàm Pontifices & Principes qui præsentes aderant firmauerunt. Inter quos nonnulli Pontifices extiterunt, quos hodie sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eò quòd ad eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas vsque in præsens Dominus operetur. Scilicet beatus Audoenus, & sanctus Rado frater ipsius, necnon beatus Palladius, & sanctus Clarus, atque domnus Eligius, vel sanctus Sulpitius, beatus quoque Aubertus, & domnus Castadius, sanctúsque Etherius, aliíque quamplures, & venerabilis Landricus Parisiorum Episcopus, qui prædictum Priuilegium suâ sponte consensit & confirmauit.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

XXXIII. PRÆCEPTUM CLODOVEI PRO CŒNOBIO S. DIONYS.

Clodouei Præceptum primus in lucem edidit Doubletus, & vt chartam insinuaret antiquiorem ac potiori dignam fide, multas voces, quas ad marginem notabimus, consultò deprauauit. Hoc abstinuit artificio Sirmondus, apud quem tale est Clodouei Præceptum. *Chludouius Rex Francorum vir inluster. Oportet clementiâ* [1] *principali inter ceteras petitiones illud quod pro salute adscribitur,* [2] *& pro timore diuini* [3] *nominis* [4] *postulatur,* [5] *placabili* [6] *auditu suscipere, & ad effectum perducere, vt fiat in* [7] *mercede* [8] *coniunctio, dum pro quiete seruorum Dei, vel congruentia, locis* [9] *venerabilibus impertitur petitio. Igitur dum & Omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen* [10] *splendescere, per Incarnationis mysterium vnigeniti filij sui Domini nostri Iesu Christi, vel* [11] *illustrationem Spiritûs Sancti,* [12] *illuxit in corda sanctorum Christianorum, pro cuius amore & desiderio, inter ceteros gloriosos triumphos* [13] *Martyrum, beatus Dionysius, Rusticus &* [14] *Eleutherius meruerunt palmam* [15] *victoria, & coronam percipere gloriosam, vbi per multa tempora in eorum Basilica, in qua requiescere videntur, non* [16] *minima*

1 clementia
2 vel
3 nomenis
4 postolatur,
5 placabele
6 audito
7 mercede
8 coniunctio,
9 venerabilebus
10 splendiscere.
11 inlustrationem
12 inluxit
13 Marterum,
14 Leutherius
15 victuria,
16 minema

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 23. CLOD. II. R. 16.

[17] miracula Christus videtur per ipsos [18] operari. In quo etiam loco [19] genitores nostri, Domnus Dagobertus & Domna [20] Nantildis, videntur requiescere, ut per intercessionem Sanctorum illorum in cælesti regno cum [21] omnibus mereantur participari, & vitam æternam percipere. Et quia ab ipsis [22] Principibus, a [23] ceteris priscis [24] Regibus, vel à Deum [25] timentibus Christianis [26] hominibus, ipse sanctus locus in rebus, propter amorem Dei, & adipiscendam vitam æternam, [27] cernitur esse ditatus, nostra integra [28] deuotio & [29] petitio fuit, ut Apostolicus vir Landericus, [30] Parisiacæ urbis Episcopus, Priuilegium ad ipsum sanctum locum Abbati, vel [31] fratribus ibidem [32] consistentibus facere [33] & confirmare pro quiete futura deberet, quò faciliùs ipsi [34] Congregationi liceret pro [35] stabilitate Regni nostri ad [36] limina [37] Martyrum ipsorum [38] iugiter exorare, hoc ipse [39] Pontifex cum suis [40] Coepiscopis iuxta [41] deuotionis nostræ petitionem [42] plenissimâ [43] voluntate præstitisse vel [44] confirmasse dignoscitur. Nos igitur per hanc seriem [45] auctoritatis nostræ, iuxta quod [46] supradictum Priuilegium à [47] Pontificibus factum vel [48] præstitum est, pro reuerentia ipsorum [49] Martyrum, vel nostra confirmanda [50] mercede, per hanc [51] auctoritatem iubemus, ut si [52] quid ad ipsum sanctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuscumque rebus [53] atque corporibus, a priscis [54] Principibus, [55] seu [56] genitoribus nostris vel Deum [57] timentibus [58] hominibus, propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit [59] additum, dum ex munificentia parentum nostrorum, ut diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus Episcoporum [60] neque præsentes, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel [61] qualibet persona possit quoquo [62] ordine de ipso loco [63] aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio usurpare, vel [64] aliquid quasi per commutationis titulum absque [65] voluntate ipsius Congregationis, vel [66] nostro permissu minuere, aut Calices vel Cruces, seu indumenta [67] altarium, vel sacros Codices, argentum, aurum, vel qualemcumque speciem, [68] quicquid ibidem collatum fuit aut erit, auferre aut minuere, vel ad ciuitatem [69] deferre præsumat. Sed liceat ipsi sanctæ Congregationi, quod eis per [70] rectam delegationem [71] collatum est perpetim [72] possidere, quatenus eandem pro animabus parentum nostrorum, & pro [73] stabilitate nostri Regni Dominum attentiùs delectet iugiter exorare. Nos enim pro Dei amore, vel reuerentia ipsorum Sanctorum [74] Martyrum, & adipiscenda vita æterna, hoc beneficium ad ipsum sanctum locum, cum consilio Pontificum, & [75] Illustrium virorum nostrorum ac Procerum, gratissimo animo & integra [76] voluntate visi [77] sumus præstitisse. Eo videlicet ordine, ut sicut tempore Domini & genitoris nostri ibidem chorus psallentium per turmas fuit institutus, vel sicut ad Monasterium Sancti Mauritij Agaunis, & Sancti Martini Turonis, die noctúque tenetur, ita in loco ipso per omnia futura tempora celebretur. Quam auctoritatem decreuimus, Christo in [78] omnibus nobis suffragante, ut firmior habeatur, & per omnia tempora conseruetur, subscriptionibus manus nostræ infrà [79] roborari.

17 miracola 18 operare. 19 genetores 20 Nanthecuilda. 21 omnebus 22 Princepebus. 23 ettera 24 Regebus. 25 timenteebus 26 homenebus. 27 videtur 28 deuocio 29 peticio 30 Parisiaci 31 fratrebus 32 consistentebus 33 vel 34 Congregatione 35 stabeletate 36 limena 37 Marterum 38 iugeter 39 Pontefex 40 quoepiscopus 41 deuocionis 42 plenissemā 43 voluntatem 44 confirmare videtur. & dinoscetur. 45 auctoretatis 46 præscriptum dictum 47 Pontificebus 48 præstetum 49 Marterum. 50 mercede. 51 auctoretate 52 quod 53 adque 54 Princepebus 55 seo 56 genet. rebus 57 timentebus 58 homenebus. 59 addetum. 60 nec præsentes, neque futuri fuerint successores. 61 qualebet 62 ordene 63 aequid 64 alequid 65 voloncate 66 nostrum permissum 67 altaris. 68 de quo ibidem conlatum 69 deferre nec debet nec præsumat. 70 certam 71 conlatum 72 possedeo. 73 stabeletate 74 Marterum. 75 inlustrorum 76 voloneate 77 fuimus 78 omnebus 79 roborare.

Chludouius Rex signaui.	
Ego Geroaldus obtuli & signaui.	*Ego Geroaldus obtuli & subscripsi.*
Munemundus Episcopus consentiens subscripsi.	*Chlodouicus Rex subscripsi.*
	Aiginayni subscr.
Chaoaldus Episcopus consentiens subscripsi.	*Caouldus.*
Rauracus Episcopus consentiens signaui.	*Rauracius.*
Audemarus Episcopus consentiens subscripsi.	*Audemerus.*
Ætherius Episcopus consentiens subscripsi.	
Eligius Episcopus consentiens subscripsi.	
Richoaldus Episcopus consentiens subscripsi.	*Richoaldus.*
Rigobertus	*Droglendus.*

AN.CH. 653.
SIGIB. III. R. 21.
CLOD. II. R. 16.

Rigobertus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	
Landericus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	
Droglendus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.	*Droglendus.*
Palladius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	
Clarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	} Omittuntur à Doubleto.
Armentarius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	} Omittuntur à Doubleto.
Malehardus Epiſcopus conſenſi.	} Omittuntur à Doubleto.
Rado Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Rado ſubſ.*
Amalbertus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	
Waldelmarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Wandelmarus.*
Sichelmus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Sichelinus.*
Chiloaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Abyloaldus.*
Sanderadus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Sanderortus.*
Tanculfus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Tanculphus.*
Guinemarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Guynemarus.*
Bobo Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	
Deſideratus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	
Hathodo Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.	*Hatodo.*
Gautiobertus Diaconus hoc Priuilegium conſenſit & ſubſcripſit.	*Gauthiobertus.*
Gerecrannus Diaconus ſ.	
Bodolenus ſ.	*Bodoleus.*
Ebroinus ſ.	
Raimbertus ſ.	
Arnebertus ſ.	
Radobertus Maiordomûs ſ.	
Merulfus ſignauit.	
Bertolando ſignauit.	*Bertholando Gurafer.*
Aigulfus Comes Palatij ſ.	*Comes Palatinus.*
Tilpingus Comes ſ.	
Auſtrebertus ſ.	
Terlinus iuſſus ſignauit.	*Telinus.*
Incrinus ſubſcripſit.	
Probatus ſignauit.	
Gaulfridus ſubſcripſit.	*Gaulfus.*
Gundebodo ſignauit.	*Gundebertus.*
Hermenericus ſignauit.	*Ermenricus.*
Gadefridus ſ.	*Gadefredus.*
Chaldo ſubſcripſit.	
Data ſub die x. *Kalend. Iulij anno* XVI. *Regni noſtri, Clipiaco, in Dei nomine feliciter. Amen.*	*Data ſub die decima Kalend. Iuly, anno decimo-ſexto Regni noſtri, Clipiaco Palatio in Dei nomine.*
	Obaldo ſubſcripſit feliciter. Amen.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

XXXIV. Aimoinus de eodem Clodouei Præcepto sic scribit. *Quia idem locus (loquitur de Monasterio sancti Dionysij) sub potestate adhuc constitutus erat Parisiaci Pontificis, tale quid idem Deo amabilis excogitauit Princeps. Anno enim XVI. ex quo sceptra susceperat Regalia, Pontifices & totius gentis Principes Clippiaco conuenire iubens, mediúsque inter eos solio residens, hoc habuit sermonis exordium. Quamquam, inquiens, Francigenæ ciues, terreni nos cura Principatus ammonuerit, publicis vos consultores rebus aduocare, tamen priùs nobis conuenit ea quæ Dei & Sanctorum eius sunt disponere, vt postmodum ea quæ nostra sunt, dante Deo, ex sententia cedant. Ille enim qui per semetipsum polliceri dignatus est, dicens; primùm quærite Regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis, nobis suis obtemperantibus præceptis sua conferet promissa. Requiramus itaque quæ sint placita sanctis in regno iam consistentibus æterni Patris, & cuncta nobis euenient prospera in terris, si ea curauerimus adimplere factis. Intentionem igitur nostri cordis vos, Sacerdotes, qui Dij vocati estis, & filij Excelsi omnes, attendite & audite, & auditam, si approbaueritis, vnà nobiscum ad perfectum adducere elaborate. Nostri itaque deuotio hæc extat animi, vt Monasterium Patroni nostri Domini Dionysij, in quo ipse cum consortibus testimonij veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ genitores nostri, Domnus videlicet Dagobertus, ac Domna Nantildis, se sepelire mandauerunt; ab omni soluamus dominio mortalium. Quatinus Abbas vel fratres eo loco commanentes, possessiones à parentibus nostris siue ab aliis fidelibus Christianis sibi traditas, absque vllius dominantis inquietudine possidentes, pro salute nostra ac statu Regni nostri liberiùs Deum deprecentur. Huic autem nostræ suggestioni consentit venerabilis Landericus Parisiacæ vrbis Præsul, in cuius Diœcesi Cœnobium illud situm est, & cui vsque ad præsens tempus subiectum fuit. Hanc ergo libertatem serui Dei inibi constituti dum fuerint adepti, nulliúsque præter Dei ac Sanctorum eius, nostrúmque, cui etiam tota natio Francorum paret, fuerint perpessi dominatum, sciant se, debito tali, genitoribus nostris & nobis, eísque qui nostro (vt speramus) per Dei gratiam orientur ex semine, fore obnoxios, vt pro nostro, eorúmque, quos memorauimus, præsenti ac futura requie non desinant Deum exorare. Hæc Regem pro concione locutum, circumsistentes postquàm intentè auscultauerunt, in laudibus eius proclamantes, mansura ei optauere gaudia. Huic conuentui interfuere propè omnes Gallicani Episcopi, inter quos quidam sancti extiterunt viri, quos sancta Ecclesia dignis effert honoribus, eò quòd ad eorum sepulchra variis vexati sanentur infirmitatibus. Id est, beatus Audoenus, & sanctus Rado frater ipsius, atque Domnus Eligius, cum beato Sulpitio, necnon sancto Eucherio.*

XXXV. Apud Marculfum Priuilegio quod ab Episcopis concessum est, subiicitur [a] Concessio Regis, in eâque Rex ita loquitur, *si quid à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo Pontifice vel cæteris Domnis Episcopis ad præfatum Monasterium iuxta quod eorum continet Priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognouimus.* Priùs igitur ab Episcopis concedebatur Priuilegium, quàm Regalis Sanctio seu Præceptum Regium constitueretur. Hæc autem cùm ita se habere consueuerint, corrigendi sunt Monachus Sandionysianus & Aimoinus, qui secus scribunt, & Clodouei Præceptum Priuilegio Landerici vetustius exhibent. In textu Monachi Sandionysiani, Clodoueus Rex de Præcepto in gratiam Monasterij Dionysiani emittendo cogitat, rem publicè Pontificibus & Optimatibus in Conuentu Clippiacensi proponit anno Regni sui decimo-sexto, neminem reperit tam pio desiderio non suffragantem, Regiam Præceptionem statim concedit, eandémque Landericus Parisiorum Episcopus suo Priuilegio confirmat. Atque ex illa rerum serie liquidò constat numquam ab isto Monacho visum fuisse, quod hodie Landerici nomine profertur Priuilegium, datúmque asseritur anno decimo-quinto Clodouei Regis, id est, vno priùs anno quàm Clodoueus super ea re mentem suam coram Episcopis ac Proceribus explicuisset. Monachi Dionysiani sententiam sequitur Aimoinus, apud quem Clodoueus Rex de Landerico Episcopo ita loquitur. *Huic autem nostræ sug-*

[a] Lib. 2. c. 2.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

gestioni consentit venerabilis Landericus Parisiaca vrbis Præsul, in cuius Diœcesi Cœnobium illud situm est. Vtrique refragatur Clodoueus in suo Præcepto, vbi hæc habet. *Nostra integra deuotio & petitio fuit, vt Apostolicus vir Landericus, Parisiacę vrbis Episcopus, Priuilegium ad ipsum sanctum locum Abbati, vel fratribus ibidem consistentibus facere & confirmare pro quiete futura deberet, quò faciliùs ipsi Congregationi liceret pro stabilitate Regni nostri ad limina Martyrum ipsorum iugiter exorare; hoc ipse Pontifex cum suis Coepiscopis iuxta deuotionis nostræ petitionem plenissimâ voluntate præstitisse vel confirmasse dignoscitur; nos igitur per hanc seriem auctoritatis nostræ, iuxta quod supradictum Priuilegium à Pontificibus factum vel præstitum est, iubemus, &c.*

XXXVI. CONFERTVR CVM FORMVLA MARCVLFI ET APPROBATVR.

Præceptum Clodouei Regis adeò consentaneum est formulæ Marculfi, vt nullam in eo falsitatem aut interpolationem esse sentiamus. In Concessione Regis hæc habet Marculfus. *Si quid in villabus, mancipiis vel reliquis quibuscumque rebus, atque corporibus, aut Regio munere aut suprà scripti illius, vel à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo Pontifice vel cæteris Domnis Episcopis ad præfatum Monasterium, iuxta quod eorum continet Priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognouimus, nullus Episcoporum, vt diximus, nec præsens, neque si fuerint successores seu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel qualibet persona, possit quocumque ordine de loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio præter id quod scriptum est adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de ministery ornamentis, vel de altari, vel de offertione in altario inlata abstollere.* Totum Clodouei Præceptum in iisdem rebus consistit. *Iubemus*, inquit Clodoueus, *vt si quid ad ipsum sanctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuscumque rebus atque corporibus; à priscis Principibus, seu genitoribus nostris vel Deum timentibus hominibus, propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit additum, dum ex munificentia parentum nostrorum, vt diximus, ipse sanctus locus videtur esse ditatus, nullus Episcoporum, neque præsentes, nec qui futuri erunt successores, aut eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quoquo ordine de ipso loco aliquid auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio vsurpare, vel aliquid quasi per commutationis titulum absque voluntate ipsius Congregationis, vel nostro permissu minuere, aut Calices, vel Cruces, seu indumenta altarium, vel sacros Codices, argentum, aurum, vel qualemcumque speciem, quicquid ibidem collatum fuit aut erit, auferre aut minuere, vel ad ciuitatem deferre præsumat.* Monachus Sandionysianus nouit hoc Clodouei Præceptum, sed ignorauit Priuilegium Landerici. Nam de Præcepto Clodouei sic loquitur, *Præceptum ab ipso Rege modo suprà scripto factum tam Rex quàm Pontifices & Principes qui præsentes aderant firmauerunt.* Priuilegium verò Landerici nihil aliud esse putat, quàm quòd, vt eius verbis vtar, *Landricus Parisiorum Episcopus Prædictum Priuilegium*, id est, Clodouei Regis Præceptum, *suâ sponte consensit & confirmauit.* Longè aliter sentiendum est de Landerici Priuilegio. Landericus, antequàm Clodoueus Rex pro sancti Dionysij Monasterio Præceptum emitteret, Priuilegium Abbati & Monachis eiusdem loci concessit, non quale hodie circumfertur, sed quale fuisse cognoscitur ex Priuilegij formula quam Marculfus exhibuit, & ex Clodouei Præcepto quod Concessioni Regis ab eodem Marculfo publicatæ simillimum est. Landerici Priuilegio multi subscripserunt Episcopi. Sic enim de illo Priuilegio loquitur in suo præcepto Clodoueus, *hoc ipse Pontifex*, nempe Landericus, *cum suis Coepiscopis iuxta deuotionis nostræ petitionem plenissimâ voluntate præstitisse vel confirmasse dignoscitur; nos igitur per hanc seriem auctoritatis nostræ, iuxta quod supradictum Priuilegium à Pontificibus factum vel præstitum est, iubemus.* Et Marculfus docet in more positum fuisse, vt Priuilegio non Episcopus tantùm à quo concedebatur sed & alij subscriberent Episcopi, siquidem ipsam Priuilegij formulam claudit his verbis. *Quam constitutionem nostram, vt firmis subsistat vigoribus, & nos & fratres nostri Domini Episcopi subscriptione & manibus nostris decreuimus roborari.* Præcepti Regij non erat

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

par ratio. Præcepto seu Concessioni Regiæ nemo subscribebat præter Regem eiúsque Referendarium. Formula Regiæ Concessionis apud Marculfum hoc fine terminatur. *Quod Preceptum Decreti nostri, Christo in omnibus suffragante, vt firmior habeatur, & perenniter confirmetur, subscriptione manûs nostræ, infrà studuimus confirmari.* Quapropter expunctis Episcoporum ac Procerum subscriptionibus, quæ lapsu temporis interpolatæ fuerunt, Clodouei Præceptum hoc exitu claudendum arbitramur. *Quam auctoritatem decreuimus, Christo in omnibus nobis suffragante, vt firmior habeatur, & per omnia tempora conseruetur, subscriptionibus manûs nostræ infrà roborari. Chludouius Rex signaui. Ego Geroaldus obtuli & signaui. Data sub die x. Kalend. Iuly anno* XVI. *Regni nostri, Clipiaco, in Dei nomine feliciter. Amen.* Hac ratione soluuntur omnes obiectiones, quibus Critici Præceptum Clodouei Regis impugnant.

XXXVII. MONACHVS SANDIONYS. ET AIMOINVS EXAMINANTVR.

Conuentui Clipiacensi, in quo Clodoueus Rex de Præcepto emittendo sermonem instituit, apud Monachum Sandionysianum intersunt, Audoenus, Rado eius frater, Palladius, Clarus, Eligius, Sulpitius, Aubertus, Castadius, Ætherius & Landricus. Apud Aimoinum pauciores nominantur, omittuntur Palladius, Clarus, Aubertus, Castadius & Landericus, & Ætherij loco ponitur Eucherius. Singulorum sanctitatem commendant ambo præcitati Scriptores. Audoenus Episcopus Rotomagensis colitur in Tabulis Ecclesiasticis nono Kalendas Septembres. Rado frater Audoeni laudatur à Menardo in secunda Appendice ad Martyrologium Benedictinum & à Saussaio in Appendice ad Martyrologium Gallicanum, Episcopalem dignitatem non obtinuit, atque inde colligere est commentitias esse subscriptiones Episcoporum, quæ Præcepto Clodouei Regis subiiciuntur apud Sirmondum, cautior fuit Doubletus, vt enim falsitatis suspicionem ab illis subscriptionibus amoueret, Episcopi titulum Radoni non attribuit. Palladius Autissiodorensis Episcopus celebratur quatro Idus Apriles in Martyrologio Gallicano. Clarus Episcopus Gratianopolitanus, qui Concilio Cabilonensi sub Clodoueo Rege subscripsit, in nullo Martyrologio repetitur. Eligius Nouiomensis Episcopus Fastis Ecclesiasticis inscribitur Kalendis Decembribus. Sulpitius Bituricensis Episcopus locum habet in iisdem Fastis quarto Kalendas Februarias; ad Deum migrauit antequàm Clodoueus Præceptum Regium Monasterio sancti Dionysij concederet; in chartis, quas Doubletus & Sirmondus publicarunt, non recensetur inter Episcopos, qui prædicto Præcepto subscripsisse perperam finguntur, eóque grauior est error Monachi Sandionysiani & Aimoini, qui volunt illum Episcopum cœtui Clipiacensi præsentem adfuisse. Aubertus Siluanectensis Episcopus in Annalibus Siluanectensibus colitur Idibus Decembris. Castadius nec apud Doubletum nec apud Sirmondum Præcepto Clodouei subscribit, nec in vllo legitur Codice, si Monachum excipias Dionysianum subscriptionésque falso Landerici Priuilegio appositas. Ætherius Episcopus Ebredunensis Concilio Cabilonensi subscripsit regnante Clodoueo Secundo, in nullo notatur Martyrologio, malè deflectitur in Eucherium Aurelianensem Episcopum; qui celebratur in Tabulis Ecclesiasticis decimo Kalendas Martias, hic enim longè post Clodouei Regis obitum natus est, vt suo loco probabimus, ceteroris author extitit Aimoinus Monachus Floriacensis, qui Diœcesi Aurelianensi, in qua viuebat, rem gratam se facturum putauit, si ex Ætherio, quem ignorabat, Eucherium efformaret. Landericus Parisiensis Episcopus locum in Diptychis Parisiensibus occupat quatro Idus Iunij.

XXXVIII. FORMVLA PRÆCEPTI.

Vt maiorem fidem Præcepto Clodouei Regis adhibeas, accipe simillimam Marculfi Formulam [a], quâ Concessio Regis seu Præceptum exprimitur. *Ille Rex, viris Apostolicis, Patribus nostris, necnon Illustribus viris, illi Comiti, vel omnibus Agentibus, præsentibus & futuris. Oportet enim Clementiam Principalem, vt inter cæterorum petitiones Sacerdotibus debeat benignum accommodare auditum, & quod pro timore diuini nominis postulatur, ponatur proculdubio ad effectum, vt fiat in mercedem coniunctio, dum pro quiete seruorum Dei congrua impertitur portio,*

[a] Lib. 1. cap. 2.

AN. CH. 653.
SIGIB. III. R. 21.
CLOD. II. R. 16.

quia fides perfecta non dubitat ad Altissimi gratiam pertinere, quod secundùm sacra elogia præcipuè domesticis fidei deuota mente impenditur, quia scriptum est, [Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.] Ergo dum & ille Episcopus, aut Abbas, aut inluster vir, Monasterium in honore illius, in pago illo, aut super proprietate, aut super fisco, noscitur ædificasse, vbi ad præsens ille Abbas, vel turba plurima Monachorum adunata esse noscuntur; ad petitionem illius Clementia nostra, pro quiete ipsorum seruorum Dei, Præceptionem vigoris nostri placuit propalare, sub quo tranquillitatis ordine, Domino protegente, ipsi Monachi iuxta religionis normam perpetim valeant residere, elegimus, vt & hac serie debeat plenius declarari, quia nihil de Canonica institutione conuellitur, quidquid domesticis fidei per tranquillitatis pacem conceditur. Nec nobis aliquis detrahendo æstimet in id noua decernere carmina, dum ab antiquis iuxta constitutionem Pontificum, per Regalem Sanctionem, Monasteria Sanctorum illorum, vel cætera in Regno nostro sub libertatis Priuilegium videntur consistere, ita & præsens valeat Deo adiutore constare. Ergo, si quid in villabus, mancipiis vel reliquis quibuscumque rebus, atque corporibus, aut Regio munere, aut suprà scripti illius, vel à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo Pontifice vel cæteris domnis Episcopis ad præfatum Monasterium, iuxta quod eorum continet Priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognouimus, nullus Episcoporum, vt diximus, nec præsens, neque si fuerint successores, seu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel qualibet persona possit quocunque ordine de loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso Monasterio, præter id quod scriptum est, adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de Ministery ornamentis, vel de altari, vel de offertione in altario inlata abstollere, nec ad ipsum Monasterium vel cellulas eius, nisi tantùm pro lucranda oratione (illud ipsum, si fuerit, cum voluntate Abbatis, vel eius Congregationis) absque dispendio eorum, aliter accedere penitus non præsumat. Quò faciliùs secundùm delegationis votum, vel huius seriei auctoritatem, ad ipsum Monasterium absque vllius inquietudine, ibidem cuncta proficiant in augmentis. Adiicientes, vt nulli penitus Iudicum, vel cuilibet hominum licentia sit, de rebus præfati Monastery, absque voluntate eorum seruorum Dei, in aliquo iniquiter defraudari, aut temerario spiritu suis vsibus vsurpare. Ne quod primitus est, & Dei iram incurrat, & nostram offensam, vel à fisco graue damnum sustineat. Illud nobis pro integra mercede nostra placuit addendum, vt tam quod ex nostra largitate, quàm delegatione ipsius, vel cæterorum, aut cuiuslibet, ibidem est aut fuerit deuoluta possessio, quoque tempore, nulla iudiciaria potestas, nec præsens, nec succidia, aut ad causas audiendum, aut aliquid exactandum, ibidem non præsumat ingredi, sed sub omni emunitate hoc ipsum Monasterium vel Congregatio sua, sibimet omnia freda concessa debeant possidere. Et quicquid exinde fiscus noster, forsitan de eorum hominibus, aut de ingenuis, aut de seruientibus in eorum agris commanentibus, vel vndecumque poterat sperare, ex indulgentia nostra, in luminaribus ipsius sancti loci, vel stipendiis Sanctorum Dei, tam nobis in Dei nomine viuentibus, quàm per tempora succedentibus Regibus, & pro mercedis compendio, debeant cuncta proficere, vt pro æterna salute, vel fælicitate patriæ seu Regis, constanter delectet ipsis Monachis, immensam Domini pietatem ingiter implorare. Quod Præceptum decreti nostri, Christo in omnibus suffragante, vt firmior habeatur, & perenniter confirmetur, subscriptione manûs nostræ, infrà studuimus confirmari.

In illa Regis Concessione verba hæc (*adiicientes, vt nulli penitus Iudicum, vel* XXXIX. *cuilibet hominum licentia sit, de rebus præfati Monastery, absque voluntate eorum seruorum Dei in aliquo iniquiter defraudari, aut temerario spiritu suis vsibus vsurpare*) declarant emunitatem Regiam, cuius formulam integram sic idem subiicit Marculfus [a]. *Maximum Regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis Ecclesiarum, aut cui volueris dicere, beneuolâ deliberatione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur nouerit solertia vestra, quòd nos ad petitionem Apostolici viri Domini illius, illius vrbis Episcopi, tale pro æterna retributione beneficium visi fuimus indulsisse, vt in villabus*

FORMVLA EMVNITATIS REGIÆ.

[a] Lib. 1. cap. 3.

AN. CH. 653. SIGIB. III R. 21. CLOD. II. R. 16.

Ecclesiæ, quas moderno tempore aut nostro, aut cuiuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit diuina pietas ampliare, nullus iudex publicus, ad causas audiendas, ad freda vndique exigendum, quocumque tempore non præsumat ingredi. Sed hoc ipse Pontifex, vel successores eius propter nomen Dei sub integro emunitatis nomine valeant dominare. Statuentes ergo, vt neque vos, neque iuniores, neque successores vestri, nec vlla publica iudiciaria potestas quocumque tempore in villis vbicumque in Regno nostro, ipsi Ecclesiæ aut Regiâ aut priuatorum largitate conlatis, aut qui in anteà fuerint conlaturu, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de quibuslibet causis exigere, nec mansiones, aut paratas, vel fideiussores tollere non præsumatis, sed quicquid exinde, aut de ingenuis, aut de seruientibus, cæterísque nationibus, quæ sunt infra agros, vel fines, seu supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes, fiscus aut de fredis, aut vndecumque potuerat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiæ, per manum agentium eorum, proficiat in perpetuum. Et quòd nos propter nomen Domini, & animæ nostræ remedium, seu nostrâ prosequenti progenie plenâ deuotione indulsimus, nec Regalis sublimitas, nec cuiuslibet Iudicum sæua cupiditas refragare tentet. Et vt præsens auctoritas, tam præsentibus quam futuris temporibus, inuiolata Deo adiutore permaneat, manûs nostræ subscriptionibus infrà roborare decreuimus. In hac formula, mansionibus paratæ subiunguntur, id est, alimonia quæ parabantur, vnde & vetus formula apud Pithœum paratas *pastus* agnominat. Literæ, quibus paratæ siue viatica imperabantur, dicebantur tractoriæ, harum Formulam habet Marculfus [a], cuius initium tale est. *Ille Rex, omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum illum, necnon & Illustrem virum partibus illis Legationis causâ direximus, ideo iubemus, vt locis conuenientibus eidem à vobis euectio simul & humanitas ministretur, hoc est, veredos, seu parauedos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos,&c.* Reliquias voces, quæ significationem in formula emunitatis Regiæ superiùs recitata minùs apertam habent, vt *iuniores, freda, mansiones*, explicuimus alibi. Notabis tantùm hîc obiter publicum Iudicem opponi Ecclesiastico, non autem publicum vocari ad priuati distinctionem, vt publicus habeatur qui Regius sit, Regiámque iustitiam exerceat, priuatus verò qui priuati Domini loco ius dicat.

[a] Lib. 1. c. 11.

XL. Marculfus [b] addit Formulam confirmationis de emunitate à successoribus Regibus indulgeri solitæ. *Principalem quidem Clementiam cunctis decet accommodare aurem benignam, præcipuè quæ pro compendio animarum à præcedentibus Regibus, parentibus nostris, ad loca Ecclesiarum probantur esse indulta, deuotâ debemus mente perpendere, & congrua beneficia, vt mereamur in mercedem esse participes, non negare, sed robustissimo iure per nostra oracula conferre. Igitur Apostolicus vir ille, illius ciuitatis Episcopus, Clementiæ Regni nostri suggessit, eò quod ille Rex per suam auctoritatem suâ manu subscriptam, de villis Ecclesiæ suæ illius, quas ad præsens possidebat, vel de eo quod à Deum timentibus hominibus ibidem in anteà delegaretur, integram emunitatem concessisset, vt nullus Iudex publicus ad causas audiendum, vel freda exigendum, nec mansiones, aut paratas faciendum, nec fideiussores tollendum, nec homines ipsius Ecclesiæ de quibuslibet causis distringendum, nec ad vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi non debeant. Vnde & ipsam Præceptionem iam dicti Principis, seu & confirmationem illorum Regum, eorum manibus roboratas, antedictus Pontifex nobis ostendit relegendas, & ipse beneficium circa eodem, vel memorata Ecclesia sua, sicut à supradictis Principibus fuit indultum, moderno tempore asseris esse conseruatum. Sed pro firmitatis studio, petit Celsitudinem nostram, vt hoc denuò circa eodem, vel memorata Ecclesia Sancti illius, nostra deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem, pro reuerentia ipsius sancti loci, vt mereamur in mercedem sociari, plenissimam voluntatem præstitisse, vel confirmasse cognoscito. Præcipientes ergo iubemus, vt sicut constat ab antedictis Principibus de villis præfatæ Ecclesiæ domni illius integram emunitatem absque introitu Iudicum fuisse concessam, ita & in anteà auxiliante Domino inspecta*

[b] Lib. 1. c. 4.

FORMVLA CONFIRMAT. DE EMVNIT.

AN. CH. 653. SIGEB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

priorum auctoritates omnimodò conseruentur, & neque vos, neque iuniores, neque successores vestri, vel quislibet de indiciaria potestate, in villas antedicta Ecclesia, quas moderno tempore vbicunque in Regno nostro poßidere noscuntur, vel qua in anteà à Deum timentibus hominibus fuerint conlata, tam de ingenuis quàm de seruientibus vel quibuslibet nationibus hominum, in prædictis ipsius Ecclesia villis commanentibus, nec ad agendum, nec freda exigendum, nec fideiussores tollendum, nec mansiones, aut paratas faciendum, nec eos de quibuslibet causis distringendum, nec vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi non præsumatis, sed sicut ipsum beneficium à iam dictis Principibus iam dicta Ecclesia fuit indultum, & vsque modo conseruatum, ita & deinceps per hanc nostram auctoritatem generaliter confirmatum, in Dei nomine perenniter maneat inconuulsum, & quicquid exinde fiscus noster poterat sperare in luminaribus Ecclesia ipsius in perpetuum proficiat, & vt hac auctoritas tam præsentibus quàm futuris temporibus inuiolata Deo adiutore poßit constare, subtus eam propriâ manu describimus roborasse.

XLI. Immunitatem siue emunitatem primi Christiani Imperatores parcam & modicam Ecclesiis tribuerunt, & initio quidem à ciuilibus & personalibus muneribus tantùm, quod ex libro decimo-sexto Codicis Theodosiani facilè perspicitur. Plenissima verò immunitas à Regibus Francorum concessa est, itaut teste Hieronymo Bignonio dici meritò possit, eos suo exemplo ceteris Principibus eandem immunitatem Ecclesiis concedendi auctores fuisse.

XLII. FABVLA DE AMENTIA CLODOVEI REIICITVR.

Clodoueus Rex, postquàm Præceptum pro Monasterio sancti Dionysij emisit, in amentiam statim incidisse fertur. Tres huius rei Scriptores antiqui producuntur, Anonymus qui Gesta Regum Francorum conscripsit, Monachus Dionysianus qui Gesta Dagoberti Clodouéique Regum in literas retulit, & Anonymus qui Fredegarium sex auxit capitibus. In Regum Francorum Gestis [a], quorum Author alius vetustior est, hæc de Clodoueo leguntur. *Eo tempore Chlodoueus brachium beati Dionysij Martyris abscidit, instigante diabolo. Per idem tempus concidit regnum Francorum casibus pestiferis. Fuit autem ipse Chlodoueus omni spurcitia deditus, fornicarius & inlusor fœminarum, gulâ & ebrietate contentus. De huius morte & fine nihil dignum Historia recolit. Multi enim Scriptores eius finem condemnant, nescientes finem nequisiæ eius, in incertum de eo alia pro aliis reddentes & referentes. Nam ex Bathilde Regina eius habuit tres filios, Chlotharium, Childericum, atque Theudericum.* Monachus Dionysianus mitiùs agit cum Clodoueo, nam postquàm de illius Præcepto sermonem fecit, opus suum sic absoluit. *Hludowicus itaque Rex cunctis diebus absque bellis in regno pacem habuit, sed fortunâ impellente quondam in extremis vita sua annis ad supradictorum Martyrum corpora quasi causâ orationis venit, voléńsque eorum pignora secum habere, discooperire sepulchrum iussit. Corpus autem beati & excellentißimi Martyris atque Pontificis Dionysij intuens, minùs religiosè, licèt cupidè, os brachij eius fregit & rapuit, confestímque stupefactus in amentiam decidit. Tantúsque terror & metus ac tenebræ locum ipsum repleuerunt, vt omnes qui aderant timore maximo consternati, fuga præsidium peterent. Post hæc verò vt sensum recuperaret, villas quasdam ad ipsum locum tradidit. Os quoque quod de sancto corpore tulerat, auro ac gemmis miro opere vestiuit, ibíque reposuit. Sed sensum ex aliquantula parte recuperans, non autem integrè recipiens, post duos annos vitam cum regno finiuit.* Fredegarij Continuator ambos hos Authores ob oculos habuit, & ex eorum scriptis conflauit Appendicis suæ caput primum, quod vulgati Fredegarij primum habetur supra nonagesimum, éstque huiuscemodi. *Igitur Chlodoueus filius Dagoberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens nomine Baldechildem, prudentem atque elegantem; genuit ex ea filios tres, Chlotharium, Childericum, & Theodoricum; habebátque Maioremdomûs Palatij virum strenuum atque sapientem nomine Erchoaldum. Chlodoueus itaque in Regno pacem habuit absque bello. In extremis verò vita annis amens effectus, vitâ caruit, regnauítque annos* XVIII. Qui Gesta Regum Francorum scripsit, tam multas habet fabulas, vt ea quæ de Clodouei Regis amentia spurcitiâque sparsit in vulgus, censeri debeant

[a] Cap. 44.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16. commentitia, quoniam vetustiore Authore non innituntur; addequòd expertem amentiæ Clodoueum satis indicant ea, quæ post Sigiberti Regis obitum prudenter æquè ac strenuè gessit, vt anno sequenti dicturi sumus. Cetera, quæ Continuator Fredegarij retulit de Clodoueo, vera sunt. Clodoueus ex Baldechilde tres suscepit filios, Clotarium & Childericum iam laudatos, & Theodoricum cuius ortus hoc anno consignandus videtur. Vsus est diutissimè Erchinoaldo Maioredomûs, nusquam autem Radoberto cuius nomen reperitur in solis subscriptionibus, quæ Præcepto Clodouei Regis suprà recitato perperam à Neoterico quopiam additæ sunt. Regnauit annos octodecim, id est, obiit anno Principatûs duodecimo, corrigendáque sunt iterum Gesta Regum Francorum, quæ Regnum illius vltra decimum-sextum annum haud prorogant. Aimoinus in hos errores non incidit, quia postquàm ad exitum Historiæ Fredegarianæ peruenit, cùm probæ notæ Scriptorem præ manibus non haberet, cuius authoritate res à Francis gestas prosequeretur, operi suo finem imponere statuit, paucáque tantùm de conuentu Clipiacensi déque Præcepto Clodouei Regis ex Monacho Sandionysiano subiecit instar transitionis ad res Floriacenses, quibus lucubrationem suam clausit, vt anno sequenti fusiùs ac distinctiùs exponemus.

XLIII. Hoc circiter anno Lenogisilus Buxiacensis Abbas obiit quarto Nonas Aprilis sub Clodoueo Rege, sepultúsque fuit in Ecclesia quam construxerat, vt Scriptores [a] Historiæ Cenomanensis affirmant. Acta verò quæ Bollandus [b] publicauit plenum dierum & sancto senio confectum interiisse produnt Agneflete * iam mortuâ. Si natus est ineunte Clotarij Principatu, dici potuit plenus dierum ac senex ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium, cùm ferè septuagenarius esset. Longè iunior erat Agnefletis, quam ætate tum primùm nubilem parentes elocare viro volebant anno Christi sexcentesimo vndeuicesimo. Vtriusque obitum in sancti Lenogisili vita peruetustus Auctor sic describit. *Cùm pia salutis nostræ omnipotentia ancillæ suæ* Agnefletis *laboribus requiem dare voluit, multo in sancta religione temporum cursu transmisso, Verno vico publico vita fecit excessum. Cuius cùm obitum vir Dei* Lenogisilus *comperisset, sine mora cum apparatu funeris ad locum venit, corpus eius ad cellulam suam volens prouehere, vt ibi venerabiliter sepulturam caperet. Cœpto iam itinere, venientes ad villam, cui nomen est Mamertium, vt possibilitatem sui resumerent, dimisso feretro paullulùm subsistunt. Inde surgentes vt iter suum percurrerent, nequaquam ab eo loco corpus amouere potuerunt. Sacerdos Domini contra votum suum agi videns, modicùm concitato spiritu dixit. Si hinc te asportare nequeo, dimittam in via ista insepultam. Dubius vt quid hæc acciderint, & qui illâ nocte in eodem loco corpus venerandum custodirent, ipse Monasterium repetens, peruigil in nocturnis precibus orabat, vt iuxta votum Deus ei concederet. Mane facto iterum viam carpit, & cùm peruenisset ad locum, sine vlla dilatione, sumpto feretro cum comitibus suis regreditur ad Monasterium, sepelierúntque eam in Basilica, cuius anima occursu beatorum spirituum migrauit ad Christum. Posthac Deitatis cultor Lenogisilus, in gratia Dei solidatus, multo tempore studiis bonorum operum in stadio vitæ huius perseuerauit. Plenus itaque dierum & sancto senio confectus languorem incurrit corpusculi, iámque deficientibus membris anima benè doctâ adiutori & visitatori suo gratias in labore sedulo referebat, sicque carnis vinculo absolutus est spiritus eius, & cuius desiderio æstuauit in terris, meruit eum feliciter videre in cælis. Sepultum est autem corpus beati viri in Basilica, quam ipse sumptibus religiosorum hominum construxerat in præfata cellula.* Sanctus Lenogisilus seu Lonogesilus in Cenomania corruptè * vocatur sanctus Longisus *, éstque etiamnum parœcia sancti Longisi in pago Sagonensi *.

a Corustier. Bondonnet. b In Append. ad d. 13 Ian. * Onoflete. LENOGISILVS ABBAS BVXIAC. SEPELIT AGNEFLETEM, MORITVR. * S. Longis. * Le Sonnois.

XLIV. Landelinus Cameracensis Presbyter, quem sub finem prioris anni tertiò Romam profectum diximus, *à beato Martino Romano Pontifice* benedictionem accepit, vt vbicumque vellet Euangelium Dei liberè prædicaret. Id apud Surium [c] docet Auctor vitæ, nec serius differri potest hæc postrema Landelini peregri-

LANDELINVS ROMA REVERSVS. c D. 15. Ian.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

peregrinatio, si Romæ tunc versabatur Martinus Papa, qui pulsus est in exilium hoc eodem anno, feriâ quartâ, decimo-tertio Kalendas Iulias, vt ipsemet epistolâ decimâ-quintâ testatur. Cui rei Landelinus post suum ex Italia reditum vacarit, Anonymus in eius vita manuscripta sic explicat. *Cùm igitur in pace reuersus fuisset, licentiâ cum benedictione acceptâ a beato Autberto Pontifice, profectus est in pagum nuncupatum Haynau, in locum super fluuium Sambram situm, qui ex nomine riuuli decurrentis in præfatum flumen vocatur Laubacus, & ibi construxit sibi & discipulis suis monasteriales habitationes*, vt anno sequenti ex eodem Auctore dicturi sumus. ADIT LAVBACVM.

XLV. EPISCOPI ALETENSES ET LEXOBIENSES.

In prouincia Lugdunensi tertia vitam hoc anno clauserunt Noedius Aletensis Episcopus & Martinus Episcopus Lexobiensis. Sedit Noedius menses nouem, obiitque mense Martio. Martinus Diœcesim rexit annis duodecim. Noedio successit Riatwalus, Martino Dionysius. Lege Armoricam Sanctam, & dissertationem à nobis initam de Chronologia Lexobiensium Episcoporum post obitum sancti Tugdwali [a].

[a] Tom. 1. a. 553. nn. 7 8

XLVI. AQVILINVS FIT EPISC. EBROICENSIS.

Aquilinus, cuius mentionem anno priori fecimus, Ebroicensem Pontificatum suscepit hoc anno, rexit enim Diœcesim annos duos & quadraginta, senéxque migrauit in cælum anno Christi sexcentesimo nonagesimo-quinto, vt ex Gestis Sanctorum, Ansberti Rotomagensis Episcopi, Leufredi & Sidonij Abbatum, simul collatis probabimus. Successit autem beato Æterno, cuius memoria celebris est decimo-sexto [b] Kalendas Augusti. Mirabilem super Aquilini electione consensum Cleri ac populi sic extollit Auctor [c] vitæ. *Non ibi vna vox, aut vnius partis personuit acclamatio, sed diuersarum vocum generalis electio adeò inter se pulchrè consensit & conspirauit, vt nulli esset ambiguum, quod vulgus peteret, id & inspirari & imperari diuinitus. Nec quæsitum est ab electo, quid ipsi videretur, quandoquidem qui latere didicerat, Christóque contentus esse decreuerat, apparere vtique nollet, si quis eius consensum requireret. Sed rapitur ab omnibus & trahitur, quasi non suus deinceps futurus, sed communiter omnium. Primóque fit Clericus, inde gradatim promotus, ad Episcopale cacumen euehitur, vt totius Ebroicensis Ecclesiæ domum gubernet, & curam Pastoralem ei impendat, qui suæ domui tam præclarè præfuerat, vt manens in seculo, etiam in ipso matrimonio iam mortuus esset mundo & viueret Christo; qui vxori coniunctus spiritu, carne disiunctus, assueuisset spiritales procreare filios, & è vetustis vtribus nouum vinum depromere, id est, sub vetustatis velamine nouum pietatis exhibere gustum.*

[b] Martyr. Gall.

[c] Ap. Surium d. 19. Oct.

XLVII. MALARDVS EPISC. CARNOT. OBIT.

Malardus Carnotensis Episcopus, cuius mentionem anno quoque superiori fecimus, ad hunc annum peruenit. Colitur decimo-quarto Kalendas Februarias, vt ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum [d] iam obseruatum est. De illius successore magna est difficultas, indigent enim emendatione quotquot hactenus editi sunt Episcoporum Carnotensium catalogi.

[d] Num. 63.

XLVIII.

Demochares hunc titulum [e] Indici Carnotensium Episcoporum præfixit. *Catalogus Episcoporum Carnotensium, quem nobis communem fecit Ludouicus Carpentier, Doctor Theologus ac Canonicus Ecclesiæ Carnotensis, quémque ex aliis adauximus.* Vtinam Demochares qualem à Ludouico *Carpentier* acceperat, talem Indicem publicasset; & Episcoporum nomina, quæ desiderabantur, seorsum edidisset ab isto catalogo; plerosque enim Episcopos, qui Carpentierum fugerant, suis locis non benè suppleuit, atque inde secuta recentiorum catalogorum perturbatio.

[e] De diuino Miss. Sacrif. c. 18.

XLIX. CATALOGVS EPISCOPORVM CARNOTENSIVM EXAMINATVR.

Post Caletricum Episcopum, qui superstes in viuis existebat anno Christi quingentesimo sexagesimo-sexto, vitámque mortalem clausit anno Christi circiter quingentesimo sexagesimo-septimo, Carnotenses Antistites apud Democharem hoc recensentur ordine; *Magobertus, Sigoaldus, Mainulphus, Theobaldus, Lancegisilus, Malardus, Gaubertus, Godebertus, Deodatus, Dronus, Pronius, Papulus, S. Betharius.*

L.

A Democharis Indice non discrepant Rolliardus & Chenutius. Apud Seuertium solus *Mainulphus* inter Sigoaldum & Papulum medius collocatur.

AN. CH. 653. SIGIB. III. R. 21. CLOD. II. R. 16.

Sigoaldo *Papulum* immediatè sufficiunt Robertus & Sammarthani. Nos Magobertum & Sigoaldum reiecimus in aliud tempus, & Sancto Caletrico Papulum proximè subrogauimus.

Caletricus, quem Papuli decessorem constituimus, ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-septimum peruenit, obiitque octauo Idus Octobris. Neutrum horum in dubium vocari potest. Ergo Magobertus, quem

LI. sedisse volunt annos tredecim, non successit Caletrico. Nam *Papulus* Episcopus erat anno Christi quingentesimo septuagesimo-tertio, cùm Synodus Parisiensis Quarta celebrata est. Episcopis enim, qui *in Sancta Synodo Parisius* conuenerant, ita scripsit. *Cùm me antè aliquod temporis, Clericorum vel ciuium Carnotinæ ciuitatis voluntas per consensum, cum conniuentia etiam Metropolitani mei, fieri Episcopum elegisset, quod annuente Domino factum est, post aliquot dies quidam ex ipsius ciuitatis Carnotinæ territorio Presbyter, nomine Promotus, qui reliquerat sine literis antecessoris mei cellulam suam inlicitâ præsumptione Parrochiam meam, cui vocabulum est Duno* *, *quasi sub nomine Episcopatus visus est peruasisse.* Papulum infulis Carnotensibus donarum putamus anno Christi quingentesimo sexagesimo-octauo, & anno sequenti, quo Remensem Episcopum Ægidius suscepit, Promotum ab eodem Ægidio contra Canones Episcopum consecratum fuisse. Lege Constitutionem Synodi Parisiensis ipsimet Ægidio inscriptam. Initium tale est. *Dum pro causis publicis priuatorúmque querelis Parisius moraremur, vir Apostolicus frater noster Domnus Pappolus Episcopus mediocritati nostræ detulit in querelam, in Castro Dunensi, Parrochia denique Carnotina, quod Castrum nec ad territorium ciuitatis vestræ, nec ad vestram prouinciam manifestum est pertinere, à vobis contra omnem rationem & contra Canonicam disciplinam Episcopum consecratum.* Ceterùm *Papulus* seu *Pappolus* vitam ad annum vsque Christi quingentesimum nonagesimum-quartum prorogauit, sextus enim successoris annus cum anno Christi sexcentesimo coincidit.

* Chasteau-Dun.

LII. Hic Papuli successor non alius fuit à sancto Bethario. Demochares, Rolliardus & Chenutius ita iam censuerunt. Hæc sententia nititur auctoritate peruetusti Scriptoris, qui de sancti Betharij promotione ad Pontificatum in eius vita sic disseruit. *Papulus Episcopus ab hac luce migrauit. Tunc cunctus Clerus & deuotissimus populus, diuinâ admonitus inspiratione ad Palatium pergit, aures Regis totâ fortitudine pulsat, scilicet petens vt beatum Betharium sibi daret Pastorem & Episcopum. Rex verò contristatus est super hoc negotio, & omnes Optimates illius, quia sicut Angelum Dei venerabantur eum. Verumtamen non distulit vota petentium, quin illicò expleret fidelium votum. Tunc iussu Imperatorio omniúmque Optimatum, Carnotensium Ecclesia suscepit principatum.* Cotrigendus igitur Seuertius; apud quem successores Papuli referuntur hoc ordine, *Theobaldus, Lancegisilus, Godebertus, Bertegiselus, Deodatus, Dronus, Pronius, Betharius.* Corrigendus etiam Robertus apud quem adhuc plures inter Papulum & Betharium medij collocantur Episcopi, *Mainulfus, Theobaldus, Lansegisilus, Malardus, Gausbertus, Godebertus, Deodatus, Dronius, Pronius, Betharius.* Denique corrigendi Sammarthani, qui *Bertegisilum* à Roberto prætermissum Malardo præponunt, in ceteris eidem adstipulantur Roberto.

LIII. *Bertegisilus*, quem Demochares, Rolliardus, Chenutius & Robertus omiserunt, à Seuertio commendatur & à Sammarthanis. Apud Seuertium post Papulum Episcopum hi sequuntur, *Theobaldus, Lancegisilus, Godebertus, Bertegisilus*; apud Sammarthanos isti, *Mainulfus, Theobaldus, Lansegisilus, Bertegisilus.* At *Bertegisilus* nec Godeberto nec Lansegisilo sed Bethario successit. Id liquet ex vita sancti Betharij & ex Flodoardo simul collatis. Betharius enim, qui Papulo Ecclesiam Carnotensem iam administrante puer in Franciam venit, obiit *longo iam æuo fatigatus*, vt Auctor vitæ in Codice Vindocinensi scribit, quapropter illius mortem anno Christi sexcentesimo vicesimo-tertio consignauimus. *Bertegisilus* autem, vt ex Flodoardo [a] constat, interfuit Concilio Remensi, quod anno Christi DCXXV. celebratum est.

[a] Lib. 2. c. 5.

Vt Bertegisilus, quia Concilio Remensi subscripsit, Bethario successisse AN. CH.
deprehenditur, sic & proximus eiusdem Bertegisili successor censeri debet 653.
Malardus, quia Concilio Cabilonensi subscripsit, quod ostendimus regnante SIGIB.
Clodoueo Secundo conuocatum fuisse anno Christi sexcentesimo quadrage- III. R. 21.
simo-quarto. Malardus omittitur à Seuertio, Lansegisilo subrogatur à De- CLOD.
mochare, Rolliardo, Chenutio & Roberto, in quorum catalogis post Si- II. R. 16.
goaldum recensentur, *Mainulfus*, *Theobaldus*, *Lansegisilus*, *Malardus*. In vi- LIV.
uis superstes erat anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, vt ad illum annum obseruauimus, obiitque hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio, vt Episcoporum subsequentium Chronologia palàm ostendet.

In catalogo Democharis, quem Rolliardus & Chenutius secuti sunt, sancto Caletrico, vt suprà iam notauimus, proximè succedunt tredecim hi Pontifices, *Magobertus*, *Sigoaldus*, *Mainulfus*, *Theobaldus*, *Lancegisilus*, *Malardus*, *Gaubertus*, *Godebertus*, *Deodatus*, *Dronus*, *Pronius*, *Papulus*, *S. Betharius*. Trium tantùm meminimus, Malardi videlicet, Papuli & Betharij. Supersunt decem à nobis hactenus intacti, *Magobertus*, *Sigoaldus*, *Mainulfus*, *Theobaldus*, *Lancegisilus*, *Gaubertus*, *Godebertus*, *Deodatus*, *Dronus*, *Pronius*. Sequuntur apud eundem Democharem *Berthegraunus*, *Haynius*, *Haygrandus* aliis *Airardus*, qui Concilio Rotomagensi præsens interfuit. Ab anno autem Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio, quo beatus Malardus ad cælos migrauit, ad annum vsque Christi sexcentesimum duodenonagesimum, quo Rotomagense Concilium celebratum est, effluxerunt anni duntaxat triginta quinque, quos in tres Pontificatus ita partiemur, vt Magoberto tribuamus annos tredecim, Sigoaldo duodecim, decem Theobaldo. LV.

Sancto igitur Malardo in Episcopatum Carnotensem successit Magobertus. Hic à Roberto & à Sammarthanis vocatur Magnobertus. Sedit annos tredecim, obiitque anno Christi sexcentesimo sexagesimo-sexto, vt ad illum annum dicturi sumus. LVI. MAGOBERTUS FIT EP. CARNOTENS.

ANNVS CHRISTI 654. CLODOVEI II. R. 17. 1.

654. CLOD. II. R. 17.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, die decimâ sextâ Ianuarij, corpus sancti Fursei eleuatum est Peronæ post annos ferè quatuor ab eius obitu. Depositionem enim quam anno Christi sexcentesimo quinquagesimo consignauimus, & eleuationem de qua hic nobis agendum est, in vita S. Fursei sub finem sic distinguunt ambo Scriptores Anonymi, qui vitam illius & miracula duobus libris toties iam citatis exararunt. *Reuerenter*, inquiunt, *iuxta morem prope altare reconditur, ibique annis ferè quatuor demoratur. Constructâ verò ad Orientalem altaris partem domunculâ, ibi post tot annos immaculatum & integrum corpus à reuerentissimis subuectum Episcopis, Eligio scilicet & Autberto, & à Foillano & Eminiano Abbatibus, & aliis sanctis viris transfertur sine vlla putredine*. In libro de miraculis prior Anonymus ait multa miracula patuisse, priusquàm *ab inlustribus viris Eligio, Autberto & Medardo Episcopis* eleuaretur. Piaculum esset de miraculis dubium ciere, sed obseruare licet flagitiosum mendum in ipsam narrationem irrepsisse, vbi Eligio Nouiomensi Episcopo iungitur Medardus prædecessor cuius obitum ante annos centum ac nouem retulimus. Posterior Anonymus in libro de miraculis docet capsam, quâ sancti Fursei reliquiæ includerentur, ab Eligio Epi-

I. ELEVATIO S. FVRSEI.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

ſcopo confectam fuiſſe, Patricio Erchinoaldo & eius vxore Leutſindâ theſauros ſuos in id opus vltrò erogantibus. *Poſt quadriennium*, inquit, *prædictus Patricius cum vxore ſua theſauros ſuos, & eos quos diuina virtus in prædicta Eccleſia thezaurizauerat, B. Eligio Nouiomenſium Epiſcopo tradidit, & vt inde S. Furſeo conueniens feretrum fabricet, cum omni Clero ſupplicauit. Quod vir venerabilis miro & incomprehenſibili opere poliuit, & ad Sanctum inthronizandum, beatum virum Autbertum conuocauit. Qui ad eleuandum venerabile corpus de ſarcophago accedentes, ita illæſum inuenerunt, vt fuerat illâ die quâ poſuerunt. Quod præ gaudio lachrymantes, vt erat Clero & populo detexerunt, & poſthac condignâ veneratione multis aromatum odoramentis conditum in feretro clauſerunt, ac deinde poſt B. Petri Apoſtolorum Principis altare eiuſdem Eccleſiæ principale, ſecus quod iacuerat, versùs Solis ortum poſuerunt.* Prior Anonymus in libro de miraculis author etiam eſt, *quòd Sanctus Dei Eligius diligenter fabricauit manibus ſuis, venerabilis S. Furſei ſepulchrum.*

II. Autbertus Epiſcopus, qui vnà cum Eligio Nouiomenſium Epiſcopo eleuationi ac tranſlationi ſancti Furſei præſens interfuit, non alius eſt ab Autberto Cameracenſi Pontifice. Quod attinet ad Abbates Foillanum & Emianum ſiue Eminianum vel Æmilianum, hic Abbas erat Latiniacenſis, Foillanus verò manebat Niuellis, & ſanctis conſiliis egregiàque prudentiâ pios Gertrudis Abbatiſſæ conatus ac ſtudia feliciſſimè promouebat. De vtroque verba iam fecimus. Cùm autem hoc loco Foillanus in Abbatum numero collocetur, facilè credimus eum Epiſcopali dignitate numquam auctum fuiſſe, quamuis Author vitæ apud Hugonem Menardum multíque recentiores aliter ſentiant. Superiùs exploſimus eorum ſententiam, qui ſanctos Furſeum & Foillanum Romam profectos & Epiſcopos ordinatos à Martino Papa contendunt. Fatemur quidem complures olim Scotos ad prædicandum gentibus Euangelium ordinatos Epiſcopos fuiſſe ſine certa Sede, ſed Foillanum in eorum numero fuiſſe ex vetere monumento nuſquam conſtat.

III. SIGIBERTI R. OBITVS, SEPVLTVRA, Hoc anno, Kalendis Februariis hominem exuit Sigibertus Rex Orientalis Franciæ, de quo ſic Author vitæ [a]. *Obiit Kalendis February, & ſepultus eſt in vrbe Mettis, quæ Regni ſui Sedes fuerat, in Baſilica quam ad laudem & gloriam Dei in honore Sancti Martini glorioſi Confeſſoris Regiâ liberalitate conſtruxerat, quæ ſita eſt ad radices montis, qui plurimus vrbi*

Imminet, aduersâſque aſpectat deſuper arces.

IV. TRANSLATIO,* Abbatia *Sancti Martini in campis* à Sigiberto Rege erecta fuit haud procul ab vrbe, deinde tranſlata fuit ad radices montis ſancti Quintini, ac tandem anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-ſecundo penitus diruta fuit. Ad illam ædem olim per totam octauam Aſcenſionis Dominicæ frequens concurrebat populus, vt reliquias ſancti Sigiberti veneraretur. At illius loci vt reditibus ſic & ſacris pignoribus gaudet hodie Primatia Nanceiana *. Lege Hiſtoriam [b] Metenſem.

V. LIBERI, Sancti Sigiberti Genealogiam, vitam ac miracula deſcripſit Sigebertus Gemblacenſis. In vita ſancti Boniti [c] Aruernorum Epiſcopi, quam Author ſynchronus conſcripſit, Sigiberto Regi plures attribuuntur filij, ſolius tamen Dagoberti nomen in Hiſtoriis exprimitur. *Mortuo Sigiberto Rege*, vt in Geſtis Regum Francorum [d] legitur, *Grimoaldus Maiordomûs filium eius paruulum nomine Dagobertum totondit, & per Didonem Pictauenſis vrbis Epiſcopum in Scotia ad peregrinandum eum dirigens, filium ſuum in regno conſtituit. Franci itaque commoti atque vehementer indignati Grimoaldo inſidias præparant, eúmque eximentes ad condemnandum Regi Francorum Chlodoueo deferunt. Et Pariſius ciuitate incarcere mancipatus, vinculorum cruciatu conſtrictus, vt erat morte dignus, propter ſcelus, quod in Dominum exercuit, morte vitam finiuit.* Eadem refert Author vitæ iam laudatus. *Mortuo Sigiberto Rege, Grimoaldus Maiordomûs Dagobertum filium eius ſuæ fidei commendatum, vt Auſtraſiorum potiretur regno, tonſorauit in Clericum conſilio Didonis Pictauienſis Epiſcopi, qui fuit auunculus Sancti Martyris Leodegary, & per manum*

[a] Tom 1. Coll. Hiſt. Franc.

* De Nancy.

[b] L. 2. in 31. Epiſc.

[c] Ap Bolland. d. 15. Ian.

[d] Cap 43.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio irreuocabili. Filium verò suum Childebertum Austrasiorum regno constituit Regem. Franci ægrè ferentes perfidiam Grimoaldi, captum eum destinant Parisius ad iudicium Regis Clodouei, qui fuit frater Sigiberti, quem Clodoueus vinculatum carceri manc pauit, & crudeliter, vt dignus erat, vsque ad mortem tormentauit. Acta sancti Audoeni Dagobertum post obitum Sigiberti patris in Clericum à Grimoaldo attonsum & Rotomagi in Basilica sancti Petri sepultum tradunt. Plura de Dagoberto dicemus suis locis. Ceterùm hoc eodem anno Sigibertus Rex animam Deo reddidit, Dagobertus in exilium missus est, Grimoaldus Childebertum Austrasiæ præfecit, Childebertus amisit regnum, Grimoaldus vitam in vinculis ac tormentis clausit, Clodoueus Orientalem Franciam recepit. Assertioni nostræ fidem conciliamus, cùm ab obitu Clodouei, qui regnauit annis octodecim vt anno sequenti probabimus, tum ab authoritate Flodoardi [a], quo teste Niuardus Episcopus Remensis *Praceptum immunitatis à Childeberto Rege super teloneis & quibusdam tributis Ecclesia Remensis obtinuit. Cui Ludouicus quoque Rex sub Ecclesia sua nomine res quasdam in Malliaco * super fluuium Vidulam, quas quibusdam infidelibus suis eiectis receperat, auctoritatis sua Pracepto concessit*, ita vt dubium esse non possit, quin Clodoueus Sigiberto fratri superstes vixerit, & eiecto Childeberto Grimoaldi filio regnarit in Austrasia. Porrò per ditiones Austrasiorum, vt Regnum Childeberti magis firmaretur, falsus rumor spargebatur de Dagoberti morte, & de adoptione Childeberti à Sigiberto Rege pridem facta, si liberos ipse non reliquisset, vnde posteriores Scriptores sumptâ errandi occasione arbitrati videntur Sigibertum diu prole caruisse, quod à vero longissimè abest, vt ex supradictis patet, Dagobertum enim puerum aliquot annorum reliquit, annósque vixit quatuor duntaxat ac viginti.

[a] Lib 2 cap. 7.

* *Mailly sur la riuiere de Veesle.*

VI. ÆTAS.

Henschenius in diatriba, quam de tribus Dagobertis Francorum Regibus composuit, Sigiberti vitam vsque ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-tertium prorogat, eo potissimùm argumento fretus, quod Author vitæ tradir Sigibertum *obiisse Kalendis Februarij, expletis ætatis sua annis* XXXT. *Regni autem* XXVIII. *anno ab Incarnatione Domini* DCLXII. *à transitu Sancti Martini* CCLXIII. è quibus Characteribus nullum retinendum putat præter illum, qui ducitur ab Incarnatione Domini, obseruátque Kalendas Februarias, quas Author annum à Paschate inchoare solitus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo attribuit, incidere in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-tertium, si principium anni à Kalendis Ianuariis petatur. Nos verò nec illam temporis notam, nec ceteras seruandas remur. Sigibertus annos tantùm XXIV. vixit, regnauit annos duntaxat XXI. decessit anno ab Incarnatione Domini DCLIV. ab obitu S. Martini CCLVII. Multi super anno Christi, quo Sigibertum Regem mortuum dicimus, nobiscum consentiunt, quos tamen prætermissos volumus, quia illorum Chronologia non eo quo nostra fundamento nititur. Volunt enim Dagobertum post Clotarium patrem Regnum annis tenuisse sexdecim, Sigibertúmque natum esse anno post aui Clotarij mortem octauo, quem anno Christi sexcentesimo tricesimo-sexto illigant, eóque calculo vitæ Sigiberti Regis annos plures quàm duodcuiginti non assignant.

VII. EIECTO CHILDEBERTO.

Haud etiam astipulandum putamus iis, qui Childericum Austrasiis præfectum volunt à Clodoueo patre adhuc superstite, extat enim Præceptum à Childerico Rege datum anno regni octauo cùm Bilihildem vxorem iam duxisset, nec desunt qui scribant Childericum in Austrasia nouem duntaxat annos regnasse, antequàm Neustriæ & Burgundiæ dominaretur, à quorum sententia non recedit vetus apud Duchesnium Author [b], cùm Childerici primordia refert anno post Sigiberti Regis obitum septimo, quamuis in eo sit corrigendus quòd illud interstitium vni Childeberto Grimoaldi filio totum tribuit, nam Childebertus tyrannidem paucis duntaxat mensibus exercuit, deinde Clodoueus Rex Austrasiam recepit, quam Clotarius filiorum natu maximus cum Neustria & Burgundia rexit, donec Bathildis anno Christi sexcentesimo

[b] Tom 1. Coll. Hist. Franc.

REGNAT IN AVSTRIA CLODOVEVS.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. sexagesimo Regem Austrasiæ constituit filium Childericum, qui nono post anno, siue anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo in Neustriam & Burgundiam successit. Ceterùm Childeberto pseudo-Rege & Grimoaldo Maiotedomûs exauctoratis, Dido Pictauiensis Episcopus in gratiam cum Regia familia rediit. Id multa confirmabunt infrà.

VIII. Grimoaldus iisdem temporibus, quibus Austrasiam Childeberto filio asserere conatus est, duas villas Remensi Basilicæ sancti Remigij contulit, sic enim Flodoardus [a] de Niuardi Pontificatu loquitur. *Huius etiam tempore tradidit Grimoaldus vir illustris sancto Remigio villas suas Calmiciacum* * *& Victuriacum* * *pro anima sua remedio.*

[a] Lib. 2. c. 7. * Chaumuci. * Vitry.

IX. WICTHERPVS EPISC. AVGVST. OBIT. Hoc anno, qui post initia Faucensis Monasterij vicesimus-quintus numeratur, Wictherpus Augustanus Episcopus obiit decimo-quarto Kalendas Maias. Magnus Abbas Faucensis subrogandum curauit Tozzonem Presbyterum. Id in ipsius Magni vita testatur Theodorus, cuius Interpolator illo loco meminit Pippini Regis, nam Pippinus Breuis Regnum Francorum multò seriùs adeptus est, & Pippinus Maiordomûs, cui Magnus cognitus fuit, ante annos quatuordecim è viuis discesserat. SVCCEDIT TOZZO. Sanctus Wictherpus ab Augustanis colitur decimo-quarto Kalendas Maij. Bruschius, Cratepolius & Raderus Tozzonem ex parocho Waltenhofensi Episcopum Augustanum creatum affirmant, quia locus vbi à Magno ad Fauces pergente relictus est, initio Cella sancti Magni, deinceps *Waltenhofen* appellari cœpit, & hodie parœcia est in Bauaria non procul à Lyco flumine.

X. ARNANVS RECLVSVS OBIT. Hoc eodem anno discessit è viuis Arnanus Reclusus, qui vitam venerabilem duxerat prope Monasterium, quod apud Caducos Desiderius Episcopus in honorem beati Amantij construxerat, vixit enim post eiusdem sancti Desiderij mortem *annis plùs minùs quinque, vsque demùm obiens in ipso specu humatus fuit*, vt in vita sancti Desiderij testatum habetur.

XI. SALABERGA ABBATISSA MORITVR. Salaberga Laudunensis Abbatissa hoc anno, qui vitæ vltimus fuit, *vidit in mansione quam frequentare solita erat, tabernaculum è polo mira claritatis ac splendoris descendere, quod deorsum spatiosum & sursum arduum videbatur. In quo recepta auis miro splendore refulgens, eam apprehensam in extasi positam, immò translatam, trans fluuium quemdam ingentem asportauit, & in prata valdè amœna immisit, vbi diuersorum florum, & immensa odoramentorum genera fragrabant, atque inter candentia lilia, & rosarum rubentium flores vidit immensa infantum agmina vtriusque sexûs niueis cicladibus, & laureatis capitibus ouantes, inter quos & Magobertus puerulus aderat. Quâ visâ, ait. Agnoscis me mater? Illa ait. Nescio. Respondit puer. Ego sum Magobertus filius Amilsana, quem ante te misisti, & sum modò in hac claritate quam cernis. Nec mora, vidit beatum virum & venerabilem Ansericum Pontificem obuiam sibi venire, ad quam ait. Agnoscis me? Et illa fatetur se ignorare. Ego sum, inquit, Ansericus Episcopus Suessionum, quem crebriùs in domo tua accersitum vidisti, veni & ostendam tibi valuas Paradisi. Et ostendit ciuitatem Dei Altissimi, & duodecim sedes Apostolorum ex auro gemmísque rutilantes. Cui & ait. Ecce tibi locus præparatus est. Sed quia B. Mariæ ingemmati sunt oculi, & preces sororum ferre non potest, quia adhuc eis necessaria es, deprecata est filium suum, vt à superis celeriùs illuc reuertaris præmia possessura tibi à Domino collata. Interim auis illa iterum illam apprehensam ib ore eius, anhelitu recuperato, à superis remisit. Igitur dum quadam nocte quiesceret, in specie venerabilis viri Waldeberti* tum Luxouiensis Abbatis, *vtpote Angelus Domini, apparuit ei tertiò, qui & cingulum eius vidit, & de renibus abstractum secum detulit, quod cingulum vlteriùs non comparuit, significans, vt opinor, quòd in posteritate eius honor successionibus accreuerit. Cuius vestes, vt ipsa referre solebat, candore nimio fulgebant, & hac voce admirandâ affatur fœminam. O dulcissima filia, prapara te vt accipias brauium, & exitum tuum præstolare, quia & ego ex victoria tua cupio brauium accipere, quia centesima ex hac die dies vocationis tua eueniet, vt laboris tui fructum, quem cum magno sudore quasisti, cum multiplicato fœnore in horreo Domini tui recondas. Has*

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

audiens illa vnâ ex sororibus sibi familiari accersitâ, vim somnij, tenorémque rei pandit, & cæteris promere distulit. Angelus autem Domini præcepit ei vt per singulos dies ac noctes infra illum centenarium numerum expleret Psalterium. Ab illa igitur die cœpit vigiliis, ieiuniis, Psalmis, & orationibus plùs solito Domino libare, quantò firmior de promisso, tantò alacrior de obsequio. Ante vigesimam autem vocationis eius diem, pedum dolore tacta lectulo decubuit. Interea, vt assolet in rerum opulentia discordiam etiam inter propinquos generari, germanus eius Bodo aliquas villas, quas per chartarum seriem ad ipsum condonauerat Cœnobium, illicitâ vsurpatione retinebat, sed compertâ germanæ ægritudine,, & illâ pro hac re anxiâ Dominum deprecante, summa cum festinatione ad eam venit, móxque de medio chartarum sanctio inuicem roborata, hactenus rata perdurat, sed cùm sensisset se migraturam à corpore, valedicens sororibus, Itolum Presbyterum poposcit, vt pro se, sicut mos est, officium expleret funeris, & hac flagitans sacrum emisit spiritum. Obiit præfata famula Christi, decimo Kalendas Octobris. Reliquiæ eius in eodem conduntur loco. Huc vsque Author vitæ. Duo Salabergæ fratres fuerunt, Leudinus & Fulculphus, vterque cognominatus est Bodo, textus autem præcitatus de Fulculpho, qui nuncium seculo non remisit, intelligendus potiùs videtur, quàm de Leudino qui Tullensium Episcopus erat.

XII. AVSTRVDIS SVCCEDIT.

Austrudis beatæ Salabergæ tertia filia, quæ nomen inter Laudunenses Moniales ante annos octo dederat, *defunctâ matre, in Abbatissam electa est anno ætatis suæ vigesimo, & annuente Clodouæo Secundo Francorum Rege, acclamantibus regionis Proceribus vniuersis, à Peregrino Laudunensi Episcopo post impertitam benedictionem instituitur.* Ita refert ex vita sanctæ Austrudis manuscripta Lucas Dacherius in nonnullarum sancti Ioannis Laudunensis Abbatissarum nomenclatura; sed Peregrini loco restituendus est Attola. Cùm autem Austrudis *annuente Clodouæo* regimen Monasterij susceperit, eam certò colligimus electam fuisse in Abbatissam exeunte hoc anno, postquàm Clodoueus Lauduno reliquâque Austriâ potiri cœpit. Hugo Menardus [a] Austrudem ait *in regimen Abbatiæ sororibus Saretrudi & Ebanæ* successisse, sed hunc textum, qui de Austrude in vita sanctæ Salabergæ legitur *(genuit filiam tertiam, ipsámque Baptismi gratiâ regeneratam Austrudem appellauit, quæ in curam & regimen Sororum, processu temporis, cunctâ annuente cateruâ, successit)* malè explicuit, & in sensum ab Authoris mente penitus alienum detorsit, Author enim *regimen Sororum* Austrudi delatum ita dixit, vt per *regimen sororum* regimen Monialium seu Monasterij præfecturam intellexerit, non autem regimen quod Austrudis sorores Saretrudis & Ebane priùs obiissent.

[a] Lib. 1. obseru. d. 17. Oct.

XIII. WILFRIDVS FIT CLERICVS.

Wilfridus, cùm *tres annos* post reditum suum ex Italia commoratus esset apud Annemundum Præsulem Lugdunensem, *attonsus est ab eo*, inquit Beda [b], *& in tanto habitus amore, vt hæredem sibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, Antistes crudeli morte præreptus est, & Wilfridus ad suæ potiùs, hoc est, Anglorum gentis Episcopatum reseruatus.*

[b] Lib. 5. c. 20.

XIV. MARTYRIVM ANNEMVNDI EP. LVGDVN.

De tempore quo sanctus Annemundus Martyrium subiit, varias nostrâ ætate sententias publicarunt Theophilus Raynaudus [c], Iacobus Seuertius [d] & Andreas Saussaius [e]. Necem tantùm retulit in literas Beda, plura protulit Seuertius ex Breuiariis ac libellis diuersarum Ecclesiarum. Præter duos hos Authores nullus occurrit qui consuli mereatur in hac materia. Fidem maximam sibi conciliant Bedæ nomen & ætas penè synchrona. Codices à Seuertio citati, quamuis Bedâ recentiores sint, non videntur contemnendi. Sed Bedæ locus à Librariis corruptus fuit, id liquidò constat. Incidit & Seuertius in Codices deprauatos, vt ipsemet fatetur. Inde occasio data plerísque Neotericis à vero procul aberrandi. Emendandus primùm Beda. Tum cetera facilè dilucidabuntur.

[c] In Ind. SS. Lugd.
[d] In Episc. Lugd. n. 45. p. 2.
[e] d. 28. Sept.

XV.

Brunechilda Regina, inquit Beda [f], *missis militibus Episcopum iussit interfici, quem ad locum quidem quo decollandus erat, secutus est Wilfridus Clericus illius, desiderans cum eo (tametsi ipso multùm prohibente) pariter occumbere. Sed hunc*

[f] Lib. 5. c. 20.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. *vbi peregrinum atque oriundum de natione Anglorum cognouere, carnifices pepercere illi, neque eum trucidare cum suo voluere Pontifice. At ille Britanniam veniens, coniunctus'est amicitiis Aldfridi Regis, qui Catholicas Ecclesiæ regulas sequi semper & amare didicerat.* Teste eodem Bedâ Wilfridus ordinatus est Episcopus, *cùm esset annorum circiter triginta, & post quadraginta & quinque annos accepti Episcopatûs diem clausit extremum anno Imperij Hosredi quarto*, Hosredus autem Alfrido patri successit [a] *anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo quinto.* Migrauit igitur in cælum Wilfridus anno Christi septingentesimo nono, Pontificatum iniit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto, humanæ lucis vsuram accepit anno Christi circiter sexcentesimo tricesimo-quarto, siue anno post Brunichildæ mortem circiter vicesimo-primo, ita ut alienum prorsus à vero sit præsente Wilfrido quempiam Brunichildæ iussu è vita sublatum fuisse. Qui mortem Annemundi sub Principatu Clotarij Tertij collocandam putant; nomen Brunichildæ scriptum contendunt à sciolo quopiam Librario, qui cùm piorum Antistitum cædem abesse procul à benignissimis Bathildæ seu Baldechildæ moribus sciret, Brunichildæ potiùs eam tribuerit, nominis etiam fortassis affinitate deceptus, aut literarum, quibus nomen expressum erat, contractione. At quemadmodum Beda necis Annemundo illatæ crimen non reiecit in Brunichildam, quæ viuere iampridem desierat, ita nec de sugillanda Bathilda seu Baldechilda cogitauit, quæ nondum administrationem Regni susceperat Clodouco marito adhuc superstite. Apud illum Authorem nec Brunichilda nec Bathilda nominari debet, sed Clodoueus Rex à cuius militibus Annemundus interfectus est. Ridemus eos, qui corrupto Bedæ textu decepti Dalphinum & Annemundum duos distinguunt Lugdunenses Episcopos, quorum prior sub Theodorico Rege Secundo & auia Brunichilda, posterior sub Clotario Tertio Rege & Bathilda matre mortem oppetierit. Qui Bathildam Brunichildæ loco reponunt, mirum in modum torquentur, vt ab ea suspicionem criminis amoueant. Ridicula sunt planè, quæ Willelmus Malmesburiensis [b] post annos quingentos scripsit, Bathildi videlicet Reginæ *furias infernales* à diabolo immissas, vt Dalfinum, *post nouem quos trucidarat Episcopos, accumularet in decimum*, legerat decem Reges apud Fredegarium [c] iussu Brunichildis occisos dici, totidem Episcoporum necem Bathildi voluit affingere. Denique, vt quid super emendando Bedæ textu sentiamus, paucis complectamur, Beda deprauatus fuit ab homine rerum Historicarum penitus ignaro, qui cùm Clodoueum, cuius nomen repererat, haud nosset, Brunichildam vsurpauit, quam sciebat flagitiosissimam à multis exhiberi; quidam verò in computo Chronologico meliùs versati, cùm tempus, quo Brunichilda vixit, aduerterent à nece Annemundi procul abesse, restituendam putarunt Bathildam, quæ propiùs ad Bedæ calculum accedebat.

[a] L. 5. c. 19.

[b] Lib. 5.

[c] Cap. 42.

XVI. Antiquius Breuiarium cameræ Lugdunensis, vetustæ Lectiones matutinales Monialium Sancti Petri, libellus ac Breuiarium eiusdem Cœnobij citantur à Seuertio, Bedæ scriptis opera longè recentiora. Breuiarium cameræ, quod Clotarij Tertij Regis & Balthigildis Reginæ meminit, manifestò corruptum apparet, vt Seuertius fatetur, corrigique facilè potest ex aliarum lucubrationum collatione, quæ nec Reginæ mentionem faciunt, nec Regis nomen exprimunt. Causa necis illatæ Annemundo in Breuiario cameræ sic describitur. *Tantam in eum Dominus suam contulerat gratiam, vt egregiè veneraretur in populo, etiam vt gentes eum niterentur placare muneribus. A Regibus tamen atque Proceribus ita habebatur acceptus, vt mox quicquid posceret, impetraret. Nullúsque de aliquibus ad suum profectum quicquam volebat appetere, nisi suâ suggestione Clotario Tertio Principi deportaret. Adeò dum sublimitatis gloriâ Ebraicum vindicaret extentum, necnon & à fratribus celsior videretur in cœtu, incidit cunctis in odium, qui tractare seditiosè cœperunt sub clandestina accusatione dicentes quasi Regnum eiusdem Clotarij euertere moliretur occultè.* Non inficias imus Annemundum à Regibus dilectum fuisse. In Dagoberti Regis prætoriis coalitus est, pere harus fuit

SVB CLODOVEO REGE

fuit Sigiberto & Clodoueo Regibus Dagoberti filiis, regnante Clodoueo Lugdunensem Pontificatum obtinuit, ab illo sanè Clodoueo non alius erat Rex, à quo nullus impetraturum se quicquam arbitrabatur præter id quod Annemundus suggessisset, quapropter è textu suprà recitato, quæ styli sunt recentioris, expungi debent hæc duo vocabula, *Clotario Tertio*, & quæ sequuntur de Ebraico siue Ebroino vt interpretantur, cum nomine Clotarij Regis iterum repetito, tum remanebit is contextus narrationis. *A Regibus tamen atque Proceribus ita habebatur acceptus, vt mox quicquid posceret impetraret. Nullúsque de aliquibus ad suum profectum quicquam volebat appetere, nisi suâ suggestione Principi deportaret. Adeò dum sublimitatis gloriâ celsior videretur in cœtu, incidit cunctis in odium, qui tractare seditiosè cœperunt sub clandestina accusatione dicentes quasi Regnum euertere moliretur occultè.* Pergit Breuiarium. *Intereà facta est coniunctio ex Regis imperio in suburbano Aurelianensis vrbis, in villa quæ alio nomine dicitur Maroialo, in quam venerant Proceres maiores natu Ducésque cum plebibus. Huic loco solitâ vocatione beatum Antistitem cum fratribus crediderunt affuturum. Sed is adhuc fessus quo nuper laborauerat tædio, venire non valuit. Sic conceptum, quem aduersùs beatum Pontificem conceperat, reuelarunt dolum, & eius germanum quasi Præfectum Lugduni, quæ est caput Galliæ, vehementer agebat pro falso infidelitatis crimine Rex & Balthigildis Regina truncauerat capite.* Hic locus est adhuc priore corruptior cùm in phrasi tum in sensu. Barbara prorsus hæc lectio, *germanum Rex & Balthigildis Regina truncauerat capite*, abradendum Balthigildis Reginæ nomen quod omnino superfluum videtur. Sensum verò totius periodi clariùs exponunt Lectiones matutinales Monialium Sancti Petri & libellus eiusdem Cœnobij. *Conceptum aduersùs beatum Pontificem maleuolorum odium manifestè patuit. Nam fratrem eius in præfectura Galliæ Lugdunensis malè gesta calumniatum truncari fecerunt. Delatúmque eius ciues corpusculum in Basilicam Apostolorum duodecim, & octo Martyrum, tradiderunt sepulturæ.* Huc vsque Lectiones. Adiicit libellus Cœnobij. *Quæ Ecclesia nunc dicitur Nizerij. Tunc vir Dei ex fratris interitu illicò suæ didicit vitæ dispendium. At quia spiritus promptus est & caro semper infirma, trepidans suam paululùm ab vrbe declinauit præsentiam.* Obserua in Breuiario Monialium & libello Cœnobij citatis à Seuertio, nomen Clotarij Regis non vsurpari, itaut Regis ac Principis vocabulo non alius à Clodoueo debeat intelligi, quo regnante Dalphinum Lugdunensem Præfectum & Annemundum Episcopum Dalphini fratrem occisos asserimus. Obserua & in istis Codicibus nullam fieri mentionem Ebroini, qui Maioratum domûs Regiæ post Erchinoaldum sub Clotario Rege suscepit.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

XVII. Quomodo Annemundus in manus satellitum deuenerit, libellus Cœnobij declarat his verbis. *Recordatus autem præmij, martyrio se cupiens munerari, ad propriam reuersus est ciuitatem, statímque ad Dei hominem Waldebertum, qui Lupolni * paternum tenebat cum fratribus principatum, clandestinè misit, cúmque ad se venire cum paucis famulis citissimè postulauit. Intelligénsque vir Dei sub tali obtrectatione illum residere conceptum, sine mora se Lugduni vrbis contulit mœnibus. Qui dum se lachrymis salutassent, ac pia sibi oscula cum fletu dedissent, sequestratum pro aliorum mœrore in remotis detulerunt. Ibi enim senior dignâ exhortatione refouens, acceptâ pœnitentiâ, totâ die & nocte in excubiis ac orationibus perdurat. Et iam tribus Ducibus præceptum fuerat, vt beatum Pontificem sub fida custodia Principi præsentarent. Atque si resultasset, extinctum relinquerent. Ocyùs Lugdunum perueniunt. Cúmque ad præfatam vrbem implere quod præceptum fuerat properarent, noluit Dei famulus resultare, sed conuersus ad Dei hominem, dixit. Melius est mihi pro nefando crimine martyrium sustinere, quàm aliis malum exemplum relinquere.* Tamen in ciuitate Lugdunensi non fuit interemptus. Nam Breuiarium Monialium hanc habet Antiphonam. *Cabilone mulctatur, Lugduni tumulatur, in cælo coronatur.* Deinde Lectione octauâ Dominicæ infra octauam multò latiùs exponit & genus mortis & locum facinoris. *Cùm à Præfecto & satellitibus suis ad locum Sancti Martialis ciuitati Aurelianensi vicinum Regis præsentan-*

* Lupl.

IN AGRO CABILON.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

dus conspectibus duceretur, in territorio Cabilonensi tentoria fixerunt. Vbi timentes ne gratiam apud Regem inueniret Pontifex, eorumque machinamenta reducerentur ad nihilum, inito consilio eum noctu occiderunt. Is fuit exitus sancti Annemundi * siue Enemundi, quem Lugdunenses vt Martyrem colunt quarto Kalendas Octobris, quamuis in recentioribus Breuiariis nullum de illius Historia verbum reperiatur. Successit in Episcopatum Genesius Abbas, per cuius manus Bathildis Regina pecunias in pauperes erogare consueuerat. Campegius, Seuertius, aliique complures falluntur, dum Abbatem Fontanellæ fuisse dicunt, superstes enim in viuis adhuc erat Wrandregisilus primus Abbas Fontanellensis in Diœcesi Rotomagensi. Licinius Abbas Barbarensis, cuius iam meminimus [a], ad Genesij Pontificatum peruenit, *vir sanctissimus* vocatur in catalogo Historiæ Ruderum Barbarensium præfixo. De successoribus autem ad Sanctum vsque Benedictum Anianensem altum est silentium.

* *S. Chaumont.*

[a] Ad an. 640.

XVIII. RELIQVIÆ DELATÆ LVGDVNVM.

Corpus sancti Annemundi Cabilone Lugdunum miraculo duci visum est. *Nam positum in nauicula Araris absque nauclero, seu quocumque ductore, Lugdunum directum fuit. Res mira, quácumque parte transiret, omnia cymbala, quæ in his locis erant, absque agitante sonuerunt, atque duo candelabra argentea diuinitus desuper missa, cereis superlucentibus sancto corpori in naui continuò adhæserunt. Quod à Clero Lugdunensi & ciuibus est receptum cum fletu maximo, gaudio tamen permixto, quia quem exulatum putauerunt, receperunt defunctum. Et cùm diuersarum Ecclesiarum Lugdunensium processionaliter aduenissent Clerici, ac quisque tantum sibi vindicare vellet thesaurum, & ad propriam deferre Ecclesiam, nullatenus de loco dimoueri potuit. Qua de re valdè admirati sunt omnes, atque suspicati id causa quod nondum adesset processio Monialium Monastery sancti Petri. In eo enim erant duæ Deo dicatæ B. Annemundi sorores, quæ accersitæ deuotè illuc accesserunt. Quò cùm peruenissent sorores, corpus fratris sui esse cognouerunt. Tunc sanctum corpus diuinitus motum ad eas appropinquauit, satis clarè innotescens apud easdem velle sepeliri. Cúmque beatum Martyrem deportarent ad tumulum cum canore lugubri, paululùm passímque eum deponentes, quidam æger se frequenter sub feretra iactitans, eius interuentu sospes recessit à tædio. Obsequiis itaque funeralibus ab omnibus qui conuenerant viris Ecclesiasticis, solenniter & cum maximo honore peractis, sanctóque B. Martyris corpore in dicta S. Petri Ecclesia reuerenter tumulato, in magna gentium multitudine adfuit quidam cæcus, qui de Dei misericordia atque meritis B. Annemundi confisus super tumulum prostratus iacuit. Vbi deuotè Deum adorans, ac B. Annemundi intercessionibus, vt sibi oculorum visus restitueretur indefessè supplicans, sine mortali acumine visum recepit, ac si nullo vnquam oculorum laborasset morbo, qui ne ingratus haberetur, duas lampades obtulit in honorem Beati, perpetuóque cum olei liquore lucere ordinauit.* Huc vsque veteres apud Seuertium chartæ, quæ sancti Annemundi corpus in puellari Cœnobio sancti Petri depositum docent. Astipulatur Ledradus Lugdunensis Metropolitanus in literis ad Carolum Magnum. *Monasterium*, inquit, *puellarum in honorem sancti Petri dedicatum, vbi corpus sancti Annemundi Martyris humatum est, quod ipse sanctus Martyr & Episcopus instituit, ego fundaui cum Ecclesia, quam domum restauraui, vbi nunc Sanctimoniales triginta duæ secundùm institutionem regularem habitant.* In eodem Cœnobio sepulti iacent Sigonius & Petronia parentes sancti Annemundi, atque inde Moniales argumentum non leue ducunt, vt ipsius Sancti corpus in sua quoque Basilica conditum affirment aduersùs Canonicos sancti Nicetij, qui suis cryptis illud attribuunt, & quoniam antiquis authoritatibus fulti non videntur, causâ cadunt apud eundem Seuertium & apud Saussaium.

XIX. IVDOCVS RELIQVIAS COLLOCAT IN ECCLES. S. MARTINI.

Iudocus reliquias, quas anno priori Româ in Galliam attulerat, hoc anno in noua Ecclesia beati Martini collocauit. Qua de re sic Florentius in eius vita. *Duce Haymone præsente cum innumera Cleri plebísque caterua in occursum eius congregata, sanctissimas reliquias quas attulerat, cum ea quâ decuit deuotione, vir sanctus reuerenter deposuit in noua beati Martini Ecclesia, quam præfatus Dux*

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

lapidum ornatu iam restaurarat, ipse verò Domini Sacerdos praparauit se ad diuina celebranda mysteria, stolam ac casulam candidam indutus. Qui cùm adstaret sacro altari, tertio Idus Iulij, ac diuina cum summa veneratione tractaret sacramenta, manus Domini visibiliter apparuit inter sacrosancta Missarum solennia, suúmque Sacerdotem consignauit & confirmauit benedictione perpetuâ, cum subsequente promissione ac voce mirabili cælitus emissa. Quia contempsisti diuitias, & paterni Regni pro me refutasti culmina, ac elegisti pauper esse, & latere abiectus in terra ista deserta & inuia, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, praparaui tibi coronam inter Angelorum agmina, eróque loci huius, in quo resolueris, defensor & iugis custos, vniuersique populi locum hunc cum pia deuotione & pura cordis intentione visitaturi in tui memoriam, diuinâ non defraudabuntur gratiâ in terris, & postmodum ad gaudia peruenient sempiterna in cælis. Hoc miraculum quot annis in Monasterio sancti Iudoci recolitur tertio Idus Iunij non Iulij, vox tamen *Iulij* in omnibus editionibus Florentij constantissimè retinetur. Si Iudocus die Dominicâ, vt valdè probabile est, sacra pignora in Basilica sancti Martini deposuit, vox *Iulij* seruanda est, vt indicetur hic annus, Christi sexcentesimus quinquagesimus-quartus, cui litera Dominicalis E præfigitur. Id hoc anno contigisse innuunt recentiores Historici, Iacobus Malbrancus libro tertio [a] de Morinis, Ignatius Iosephus libro primo [b] Historiæ Abbauilleæ, necnon Author [c] Breuiarij Iudocensis in depositione sancti Iudoci, dum eiusdem sancti Iudoci mortem hoc etiam anno collocant, quia prodigio supra recitato Florentius hæc de obitu sancti Iudoci proximè subiungit. *Subsequente verò tempore preciosa Christi margarita Iudocus, in carne præter carnem viuens, Angelus esse videbatur non homo, qui tandem cupiens dissolui & esse cum Christo, Idibus Decembris obdormiuit in Domino.* Leue prorsus hoc argumentum, quis enim id, quod *subsequente tempore* factum dicitur, statim concludat anno eodem post menses quinque contigisse? Imò hæ voces *(subsequente tempore)* longioris interstitij moram proculdubiò denotant, nec ab illa sententia recedet qui meminerit maximam Iudoco familiaritatem intercessisse cum Bertino iam Abbate Sitiuensi, Bertinus enim regimen Monasterij Sitiuensis ante annum Christi sexcentissimum vndesexagesimum haud suscepit Abbate Mommolino in Episcopum Nouiomensem tunc assumpto: addequòd Florentius [d] scribit Iudocum annis vixisse quatuordecim, postquàm secessit in posteriorem eremum, id est, post annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-primum.

[a] Cap 38.
[b] Cap. 85.
[c] d. 13. Dec.
[d] Ap. Sur d 13. Dec.

XX. EPISCOPI PARISIENS.

Landericus Parisiensis Episcopus, cuius mors anno certo consignari nequit, nec obiit ante hunc annum, nec diu superuixit. Duo illa sic colliguntur. Ad hunc annum peruenit Landericus, etenim anno priori, cùm Clodoueus pro Monasterio Dionysiano Præceptum emisit, in viuis superstes erat, nam si priùs excessisset ex hac vita, Clodoueus cùm illius meminit, vt defuncti meminisset. Ne verò post hunc annum diu vixisse credatur, argumento sunt tres subsequentes Pontificatus, quorum postremus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto clauditur. In vulgatis [e] catalogis Episcopi Parisienses hoc ponuntur ordine, sanctus Landericus, Chrodobertus, Sigrobandus, Importunus, Agilbertus. At Agilbertus Sigrobando, Sigrobandus Chrodoberto proximè successit. Vtrumque infrà probabimus. Post Landericum igitur sedit Importunus, tum Chrodobertus, deinde Sigrobandus, cuius mors in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quartum incidit. De Importuno nihil habetur præter nomen, quod in monumentis Ecclesiæ Parisiensis occurrit. Chrodoberti Pontificatum, vt ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-primum dicemus, & Sigrobandi necem, vt tertio pòst anno probabimus, in vita sanctæ Bathildis memorant Authôres coætanei. Singuli quot annos egerint in Pontificatu, non liquet. Colitur sanctus Landericus quarto Idus Iunias in Ecclesia Parisiensi, necnon apud Molanum in additionibus ad Vsuardum, & apud Saussaium in Martyrologio Gallicano. *Beatus Pontifex*, inquit Saussaius, *visceralì amore pauperes dilexit, quos & in*

[e] Democh. Chenut. Robert. Seuert. Sammarth.

LAVS S. LANDERICI.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

publica annona penuria vt aleret, non dubitauit in eorum solatium distrahere post domesticam supellectilem etiam sacra vasa & Ecclesiastica decora. Egenis verò agrotantibus vt prospiceret pius Pastor, xenodochium prope Episcopium primus instituit. Vnde in benedictione permansit eius memoria, iustitia verò collaudabitur in saculum saculi. Tanti certè Antistitis vt Parisiensis ciuitas perpetim merita veneratur, sic & perennis experitur patrociny auxilia, ad quorum beneficiorum commendationem Ecclesia extructa est eius inuocatione insignis, qua iure obstricta opitulationis, ipsius hodie Natalitia solenni cultu celebrat. Eius autem sacrosancta spolia dignâ veneratione conseruat suo in sacrario Clerus Regia Collegiataque Ecclesia S. Germani cognomento Autissiodorensis, vnde allatum pridem eiusdem beati Antistitis sudarium, furentis ignis sanitiam suâ oppositione repressit.

XXI. BETTOLENVS EPISC. SVESSION. SIMONIACVS ABDICAT EPISCOPATVM.

Bettolenus, qui Suessionensem Cathedram per simoniam occuparat, pœnitentiâ ductus abdicauit Episcopatum, reliquámque vitam duxit in Monasterio Cauciacensi *, cuius etiam Abbas posteà fieri meruit. Succeslit in Episcopatum Drausius, è cuius vita [a] descripsimus quæ sequuntur. *Beatus Bettolenus euoluto aliquanto tempore sub hac Episcopy prælatione, postquàm plebi sibi commissa cum sollicitudine pastorali more pro posse curam exhibuit, ipse quoque quis & qualis esset aperuit, & vitam suam sub hac nodositatis infidelitate finire noluit, sed quasi sacrilegium commiserit, reum se penitus fore acclamauit, quòd quasi precio oues Domini emere præsumpserit. Conuocat ergo seniores & plebiscitos, quorum consilio & astu solitus erat de maioribus aliquid agere, vel diiudicare omnimodis rebus. Qui etiam propositum mentis sua illis intimans, se indicat velle deponi à tanto dignitatis culmine, & pro supradictis causis non posse se vlteriùs fidelem domûs Dei dispensatorem esse. Itaque videntes in tali voto perseuerantem Dei seruum, vnanimis vocibus acclamant & expetunt sibi dari & ordinari Episcopum Sanctum Dei Drausium. Non autem hac vox solummodò Procerum erat nobilium ac potentum Principum, sed mediocrium & pauperum, atque penè omnium diuersi sexûs & atatis.*

DRAVSIVS ORDINATVR EPISC.

Audiens ergo Bettolenus vnanimem precem tantarum vocum, non distulit, sed magis implere studuit multorum votum. Suasit igitur Maiestati Regia, hoc ex eo fieri debere, cuius vita morum se testem asseruit fore. Euehitur itaque beatus Drausius tanto culminis honore, praficitur plebi Suessionica, ordinatur in Pontificali Sede, pro voto omnium & voluntate. Quo ordinato, vir Dei Bettolenus ad Cœnobium, in quo priùs sub regulari tramite deguerat, est regressus, atque ibidem egregiam vitam fertur duxisse, & ibi vsque ad vita terminum perseuerasse.

* Choisy, prés de Compiegne.

[a] Tom 1. coll. Hist franc.

XXII. LEODEBODVS ABBAS S. ANIANI.

Illis temporibus Leodebodus Abbas regebat Monasterium sancti Aniani in suburbio ciuitatis Aurelianensis, corpus enim sancti Aniani Episcopi, quod ad Occidentalem vrbis partem in Ecclesiam sancti Laurentij Leuitæ illatum fuerat, crescente in dies fidelium deuotione ad plagam Orientalem ex aduerso ciuitatis transuectum est, & in Monasterio sancti Petri collocatum constructo ibidem excelso & eleganti Templo, quod ab eodem beato Aniano nomenclaturam pòst accepit. Historiam istius Ecclesiæ quatuor libris complexus est Robertus *Hubert* eiusdem Basilicæ Cantor & Canonicus, adiecitque probationes cùm ex manuscriptis Codicibus tum ex Auctoribus optimæ notæ desumptas. Inprimis ex Codice manuscripto Ecclesiæ sancti Aniani Aurelianensis vitam eiusdem sancti Aniani publicauit, in qua de illius sepultura & prima Translatione hæc enarrantur. *Sepultus est ad Occidentalem vrbis iamdicta*, id est, Aureliæ, *partem in Ecclesia beati Laurenty Leuita, vbi meritorum illius dignitatem Christi dextera multiplicauit virtute multiplici. Posteà verò crescente deuotione fidelium, multorum curriculis annorum labentibus ad Orientalem plagam ciuitatis Aurelianensium extructo Templo mirifico, argento & auro gemmísque fulgentibus exornato, concurrente conuentu Nobilium, cum Choris psallentibus, Crucibus, candelabris, ac vario lumine radiantium lampadarum, sanctum illius corpus translatum est in triumpho, vbi operante clementiâ Christi virtutum fulget congeries.* Extramurana versùs Orientem Ecclesia, in quam reliquiæ sancti Aniani translatæ sunt, Principis Apostolorum primùm, deinde sancti Aniani nomen gessit. Id apud

eundem Auctorem constat ex manuscripto originali sancti Agyli, vbi hæc leguntur. *Beati Petri Principis Apostolorum Monasterium, quod foris muros Aurelianis ad Orientem est constitutum, in quo corpus beati Aniani humatum habetur, beatus Agylus valdè ditauit ex suis prædiis, quæ per diuersa loca sunt locata.* Sed de tempore, quo vel sancti * Aniani corpus illatum est huic Ecclesiæ, vel eiusdem sancti Aniani nomen inditum est, non omnes conueniunt. Beatus Anianus paucos annos in Ecclesia sancti Laurentij quieuit. Id clarissimè vetus Anonymus, qui Translationem sancti Baudelij Martyris descripsit, & inter probationes suprà laudatas ad vitam sancti Aniani citatur in hunc modum ex Bibliotheca Petauiana. *Beatus Anianus Aurelianorum Episcopus, impetratis omnibus quæ petierat, leuauit sanctum corpus, & cum digno honore transtulit, & in Ecclesia beati Petri extra muros ciuitatis Aurelianæ recondidit, in qua & ipse postmodum repositus est.* Obiit anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-tertio, seu biennio post solutam Aureliæ obsidionem fugatúmque Attilam expleto, sic enim Auctor vitæ iam allegatus. *Octauo-decimo Calend. Iuly præfatus Attila Aurelianam subuertere voluit ciuitatem; subuersus ille cum suis ac turpiter victus aufugit. Expleto post ista biennio, his & aliis virtutum insignibus declaratus vir Domini Sanctus Anianus, diuersis laudum titulis Christi miles emeritus, deuictis seculi fluctibus, carnis vinculis absolutus, migrauit ad cælos.* Ab hoc sancti Aniani transitu ad mortem vsque sancti Euspicij, quam anno Christi quingentesimo primo consignauimus, effluxerunt anni duodequinquaginta. Illâ temporum intercapedine sederunt octo Præsules Aurelianenses, sanctus Prosper, Magnus, Febatus, Gratianus, sanctus Monitor, sanctus Flosculus, Dago, Eusebius. Hic Episcopatum anno Christi duodequingentesimo suscepit, tertium igitur Præsulatûs annum agebat, cùm sanctum Euspicium Abbatem Miciacensem sepeliuit, primâ sancti Aniani Translatione iam factâ. Codex enim Miciacensis hæc de sancti Euspicij exequiis habet in vita sancti Maximini. *Cùm placuisset, vt per medium ciuitatis Reliquiæ sanctæ portarentur, & Episcopus venerabilis adesset, cum Clero itidem deuoto, atque Monachis singultibus pectora quatientibus, diuersique generis & conditionis turmis, & ventum esset ad portam Orientalem eiusdem vrbis quæ transmittit ad Monasterium Sanctissimi Aniani.* Et Codex Petauianus in vita sancti Euspicij. *Beatus * Euspicius in defectu constitutus temporalis vitæ, ad præmia felicis vitæ peruenit. Exequiæ cuius dum præsente Eusebio Antistite ex loco Miciacensi cum frequenti Monachorum caterna, Clericorum, simúlque turba vtriusque sexûs non modica, per medium Aurelianis veherentur, & iam portam Orientalem, quæ ducit ad Basilicam præstantissimi Sancti Aniani, attigissent.* Nec audiendus Saussayus [a], qui *corpus* sancti Euspicij *primùm sepultum in Ecclesia Sancti Laurentij extra ciuitatem Aurelianensem ad latus corporis Sancti Aniani, deinde cum corpore Sancti Aniani illatum ad Ecclesiam Sancti Petri ad Orientalem plagam, quæ nunc Sancti Aniani vocatur.* In vetere Kalendario Aurelianensi, vt Hubertus [b] obseruat, prima sancti Aniani Translatio collocatur pridie Kalendas Aprilis, tamen à Symphoriano *Guyon* [c] Aurelianensi Presbytero ponitur decimo-octauo Kalendas Iulij, quo die Attila ciuitatis obsidionem quondam soluerat, necnon in sequentem diem ab Auctore Martyrologij Gallicani reiicitur. Stamus pro vetere Kalendario Aurelianensi tresque cum Huberto celeberrimas obseruamus Translationes sancti Aniani, quas Guyonius in Historia Aurelianensi & Saussaius in Martyrologio Gallicano non satis accuratè distinxerunt, & Breuiarium Aurelianense decimo-octauo Kalendas Iulij simul confudit. Antiquissima, de cuius anno nunc inquirimus, etiamnum recolitur pridie Kalendas Aprilis cum alia Translatione Capitis sancti Aniani multò recentiore, quæ facta est seculo decimo-quarto. Secunda, quæ incidit in annum Christi millesimum vndetricesimum regnante tunc Roberto, celebratur ad hanc vsque ætatem decimo-octauo Kalendas Iulias, & in vita Roberti Regis, quam Helgaldus Monachus Floriacensis edidit, sic descripta reperitur. *Leuatur nobile corpus amici Dei Aniani sanctissimè de sepulchro, cum corporibus*

* S. Agnan.

* S. Euspice.

a L.3.n.4.

b L.1.c.2.

c In Hist. Aurel. secul.5.n.16. in Aniano Ep.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. *Sanctorum, Euspicij, Monitoris & Flosculi Confessorum, Baudelij & Scubily Martyrum, & Agia matris Sancti Lupi Confessoris, & ab ipso Glorioso Rege & aliis qui pro tali negotio aduenerant, custoditur, laudatur, & decantatur in Hymnis & Laudibus in Ecclesia Sancti Martini, quoadusque praeparentur vtilia & necessaria sanctae benedictioni. Praeparatis ergo omnibus, ab ipsis Sanctis Sacerdotibus locum ipsum benedici & consecrari solemniter fecit, anno Dominicae Incarnationis millesimo vicesimo-nono, Indictione duodecimâ. Sumitur itaque humeris inclyti Regis gaudentium simul & laetantium populorum, & transfertur cum laudibus in Templum nouum, quod ipse inclytus Rotbertus aedificauerat.* Secundam hanc Translationem cum prima commiscent Guyonius & Saussaius; Guyonius quidem, quia primam Translationem decimo-octauo Kalendas Iulias adscribit; Saussaius verò, quia sanctos Baudelium, Scubilium, Monitorem, Flosculum *, Euspicium, & sanctam Agiam, de quibus Helgaldus, vnà cum sancto Aniano translatos decimo-septimo Kalendas Iulij sic affirmat. *Aureliis prima Translatio Sancti Aniani Episcopi & Confessoris, cùm pretiosum eius corpus ex Ecclesia Sancti Laurentij quae sita est ad Occidentalem partem ciuitatis, vbi primùm tumulatum fuerat, ad nouam Sancti Petri Basilicam ex aduerso eiusdem vrbis sitam, to quo decebat honore transuectum est, psallentibus hinc inde Clericorum vniuersis ordinibus, concurrente innumerâ plebis multitudine, ciuium, & circumpositae regionis incolarum, praeuiis Crucibus, accensis innumeris lampadibus, signis etiam affulgentibus diuinis. Qua cum venerabili sarcina elata sunt etiam pignora sacratissima, Baudely & Scubily Martyrum, Monitoris & Flosculi eiusdem ciuitatis Episcoporum, Euspity Abbatis Miciacensis primi; necnon beata Agia matris Sancti Lupi Episcopi Senonensis & Confessoris. Solemnis huius euectionis memoria iam abhinc in Ecclesia & Dioecesi celebris, Fastis Sacris inscripta claret hoc ipso quo die peracta est.* Aduersùs Saussaium Hubertus rectè obseruat nullum Sanctorum suprà nominatorum ex Æde sancti Laurentij in Ecclesiam sancti Petri cum sancto Aniano translatum fuisse; quia sancti Monitor & Flosculus Aurelianenses Episcopi post obitum sepulti sunt in Basilica sancti Petri; sanctus Baudelius *, qui Martyrium Nemausi subierat, in eadem Ecclesia sancti Petri extra muros ciuitatis Aurelianae, vt dictum suprà, conditus est à sancto Aniano tunc Episcopo; praedictae Translationi superstites vixerunt sanctus Eusρicius & sancta * Agia; nec antequàm Robertus Hugonis Regis filius Regno Francorum potiretur, Aureliam translatus est sanctus Scubilius *, qui Martyrium à multis seculis in Dioecesi Rotomagensi consummarat. Saussaius autem, ne secum pugnare videretur, secundam sancti Aniani Translationem, quae regnante Roberto facta est, commemorauit septimo Kalendas Nouembris. At illo die non secunda Translatio sed tertia peracta est Ludouico Nono tum Rege, vt docet hoc initium instrumenti, quod in Archiuo sancti Aniani & in Bibliotheca Petauiana seruatur. *Anno Domini* MCCLIX. *septimo Kalend. Nouembris, die Dominicâ ante festum beatorum Apostolorum Simonis & Iudae, tempore Alexandri Papae Quarti, regnante Illustrissimo Rege Francorum, Sancto videlicet Ludouico, translatum est de theca in thecam corpus beati Aniani gloriosissimi Confessoris.* Igitur prima sancti Aniani Translatio felicem sancti Euspicij ex hac vita discessum, siue annum à Christo nato quingentesimum primum, ab Aniano in caelos transmisso duodequinquagesimum anteceessit, annus autem, quo facta est, nullâ coniecturâ determinatè potest deprehendi.

* S. Flou.

* S. Baudele.

* Sainte Agie.

* S. Escoubille.

XXIII. De tempore, quo Basilicae sancti Petri inditum est nomen sancti Aniani, non leuior est difficultas. Auctores ab Huberto [a] citati, qui vitam sancti Maximini eiúsque Translationem & vitam sancti Euspicij conscripserunt, sanctum Euspicium, cuius mors anno Christi quingentesimo-primo contigit, constanter asseuerant delatum esse *ad Monasterium sanctissimi Aniani*, sepultum *in Basilica eximij Confessoris Christi Aniani*, conditum *in praestantissimi Antistitis Aniani Ecclesia secus eiusdem dextrum latus.* Sanctus Anianus ex Æde sancti Laurentij priùs in Basilicam sancti Petri translatus est, quàm sanctus

[a] In probat. cap. 2. lib. 2.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

Euſpicius Miciacenſis Abbas ex hac vita diſcederet. Id probatum ſuprà. Sed vtrùm illa Baſilica, in qua ſanctus Euſpicius, ſecus dextrum ſancti Aniani latus, tumulatus eſt, de nomine ſancti Aniani nuncupationem iam accepiſſet, haud æquè conſtat. Quonam tempore ſcripſerint Auctores præcitati, nos latet; ex eorum lucubrationibus hoc vnum eruitur, quòd eo quo ſcribebant tempore, Baſilica, in qua ſepultus eſt ſanctus Euſpicius, Eccleſia ſancti Aniani iam vocabatur. Illa Baſilica nomen Principis Apoſtolorum adhuc ſeruabat, cùm ſanctus Agylus ad Deum migrauit. Sic enim Auctor vitæ citatus ab Huberto. *Beati Petri Principis Apoſtolorum Monaſterium, quod foris muros Aurelianis, ad Orientem eſt conſtitutum, in quo corpus beati Aniani humatum habetur, beatus Agylus valdè ditauit ex ſuis prædiis, quæ per diuerſa loca ſunt locata.* Floruit Aureliæ ſanctus * Agylus ſub Regibus, Childeberto Primo, Clotario Primo & Guntchramno, vitámque mortalem, vt infrà probabimus, clauſit tertio Kalendas Septembris, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio. Gregorius verò Turonenſis Epiſcopus, qui ſancto Agylo ſuperſtes biennio tantùm vixit, quam Anonymus in eiuſdem ſancti Agyli vita Baſilicam ſancti Petri nuncupauit, Eccleſiam ſancti Aniani dixit in Hiſtoria Eccleſiaſtica [a] Francorum, vbi de Namatij Aurelianenſis Epiſcopi morbo, morte ac ſepultura, ſic diſſeruit. *Namatius Epiſcopus, dum receptis villis infra terminum Namnetica vrbis, quas olim parentes eius perdiderant, ibidem moraretur, puſulæ malæ ei tres oriuntur in capite. Ex hoc valdè confectus dolore, dum ad ciuitatem ſuam reuerti cuperet, infra Andegauenſis territorij terminum ſpiritum exhalauit. Corpuſculum eius ad vrbem ſuam delatum in Baſilica ſancti Aniani Confeſſoris ſepultum eſt.* Hæ diuerſæ nomenclaturæ facilè nos adducunt, vt Eccleſiam ſancti Petri poſt illationem ſancti Aniani ex Æde Laurentiana Baſilicam ſancti Petri & Baſilicam ſancti Aniani promiſcuè dictam cenſeamus, aſſeramúſque geminam illam appellationem poſt obitum Gregorij Turonenſis adhuc perduraſſe. Quod autem ſancti Agyli mortem anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio conſignandam diximus, id facili negotio clariſſimè comprobari poteſt. Agylus *à temporibus Childeberti Regis Francorum*, cuius mortem Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum quinquageſimum-octauum narrauimus, Vicecomes ciuitatis Aurelianenſis fuit. *Cum ſeruus quidam ſæuitiam eius veritus profugiſſet ad beati Maximini Senioris Abbatis ſepulchrum, quod eſt in capella ſancti Maximini retro altare, apparitores miſit, qui miſerum adducerent vapulandum. Sed accedentes ad Sancti venerandas reliquias, tremore membrorum ob temeritatem impenſiùs caſtigati, infecto negotio ad Agylum reuertuntur, & totam rei ſeriem pandunt exquirenti. Qui ſtatim ob iracundiam mentis impos equum concitat, ferrum ab latere deripit, elatúmque deferebat in pectus ſerui, ni medio itinere diuina præhenſam dextram attinuiſſet vindicta, quæ ſiſtit equum, nec vlteriùs progredi regrediue ſinit, equitem obſtupefactum torpore membrorum, totiúſque corporis improuiſâ vexatione perculſum, vix caput erigere patitur. Concurrit conglobata ſeruorum familia, ſinguli propiùs accedentes inualidum ſociatis laboribus eleuant, tumulóque beati Maximini adferunt. Collecto animo, deiectis in terram oculis culpam adnoſcit, ſupplex veniam deprecatur, votóque obfirmat erumpentes in ſcelus manus, ædificaturus illi Eccleſiam, ſi ſalus illi reſtituta ſit. Seruum verò, quem ſibi beatus Maximinus beneficio obſtrinxerat, illicò ſeruitio mancipat benefacientis. Exin Agylus compos valetudinis, mutatus eſt in virum alterum, & exercitam vitiis adſuetudinem longè relinquens, cœpit orationibus & vigiliis reliquum vitæ ſuæ tempus impendere, egenorum, pupillorum, viduarum & eiuſmodi perſonarum, quas diuina commendant eloquia, eſſe ſollicitus, Clericos impenſiùs honorare, facultates ſuas in vſus libenter explicare. Baſilicam enim ſancti Stephani quæ eſt in agro Miciacenſi, vbi iugiter deuoti Monachi diuinas laudes perſoluunt; Monaſterium item beati Petri Aurelianis apud quod ſacrum beati Aniani Epiſcopi corpus hodie requieſcit, multis prædiis locupletauit. Denique rebus ſuis in alimenta pauperum & ſacrorum locorum ædificationem piè diſtractis, vt nudum Chriſtum nudus ſequeretur, cupidine religio-*

* S. Ay.

a Lib. 9. c. 18.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. *nis Romam ad limina Apostolorum Petri & Pauli, hinc Ierosolymam ad sepulchrum Domini profectus est, quo in itinere omnia Sanctorum monimenta perlustrauit. Ex tam longinquis partibus reuersus, Episcopum ciuitatis Austrenum, & sanctum Maximinum Iuniorem (qui fuit beati Theodemiri successor & nepos) monet diem obitus sui pro foribus esse, velint illi accuratis orationibus subuenire, nihil reliqui facere, quin Sacramentorum panopliâ muniatur. Accedunt ergo & sacrum Eucharistiæ viaticum moribundo deferunt, quo communitus, die Dominico, tertio Calendas Septembris, maturus annorum vitâ concedit.* Hæc Carolus Saussеyus in Annalibus [a] Aurelianensibus ex veteribus membranis. Austrinus, vt Gregorius Turonensis [b] testatur, factus est Episcopus Aurelianensis anno duodecimo Childeberti Regis, id est, anno Christi quingentesimo octogesimò-septimo, nec sub eius Pontificatu dies tertius ante Kalendas Septembres cum Dominico coincidit ante annum Christi quingentesimum nonagesimum-tertium, qui prædictus fuit literâ Dominicali D. Vixit igitur ad illum vsque annum beatus Agylus, obiítque superstite Maximino Iuniore Miciacensium Monachorum Abbate, cuius mors paucis pòst annis consignari debet, ab anno enim Christi quingentesimo vicesimo-quinto quo beatus Auitus Præfecturam Monasterij Miciacensis abdicauit, ad Maximinum vsque Abbatem cognomento Iuniorem solus intercessit Theodemirus Abbas, quem Tomo primo successorem Auiti decessorémque Maximini Iunioris appellauimus.

[a] Lib. 1. n. 40 41 42.
[b] Lib. 9. c. 18.

XXIV. Ecclesiam, quæ primùm beati Petri, deinde sancti simul Aniani, postremò sancti duntaxat Aniani nomen apud Aureliam gessit, primus à fundamentis erexit Diopetus Episcopus Aurelianensis, qui medio quarto seculo floruit, vixítque coætaneus sancto Seruatio aliisque Præsulibus, qui Conciliis Sardicensi & Agrippinensi interfuerunt. Illa Basilica sub sancti Petri nuncupatione celebris erat sedente apud Aurelianum Aniano Episcopo, hic enim in ea corpus sancti Baudelij Martyris recondidit, vt ex Actis Translationis iam citatis constat. Extructa verò nec à sancto Aniano creditur, nec ab eius decessore sancto Euurtio, quia in vtriusque Gestis accuratè copioséque descriptis, ea de re, quæ non omitti debuit, altum silentium. Desiniani, qui sanctum Euurtium in Episcopatu antecessit, breuissimus fuit Præsulatus, itaut necessariò retrogradiendum sit ad Diopetum Desiniani decessorem, qui redditâ Ecclesiæ pace Pontificatum sub Christianis Imperatoribus gessit, & *duo amplissima Baptisteria virorum & mulierum duobus in locis Sancto Petro dicatis* instituisse fertur [c]. Quonam tempore in illam Ecclesiam introducti sint Monachi, nondum legimus. Abbatum, quorum nomina supersunt, antiquissimus inuenitur Leodebodus, qui sub quatuor Regibus, Clotario Secundo, Dagoberto Primo, Clodoueo Secundo & Clotario Tertio floruit, & à Clodoueo Secundo Floriacum, vbi nouum Monasterium condidit, hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto impetrauit. In proœmio, quod eiusdem Leodebodi Testamento præfigitur, hæc apud Helgaldum occurrunt. *Vir Domini Sanctissimus Anianus inter cætera, quæ à Deo possedit in hoc seculo, præcipuos & non segnes ad regendum suum sanctum Dei locum habuit Patres. Ex quibus vnus benignissimè effloruit Leodebodus nomine, sanctitate, scientiâ, diuitiis pollens & gloriâ. Hic autem fuit temporibus Chlothary Francorum Regis, patris Dagoberti Senioris, & eius in diebus Monasterij Sancti Aniani Pater est electus. Sanè mortuo Chlothario & eius filio Dagoberto, Chlodoueus inclytus ei successit in Regno, iustitia & pietatis amictus ornamento. Ad quem accedens memoratus Abbas, facto & dicto impetrauit vicum Floriacum Monachorum vsibus preparandum, dans pro eo agellum Attiniacum, cum cunctis sibi adiacentibus supra Axonam * fluuium situm.* Clodoueo superstes vixit, & ad Clotarij Tertij tempora peruenit Leodebodus. Agrum enim Floriacum vltimis Clodouei temporibus, cùm Bathildis iam nupta erat, sibi comparauit commutatione, vt ipsemet in suo testamento loquitur, factâ *cum glorioso atque præcelso Domno Chlodoueo Rege & gloriosa Domna vxore eius Baltilde Regina.* Deinde teste Aimoino [d] editionis Duchesnianæ, Basilicam ædificauit, *mox etiam*

[c] Apud Saussеyum in Annal. Aurelian. l. 1. n. 41.

IMPETRAT FLORIACUM A REGE.

* *Aisne.*

[d] L. 4. c. 42.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

etiam construxit habitacula Monachorum vsibus congrua, adunatisque quibusque nobilibus, vel etiam Deo seruire cupientibus, Abbatem instituit nomine Rigomarum, qui quinquennio expleto, ex hoc transiens seculo, successorem accepit nomine Mummolum. Hic autem Mummolus administrationem Monasterij suscepit superstite in viuis Leodebodo, vt ex Actis Aygulphi Lerinensis Abbatis ac Martyris constat. Tot Authoribus simul collatis existimamus Chronologiam sic ordinandam esse de primordiis Monasterij Floriacensis, vt asseramus Floriacum hoc anno venisse in potestatem Leodebodi, qui Cœnobio post biennium constructo primum Abbatem Rigomarum, eóque post quinquennium mortuo Mummolum alterum Abbatem præfecerit.

XXV. IVDICIVM DE SCRIPTIS AIMOINI.

Aimoinus caput quadragesimum-primum libri quarti, quod est de conuentu Clippiacensi déque Præcepto Clodouei Regis pro Monasterio Sandionysiano, claudit elogio sancti Audoeni eiúsque fratrum, qui Cœnobia sub Regula sancti Columbani condiderunt præeunte exemplo sancti Eligij, cui Monasterium Solemniacense sua refert incunabula. *E quibus*, inquit, id est, ex eorum virorum numero qui conuentui Clippiacensi interfuerunt, *beatus Audoenus (qui & Dado dictus est) Referendarius fuit Regis Dagoberti, filiúsque præcellentissimi viri Autharij. Qui Referendarius ideo est dictus, quòd ad eum vniuersa publica deferrentur conscriptiones, ipséque eas annulo Regis, siue ab eo sigillo sibi commisso muniret seu firmaret. Cui fuerunt duo fratres, Ado scilicet & Rado. Ado itaque spretis secularibus pompis, construxit Monasterium in saltu Iodrensi super Matronam fluuium, quod nominauit Iodrum, in quo ipse sub Regula Abbatis Columbani, Deo vsque ad diem seruiuit vltimum. Rado quoque zelo fraterni studij animatus, dum thesauris praeesset Regalibus, & ipse in paterna hæreditate ædificauit Cœnobium, quod ex proprio nomine vocauit Radolium. Porrò beatus Audoenus, ne impar in bonis operibus videretur suis esse fratribus, ipse etiam fabricauit Monasterium intra Brigensem saltum, quod Hierusalem ab eo quidem est nominatum, sed à fluuiolo, super quem est situm, Resbacense nunc dicitur Cœnobium. Hos fratres ad tam præclara exercitia, exemplo Sanctissimi reor excitatos esse Eligij. Ille enim dum in Palatio gratam Deo & hominibus ageret vitam, à Rege Dagoberto petierat condonari sibi villam in pago Lemouicino sitam, Solemniacum cognominatam, in qua & Monasterium construxit, & Congregationem Deo seruientium Monachorum statuit.* Captâ inde occasione, in laudes Monasterij Floriacensis, vbi vitam duxit, excurrit toto capite quadragesimo-secundo, cuius initium tale est. *Res postulare videtur, vt quia aliorum mentionem fecimus locorum, qualiter vel à quibus fuerint personis fundati, nostri non prætermittamus fundationem Cœnobij. In quo & venerabilis ac virtutum præconio insignis Benedictus Pater corpore quiescit humatus, & nos ab ipsis, vt ita dictum sit, enutriti cunabulis, quicquid in nobis boni vel vtile extat, si quid tamen est, ipsius Patroni intercedentibus meritis à Deo percepimus. Igitur glorioso Rege Clodoueo Dagoberti filio Regni Francorum moderamina disponente, quidam vir genere nobilis, nec minùs probitate clarus mentis Leodebodus nomine, in Monasterio Sancti Aniani, suburbio Aurelianensi Abbatis fungebatur officio. Hic ad sæpedictum accedens Principem, commutationem exposcebat fieri Floriaci fisci. Cui petitioni Rex, vt erat mente benignus, libens annuit*, &c. Illo capite res prosequitur Floriacenses vsque ad sancti Benedicti Translationem quam Heroico carmine descriptam subiicit, sícque suum absoluit opus in editione Duchesniana. Ceteri Codices desinunt in capite quadragesimo-primo, nullámque Cœnobij Floriacensis ac prædictæ Translationis mentionem faciunt; ab Aimoino tamen, qui Monachus Floriacensis fuit, in literas relatum putamus additamentum, quod Duchesnius de fundatione Monasterij Floriacensis & de Translatione sancti Benedicti ex Italia in Galliam adiecit. Guillelmus *Paruy*, qui Aimoinum sub Annonij nomine primus anno Christi millesimo quingentesimo decimo-quarto publicauit, post libri quarti caput quadragesimum-primum hanc notatiunculam inseruit. *Huc vsque protenditur liber Floriacensis Monasterij Sancti Benedicti super Ligerim. Verisimile autem est sequentia esse alterius Auctoris, nam & mortem &*

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. *sepulturam Dagoberti & alia multa inculcat stilo minùs diligenti.* Quæ proximè sequuntur ab initio capitis quadragesimi-secundi vsque ad illa verba capitis quinquagesimi-secundi, *nunc anno sexto in regno subsistit*, desumpta sunt ex libro de Gestis Regum Francorum, ab exordio videlicet capitis quadragesimi-tertij vsque ad finem operis quod hisce verbis clauditur, *in regno subsistit*, id est, ab anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo quo Dagobertus primus obiit, ad annum Theodorici Kalensis sextum seu Christi septingentesimum vicesimum-septimum. De subsequentibus Aimoini continuationibus agemus alibi.

XXVI. Codex Seguierianus, quem sæpè laudauimus, præter quatuor libros Aimoini, quorum postremus, vt & in aliis plerisque membranis, capite quadragesimo-primo terminatur, varias continet additiones vsque ad caput quadragesimum-sextum vulgati quinti libri Aimoiniani, siue vsque ad Roberti Regis tempora quæ cum Aimoini ætate coincidunt. Hinc colligimus fœtum esse duorum Authorum, Aimoini scilicet & Continuatoris. Aimoinus putus putus est, desinitque in capite quadragesimo-primo libri quarti. Cetera sunt Continuatoris qui eâdem quidem quâ Aimoinus ætate, sed non in eodem Cœnobio vixit, ideóque res quas Aimoinus de Monasterio Floriacensi sub finem operis sui scripsit, consultò prætermisit, & à Principatu Clodouei Secundi, cuius obitum Aimoinus haud attigit, Gesta Francorum ex diuersis Authoribus collegit vsque ad Robertum Regem quo regnante floruit Aimoinus. In quatuor libros purus putus Aimoinus diuiditur, caret capitum distinctionibus ac titulis, parum differt ab editione Duchesniana, eò tantùm auctior ac locupletior est quòd nonnullas annorum computationes, quæ desiderantur in Codice Duchesniano, desumit ab Incarnatione Dominica, à Regum Principatibus & à Bedæ calculo. Tribus hisce supputationum speciebus vsus certè videtur, quia secundam in ipsamet editione Duchesniana sæpiùs vsurpat, Historiam Bedæ præ manibus habere potuit, illisque vixit temporibus quibus apud Francos anni ab Incarnatione Dominica numerari iam consueuerant. Annos Regum Francorum cum annis Incarnationis Dominicæ non benè comparauit. Ea de re consule quæ dicta sunt à nobis ad annum Christi sexcentesimum duodetricesimum [a] in obitu Clotarij Regis & ad annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum [b] in obitu Dagoberti. Nihil hoc loco reperemus. Vt autem annos Incarnationis Dominicæ, quos ex Codice prælaudato, id est, ex puro-puto Aimoino retulimus, abesse scias ab editione Duchesniana, lege caput vltimum libri primi vbi sermo fit de morte Clodouei; caput quinquagesimum-septimum libri tertij vbi mors Chilperici perstringitur; caput octogesimum-primum eiusdem libri vbi mors ac sepultura Guntchramni recensentur; caput decimum-sextum libri quarti vbi mors Clotarij Secundi narratur; & caput tricesimum-tertium eiusdem libri vbi mors Dagoberti describitur. In eodem Codice manuscripto quem examinamus, anni Regum Francorum frequentiùs notantur quàm in editione Duchesniana. Childebertus Rex libro secundo manuscripti Codicis, *febre vexatus* XLVII. *anno moritur*; in editione Duchesniana, capite vicesimo-nono libri secundi desunt hæ voces XLVII. *anno*. Aimoinus libro tertio manuscripti Codicis, Chilpericum anno vicesimo-tertio sui Principatûs occisum sic declarat, *defuncto Chilperico, anno regni sui* XXIII. *Incarnationis autem Dominicæ circiter* DLXXX. *Aurelianenses iuncti Blesensibus expeditionem super Dunenses agentes, eos inopinatè oppresserunt*; in editione verò Duchesniana capite quinquagesimo-septimo libri tertij desunt hi Characteres, *anno regni sui* XXIII. *Incarnationis autem Dominicæ circiter* DLXXX. Eodem libro tertio in manuscripto Codice annus primus Clotarij cum decimo Childeberti & vicesimo-quarto Guntchramni sic comparatur, *anno* X. *regni Childeberti, Chlotharij verò primo, Guntramni autem* XXIIII. in editione verò Duchesniana caput sexagesimum-septimum libri tertij sic inchoatur, *anno* X. *regni Childe-*

[a] Num. 6.
[b] Num. 85.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. XXVII.

berti, Guntranni autem XXIIII. ibíque nulla mentio fit Clotarij. A recta Chronologia & à ſtylo Gregoriano non recedunt hæ ſupputationes. Regnauit Childebertus annis XLVII. Chilpericus annis XXIII. & annus primus Clotarij iuxta ſtylum Gregorianum anno X. Childeberti, Guntchramni XXIV. illigatur.

Aimoinus editus à Guilielmo Paruo, à Iacobo Breulio & à Franciſco Ducheſnio, annos Imperatorum non ſemel allegat, eóſque cum annis Chriſti & calculo Bedæ comparat in Codice Seguieriano. Beda trecentis fermè annis antiquior fuit Aimoino, ſcripſit libellum de ſex mundi ætatibus in quo catalogum Imperatorum ad ſua vſque tempora texuit, ſcripſit & Hiſtoriam gentis Anglicanæ in qua nonnumquam tempora per annos Imperatorum deſignauit. Vtroque opere vſus eſt Aimoinus, ſic enim de Iuſtiniani Auguſti morte loquitur libro tertio Codicis Seguieriani. *Iuſtinianus eo tempore, poſtquàm* XXXVIII. *annis Imperium felici rexit ſorte, ſceptrum cum corona Regni Iuſtino reliquit minori, anno, vt ſcribunt quidam Auctores in Hiſtoriis ſua gentis, quingenteſimo ſexageſimo-quinto Incarnati Verbi.* Prior autem pars iſtius periodi conſentanea eſt libro de ſex mundi ætatibus in quo triginta & octo anni Iuſtiniano Imperatori ſic attribuuntur, *Iuſtinianus Iuſtini ex ſorore nepos annos* XXXVIII. Et poſterior deſumpta eſt ex Hiſtoria Anglicana, ſiquidem cap. 4. libri 3. tempus, quo Columbanus ex Hybernia in Britanniam tranſiit, ita notatur. *Anno Incarnationis Dominicæ quingenteſimo ſexageſimo-quinto (quo tempore gubernaculum Romani Imperij poſt Iuſtinianum Iuſtinus minor accepit) venit de Hybernia Presbyter & Abbas habitu & vitâ Monachi inſignis, nomine Columbanus.* Nec Aimoinus per has voces, *vt ſcribunt quidam Auctores in Hiſtoriis ſua gentis*, alium Scriptorem indicare voluit præter Bedam, qui Hiſtoriam ſuæ gentis, id eſt, Anglorum, digeſſit in quinque libros, atque Hiſtoriam Eccleſiaſticam gentis Anglorum inſcripſit. Hoc loco non inquirimus, vtrùm Beda & qui Bedam ſecutus eſt Aimoinus anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-quinto mortem Iuſtiniani rectè conſignarint, differendam cenſuimus in annum proximum, & opinionem noſtram propugnauimus authoritate Victoris Tununenſis & Marij Lauſannenſis, quorum hic Iuſtinianum vitâ ſublatum ſcribit anno poſt Baſilij Conſulatum viceſimo-quinto, ille mortuum tradit anno Imperij quadrageſimo & Indictione decimâ-quintâ iam inchoatis, annúmque primum Iuſtini ſucceſſoris numerat à Chriſto nato quingenteſimum ſexageſimum-ſeptimum quo ſuum claudit Chronicon. Quod attinet ad numerum annorum, quibus Imperium penes Iuſtinianum fuit, explicuimus in eius obitu quomodò ſtare poſſit ſententia cùm Bedæ tum multorum aliorum qui volunt eum imperaſſe annis duntaxat octo ſupra triginta. Pauciores autem anni Principatûs attribui non poſſunt, ideóque vitioſa cenſeri debet editio Guilielmi Parui, quæ ſic habet capite octauo libri tertij. *Iuſtinianus eo in tempore poſtquàm triginta quatuor annis Imperium felici rexit ſorte, ſceptrum cum corona regni Iuſtino reliquit minori*; vitioſiores quoque Breuliana & Ducheſniana, quæ ſic habent, *Iuſtinianus eo in tempore poſtquàm triginta tribus annis Imperium felici rexit ſorte, ſceptrum cum corona regni Iuſtino reliquit minori.* Atque inde concludimus Codicem Seguierianum vulgatis editionibus præferendum eſſe. In eodem Codice, libro quarto, Mauritius Imperator *anno Incarnati Verbi* DC. *ſecundo* occiditur; Gregorius Papa migrat ad Dominum Phocæ Principis tempore, *tertio ſcilicet anno regni eius, Incarnati verò Verbi* DC. *quinto*; & Heraclius Imperium adipiſcitur *Incarnati Verbi, vt Beda ſcribit*, DCX. *anno*. Ita procul dubio ſenſit Beda. In Hiſtoria enim Eccleſiaſtica, capite vltimo libri primi, annum primum Phocæ ſeu Focatis Auguſti cum anno Chriſti ſexcenteſimo tertio ſic comparauit. *Bellum Edilfridus anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo-tertio, Regni autem ſui, quod viginti quatuor annis tenuit, anno vndecimo perfecit, porrò anno Focatis, qui tum Regni Romani apicem tenebat, primo.* Et librum ſecundum ſic exorſus eſt. *His temporibus, id eſt, anno Domi-*

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17. *nicæ Incarnationis ſexcenteſimo-quinto, beatus Papa Gregorius, poſtquàm Sedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ tredecim annos, menſes ſex, & dies decem glorioſiſſimè rexit, defunctus eſt.* Lapſu temporis irrepſit error in idem primum caput ſecundi libri, vbi Gregorius Papa ſecundo Focatis anno mortuus ſic aſſeritur. *Rexit Eccleſiam temporibus Imperatorum Mauricij & Focatis, ſecundo autem eiuſdem Focatis anno tranſiens ex hac vita migrauit ad veram, quæ in cælis eſt, vitam.* Anni ſecundi loco reponendus eſt tertius, alioquin à ſemetipſo diſſidebit Beda. Idem error hodie reperitur in libro de ſex ætatibus mundi, vbi Beda de Phoca ſic diſſerit. *Phocas annos* VIII. *Huius ſecundo anno, Indictione* VIII. *Gregorius Papa migrauit ad Dominum.* Secundus annus Phocæ iuxta ſuperiorem Bedæ calculum anno Chriſti ſexcenteſimo quarto illigatur, & annus Chriſti ſexcenteſimus quartus cum Indictione ſeptima coincidit. Reſtituendus eſt igitur annus tertius Phocæ, cui conueniunt octaua Indictio & annus Chriſti ſexcenteſimus quintus. Atque inde colligere eſt annum octauum ſiue vltimum Phocæ incidiſſe in annum Chriſti ſexcenteſimum decimum, quo præcitatus Aimoinus auctoritate Bedæ nixus ait Heraclium Phocæ ſubrogatum fuiſſe. Corrigi debet Aimoinus, qui Phocæ Auguſto perperam tribuit annos IX. ſic enim ſcribit capite viceſimo-primo libri quarti. *Focas Imperator ab vniuerſo deſertus Senatu, quaſi peruerſâ inſaniens mente opes Imperij in mare proiiceret dicens ſe muneribus Neptunum placare velle, ab Heracliano tunc Africa Præfecto perimitur, atque Heraclius Heracliani filius ei in Imperium ſubſtituitur anno* IX. *poſtquàm purpurâ ſe induerat.* Subſiſteret hic numerus, ſi iuxta Fredegarij ſtylum annus primus Phocæ cenſeretur is quo Mauritius interemptus eſt, ſed apud Fredegarium non exprimitur numerus annorum quibus Phocas imperauit, & Aimoinus loco præcitato non innititur authoritate Fredegarij. Textum illum malè interpunxerunt, ac vitioſâ interpretatione in alium prorſus ſenſum detorſerunt Guilielmus Paruus, Iacobus Breulius & Franciſcus Ducheſnius, has enim voces *(anno* IX. *poſtquàm purpurâ ſe induerat)* non ad Phocam, vt mens Aimoini fuit, ſed ad Heraclium ſic retulerunt. *Focas Imperator ab vniuerſo deſertus Senatu quaſi peruerſâ inſaniens mente opes Imperij in mare proiiceret dicens ſe muneribus Neptunum placare velle, ab Heracliano tunc Africæ Præfecto perimitur, atque Heraclius Heracliani filius ei in Imperium ſubſtituitur. Anno* IX. *poſtquàm purpurâ ſe induerat, hic Heraclius multas prouincias à Perſis peruaſas Reipublicæ reſtituit, aliáſque grauiter labefactatas vindicauit.* Quàm turpiter autem hallucinati ſint docet nos Theophanes, cùm Heraclium anno Imperij duodecimo contra Perſas primùm profectum ſcribit. Mauritij Auguſti cædem contigiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo ſecundo, & Imperium Heraclij cœptum eſſe anno Chriſti ſexcenteſimo decimo non inficiamur. In vtroque aſtipulamur Bedæ & eius aſſeclæ Aimoino. At Gregorij Papæ mortem, quam Beda Indictione octauâ anno Chriſti ſexcenteſimo quinto, Aimoinus eodem Chriſti anno, Phocæ Imperatoris tertio referunt, collocamus anno Chriſti ſexcenteſimo quarto, Phocæ Auguſti ſecundo, Indictione ſeptimâ. Notabis enim obiter noſtrum hoc loco conſilium non eſſe, vt Characteres Chronologicos, quos Aimoinus ex Beda deſcripſit, veros eſſe contendamus, ſed tantùm vt probemus eos ex Bedæ ſcriptis deſumptos eſſe atque in pura puta Hiſtoria Aimoini reperiri.

XXVIII. In Seguieriano Codice poſt Aimoinum, vt ſuprà notauimus, variæ ſequuntur additiones vſque ad Roberti Regis atque ipſius Aimoini Monachi Floriacenſis ætatem. Has ex diuerſis Auctoribus ab vno Continuatore ſimul collectas facilè nobis perſuademus. Quidam è Monachis ſancti Germani de Pratis idem opus poſteà perduxit vſque ad annum Chriſti milleſimum centeſimum ſexageſimum-quintum, & Aimoinum, qui purus putus remanſerat, multis interpolationibus in gratiam ſui potiſſimùm Monaſterij per inſignem audaciam adulterauit. Atque hoc eſto noſtrum de Aimoino iudicium. Ceterùm tres duntaxat editiones Aimoini conſuluimus, Aſcenſianam ſeu Guilielmi Parui, Breulianam & Ducheſnianam. Reliquis enim antiquitate præſtat Aſcenſiana, Breu-

liana plures atque auctiores continet interpolationes, Duchesniana censetur & est omnium castigatissima. AN. CH. 654.

Hisce temporibus à Landelino Presbytero Cameracensi iacta sunt fundamenta Monasterij * Laubacensis, de quo sic loquitur apud Surium [a] Anonymus in ipsius Landelini vita. *Constructum autem idem Monasterium ab ipsis fundamentis sub Iuniore Clodoueo, tantò florebat angustiùs, quantò erat Regiis opibus & munificentiâ copiosiùs locupletatum.* Agemus inferiùs de Cœnobiis Alnensi, Wallerensi & Crispiniensi, quæ regnantibus Clodouei Secundi liberis ab eodem Landelino fuerunt ædificata. Fulcuinus Abbas Lobiensis, cuius mors in annum Christi nongentesimum nonagesimum incidit, Gesta Laubacensium seu Lobiensium Abbatum à primo Cœnobij conditu ad suam vsque ætatem complexus est capitibus quadraginta-tribus, suámque lucubrationem à nominis Lobiensis etymologia sic inchoauit. *Est locus, vbi intra terminos pagi, quem veteres à loco vbi superstitiosa gentilitas fanum Martis sacrauerat Fanomartense dixerunt, iuniores à nomine præterfluentis fluuij Hainon vocauerunt, & pago Sambrino Sambra * fluens blandâ & amœnâ ripâ decurrit, quem hinc inde prominentibus collibus planities quadam, & nemorum opacitas, & opportunitas loci gratissimum reddit, in quo loco riuulus delabitur in Sambram, quem Laubacum vocant, eundémque putant nomen loco dedisse, licèt sint aliqui, qui pro opportunitate capiendarum ferarum (vndique enim saltu cingitur, vicináque erat Liptinas fisco tunc Regio) & prisco nomine permanente Forestis adhuc dicitur, eò quòd Rex pergens venatum, ibi sibi fieri iusserat obumbraculum ad temperandum Solis æstum, quod Lobiam vocant. Inde putant locum dictum nomine permanente, riuulúmque à loco, non locum à riuulo nomen traxisse, quod videtur magis verisimile esse. Teutones hoc adstipulare videntur. Nam locus ille eorum linguâ, Lobach dicitur, & Lo quidem vocant obumbrationem nemorum, bach autem riuum; quæ duo si componantur, faciunt obumbraculi riuum.* Idem Auctor, vt suprà iam monuimus, initia Monasterij Lobiensis in Principatum Clotarij Tertij perperam reiicit, aliísque scatet næuis, de quibus infrà.

CLOD. II. R. 17. XXIX.

[a] Lobet. [a] D. 15 Iun.

LANDELINVS CONSTRVIT MONAST. LAVBACENSE.

* La Sambre.

Ad hunc annum pertinent quæ scribuntur in vita sancti Geremari. *Nuncius ei venit de filio suo Amalberto, quem in Palatio reliquerat. Rediens enim de Wasconia cum Rege, graui infirmitate percussus ægrotare cœpit, vnde morbo ingrauescente euadere non potuit, sed surripiente mortis articulo vitam corporis amisit, erat enim adhuc virgo & ignarus mundanæ corruptionis. Et quoniam carus erat Regi & Francis, delatus est vsque ad locum propriæ hæreditatis. Cùm autem hoc ei nunciatum fuisset, pergens cum magno psallentium choro, peruenit in pagum Vilcasinum, quem pertransiens intrauit Beluacensem pagum, vbi iacebat filij corpus defunctum: veniens illuc vbi iacebat, nihil de morte ipsius est motus, sed laudabat Dominum Deum, quòd dignatus sit suscipere in virginitate vnicum filium suum. Eleuantes eum in feretrum, deferunt in Monasterium quod beatus Geremarus construxerat in honore Petri & Pauli Apostolorum. Sequebatur multitudo populi flens atque lugens super eum. Veniens autem ad locum qui Baniacus-pons dicitur, paululùm solo substiterunt. Non illud silere debeo quod Dominus operari dignatus est ibi circa corpus defuncti ob meritum beati Geremari, quatenus omnes agnoscerent magni meriti esse eum & ipsius filium. In eodem loco sic aggrauatum est corpus beati Amalberti, vt ab his, qui eum portabant, non potuisset moueri, sed nec sic moueri potuit. Tunc beatus Geremarus sentiens hoc esse voluntatem Dei, iussit corpus deponi, quo deposito prostratus solo genibus orationem ad Dominum fudit, & coram cunctis diutissimè orauit. Completâ oratione, illis qui corpus vehebant dixit. Auferte pallium ab eo quo coopertus est, cúmque tulissent pallium & diligentiùs aspexissent, inuenerunt faciem eius sanguine madidam, ac si illo die bello interfectus fuisset, fluebat enim sanguis per nares, irrigans totam faciem eius. Valdè stupendum est, atque mirandum, & in memoria deuotis laudibus reseruandum. Iam multùm fluxerat temporis, quo vitâ decesserat rediens à Wasconia cum Rege & Francis, quid hoc facto manifestius potuit adimplere illius virtus, beati Geremari meritis & virtutibus, cuius potentiâ*

XXX.

MORS S. AMALBERTI.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

resuscitatur quatriduanus Lazarus? Demonstratur hoc indicio beatum Amalbertum meritis sancti Geremari viuere cum Christo. Tunc beatus Geremarus in eodem loco Ecclesiam fieri præcepit in honore S. Ioannis. Duodecim Monachos ibi constituit, quorum vita salus esset sibi & animæ filij. Vt ergo sine indigentia viuerent, & Domino sine murmuratione seruirent, reliquit eis multas villas, scilicet propria prædia per cartarum monimenta. His ita promissis, statim inuentum est corpus tantæ leuitatis, vt ab vno homine potuisset portari. Mouentes inde peruenerunt ad prædictum Monasterium, quod beatus Geremarus adhuc in sæculo positus construxerat, vbi honorificè sepelierunt eum. Ex illo Monasterio, cui tunc Archarius Abbas præerat, vix hodie superest capella, in qua tumulus beati Amalberti visitur, vt Louuetus [a] in Antiquitatibus Bellouacensibus docet. Clodoueum Regem ex Aquitania reuocauit Austrasiæ tumultus, qui post Sigiberti Regis obitum exorsus est hoc anno, cùm Grimoaldus Maiordomûs Childebertum filium suum in solio collocare statuit. Ad ista tempora quibus Clodoueus Rex in Aquitania moratus est, referri debent initia Monasterij apud Burdigalam sub nuncupatione sanctæ Crucis ab eo conditi de quo plura inferiùs.

[a] Lib. 1. c. 11

MON. S. CRVCIS BVRDIGAL.

XXXI. CARIGISIL. EP. TVRON.

Obiit & huc anno Carigisilus Episcopus Turonensis, cui duo duntaxat anni Pontificatûs tribuuntur in Turonensis Ecclesiæ Tabulariis [b]. Successit Rigobertus seu Ragobertus.

[b] Gall. Christ.

XXXII. MON. S. SERGII.

Magnobodus Andegauensis Episcopus, quo sedente Clodoueus Rex Monasterium sancti Sergij prope muros Andegauenses erexit, longæuam ætatem duxit vt omnes fatentur, peruenítque ad hunc annum si vixit annos octoginta, natus est enim anno Christi quingentesimo septuagesimo-quarto, vt ad annum Christi duodesexcentesimum [c] obseruauimus. Illius vita manuscripta, cuius varia fragmenta Bollandus [d] in prolegomenis ad vitam sancti Licinij iam publicauit, in manus nostras deuenit ex Bibliotheca Claudij *Menard* Prætoris quondam Andegauensis. Auctor in recensendis miraculis, quæ Deus per beatum Magnobodum operatus est, potissimùm immoratur. Inter alia, hæc de Niulfo Abbate scribit. *His diebus erat quidam Abba vocabulo Niulfus, qui Cœnobium, in quo sanctus Albinus olim Andecauensium Antistes corpore quiescit, secundùm normam sacræ religionis regere satagebat. Qui dira morbo podagra vsquequaque obsessus ab omni officio manuum extorris permanebat. Quam ob rem adelphi & clientuli eius mæstitiâ circumdati, ignorabant qualiter Patris sui pressuris subuenirent. Vt autem Sacerdoti* Magnobodo *notum factum est, sicut moris erat ægrotos visitare, ad eum visitationis gratiâ ire perrexit. Quem in magna anxietate constitutum considerans, orationis voto completo, eulogias sacrâ benedictione decoratas vt sumeret æger, adhortatus est. Qui vt vbi cum fide percepit, continuò omnis molestia, quæ eum inuaserat, ab eo recedens, totius corporis valetudinem expertus est, ac grates rependens Pontifici, multis deinde annis præfato Cœnobio regimine præfuit, seruiens Domino cum deuotione.* Sanctus Albinus, cuius mentio in hoc textu habetur, Ecclesiam Andegauensem ab anno Christi quingentesimo vndetricesimo ad annum vsque Christi quingentesimum quinquagesimum rexit. Quieuit primùm in cellula vbi Ecclesia Principis Apostolorum hodie conspicitur. Posteà translatus est in nouam Basilicam, sic enim Fortunatus [e] in eius vita. *Cùm sanctus Germanus Episcopus Parisiorum, vel comprouinciales, ac Pontifex successor eius,* id est, Eutropius sancti Albini successor, *& populus, vellent membra sancti Albini in nouam Basilicam deuotè transponere, & propter cellulæ angustiam, in qua conditus fuerat, non daretur sacri corporis extrahendi licentia, cunctis hæsitantibus & incertis quid agerent, cum popularibus se virtus beatissimi viri mediatrix interserit. Nam expectantibus omnibus & nihil deliberantibus, repentè nutu diuino discisso pariete cellulæ, qui erat ad pedes eius, à parte Orientali tres lapides deciderunt, scilicet dato signo, per qualem locum se iuberet educi posse. Intereà facto aditu, dum concentum psallentium ad sanctum sepulchrum progreditur, in loco, per quem est eductus, palàm tres paralytici, iam diu separati, redditi sunt sanitati, ac nerui præmortui, viuificari didicerunt meritis Dei viri se-*

[c] Num. 3.
[d] d. 13 Febr.

NIVLFVS ABB. S. ALBINI SANATVR A MAGNOBODO EP. ANDEG.

[e] Ap. Sur. d. 1. Mart.

pulsi. Statímque duo cæci sunt pariter illuminati, tandem aliquando sumentes lumina diei ab vmbra defuncti, nimirum agnoscentes eius adminiculo se posse lumen consequi, cuius virtute paries potuisset fenestrari. Hæc Translatio, cui Germanus Pontifex Parisiensis & Eutropius Andegauensis Episcopus interfuerunt, facta est pridie Kalendas Iulias, vt à Ioanne *Hiret* Presbytero Andegauensi ac Doctore Theologo, in Antiquitatibus Andegauensibus annotatum est, incidítque procul dubio in annum Christi quingentesimum qninquagesimum-sextum, Germanus enim anno Christi quingentesimo quinquagesimo-quinto suscepit Episcopatum, & anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo Concilium Parisiense Tertium vnà cum Domitiano Andegauensi Antistite, Eutropij successore, suâ subscriptione communiuit. Atque ex eadem ratiocinatione Chronologica liquet Eutropij mortem & Domitiani subrogationem anno Christi quingentesimo quinquagesimo-sexto consignandas esse. Cæterùm Basilica, in quam Eutropius aliique Episcopi reliquias sancti Albini transtulerunt, à primo conditu, vt idem Auctor testatur, nomen gessit sancti Stephani protomartyris & sancti Germani, Altissiodorensis olim Episcopi, posteà dicta est Ecclesia sancti Albini, fuitque illustrata nobili Monachorum cœtu, cui Niulfus Abbas præfuit, cùm Magnobodus Episcopus Diœcesim Andegauensem gubernabat. AN. CH. 654. CLON. II. R. 17.

XXXIII. Obiit sanctus Magnobodus decimo-septimo Kalendas Nouembris, quo die celebris est apud Andegauenses eius memoria. Sepultus fuit in Basilica sancti Saturnini à se priùs erecta, quæ nomen ipsiusmet sancti Magnobodi posteris temporibus accepit atque etiamnum seruat. De sancti Magnobodi successore non conueniunt Nomenclatores. Wido *Arthaud* Doctor Theologus, Archidiaconus & Canonicus Ecclesiæ Andegauensis, amicus noster, breuem Episcoporum Andegauensium indicem anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-secundo contexuit, asseruitque post sancti Magnobodi mortem Niulphum ex Abbate sancti Albini factum fuisse Episcopum Andegauensem. Sammarthani sancto Magnobodo Niulphum quoque subiecerunt, addiderúntque hunc *in Mauricianis indicibus & S. Sergij* nominatum inueniri, sed Abbatis titulum, quem in Monasterio sancti Albini procul dubio gessit, alto inuoluerunt silentio, siue Abbates sancti Albini, siue Andegauenses Episcopos in auctiore Gallia Christiana recenserent. Huic etiam opinioni fauere videtur Codex Thuaneus, in quo post sanctum Magnobodum, vt Robertus obseruauit, ponitur Ayulphus, Nyulphus enim & Ayulphus prima tantùm literâ differunt, & N in A facilè abire potuit. At Robertus de Niulfo Abbate sancti Albini minimè cogitauit, quem enim Ayulphum Episcopum Andegauensem constituit, hunc cum Auiulfo, cuius est tertia ad Desiderium Episcopum Cadurcensem epistola, sic confudit. *Ayulphus in Cod. Thu. inter Magnobodum & Lupum, qui & Auiulfus in ep. 3. ad S. Desiderium Cadurcensem.* Auiulfus autem Episcopus, qui literas *Domino Sancto & Apostolicâ Sede dignissimo, Domno & Patri Desiderio Papa* scripsit, non alius est, si benè coniicimus, ab Agiulfo siue Aigulfo Episcopo Valentino, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum [a] fecimus. Ceteri verò Nomenclatores in Andegauensium Episcoporum catalogo nullum Niulfo locum tribuunt, & in vita sancti Magnobodi, hæ voces, *multis deinde diebus* Niulfus *præfato Cœnobio* sancti Albini *regimine præfuit, seruiens Domino cum deuotione*, palàm declarant ipsum Niulfum ad obitum vsque præfuisse Monasterio sancti Albini cum Abbatis titulo, nec vnquam Episcopum fuisse.

VTRVM FVERIT EPISC. ANDEGAV.

[a] Num. 14.

XXXIV. Expuncto Niulfo, non statim euanescit orta de Magnobodi successore controuersia. Quatuor enim sententiæ manent examinandæ. Prima est Democharis, qui sancto Magnobodo sanctum Lupum proximè subiicit, deinde Aglibertum, tum Gobertum. Secunda est Seuertij, qui sancto Magnobodo sanctum Lupum subrogat, & sanctum Setenum *post sanctum Lupum & ante Aglibertum* reponit. Tertia est Chenutij & Hiteti, qui volunt Agilbertum siue

INDICES EPP. ANDEG. EXAMINANTVR.

AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

Aglibertum sancto Magnobodo successisse. Quarta est Arthaldi & Sammarthanorum, qui Niulfo à nobis exploso Gobertum immediatè subiungunt. Inuestigandum igitur, vtrùm beato Magnobodo successerit Lupus, an Serenus, aut Agilbertus vel Gobertus.

XXXV. Pontificatus sancti Lupi reiiciendus est in nonum seculum. Hanc assertionem multis argumentis suo loco probabimus.

XXXVI. Quæ proferuntur à Seuertio, sanctum Serenum nec Episcopum demonstrant, nec distinguunt à sancto Cerenico, cuius vitam Tomis superioribus, partim ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum-septimum [a], partim ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-quintum [b], summarim descripsimus. *Sanctus Serenus*, inquit Seuertius, *expressus è Legendis seu Breuiariis Andegauensibus, per M. Clementem Marchant à Doctore Renato Benedicto ad titulum inscribitur Episcopus Andegani, sed in pleniore textu non depingitur aut demonstratur consecratus ad eam Cathedram. Historia duntaxat eum narrat Spoletanum, Angelicis reuelationibus clarum pro domesticis deserendis, & ad Numini cum fratre vacandum. Inde Romam profectus, fit Pontificis Diaconus. Posteà in Gallias appellens humilitatis gratiâ, quando regnabat Sancta Bathilda, ad syluas Cœnomanenses ex singulari se pietate includens suis erga Deum precibus ex Episcopi loci postulatione famem regionis depulit, leprosos curabat, & hortans discipulos Eremi, perceptísque Sacramentis, animam Deo religiosè tradidit.* Sanctus Cerenicus, quem prauè Seuertius in sanctum Serenum deflexit, claruit ætate Milehardi Sagiensis Episcopi, qui sedebat anno Christi quingentesimo quinquagesimo-septimo. Plerique verò Milehardum Sagiensem Episcopum cum Malardo Præsule Carnotensi confuderunt, existimaruntque sanctum Cerenicum, quem Seuertius sanctum Serenum malè nuncupauit, temporibus Bathildis Reginæ floruisse, quia regnante Clodoueo Secundo, cui posteà Bathildis nupsit, Malardus Carnotensis Episcopus Synodum Cabilonensem suâ subscriptione firmauit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto.

[a] Num. 39.
[b] Num. 15

XXXVII. Lupo in aliud tempus reiecto & Sereno expuncto, restat vt beato Magnobodo vel Agilbertum sufficiamus vel Gobertum. Vtriusque reliquiæ in capsa argentea inclusæ seruantur in Abbatia sanctorum Sergij & Bacchi prope muros Andegauenses, ibique de vtroque fit Officium quarto Nonas Maias absque Lectione propria, quia vtriusque Gesta sunt obliuione consepulta. Consule Indicem Episcopotum Andegauensium à Widone Artaldo contextum, & ex eodem Auctore obserua in Oratione Officij sanctum Gobertum sancto Agilberto præponi. Quæ res eundem Arthaldum ac Sammarthanos adeò mouit, vt priori loco Gobertum, Agilbertum posteriori loco collocarint. Nec ab hac sententia recedendum putamus. Successit igitur sancto Magnobodo sanctus Gobertus seu Godebertus *. Sed quot annos egerit in Pontificatu, manet incompertum. Idem quoque dicendum de sancto Agilberto, qui post eum sedit. Ambo Diœcesim saltem administrarunt reliquo septimo seculo.

MAGNOBODO SVCCEDIT GOBERTVS.

* *Saint Godebert.*

XXXVIII. Hoc anno, cùm Clodoueus vniuersâ Franciâ potiebatur, Rodingus Abbas Bellilocensis in Diœcesi Virodunensi, rogatus ab eodem Rege, vt ad Aulam Regiam se conferret, in cella sua latere maluit quàm in Regio Comitatu versari. Qua de re sic Auctor Actorum apud Hugonem Menardum [c]. *Cùm Clodoueus Secundus, Rex Francorum, cum per internuntium rogasset vt ad se veniret, Regem impensè precatus est ne se à cella abduceret, pollicitus, se pro eius & Regni incolumitate Deum assiduè oraturum.* Duas autem sancti Rodingi vitas publicauit Menardus, vnam accepit ex Abbatia Bellilocensi, alteram è Cœnobio sancti Petri Catalaunensis, priorem inseruit libro secundo Obseruationum decimoquinto Kalendas Octobris, alteram seriùs ad se transmissam edidit ad calcem sui operis inter omissa quæ monuit suis esse locis reponenda. Cur ambas ediderit, rationem hanc affert, quòd *inter illas aliquod discrimen intersit, nam quædam aliter narrantur, & nonnulla sunt in vna, quæ non sunt in altera.* Exemplum non est longè petendum. In priore quam nuperrimè citauimus, mentio fit

RODINGVS ABB. BELLILOCENS. CELLAM PRÆFERT AVLÆ REGIÆ.

[c] L. 2 Obseruat. d. 17. Sept.

fit Clodouei Secundi, de quo nihil legitur in posteriore: vice versâ in posteriore commendatur Childericus Gloriosus Rex Francorum, cuius nomen in priore non inuenitur. Vtrâque non semel vsuri sumus; alteram per Codicem Bellilocensem, alteram per Codicem Catalaunensem designabimus. AN. CH. 654. CLOD. II. R. 17.

655. CLOD. II. R. 18.

ANNVS
CHRISTI 655.
CLODOVEI II. R. 18. 2.

ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, die vicesimâ Ianuarij migrauit ad Deum sanctus Hadoindus Episcopus Ecclesiæ Cenomanensis. *Hic quippe*, vt Author vitæ testatur [a], *sedit in prædicta Sede annos triginta, menses* XI. *dies* XXIII. *qui & in pace* XIII. *Kal. February obiit, & in Ecclesia Apostolorum vltra fluuium Sarta, in qua Domnus Victurius & nonnulli Antecessores sui Episcopi requiescunt, honorificè à Sacerdotibus & discipulis suis sepultus est, cuius obitum virtutum prosecuta sunt signa.* Miramur illius nomen in Martyrologio Gallicano desiderari. Falluntur qui Pontificatum Hadoindi vltra annum tricesimum-primum prorogant. Successit Berarius Sanctitate æquè insignis. Obiit etiam hoc anno Duriotetus in eadem prouincia Lugdunensi tertia Redonensis Episcopus. Successit Guillelmus. Hic sanctum Moderandum *, de quo plura inferiùs, Clero adscripsit erudiuitque. Lege in Armorica Sancta Catalogum Episcoporum Redonensium cum vita [b] sancti Moderandi. I.

[a] Ap. Bolland. in append. ad d. 20. Ian.

MORS HADOINDI EP. CENOM.

ET DVRIOTERI EP. REDONENSIS.

* *Maurand.*

[b] D. 22. Octob.

Ineunte hoc eodem anno Geremarus Eremita, cùm vereretur, *ne cor eius laus solitariæ vitæ attingeret*, beatum Audoenum Rotomagensem Episcopum adiit. Post triduanum ieiunium vtrique per visum Angelus apparuit dicens. *Exaudiuit Dominus preces vestras, ite ad locum qui Flauiacus nuncupatur, & ibi inuenietis desiderium vestrum. Mane autem facto*, vt in vita sancti Geremari refertur, *retulit vterque quod viderat, & gratias agentes Domino tendunt ad locum prædictum ab Angelo. Cùm autem non longè essent à vico, nutu Dei & voluntate deuiati sunt à recto tramite, & gyrantes vastæ solitudinis desertum, peruenerunt ad destinatum locum; vbi cùm peruenissent, & multùm dubitarent, nescientes quid agerent, ecce nebula descendit de cælo, & circumdedit totum locum, vbi construendum erat Monasterium, & cum nebula superna vox dicens. Electi Dei, ecce locus iste metuendus est, quadraginta anni voluti sunt, ex quibus Dominus hunc locum benedixit & sanctificauit, & fideli suo Geremaro destinauit; erit enim habitabilis Monachorum multitudini, quamdiu perstiterit in præceptis Domini; mulieribus verò nullus patebit ad eum vnquam accessus. Audientes autem ambo viri sancti valdè lætati sunt. Cúmque obtutus suos in aspectum nebulæ defigerent, statim ab aspectibus eorum substracta est. Ex eadem autem nebula, in circuitu loci, quasi quadam virtus geometricalis totum locum circumdans remansit, vt daretur intelligi verum esse quod superna vox cecinit. Tunc circumeuntes locum repererunt signum cælestis roris impressum. Beatus autem Audoenus certus de Angelica visione & superna voce, accipiens virgam in manu, per vestigia nebulæ mensus est plateam in circuitu, vbi Ecclesia ædificaretur, vbi officinæ construerentur, & cætera Monachorum vitæ vtilia, consignatóque loco B. Geremaro, ita discessit ab eo. Tunc beatus Geremarus vnà cum omnibus sibi commissis, ad ædificandum locum aduenit. Ædificauit ibi Ecclesiam in honore Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Sanctæque Mariæ Virginis, & Sancti Ioannis, Sanctíque Petri Apostolorum Principis, & ibi totam hæreditatem suam tradidit*, quam videlicet post obitum Amalberti filij nuper receperat, vt idem Author vitæ testatur. Hæc fuerunt initia Flauiacensis Monasterij, quod nunc II.

INITIA MONAST. FLAVIAC.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18.

etiam mille vix passibus distat à ruderibus prioris Cœnobij cui nomen olim Insula fuit. De vtriusque situ lege Louuetum [a] in Antiquitatibus Bellouacensibus. Ceterùm Angelus cùm locum, in quo Geremarus Monasterium conditurus erat, à Deo ante annos quadraginta sanctificatum dixit, ætatem Geremari procul dubio indicauit, innuítque locum illum eodem tempore, quo Geremarus natus est, à Deo benedictum fuisse. Hæc potissimùm ratio nos impellit, vt Geremarum in lucem editum credamus anno Christi sexcentesimo decimo-quarto, & in aulam Regiam à Dogoberto vocatum anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo. Louuetus exordia Monasterij Flauiacensis in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-primum differt, quoniam in eorum sententia loquitur, qui sexdecim Dagoberti Regis annos non numerant ab anno Christi sexcentesimo vicesimo-secundo quo primùm Austrasiis præpositus fuit, sed ab anno Christi sexcentesimo duodetricesimo quo patri Clotario in regna Neustriæ ac Burgundiæ successit. Initia Monasterij Flauiacensis in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-primum reijci non possunt, quia Geremarus Amalbertum filium sub Clodouei Principatu mortuum luxit, cùm eremiticam vitam in crypta prope Sequanam ageret, vbi delituit per annos duntaxat quinque trésque menses, priusquàm Flauiacum se conferret.

[a] Lib. 2. c. 12.

III. MAGNI ABB. FAVC. OBITVS

Hoc anno Magnus Abbas Faucensis *agrotare cœpit, atque infirmitate febrium languescere, misit ergo ad Theodorum sodalem suum, qui tunc temporis in Campidonense cellula morabatur, & accersiuit eum vt acceleraret atque eum visitaret, & suâ visitatione refoueret fidissimum amicum. Audiens hoc Theodorus commotione maximâ de inualitudine tanti viri animóque mæsto, celeriter partes in illas profectus est, sumens secum prout potuerat ea, quæ in infirmitate laboranti nouerat congruere. Veniens autem ad præfatam cellulam, inuenit beatum virum in maxima infirmitate detentum. Et misit celeriter ad Tozzonem Episcopum, intimans ei vt acceleraret, & tantum Patronum, priusquàm ab hac luce discederet, visitare veniret. Cùm audisset igitur hoc præfatus Episcopus velociter partes in illas profectus est, & peruenit ad Cœnobium beati viri. Cumque Magnus Patronus in infirmitate maxima laborasset, videns eum Tozzo Episcopus cœpit flere & dicere. Heu, heu! Pater amande, heu Doctor egregie, in his periculis quasi orphanum me dimittis? Ad hæc beatus vir Magnus inquit. Noli flere venerabilis Præsul, quia me in tot mundialium perturbationum periculis laborantem conspicis; quoniam credo in misericordia Dei, quòd anima mea in immortalitatis libertate sit gauisura; tamen deprecor vt orationibus tuis sanctis mihi peccatori & animæ meæ non desistas adiuuare. Inter hæc verba beatus Magnus per dies tredecim laborans, expletis viginti sex annis morationis suæ in illo Cœnobio, ætatis verò suæ annis septuaginta tribus in die sancto Dominico, & in octauo Idus Septembris commendans se Domino & venerabili Pontifici in senectute bona, circa horam nonam diei ipsius Dominici sanctam animam Deo reddidit, de huius vita liberatur ergastulo.* Currebat hoc anno litera Dominicalis D, atque inde paret Chronologiam nostram quoad ætatem beati Magni rectè constare.

IV. SEPVLTVRA.

Flentibus autem Episcopo & Theodoro coram lectulo eius, audita est vox. Veni, Magne, veni, suscipe coronam, quam tibi Dominus præparatam habet. Auditâ ergo hac voce, dixit Tozzo ad Theodorum. Cessemus flere, frater, quia potiùs nobis oportet gaudere de animæ eius in immortalitate sumptæ in hoc signo audito, quàm luctum facere. Sed eamus ad Ecclesiam, & pro tam charissimo amico salutares hostias Domino immolare studeamus. Finito itaque fraternæ commemorationis obsequio inuenerunt ambo sarcophagum optimum lapideum à quodam Duce antiquis temporibus nomine Abuzaco constructum, qui & ipsum Castrum construxit, & à suo nomine similiter Abuzacum vocauit. Vnde fuit in ipso sarcofago positus neque sepultus quisquam. Purgato ergo ipso sarcofago, assumpserunt sanctum corpus, & recondiderunt in loco, vbi Pater ipse sibi oraculum construxerat, & cooperuerunt humo, ponentes eius vitam in capite suo scriptam, virtutibúsque plenam sub auctoritate Theodori.

V. Ipse Theodorus protestatus est se scripsisse quæ vel vidisset, vel audiisset

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18.

cùm à Theodegiſelo Monacho ſancti Columbani, tum à Tozzone Epiſcopo. *Ego*, inquit, *Theodorus Monachus ex Monaſterio ſancti Galli iuſſu Tozzonis Epiſcopi, ſicut à Theodegiſelo Monacho ſancti Columbani comperi, & oculis meis ipſe vidi, & auribus audiui, ſeu poſteaquàm me reliquis in cellula Campidonenſe, ſicut poſteà à præfato venerabili Epiſcopo Tozzone de virtutibus eius didici, plurima ſed non omnia in epitaphio ſcribere curaui, & ad caput eius poſui reconditum cum ſepulchro.* Apud Henricum Caniſium [a] vitæ beati Magni Author præfigitur Theodorus ſancti Magni diſcipulus, Monachus ad ſanctum Gallum, Campedonenſis Abbas primus. Opus Theodori multis in locis interpolatum fuit ab Ermentico Elewangenſi Monacho, qui & ſupplementum adiecit aliquot capitibus diſtinctum.

[a] Tom. 5.

VITA INTERPOLATA.

VI. GODO EP. MET. MORITVR.

Hoc eodem anno Godo Metenſis Epiſcopus, cuius res geſtæ propter Scriptorum penuriam manent obliteratæ, diſceſſit è viuis octauo Idus Maij, poſtquàm ſediſſet annos decem ac menſes duos, vt in Codice ſancti Symphoriani legitur. Sepultus fuit in æde ſancti Symphoriani, & multis poſt obitum miraculis inclaruit. Martyrologium Metenſe à Madaurenſi Pontifice citatum [b] hæc habet octauo Idus Maij de Godone eiúſque ſucceſſore Clodulpho ſeu Chlodulfo. *Metis ſanctorum Confeſſorum pariterque Pontificum Godonis atque Glodulphi.* Author Martyrologij Gallicani Glodulphum diuerſum facit à Clodulpho ſancti Arnulfi filio, & ſexto Idus Iunij, quo die encomium ſancti Clodulphi recitat, ipſum Clodulfum Antiſtitem Metenſem ſancti Arnulfi filium inter Epiſcopos Treuirenſes etiam annumerat. Verùm vt in Metenſium Præſulum catalogis nullus occurrit Glodulphus, ita & Clodulfus ex Treuirenſium Epiſcoporum indicibus expungendus videtur. Varias rationes, quibus hanc ſententiam tueamur, afferemus ſuis locis. Poſt Godonem igitur in Metenſi Cathedra ſedit Clodulfus, de cuius promotione agemus anno ſequenti, vacauit enim Epiſcopatus vſque ad menſem Aprilem.

[b] Lib 2. in 31. Epiſc.

VII. CLODOVEVS R. OBIT.

Hoc etiam anno, qui poſt Sigiberti Regis obitum ſecundus numeratur, ſi ducas anni principium à Kalendis Martiis aut à Paſchate, Clodoueus Francorum Rex obiit, cùm Regnum annis octodecim fermè integris obtinuiſſet. Triceſimo ante Clodouei mortem die, *cum tres iam procreati eſſent paruuli*, Clotarius, Childericus, Theodoricus, *& Rex ac Regina pacificè gratéque conſiſterent, talem relationem de eis in diebus illis Eligius* Nouiomenſis Epiſcopus *prædixit. Aſpiciebam, inquit, in viſione nocturna ceu Solem circa tertiam diei horam properantem claréque prælucentem, ſubitò nuſquam comparuiſſe. Cúmque adhuc informe prodigium ſolerter intenderem, conſpexi illicò, & ecce eum quaſi media oborta Luna, tribus circumquaque vallata ſtellis eum tenere tramitem viſebatur, quo Sol recurrens quotidie vertitur. Itaque cùm & hoc portentum attonitus expectarem, mox inter mirantis obtutum ſtellis permanentibus, Luna fortuitò exempta eſt. Poſt hæc verò cùm enixiùs tres illas conſiderarem ſtellas ad horam penè meridianam accedere, ac viciſſim ſuis radiis ſeſe repercutere, ea quæ eximior videbatur ex improuiſo ſublata duas tantum reliquit in propatulo. Deinde cùm ſimul duæ illæ comitari viderentur, dicto citiùs vnâ earum obſcuratâ atque ſubtractâ, vna tantummodò remanſit in palàm, quæ ſola recto tramite Solis curſum imitans, magno demùm fulgore rutilabat; quantóque ampliùs ad Occidentem declinabat, tantò vberiùs claritas eius latè propagabatur. At vbi ad vltimum Occidui locum peruenit, tantam claritatem ſuarum lampadarum profudit, vt potiſſimam Solis claritatem ſuperare videretur. Hic eſt itaque ordo viſionis. Poſt mortem Clodouei Regis, (nam abſque dubio citò defungetur) aliquanto tempore obtinebit hoc Regnum Francorum relicta eius Regina cum tribus paruulis. Poſtquàm verò & ipſa Regno fuerit exempta, tribus filiis in Regno relictis, vnus demùm ex ipſis cadet: & poſt hoc haud longo ſpatio, ex duobus quoque Regno vnus priuabitur; tertius verò ſolus Monarchiam Regni indeptus dilatabitur ſuper omnes affines ſuos, atque magnificabitur, & obtinebit ſub ditione ſua tria hæc regna: & ſic viſio hæc conſummabitur.* Huc vſque Eligius apud Audoenum. Hic vitam ſancti Eligij ſcribebat, cùm Clodoueus è viuis iam

ELIGIVS MVLTA PRÆDICIT DE FAMILIA REGIA.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18.

abiisset, Bathildis omni se abdicasset administratione, Clotarius hominem exuisset, Childericus verò & Theodoricus adhuc superstites essent, quapropter quæ regnante Clodoueo Eligius prædixerat, aliqua iam ex parte completa dixit, cetera quæ nondum impleta essent, paulò pòst implenda pronunciauit. *Nos*, inquit, *minimè diffidere conuenit, quin verba eius consequantur effectum: præsertim cùm hæc iam aliqua ex parte completa cernamus, cetera verò quæ nondum impleta sunt ex consideratione præcedentium impleri ex proximo non dubitamus. Nam secundùm eius sententiam & Rex Clodoueus infra paucum tempus, hoc est, anticipans triginta dies, in pace obiit, & eius demùm relicta Regina cum paruulis paucis annis regnum obtinens, postmodum iure Regio exempta, filios in Principatum reliquit. Ac non post multos annos maior natu ex ipsis, qui potissimum ius tenere videbatur, dum quietè tranquillèque regnaret, diem obiens, duos superstites fratres reliquit. De ipsis iam quid agatur solius Dei iudicio diffiniri conuenit.*

VIII. Ætas Clodovei.

Vixit Clodoueus annos vnum ac viginti, natus est enim anno Dagoberti Regis decimo-tertio, Christi sexcentesimo tricesimo-quarto. Regnauit annos octodecim, vt docet Monachus [a] Sandionysianus, & ex illo Munacho Continuator Fredegarij [b]. Annos intellige octodecim incompletos, vt prædictos Authores conciliare possis cum coætaneo, qui vitam sanctæ Bathildis scripsit, & Clodoueo Regi septemdecim duntaxat annos attribuit. Anonymus [c] in Gestis Regum Francorum corrigendus est, tum quòd Clodouei Principatum spatio sexdecim annorum circumscribit, tum quòd omnem luxuriæ & incontinentiæ infamiam à Dagoberto in Clodoueum filium transfert. Dies ignoratur, quo Clodoueus ex hac vita discessit. Illum exeunte anno mortuum docet Priuilegium, quod ab Eugenio Papa Stagirus Abbas Agaunensis obtinuit. Hoc enim anno Romæ, vbi rescitum est Martinum Papam in exilium Chersonam absque vlla spe restitutionis auectum fuisse, accedente ipsiusmet Martini, vt post triennium fusè probabimus [d], consensu Eugenius quinto Idus Septembris electus est qui vices Romani Pontificis ageret, Martinus octauo pòst die, id est, decimo-quinto Kalendas Octobris, Martyrium in exilio consummauit. Priuilegium autem Eugenij tale est [e]. *In nomine Dei Eugenius humillimus omnium seruorum Dei & in Sancta Sede Romana totius Orbis magistra non meritis propriis, sed intercessione B. Apostolorum Principis Petri, ab Omnipotente Deo in Apostolatûs arce electus*, &c. *Igitur quia postulauit Clodoueus Excellentissimus Rex Francorum, quatenus Monasterium Sanctorum in Regno Burgundiæ super fluuium Rhodanum, quod in honorem B. Mauricij & aliorum Martyrum Sigismundus bonæ memoriæ Rex construxisse dignoscitur, in quo Stagirus Abbas præesse videtur, Priuilegio Sedis Apostolicæ decoretur, & sub Sancta, cui Deo authore præsidemus, Ecclesia, constitutum præteritorum Regum ordinem, gloriosi videlicet Regis Sigismundi ac cæterorum Regum post ipsius Statuta & Priuilegia, iterum Præsulatûs honorem confirmaremus, vt nullatenus vllo deinceps tempore irrumperentur, neque super illos Monachos illic Domino famulantes sine illorum electione Abbas ibi mittatur, aures nostras piis desideriis Regis Francorum accommodantes, propter Monasterij Congregationem, Dei mandatis inhærentes, Sedísque Apostolicæ regulam conseruantes, per huius Præceptionis nostræ authoritatem, id est, quod exposcimus, effectu mancipamus. Ideo omnem cuiuslibet Ecclesiæ Sacerdotem, in præfatum Monasterium nullum sui prioratûs Pontificium permittimus habiturum, neque illum, qui in ciuitatem Valesiam nunc habere dignoscitur, vel fuerit posteà acquisiturus, quamlibet ditionem seu potestatem in eis ostendere, authoritate Sedis Apostolicæ prohibemus.* Tomo primo nostrorum Annalium, ad annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum [f], de vetustissimis Abbatibus Agaunensis Monasterij, de Hinmemodo, Ambrosio, Achiuo & Tranquillo disseruimus; hos secuti sunt, *S. Venerandus; S. Paulus; Placidus; Eutropius; Paulus II. Martinus; Ambrosius II.* (Sammarthanis III.) *Leontius; Iucundinus; S. Secundinus; Florentius; Stagirus* regnante Clodoueo Secundo vt proximè annotatum est. In vulgatis catalogis post Stagirum ponitur *Rocolenus*, qui Monasterium sub Theodorico Tertio

Privilegium Agaunense.

Abbates Agaunenses.

[a] Capp. 51. 52.
[b] Cap. 91.
[c] Cap. 44.
[d] Ad an. 658. n. 9.
[e] Tom. 4. Gall. Christ.
[f] Num. 195.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18.

Rege, ipsius Clodouei filio, gubernauit. Sed inter Stagirum & Rocolenum reponendus est Amatus, de quo sic Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Historia Chronologica Regionis Pedemontanæ. *S. Amatus natione Neapolitanus, & Monastery S. Mauritij Abbas, vocatus ad Episcopatum Sedunensem tempore Theodorici Regis, magnâ fide & diligentiâ illi præfuit.* Amatus igitur Agaunense Monasterium diu rexit sub tribus Burgundiæ Regibus, Clodouei Secundi filiis, primùm sub Clotario Tertio, deinde sub Childerico Secundo, necnon sub Theodorico Tertio, donec Infulas Sedunenses accepit relictâ Monasterij Præfecturâ, quam Rocolenus tunc iniit, vt repetemus infrà sub eodem Theodorico Tertio Rege.

IX. CLOTARIVS REGNAT SOLVS.

Clodoueus ex Bathilde Regina tres reliquit filios, Clotarium, Childericum & Theodoricum; Clotarius natu maximus post Clodoueum patrem in vniuersa Francia regnauit. Plerique volunt Childericum Clotarij fratrem ante Clodouei mortem in Regem ab Austrasiis expetitum fuisse. Ita censent Sigebertus in vita sancti Theodardi, Nicolaus & Renerus in vita sancti Lamberti. Huic sententiæ in vita sanctæ Bathildis refragantur duo Scriptores coætanei, quorum alter ita scribit. *Deo iubente Rex Clodoueus vir eius migrauit à corpore, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò post eum filius eius Clotharius quondam Francorum Regnum.* Alter sic. *Rex Clodoueus vir eius gratiâ euocante diuinâ, XVII. Regni sui anno rebus exemptus humanis migrauit à seculo, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò filius eius Lotharius Rex, Francorum regimen.* Eadem habet [a] Anonymus in Gestis Regum Francorum. *Decedente,* inquir, *Rege Chlodoueo, Franci Chlotharium seniorem puerum ex tribus sibi Regem statuerunt, cum ipsa Regina matre regnaturum.* Et Continuator Fredegarij [b]. *Clodoueus regnauit annos XVIII. Franci quoque Chlotharium filium eius maiorem in regno statuunt, cum præfata Regina matre.* Verùm quæstio non soluitur, si, quod nonnulli contendunt, Francorum nomine Neustrasij sunt intelligendi. Quapropter satius est ad Regalem chartam recurrere, quæ data reperitur [c] anno Childerici Regis octauo, cùm ille Bilechildem vxorem iam duxisset, nam si viuo patre regnare cœpit, anno sui Principatûs octauo non attigit ætatem quæ contrahendo matrimonio par esset. Notgerus aliam init opinionem in vita sancti Remacli, vult enim Clotarium & Childericum Clodoueo patri simul successisse. *Clodoueo,* inquit, *defuncto, Clotarius filius eius in Occidente, frater Clotarij Childericus in Austrasia, regnarunt.* Notgerum secutus est Ioannes Besuensis, & quod Notgerus Occidentis vocabulo complexus est, Neustriam ac Burgundiam appellauit. Ioannem Besuensem descripsit Author Chronicorum Sanbenignianorum. Monachi Besuensis hæc sunt verba. *Clodoueus defunctus est in primæuo flore iuuentutis, relictis tribus filiis, Clotario, Childerico, & Theodorico, vnà cum matre eorum Baldechilde Regina. E quibus Clotarius natu maior Regnum patris sui Clodouei Neustria & Burgundia obtinuit. Childericus verò Austria & Germania sedem adeptus est.* Hadrianus Valesius [d], vt potiorem fidem Notgero & Chronologo Besuensi conciliaret, ad easdem partes traxit Vrsinum qui vitam sancti Leodegarij scripsit, & Anonymum qui vitam sanctæ Bathildis in literas retulit. Si tale quid apud hos Scriptores aut apud alterutrum legeretur, manus daremus vltrò, quia Bathildi Reginæ coætanei vixerunt, Vrsinus enim opus suum inscripsit Ansoaldo Pictauorum Episcopo qui corpus beati Leodegarij tertio post eius obitum anno transtulit, & Anonymus, quem ipso Vrsino vetustiorem Valesius agnoscit fatemúrque, se Bathildi synchronum restatus est his verbis. *Ad sanctam matrem Dominam Bathildem, quæ nostris effulsit temporibus, necnon & ad eius merita gloriosa, quæ ipsi ab ea gesta nouimus & vidimus, recurrendum est.* At textus Vrsini non ostendit Clotarium & Childericum fratres eodem tempore regnum auspicatos esse, docet tantùm administrationem Austrasiæ penes Childericum fuisse, priusquàm Clotarius eius frater fato fungeretur, idque in dubium non reuocamus, quia secundùm nostram supputationem Clotarius quinque duntaxat annis solus, deinde annis nouem

[a] Cap. 44.

[b] Capp. 91.92.

[c] Ap. Bolland. d. 1. Febr.

[d] Lib. 11.

AN.CH. 655. CLOD. II. R. 18.

cum Childerico fratre regnauit. *Clotarius Rex*, inquit Vrsinus, *excessit è vita. Tum verò beatus Leodegarius Episcopus id audiens, celeritate ad Palatium profectus est; & cum aliis de Rege constituendo tractare cæpit. Cúmque comperissent Childericum Austrasiorum Regem adolescentem pro sua ætate Regnum administrasse, quadam Francorum pars eum voluit habere Regem. Sed Ebroinus, qui Maiordomûs fuerat sub Rege Clotario, Theodoricum germanum cupiebat substituere fratri in Regno.* Anonymus in vita sanctæ Bathildis, si benè capiatur, nihil aliud innuit quàm quod ex Vrsino collegimus, sic enim scribit. *Dominus Rex Clodoueus vir eius, gratiâ euocante diuinâ, XVII. Regni sui anno, rebus exemptus humanis migrauit à seculo; relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò filius eius Lotharius Rex, Francorum regimen. Et suffragantibus præcellentissimis Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & Domino Audoeno Rothomagensi, seu Ebroino Maiore domûs, cum reliquis senioribus vel ceteris quamplurimis Regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur. Austrasij quoque pacifico ordine, faciente dominâ Bathildâ (per consilium quidem seniorum) receperunt filium eius Childericum Regem in Austrasiam, factique sunt Burgundiones & Franci ex illo tempore vniti. Et credimus quia, Deo gubernante, iuxta Domina Bathildis magnam fidem acci dit, vt ipsa tria Regna, quæ anteà dissidebant discordiâ, tunc inter se tenerent pacis concordiam.* Hic Author aliam sanctæ Bathildis vitam rudiore stylo conscriptam habuit ob oculos, eámque studuit aliquantò curatiùs limare, fidem igitur omnem mutuatur ab illa vetustiore quæ sic habet. *Deo iubente Rex Clodoueus vir eius migrauit à corpore, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò post eum filius eius Clotharius quondam Francorum regnum. Tunc etenim præcellentibus Principibus, Chrodoberto Episcopo Parisiaco & Domno Audoeno, seu & Ebroino Maiore domûs, cum reliquis senioribus vel ceteris quamplurib⁹, & Regno quidem Francorum in pace consistenti. Tunc enim nuper & Austrasij pacifico ordine ordinante Dominâ Balthide, per consilium quidem seniorum, receperunt Childericum filium eius Regem Austri, Burgundiones verò & Franci facti sunt vniti. Et credimus Deo gubernante iuxta Domnæ Baltidis magnam fidem, ipsa tria regna tunc inter se tenebant pacis concordiam.* In illo textu tempora notantur multùm diuersa, cùm enim Clodoueus Rex obiit, nec Ebroinus gerebat Maioratum domûs Regiæ, nec Chrodobertus Episcopatum Parisiensem obtinebat. Erchinoaldus, cui Ebroinus in Maioratum posteà successit, Clodoueo Regi superstes vixit, vt anno sequenti ex eleuatione sancti Fursci probabimus. Regnante Clotario varij post Landericum Pontifices in Cathedra Parisiensi sederunt, Importunus, Chrodobertus, Sigrobandus & Agilbertus, de quibus distinctè suis locis acturi sumus. Sensus igitur Anonymi proximè citati talis est. Mortuo Clodoueo Rege Clotarius eius filius Regnum suscepit, rexítque pacificè, tum quia publicæ tranquillitati Ebroinus Maiordomûs, Audoenus Episcopus Rotomagensis, Chrodobertus Episcopus Parisiensis, aliíque Proceres ac Pontifices plurimùm studuerunt, tum quia tumultuantibus Austrasiis Regémque, cui solæ ditiones Austrasianæ subiacerent, poscentibus Rex datus est Childericus Clotarij frater. Id verò contigit post quinquennium ab obitu Clodouci Regis, vt suadent vox *(nuper)* quâ prædictus Anonymus vtitur, & ætas ipsa Childerici, qui Præceptum anno sui Principatûs octauo emisit, cùm Bilechildem vxorem sibi iam sociasset. Sententiam nostram ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum, quo Childericus Regnum iniit, iterum confirmabimus.

X. AVGET REDDITVS MONAST. FOSSAT.

Clotarius inito Regno dona quæ Clodoueus eius pater Fossatensi Monasterio contulerat, suo Præcepto statim confirmauit, auxítque redditus Monachorum, *dedit enim ad ipsum locum vicum, cuius nomine gaudet mons superemi nens, dictum Sauegium.* Anonymus in vita S. Baboleni, prolixam exhibet anacephalæosin Priuilegiorum, quæ priùs sub Clodoueo Rege concessa scripsit; alia vera sunt, alia falsa, hæc ab illis magno studio distinximus, superfluum esset in eadem re rursum immorari.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18. XI.

Initio regni Clotariani promotus est ad Episcopatum Tolosanum Erembertus Monachus Fontanellensis, de quo sic Auctor [a] vitæ. *Domino iubente, sub Rege Clothario iuniore, filio videlicet præfati Ludouici Regis & Bathildis Reginæ, iussu Regum populique electione Tolosæ vrbis præficitur Antistes. Consecratus ergo in Pontificem indesinenter sanctæ religioni castæque conuersationi summoperè curam impendebat, atque instar magnæ lampadis lumine suorum meritorum in domo Domini fulgebat, cuius qualis fuerint vitæ merita, testantur virtutum eius signa.* Sub idem tempus longè aliud consilium iniit Gundelbertus Episcopus Senonensis, abdicato enim Episcopatu in eremum Vosagi secessit, vbi posteà Senoniense Monasterium construxit rexitque regnante in Austrasia Childerico Rege. Vocatur promiscuè Gundelbertus, Gaudebertus, Gondebertus, Gundebertus & Gumbertus. Haberi debet in Episcopatu successor Armentarij, cuius meminimus ante triennium, & decessor Emmonis de quo sermonem post biennium faciemus. Vixit coætaneus Leudino-Bodoni Episcopo Tullensi, Deodato Episcopo Niuernensi & Hydulpho Episcopo Treuirensi, vt multis argumentis ex Chronico Senoniensi probabimus. Perperam igitur à Monacho Altissiodorensi & aliis Nomenclatoribus in catalogo Præsulum Senonensium postponitur Godeschalo, qui post medium octauum seculum sedit; perperam quoque in Chronico [b] Senoniensi dicitur floruisse, *cùm ab Incarnato Dei Verbo* DCCXX. *ageretur annus*. In eodem [c] Chronico, & in Indice Cœnobiorum Ordinis Præmonstratensis in Circaria Lotharingiæ, quem *Lairuelz* sanctæ Mariæ Maioris apud Mussipontanos Abbas euulgauit, *primus Eremi de Vosago habitator* asseritur. Id etiam falsum arbitramur, quia sanctus Columbanus Vosagum incolere cœpit anno Guntchramni, Chilperici ac Sigiberti fratrum, septimo, siue anno Christi quingentesimo duodeseptuagesimo, & Ioannes *Ruyr* insignis Ecclesiæ sancti Deodati Cantor & Canonicus sacras Vosagi Antiquitates in vnum volumen ita collegit, vt initium ab eiusdem sancti Columbani vita duxerit. Idem Auctor sub finem secundæ partis duas proponit opiniones, quæ recidunt in idem tempus, in Principatum videlicet Clotarij Secundi, qui post Chilpericum patrem anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto in Neustrasia regnare cœpit, vitámque clausit anno Christi sexcentesimo duodetricesimo. Scribit enim Gundelbertum in Eremum abiisse, quia multùm abhorrebat vel à ciuilibus bellis quæ Chilperici Clotariique temporibus in Francia malis artibus Brunichildis ac Fredegundis excitata sunt, vel ab odio fraterno quod inter Theodobertum ac Theodoricum, Austrasiæ Burgundiæque Reges, Brunichildis nepotes, exarsit regnante tum in Neustrasia Clotario Secundo. Sed nec hic calculus admitti potest, quia Constitutus Senonensis Episcopus, longè antequàm Chilpericus Regnum obtineret, Concilium Aurelianense quintum, quod anno Christi quingentesimo vndequinquagesimo celebratum est, suâ subscriptione corroborauit, obiítque anno Christi quingentesimo septuagesimo-nono; successit Arthemius currente tum literâ Dominicali A, peruenítque ad annum vsque Christi sexcentesimum-nonum; & Lupus proximus eius successor diu Theodoberto ac Theodorico Regibus necnon Fredegundi Brunichildíque Reginis superuixit. Multò probabilius est Gundelbertum exeunte Clodouei Secundi Principatu ordinatum fuisse Episcopum, & Episcopatu post eiusdem Clodouei mortem dimisso secessisse in eremum, vt abiectioris vitæ genus amplecteretur. In hanc sententiam multa conspirant. Primò, Gundelbertus licentiam erigendi Monasterij petiit obtinuitque à Childerico Rege, nec hic Childericus alius censeri potest à Childerico Austrasiæ Rege, Clodouei Secundi filio, cui Clotarius frater, antè Monarcha totius Franciæ, Regnum Austrasianum anno Christi sexcentesimo sexagesimo dereliquit. Deinde Senoniense Monasterium, quod Gundelbertus condidit, aliquanto vetustius est Mediano, quod Hildulphus abdicato Episcopatu Treuirensi construxit Rege Childerico è viuis iam sublato. Demùm in Chronico [d] Se-

[a] Ap. Catell. Hist. Occit. l. 5. 2.

EREMBERTVS FIT EP. TOLOSAN.

GVNDELBERTVS ABDICAT EPISCOPATVM SENONENSEM.

[b] Lib. 1. c. 1.

[c] Lib. 1. c. 2.

[d] Lib. 2. c. 1.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18. nonienſi ſeptem primi Senonienſes Abbates hoc ordine recenſentur, Gundelbertus fundator Monaſterij, Magneramnus, Agericus, Magemramnus, Bonciolus, Stephanus, Angelramnus Epiſcopus Metenſis coætaneus Carolo Magno, atque ex illo Abbatum catalogo palàm fit initia Senonienſis Monaſterij nec ad ætatem Brunichildis Reginæ nec ad tempora Pippini Regis vel Caroli Magni referenda eſſe. Nec te moueat, quòd ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſecundum [a], vbi multos recenſuimus Epiſcopos, qui ſeptimo ſeculo poſt Lupum primum in Senonenſi Cathedra ſederunt, nullam Gundelberti mentionem fecimus. Non enim tunc Epiſcoporum Senonenſium Chronologiam inſtituebamus, ſed cùm incidiſſemus in textum Monachi Altiſſiodorenſis, qui medios, inter vtrumque Lupum, collocauit Amatum, Mederium, Hyldegarium, Auripertum, Ermentarium, Arnulphum, Landebertum, Emmonem, Wlframnum, Gericum, Ebbonem, Honobertum, Honulfum & Othbertum, nec Amatum Lupo primo immediatè ſubrogandum arbitraremur, pleroſque quos ille poſt Amatum nominauit, cum Richerio quem penitus omiſit, ipſi Amato præponendos aſſeruimus, nempe Richerium, Hyldegarium, Honobertum, Honulfum, Armentarium & Emmonem, de Gundelberto ſeu Gumberto nihil diximus, quia in eadem Chronologia Monachi Altiſſiodorenſis poſt Lupum ſecundum Viricario & Godeſchalo intermediis ita ponitur. *Senonenſi Eccleſia poſt Lupum*, illius nominis ſecundum, *præfuit Viricarius, & poſt eum Godeſchalus, cui ſucceſſit vir digniſſima vita Sanctus Gumbertus.* Hæc ad Chronologiam. Iter Gundelbertus in eremum ſuſcepit cum paucis comitibus, è quorum numero fuit ſanctus Pientius, cuius meminit Auctor Chronici Senonienſis [b]. *Transmeatis terrarum ſpatiis peruenit ad quandam Voſagi vallem*, &c. *Eſt autem terra iſta excelſis montibus occupata, rupibus immaniſſimis veluti quædam caſtra in ipſorum montium cacuminibus naturaliter poſitis, ipſos montes faciunt ſuo aſpectu horribiliores. Inter ipſos arduos montes quædam valles profundiſſimæ cernuntur, quæ nemoribus abietinis ita conſita ſunt, vt ſuâ nigredine etiam horrorem plurimum incutere videantur, prætenduntur enim dicti montes in longum per quatuor dictarum ſpatium, in latitudine verò vix ſex milliaribus vel ſeptem dirimuntur. Habent prædicti montes ab Oriente Alſatiam, quæ pars eſt Alemanniæ, cum ſuo fluuio Rethno nomine; ab Occaſu Lotharingiam & Burgundiam; extenduntur ſiquidem à Meridie in Septentrionem. Iſta vaſta ſolitudo non tam hominum quàm ferarum ſæuarum habitatio habebatur, & quaſi labyrinthus ab hominibus tunc temporis vitabatur. Hanc terram antiqui Voſagum, moderni Vogiam dixerunt. In huius igitur eremi vaſta ſolitudine noſter Agoniſta Gundelbertus Archiepiſcopus primus ſubintrauit, qui vallem, quam nos modò incolimus, ſine nomine reperit, eam dulcedine patriæ, quæ cunctos*

Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui,

immò ciuitatis, in qua Archiepiſcopatûs functus erat officio, quæ Senonas vocatur, quaſi nomine copulatiuo Senoniæ vocauit, vnde vſque ad præſens tempus ipſe locus, vbi ipſe Domini ſeruus habitauit, Senoniæ, vallis quoque Senonienſis appellatur. Huc vſque [c] Richerius Monachus ac Chronographus Senonienſis, qui ſeculo decimo-tertio ſcripſit, & eodem prorſus modo, quo tunc vſurpari ſolebant, Alſatiæ, Alemanniæ, Burgundiæ ac Lotharingiæ, nomina vſurpauit.

[a] Num 47.

[b] Lib. 1. cap. 3.

VOSAGVS.

VALLIS SENONIENSIS VNDE DICTA.

[c] Lib. 1. cap. 1.

XII. Hoc anno, poſt eleuationem corporis ſancti Furſei proximo, vt in libro de illius Miraculis ſub finem diſtincto Charactere notat poſterior Anonymus [d], *odioſa vini penuria Francigenas omnes deturpauit, quod ad Euchariſtiam ſacrandam etiam vix inueniri potuit. Contigit autem vt quædam nobiliſſima eiuſdem caſtri matrona cum magna parte familiæ ſuæ grauiſſimâ infirmitate teneretur, & iam deſperata fermè de ſalute extremum diem ſibi proximum præſtolaretur. Quadam verò nocte in viſione ſibi inſinuat, quatenus ad Eccleſiam, in qua Sanctus corpore requieſcit Furſeus, dirigeret, & de vino, quo ineffabilis Chriſti Euchariſtia quotidie conſecratur, ſibi & ſuis dari depoſceret. Quæ illicò aptiorem ceteris vnum ſuum ſeruientem ſeuocat, & quod in viſione perceperat, ſibi ex ordine narrat. Qui concitus ad Eccleſiam*

[d] Ap. Bolland. d. 16 Ian.

S. FVRSEVS CLARET MIRACVLIS.

clesiam properat, & Clericum matricularium vinum quo sanari debeat interrogat. At ille quoniam rarum sibi erat; penitus ei denegat. Quid feruiens faceret? vim inferre nec audet nec debet. Ad fontem, qui adhuc ibi habetur, cucurrit plenum vas haurit, domina sua obtulit, & quoniam aqua sit depromit. Qua benè credula mox vt gustauit, vinum, quo melius numquam biberat, sensit, & salutem ex integro recepit. Ecce qua duo pius Deus Miracula pro meritis serui sui Fursei fecit, qui & aquam in vinum conuertit; & omnes languidos ex eodem gustantes sanitati restituit. Surgens igitur venerabilis matrona cum omni sua nobili familia sanitati reddita, ad Ecclesiam cum cereis & aliis auri & argenti oblationibus pergit, vbi se cum omnibus qua sua facultatis erant Domino Deo & Sancto Furseo irreuocabiliter contulit, ac reliquum vita sua dignè & laudabiliter viuens ibi consummauit. AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18.

XIII. Huius fontis aquam non modò Peronensis populus, qui pro sua in sanctum Patronum fide ac pietate, quoties febri vel alio morbi genere languescit, eâ ab Ecclesiæ Thesaurario benedictâ ex more vtitur, sed etiam omnes omnium circumiacentium locorum infirmi salutarem sæpenumero experiuntur. *Sex enim,* inquit Desmaius [a], *inter cetera morborum sunt genera, quibus S. Furseus plerumque subuenire consueuit, qua in hymno, qui ante noui Breuiary editionem ad Laudes festi ipsius recitari solebat, sic enumerantur,*

[a] In vita sancti Fursei.

Febris, Spasmus, Paralysis,
Calculus & Hernia
Curantur, ac Hydropisis,
Breuiter & omnia,
Qua sanare nequit Physis,
Sanat eius gratia.

XIV. Prior Anonymus, à quo posterior mutuatus est, Miraculum suprà recitatum narrauit quoque sub finem libri de Miraculis sancti Fursei, deinde ad commendationem tum sancti Fursei, tum Erchinoaldi & Leutsindæ coniugum hæc subiunxit. *Crebrescentibus deinceps Miraculis, beata memoria Erchenaldus & coniux ipsius Leutsinda adificauerunt ei Ecclesiam.*

XV. MARTYRIVM S. FOILLANI. Sancti Fursei frater fuit sanctus Foillanus, cuius Martyrium, quod pridie Kalendas Nouembres à Molano, Vione, Mitæo & Menardo celebratur, hoc anno collocari debet, quia beati Martyris corpus decimo-septimo Kalendas Februarij, die post necem septuagesimo-octauo repertum est, cùm præerat adhuc Cœnobio Niuellensi Gertrudis Abbatissa, in cuius locum exeunte anno sequenti Wilfetrudem subrogabimus. De Foillano sæpè locuti sumus. Illius passionem ex manuscripto Codice sic refert Colganus [b]. *Accidit vt quâdam die Sanctus Foillanus ad germanum suum Vltanum properare volens gratiâ visitandi, cum tribus discipulis suis in sylua Cœnobio Sancta Gertrudis contigua, qua Senesia dicitur, quodam biuio deceptus incideret in latrones, quorum princeps falsâ humanitate quasi hospitio recepit virum Dei cum discipulis suis. Ille autem plenus Spiritu Sancto, tempus sua passionis imminere praenoscens, noctem illam vigiliis & orationibus duxit insomnem, monens inter orandum discipulos, quatenus mortem momentaneam non timerent, per quam vitam mererentur aeternam. Hac eo dicente latro ille cum collegis suis domum ingressus est, vbi primò beati Prasulis caput amputauit, discipulósque eius in ore gladÿ percussit. Accipientes igitur scelerum ministri corpora Sanctorum in vmbrosis ferarum latibulis absconderunt, spolia verò ipsorum inter se diuiserunt.* Habet conformia Menardus ex veteri Codice manuscripto Cœnobij sancti Arnulphi Metensis.

[b] D. 16. Ian.

XVI. Multa de vita & Martyrio sancti Foillani fabulosè scripsit Philippus Haruengius Abbas Bonæ Spei, quæ consultò prætermisimus. Ignorantur trium discipulorum nomina, qui Martyrium cum Magistro suo consummarunt. Colganus Boetium, Columbanum & Gobbanum nominat in notis ad Historiam Inuentionis [c] sancti Foillani, sed eodem loco fatetur id à se dici tantùm ex probabili coniectura, cùm, quod super ea re certò proferat, nihil

[c] D. 16. Ian.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18. habeat compertum. Potiores autem sunt coniecturæ, quibus nitaris, vt Boetium & Columbanum post sancti Foillani Martyrium in viuis superstites fuisse, & Gobbanum numquam in Franciam venisse asseueres. Post sanctum Furseum, cuius obitus in annum Christi sexcentesimum quinquagesimum incidit, hi recensentur Abbates Lariniacenses, Æmilianus, Eloquius, Mombulus. Apud Colganum capite sexto Appendicis ad vitam sancti Fursei, Boetius & Columbanus laudantur præcipuè, quòd socij sanctorum Eloquij & Mombuli fuerint. Atque inde probabile admodum fit eos ad illa peruenisse tempora, quibus Lariniacense Monasterium Eloquius ac successor Mombulus administrarunt. Quod attinet ad Gobbanum, hic à probatis Auctoribus commendatur, ab antiquo Anonymo in vita sancti Fursei & à Beda in Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum, quòd meruerit ex eorum esse numero, quibus sanctus Furseus *Monasterij* in Anglia Orientali à se constructi *& animarum dereliquit curam*, cùm in eremum secessit. Sic enim Anonymus de sancto Furseo. *Germanos proprios habuit, Foillanum, sanctum admodum virum, cui etiam Sacerdoti cum Sanctis Gobbona & Tibulla Presbyteris, Monastery & animarum dereliquit curam; alterum verò Vltanum Anachoretam.* Et Beda [a]. *Reliquit Monasterium & animarum curam fratri suo Fullano & Presbyteris Gobbano & Dicullo.* Post sancti Fursei mortem Foillanus seu Fullanus eius frater in Franciam transfretauit, Foillanum secutus non videtur Gobbanus seu Gobbona, qui potiùs ei creditur in administrationem prælaudati Monasterij successisse. Colganus, ad opinionem suam de Gobbano confirmandam, citat vitam sancti Adalgisi allegatam à Molano & vitam sancti Fursei conscriptam à Beda & aliis. *In vita*, inquit, *Adalgisi, & ipsius Fursai apud Bedam & alios, Gobbanus etiam inter eos*, id est, inter socios Fursæi, Foillani & Vltani in Galliam profectorum *numeratur*. In encomio sancti Adalgisi Presbyteri, quod Molanus ex priore vitæ libro à se in Bethleem apud Louanium lecto & ex Historia sancti Eloquij concinnauit, ex Hibernia exiisse dicuntur quidem *cum eo*, nempe Adalgiso, *venerabiles fratres eius, beatus Etto, & sanctus Gobanus Corbicani pater spiritualis, pariterque sanctus Eloquius*, sed apud eundem Molanum in elogiis Sanctorum Ettonis & Eloquij, cùm Furseus aliique recensentur Hiberni, qui per hæc tempora migrarunt in Galliam, nulla fit Gobbani mentio. In Natali sancti Erronis [b], hi septem, Foillanus, Vltanus, Furseus, Adelgisus, Eloquius, Algisus, Etto, sic enumerantur. *Erant septem fratres vno spiritu & fide in Christo concordes, licèt non de omnibus simus certi, vtrùm fuerint carnali natiuitate germani. Qui cum beato Madelgario ex Hybernia orationis gratiâ Romam iuerunt ad limina Apostolorum, & inde calitus admoniti in Gallias commigrarunt; Beatus Foillanus Episcopus cum Beato Vltano, Fossas; Sanctus Furseus cum sancto Adelgiso, Peronam: Beatus Eloquius cum sancto Algiso, in Theoracensem pagum inter Helpram & Isaram; gloriosus verò Sacerdos Domini Etto, bonorum actuum dignus præconio, ad lacum Carbriolo adiacentem.* Et in Natali sancti Eloquij [c], hi tredecim, Eloquius, Furseus, Vltanus, Foillanus, Boetius, Mombolus, Adalgisus, Hetto, Helanus, Tresanus, Germanus, Veranus, Columbanus, sic referuntur. *Walciodori, depositio sancti Eloquij Presbyteri & Confessoris. Qui ex Hibernia ad Galliarum littora venit cum venerabilibus viris, Sanctis, Furseo, Vltano, Foillano, Boetio, Mombolo, Adalgiso, Hettone, Helano, Tresano, Germano, Verano & Columbano.* Vtrobique altum de Gobbano silentium. Apud antiquos Anonymos & apud Bedam altero illorum recentiorem, in vita sancti Fursei nihil occurrit, vnde quis eliciat Gobbanum in Franciam venisse. Textus nuperrimè citatos non repetemus, inde enim illud vnum eruitur, quòd Furseus, cùm solitariam vitam inire vellet, Anglicani Monasterij, cui præerat, curam omnem Foillano fratri duobúsque Presbyteris Gobbano seu Gobbonæ & Dicullo seu Tibullæ dereliquit. Idem quoque legitur in vita [d] sancti Fursei, quam nonnissimè Iacobus Desmaius Canonicus Peronensis idiomate vernaculo conscripsit, & Eugenius Gallchurius Conuentûs Louaniensis fratrum strictioris

[a] Lib. 3. cap. 19.

[b] D. 10. Iul.

[c] D. 3. Dec.

[d] Cap. 12.

obseruantiæ Guardianus Latinè reddidit, sed paulò pòst [a] adduntur multa, quæ nec apud antiquos Anonymos, nec apud Bedam reperiuntur. *In peregrinationis suæ comites & socios*, inquit Gallchurius, *fratres suos Foillanum & Vltanum, deinde Mimbolum, Eloquium, Adelgisum, Gobanum, Ettonem, Bertuinum & Fredegandum elegit. Qui omnes vt nomine ac opinione habebantur, ita re ac meritis sanctissimi erant homines. Eodem verò hoc tempore Sanctus Vincentius Hannonia Comes ex Hibernia, in quam à Dagoberto Rege transmissus fuerat Gubernator, in Gallias remigrabat. Et cùm in Angliam traiiceret, Sancti Fursai famâ commotus ad illum diuertit, eiúsque eruditione & sanctitate non mediocriter delectatur, tandem illi persuasit vt vnà secum in Gallias congrederetur. Abiit itaque in viam pacis pia illa Sanctorum turba, cuius desiderio mœrebant fratres, qui remanserant.* Non infitiamur sanctum Furseum ex Anglia in Galliam venisse, sed negamus eum in Franciam adductum fuisse à sancto Vincentio, negamus & eum in Galliam proficiscentem secutos esse plerosque, quos ei Desmaius & Gallchurius socios peregrinationis attribuunt. Hoc loco tota quæstio est de Gobbano, cuius aduentum in Franciam Colganus ex Desmaio frustrà contendit probare, nam Desmaius Neotericus Auctor, quo suam opinionem tueatur, antiquo caret monumento. Molanus [b], postquàm laudes sancti Adalgisi Presbyteri celebrauit, de Gobbano eius fratre hæc tantùm scribit. *De Gobano meminit Beda, sed non scio quo die quóue loco honoretur.* Non tantùm à Molano in Natalibus Sanctorum Belgij, sed etiam à Miræo in Fastis Belgicis & à Gazeto in Historia Ecclesiastica Belgij ignoratum est Gobbani Martyrium, imò & ab Auctore Martyrologij Benedictini, qui non modò Furseum sed & eius discipulos, quos in Gallia degisse nouit, sodalitio Benedictino accensuit. Validissimæ sunt hæ rationes, vt Gobbanum in Anglia remansisse credas & Martyrij palmam cum Foillano in Gallia consecutum neges.

AN. CH. 655. CLOD. II. R. 18.

[a] Cap. 13.

[b] D. 2. Ian.

ANNVS CHRISTI 656.
CLOTARII III. R. 1.

656. CLOTAR. III. R. 1.

I. INEVNTE anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, die decimâ-sextâ Ianuarij, reperta sunt corpora Foillani ac sociorum Martyrum. Historiam Inuentionis ex manuscripto Codice Rubræ Vallis sic refert Colganus [c]. *Sanctissima virgo Gertrudis* Niuellensis Abbatissa *crebris sollicitabatur insomniis, quòd Patroni sui* Foillani *diuturniorem quàm putauerat pateretur absentiam, & immissis capitibus ad B. Vltanum, qui Fossensi Cœnobio præerat, sciscitabatur quare frater suus ad eam redire tardaret. Quibus ille respondit. Oranti mihi, inquit, in Ecclesia columba niuei candoris apparuit plenis sanguine alis, quo signo arbitror fratrem meum per passionem migrasse ad Dominum. Quod cùm sanctissima Gertrudi renuntiatum fuisset, illa indicto sibi suísque triduano ieiunio, Deum suppliciter exorabat, vt fidelibus suis dignaretur ostendere, vbi corpus sanctum absconditum iacebat, quod humano ingenio inueniri non poterat, quàm piè autem & quàm efficaciter super his diuinam Maiestatem interpellauerit, euidenter postmodum cælitus innotuit. Expleto denique ieiunio Angelus Domini de cælo eidem apparuit, suíque charissimi Præsulis sancti ordinem, locúmque passionis lucidissimè declarauit. Posthac contemplatur ipsa columnam igneam à loco in quo corpus Martyris occultatum iacebat, pertingentem vsque ad cælum. Hoc dum diutiùs perseueraret, gratiosa virgini visibilibus non dubium datur indicium hoc fore Antistitis. Igitur deuotissimus Clerus aduocatur, atque eò vsque progredi disponitur quò basis columnæ apertiùs dignoscatur. Ingreditur virgo prauia horridum nemus incunctanter, quam passim ca-*

CORPORA SS. FOILLANI ET SOCIORVM INVENIVNTVR.

[c] D. 16. Ian.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

sera turba sequitur festinanter, peruenitur itaque ad pia deuotionis locum, Dominicâ illustratione perfusum, quem quoniam virgo diligebat attentiùs, detegebat quoque diligentiùs. Inuenit ergo quod quæsierat, panditur quod latebat. Veneranda igitur Martyrum cadauera scilicet Foillani & discipulorum eius, die post passionem eorum septuagesimo-octauo reperta sarcophagis continuò relocantur, atque cum hymnorum conuenientia ad Monasterium Niuellensè deportantur. Prædictæ narrationi fidem habe, hæc autem arbitrare fabulosa, quæ de Grimoaldo Maioredomûs & de Didone Pictauiensi Episcopo proximè subiiciuntur. *Eodem tempore cùm Dido Pictauiensis venerandus Episcopus cum Grimoaldo Patricio, transeunte corpore post nocturnas vigilias parumper dormitaret, visitando loca sancta, responso Angelico surgere ac in occursum Heliæ Prophetæ iussus est properare. Expergefactus autem voces cantantium audiuit, & assumpto, præmio sancto, Patricio corpori sacro obuiare festinauit, quorum vterque suaue illud onus vsque ad Cœnobium nobilissimæ virginis propriis humeris deuotè portauit.* Vt hæc inter fabulas amandemus, ratio temporis suadet, cùm enim Foillanus sociique Martyrium subierunt, Grimoaldus iamptidem è Maioratudomûs exciderat, & Dido Pictauiensis Episcopus tedierat in Aquitaniam; addequòd hic Antistes, quandiu Grimoaldi nefariis contra Regiam familiam consiliis ac machinationibus adhæsit, Angelicis videtur colloquiis indignus fuisse. Apud Molanum & Menardum Inuentio supradictorum Martyrum notatur decimo-septimo Kalendas Februarij. Sanctus

SEPELIVNTVR. Foillanus sepultus est in Cœnobio, quod Vltanus eius frater ad fluuiolum Geruernam construxerat, atque ex situ loci Fossense nuncupauerat in Diœcesi Traiectensi. Tres socij sepulti sunt Niuellæ in Monasterio sanctæ Gertrudis, & eum sancto Foillano inuocantur in Litaniis Abbatiæ Rhodiensis * seu sancti Foillani, quæ in loco Martyrij constructa muris adiacet oppidi Rhodiensis in parochia Cameracensis Episcopi. Tres solemnitates sancti Foillani celebrantur, Natalis pridie Kalendas Nouembres, Inuentio decimo-septimo Kalendas Februarias, Eleuatio tertio Nonas Septembres. Hæc partim ex Molano, partim ex Menardo collegimus.

* *Reux.*

II. WILFETRVDIS FIT ABBATISSA NIVELL.

Hoc eodem anno Gertrudis Abbatissa Niuellensis onus administrandi Cœnobij nepti suæ Wilfetrudi quamuis nolenti imposuit. Auctor vitæ synchronus tem gestam sic exponit. *Cùm aliquot fluxissent anni*, ab obitu videlicet sanctæ Idubetgæ, *& sacrum sanctæ virginis* Gertrudis *corpusculum multâ abstinentiâ multisque vigiliis attenuatum, acriiusuper ægritudine fatigaretur, Domino reuelante didicit propè adesse suam è corpore migrationem. Itaque ex consilio seruorum & ancillarum Dei, Abbatissæ honore & officio sese Christi amore abdicans, quantùm quidem ad rerum externarum curam attinet, neptem suam Wilfetrudem, quæ ab ipsis propè incunabulis apud ipsam ad monasticæ Regulæ præscriptum educata, & sacris literis imbuta fuerat, suo loco inuitam coegit Abbatissæ ministerium exercere.* Molanus neptem interpretatur cognatam, nec malè, nam quæ de illius patre dicturi sumus, nec Grimoaldo Gertrudi fratri, nec Ansegiso Beggæ, quæ Gertrudis soror erat, marito conueniunt. Sic Walbertus & Bertilia parentes beatæ Waldetrudis apud Huebaldum eandem Gertrudem neptem suam appellant. Anonymus [a], qui vitam sanctæ Gertrudis scripsit, testatur eam, postquàm neptem Monasterio Niuellensi præfecit, *trienny ferè spatio* superstitem vixisse. Nonnulli [b] non *trienny*, sed *trimestri* tantùm spatio superfuisse contendunt. Migrauit ad Deum sancta Gertrudis decimo-sexto Kalendas Apriles, die Dominico, id est, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-nono. Abdicauit igitur præfecturam Monasterij Niuellensis aut anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto post mensem Martium, aut anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo, mense Decembri. Priorem sententiam sequimur, quia posterior stare non potest. Nam teste Anonymo iam laudato *Wilfetrudis agebat vicesimum ætatis annum*, cùm Abbatissæ ministerium exercere cœpit, *à suscepta autem Abbatissæ functione anno vndecimo, diebus ampliùs quinquaginta, anno ætatis suæ tricesimo lætum Domino reddidit spiritum nono Kalendas Decembris*, id est,

[a] Ap. Surium, d. 17. Mart.
[b] Molan. d. 17. Mart: Fisen. d. 23. Nou.

obiit nono Kalendas Decembris anno vndecimo præfecturæ per dies ampliùs quinquaginta inchoato. Iniit igitur administrationem exeunte mense Septembri. Ergo explodenda est eorum sententia, qui præfecturam mense Decembri ab ea susceptam supponunt, affirmántque Gertrudem non triennij sed trimestri ferè spatio superfuisse. *Agebat tum Deo sacrata puella Wilfetrudis vicesimum ætatis annum.* Hæc idem Anonymus.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. I.

III. WALDETRVDIS CONDIT MONAST. PVELLAR. CASTRILOC.

Hoc anno, Waldetrudis vxor Vincentij Comitis, qui Monachum ante triennium in Alto Monte induerat, fundamenta Cœnobij puellaris, vt in vita sororis Aldegundis legitur, *consilio venerabilis viri Gisleni* iecit *in Monte qui vocabatur Castrorum locus*, & lapsu temporis excreuit in vrbem amplissimam, hodie totius Hannoniæ primariam, à situ nomen Montium * sortitam, intra cuius pomœrium etiamnum spectatur vetus illud Castrum, quod alij à Romanis, alij à Francis primò communitum scribunt. Waldetrudis non eodem quo maritus tempore vestem mutauit. Triennio setiùs id ab ea gestum tradit Vinchantius [a] in Annalibus Hannonicis. Huic opinioni, quam secuti sumus, fauet in vita [b] sancti Gisleni prolixa de Waldetrude narratio, postquàm eius maritus in Altum Montem secessit. *Comes illustris Madalgarius, prædicantibus Episcopis*, Amando & Autberto, *corde compunctus est, & fallacissimo mundo nuncium remittens, Autberti Episcopi manibus tonsus est, & in Alto Monte monasticum indutus habitum inclusus, sanctè vixit vsque ad obitum suum. Eius vxore castè in seculari habitu degente, & filio* Landrico *prædia strenuè gubernante, beatus Gislenus à Domino admonitus est, vt eam inuiseret, & ea quæ ad animæ salutem pertinent, diligenter ei inculcaret, docerétque eam mundum contemnere, solum Christum concupiscere, quem amare, & eius præceptis obedire, re verà viuere est. Fecit Gislenus alacriter, vt erat iussus, sitientíque animæ æternæ vitæ pocula abundè obtulit, quibus Waldetrudis (sic enim vocabatur) sobriè inebriata, totam se ad virtutis & bonorum operum studia accommodauit. Sed cùm necdum haberet cellam in qua sub monastica disciplina corpus suum maceraret, interim circa frequens ministerium cum Martha occupabatur, vidítque nocte quadam beatum Gangericum*, Cameracensem quondam Episcopum, *in visione sibi calicem vini cum fragmine panis blandè ac comiter offerentem dicentémque. Age quod agis, operare quod operaris, placent enim Deo & nobis opera tua. Eâ visione admodum exhilarata, feruenter orabat Dominum, vt Spiritûs Sancti adspirante gratiâ, illo præclaro calice eius sitiens anima inebriari mereretur, de quo Propheta dicit Sponso cælesti. Calix tuus inebrians quàm præclarus est. Indicauit verò eam visionem cælestis verbi seminatori Gisleno, interpretationem ab eo nosse volens. At sanctus vir intelligens, quid ea sibi vellet visio, vt prudens medicus & seruus fidelis poculum salutis necdum satis firmæ menti, & quasi de visione glorianti statim præbuit, ita dicens. Quandoquidem in visione audisti placere te Deo, oportet sanè, vt omnia tui corporis membra cælesti subdantur sponso, eiúsque solius amplectendo pulchritudinem, vilescant oculis tuis ea, quæ sunt in mundo, vt carnem mortificando, & spiritu ambulando merearis effici membrum corporis Christi. Vt igitur viuens videaris iam mortua, ea quæ tibi ex bonis temporariis supersunt, pauperes & peregrini in illa cælesti domo recondant, vt vocante Domino audias illam vocem suauissimam. Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Vbi tum omnia centuplo auctiora recipies, quæ iam hic pro Christi nomine expendisti. Non cesset igitur neque pes, neque manus à bono opere, aderit enim fidus remunerator, redditurus vnicuique propriam mercedem secundùm suum laborem. Hác visionis interpretatione pius religiosæ matronæ animus valdè accensus est, totámque se illa ad Dominum conuertens, fiat, inquit, misericordia tua, Domine, vt consoletur me secundùm eloquium serui tui, veniántque super me miserationes tuæ, & viuam. Deinde prosternens se ad sancti viri pedes orauit, vt locus aliquis sibi pararetur, diuino seruitio accommodus. Tum vir Dei indicauit ei Castrilocum, dicens eum ab omni æternitate diuinitus illi esse destinatum, vbi, vt ex cælesti visione didicerat, eius institutione animæ sanctæ irent de virtute in virtutem, vt videre possint Deum deorum in Sion. Is lo-*

* Mont.

[a] Lib. 3 c. 12.

[b] Ap. Surium d. 9. Oct.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

cui placuit beata Waldetrudi, & quòd ipsi esset indicatum, gratias egit Deo, & fideli seruo eius Gisleno. Erat adhuc incultus ille locus, & cùm toto animo cuperet in Monasterio degere, misit ad Hildulphum virum eximium, qui eius neptem habebat in matrimonio, orans vt in Castriloco cellulam ipsi construeret, in qua posset, toto à se mundo excluso, vni Deo vacare. Hildulphus mox venit ad eum locum, & quia non ignorabat alieni eum iuris esse, à legitimis possessoribus illum emit, & ibi excelsam construxit domum in qua Waldetrudis Christi famula habitaret. Sed illa nihil sublime appetens, multùm abhorruit conspectâ domo, cogitans mundi opificem in angusto collocatum præsepio, non habuisse, vbi caput suum reclinaret. Itaque pius Dominus eius humilitatem probans, proximâ nocte domum illam euertit. Illicò perlatum est ad Hildulphum, omnem operam & impensas eius, collapsâ domo, perisse. Contristatus ille hac re, putabat tali opere se indignum fuisse. Sed eandem in se reuersus, & à sancto Sacerdote Gisleno ruinæ causam edoctus, citò rediit, & humiliorem curauit domum in montis latere ædificandam, simúlque Oratorium in honorem Petri & Pauli Apostolorum, vbi beata Waldetrudis cum eiusdem instituti religiosis fœminis castè & humiliter vixit, & beato Gisleno hortante, Cameracum profecta, à Sancto Autberto Episcopo sacrum accepit velamen, quod est innocentis vitæ symbolum. Ac deinceps, quoad vixit, sanctis virtutibus operam dedit, & alias illic degentes docuit calcare mundi huius vanitatem, cunctísque sanctitatis speculum & norma salutis fuit. Molanus [a] ait sanctum Gaugericum Waldetrudi apparuisse *in Basilica villæ quam vulgus Buxutum nominat.* Buxutum autem, siue Bossutum * vt hodie vocant, vicus est propinquus Cellæ, vbi beatus Gislenus habitabat. Hildulphus, cuius interuentu Waldetrudis Castrilocum sibi comparauit, vxorem duxerat Ayam ipsius Waldetrudis propinquam, seu neptem, vt præcitatus Author in vita sancti Gisleni scribit, seu sororem patruelem vt Vinchantius [b] opinatur.

[a] D. 9. Apr.

* Bossut.

[b] L. 5. cap. 13.

IV. LITERÆ REGIÆ PRO COENOBIO FOSSAT.

Hoc anno Clotarius Rex dona, quæ Monasterio Fossatensi concessa fuerant, iterum confirmauit. *Extat*, inquit Anonymus in vita sancti Baboleni, *alia epistola ipsius Regis, quam precibus suæ matris, sancto Patri Baboleno, præsente Gerino Comite, primo Regni sui anno contulit, iterum confirmans omnia, quæ dicta vel scripta de iamdicto Cœnobio fuerant. Facta est autem Verno**, *Regali Palatio, sub die* V. *Kalendarum Maiarum. Sed quoniam nomen Leuitæ Blidegisili in eadem scriptum non habetur, ad cælestia iam eum transisse non dubitamus.*

* Vernon.

V. A Monasterio Fossatensi transeamus ad Kalense, de quo sic Author synchronus in vita sanctæ Bertilæ. *Post discessum Domini Chlodouei Regis, religiosa & optima coniux ipsius Domina Baltechildis Regina cum paruulo filio Rege Chlotario irreprehensibiliter Regnum gubernabat Francorum, & ab omnibus Pontificibus vel Proceribus, cunctoque populo Regni sui, eius meritis compellentibus, miro diligebatur affectu. Erat enim religiosa & Dominò multùm deuota, Ecclesiarum pauperúmque curam gerens. Cum magno igitur vigore animi viriliter gubernabat Palatium. Cum Pontificibus autem & Primatibus populi sui consilium accepit, vt Regali villâ, quæ dicitur Kala**, *Monasterium construeret puellarum, quatenus cùm ad legitimam ætatem præfatus filius suus Dominus Chlotarius peruenisset, & Regnum sibi commissum per semetipsum regere potuisset, tunc ipsa, relictam curam Regalem, sub religionis ordine in supradictum ingrederetur Monasterium. Eò verò quòd omnes ipsa miro diligebat affectu & diligebatur à cunctis, complacuit consilium vniuersis, ac consensum ei omnes præbuerunt. At illa, vt erat prudens & sapiens, sub omni celeritate Monasterium ibidem construere præcepit, & futura prouidens necessariam ancillis Dei substantiam delegauit.*

* Chelles.

COENOBIVM KALENSE

VI. Extat apud Bollandum [c] duplex sanctæ Bathildis vita. Posterior, quia politior est, à priori sæpè differt in phrasi, auctior etiam est propter additam Bathildis cum aliis Reginis comparationem, quæ post finem alterius vitæ ab Authore etiam coætaneo scriptæ non reperitur. In illa piarum Reginarum collatione, prima Monasterij Kalensis fundamenta non à Bathilde sed à Clotilde Clodouei primi Regis vxore iacta perhibentur. *Clothildis neptis Gundebaldi Re-*

[c] D. 26. Ian.

AMPLIFICATVR A BATHILDE REGINA.

gis, atque magni & antiqui Clodouei Regis coniux, inquit Anonymus, *Ecclesiam in honorem sancti Petri, vbi religio Monastici ordinis vigeret, Parisiis fecit: necnon Cœnobium in honore sancti Georgij, sacrarum virginum in Cala prima construxit. Quod postea quia ambitus Ecclesiola strictior erat ad capiendum plurimum gregem Sanctimonialium à sæpè memorata domina Bathilde euersum est, & Basilica pra-grandi spatio amplitudinis constructa. Cuius medium altare in honore sancta Crucis, atque illud in parte dextera in honore sancti Georgij, quod verò ad lauam est in veneratione sancti Stephani protomartyris titulatur consecratum.* Sanè priusquàm Clodoueus Secundus ex hac vita discederet, imò priusquàm Bathildis ab eodem Rege in vxorem assumeretur, in Episcopatu Parisiensi floruit Kalense Monasterium, ibique *Haresuid, mater Aldulfi Regis Orientalium Anglorum*, Monasticam vitam duxit. Id constat ex hac ratiocinatione Chronologica, cuius author Beda in Historia Ecclesiastica [a] gentis Anglorum. *Anno Dominica Incarnationis sexcentesimo octogesimo, religiosissima Christi famula Hilda, Abbatissa Monastery, quod dicitur Streaneshalch, post multa qua fecit in terris opera calestia, ad percipienda pramia vita calestis de terris ablata transiuit die quintadecimà Kalendarum Decembrium, cùm esset annorum sexaginta-sex, quibus aequà portione diuisis, triginta-tres primos in seculari habitu nobilissimè conuersata compleuit, & totidem sequentes nobiliùs in Monachica vita Domino consecrauit.* Vesrem igitur anno Christi sexcentesimo quadragesimo-septimo mutauit Hilda, cùm nata esset annos tres & triginta. Tunc autem Bathildis, vt ex supradictis liquet, Clodoueo Regi nondum nupserat, & Heresuida Hildæ soror à multis annis inter Moniales in Kalensi Cœnobio degebat, narrationem enim, cuius initium proximè recitauimus, de Hilda sic persequitur Beda. *Nobilis natu erat, hoc est, filia nepotis Eduini Regis, vocabulo Hererici, cum quo etiam Rege ad prædicationem beata memoria Paulini primi Nordan-Humbrorum Episcopi fidem & sacramenta Christi suscepit, atque hac vsquedum ad eius visionem peruenire meruit, intemerata seruauit. Qua cùm relicto habitu seculari illi soli seruire decreuisset, secessit ad prouinciam Orientalium Anglorum (erat namque propinqua,* materteram interpretare, *Regis illius) desiderans exinde, si quo modo posset, derelictâ patriâ & omnibus quacunque habuerat, in Galliam peruenire, atque in Monasterio Calc peregrinam pro Domino vitam ducere, quò faciliùs perpetuam in calis patriam posset mereri. Nam & in eodem Monasterio soror ipsius Haresuid, mater Aldulfi Regis Orientalium Anglorum regularibus subdita disciplinis, ipso tempore coronam expectabat aeternam.* Quot annos Heresuida in Calensi Monasterio vixerit, haud produnt antiqua monumenta, colitur Kalendis Decembris in Tabulis Benedictinis, vt & soror eius Hilda quinto-decimo easdem Kalendas. Hodie super Hilda quæstio mouetur, vtrùm in Galliam traiecerit, an remansérit in Britannia. Menardus [b] asserit hanc Sanctimonialem fuisse Monasterij Kalensis in territorio Parisiorum, ibique per annum commoratam scribit, quoad à Sancto Aidano in patriam reuocaretur. Opinionem suam tueri conatur authoritate Bedæ, subiungit tamen locum huius Auctoris obscurum videri, nec deesse, qui dicant Sanctam Hildam à beato Aidano prohibitam, quominùs in Galliam transfretaret. Bedæ textum, cuius partem iam descripsimus, integrum accipe. *Cùm relicto habitu seculari, illi soli,* nempe Christo, *seruire decreuisset, secessit ad prouinciam Orientalium Anglorum (erat namque propinqua Regis illius) desiderans exinde, si quo modo posset, derelictâ patriâ & omnibus quacumque habuerat, in Galliam peruenire; atque in Monasterio Cale peregrinam pro Domino vitam ducere, quò faciliùs perpetuam in calis patriam posset mereri. Nam & in eodem Monasterio soror ipsius Haresuid, mater Aldulfi Regis Orientalium Anglorum, regularibus subdita disciplinis, ipso tempore coronam expectabat aeternam. Cuius amulata exemplum & ipsa proposito peregrinandi, annum totum in prefata prouincia retenta est, deinde ab Aidano Episcopo in patriam reuocata, accepit locum vnius familia ad Septentrionalem plagam Wiri fluminis, vbi aquè anno vno Monachicam cum perpaucis sociis vitam agebat. Post hac facta est Abbatissa in Monasterio,*

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. t.

[a] Lib. 4. c. 23.

HERESWIDA KALENSIS MONIALIS.

AN ETIAM HILDA EIVS SOROR?

[b] L. 1. obseruat. d. 17. Nou.

AN.CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

quod vocatur Heorthen, quod videlicet Monaſterium factum erat non multò ante à religioſa Chriſti famula Heiu, quæ prima fœminarum fertur in prouincia Nordan-Humbrorum propoſitum veſtémque Sanctimonialis habitûs conſecrante Aidano Epiſcopo ſuſcepiſſe. Sed illa poſt non multum tempus facti Monaſtery ſeceſſit ad ciuitatem Calcariam, quæ à gente Anglorum Kalcaceſtir appellatur, ibíque manſionem ſibi inſtituit. Prælata autem regimini Monaſtery illius famula Chriſti Hilda mox hoc regulari vitâ per omnia, prout à doctis viris diſcere poterat, ordinare curabat. Nam & Epiſcopus Aidan, & quique nouerant eam religioſi, pro inſita ei ſapientia & amore diuini famulatûs, ſedulò eam viſitare, obnixè amare, diligenter erudire ſolebant. Cùm ergo aliquot annos huic Monaſterio regularis vitæ inſtitutioni multùm intenta præeſſet, contigit eam ſuſcipere etiam conſtruendum ſiue ordinandum Monaſterium in loco, qui vocatur Streaneshaeh, quod opus ſibi iniunctum non ſegniter impleuit. Tota difficultas in his verbis conſiſtit, *in præfata prouincia retenta eſt.* Alij enim hæc intelligunt de Gallia, alij de Hildæ patria ſeu Nordan-Humbria, ex qua migrauerat in prouinciam Orientalium Anglorum. Si de Gallia interpretaris, Hilda vixit in Monaſterio Kalenſi, ſi de Nordan-Humbria, nequaquam. Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum Chriſti ſexcenteſimum-octogeſimum, quo mortem Hildæ Abbatiſſæ poſt Bedam conſignat, poſteriorem ſententiam ſic amplectitur. *Hæc virgo beatiſſima, cùm eſſet de ſtirpe Regis Eadwini generoſa, & ad prædicationem beati Paulini ad fidem conuerſa, poſteà relicto habitu ſeculari propoſuit transferre ſe ad Monaſterium Cale, vbi ſoror ipſius Hereſwitha, mater Aelduphi, Regis Orientalium Anglorum, Deo feliciter militabat. Sed retenta eſt à Præſule Aidano & facta Abbatiſſa ad Herteſcy, & poſt in Monaſterio Streneshalh appellato, quod ipſa fundauerat.* Aliter ſentit Nicolaus Harpsfeldius capite triceſimo-ſexto ſeptimi ſeculi: *Generis*, inquit, *ſplendorem alioqui clarum, quod à Rege Edwino auo trahebat, animi, propter excellentem virtutem, nobilitate Hilda longè ſuperauit. Quæ vt Chriſtum ſolum ſponſum haberet, eáque impedimenta, quæ tali præſertim fœminæ obiici ſolent, remoueret, & liberiùs atque intentiùs Deo inſeruiret, ac faciliùs perpetuam in cælis patriam promereretur, quaſi ſpontaneum ſibi exilium indixit, atque in Calenſi Galliæ Monaſterio peregrina vixit. In quo etiam Monaſterio ſoror ipſius Hereſwida, mater Adulfi Regis Orientalium Anglorum, Deo erat conſecrata. Poſteà verò cùm Aidanus Epiſcopus, Hildæ præſentiam ſuis in Anglia neceſſariam exiſtimaſſet, ab eo in patriam eſt reuocata, & in Monaſterio, quod pia mulier Heu regebat, quæ prima in prouincia Northumbrorum ſacram veſtem per manus Aidani ſuſcepit Deóque virginitatem conſecrauit, conuerſata eſt. Nec ita multò pòſt, illâ defunctâ, præfectura Monaſtery admota. Poſt quod tempus, aliud Hilda Monaſterium, quod Strenshalche olim, hodie Whitbye appellant, regendum ſuſcepit.* Vter mentem Bedæ ſit aſſecutus, iam pronuntiandum. Stamus à partibus Matthæi Weſtmonaſterienſis. Nam quiſquis attentè Bedam legerit, ex illius textu nihil aliud eruet de peregrinationibus Hildæ, quàm quòd ex Nordan-Humbria perrexerit in Angliam Orientalem, & in eadem prouincia, id eſt, in Anglia Orientali, cùm de profectione in Galliam ſuſcipiendam cogitaret, per annum manſerit, donec reuocata eſt in patriam, id eſt, in Nordan-Humbriam, vbi lucis vſuram accepit anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quarto, vitámque clauſit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo. Licèt Hildam ex albo Monialium Kalenſium expungamus, Kalenſi Monaſterio plurimùm decoris ſplendoríſque ſupereſt in Sereniſſimis Reginis Bathilde & Hereſwida, quæ potentiſſimis Francorum & Anglorum Regibus primùm nuptæ, poſt obitum maritorum factæ ſunt Moniales, vitámque Monaſticam in Kalenſi Cœnobio ſimul duxerunt. Priùs quidem quàm Clodoueus Francorum Rex Bathildem in vxorem duceret, relictâ Britanniâ Kalenſe Monaſterium adiit Hereſwida Regina, ſed, ſi benè coniectamus ex Hildæ ſororis ætate, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum incidit, ipſa non antè diſceſſit ex hac vita, quàm Regina Bathildis in idem ſe Monaſterium recepit.

Hiſce

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. I. VII.

Hiſce temporibus, cùm vniuerſa Francia penes vnius imperium erat, altâque pace fruebatur, habitum eſt Namnetenſe Concilium, eóque celebrato Niuardus Epiſcopus Remenſis Eccleſiam ædificare cœpit ad Matronam fluuium in loco, cui nomen Villare, vbi rudera erant veteris Cœnobij à Barbaris olim exciſi. Sed hæc Eccleſia ſtatim ac conſtructa fuit, funditus cecidit, & in alio loco rurſus ab eodem Antiſtite reſtructa, rurſum corruit. Docet iſta Flodoardus [a], apud quem hæc leguntur. *Beatus Niuardus, dum ex communi conſenſu totius Concilij Præſulum Galliæ, Namnetis Romani iuſſione Pontificis exhibiti, Rege fauente, reſtruxiſſet Eccleſiam Monaſterij ſuper ripam Maternæ fluminis in loco nuncupato Villari dudum ſiti, ſed à Barbaris diruti; & ab eo constructa hæc funditus cecidiſſet Eccleſia, in alio loco rurſus ab ipſo reſtructa rurſum traditur corruiſſe.* Poſt tot inanes conatus erecta eſt tandem in loco per viſionem in ſomnis oſtenſo, cùm Childericus in Auſtraſia regnabat, vt inferiùs [b] dicemus. Niuardus autem Epiſcopus, vbi conſilium iniit ædificandi Monaſterij, vocauit ad ſe Bercharium Monachum Luxouienſem, cui totius operis curam demandauit teſte Anonymo, qui profectionem Bercharij Luxouio Remos apud Camuzatum in ipſius Bercharij vita ſic laudat. *Cùm iam eſſet regularibus adprimè diſciplinis edoctus, diuina militia in vtramque partem armis præmunitus, vt videlicet per hæc, quæ longo exercitio didiciſſet, in lucri dominici diſpenſationem iam plurimorum ſaluti conſulere potuiſſet, in prouinciam Remorum ad Sanctum Niuardum Pontificem reuertitur, qui tam virtutibus quàm rebus ſupra gregis ſui cuſtodiam vigilans hoſtis inſidias relidebat, atque Eccleſiaſticam dignitatem profuſis ſucceſſibus ampliabat. Cuique olim voluentibus annis diuinæ inſpirationis inſtinctu hic ardor ſenſibus inerat, vti in quolibet ſuæ Diœceſeos contubernio eò loci ad ſeruiendum Deo viuenti domum conſtrueret, vbi rerum competentia aptiora diuinæ ſeruitutis commoda prætuliſſet. Illa erat in hac deliberatione morarum cauſa permaxima, quoniam deeſſet perſona voti ad id agendum ſocia, quæ & deſiderium ſuppleret Pontificis, & ſtrenua in Dei rebus inueniretur inſtantia ſuſcipiendæ tantæ collaborationis. Sed diu in dubio ſuſpenſus animus nequaquam fruſtrari potuit ſpe iampridem conceptæ intentionis. Bercharium itaque præripit, voto applicat, conſultum prælìgit, virum quidem in Dei rebus idoneum, religione præditum, animo efficacem, exteriorum experientiâ non minùs agilem quàm prudentem. Cúmque per id temporis vrbs illa & multorum floreret ingenio, & in admiratione Reipublicæ, diuinorum operum inſignis haberetur commercio, hunc ſibi aſciſcit præcipuum, cui conſonâ authoritate & merito futuræ fabricæ curam deponeret, & ſani diſpoſitione conſilij omni illi ſtructuræ ſpecialiter præficiendum decerneret.* Hæc Auctor vitæ. Quis autem ille fuerit, operæpretium ducimus inueſtigare. Sine nomine publicatus eſt primùm à Camuzato Trecis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo, deinde octauo pòſt anno ſub nomine Aſſonis Abbatis Deruenſis excoſus eſt ab iis qui Coloniæ auctiorem Surij editionem tunc euulgarunt. Recentiores in duas partes ſciſſi. Litem omnem facilè dirimet Camuzatus, ſi præfationis, quam libro ſecundo Hiſtoriæ ſancti Bercharij præpoſuit, initium attentè perpendatur. *Cùm huc vſque*, inquit, *Typographica opera in excudenda D. Bercharij Hiſtoria proceſſiſſent, opportunè admodum & conſentaneè animi mei voto, deuenit in manus meas chirographus libellus, eandem Hiſtoriam, in duos bipartitam Tomos, complectens: Prior continet quæ ſuperiùs excuſa ſunt, paulò tamen fuſiùs & vberiùs, cùm referat eundem S. Bercharium eo die, quo Chriſti reſurgentis Solemnitas celebratur, è vita exceſſiſſe anno 685. Poſterior plurima memoratu digniſſima, quæ in Deruenſi Cœnobio contigerunt, multa etiam egregia miracula meritis ipſius B. Martyris facta percenſet.* Hinc patet ſcriptas duas Hiſtorias de vita, ſiue vt titulus præfert, de paſſione ſancti Bercharij, quarum alteram Camuzatus typis edendam curauit, alteram adhuc ineditam in tenebris deliteſcere dolemus. Quæſtio eſt vtra illarum ab Aſſone ſcripta ſit: E duobus Tomis ſeu libris, quos Camuzatus poſt editam paſſionem ſancti Bercharij nactus eſt, prior ipſam Aſſonis lucubrationem complectebatur, omiſſúſque eſt ab eodem Camuzato, qui cùm Hiſto-

[a] Lib. 2. c. 7.

[b] Ad an. 662. n. 5.

BERCHARIVS MONACHVS LVXOVIENSIS REMOS VOCATVR.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1. tiam penè simillimam iam protulisset, stylo parum mutato bis eandem rem repetere noluit. Posterior verò Tomus seu liber, qui de diuersis casibus Deruensis Cœnobij déque Sancti Berchatij miraculis inscribebatur, scriptus fuit à Monacho Deruensi, qui quid ab Assone Abbate scriptum esset, initio suæ scriptionis apertissimè sic declarauit. *Huius anterioris executionem operis*, id est, operis, quod Camuzatus, quoniam serius ad se transmissum est, ineditum reliquit, *diuina signationis ordinatione ad memoriam informandam posterorum, insignis prudentia solertissimi Assonis Abbatis sæpè denominata Ecclesia Deruensis luculentissimo sermone nobilitauit.* Anterius illud opus vitam & passionem Sancti Berchatij comprehendebat. Multò plura meditabatur Asso, quæ minimè scripsit varijs implicatus negotiis ac morte præuentus anno Christi 992. in peregrinatione Hierosolymitana. Vicem Assonis functus est Monachus Deruensis nuperrimè citatus, textui enim proximè allegato hæc immediatè subiunxit. *Quæ verò post obitum beati viri, ipsius meritis diuino beneficio compensata se relaturum promiserat, minimè explicuit, relinquens etiam intacta adnotatorum plurima, scilicet impedimentis diuersarum actionum perturbatus, maximéque euentu festini obitûs interceptus, vnde nostra ætas hactenus obnubilatur inscitia miraculorum almi priùs sæpissimè denominandi Bercharij, quæ innumeris antè volutis temporibus, vel ad eius tumulum, siue per diuersa loca, ipsius nominis innocatione, diuina sublimitatis operatio mirificè præstiterat. Hæc intuli minimè derogans vitæ simplicitati, aut affectans fastum moderna adulationis, sed ne obloquatur alicuius leuitas, quòd ante venerabilis Assonis tempora sit muta omnis nostra antiquitas, quod contigit non tam incuriâ & Scriptorum raritate, quàm irrumpentium gentium barbarâ feritate, seu etiam crebrâ inter se populorum vicinorum concertatione.* Assonem igitur, quoniam hactenus manet ineditus, nusquam citabimus, & quoties de Sancto Berchario nobis agendum erit, vel Anonymum allegabimus si sermo sit de gestis ac passione Sancti Berchatij, vel Monachum Deruensem si narratio de varijs casibus Cœnobij Deruensis aut de miraculis Sancti Berchatij fiat.

VIII. CONCILIUM NANNETENSE. Concilium Nannetense, cuius meminit Flodoardus suprà citatus, non aliud nobis videtur ab eo quod apud varios Conciliorum Collectores in viginti Canones distributum inuenitur, & à plerisque creditur habitum paulò ante finem noni seculi. Positum est extra ordinem ad calcem Tomi tertij à Sirmondo, cuius sententiâ censetur anno Christi nongentesimo longè vetustius. Opinionem Sirmondi proauunculi sui non leui tuetur argumento Petrus *Delalande*, quod ab excidio ciuitatis Nannetensis in supplementis Conciliorum antiquorum Galliæ sic desumit. *De iisdem*, id est, de decimis, *quomodo potuit, quæso, istud Concilium congregari opportunè in ciuitate Nannetica sub finem noni sæculi? cùm ciuitas hæc post medium hoc sæculum iam funditus diruta & redacta cerneretur in eremum, vt scribit Carolus Caluus Nicolao Papæ circa annum 868. propter continua bella contra Britones & Normannos paganos.* Huic igitur Concilio præfigit annum Christi sexcentesimum duodesexagesimum, Clodouei Secundi Regis decimum-quintum. Sed nec annus Christi sexcensimus duodesexagesimus cum anno Clodouei Regis decimo-quinto conuenit, nec Clodoueus anno Regni sui decimo-quinto totâ potitus est Franciâ. Quaptopter maluimus illam Synodum in aliud tempus reijcere, cùm Francia penes vnum Clotarium erat & altâ pace fruebatur.

IX. DE ALTERIUS PAROCHIANO ET DE DISCORDANTIBUS AD MISSAM NON RECIPIENDIS. Primus Canon Synodi Nanneticæ talis est. *Vt Dominicis & Festis diebus Presbyteri, antequàm Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire, quem si inuenerint, statim ab Ecclesia eiiciant, & ad suam parochiam redire compellant. Similiter interrogent, si aliqui discordantes sint, qui inter se litem implacabilem habeant, &, si inuenti fuerint, statim reconcilientur; quòd si renuerint pacem suscipere, ab Ecclesia eiiciantur vsquequò ad caritatem redeant, non enim possumus munus vel oblationem ad altare offerre, donec priùs fratri reconciliemur. His ita peractis, Sacerdotes Missarum solennia ritè peragant.*

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. t.

X. DE ALTERIVS PAROCHIANO.

II. Canon duos proponit casus, in quibus Presbyter parochianum alterius ad Missam recipere potest. *Vt nullus Presbyter alterius parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.*

XI. DE FAMILIARITATE MVLIERVM INTERDICTA PRESBYTERIS.

III. Canon. *Prohibendum & modis omnibus interminandum est, vt nullus Sacerdos eas personas fæminarum, sicut & in Canone insertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat; sed neque illas, quas Canones concedunt, quia instigante diabolo etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedisequis illarum, scilicet matrem, amitam, sororem: sed si quis de iis habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessario sustentatio Presbyteri, habeat in vico aut in villa domum longè à Presbyteri conuersatione, & ibi ei subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc secundùm auctoritatem Canonum modis omnibus prohibendum, vt nulla fæmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.*

XII. DE VISITANDIS INFIRMIS A PRESBYTERIS.

IV. Canon præscribit modum, quo Presbyter infirmos visitare debet. *Cùm Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitiùs ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum & per omne cubiculum adspergat cum Antiphona, [asperges me Domine,] & Versu [exurgat Deus.] Deinde dicat Orationem. Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti &c. Deinde cantet septem Psalmos cum precibus pro infirmis, post hæc omnes iubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blandè lenitérque adloquatur, vt omnem spem suam in Deo ponat; vt flagellum Dei patienter toleret; vt hoc ad purgationem & castigationem suam prouenire credat; vt peccata sua confiteatur; vt emendationem promittat; si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro culpis commissis spondeat; vt substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio vigent, disponat; vt peccata sua eleemosynis redimat; vt his qui in se peccauerunt, indulgeat; vt rectam fidem & credulitatem teneat; vt de Dei misericordia numquam desperet. Cùm his & huiusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi releuata, datâ benedictione recedat Sacerdos, non post multùm reuersurus, détque locum vt ægrotus de peccatis suis possit cogitare.*

XIII. DE INFIRMIS POSCENTIBVS RECONCILIARI.

V. Canon est de infirmis qui confitentur peccata sua, séque reconciliari exposcunt. *Infirmus, qui necessitate mortis vrgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sanitatémque reddiderit, secundùm qualitatem delicti omnimodis pœniteat.* Burchardus [a] & Iuo [b] retulerunt hunc Canonem, sed cum hoc additamento, *secundùm qualitatem delicti, & secundùm Canonum statuta & pœnitentialium probatorum pœniteat.* Ceterùm Synodus Nannetensis hoc Canone nihil de nouo statuit, infirmos enim, si sanitatem recuperassent, ad pœnitentiam complendam obligarant antiquiores Synodi in Galliis habitæ. Arausicana prima [c] sic. *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manûs impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quòd si superuixerint, stent in ordine pœnitentum, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manûs impositione percipiant.* Arelatensis secunda [d] sic. *De his qui in extremis periclitantur pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manûs impositione eis communicari. Quòd si accepto hoc viatico superuixerint, stent in ordine pœnitentum, vt ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimè reconciliatoriam manûs impositionem recipiant.* Et Epaonensis [e]. *Si ægrotum accepto viatico reualescere fortasse contingit, statuti temporis spatia obseruare conuenict.* Lege quæ Tomo primo diximus de communione cùm viatica tum legitima, cùm sextum Canonem tertiæ Synodi Aurelianensis explicuimus [f]. Lege & caput decimum-quartum libri decimi de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, vbi Ioannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter multis authoritatibus eruditè probat *à seculo septimo ad ineuns duodecimum* seueritatem in ægros conualescentes, de qua nunc agimus, sine vlla remissione continuatam esse, potiúsque auctam quàm imminutam. Inter notas & obseruatio-

[a] Lib. 18. c. 3.
[b] Part. 15. c. 25.
[c] Can. 3.
[d] Can. 28
[e] Can. 36.
[f] An. 538. num. 25. & seqq.

AN.CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

nes, quas Hugo Menardus in librum Sacramentorum à Gregorio Papa editum composuit, extat descriptus ex antiquo Codice Monasterij sancti Remigij Remensis, ritus impositionis pœnitentiæ & reconciliationis infirmorum, in quo post salutationem domûs, adspersionem aquæ, varias preces & Psalmos, hoc habetur colloquium inter Sacerdotem & ægrotum. *Sacerdos ad infirmum dicat. Vocasti. Infirmus dicat. Desideraui tecum loqui, vt mihi pœnitentiam & remissionem peccatorum tradas. Sacerdos dicat. Det tibi Dominus Iesus Christus veniam; tamen si Deus in te respexerit, custodies illam? Infirmus respondet. Custodio. Deinde Sacerdos audiat confessionem eius, sicut meliùs inquirere poterit aut scriptis aut verbis. Tunc facit Crucem ex cinere super pectus infirmi, & imponit cilicium super caput.* Ex his constat Canonem Nanneticum, qui præcipit infirmum à Sacerdote sub ea conditione reconciliari, vt sanitati redditus *secundùm qualitatem delicti omnimodis pœniteat*, explicandum esse de minori reconciliatione seu de communione viatica quæ est tantùm absolutio à peccatis, non autem de absolutissima reconciliatione seu de communione legitima quæ est participatio Eucharistiæ.

XIV. De sepultura.

VI. Canon statuit, vt pro sepultura nihil exigatur, & nullus sepeliatur in Ecclesia. *Præcipiendum secundùm Canonum auctoritatem, vt de sepulchris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant, nisi fortè qui sepelitur, viuens iusserit Ecclesiæ, in cuius atrio sepelitur, de suis aliquid tribuere, aut etiam post mortem illius, quibus commissum est eius eleemosynam facere, de rebus illius aliquid dare sponte voluerint, tamen nullatenus à Presbyteris illis aliquid exigatur, siue ab illis qui locis & vicis præsunt. Prohibendum etiam secundùm maiorum instituta, vt in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut extra Ecclesiam; infra Ecclesiam verò, aut prope altare, vbi Corpus Domini & Sanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam sepeliendi.* Per has voces *extra Ecclesiam* intelligendus est locus Ecclesiæ contiguus vel adiacens, præcipit igitur Canon vt mortui nequaquam in Ecclesia, sed in atrio, aut in porticu, aut in loco contiguo vel adiacente sepeliantur. Petrus *Delalande* nixus Codice Puteano legit *in atrio, aut in porticu, aut in exedris Ecclesiæ.* Porrò atrium, porticus & exedra significant loca in Ecclesiæ prospectu, fideliúmque ad illam ingressu sita, nec spernenda videtur opinio Budæi [a], qui censet exedras vocari posse quæ in Monachorum & Canonicorum peristyliis siue claustris *Capitula* vulgò appellantur.

[a] In not. ad Pandect.

XV. De Clericis alterius parochiæ non ordinandis.

VII. Canon est de Clericis alterius parochiæ non ordinandis. *Omnibus ministris Ecclesiasticæ dignitatis interdicimus, vt nullus quocumque munere aut fauore corruptus Clericum alterius parochiæ latenter aut furtiuè ad ordinationem subintroducere præsumat. Quòd si fecerit, iuxta Chalcedonense Decretum, is qui ordinatus est, donum S. Spiritûs, quod furari conatus est, amittat; & qui mediator extiterit, si Clericus est, proprio gradu decidat; si laicus aut Monachus, anathematizetur.* Huius Canonis duæ sunt partes; prima legem constituit, altera pœnam decernit aduersùs eos qui legem illam violauerint. Posterior est *iuxta Chalcedonense Decretum*, id est, iuxta secundum Canonem Concilij Chalcedonensis; prior nequaquam. Canon enim secundus Synodi Chalcedonensis cum Canone Nannetensi de pœnis ita conuenit. *Is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprij gradûs periculo subiacebit, & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione per negotiationem facta proficiat, sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine quam pecuniis acquisiuit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel acceptis extiterit; & ipse, si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat; si verò Laicus aut Monachus, anathematizetur.* Ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας ἐλεγχθεὶς, περὶ τὸν οἰκεῖον κινδυνευέτω βαθμόν. καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορείαν ὠφελείσθω χειροτονίας, ἢ προβολῆς, ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τοῦ φροντίσματος, οὗ περ ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχεν. Εἰ δέ τις καὶ μεσιτεύων φανείη τοῖς οὕτως αἰσχροῖς, καὶ ἀθεμίτοις λήμμασιν, καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. Sed non ea-

dem lex Canone sancitur Nannetico, quæ Chalcedonensi. Canon Nannetensis statuit, *vt nullus quocumque munere aut fauore corruptus Clericum alterius parochiæ latenter aut furtiuè ad ordinationem subintroducere præsumat.* Chalcedonensis autem mulctat Episcopum, qui simoniacè confert ordines. *Si quis Episcopus per pecunias fecerit ordinationes, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaueritque per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui connumerantur in Clero; aut promouerit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel Mansionarium, vel quemquam omnino qui subiectus est regulæ, pro suo turpissimo lucri commodo.* Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ τὴν ἄπρατον χάριν, καὶ χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κατηριθμημένων, ἢ προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ προσμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος, δι' αἰσχροκέρδειαν οἰκείαν.

VIII. Canon decernit, vt nullus Presbyter plures Ecclesias habere præsumat. *Sicut enim Episcopus non plùs potest habere quàm vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem, ita Presbyter vnam tantùm Ecclesiam. Itaque nullus Presbyter plures præsumat habere Ecclesias, nisi fortè alios Presbyteros sub se in vnaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant, & Missarum celebrationes quotidianis expleant cæremoniis.* XVI. DE PRESBYTERIS PLVRES ECCLESIAS HABERE PRÆSVMENTIBVS.

IX. Canon est de Eulogiis. *Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, Eulogias omni die Dominico & in diebus festis exinde accipiant, & illa, vnde Eulogias Presbyter daturus est, antè in hæc verba benedicat. Oratio. Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tuâ sanctâ & spirituali benedictione, vt sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, & das vitam ac salutem mundo, & tecum viuit & regnat per,* &c. Eulogiæ multiplicis generis olim fuerunt. De pane Benedicto intelligendus hic Canon, cuius verba sunt adeò clara vt nullam difficultatem patiantur. Ex panibus igitur, quos fideles offerebant, alij sumebantur ad conficiendam Eucharistiam, alij benedicebantur in vsum Eulogiarum, vt qui participes Eucharistiæ non fuerant facti, post solemnia Missarum acciperent Eulogias in symbolum communionis in vna eadémque fide cum suo Presbytero. Lege quæ Tomo primo iam dicta sunt de Eulogiis ad annum Christi quingentesimum tricesimum [a]. XVII. DE EVLOGIIS.

[a] Num. 6.

X. Canon est de decimis. *Instruendi sunt Presbyteri pariterque admonendi, quatenus nouerint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis vti, de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administrauerint, damna passuros. Qualiter verò dispensari debeant, Canones sancti instituunt, scilicet vt quatuor partes inde fiant, vna ad fabricam Ecclesiæ releuandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reseruanda, vt quicquid exinde iusserit prudenti consilio fiat.* XVIII. DE DECIMIS.

XI. Canon præscribit quomodò sint examinandi qui sacros Ordines accepturi sunt. *Episcopus quando ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere volunt, feriâ quartâ ante ipsam ordinationem euocandi sunt ad ciuitatem vnà cum Archipresbyteris qui eos præsentare debent, & tunc Episcopus à latere suo dirigere debet Sacerdotes & alios prudentes viros gnaros legis diuinæ, & exercitatos in Ecclesiasticis Sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum vbi educati sunt, si sint benè litterati, si in lege Domini* XIX. DE EXAMINANDIS ILLIS QVI SACROS ORDINES ACCEPTVRI SVNT.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

instructi, diligenter inuestigent, ante omnia si fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant; ipsi autem quibus hoc committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratiâ, aut cuiuscumque muneris cupiditate illecti, à vero deuient, vt indignum & minùs idoneum ad sacros gradus suscipiendos Episcopi manibus applicent. Quòd si fecerint, & ille qui indignè accessit, ab altari remouebitur, & illi, qui donum Sancti Spiritûs vendere conati sunt, corde Deo iam condemnati, Ecclesiasticâ dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & sic Sabbatho qui probati inuenti sunt, Episcopo repræsententur.

XX. De poenitentia adulterii.

XII. Canon est de pœnitentia adulterij. *Si cuius vxor adulterium perpetrauit, & hoc à viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat vxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa verò septem annis publicè pœniteat; vir verò eius illâ viuente nullatenus aliam accipiat: quòd si voluerit adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat, ita tamen vt pariter cum illa pœnitentiam agat, & exactâ pœnitentiâ post septem annos ad communionem vterque accedat. Similis forma & in muliere seruabitur, si vir eius adulterauit.*

XXI. Fornicationis.

XIII. Canon est de pœnitentia fornicantium. *Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens vxorem, fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.*

XXII. Adulterii.

XIV. Canon est de pœnitentia adulterij. *Quòd si vir non habens vxorem, alterius vxorem adulterauit; aut si qua mulier non habens virum, cum alterius viro; ille qui fœdus violauit coniugij, septem annis, vt supra dictum est, pœniteat; ille qui lege coniugij non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam, coniugum amplexus; & illis qui coniuge carentes, ardore libidinis impellente, in fornicationem ceciderunt.*

XXIII. De Confratriis.

XV. Canon est de Confraternitatibus. *De Collectis vel Confratriis, quas Consortia vocant, sicut verbis monuimus, & nunc scriptis expressè præcipimus, vt tantùm fiat, quantùm rectum ad authoritatem & vtilitatem atque ad salutem animæ pertinet. Vltrà autem nemo nec Sacerdos neque fidelis quisquam in parochia nostra progredi audeat, id est, vt in omni obsequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemosynariis & cæteris pietatis officiis. Pastos autem & comessationes, quas diuina authoritas vetat, vbi & grauedines, & indebitæ exactiones, & turpes ac inanes lætitiæ, & rixæ, sæpè etiam, sicut experti sumus, vsque ad homicidia, & odia, & dissensiones accidere solent, adeò penitus interdicimus, vt qui contra hoc decretum agere præsumpserit, si Presbyter fuerit vel quilibet Clericus, gradu priuetur; si laicus est aut fœmina, ab Ecclesia vsque ad satisfactionem separetur. Conuentus autem talium Confratrum necesse si fuerit vt simul conueniant, aut fortè aliquis contra parem suum discordiam habuerit, quam reconciliari necesse sit, & sine conuentu Presbyterorum & cæterorum esse non possit, post peracta illa quæ Dei sunt, & Christianæ Religioni conueniunt, & post debitas admonitiones, si contigerit, vt veræ charitatis & fraternæ inuicem consolationis omnes ad refectionem conueniant: sic talia fieri permittimus, vt seruatâ modestiâ & temperantiâ & sobrietate pacísque concordiâ, sicut decet fratres, in ædificationem fraternitatis, & laudem & gloriam Dei, & gratiarum actiones fiant. Et hoc omnino caueatur, quod Saluator ait. [Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.] Qui voluerint, Eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantùm frangentes singulos accipiant biberes, & nihil ampliùs contingere præsumant, & sic vnusquisque ad sua cum benedictione Domini redeat.* Quidam non *biberes* sed *bilibres* legunt, idque perperam. Biberes vt alibi iam probauimus[a], capiuntur pro scyphis vini, imò pro cuiuslibet liquoris haustu seu sorbitione. Canoni Nannetico non parum lucis, nostræque sententiæ non parum auctoritatis afferunt Sancti Benedictus & Donatus in suis Regulis & Euerhelmus in vita Sancti Popponis. Hæc enim apud Sanctum Benedictum leguntur. *Septimanarij autem ante vnam horam refectionis super statutam annonam singulos biberes & panem.* Hæc apud Sanctum Donatum. *Septimanariæ autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes &*

[a] Ad an. 538. n. 164.

panem. Hæc apud Euerhelmum *Discedens verò inde, caritatis vestigia suis reliquit, singulis per tricenos dies singulos dari biberes precepit.*

XVI. Canon vetat ne quis vacantem Ecclesiam per ambitionem petat. *Vt si quilibet Presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud secularem seniorem nullâ precatione vel aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat, quia titulis per se constans antea extitit; sed neque capellam sine consultu Episcopi. Quòd si fecerit, definitam sententiam sibi prolatam suscipiat, sicuti de Episcopo canonica decreuit auctoritas, vt si per ambitionem maiorem ciuitatem appetierit, & illam perdat quam tenuit, & illam nequaquam obtineat quam vsurpare tentauit.* Hic Canon nititur decimo-tertio Synodi Romanæ quam ad annum Christi quadringentesimum septimum inter supplementa Conciliorum antiquorum Galliæ descriptam reperies. *De his, qui ab Ecclesia ad Ecclesiam transeunt, iussi sunt haberi quasi relictâ vxore ad alteram accesserint, quod impunitum esse non posit. Talem Episcopum inuasorem pudoris alieni Episcopatu priuari iusserunt.* Quantæ fuerit auctoritatis apud Gallos hæc Romana Synodus, ex eo palàm fit, quòd conuocata est habitàque à Romano Pontifice, vt quæstionibus, de quibus plerique Galliarum Episcopi Sedem Apostolicam consuluerant, fieret satis, eiúsque sanctiones ad eosdem Episcopos ab ipsomet Papa transmissæ sunt. Hactenus in nostris Annalibus haud inuentus est, qui violaret hoc Decretum, & ab Ecclesia per ambitionem ad Ecclesiam transiret. Non enim postulaudi sunt ambitionis Episcopi, qui suis Ecclesiis expulsi cutamaliarum posteà susceperunt. Aprunculus & Quintianus, antequàm Diœcesim Aruernensem administrarent, alias rexerunt, Lingonensem Aprunculus sub Gundobado Rege Burgundionum Ariano, Rutenensem Quintianus sub Amalarico Rege Wisigothorum similiter Ariano. Aprunculum sic commendat Interpolator [a] Gregorij Turonensis à nobis iam citatus ad annum Christi 486. [b]. *Cùm iam terror Francorum resonaret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, Sanctus Aprunculus Lingonicæ ciuitatis Episcopus apud Burgundiones cœpit haberi suspectus, cúmque odium de die in diem cresceret, iussum est vt clàm gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuncio, nocte à castro Diuionensi per murum demissus, Aruernos aduenit, ibique iuxta verbum Domini, quod posuit in ore Sancti Sidonij, vndecimus datur Episcopus.* Sanctus Quintianus Rutenensis Episcopus, cùm post Clodouci Magni mortem ciuitas Rutenensis in potestatem Wisigothorum rediisset, sæuiente Amalarico Rege Wisigothorum Ariano solum vertere atque in ditiones Francorum confugere coactus est. *Orto,* inquit Gregorius Turonensis [c], *inter ciues & Episcopum scandalo, Gothos, qui tunc in antedicta vrbe morabantur, suspicio attigit, quod se vellet Episcopus Francorum ditionibus subdere, consilióque accepto cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro sancto nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis ab vrbe illa egrediens Aruernis aduenit, ibíque à sancto Euphrasio Episcopo, qui Aprunculo quondam Antistiti successerat, receptus est.* Hæc ad annum Christi quingentesimum duodecimum [d] recitauimus. Deinde quid post obitum Apollonatis Aruernensis Episcopi contigerit, ex eodem Gregorio [e] sic narrauimus ad annum quartum post mortem Clodouci Regis, id est, ad annum Christi quingentesimum decimum-quintum [f]. *Cùm hoc Theodorico* Francorum Regi *nunciatum fuisset, iussit ibi sanctum Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ, dicens, hic ob nostri amoris zelum ab vrbe sua eiectus est. Et statim directi nuncij, conuocatis Pontificibus & populo, cum in Cathedra Aruernæ Ecclesiæ locauerunt. Qui quartus-decimus Ecclesiæ illi præpositus est.* Theodorus & Proculus in Burgundia primùm vbi Gundobadus Arianus regnabat, deinde in Francia Pontificatum gesserunt post obitum Licinij, cui proximè successerunt in Episcopatum Turonensem sub Clodomere Francorum Rege. De vtroque sic Gregorius Turonensis [g] à nobis iam allegatus ad annum Christi quingentesimum vicesimum [h]. *Theodorus & Proculus, iubente beatâ Chrodielde Reginâ, subrogantur, eò quòd de Burgundia iam Episcopi ordinati ipsam secuti fuissent, & ab*

AN. CH. 656.
CLOTAR. III. R. 1.
XXIV.
DE POENIS IN PRESBYTERVM QVI PER AMBITIONEM PETIT ECCLESIAM VACANTEM.

[a] Lib. 2. c. 23.
[b] Num. 4.
[c] De vit. Patr. cap. 4.
[d] Num. 1.
[e] Lib. 3. c. 2.
[f] Num. 4.
[g] L. 10. c. 31.
[h] Num. 2.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

hostilitate de vrbibus suis expulsi fuerant. Domnolus Episcopus, cùm aliam Ecclesiam gubernasset, curam Cenomanicæ sub Childeberto Rege suscepit. Rem prout gesta est, Auctor vitæ, quem ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-quintum [a] produximus, sic enarrat. *Iam ordinatus alibi Episcopus, relictâ patriâ & parentibus, cunctísque rebus quas possidere videbatur, Romam profectus est, limina beatissimorum Apostolorum orationis gratiâ visitaturus. Vbi cùm animi sui deuotioni fecisset satis, post longa itineris emensa spatia, Domino gubernante, ad Cenomanos appulit, quos propter obitum sui Pontificis magno offendit animi mærore affectos. Iampridem enim beatus Innocens ad Dominum migrarat, & laboris sui erat præmia consecutus, in eius verò locum necdum alius subrogatus fuit. Cùm igitur hunc virum sanctissimum conspexissent, eúmque iam Episcopum ordinatum didicissent, tam Proceres & Principes quàm Clerus vniuersus & populus non solùm vrbanus sed etiam ruricola, diuino id instinctu agente, vno orè eádémque animi sententiâ obnixè eum deprecabantur, vellet ipsos ipsorúmque ciuitatem & patriam non inuitus gubernandam suscipere. Quamuis autem ea in re valdè se difficilem præberet, ad extremum tamen aliud agere non potuit, quàm quod populus Deo inspirante postulauit. Suscepit igitur, sed sanè inuitus & compulsus, Episcopi ministerium cum multa humilitate, Dominóque cooperante, toto vitæ suæ tempore, non parùm illis, quibus præerat, contulit.* Nullum hìc ambitionis vestigium. Rupertus Vormaciensis Episcopus, cùm in exilium ab ethnicis pulsus esset anno Christi quingentesimo septuagesimo-septimo, profectus est Romam, deinde in Boioariam, vbi Salisburgensem Ecclesiam fundauit anno Christi quingentesimo octogesimo, rexítque ad annum vsque Christi sexcentesimum vicesimum-tertium. Causam exilij sic exponit Auctor vitæ à Canisio [b] publicatus & à nobis ad annum Christi quingentesimum septuagesimum-septimum [c] iam laudatus. *Infideles, qui plurimi erant in regione Wormacensi, illius sanctitatem non ferentes, multis eum suppliciis affectum, & virgis cæsum à ciuitate cum magna eiecerunt iniuria.* Denique Fronimius in Septimania, cui Rex Wisigothorum Arianus dominabatur, Agathensem Episcopatum gessit, & anno Christi quingentesimo octogesimo quoniam Ingundi Childeberti Francorum Regis sorori, cùm ad Herminigildum sponsum suum, Lewigildi Wisigothorum Regis Ariani filium pariter Arianum ducebatur, insigni pietate consuluerat, vt hæreticæ prauitatis veneno numquam imbui se sineret, quæsitus est ad necem, incidisśetque in sicarios, nisi fugâ lapsus in Franciam se recepisset, vbi Vinciensem Episcopatum pòst obtinuit. Audi Gregorium Turonensem [d] Auctorem coætaneum. *Obiit Deotherius Vinciensis Episcopus, in cuius locum Fronimius subrogatus est. Hic autem Fronimius Biturica vrbis incola fuit. Sed causâ nescio quâ in Septimaniam abiit, ac post mortem Athanaeldi Regis à Leuuane successore eius magnificè receptus, atque in vrbe Agathensi Episcopus ordinatus est. Sed post mortem Leuuanis, cùm Leuuieldus in illa hæretica prauitatis perfidia grassaretur, & Ingundis filia Sigiberti Regis in Hispaniam ad matrimonium duceretur, audiuit Leuuieldus quasi hic Episcopus ei consilium dedisset, vt nunquam se veneno hæreticæ credulitatis deberet admiscere. Et ob hoc semper ei molestus iniuriarum laqueos intendebat, quousque eum ab Episcopatu deiiceret. Cúmque non inueniret quibus eum muscipulis posset innectere, ad extremum emisit, qui eum gladio deberet adpetere. Quod ille per internuncios cognoscens, relictâ vrbe Agathensi in Gallias aduenit, ibíque à multis Episcopis receptus ac muneratus ad Childebertum Regem pertransiit. Sícque patefacto loco, apud supradictam vrbem potestatem Pontificalem nono deiectionis suæ anno Rege largiente suscepit.* Alius Episcopus, qui ab Ecclesia ad Ecclesiam transierit, hactenus in nostris Annalibus haud occurrit, ideóque obserua Canone Nannetensi, quem examinamus, non Episcopos argui, sed Presbyteros seu Parochos, contra quos, si vacantem Ecclesiam per ambitionem petant, profertur sententia, quæ contra Galliarum Episcopos lata est in simili causa priusquàm Faramundus apud Francos regnaret. Ambitio igitur, quâ plerique Galliarum Episcopi sub Imperatoribus Romanorum quondam laborarant, vbi sub

[a] Num. 20.
[b] Tom. 6. antiq. lect.
[c] Num. 52.
[d] L. 9. c. 24.

AN. CH. 656.

sub Francorum Regibus Presbyteros seu Parochos inuasit, statim coercita est ab earumdem Galliarum Episcopis, qui talis ambitionis expertes erant, & sententiam in Antecessores suos à Synodo Romana latam laudabant.

CLOTAR. III. R. I. XXV. DE POENITENTIA HOMICIDII VOLVNTARII.

XVII. Canon est de pœnitentia homicidij voluntarij. *Si quis voluntariè & per insidias hominem interfecerit, iugi se pænitentia submittat. Et si hoc publicè actum consistat, si laicus est, à communione orationum quinquennio remoueatur: post quinquennium, tantùm in orationum communionem recipiatur, non offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans* XIV. *annis, tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur. Si quis de industria per insidias occiderit hominem, ab altari meo euelles eum, vt moriatur, dicit Dominus.*

XXVI. CASVALIS.

XVIII. Canon est de pœnitentia casualis homicidij. *Si quis casu, non volens, homicidium perpetrauit, quadraginta diebus in pane & aqua pæniteat. Quibus peractis, biennio ab oratione fidelium segregetur, non communicet, nec offerat. Post biennium in communione orationis offerat, non tamen communicet. Post quinquennium, ad plenam communionem recipiatur. Abstinentiâ ciborum in arbitrio Sacerdotis maneat.*

XXVII. DE FOEMINIS SE IMMISCENTIBVS PVBLICIS CONVENTIBVS.

XIX. Canon vetat ne fœminæ publicis conuentibus & placitis se immisceant. *Cùm Apostolus dicat, mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia, mirum videtur, quòd quadam muliercula contra diuinas humanásque leges attritâ fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indesinenter adeunt, & negotia Regni vtilitatésque Republica magis perturbant, quàm disponant, cùm indecens sit & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere, & qua de lanificiis suis & operibus textilibus & muliebribus, inter genitiarias suas residentes, debuerant disputare, in conuentu publico, ac si in curia residentes Senatoriam sibi vsurpant authoritatem. Vnde quia diuina leges, vt suprà monstratum est, hoc contradicunt, & humana nihilominùs idipsum prohibent, vt fœmina nihil aliud prosequantur in publico, quàm suam causam. Ait enim Lex Theodosiana; nullâ ratione fœmina ampliùs quàm suas causas agendi habeant potestatem, nec alicuius causam à se nouerint consequendam. Idcirco ex authoritate Canonica interdicimus, vt nulla Sanctimonialis virgo vel vidua conuentus generales adeat, nisi à Principe fuerit euocata, aut ab Episcopo suo, nisi fortè propria necessitatis ratio impulerit, & hoc ipsum cum licentia Episcopi sui.*

XXVIII. DE CVLTV SVPERSTITIOSO AD ARBORES ET AD LAPIDES ABOLENDO.

XX. Canon prohibet ne vota fiant aut deferantur ad arbores & ad lapides. *Summo decertare debent studio Episcopi & eorum ministri, vt arbores dæmonibus consecrata, quas vulgus colit & in tanta veneratione habet, vt nec ramum vel surculum inde audeat amputare, radicitus exscindantur atque comburantur; lapides quoque, quos in ruinosis locis & syluestribus, dæmonum ludificationibus decepti venerantur, vbi & vota vouent & deferunt, funditus effodiantur, atque in tali loco proiiciantur, vbi nunquam à cultoribus suis venerari possint. Et omnibus adnuncietur, quantum scelus sit Idololatria, & qui hac veneratur & colit, quasi Deum suum negat, & Christianitati abrenunciat, & talem pænitentiam inde debet suscipere, quasi idola adorasset, omnibúsque interdicatur, vt nullus votum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro salute sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo. Nouimus siquidem quanta Dominus antiquo populo per Prophetas suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant, & in excelsis immolabant. Si quis hoc transgressus fuerit, fidem perdidit, & est infideli deterior, & idcirco omni modo à Sancta Ecclesia consortio abscindatur, & non, nisi dignè pænituerit, recipiatur.* Huc vsque Concilium Nannetense. Porrò postremus hic Canon consentaneus est Canoni vicesimo-secundo Synodi Turonensis secundæ, qui contestatur *illam sollicitudinem tam Pastores* siue Episcopos *quàm Presbyteros gerere, vt quemcumque viderint ad nescio quas petras aut arbores, aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia Sancta auctoritate repellant*; & Canoni tertio Concilij Autissiodorensis, qui prohibet *inter sentes aut ad arbores sacrinos vel ad fontes vota exoluere.* Lege quæ de Turo-

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1.

[a] Num. 41. [b] Num. 18.

nensi diximus, ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-sextum [a], deque Autissiodorensi ad annum Christi quingentesimum octogesimum-sextum [b]. Consule & Audoenum, apud quem Sanctus Eligius auditores suos sic alloquitur. *Nulli creaturæ præter Deo & Sanctis eius venerationem exhibeatis; fontes vel arbores, quos sacrinos vocant, succidite; pedum similitudines, quos per binia ponunt, fieri vetate, & vbi inueneritis igni cremate; per nullam aliam artem saluari vos credatis, nisi per inuocationem & Crucem Christi; nam illud quale est, quòd si arbores illæ, vbi miseri homines vota reddunt, ceciderint, nec ex eis ligna ad focum sibi deferunt; & videte quanta stultitia est hominum, si arbori insensibili & mortuæ honorem impendunt, & Dei omnipotentis præcepta contemnunt.* Ex illo textu fortè non leue argumentumerues, vt Concilium Nannetense, cuius Canones suprà recitauimus, ad ætatem Sancti Eligij referendum censeas.

XXIX. CLODVLPHVS FIT EP. MET. S. TRVDONIS ÆTAS,

Clodulfus Sancti Arnulfi filius, *ob paternæ sanctitatis gloriam*, vt Paulus Diaconus in libro de Episcopis Ecclesiæ Metensis loquitur, in Metensi Cathedra collocatus est hoc anno, mense Aprili. Sub initium sui Pontificatûs Trudonem Metas profectum excepit. Apud Theodoricum in vita Sancti Trudonis inueniuntur multa, quæ, quoniam apud Donatum desiderantur, dubiæ sunt aut nullius fidei. Si Theodorico credimus, Trudo cùm ad virilem ætatem peruenisset, vxorem ducere noluit, statuítque cælibem vitam ducere, quamuis pater suaderet coniugium & amplissima prædia sponderet. At Donatus Trudonem, priusquàm illam ætatem attigisset, parentibus orbatum innuit, sic enim scribit capite tertio. *Contigit vt labentibus secundùm humanam consuetudinem annis, sanctus puer ad adolescentiæ pertingeret florem. Pietatis obsequia parentibus solerti curâ & magnâ sollicitudine adhibebat, seséque cotidie inter laicales habitus & secularis vitæ tumultus in sanctæ religionis cultu & mandatorum Domini obseruatione summoperè exercebat, itaut forinsecus ob parentum pietatis obseruantiam laicus appareret, intrinsecus verò coram Domino ob nimiam abstinentiam & magnæ religionis cultum Monachus existeret. Itaque gestum est, vt in vnô eodémque corpore geminam in Domino duceret vitam. Audiuit enim per Moysen Dominum dicentem, [honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi;] meminítque verbum Domini dicentis, [nisi qui reliquerit patrem aut matrem &c. propter nomen meum, non potest meus ille esse discipulus.] His itaque duobus præceptis sanctus vir coarctatus, & pietatis ministerium præbebat parentibus & igne diuini amoris succensus abstinentiæ & castitatis orationísque & assiduum vigiliarum & eleemosynarum immortali Domino rependebat cultum.* Nihil ampliùs habet de Trudonis parentibus, quos sub illud tempus mortuos opinamur, cùm nondum conati essent coniugium filio suadere. Eos sanè citiùs obijsse quàm Trudo Metas proficisceretur, ex eodem constat Authore, quem infrà describemus, vnde redarguas Miræum in Fastis Belgicis, vbi beatam Adelam sancti Trudonis matrem anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto mortuam affirmat. Beatus Wicboldus Sancti Trudonis pater

PARENTES,

non procul Distemio sepultus fuit Wibbeci, vbi & terrâ eductus est ad populi venerationem, vt Fisenus obseruauit in Floribus Ecclesiæ Leodiensis nono Kalendas Decembris. Beata Adela, vt eodem die Molanus & Miræus scribunt, nec procul Distemio * sepulta fuit in agro paterno Zerlemi, vbi sacrum eius corpus à mortalibus cultum, variis olim miraculis Deus celebrauit. Os magnum & pars maxillæ eius in Monasterio Sancti Trudonis hodie visuntur. Multis annis post parentum obitum elapsis, Trudo tandem per visum à Deo monitus est, vt Remaclum Traiectensem Antistitem adiret, à quo statim Metas ad Clodulfum huius ciuitatis Episcopum missus est. Rem totam, prout gesta est, accipe ex Donato Diacono iam laudato, à quo Notgerus Episcopus, Harigerus & Theodoricus Abbates, aliíque qui Gesta Sancti Trudonis in literas retulerunt, fidem omnem atque authoritatem mutuantur.

* *Diest.*

XXX. *Dignatus est pius Dominus respicere deuotionem serui sui, & frequentium gemituum & lacrimarum misertus est clementer. Quadam nocte dum sanctus vir post*

consuetum vigiliarum orationúmque laborem paululùm somnij propter insertam humani generis naturam corpori concessisset, apparuit ei vir formosissimus miraque pulchritudinis, Angelico vultu indutus fulgentibus vestimentis stánsque coram illo dicere cœpit. Orationes tuæ & eleemosynæ, frater Trudo, quibus magnoperè desudasti, acceptabiles sunt apud Dominum. Adimplebit itaque Dominus noster Iesus Christus votum tuum, quod ei vouisti in pueritia tua, consolabitúrque te Creator omnium, & dabit tibi desiderium cordis tui. Sapientiâ enim suâ erudiet te, quia illam ab eo postulasti. Docebit ergo te omnia mandata sua, & præcepta sua scribet in tabulis cordis tui. Tu verò deinceps docebis populum suum & ad dignum sacerdotale peruenies ministerium. Quia enim hoc solum incessanter à Domino deprecatus es, largiri dignatus est tibi. Oratio enim iusti assidua multùm valet apud Dominum, & preces importunæ & incessabiles ascendunt ad aures eius. Gauisus est itaque venerabilis Trudo valdè, gratiásque omnipotenti Deo reddidit in corde suo, & apud se tacitus admirans conferebat verbum Domini, [petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.] Addidit quoque iam dictus formosus vir loqui ad eum. Surge, inquit, & vade ad beatum Remaclium Tungrensis vrbis Pontificem, ipse enim est haud longè hinc in villa quæ nuncupatur Septimburias. Illi namque ostendit Deus omnia quæ te oportet facere, docebítque te vias tuas. Tu verò fac omnia quæcumque dixerit tibi, Dominus autem tecum erit, & custodiet te in omnibus viis tuis. Surrexit itaque beatus Trudo valdè diluculo, perterritus enim erat illâ maximâ visione, & volens velociùs sciscitari euentum rei, assumpsit secum in comitatu duos pueros, & ad villam, quæ dicitur Septimburias, pergere cœpit. Cùm autem appropinquaret domui in qua Pontifex esse videbatur, ammonuit Episcopus pueros suos, dicens. Occurrite velociter viro Dei, qui venit visitare nos, ecce enim appropinquat. Suscipite igitur eum cum omni diligentia & honore, & adducite ad me. Illi verò pueri cum festinatione currentes obuiauerunt ei in ipso introitu portæ, quæ ducebat ad domum Episcopi, cognouerúntque quod de illo dixisset Pontifex, & statim susceperunt eum cum summa veneratione. Adductus est itaque beatus Trudo in præsentiam Pontificis, intuitus autem eum benignissimus Remaclius illicò surrexit, & occurrit ei in medio pauimenti domûs suæ. Piissimus verò famulus Dei Trudo visus est prosternere se ad pedes eius. Pontifex autem cum summa festinatione suscepit eum, & deosculans amplexatus est illum, & cœpit præ nimia exultatione flere super collum ipsius. Cúmque diutissimè hoc ageret & vterque vultum largifluis riuis lacrymarum ob desiderium supernæ patriæ vbertim madidasset, sanctus Pontifex fari cœpit. Benedictus es, inquit, Domine Rex Omnipotens, consolator omnium sperantium in te. Sit tibi, Domine Iesu Christe, laus & iubilatio per infinita secula seculorum, qui dignatus es hodie nos visitare per aduentum serui tui. Hoc ait, conuersúsque ad beatissimum Trudonem ait. Benedictus esto, fili mi, Deo altissimo, ipséque Deus qui direxit iter tuum ad nos custodiat deinceps gressus tuos in semitis mandatorum illius, détque tibi propitius desiderium animæ tuæ, & tribuat tibi benignum petitionem cordis tui. His ritè dictis sedit Pontifex, statuítque beatum Trudonem ad dexteram suam, immensóque gaudio repletus ait. [Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum.] At postquam hæc sanctæ salutationis verba cessauerunt, & simul sancti Patres consederunt, cœpit beatus Pontifex loqui ad virum Dei, & ait. Notum tibi sit, fili mi, quia ex hac hora lege inuiolabili filius meus eris, & eum locum patris tui perenniter spirituali iure tenebo. Vt autem hoc audiuit vir Dei inclinauit se humiliter gratias Deo referens & voluit osculari genua Pontificis. At ille eleuauit eum, & sibi pulcherrima libauit oscula pacis. His ritè peractis, addidit venerandæ memoriæ Remaclus loqui ad pium Trudonem. Non possum tibi, inquit, fili carissime, celare vias tuas. Nam Dominus mihi dignatus est ostendere omne quod te oportet facere. Inclina igitur aures tuas ad ammonitionem patris tui, verbum enim Domini factum est ad me, vt ostendam tibi viam salutis tuæ. Perge ergo, fili mi, feliciter ad Chlodulfum Metensis vrbis Pontificem, amnémque possessionem tuam & cuncta quæ habere visus es in his partibus per manus

PROFECTIO AD REMACLVM EP. TRAIECT.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1. *ipsius trade Sancto Stephano Protomartyri Christi, fácque illum hæredem tuæ terrenæ possessionis, vt ipsius suffragantibus meritis cohæreditarius eius sis in gaudio Regni cælestis. Reuelatum est enim mihi à Domino, quia vouens vouisti votum in pueritia tua, vt si fortè concessisset Dominus maturæ ætatis spatium, Ecclesiam sibi in tua hæreditate ædificaturus esses, ac ab illo tempore vnicum desiderium tuum fuit vt sacras litteras didicisses. Suscepit igitur Christus votum beniuolentiæ tuæ, tradétque tibi desiderium cordis tui, tantùm fac sicut præcipio tibi, vt perueniens ad Mettensẽ oppidum postquàm Sancto Stephano tuam tradideris hæreditatem postules à præfato Pontifice eiusdem vrbis, vt studio sacrorum apicum erudiat te, dabitque tibi Dominus gratiam in conspectu omnium videntium te. His & aliis plurimis sanctæ exhortationis verbis suis vir Dei ammonitus est à Sancto Remaclio, hisque expletis Sanctus Pontifex benedicens eum dimisit in pace. Postquàm autem egressus est beatus Trudo à conspectu Pontificis, cœperunt pueri astantes eidem Episcopo, superbiæ liuore perculsi, sancti viri habitum insipientibus verbis illudere dicentes. Quid putas, qualem virum honorauit hodie Dominus noster? Nonne pauper est qui tam despectis vestimentis indutus erat? Cur ergo talem virum Dominus noster iuxta se sedere præcepit? Audiens autem venerabilis Pontifex illos hæc apud se conferentes intellexit quòd de beato Trudone hæc dicerent, & increpans eos cum grauissimo opprobrio, ait. Væ vobis, inquit, stulti & insipientes corde, qui personam hominum ex vestimentorum qualitate iudicatis. Deus qui scrutator est cogitationum & inspector est cordium, quique interioris hominis pulchritudinem & ornatum quærit & non exterioris, scit quia diues est vir iste qui visitauit nos, immortalibúsque diuitiis valdè locuples. Dominus autem eum illo est, & ipse dignatus est hodie per illum nos visitare*, &c.

XXXI. ET AD CLODVLPHVM EP. MET. *Beatissimus ergo Trudo reuersus est in domum suam, & apparauit cuncta quæ necessaria illi erant in itinere, dimisitque omnibus quæ possidebat, felici gressu prosperóque cursu Mettensem vrbem petiit, venitque ad gloriosam Ecclesiam Sancti Stephani primi Martyris, quam cùm ingressus esset cum maxima humilitate prostrauit se coram altari, deuotissimáque Omnipotenti Deo cum affluenti lacrimarum effusione fudit preces, innocauitque etiam suffragium beatissimi Stephani Martyris, vt orationes ipsius coram Maiestate Altissimi præualerent, séque cum omnibus quæ possederat Deo & eidem Martyri Christi feliciter obtulit, hostiam videlicet, vt Paulus ait, viuam Deo placentem. Dum autem vir Dei in illa sancta oratione diutissimè perseueraret, custos Ecclesiæ diligentissimè eum intuitus est. Vidit enim in eo sanctæ deuotionis spiritum, & apud se tacitus ammirabatur, cupiebátque sciscitari vnde talis vir cum tanto feruore diuini amoris existeret. Tandem ergo erigens se beatus Trudo ab oratione, madidum lacrimis extergere vultum cœpit. Accessit autem ad eum custos præfatus Ecclesiæ cum humilitate, & ait. Vbi tua Natiuitatis sumpsisti exordium, frater, aut vnde itineris tui vt huc venisses extitit inceptio? Ad quem vir Dei pudicitiæ & humilitatis spiritu repletus, respondens ait. In Hasbania partibus mea exigua Natiuitatis locus agnoscitur, indéque necessariæ causa euentu cogente has vestras tentaui adire Metas. Obsecro itaque caritatem tuam, frater, vt beato Chlodulfo Episcopo meæ paruitatis aduentum innotescere studeas, postulans ut eo vt sua Sanctitatis obtutibus præsentari merear, vt sibi mearum necessitatum causas ostendere valeam. Ille igitur custos cum summa festinatione nuntiauit Episcopo, quòd talis vir de Hasbania partibus aduenisset, & Sanctitatis illius colloquium postulasset. Adquieuit autem beatus Pontifex precibus illius, atque statim præcepit vt eadem horâ ipsius præsentaretur obtutibus. Adductus est igitur famulus Dei Trudo in conspectum Pontificis, statímque vt appropinquauit Episcopo, adorauit eum pronus in terram. Sanctus verò Chlodulfus festinanter eleuauit eum, benedicénsque illi, ait. Propitius sit tibi, fili mi, Deus altissimus, ipséque tribuat tibi petitiones cordis tui. Intuitus autem eum diutiùs Episcopus, & videns in faciem eius radium Spiritus Sancti ammirabatur pulchritudinem illius*, &c. *Tum demùm virum Dei his verbis interrogare cœpit. Quænam, inquit, fili carissime, causa extitit, vt de remotis partibus nos visitasses? Nùm prospera cuncta in itinere acciderunt? Cui ille. Prospera, ait, omnia. Sancti Stephani fultus suffragiis & Sanctitatis vestræ orationibus adiutus. Nullus*

contrarietatis euenit occursus. Causa autem meæ paupertatis vos visitandi hac est. AN. CH.
Ammonitus namque sum à sancto viro Coepiscopo videlicet vestro Remaclio Tungrensis 656.
sis urbis Antistite, vt beatissimi Stephani limina, quæ in hac vrbe magnis virtutibus CLOTAR.
florent, appetissem, & eidem primo Martyri pro æterna vita consortio cuncta quæ possidere III. R. 1.
dere visus sum in Hasbaniæ partibus tradidissem. Quam obrem deuotissimo mentis affectu omnem possessionem meam, hæreditatem scilicet parentum meorum, quicquid habeo in Hasbanio pago in loco qui vocatur Sarchinnio super fluuio Cysindria, à præsentis articulo diei, Sancto Stephano rectoribúsque huius Sanctæ Ecclesiæ incommutabili traditione condono. Confirmauit igitur vir Dei cunctam hæreditatem suam in possessionem Sancto Stephano Pontificibúsque Mettensis Ecclesiæ perpetuali traditione sub chartarum descriptione subnixa. His autem ritè peractis, addidit beatus Trudo loqui ad venerabilem Chlodulfum. Obsecro, inquit, piissime Pater, dum hoc meæ paruitatis munusculum suscipere non renuistis, nunc etiam preces meas exaudire dignemini. Oro enim vt sanctarum litterarum studio me erudire iubeatis. Hoc namque præceptum suscepi à beato Remaclio, vt postquàm possessionem meam Sancto Stephano tradidissem, tunc à Beatitudine vestra sacrorum apicum disciplinam postulassem. Hoc autem audiens prædictus Episcopus gauisus est valdè, & petitionem viri Dei pio sermone secutus est. Feliciter, inquit, ô fili mi, Deus omnipotens illuminator sit sensûs tui, & Sanctus Stephanus propitius auxiliator tui existat. Et suscipiens eum Pontifex osculatus est illum. Tradidit itaque eum Episcopus in manum præfati custodis Ecclesiæ, & omninò ei præcepit, vt eum cum magna diligentia docuisset. At ille cum gaudio suscipiens illum cum summo studio erudire cœpit. Dedit autem Dominus Sancto Trudoni gratiam & capacem sensum ad omnia obtinenda quæ discere debuerat. Reuerentissimus igitur Trudo cœpit in sanctarum litterarum studio magnopere desudare, hoc singulari certamine exercere, hoc toto cordis desiderio ambire, nichil præter hoc in mundi circulo diligere. In ieiuniorum parcimoniis se cotidie macerans, in vigiliarum custodiis viriliter pernoctans, ineffabili feruore succensus, incessabiliter Deum deprecabatur, vt se sapientiæ suæ fluentis irrigare dignaretur. Huc vsque Donatus Diaconus. Sarchinio, quod Ecclesiæ Metensi Trudo sponte tradidit, potiti sunt Metenses Episcopi, donec anno Christi millesimo ducentesimo vicesimo-septimo Ioannes Præsul Metensis illud solemni commutatione in Hugonem Leodiensem Antistitem resignauit. Lege super ea re Chapeauillum in notis ad caput centesimum vicesimum-quintum Ægidij.

Hoc anno, cùm Floriacense Monasterium sancti Petri constructum esset, XXXII.
eidem loco primus Abbas præpositus est Rigomarus, si nostram Chronolo- RIGOMA-
giam ante biennium de primordiis Cœnobij Floriacensis benè stabiliuimus. RVS FIT
Leodebodus Abbas sancti Aniani ad muros Aurelianenses, postquàm agrum ABBAS
Floriacum * sibi comparauit, *nequaquam eundem locum diu vacare est passus,* FLORIAC.
inquit Aimoinus editionis Duchesnianæ, *sed ædificatis duabus Basilicis, vnâ in* * Fleury.
honore Apostolorum Principis Petri, aliâque in veneratione genitricis Dei Mariæ, mox etiam construxit habitacula Monachorum vsibus congrua, adunatísque quibusque nobilibus, vel etiam Deo seruire cupientibus, Abbatem instituit nomine Rigomarum. Verùm super hoc textu non leuis oboritur difficultas, quia in Testamento ipsiusmet Leodebodi, Floriacensium Basilicarum altera conditorem agnoscit Ioannem Floriacum, altera Leodebodum Abbatem; illa dedicata est beatissimæ Virgini, hæc Apostolorum Principi: illi præest Fulcaldus Abbas, huic alius à Fulcaldo planè diuersus. Sic autem Aimoinus cum Leodebodi Testamento conciliandus videtur. Leodebodus Abbas in agro Floriaco quem factâ commutatione à Clodoueo Rege acceperat, Basilicam in honorem sancti Petri construxit, eo deinde annuente Ioannes vir prædiues alteram Basilicam ædificauit in honorem beatissimæ Virginis, atque inde factum est vt Floriacenses Monachi duas diuiderentur in turmas, quarum altera laudes Dei in Ecclesia beatæ Mariæ, altera in Ecclesia S. Petri caneret. Tunc principalis erat Ecclesia beati Petri, & is qui Basilicam beatæ Virginis administrabat, quamuis Abbas dictus reperiatur, Abbati S. Petri suberat, vt insinuat vetus Author Testamento

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. 1. Leodebodi subiectus, à quo Leodebodus Monasterij sanctæ Mariæ, *quod Iohannes à fundamentis construxerat*, Abbas appellatur *habens sub se Fulchaldum nobilem virum*, quamquam existimamus Leodebodum soli Cœnobio sancti Aniani prope Auteliam præfuisse, & Floriacensi Abbates præposuisse, Rigomarum hoc anno; Mummolum post quinquennium. Hodie stat adhuc Floriacensis Ecclesia beatæ Mariæ Virginis, sed Ecclesiæ sancti Petri supersunt aliqua tantùm vestigia prope infirmariam domum, superædificatâ in illius loco ædiculâ. Leodebodus quam in Cœnobio sancti Aniani profitebatur, Regulam Floriacensibus Monachis præscripsit, in Monasterio autem sancti Aniani nec Regulam sancti Benedicti sequebatur, nec eam quam sanctus Columbanus instituerat, sed vnam ex plerisque aliis, quæ consueuerant in Gallicanis Monasteriis obseruari.

XXXIII. [a] Martyr. Gall. d. 1 Iun. GENESIVS EPISCOPVS ARVERN. Illis diebus Episcopatum Aruernensem regebat Genesius. *Hic* [a] *Senatoriâ editus stirpe, ab ineunte ætate & literis & pietate inclaruit, clericalique addictus militiæ, vita exemplaris vndequaque magna lumina prodidit, carnis strenuus domitor, assiduus diuinitatis cultor, pauperum amator ac sublevator indefessus, nam excipiendis peregrinis, operiendis nudis, alendis egenis, agrisque visitandis, iam tunc intensam impendit operam. Hinc obeunte diem Progolo Præsule Aruernensi, consonis omnium votis, in eius locum electus Antistes, quamquam Episcoporum etiam vicinorum iudicio dignissimus hoc honore decerneretur, sua designationi vir humilitatis & modestia singularis, totâ quâ potuit instantiâ repugnauit, Præsules, Clerum & plebem obnixè deprecatus, vt se remoto, qui tanto subeundo oneri impar suo iudicio esset, alium huic ferendo magis idoneum sublegere non grauarentur. Indicto Episcoporum auctoritate triduano ieiunio, à Deo supplicatum est, vt declarare dignaretur, an facta Genesij electio sibi grata esset, vel legitima ea, quâ ille designationem suam irritare satagebat, excusatio. Expleto pietatis officio, reuelatum est patenti indicio, Genesij delectum maximè Domino complacere. Igitur mox consecratus, ad Pontificatum per Præsules euectus est, in quo eâ se doctrinâ, virtute, integritate ac pietate gessit, vt Apostolici viri diuinique Pontificis ac Pastoris optimi mores vndequaque exhibuerit.*

XXXIV. Antequàm in Episcopum assumeretur, erat Archidiaconus, erudiebátque Præiectum Clericum, qui magnam expectationem de se concitabat. *Cùm Præiectus*, vt Author coæraneus in posteriore eius vita testatur, *polleret industriâ cantûs & littera, parentes illius eum Genesio Archidiacono studuerunt commendare, qui postmodum Aruernicâ vrbe Præsulatûs obtinuit dignitatem. Qui cùm vidisset natura nobilis puerum diligentiùs enutritum, priùs pecuniam ei credidit in alimoniam pauperum. Crescente postmodùm eruditionis indagine, suo eum frequentiùs faciebat interesse consilio. Cùmque bonis polleret moribus, à prædicto Pontifice Icciodorensi diæcesi* seu parochiæ *est prælatus. Cœpit itaque castitate fulgere, caritate vernare, ieiuniis insistere, orationibus incumbere, scripturarum volumina perscrutari, ac diebus Quadragesima secularium conuenticula declinare, cum domesticis tantùm fidei, & humilitatis parcimoniam frequentare, & eleemosynarum largitati vacare. Intereà Diaconus ordinatur. Cœpit autem cantu pollere, sapientiâ redundare, mellifluo eloquio fulgere, omni prudentiâ decoratus incedere, & quia non poterat Ecclesiæ lucerna abscondi sub medio, claritatis radios diffundebat, inclyto inserta candelabro. Nam passiones Martyrum, Cassij, Victorini, Anatoliani, & Astrebody, ac ceterorum sanctorum, qui in eadem vrbe sanguinem fuderunt pro Christo, gloriosè elucubrauit stylo.* Et nonnullis interiectis apud eundem Authorem hæc de copioso Martyrum Aruernensium numero reperiuntur. *Illo in tempore quo erga Christi cultores antiquæ persecutionis feruor incanduit, integram legionem virorum fidelium vnà cum coniugibus ac liberis carnifex cruentus extinxit.* In priore sancti Præiecti vita ab Authore æquè coæraneo scripta hæc quoque de prædictis Martyribus leguntur. *Opinio vera habetur, quòd in eadem vrbe*, nempe Aruerna, *sub paganis Principibus legio sancta occubuerit sanctorum, qui pro Christi nomine proprium ibi fuderunt sanguinem. Huius legionis Principes, Cassium & Vic-*

PRÆIECTVS DIACONVS SCRIBIT PASSIONES MARTYRVM.

torinum, Anatolianum quoque fuisse confirmat antiquitas. Fortè legionis vocabulum, quo illi Authores vsi sunt, induxit alios, vt in primo libro [a] de Ecclesiis & altaribus in Claromonte consistentibus sanctos ducentos supra sex millia sepultos in Ecclesia sancti Venerandi scriberent, & Idibus Maiis in Martyrologio Claromontensi Martyres ducentos sexaginta sex præter sex millia cum Cassio & Victorino consignarent. Ita enim Ecclesia sancti Venerandi commendatur. *In Ecclesia S. Venerandi, altare S. Iuliani & S. Basilica Antiochena, altare S. Quintini & S. Dionysij, altare S. Mariæ, vbi S. Venerandus, & S. Linguinus, & S. Nepotianus, & S. Auitus, & S. Clara, & alij sex millia ducenti in corpore quiescunt, quorum nomina Deus scit.* Et in Martyrologio Claromontensi hæc habentur, *Aruernis natalis SS. Cassij & Victorini Martyrum, cum aliis sex millibus* CCLXVI. *Idib. Maij.* Molanus in additionibus ad Vsuardum Idibus Maiis Martyres adscribit Cassium, Victorinum, Maximum, reliquósque collectiuo sociorum nomine complectitur, *apud Aruernum, sanctorum Martyrum, Cassij, Victorini, Maximi, & sociorum quorum actus scripsit Praiectus Episcopus.* In Martyrologio Romano elucubratio beati Præiecti omittitur, cetera Molano sunt conformia, *Aruernis, sanctorum Martyrum, Cassij, Victorini, Maximi & sociorum.* Saussaius sanctis Cassio & Victorino, quorum nomina in Martyrologio Claromontensi exprimuntur, adiecit sanctos Maximum, Anatholianum & Austremonium, trésque illos detraxit è numero qui sequebatur in Tabulis Claromontensibus, reliquam enim Martyrum turbam, quæ præter sex millia dicebatur fuisse ducentorum ac sexaginta sex, redegit ad ducentos sexaginta tres supra sex millia. Scipio in Africam traiecturus teste Liuio [b] *supplenit ita legiones, vt singulæ sena millia & ducenos pedites, trecenos haberent equites.* Numquam plures in vna legione milites fuerunt, vt Lipsius [c] in dialogismo de legione & eius augmentis firmissimè comprobat. Allusit ad hunc numerum præcitatus Anonymus, qui de Ecclesiis atque altaribus Claromontensibus scripsit, & ducentos sanctos supra sex millia sepultos in Ecclesia sancti Venerandi publicauit, ita tamen vt in illa sanctorum legione nec Cassium & Victorium comprehenderit, nec Anatolianum siue Antolianum, nec Astrebodium siue Astrebundium quem Sauaro & Saussaius Austremonium interpretantur. Cassium enim & Victorinum asseruit non in Ecclesia sancti Venerandi quiescere, sed in Ecclesia sancti Cassij quam sic commendauit [d]. *In Ecclesia S. Cassij, altare S. Petri, altare S. Iuliani, vbi S. Cassius, & S. Victorinus, & S. Leogontia, & S. Georgia quiescunt.* Deinde sanctum Antolianum sepultum dixit non in prædicta Ecclesia sancti Venerandi, sed in Ecclesia sancti Galli de qua sic locutus est [e]. *In Ecclesia sancti Galli, altare S. Mariæ, vbi requiescunt S. Gallus, & S. Vrbicus, & S. Antolianus, & S. Gerinaldus.* Austremonius verò seu Stremonius non Claromonte sed Iciodori sex leucis ab ipsa ciuitate Aruerna tumulum habuit, nam de Basilica Iciodorensi Gregorius Turonensis [f] ita disserit. *Per sanctum Stremonium, primùm Aruerna ciuitas verbum salutis accepit, eóque prædicante salutarem mundi redemptorémque omnium Christum Dei filium credere cœpit. Huius autem sepulchrum apud Iciodorensem vicum habetur, ad quod cruda rusticitas, licèt sciens quò requiesceret, nullum tamen illi exhibebat honoris cultum, post longinqua verò annorum curricula, Cautinus, qui ipsius Aruernæ vrbis Episcopus datus est, in Diaconatu suo Ecclesiam vici illius rexit. Igitur dum nocte quadam in lectulo cellulæ suæ, quæ huic Basilicæ adhærebat, decumberet, audiuit psallentium quasi parum resonantibus vocibus, & surgens vidit templum magno splendente lumine, & obstupefactus aspicit intrinsecus. Erat enim cellula illa in superiore contra fenestras templi, & vidit, & ecce circa tumulum multitudo albatorum tenentium cereos & psallentium. Quod diutissimè cernens cùm discessissent, statim facto mane iussit tumulum cancello vallari, ac palliolis nitentibus obuelari, præcepitque reuerentiam loco illi impendi. Ex hoc enim oratio super tumulum funditur, & auxilia Antistitis impetrantur.* Hæc ab ipsius Cautini ore audita iam descripsimus ad annum Christi quingentesimum quinquagesimum-quartum quo Cautinus ex Archidiacono crea-

AN. CH. 656.
CLOTAR. III. R. 1.

[a] Num. 12.
[b] L. 30.
[c] De milit. Rom. l. 2 d. 8.
[d] Lib. 1. n. 9.
[e] Lib. 1. n. 8.
[f] De gloria Conf. c. 30.

AN. CH. 656. CLOTAR. III. R. I.

tus est Episcopus. Non inficiamur multos Christianos in Aruerna ciuitate Martyrium passos esse cùm illac pertransiit Chrocus Alamannorum Rex, qui apud Gregorium Turonensem [a] *vniuersas Gallias peruagatur, cunctásque ædes, quæ antiquitus fabricata fuerant, à fundamentis subuertit. Veniens verò Aruernos*, &c. At numerum Martyrum ad sex millia ducentósque in vna vrbe excreuisse vix nobis persuademus, nisi fortè legio Romanorum militum Christiana, cùm idolis sacrificare nollet, illic Martyrium subierit, idémque Aruernis sub Valeriano & Gallieno Augustis contigerit, quod Agauni posteà sub Diocletiano & Maximiano, sed de Mauritio ceterísque Martyribus Agaunensibus Beda, Vsuardus, Ado, aliíque multi scripsere, de Aruernensibus non ita. Verùm esto, legio integra Martyrium in Aruerna ciuitate consummarit, vndenam Anonymus, qui priorem vitam beati Præiecti scripsit, accepit, Cassium, Victorinum & Anatolianum istius legionis Principes extitisse? Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum, capite tricesimo-quinto, testatur multos Christianos vtriusque sexûs in Basilica sancti Venerandi sepultos esse. *In Basilica*, inquit, *Sancti Venerandi, quæ Sancti Illidij est proxima, transuoluta cellula à parte occidentis fuit, in qua multa ex marmore Pario sepulchra sculpta sunt, in quibus nonnulli virorum sanctorum ac mulierum religiosarum quiescunt, vnde non ambigitur eos esse Christianos, quia ipsa Historiæ sepulchrorum de virtutibus Domini & Apostolorum eius exposita sunt.* Deinde proximum caput, in quo de eadem Basilica sermonem habet, sic orditur. *Sunt in hoc loco multa sepulchra, quæ, vt diximus, fidelium esse probantur*, clauditque his verbis, *sunt ibi, vt diximus, inlustrium meritorum viri, quorum nomina ignota incolis, scripta tamen, vt credimus, retinentur in cælis.* Nullum ibi de legione déque legionis Principibus aut etiam de Martyribus verbum. Tamen Anonymus, qui seculo post Gregorij mortem integro vitam sancti Præiecti scripsit, non videtur aliunde occasionem sumpsisse legionis effingendæ, quam Gregorius Aruernus & Aruernarum rerum scientissimus ignorarat. Alter Anonymus, qui de Ecclesiis & altaribus Claromontensibus scripsit, asseruit [b] posteà in Ecclesia sancti Venerandi cum ipsomet sancto Venerando, sancto Linguino, sancto Nepotiano, sancto Auito & sancta Clara quiescere ducentos Sanctos supra sex millia *quorum nomina Deus scit*, nec mortis aut Martyrij genus perstrinxit. Author Martyrologij Claromontensis, Idibus Maiis, Cassio ac Victorino Aruernæ ciuitatis antiquissimis clarissimísque Martyribus adiecit sex millia sociorum cum ducentis sexaginta-sex; à quibus Saussaius in Appendice ad Martyrologium Gallicanum prædictos sexies mille ducentósque seu Martyres seu Confessores, in Ecclesia sancti Venerandi sepultos, distinxit. Claromontensium gloriæ non inuidemus, fatemur in eorum ciuitate quiescere copiosum Sanctorum numerum, sed ex solo Gregorij Turonensis textu, quem de sepulchris in Basilica sancti Venerandi positis recitauimus, quis vnquam Fastis Gallicanis ascriptum iri putasset Sanctos quadringentos sexaginta-sex supra duodecim millia? Quòd autem Saussaius haud aliâ quàm Gregorianâ nitatur authoritate, constat ex verbis prædictæ Appendicis sub litera S. *Sex mille ducenti, Martyres nescitur an Confessores, Aruernis sepulti sunt in Ecclesia Sancti Venerandi, quorum nomina ignota incolis, scripta tamen vt credimus (ait Gregorius) retinentur in cælis. Hi beati numerantur inter patronos Ecclesiæ Claromontanæ in censuali libro ante annos ferè 700. conscripto de Sanctis & Ecclesiis Claromontij.* Nonne his vocibus, quas à Gregorio se mutuatum dicit, *quorum nomina ignota incolis, scripta tamen vt credimus retinentur in cælis*, satis ostendit se non aliis de Sanctis loqui quàm de quibus Gregorius sermonem facit in libro de gloria Confessorum, capite tricesimo-sexto? cúmque addit eorumdem Sanctorum mentionem fieri *in censuali libro ante annos ferè 700. conscripto de Sanctis & Ecclesiis Claromontij*, nonne declarat Sanctos, de quibus Gregorius loco proximè citato loquitur, sibi non alios videri ab iis quos in Ecclesia sancti Venerandi sepultos ait Anonymus libro primo de Ecclesiis & altaribus in Claromonte consistentibus?

[a] Lib. 2. c. 30.

[b] Lib. 1. n. 10.

ſiſtentibus? neque enim cenſualis ille liber, quem ante annos ferè ſeptingentos de Sanctis & Eccleſiis Claromontij conſcriptum dicit, alius haberi poteſt ab eo quem ex ſcrinijs ſancti Illidij & ſanctæ Mariæ Portuenſis Ioannes Sauaro publici iuris fecit cum hoc titulo, *de Eccleſiis & altaribus quæ in Claromonte conſiſtunt*, & anno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo exaratum putauit, nam ab illo anno vſque ad annum Chriſti milleſimum ſexcenteſimum triceſimum-ſeptimum, quo Andreas Sauſſaius tum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Protonotarius & Eccleſiæ Sanctorum Lupi & Ægidij in Pariſina ciuitate Paſtor, hodie Tullenſium Epiſcopus, Martyrologium Gallicanum cum Supplemento, Corollario & Appendice in lucem emiſit, effluxerunt anni ferè ſeptingenti. Idem Sauſſaius ad Idus Maias, ſanctorum Caſſij & Victorini, Sociorúmque, quorum numerum ad ducentos ſexaginta-ſex ſupra ſex millia producit, *ſacra cadauera partim in loco vbi nunc cernitur Sancti Caſſij Eccleſia, partim vbi poſteà constructa facta fuit Sancti Venerandi ædes, conſepulta* tradit. Hoc pacto, de Martyrum numero cum Martyrologio Claromontenſi conſentit, & de Baſilicis, in quibus ſepulti fuerunt, conuenit cum libro de Eccleſiis & altaribus Claromontenſibus, itaut ſibi non conſtet, & Martyres, de quibus Author Martyrologij Claromontenſis agit Idibus Maiis, confundat cum Sanctis ſeu Martyribus ſeu Confeſſoribus in Baſilica ſancti Venerandi quieſcentibus, quos in Appendice ad Martyrologium Gallicanum diuerſos à prædictis Martyribus eſſe contendit. Vt huic diſſertatiunculæ finem tandem imponamus, ſententiam noſtram paucis explicabimus. Aruerna ciuitas multis illuſtrata fuit Martyribus, quorum anteſignani fuerunt Caſſius, Victorinus, Antolianus, & Liminius, multíſque aliis Sanctis de quibus dubium eſt an Martyres aut Confeſſores obierint. Præiectus Diaconus paſſiones ſanctorum, Caſſij, Victorini, Antoliani ſociorúmque deſcripſit: Caſſius & Victorinus quieſcunt in Eccleſia ſancti Caſſij, coluntúrque Idibus Maiis: Antolianus colitur octauo Idus Februarias, ſepultúſque fuit in Eccleſia, quæ ſancti Galli nomen gerebat, cùm Anonymus ſæpè iam laudatus ſcribebat de Eccleſiis & altaribus Claromontenſibus. Poſterior Anonymus qui vitam ſancti Præiecti in literas retulit, ſanctis Martyribus, Caſſio, Victorino & Antoliano, adiecit Aſtrebodium ſiue Aſtrebundium, quem Sauaro & Sauſſaius Auſtremonium interpretantur, ſed ex Stremonio ſiue Auſtremonio in vita ſancti Præiecti per librariorum incuriam factum fuiſſe Aſtrebodium ſiue Aſtrebundium nihil ſuadet, arbitramur potiùs Præiectum Diaconum, omiſsâ ſancti Stremonij Confeſſoris, qui primùm Iciodori ſepultus fuerat, vitâ, totum fuiſſe in deſcribendis agonibus Aruernorum Martyrum, inter quos Caſſius, Victorinus, Antolianus & Aſtrebodius præ ceteris enitebant. Gregorius Turonenſis [a] Stremonium inter Confeſſores non inter Martyres annumerat. *Turonicis*, inquit, *Gatianus Epiſcopus: Arelatenſibus, Trophimus Epiſcopus: Narbonæ, Paulus Epiſcopus: Tholoſæ, Saturninus Epiſcopus: Pariſiacis, Dionyſius Epiſcopus: Aruernis, Stremonius Epiſcopus: Lemouicinis, Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus. De his verò, beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, diuerſis pro Chriſti nomine adfectus pœnis, præſentem vitam gladio imminente finiuit. Saturninus tauri furentis veſtigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus vitam finiuit. Gratianus verò, Trophimus, Stremoniúſque, & Paulus, atque Martialis, in ſumma Sanctitate viuentes, poſt acquiſitos Eccleſiæ populos, ac fidem Chriſti per omnia dilatatam, felici confeſſione migrarunt. Et ſic tam iſti per Martyrium, quàm hi per Confeſſionem, relinquentes terras, in cæleſtibus pariter ſunt coniuncti.* Hic Author longè potiorem meretur fidem quàm recentior à Philippo [b] Labbeo publicatus ex Codice Lerinenſis Eccleſiæ, qui ſanctum Auſtremonium Iciodori quidem ſepultum fatetur, ſed prope illum vicum ad Elauerem amnem Martyrio coronatum contendit. De Maximo Martyre, qui apud Molanum & in Martyrologiis Romano ac Gallicano cum Caſſio & Victorino Idibus Maiis inſcribitur, nihil alibi reperimus. Cur prædictis Martyribus Liminius, quamuis à Gregorio laudatus, haud accenſeatur, rationem elicere potes ex ſequenti-

[a] Lib. 1. cap. 28.

[b] Tom. 2. Bibl.

fis, annus Clotarij Regis; ceteræ notæ sunt expungendæ, quia Donatus Episcopus, qui Concilio Remensi [a] subscripsit, & teste Chiffletio [b] *annos plùs minùs viginti-octo* sedit, priùs obierat, & in publicis instrumentis nondum adhiberi consueuerant Indictio & annus ab Incarnatione Domini. AN. CH. 656.

[a] Flodoard. l. 2. c. 5

[b] In H ſt. Vesont p. 2. c. 25.

ANNVS CHRISTI 657.

CLOTARII III. R. 2.

657. CLOTAR. III. R. 2.

I. ANNO Christi sexcentesimo quinquagesimo-septimo, siue anno secundo Clotarij Regis, vt Bollandus [c] in commentario vitæ Sancti Amandi præfixo scribit, ad Deum migrauit Sanctus Florbertus Gandensium Monasteriorum Abbas. Hic Authot annum Clotarij Regis secundum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto perperam illigat, integro enim septennio differt à recta Chronologia, quia Fredegarium malè interpretatur, & annos sexdecim, quos Dagoberto Regi Fredegarius attribuit, non à die quo Rex Austrasiæ renuntiatus est à patre, sed ab obitu Clotarij patris auspicatur. Molanus in additionibus ad Vsuardum Kalendis Nouembris, ex Martyrologio Blandiniensis Ecclesiæ, memoriam Sancti Florberti sic commendat. *In Blandinio Depositio Sanctissimi Patris nostri Florberti primi Abbatis Cœnoby Blandiniensis.* Eius tamen mortem octauo Idus Octobris contigisse scribit Auctor Chronici Gandensis à Miræo citatus in Fastis Belgicis [d].

[c] D. 6 Febr.

FLORBERTVS ABBAS MONASTERIORVM GANDENSIVM OBIT.

[d] D. 1. Nou.

II. Mortuo Sancto Florberto Abbate, Monasteria Gandensia, quorum vnum vsitatiori vocabulo Gandense, alterum Blandiniense nuncupabatur, non vni deinceps Abbati sed duobus paruerunt, Sancto Amando singulis Cœnobiis singulos Abbates præficiente, Gandensi Aldebertum, Blandiniensi Ioannem, qui decimo quinto Kalendas Maias, anno secundo Theodorici Regis, ipsius Amandi testamento subscripserunt. Monachi Blandinienses eundem Amandum in Abbatem exposcebant, sed hic Elnonem relinquere noluit, cuius præcipuè regimini tunc incumbebat. Id obseruat Philippus [e] Haruengius. Ioannem autem sic commendat Auctor Actorum ex Archiuo Blandiniensi à Sandero editorum. *Cœpit tunc temporis, Gandensis pagi territorium, quod primò Apostolicus Pater Amandus velut cælestis agricola excoluit, & vomere verbi diuini exarauit, sub sanctissimo Patre atque successore suo Ioanne ramos germinis expandere, & fructus vitæ perpetuæ facere.*

ALDEBERTVS ABBAS GANDENSIS.

[e] In vit. sancti Amandi.

IOANNES ABBAS BLANDINIENSIS.

III. Hisce temporibus, *postquàm venerabilis Waldetrudis*, cuius anno superiori meminimus, *cunctis quæ mundi sunt abdicatis*, vt in Actis sororis Aldegundis legitur, *se contemplatiuæ vitæ commiserat, misit literas Bertiliæ matri obsecrans vt sibi destinaretur soror Aldegundis consolationis gratiâ, & quantocyùs rediret. Quod audiens mater actutum præbuit assensum dirigens filiam ad consolandum sororem. Nam & eiusdem Waldetrudis votum erat, vt germana Aldegundis sacrum susciperet velamen, curam adhiberet sororum inibi inhabitantium, nulli dubium, quin operante id Spiritu Sancto, vt quibus inerat vna mens placendi Christo, esset & communis habitatio in hoc mundo.* Aldegundis consilium matris nuptias suadentis iam respuerat, ideóque facilè confirmari potuit à sorore in proposito seruandæ virginitatis. Ad id etiam impulsa videbatur diuinis visionibus, quas idem Author vitæ sic describit in Codice Audomarensi. *Quadam nocte audit sibi per visionem promitti inæstimabiles diuitias. Has Virgo Christi primò æstimat sibi terrenas polliceri, sed illicò in spiritu cognoscit cælestes sibi deberi. Intuetur quoque in visione, quasi in sublime raperetur, & hortaretur ab aliquo caduca postponere, vt nullo impediente sæculi timore, faciliùs posset cælestia adipisci. Deinde audit*

ALDEGVNDIS ADIT WALDETRVDEM SOROREM.

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

vocem sibi dicentem. Non tibi alium quæras sponsum, quàm filium Dei. Cernit insuper in visu Christum in specie pueri speciosissimi afferentem sibi stolam candidam, palmámque victoriæ dedisse. Audiuit quoque futuram se sociam Sanctorum. Adspicit interea diabolum de sua tristem electione. Angelus quoque Domini hortatur illam perseuerare in virginitate, & se longè facere a seculo. Talibus fulta præsidiis & fisa consolationibus, quod corpore nondum valebat, animo perficere satagebat; abdicat sæculum inimicum, volens illum habere amicum qui fecit mundum. Tum deinde quò perfectior perstat in fide, ac perseuerat in caritate, eò cæpit maiora in specie contemplari. Apparet siquidem ei puella veniens de itinere, & dicit ad illam. Soror mea Aldegundis, Dei genitrix S. Maria misit me ad te, vt postules quod vis. At illa sine mora cum magna alacritate animi respondit se id desiderare quod Dominus vellet, Christíque voluntatem in se fieri præoptat. Nihilominùs videt B. Petrum Apostolum admonere se de regno Dei. Conspicit etiam Christum in specie Solis & Lunæ in figura Regni Dei, quod nemo potest accipere nisi immaculatâ animâ & corpore. Aliquando rapitur inter choros cælestium, ibíque ad illam adducuntur duo viri, quorum vnùs, vt ipsi fassi sunt, iam acceperat coronam, alter autem non. Audit præthereà pro meritorum qualitate singulos sua recipere præmia. Author quia paulò remotior erat ab Aldegundis ætate, præmisit eiusmodi visionibus hanc præfationem, quâ testatus est se nihil narraturum, quod ipsamet Aldegundis & Monachus eius æqualis anteà non scripsissent. *Nunc*, inquit, *veniendum est ad visiones quæ sibi apparuerant, dum adhuc conuersaretur in laribus paternis, quas ipsa descripserat & tradiderat cuidam religioso Abbati, nomine Sobino, de Monasterio Niuellensi, & alteri fratri, cuius nomen ignoramus, quíque scripsit visiones eius & vitam, ne quis dicat nostro mendacio compositas tam mirabiles & penè inauditas visiones.*

IV. REDIT AD MATREM.

Anonymus, qui vitam sancti Gisleni literis consignauit, ipsum Gislenum tradit authorem fuisse Waldetrudi, vt Aldegundem sororem ad se vocaret. Ambæ sorores diu simul haud manserunt, nam Bertilia illarum mater Aldegundem domum redire præcepit. *Non multùm elapsum est temporis*, inquit Hucbaldus in vita sanctæ Aldegundis, *& ecce mater illarum, fœmineâ suspecta sollicitudine, ne filia sua virginis animum soror eius alienaret à seculo, sacrúmque velamen illam suscipere persuaderet, mittit ad Monasterium, reuocat ad se filiam virginem. Beata Waldetrudis inuita quidem remittit sororem, ne matrem offendat, sed obnixè deprecando exhortatur eam vt à seculo faciat se prorsus alienam, immortali se præpararet sponso, quàm citiùs valeret, ad Cœnobium reuertatur. Illa mœsta valefaciens sorori, reuertitur ad matrem, quæ tunc morabatur in prædio suo, quod nuncupatur Curtissolra, condecentem reuerentiam exhibet matri, humiliat se ad pedes eius, deprecatur cum lacrymis, vt in habitaculo, quod erat iuxta Ecclesiam, sibi daret licentiam habitandi, dicens, non sibi congruum inter viros ac mulieres seculares conuersari. Memorat etiam genitrici suæ, quàm sanctè quàm religiosè soror sua Waldetrudis in Monasterio se haberet, qualiter ancillas Christi de seculo conuersas instruendo moneret, quàm sublimia quotidie de regno cælorum admonens edoceret. Dum talia matri virgo referret, & ea matri grata satis æstimaret, illa non modò sibi non placita, sed etiam multùm onerosa demonstrans, irata comminata est ei plagas, si de talibus vltrà sibi facere sermonem auderet. Virgo sapiens non solùm illius minas patienter sustinuit, sed etiam verbera sustinere parata, prudenter siluit. Mater autem optima linteamina proferens, filiæ tradidit, & vt inde sponsalia sibi vestimenta præpararet imperauit, disponens eam in proximo nobili cuidam iuueni lege nuptiarum copulari. Virgo linteamina suscipit, domunculam secus Oratorium, quam à matre impetrauerat, ingreditur, vestes ad vsus baptizatorum in nomine sanctæ Trinitatis, piâ fraude componit, corpúsque suum vehementer affligens, die noctúque Dominum cum lacrymis deprecatur, ne à societate sanctarum virginum alienaretur, nec alij sponso quàm Domino Christo sociaretur. Exaudiuntur preces virginis; nuptiæ, quas intra quindecim dies mater filiæ parabat, differuntur; iuuenis, cui despondere parabat, ne veniret per multos dies præpeditur. Intereà beatissima virgo,*

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

cuius iam inhaserat menti calestium spes, omnísque rerum cum mundo ruiturarum abiectio, non immemor quia bonis moribus aliquando corruptelam confert malorum collocutio, matris ad horam se subtrahere furtim deliberauit collegio, illius quem sibi sponsum patrémque delegerat ductu confisa & sodalitio. Fugiens igitur virgo Christi ad cuiusdam fluminis, quod Sambra dicitur, ripam deuenit, nusquámque nauigium, quo vltra flumen transuehi posset, adesse conspiciens, in supremo fluuij margine constitit. Crucis Dominica signo corpus suum vndique muniuit, sícque piè de Domino prasumens, vndas fluminis vt iter solidum conscendit. Graditur super aquas, dextram leuámque Angelicis spiritibus sustentantibus, extremis vestium fimbriis nec inundationem fluminis contingentibus. Postquàm igitur sacra virgo in vlteriori fluminis ripa constitit, Domino gratiarum actiones reddidit, cuius gratiâ quod natura repugnat & potuit & fecit. Deinde Dominum humiliter exorans, vt suum in bono dirigeret propositum, in quemdam locum multimodis arbustorum generibus incultum, quem sortis hereditaria iure parentes eius contra sanctissimam Gertrudem, suam videlicet neptem, possederant, deuenit, in quo breuissimam Ecclesiolam eradicatâ veprium non minimâ quantitate construxit. Eius parentes Walbertus & Bertilia in viuis adhuc supererant. *Pater pius in animo reputans hanc esse in filia dextera Excelsi mutationem, diuinâ id operante gratiâ, non minimam doloris percepit releuationem, Domino commendans propositi filia principium & finem. Mater verò filiam ac si mortuam lugens tanto dolore afficiebatur, vt vsque ad diuisionem corporis & anima periclitaretur. Videns autem superna bonitatis clementia benignam matrem absentiam filia vltra modum grauiter ferre, ipsius immisit pectori desiderium videndi filiam, cuius non leuiter pati poterat absentiam. Assumptis igitur comitibus nonnullis properat filiam inuisere, cuius aduentu filia quanto exultauit gaudio non est nostra possibilitatis euoluere. Suscipiens itaque matrem filia, post salutationes & oscula cum dilectione caritatis exhibita monet, hortatúrque piam matrem vt penitus spernat terrestria, appetat calestia, amicósque sibi faciat ex iniquitatis mammona, à quibus in aterna recipi possit tabernacula. Videns igitur felix mater meliorem sibi viam elegisse filiam, qua iure hareditario ipsi debita proposuerat ad virginitatis corruptelam conferre, ad incorruptionis gloriam properat concedere, à Christo centuplum receptura, vitámque aternam insuper in aterna beatitudine. Igitur vtriusque sexûs familia à pia matre filia fit absque mora traditio, pradiorum syluarúmque traditur non minima possessio, cuius rei testamento fit coram omnibus confirmatio. Gaudet filia matrem sua Domino tradidisse, latatur mater filiam in maritali copula non sibi paruisse. Sic vtrimque latatur mater de filia, & filia de matre.* Walbertus haud diu superuixit, sepultus est in villa sua, quam alij Curtem * Solram seu Salram, alij Crisoriam seu Cursorium * vocant. In Litaniis Ecclesiarum Mechliniensis *, Montensis, Malbodiensis & Sonegiensis inuocatur; quiescítque etiamnum in capsa lignea deaurata Cursorij, qui pagus est Hannoniæ inter Malbodium & Bellum * Montem, vt Miræus in fastis Belgicis[a], & Vinchantius in Annalibus Hannonicis[b] obseruarunt.

RENVNTIAT SECVLO. CONSTRVIT ECCLESIOLAM. VISITATVR A MATRE. PATREM AMITTIT.

* *Courtsore.*
* *Couffor.*
* *De Malines.*
* *Beaumont.*
[a] D. 7. Sept.
[b] L. 3. c. 5.

V. AGRICOLVS FIT ARCHIDIAC. AVENION.

Agricolus, cum *annos sexdecim*, vt Author vitæ scribit, in Monasterio Lerinensi, summâ morum integritate vitæque sanctitate transegisset, Archidiaconatûs officium obire coactus est vrgente patre suo Magno, qui tunc Ecclesiæ Auenionensi præerat. Quot annis Agricolus Archidiaconatum gesserit, haud proditur. Author vitæ & Barralis in suis annotationibus nullum Archidiaconatui tempus relinquunt, Agricolum enim volunt anno ætatis tricesimo promotum ad Episcopatum fuisse, postquàm secessisset in Lerinensem insulam annum agens decimum quartum, ibique sexdecim annos vixisset. Nos verò ne videremur in eundem scopulum incidisse, ortum Agricoli anticipauimus integro triennio. Ad hoc præcipuè nos impulit pugnantium inter se Characterum Chronologicorum discordia, neque enim Clotarij Secundi Principatus, sub quo natum Agricolum perhibent, illigari potest anno Christi tricesimo supra sexcentesimum.

VI.

Ad Clotarij Tertij tempora peruenit Sigirannus Abbas. Id ex Abbatis De-

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

[a] L. 2. obseru. d. 19. Oct.
[b] Tom. 2. Biblioth.
* La Claise.
* De Blaye.
* S. Siran.

SIGIRANNVS ABBAS OBIT.

DESIDERIVS EIVS DISCIPVLVS.

siderij vita, quam Menardus [a] & Labbeus [b] publicarunt, apertè colligimus. Sigirannus enim qui iuxta fluuium Clasim * in Diœcesi Biturica Longoretense Monasterium anno Christi sexcentesimo quadragesimo inchoauit, illic in album Monachorum adscripsit Desiderium territorij Blauianensis * adolescentem, qoem posteà Presbyterum ordinari permisit, præfecitque sodalibus, quos in partes Nirsaniæ transmiserat ad Oratorium, quod in loco cui nomen Ruitiacus in eodem Episcopatu nuper in honorem beatissimæ Virginis & Sancti Galli consecrarat. Quæ suis locis de Sigiranni Abbatis ætate, déque Sigelaici patris Pontificatu diximus, satis persuadent Sanctum Sigirannom è viuis excessisse regnante Clotatio Tertio. Migrauit ad Deum pridie Nonas Decembris, quo die celebris est eius memoria, & Longoretense Monasterium vbi obiit Abbatia Sancti * Sigiranni hodie nuncupatur. Ei superstes vixit Desidetius discipulus. Hic postquàm Monachis Ruitiaci degentibus præfuit, in honorem Sancti Martini construxit Oratorium, ac posteà in cellula se inclusit vt à turba semotus nullo prohibente se rotum ad rerum diuinarum contemplationem adiungeret. Quod vix assecutus est, quia tantæ virtutis splendor suo se indicio prodebat. Plurimi eum adibant vt ad Dei amorem diuinis eius sermonibus inflammarentur, pecuniam ei etiam conferebant quam statim pauperibus erogabat. Vitam adeò sanctam & ab humana consuetudine tam seiunctam miracula secuta sunt quæ recitantur ab Authoribus suprà laudatis.

VII.

FERREOLVS EPISC. AVGVSTOD. OBIT.

CONTENTIO DE PONTIFICATV.

Hoc anno, Clotarij Regis secundo, Ferreolus Augustodunensis Episcopus obiit, vacauit enim Episcopatus *penè biennio*, teste Anonymo in vita S. Leodegarij, & Vrsinus ipsum Leodegarium Ecclesiæ Augustodunensi præpositum fuisse anno Clotarij Regis quarto non obscurè docet, dum asserit Clotarium, qui Leodegarium promouerat, è viuis excessisse, postquàm Leodegarius Pontificali munere per annos decem strenuè functus esset, nam Clotarius annos regnauit quatuordecim, vt in illius obitu probabimus. Durante autem interpontificio quàm luctuosa fuerit Augustodunensis Ecclesiæ facies, colliges ex hac narratione Authoris anonymi iam laudati. *Inter duos contentio de eodem Episcopatu exorta fuerat, & vsque ad sanguinis effusionem certatum. Cúmque vnus ibidem occubuisset in morte, & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilij trusionem, tunc Balthildis Regina, quæ cum Clothario filio Francorum regebat Palatium, diuino, vt credimus, inspirata consilio, ad memoratam vrbem*, nempe Augustodunensem, *hunc direxit virum* Leodegarium, *vt ibidem esset Episcopus, quatinus & Ecclesiam quæ penè biennio iam quasi viduata in seculi fluctibus remanserat, huius gubernatione vel fortitudine teneretur, & ab his quibus impugnabatur defensaretur.* Agemus de Leodegarij Pontificatu post biennium. Interim obserua illum circa hæc tempora, postquàm Cœnobium sancti Maxentij *sex fere annis* gubernasset, in Palatium Clotarij Regis venisse, permittente auunculo Didone Pictauensi Episcopo, qui post Childeberti Pseudoregis & Grimoaldi Maioris domûs exauctorationem in gratiam cum regia familia redierat. *Per id tempus, minor Clotarius Rex*, inquit Vrsinus in eiudem Leodegarij vita, *cum Baldechilde sua matre Regni Francorum habenas moderabatur. Qui cùm eius prudentiam auditione accepissent, cupierúntque eum apud se in Palatio habere, petierunt ab Episcopo, vt ei faceret copiam cum ipsis in Palatio manendi. Episcopus statim iussa complens, magnis rebus instructum, & sapientia floribus redimitum, eum misit ad illos, qui eum sanè honorificè acceperunt. Ille verò intra paucos dies virtute & integritate suâ, sermonísque comitate id consequutus est, vt Rex & Regina, & plerique Pontifices eum præcipuè charum haberent, consensúque omnium maximè Francorum, Episcopi functione dignus proclamaretur.*

LEODEGARIVS IN AVLA REGIA.

VIII.

FRODOBERTVS OBTINET PRÆCEPTVM REG. PRO COENOB. INS. GERM.

Hoc eodem anno, Clotarij Regis secundo, Frodobertus, cui Clodoueus Rex pro condendo Monasterio *locum quendam palustrem in suburbio Trecasinæ vrbis, qui antiquo ritu Insula Germanica vocabatur*, ante aliquot annos concesserat, aliud approbationis ac confirmationis obtinuit Diploma, quod ex ipsius Cœnobij Chartario sic publicauit Camuzatus in Sacris Antiquitatibus Diœce-

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

ſeos Tricaſſinæ. *Clotarius Rex Francorum vir illuſter. Regiâ conſuetudine, ſi iuſtis petitionibus Sacerdotum .... noſtris auribus fuerint prolata, perducimus ad effectum. Igitur Frodobertus Monachus ad noſtram acceßit præſentiam, Clementiæ Regni noſtri ſuggeßit. Eò quòd bonæ memoriæ Domnus & genitor Clodoueus quondam Rex per ſuam authoritatem ſuâ manu ſubſcriptam, locello nuncupato Inſula Germanica qui paludis eſſe videtur in ſuburbano Trecaßium ciuitatis ipſius, Frodoberto Monacho, vbi Monachuli ſub ſancta Regula ad cellulam quam ſuo opere inibi conſtruxit, bono crea decem* (lege bunuaria decem) *de ipſa Inſula, quod pars fiſci eſſe videtur, eidem conceßiſſet, vnde & ceßionem ipſius Principis ſuâ manu ſubſcriptam, ſe præ manibus habere adfirmat, & rem iſto tempore præſente, quieto ordine adſerit poßidere vel dominari. Sed pro totius rei firmitate petiit conſuetudinem noſtri, vt hoc noſtrum Præceptum in idipſum pleniùs confirmare deberemus. Cuius petitionem pro reuerentia Sanctorum Domnorum, prompto animo præſtitiſſe vel confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim vt ſicut ab ipſo Domno & genitore noſtro, prædicto Frodoberto, ipſa bono crea* (Bollandus legit [a] *bonaria*, Camuzatus *bonas acras*, nos *bunuaria* reponimus, eſt enim bunuarium menſura quædam terræ, vt alio loco diximus [b]) *de terra in ſupraſcripto loco legaliter ad ipſam cellam vbi conſtructa eſſe videtur fuerunt conceſſa, & hoc præſente tempore ſubſcripti Monachi inibi poßidere vel dominari videntur, inſpectâ ipsâ ceßione ſuperiùs ſcripti Principis, per noſtrum Præceptum pleniùs confirmatum, ad ipſum ſanctum locum, vel ad Monachulos ſuos, qui ibidem deſeruire videntur, perenniter proficiat ad augmentum. Et vt hæc Præceptio firmior habeatur, nos & præcelſa Domna & genitrix noſtra Bathildis manus noſtræ ſignaculis ſubter eam decreuimus adfirmare. Signum præcelſæ Domnæ Batildis Reginæ. Rado obt.*

[a] In not. ad vit. S. Frodoberti d. 8 Ian.
[b] An. 642. n. 41.

IX. Præceptorum à Clodoueo & Clotario Regibus emiſſorum meminit in ſancti Frodoberti vita Scriptor editus à Camuzato. *Diuino*, inquit, *aſpirante conſilio Regiam profectus ad aulam, munificentiâ Clodouei illuſtris quondam Regis Francorum, locum quendam paluſtrem in ſuburbio Trecaßinæ vrbis obtinuit, qui antiquo ritu Inſula Germanica vocabatur. Deinceps verò poſt deceſſum Clodouei, filium eius Clotarium ſecundo anno regni eius expetens, annuente venerabili Batilde Reginâ, eiuſdem Clotarij matre, ſuper præfato loco, Priuilegium Regiæ authoritatis denuò meruit adipiſci.* Deinde ſitum & incunabula Cœnobij à Frodoberto conditi ſic exponit. *Erat locus idem partium quidem fiſci, tamen vt dictum eſt paludibus refluens ac crebrâ lacunarum eruptione ſcaturiens, arbuſtiſque refertus ſylueſtribus, beſtiarum potiùs ac ſerpentum, quàm hominum frequentia compe.ebat. His itaque Regum auctoritatibus inſtructus, quódque eſt maximum ſuperno auxilio roboratus, horribiles loci ſqualores expetiit, datâque principali operâ, virgultis erutis, lacubúſque ſiccatis, ſpatium habitationi congruum præparauit. Ibi cellulâ Oratorióque Frodoberto conſtructo, cum paucis primò quidem fratribus ſolitarius vixit diuinæ contemplationi deditus, & Angelicis ſemper actionibus occupatus. Inclytus ergo Frodobertus iam tunc cœpit amplificare ſibi ſuiſque conceſſum habitationis locum, patrimonij ſui quæcumque fuerunt prædia poſſeßionéſque ex integro in commune inibi contradens, & quæſtum copioſum ſeruorum, ancillarum, agrorum præterea & vinearum ſub teſtamentis quæ hactenus habentur dato pretio inſtantiſſimè acquirens. Sed & mox parentes illius viri beati, largißimas ei rerum gazarúmque ſuarum condonauerunt portiones, inſtrumentis ex lege ritè perfectis. Proceſſu verò temporis, locus idem religioſorum frequentiâ in robur incrementi conualuit, nobiliúmque eò confluentium largitate ditatus, rerum ac poſſeßionum terminos dilatauit. Sed & Congregationis Monaſticæ numerus in dies copioſè ſuccreſcens, nobile ac famoſum reddidit vſquequaque Cœnobium.*

CONGREGAT MVLTOS MONACHOS.

X. Landelinus Cameracenſis Preſbyter, qui prima Laubacenſis Monaſterij fundamenta iecit exeunte Clodouei Principatu, laudatur ab Auctore vitæ manuſcriptæ non ſemel iam citato, quòd antequàm prænominatum Cœnobium abſoluiſſet, alia duo conſtruxerit, Alnenſe videlicet & Waſlerenſe, quorum incunabula procul ab hiſce temporibus haud videntur reiicienda. *Conſtruxit*

LANDELINVS CONDIT DVO MONASTERIA.

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

etiam & aliud Monasterium in pago Sambrao nomine Alnao, discretum à Laubaco iuxta Sambram tribus millibus, quod fulget Principis Apostolorum sacris pignoribus, ac munitur praclaris eius virtutibus. Tertium quoque adificauit Cœnobium Templutensi pago, Gwastaris dictum, disparatum octo leucis à Lauby primitiuo suo Monasterio, quod, vt superiora, claui geri Regis superni, Sancti scilicet Petri, consecrari fecit nomine atque sanctitate. Horum quidem duorum magnis ditauit commerciis habitacula, sed Laubias Regiis honorauit muneribus, ac villarum famulorúmque copiâ repleuit. Agemus inferiùs sub Theodorico Rege de Cœnobio Crispiniensi, quod opus Landelini postremum fuit. Interim redargue Fulcuinum Abbatem, qui prædictorum Monasteriorum Alnensis & Wasserensis conditorem non Landelinum sed Vrsmarum statuit capite quarto de Gestis Abbatum Lobiensium.

XI. Alnensis * Monasterij situm ac nomen sic exponit Fisenus [a] in Floribus Ecclesiæ Leodiensis. *Secutus Sabim amnem Landelinus tribus passuum milliaribus descendit ad locum alnis consitum, vnde & illi nomen Alna. Secundum hic posuit Monasterium.* Et Miræus [b] in illis Cœnobij foribus hos versus marmori testatur insculptos esse.

* *Aulne.* [a] D. 15. Iun. ALNENSE. [b] In Fast. Belg. d. 15. Iun.

Has Landelinus sedes erexit, & Alna
Imposuit clarum vicinis nomen ab alnis.

XII. Quod attinet ad Cœnobium Wasserense. *In villa Wastero*, inquit Baldericus [c] in Chronico Cameracensi, *Beatus Landelinus Monasterium ad paucos fratres condidit, cui Sanctum Dodonem bona memoria virum prafecit. His sacris moribus cluens, vita innocentiam duxit, & deposito onere fragilitatis ibidem feliciter in pace quiescit.* Sancti Dodonis Abbatis memoria celebratur sexto Kalendas Nouembres. Monasterium Wasserense * à fluuio Wassero præterlabente sic dictum, olim in sylua Fania versus Theorasciam * situm fuisse, sed prorsus dirutum nunc iacere scribit Coluenerius in notis ad Baldericum. Alij minùs peritè volunt Wasserense Monasterium secundo lapide à Valentianis quondam stetisse, vbi nunc pagus *Waler* visitur. Corpus verò sancti Dodonis hodie quiescit in Prioratu Laubiensis Abbatiæ, qui vulgò Monasterium * in Fania nuncupatur teste Miræo in Fastis Belgicis [d].

[c] L. 2. c. 33. ET WASLERENSE. * *Walers.* * *La Tierasche.* * *Moustier en Faigne.* [d] D. 15. Iun. & d. 27. Oct.

XIII. Ad hæc eadem tempora referri debent & incunabula Monasterij Corbeiensis ad Somonam, quod Batildis Regina construxit, administrandúmque suscepit Theudofredus Luxouiensis Monachus, qui posteà ex Abbate Corbeiensi factus est Episcopus Ambianensis, eóque adhuc superstite Anonymus in vita sanctæ Bathildis initia Cœnobij Corbeiensis ita retexuit. *Monasterium quod vocatur Corbegia *, in Ambianensi parochia suo opere construxit, vbi venerabilis vir Domnus Teudofredus, nunc enim Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi fratrum prafuit, quem de Luxonio Monasterio prafata Domna Batildis à reuerendißimo viro Domno Galberto quondam Abbate expetiuit, & mirabiliter ad ipsum Cœnobium fratrum condirexit.* De fundatione Monasterij Corbeiensis hoc extat [e] Clotarij Regis Præceptum. *Chlotharius Rex Francorum, vir inluster. Ad mercedem nostram in Dei nomine credimus pertinere, quicquid pro anima salute locis Sanctorum conferimus, vt ibidem perenniter proficiat, & gloriam Deo auxiliante habere mereamur. Igitur dum nos & pracelsa genitrix nostra, Domna Baldechildis Regina, Monasterium in honore Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, & Sancti Stephani protomartyris, super fluuium Somna, in loco qui dicitur Corbeia, quem Guntlandus quondam possederat, & ad fiscum nostrum peruenerat, vbi praest venerabilis vir Theodefridus Abba, pro aterni numinis intuitu adificari pracepimus, vt Monachi sub sancta Regula ibidem debeant conuersari. Cognoscat strenuitas vestra, quòd nos ipsam villam Corbeiam ad ipsum Monasterium, cum adiacentiis suis in integrum, seu & alias villas nuncupantes Folieto, Gentilla, Cipiliaco, Fortilca villa, vel reliquas adiacentias earum ad integrum, Albiniaco cum adiacentiis vel appenditiis suis, quantum ibidem fiscus noster tenuit, ad integrum, in pago Ambianense; seu & Monciaco, Walliaco, Bellirino, cum adiacentiis earum, in pago Atrauatense; immóque & villam, qua vocatur templum Martis, sitam in pago Ambianense, ad integrum,*

INITIA MONAST. CORBEIENSIS. * *Corbie.* [e] Tom. 1. Concil. Gall.

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

integrum, cum pagena de silua de foreste nostra Windegonia, hoc est, per loca denominata, à fine Cartainse vsque in Dominico lacco, per Siccasi derude, per ceruorum mercasio, per Bagusta, per via publica vsque Fraudehario exsarto. Similiter & portionem in loco, qui vocatur Taceaco, quem Frodinus de Vrsino dato pretio comparauit, & ad fiscum nostrum ipse Frodinus in compensationem pro alia re dedit, in ipso pago Ambianense, à die præsenti sub integra immunitate, absque introitu iudicum, visi fuimus concessisse. Proinde per hanc Præceptionem specialiùs decernimus esse mansurum, vt tam ipsum locum Corbeiam, quam & suprascriptas villas, vnà cum terris, domibus, mancipiis, ædificiis, vineis, siluis, pratis, pascuis, farinariis, & cunctis appenditiis, vel quod ibidem videtur adspicere, pars ipsius Monasterij, vel omnis Congregatio de ipso Monasterio valeat possidere vel dominari. Et nullus quilibet de iudicibus, nec ad ipsum Monasterium, nec ad homines suos, nec in curtes suas, quicquid à die præsenti ibidem contulimus, & quod à nobis vel à succedentibus Domnus regibus, vel à Deum timentibus hominibus inibi fuerit collatum, nec ad causas audiendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec paratas requirendum, nec vllas redibitiones in villis superiùs nominatis; quidquid tempore præsenti videtur possidere, aut adhuc, vt diximus, à nobis vel à succedentibus Regibus, vel à Deum timentibus hominibus inibi additum vel delegatum fuerit, ipsa iudiciaria potestas non præsumat ingredi; sed pars ipsius Monastery, vel omnis Congregatio ibidem consistens, absque introitu iudicum, vt diximus, sub integra immunitate possidere valeat vel dominari. Et vt hæc Præceptio nostra perenni tempore firmiorem obtineat vigorem, nos & præcelsa genetrix nostra Domna Baldechildis Regina signaculis manûs nostræ subter decreuimus affirmare.

XIV. Iisdem circiter tempotibus Drausius Suessionensis Episcopus Monastetium virorum in agro Suessionensi construere cœpit, sic enim scribit Author vitæ[a]. *Nihil acceptabilius credidit fore S. Drausius, quod posset Domino retribuere, quàm si satageret Monasterium aliquod construere, quod esset idoneum religiosorum virorum siue sacrarum virginum moribus pudicis & castæ vita. Erat quidam locus secus fluuij Axonnæ littus distans, vt fertur, à Suessionica ciuitate* CXLIIII. *stadiis, cui vocabulum Rotundas* * *est inditum antiquitus, quem etiam à Bettoleno Cauciacense quondam Abbate, tradito precio congruenti, emisse fertur vir Dei Drausius. Quo in loco mirificè, & satis decenti iure ædificium nobilis adus votinâ mente construxit. Religiosorum quoque virorum congregatiunculam ibidem sub sancta vita norma degentem aggregauit. Vt autem situs prætitulati Cœnobij partim manifestetur, hoc tantùm supponimus, quia ipse locus ab vno latere se pandit apertè hominum visibus. Est verò densissimis saltibus altrinsecus stipatus. Licèt verò sit siluis inditus, est autem hinc inde ad sydera notus, qui videtur in saltibus, Cotiâ videlicet & Lisicâ, quasi occultatus hominum obtutibus.* Bettolenus, priusquàm Cauciacensis Abbas fieret, Episcopatum Suessionensem gesserat, vt suprà notauimus.

[a] Tom. 1. collect. Hist. Franc.

DRAVSIVS EP. SVESS. CONDIT COENOB.

* Rotonde.

XV. His quoque temporibus, cùm Clotarius Rex minorennis esset, & Bathildis eius mater Regnum administtaret, congruenter adscribi potest Synodus Senonensis, quam Emmo Senonensis Mettopolita cum aliis Episcopis ferè quadraginta celebrauit. Synodus hæc Senonensis dici potest secunda, priotis enim ad annum Christi sexcentesimum nonum[b] meminimus. Vtriusque Acta perierunt. Primæ mentio nullibi fit præterquàm in vita Sancti Betharij Carnotensis Episcopi, quam citauimus ex Codice Vindocinensi. Secunda nullibi quoque memotatut ptæterquàm in Chtonico Sancti Petri Viui, cuius Auctor Clarius[c], cùm Monachus illius esset loci tebúsque sui Monasterij præcipuè narrandis incumberet, hæc tantùm de Gestis Emmonis Metropolitæ scribenda duxit. *Hic Priuilegium libertatis, vnà cum Comprouincialibus Episcopis, Monachis Sancti Petri synodaliter fecit, temporibus Clothary Regis & Baldechildis matris eius. In quo Conuentu fuerunt Antistites gloriosi, Sanctus Audoenus Archiepiscopus Rothomagensis, & Sanctus Faro Episcopus Meldensis, Sanctúsque Eligius Nouiomensis Episcopus, & Sanctus Amandus Tregetensium Episcopus cum aliis trig nta Episcopis.* Petrus *Delalande* in Supplementis Conciliorum antiquorum Galliæ

SYNODVS SENONENSIS II.

[b] Num. 10.

[c] Ap. Dacher. Tom. 2. Spicileg.

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

Synodum hanc Senonensem anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo, Clotarij Tertij Regis anno secundo, illigauit. Secutus est Chronologiam Iacobi Sirmundi proauunculi sui. Hæc Chronologia rectè procedit ad tempora vsque Dagoberti Regis, peccat autem in Dagoberto eiúsque filio Clodoueo Secundo ac nepote Clotario Tertio, quia ex Fredegario malè intellecto Principatum Dagoberti Regis ad annum vsque Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum perducit, deinde Clodoueo annos tantùm sexdecim, Clotario quatuor duntaxat attribuit. Obiit autem Dagobertus decimo-quarto Kalendas Februarias, anno Christi sexcentesimo tricesimo-octauo, Clodoueus annum Regni auspicatus est decimum-octauum, Clotarius annos quatuordecim regnauit, sicque annus secundus Clotarij Tertij cum hoc anno, Christi sexcentesimo quinquagesimo-septimo, coincidit. Synodum Senonensem in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum reiicere non possumus, quia Sanctus Eligius, qui præsens interfuit, ex hac vita discessit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-nono, cùm Diœceses Nouiomensem ac Tornacensem annis vndeuiginti gubernasset.

XVI. In lucem nondum prodiit Priuilegium, quod Emmo Metropolites Senonensis Monasterio Sancti Petri concessit. In eo nihil Abbati vel Monachis indultum putamus, quod veteribus Priuilegiorum formulis sanctionibúsque Conciliorum aduersaretur. In ea sententia nos confirmat copiosus Episcoporum numerus, quos Emmo Priuilegij à se dati testes esse voluit. Maximum nobis beneficium præstitisset Clarius, si præter Emmonem Senonensem, Audoenum Rotomagensem, Faronem Meldensem, Eligium Nouiomensem & Amandum Traiectensem, quorum nomina suo Chronico inseruit, nominasset & alios triginta, quos Synodo Senonensi pariter interfuisse restatur. Adfuit Emmo *cum Comprouincialibus Episcopis*, id est, cum Episcopis prouinciæ Lugdunensis quartæ, Carnotensi videlicet, Aurelianensi, Parisiensi, Meldensi, Trecensi, Niuernensi, & Altissiodorensi. Regebant, Aurelianensem Diœcesim Audo, Palladius Altissiodorensem, Carnotensem Magobertus, Meldensem Faro; de quatuor enim illis Episcopis verba iam fecimus atque iterum faciemus. In Cathedra Niuernensi sedebat Deodatus Rauraci non semel [a] à nobis laudati successor, de quo plura dicemus infrà. Parisiorum Episcopus erat Importunus, vt paret ex iis, quæ dicta sunt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum [b]. Ecclesiæ Trecensi præerat Leuconius seu Leoconius, qui medius sedit inter Lupum & Bertoaldum, quorum alter Pontificatum regnante Clodoueo gessit, vt ad annos Christi sexcentesimum trigesimum-primum [c] & sexcentesimum quadragesimum-quartum [d] obseruauimus, alter decessor fuit Abbonis-Felicis, de quo sermonem ad annum Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum faciemus. Colitur Sanctus Leuconius * ritu duplici Kalendis Aprilis in Abbaria Sanctæ Mariæ, quiescit enim in Ecclesia puellaris illius Monasterij, Monialésque non alium suæ domûs primum auctorem ac conditorem agnoscunt. Fama tamen est illic ab initio non Moniales fuisse, sed puellas, quæ nuntium idololatriæ remittebant, fidémque Christianam ab Episcopo edocebantur. Lege Desguerroisium [e] in Historia sacra Diœceseos Tricassinæ.

[a] An. 644. n. 35. an. 652. n. 34.
[b] Num. 20.
[c] Num. 16.
[d] Num. 43.
* S. Leuçon.
MONASTERIVM S. MARIÆ TRECIS.
[e] In Episc. 18.

XVII. ABBATES LATINIACENSES. In eadem prouincia Lugdunensi Quarta seu Senonensi post sanctum Furseum, cuius obitum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo consignauimus, floruerunt Abbares Latiniacenses, Eminianus, Eloquius & Mombolus, sanctitate quoque conspicui. De vnoquoque præter ea quæ superiùs dicta sunt, pauca referemus, quæ nobis in notitiam venerunt.

XVIII. EMINIANVS. Eminianus siue Æmilianus, vt suo loco notauimus, decimo-sexto Kalendas Februarias, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto Translationi sancti Fursei præsens interfuit. Abhinc de sancto illo Abbate nihil accepimus, excepto quòd obierit sexto Idus Martij quo die coli solet [f]. Prædictæ sancti Fursei Translationi multos annos superstes non fuit. Hoc palàm osten-

[f] Martyrol. Benedict. Gallic.

dent ea, quæ de ſucceſſoribus Eloquio & Mombolo narrabimus, Eligio Pon- AN. CH.
tifice, cuius mors in annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſexageſimum inci- 657.
dit, Epiſcopatum Nouiomenſem adhuc adminiſtrante. Fatemur tamen Auc- CLOTAR.
torem probæ notæ nondum in manus noſtras deueniſſe, cuius diligentiâ de- III. R. 2.
prehenſi ſint anni, quibus Eminianus ad Deum migrauit, Eloquius & Mom-
bolus præfecturam Cœnobij Latiniacenſis ſuſceperunt dimiſeruntque. Sed
cùm hæc intra quinquennium geſta ſint, & ab his alia minimè dependeant,
Chronologia magnum pati detrimentum nequit, ſi conglobatim hic enar-
rentur.

Eloquius igitur, de quo ſæpè verba fecimus, in adminiſtrationem Monaſ- XIX.
terij Latiniacenſis ſucceſſit. *Sciens diſcipulorum ſuorum animos diabolico inſtinc-* ELOQVIVS.
tu iniquè in ſe concitatos, cum paucis fratribus Grimacum ad Iſaram receſſit, Eremi-
ticam vitam ducturus. Cúmque ſancto Eligio Nouiomenſium *Epiſcopo eius ſyncera*
religio innoteſceret, Presbyterum ordinauit, & prædicandi licentiam ipſi dedit vn-
dique per ſuam Diœceſim. Hæc Molanus [a] ex variis monumentis Monaſterij [a] d. 3. Dec.
Walciodorenſis, quæ Paulus Thonon Supprior Haſterienſis ei communica-
uit. De ſancto Eloquio Sauſſaius aliter ſcribit [b]. *Abeunte*, inquit, *Clotharij* [b] d. 3. Dec.
Regis inuitatione, ad Peronenſe Monaſterium erigendum ſancto Furſeo, Eloquius La-
tiniaci ab eo relictus eſt, vt nouellæ plantationi colendæ operam daret. Subiit igitur
aliquandiu ibi Abbatis vices, eâ felicitate vt nouus iſte cœtus perfectam Religionis
formam indueret. Igitur Eloquius (conſtituto illic, ex ſancti Furſei iuſſu, Æmilia-
no Paſtore) quò talenta diuinitus ſuſcepta non inania retineret, noui fœnoris appetens
in Belgium, quæ regio ſuâ operâ indigebat, redire diſpoſuit. At dum Lauduni in
tranſitu immoratur Dei opus exequens, eius incolatus diuino beneficio abbreuiatus
eſt, déque via in patriam, de labore ad requiem, de morte ad vitam euocatus, æter-
nam pro mercede fidæ villicationis percepit beatitudinem. At in illo textu multa
ſunt corrigenda. Priùs obiit Furſeus, quàm Clotarius Tertius regnare cœ-
piſſet. Prætereà Furſeus cùm Latiniaco diſceſſit, Eminianum illius loci Ab-
batem conſtituit. Id liber ab Auctore coætaneo de Miraculis ſancti Furſei
ſcriptus docet, cuius textum ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndequin-
quageſimum [c] recitauimus. Eminianus igitur primum poſt ſanctum Furſeum [c] Num. 10.
in Latiniacenſium Abbarum catalogo locum obtinere debet, ſecundum Elo-
quius, qui præfecturam Cœnobij Latiniacenſis abdicauit, cùm *diſcipulorum*
ſuorum animos diabolico inſtinctu iniquè in ſe concitatos aduerteret. Peruenit
Eloquius *ad multam ſenectam*, vt Molanus ſubiungit. *Corpus religiosè huma-*
tum eſt in monticulo Diœceſeos Laudunenſis, *iuxta aggerem publicum, vbi Som-*
meron & Iſara confluunt, ibíque ad exitum vſque noni penè ſeculi quieuit.
Colitur ſanctus Eloquius tertio Nonas Decembris. Eo die vitam illius à Mo-
nacho, vt videtur, Walciodorenſi, nec ſine næuo conſcriptam recitat Su-
rius.

De Mombolo, quem *Abbatem in Latiniaco* vocat, ita ſcribit Molanus [d]. XX.
Sciens diſcipulorum ſuorum animos diaboli inſtinctu contra eum excitatos, relictis [d] d. 18. Nou.
*omnibus, cum paucis fratribus ſuper fluuium, cui nomen eſt Iſara *, loco, qui anti-* * Oyſe.
quo vocabulo Condrynus nuncupatur, Eremiticam duxit vitam, ibíque à religioſis MOMBO-
viris ſuſceptus eſt, & ab Eligio Epiſcopo per totam ſuam Diœceſim prædicandi licen- LVS.
tiam accepit, ac tandem ſanctitate & miraculis crebris ad cæli aulam aſcendit. Sauſ-
ſaius [e] ait Mombolum in Diœceſi Nouiomenſi priùs prædicaſſe, quàm Æmi- [e] In Martyrol.
liano ſiue Eminiano in præfecturam Latiniacenſis Monaſterij ſuccederet. *Hinc*, Gallic. d. 18.
inquit, id eſt, è Diœceſi Nouiomenſi per quam verbum Dei felici ore ac Nou.
manu diſpergebat, *poſt tranſitum ſancti Æmiliani, quem ſanctus Furſeus primum*
poſt ſe Abbatem Latiniaci conſtituerat, ad huius Cœnobij regimen euocatus, multa
illic lumina edidit ſanctitatis. Hæc autem pugnant cum encomio ſancti Elo-
quij, quem idem Auctor [f] ſucceſſorem ſancti Furſei deceſſorémque S. Æmi- [f] d. 3. Dec.
liani conſtituit. Standum à catalogis Abbatum Latiniacenſium. Sancto Fur-
ſeo ſanctus Æmilianus proximè ſubrogandus, huic ſanctus Eloquius; tum

AN. CH. 657. CLOTAR. III. R. 2.

ſanctus Mombolus. Hic, vt Auctor Martyrologij Gallicani perſequitur [a], *haud appetens otij, ſed animæ cælo propiùs prouehendæ cupidus, dimiſsâ Cœnobiticâ Præfecturâ, cum fratribus aliquot, qui magis cæleſtia ſpirabant, ſecretum à turba in locum ſe recepit ad Iſaram fluuium, vbi ſupernis ſpeculationibus intentus, perfecto puræ animæ holocauſto, candidatus gloria feliciter expirauit. Sacrum eius corpus per pios alumnos ad Cœnobium Latiniaci reuectum, ibidem ab iis conditum fuit cum debita honorificatione.* Inter ſancti Furſei ſocios ac diſcipulos, qui ſanctis Eloquio & Mombolo potiſſimùm adhæſerunt, celebrantur Boetius & Columbanus, de quibus nihil prætereà recurret. Quieſcit hodie ſanctus Mombolus in agro Nouiomenſi apud Cagniacum, quò tranſlatus eſt è Monaſterio Latiniacenſi, vt idem Sauſſaius in ſupplemento prædicti Martyrologij teſtatur decimo-quarto Kalendas Decembris, quo die ſolemnis eſt eius memoria.

[a] D. 18. Nou.

XXI. Episcopi Venetenses. Meriadecvs Eremita.

Migrauit ad Deum hoc anno ſanctus Budocus Epiſcopus Venetenſis, cùm ſediſſet annos quinque. Colitur in Eccleſia Venetenſi quinto Idus Decembris. Ei ſucceſſit in Epiſcopatum Hinguethenus *. Hic ad Presbyteratum promouit Meriadecum ſeu Meriadocum, qui poſteà delituit in eremo prope oppidum *Pont-dini*, donec eidem Hingueth eno datus eſt in Epiſcopatu ſucceſſor, vt poſt biennium dicturi ſumus. Lege in Armorica Sancta catalogum Epiſcoporum Venetenſium, necnon vitam eiuſdem Meriadeci ſeptimo Idus Iunij.

* *Hincweten.*

XXII. Marinvs Episc. cvm Aniano Archidiacono in Boicam proficiscitvr.

Apud Brunnerum [b] & apud Adlzreittetum [c] in Annalibus Boiorum, Martyrium ſancti Marini & felix obitus ſancti Aniani collocantur anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo, cùm annos quadraginta in Boica religioſiſſimè tranſegiſſent. Hoc igitur anno in Francia, cuius pars tunc Boica, conſederunt. Chronologiam noſtram Pontificatus Eugenij Papæ, quem ex Hibernia priùs adierunt, egregiè confirmat ſi benè perpenditur. Martinus enim Eugenij deceſſor Martyrium conſummauit decimo-quinto Kalendas Octobres anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, ipſe verò Eugenius ex hac vita diſceſſit quarto Nonas Iunias anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo, vt anno ſequenti fusè probabimus aduersùs Baronium, qui Martinum pridie Idus Nouembres anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto, Eugenium quarto Nonas Iunias anno Chriſti DCLV. mortuos tradit.

[b] L. 5. n. 8. [c] Part. 2. l. 7. n. 12.

XXIII. Quodnam autem vitæ genus in Boica Marinus & Anianus amplexi ſint, ita deſcribit Brunnerus. *Marinus & Anianus natalibus ſuis clari, Hiberniâ patriâ pietatis ergò relictâ Romam Martyrum ſanguine purpuratam venerati, Eugenio I. Summo Pontifice benè precante, tranſcenſis Alpibus, inter Boios* ſedem fixerunt, *in ſecreto ſanctôque otio piè nihilominùs negotioſi; vt & eloquentia cælo hauſta fructum aduentantium ad ſe nemini inuiderent, & ipſi vltrò ſæpè hominum cœtus cogere ſoliti de hominis Chriſtiani officio diſputarent; vitâ & moribus adeò integri, vt facta dictis ingens pondus adderent, in macerando corpore penè humanam patientiam egreſſi, fonte puro ſitim, buccâ panis ſicci famem malignè extinguebant, an irritabant; ſal, totum condimentum; obſonium herba ſponte natæ præbebant; tamen vel ſic quotidie epulari, delicatorum arbitrati, bis tantùm per hebdomadem, præter diem Dominicam, hanc naturæ modicam ſtipem, vt ingratum debitum, perſoluerunt. Dei naſcentis & rediuiui feriis, ſi caſeum & lenticulæ pauxillum ad dimenſum addidiſſent, tum verò genialiter ſe dicebant conuiuatos. De lecto nihil attinet dicere, qui feſſa fractáque ieiunio corpora, neque meliùs, neque molliùs, quàm menſa, accipiebat, fugando quàm inuitando ſomnio aptior; quin Marinus etiam prunas ſubſterni ſibi, & in viuis cubare ignibus, ad exemplum Laurentij optauit, poſtquam ſacros Martyris cineres Romæ deueneratus, ad illius æmulationem exarſit. Hoc tenore vita illis ad quadraginta annos, vſque ad Leontij Imperium fluxit; cùm ſacrificanti Marino (hic enim Epiſcopi, Anianus Archidiaconi dignitate unctus erat) diuinitus indicatum eſt, non procul illos à beati curſûs meta abeſſe, iámque in vtrinſque caput coronas properari.*

XXIV. Adlzreitterus rem eandem paucioribus verbis ita complectitur. *Erant ambo,* Marinus & Anianus, *nati bono ſanguine in Hibernia. Poſteaquàm bonarum litte-*

rarum disciplinis animum probè excoluerant, Romam religionis causâ ad venerandos Sanctorum cineres profecti, ab Eugenio Pontifice Maximo, D. Martini Martyris successore, potestatem acceperunt diuinæ legis per Orbem propagandæ. Marino concessa est Episcopi dignitas, nullis certa Diœcesis limitibus (quod olim vsu receptum erat) definita. Vterque transgressus Alpes, ad earum radicem diuersis vsi speleis, vitam egerunt more priscorum Anachoretarum, oleribus, sale, pane, & si lautissimè epulabantur, quod ipsis perrarum erat, lenticulis & caseo: famem & perfrequentia ieiunia tolerabant per ipsos quadraginta annos. Tametsi solitudine mirè afficiebantur, non sunt tamen passi, istis eremi angustiis suam virtutem sic includi, quin se tradendis vitæ Christianæ præceptis, rudibus populis commodarent. In edocenda Boica egregiam operam locauerunt.

Martyrium sancti Marini, felicémque obitum sancti Aniani narrabimus ad annum Christi sexcentesimum nonagesimum-septimum quo contigerunt, eodémque loco agemus de Leontio Imperatore, cuius nomine tanquam Charactere Chronologico vsus est Andreas Brunnetus, abstinuit Ioannes Adlzreiterus. XXV.

658. CLOTAR. III. R. 3.

ANNVS CHRISTI 658.

CLOTARII III. R. 3.

ANNO Christi sexcentesimo duodesexagesimo beatus Geremarus Flauiacensis Monasterij primus Abbas obiit, cùm illud Cœnobium rexisset annis tribus ac mensibus sex, vt affirmat Auctor vitæ. Sepultus fuit in eodem Monasterio, colitur octauo Kalendas Octobres. Successoris nomen obliuioni datum est. Tertius Abbas recensetur Genhardus, de quo verba faciemus suo loco. I. GEREMARVS ABBAS FLAVIAC. OBIT.

Audoenus Episcopus Rotomagensis author est Eligium sub quatuor Regibus, Clotario, Dagoberto, Clodoueo & Clotario vixisse, insinuátque gestum ab eo Pontificatum sub duobus posterioribus Clodoueo & Clotario, sic enim in ipsius Eligij vita disserit. *Eligius olim iam in Palatio militauerat sub seculari habitu Regi æterno omniúmque Principi Christo, fuerat quoque de temporibus Lotharij mediani, mansueti Regis Francorum, & toto tempore Dagoberti inclyti Principis, necnon & Clodouei filij eius, & vsque ad initium Regni iunioris Lotharij mansit in corpore.* Qui Clotario Tertio quatuor duntaxat annos Principatûs tribuunt, Eligium ad initium Regni Clotariani peruenisse sic autumant, vt illius mortem consignent Kalendis Decembribus eiusdem anni, quo Clotarius Clodoueo Secundo Patri successit. Nos verò grauissimis authoritatibus innixi Principatum Clotarij prorogabimus ad annos quatuordecim, & Eligij vitam vltra primum Clotarij Regis annum producemus. Res sanè plures gessit Eligius post mortem Clodouei, quàm vt eodem anno credatur ex hac vita sublatus. Hîc sermonem instituemus de sancta Godeberta, quam coram Clotario Rege sponsam Christo dedicauit. *Nata est virgo Godeberta*, inquit Author vitæ [a], *ex parentibus Christianis in pago Ambianensi. Cúmque baptizata esset & creuisset, sanctæ fidei institutiones vndecumque poterat libenter excipiebat, & reuerenter exequebatur. A parentibus accuratè educata, cùm ad nubiles peruenisset annos, permulti nobiles eam ex nobilibus nobiliter natam sibi sponsam expetebant. Parentes autem eius cùm essent Regis beneficiarij, non audebant inconsulto Rege cuiquam eam in matrimonium collocare. Cùm autem apud Regem Clotarium hæc res ageretur, omnésque ad Regis voluntatem animis intenderent, in medium illorum non sine nutu Dei beatus Eligius se ingessit, & virginem illam aureo suo annulo tanquam arrhabone Christo sponsam coram Rege & parentibus eius fidentissimè despondit & dedicauit. Ecce au-* II. GODEBERTA RENVNTIAT SECVLO.

[a] Ap. Surium d. 11. Apr.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

tem ineffabilem Sancti Spiritûs gratiam. Confeſtim puella, dinino iam, vt pòſt patuit, amore granida, ſpretâ omni carnis voluptate, poſthabitâ ſobolis propagatione, calcatis vita puellaris illecebris, Regi & parentibus conſtanter valefecit, ſéque beatiſsimo Præſuli Eligio Chriſto conſecrandam grato animo commendanit. Regebat tum ille vir ſanctiſsimus Nouiomenſem Eccleſiam, eiúſque doctrinâ & exemplis multi ab errore conuerſi, abiecto dæmonnm cultu, fidem Catholicam gratulabnndi complectebantur. Enm igitnr Godeberta ſpiritalem ſibi Patrem eligens coram Rege & Principibus parentum perſuaſiones liberrimè reiecit, & enm abſque vlla mora ſecnta eſt. Rex Clotarius videns tam ſubitam nuptiarnm mutationem, non parum admirabatnr diuina potentia virtutem. Vt autem virginis illius precibus apud Dominnm adiuuaretnr, promptam animi eius deuotionem primus ipſe Regiâ munificentiâ confirmare volens, aſſentientibus illis qni aderant, cnm Oratorio ſancti Georgy, qnod Nouiomi habebat, ſuum ei dedit Palatium, addens duas villas ex fiſco Regali cnm duodecim fœminis, qua illius regimine continerentur. Tunc Clotarius Rex erat ſeptennis. Dices fortè textum, quem recitauimus, Regi puero non conuenire, intelligendúmque eſſe de Clotario Secundo, qui Godebertam ipſam plurimùm dilexiſſe fertur apud Cæſarem Baronium Tomo Annalium octauo [a]. At Eligij Pontificatus, qui toties in Actis ſanctæ Godebertæ citatis aſſeritur, à Clotarij Secundi Principatu procul abfuit, Eligius enim Epiſcopatum anno poſt Clotarij Secundi mortem duodecimo ſuſcepit. Multò meliùs igitur Clotarium Regem, cùm Godeberta virginitatem Deo vouit, puerum fuiſſe fateberis, quæque à Clotario Rege dicta, geſta, tradita perhibentur, à Bathilde Regina, Clotarij Tertij matre, quæ regnum adminiſtrabat, filij minorennis nomine dicta, geſta, tradita pronuntiabis. Godeberta multis miraculis inclaruit, ſæuiſſimam peſtem indicto triduano ieiunio ſopiuit, incendium ſigno ſanctæ Crucis profligauit, Tranſiricæ cæcæ viſum ſuis precibus obtinuit. Colitur tertio Idus Aprilis, quo die ſepulta fuit Nouiomi *in beati Georgy Oratorio, in æde qua nunc ſanctorum Apoſtolorum dicitur* teſte Authore vitæ iam laudato.

[a] An. 615. n. 12.

CLARET MIRACVLIS.

III. Hoc anno Bertilam ſeu Bertiliam vel Bertilanem Monialem Iotrenſem Kalenſi Monaſterio Abbatiſſam præpoſitam putamus, vt enim ab obitu Clodouei, donec id fieret, interuallum triennij facilè poteſt admitti, ſic longior mora nequit adhiberi, quia perfectum erat iſtud Cœnobium, cùm vitam clauſit Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, de cuius glorioſo ad Deum tranſitu verba facturi ſumus anno ſequenti. Migrationem autem Bertilæ à Iotrenſi Monaſterio ad Kalenſe ſic in eius vita deſcripſit [b] Author coætaneus. *Baltechildis Regina præparato diligenter Cænobio*, nempe Kalenſi, *animo reuolnere cæpit, quam meritis & honeſtate ſeu moribus puellarum reperiret dignam, de qua fidens gregem ſacrarnm Virginum ibi adunatum ſub norma ſancta Religionis ei committeret. Cúmque de multis multa audiret, iſtius ſancta puella Bertila felici famâ percurrente, peruenit per relationem fidelium notitia vſque ad aures regales Baltechildis glorioſa & Chriſtianiſsima Regina. Quæ gauiſa eſt de eius ſanctitatis exemplo, & illicò accepto conſilio decreuit vt hanc ſuper ſanctas fœminas, quas pro Chriſti amore & ſancta Maria reuerentia in Cænobio ſuprà nominato congregauerat, Matrem conſtitueret, & Domino diſpenſante poſteà perfecit. Magna ſiquidem cum deuotione & humilitate Dominam Teutlehildem popoſcit Abbatiſſam, vt ex ſuo Monaſterio aliquas famulas Dei ſibi deſtinaret, qua ſuum regere deberent Cænobium. At illa percunctata diu ſanctam ſupplicationem Regina denegare non potuit, ſed ſponte glorioſa Domina ad petitionem ſatisfecit, præfatámque Dominam Bertilam cum quibuſdam ſanctis puellis ſpiritali matri Domina Baltechildi cum ſumma diligentia & honore debito, vt decebat, per magnum Sacerdotem Dominum Geneſium ad Kala ſupradictum ſanctum Cænobium perducere præcepit. Vtque omnis illa Congregatio velut matri ſpiritali ei commendaretur, prædicta Domina Regina præſentialiter ſuggeſsit, fiſa de eius religione & pudica conuerſatione. Quas illa glorioſa Baltechildis Regina velut munus cæleſte cum magno honore ſuſcepit, & ſicut ei mandatum à Domina Teutlehilde fue-*

BERTILA FIT ABBATISSA KALENSIS.

[b] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

rat, onus regiminis super omne Cœnobium ei imposuit, atque Abbatissam esse praecepit. Genesius vocatur magnus Sacerdos, quia Lugdunensis erat Episcopus, vt disertis verbis restatur Menardus [a] in vita eiusdem Bertilæ ex veteri Codice manuscripto Monasterij Corbeiensis in Gallia, supráque probauimus ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum quartum exeunte Principatu Clodouei, quo regnante sedem obtinere cœpit. De Teutlehilde Abbatissa iam locuti sumus, cùm primam Cœnobij Iotrensis originem indicaremus. Ipsa Bathildis, vt Author vitæ scribit, *piissimo affectu diligebat sorores vt proprias filias, & sancta Abbatissæ earum obediebat vt matri, & ministerium exhibebat eis vt vilissima ancillula ex sancta deuotione, itaut etiam cùm adhuc regeret publicum Palatium, ita humilitatis magnæ fortiter exhibebat exemplum, vt ipsa quoque in coquina ministraret sororibus, & munditias vilissimas, etiam deambulationes stercorum, ipsa mundaret.* Sanctæ Bertilæ vitam, cuius fragmenta Duchesnius iam publicauit, integram atque in septem capita distributam legimus. Ex primo capite accipe, quænam fuerint illius primordia. *Beata Bertila virgo Suessonica prouincia indigena, nobilibus parentibus oriunda, imò digni germinis dignissima proles emergens, decus quod sumpsit ex genere felicis vita meritis ampliauit.* Et paucis interiectis. *Percunctante fidelissimo viro Dadone, cognomento Audoeno, si vellet Christo seruire, grato animo respondit illam se ab infantia habere deuotionem, vt Dei filium Christum promereretur adipisci sponsum, sed hoc pandere publicè parentibus non audebas eò quòd cognosceret ab ipsis esse eis valdè contrarium, quódque magis impedirent contradicendo quàm consentirent annuendo. Iam autem diuinum in tenera ætate astutè tenebat consilium, & secretiùs Dei assiduè diuinum deprecabatur auxilium, vt eius pietas faceret compendium, qualiter ipso ordinante congruè ad sanctarum fœminarum consortium, vel ad earum perduceretur Cœnobium. Cuius deuotioni pietas diuina consulens, qua in se sperantes nunquam derelinquit, mox adfuit ei diuina gratia in auxilium, & ex propriis parentibus vel etiam germanis in consensione deuotos effecit. Qui assentientes exhortati sunt eam, vt in sancta deuotione persisteret, & se integram Domino virginem consecraret. Cui & sponte dederunt solatium inspirante Domino, & eam cum festinatione iuxta eius votum ad Monasterium puellarum, quod vocatur Iotrus, perduxerunt, & Domina Teutlehildæ Abbatissæ commendauerunt, à qua cum sanctis fœminis honorificè recepta est.* **Ex Iotrensi Monacha.** Haud multos annos in Iotrensi Cœnobio transegit, nam Kalense Monasterium *per quadraginta & sex annorum curricula* gubernauit. *Eius conuersatio sobria & benignissima aduocauit plurimas fidelium animas fœminarum, imóque & virorum, nec solummodò ex vicina prouincia sed etiam ex transmarinis partibus sancta huius fœminæ felici famâ percurrente, ad eam relictis parentibus & patriâ cum summo amoris desiderio plurimi viri ac fœminæ festinabant, quos ipsa Dei famula Bertila affectu piissimo velut propria genitrix dilectos paruulos omnes recipiebat, atque diligendo fouebat instruens eos sanctâ exhortatione, vt piè ac iustè viuerent, quatenus Christo complacere possent.* Hæc in eadem vita leguntur, capitibus quinto & septimo.

IV. **Aichardus nascitur.** Natus est hoc circiter anno beatus Aichadrus siue Aichardus vel Achadrus, cuius profectionem ad Quinciacense Monasterium anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo referemus. Ortus est Pictauis, ex nobilibus piisque parentibus, patre Anschario qui militiam sub Clotario Rege professus crebris expeditionibus inclaruit, matre Ermenâ quæ imminente partu, cùm grauissimis doloribus quateretur, diuinis cultibus quam vtero gerebat prolem deuouit, si saluo partu periculum mortis euaderet. Vitam sancti Aichardi scripsit Fulbertus quem consule [b].

V. **Agilus Abbas Resbacensis.** Hoc anno, Agilus Abbas Resbacensis, vt Auctor vitæ coætaneus scribit, *cùm nonaginta & octo esset annorum, post multarum exercitia virtutum longo iam senio affectus desiderans sudores suos in cælum conspicere, quos ab ineunte ætate illic posuerat, taliter Dominum humili prece compellasse asseritur. Domine, memento mei & miserere mihi iam senio fatiscenti, & educ me de incolatu huius vita, &*

[a] Lib. 1 obser. d. 4. Nou.

[b] Ap. Sur. d. 15. Sept.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

qui me pretioso sanguine tuo redemisti, fac me participem cum electis tuis cælestium gaudiorum, commendo tibi gregem istum, Pastor bone, pro quo triumphasti in ligno, quem peto perpetuò custodias atque paradiso tuo reddas. Dum ergo complesset hanc orationem, apparuit ei iuuenis præclarus aspectu, indutus veste niuei candoris, & dixit. Agile, suscepi preces tuas, biennio expleto te recipiam, eróque tecum, non te deseram. Agemus de illius obitu post biennium. Hæc Chronologia supponit Agilum natum esse anno Christi quingentesimo sexagesimo, nec id aduersatur Auctori vitæ, apud quem septennis nominatur, cùm Columbanus ex Britannia in Galliam transit.

VI. CHRONOLOGIA ROMANORVM PONTIFICVM.

Cæsar Baronius anno Christi sexcentesimo quadragesimo-nono assumptionem Martini in Romanum Pontificem, & anno Christi sexcentesimo octogesimo-secundo mortem Agathonis Papæ collocat. Harum epocharum neutra nobis displicet. At in distribuendis annis singulorum Pontificum, qui medij sederunt inter Martinum & Agathonem, non assentimur. Vult obiisse Martinum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto pridie Idus Nouembres, Eugenium quarto Nonas Iunias anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, Vitalianum sexto Kalendas Februarias anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo, Adeodatum sexto Kalendas Iulias anno Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto, Donum tertio Idus Apriles anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo, Agathonem quarto Idus Ianuarias anno Christi sexcentesimo octogesimo-secundo. Nos verò supputandorum Pontificatuum aliam rationem inimus. Mortuos asserimus, Martinum decimo-quinto Kalendas Octobres anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, Eugenium quarto Nonas Iunias anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo, Vitalianum sexto Kalendas Februarias anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio, Adeodatum sexto Kalendas Iulias anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo, Donum tertio Idus Apriles anno Christi sexcentesimo septuagesimo-nono, Agathonem quarto Idus Ianuarias anno Christi sexcentesimo octogesimo-secundo. Cur autem à tanto viro dissideamus, hoc loco nobis exponendum videtur eò diligentiùs, quòd deinceps in contextu nostrorum Annalium occurrent multa quæ cum Vitaliani subsequentiûmque Pontificum Chronologia necessariò cohærent.

VII. Ac primùm Baronius annos Martini sic componit. Electum scribit anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, pulsum Romà feriâ quartâ decimo-tertio Kalendas Iulias anno Christi sexcentesimo quinquagesimo, moram per annum fecisse in Naxo Insula, peruenisse Constantinopolim decimo-quinto Kalendas Decembres anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, atque inde ductum in exilium Chersonam mense Maio anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, Martyrium tandem consummasse Chersonæ pridie Idus Nouembres anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, cùm sedisset annos quinque, menses quatuor, dies duodecim.

VIII. Error Baronianus ex epistolis Martini Papæ detegitur. Martinus die quadragesimo-septimo, postquàm Constantinopolim ingressus est, literas [a] scripsit ad Elitetum, quas integras Annalibus suis Baronius [b] inseruit. Testatur Martinus exilium sibi decretum feriâ secundâ decimo-quinto Kalendas Iulias, & eiectionem suam contigisse feriâ quartâ die decimo-tertio easdem Kalendas, addírque se Misenum adiisse ipsis Kalendis Iuliis, tum nauigasse in Naxon Insulam, ibíque moram per annum fecisse, ac demum peruenisse Constantinopolim. *Priuatus mansi*, inquit, *in Ecclesia Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ cognominatur Constantiniana, & stabilita est à beata memoria Constantino Imperatore, & est iuxta Episcopium. Illic omnes nos seorsum morabamur ù die Sabbathi, quando Calliopas cum Rauennate exercitu & Theodoro Cubiculario introiuit in ciuitatem. Misi ergo in obuiam ei quosdam ex Clero, quibus susceptus in Palatio æstimauit & me cum eis adesse. Cùm autem quæsisset & non inuenisset, dixit primis Cleri, quia nos eum voluimus adorare, sed eras, quod est Dominica dies, obuij erimus,*

[a] Ep. 15.
[b] Ann. 650. 651.

mus, & salutabimus eum, quia hodie non sufficimus. Porrò Dominico die, dictis Missis in prædicta Sancta Dei Ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem, nunciauit hoc, quia multùm fatigati sumus ex itinere, non possumus occurrere hodie, sed cras omnibus modis occurremus & adorabimus Sanctitatem vestram. Ego verò ipse grauiter infirmus eram ab Octobrio mense vsque ad supradictum tempus, id est, vsque ad decimum-sextum Kalendas Iulias. Ergo feriâ secundâ diluculo misit Chartularium suum & quosdam ex obsequio suo dicens, quia arma præparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti & hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas. Cúmque præsens audissem hac, necessarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quàm mittere illos gyraturos per totum Episcopium, & si arma vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. Cùm autem iissent, & nihil inuenissent, subintuli eis per verba, quad numquam aliter aliquando, sed semper per circumplexionem & fallacem accusationem incederent aduersùm nos, cùm & in aduentu infamis Olympij vani cuiusdam hominis, cum armis me hunc potiùs repellere faterentur. Ego itaque ante altare Ecclesiæ lectulum meum habebam in quo iacebam, & nondum transactâ mediâ horâ, exercitus cum eis veniens in Ecclesiam, loricati omnes, tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus suos paratos cum scutis suis, & facta sunt illic quæ nec dicenda sunt. Quibus cum fastu introeuntibus, iussio à Calliopa porrecta est Presbyteris & Diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quòd irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc Regiam Vrbem transmitti subrogato in loco meo Episcopo, &c. Eâdem secundâ feriâ & tertiâ feriâ venit ad me omnis Clerus, & nonnulli erant qui se parauerant ad nauigandum mecum, &c. Nocte quæ illucescit in feria quarta, quæ erat decimo-tertio Kalendas Iulias, circa horam quasi sextam noctis, tulerunt me de Palatio, retrusis omnibus qui mecum erant in Palatio, vsque ad res diuersas quæ mihi & hîc erant necessaria, & non nisi cum sex puerulis & vno cancellulo duxerunt nos ex Vrbe, &c. Peruenimus Calendis Iulij Misenum, &c. Nullam compassionem adeptus sum, excepto duntaxat in Naxia Insula, quoniam ibi annum fecimus. Obserua eo anno quo Martinus Româ egressus est, diem decimum-septimum ante Kalendas Iulias, in Sabbatum; diem decimum-sextum ante easdem Kalendas, in diem Dominicum; diem decimum-quintum ante easdem Kalendas, in feriam secundam; diem decimum-quartum ante easdem Kalendas, in feriam tertiam; diem decimum-tertium ante easdem Kalendas, in feriam quartam incidisse. Qui Characteres non designant annum Christi sexcentesimum quinquagesimum, vt Baronius supputauit, sed annum Christi sexcentesimum quinquagesimum tertium, qui præditus fuit literâ Dominicali F. Martinus igitur Româ eiectus est feriâ quartâ die decimo-tertio Kalendas Iulias anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio, Misenum peruenit ipsis Kalendis Iuliis, atque inde nauigauit in Naxon Insulam, vbi moratus est per annum, id est, per vltimos menses eiusdem anni ac per maximam partem subsequentis qui fuit à nato Christo sexcentesimus quinquagesimus-quartus. Literis Martini Papæ suprà laudatis proximè subiiciuntur aliæ [a] viri Orthodoxi & in exilio comitis, qui quas Pontifex iniurias Romæ, quas in itinere, quas Constantinopoli passus est, Orthodoxis fratribus in Occidente degentibus exponit prolixâ narratione, quâ docemur Martinum ad portum Constantinopolitanum appulisse decimo-quinto Kalendas Decembres, & Constantinopoli post dies centum & septuaginta-octo Chersonam clanculo nauigio translatum fuisse. *Cùm tandem*, inquit, *peruenisset Bysantium beatus ille decimo-septimo die mensis Nouembris, &c. Mansit idem Sanctus Apostolicus clausus & sine participatione penitus sermonis alicuius nonaginta-tres dies, &c. Fecit Reuerendissimus Papa in Diomedis ergastulo octoginta-quinque dies post primos nonaginta-tres, hoc est, omnes centum septuaginta-octo.* Et paucis interiectis. *Dictum est quia in Chersonam exulaturus esset, & post dies aliquot cognouimus, quia illac clanculo nauigio transuectus est Sanctissimus Apostolicus vir.* Peruenit igitur Pontifex Constantinopolim decimo-septimo

[a] Ep. 18.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

die Nouembris anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, & post dies centum septuaginta octo siue Idibus Maiis anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto abductus est Chersonam. Extant epistolæ duæ [a], quas Martinus Chersonæ scripsit. Posterior data reperitur mense Septembri. Sic enim habet. *Potuimus emere vnum modium tritici quatuor numismatibus vsque ad præsentem mensem Septembrem.* Eiusdem mensis die decimo-septimo sanctus Pontifex ad Deum migrauit. Vitam enim illius sic orditur Anastasius. *Martinus de ciuitate Tudertina, prouinciâ Tuscia, sedit annos sex, mensem vnum, dies viginti sex.* Deinde sic absoluit. *Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, Presbyteros vndecim, Diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca numero triginta tres. Depositus die decimo-septimo mensis Septembris.* Atque inde pro comperto habemus Martyrium beati Martini contigisse decimo-quinto Kalendas Octobris, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto. Negat Baronius duas ordinationes à Martino Papa factas fuisse, quia Martinum primo duntaxat sui Pontificatûs anno per mensem Decembrem Romæ versatum contendit. Deinde mortem eiusdem Papæ reiicit in diem duodecimam Nouembris, quâ celebris est eius memoria in Tabulis Ecclesiasticis. Prior quæstio nullam patitur difficultatem, quoniam, vt ex nostro calculo patet, Martinus non eo tantùm anno quo Pontificatum iniit, sed & tribus subsequentibus Romæ Decembrem mensem transegit. Ad posteriorem respondemus sanctum Martinum à diuersis gentibus coli variis diebus, Idibus Aprilibus, decimo-sexto Kalendas Octobres, decimo-quinto easdem Kalendas, quarto Idus Nouembres, pridie easdem Idus, & decimo-sexto Kalendas Decembres, vt in notis ad Martyrologium [b] Romanum obseruat ipsemet Baronius, qui dies mortis ac Translationum confusos existimat, ipsumque obitum consignat die duodecimo Nouembris non aliâ ductus ratione, quam quòd illo die nomen Martini Papæ legitur in Martyrologio Romano, sed, cùm ibi non annotetur, vtrùm dies obitûs sit an Translationis, standum potiùs arbitramur ab Anastasio, qui distinctis verbis ait Martinum Papam depositum seu sepultum fuisse die decimo-septimo mensis Septembris.

[a] ep. 17 18.

[b] d. 12. Nou.

IX. *Eugenius sedit annos duos, menses octo, dies viginti quatuor. Sepultus fuit ad beatum Petrum Apostolum sub die quarto Nonas Iunij.* Hæc Anastasius. Electus est igitur Eugenius die nonâ Septembris, non autem Augusti, vt malè Baronius [c] supputauit. De anno iam inquirendum. Baronius ait Eugenium, postquàm sanctus Martinus Chersonam in exilium actus est, Ecclesiæ præfuisse, vicariâ tamen, dum ille viueret, præfecturâ, & ab eo die quo in locum adhuc viuentis subrogatus est, annos Pontificatûs ab Anastasio numerari, à quinto Idus Augustas (lege Septembres) anni post Christum natum sexcentesimi quinquagesimi-secundi ad diem quartum ante Nonas Iunias anni post Christum natum sexcentesimi quinquagesimi-quinti, licèt affirmare necesse sit eum non ampliùs quàm sex menses & dies viginti tres (lege dies vnum ac viginti) post obitum sancti Martini legitimè sedisse, à die duodecima Nouembris anni post Christum natum sexcentesimi quinquagesimi-quarti ad diem secundam subsequentis Iunij. Ex literis ad Eliterum, quas Martinus direxit quadragesimo-septimo die, postquam Constantinopolim peruenit, siue tertio Nonas Ianuarias anni iuxta nostram Chronologiam post Christum natum sexcentesimi quinquagesimi-quinti, constat neminem adhuc eius loco suffectum fuisse. *Iussio, inquit, à Calliopa porrecta est Presbyteris & Diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quòd irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc Regiam Vrbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo. Quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando fiet, quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter & Primicerius locum præsentant Episcopi.* Vbi autem Romæ rescitum est Martinum in exilium Chersonam absque vlla spe restitutionis auectum fuisse, actum est de creando Vicario per absentiam Pontificis, arbi-

[c] an. 652. n. 11.

tramur etiam accessisse Martini consensum, epistolâ enim omnium postremâ, quam mense Septembri paucis ante mortem diebus scripsit, videtur eiusmodi Vicarij meminisse, cùm nondum ille electus esset, aut saltem super electione, quæ nono eiusdem mensis die facta est, certus propter locorum distantiam nuncius Româ Chersonam delatus nondum audiretur. Textus Pontificiarum literarum talis est. *Deus qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, per intercessionem sancti Petri stabiliat corda eorum*, nempe Romanorum, *in Orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticum & aduersariam Ecclesiæ nostræ personam, & immobiles custodiat, præcipuè Pastorem, qui eis nunc præesse monstratur, quòd in nullo prorsus decidentes vel declinantes aut dimittentes eorum, quæ in conspectu Domini & sanctorum Angelorum eius in scriptis professi sunt, vsque ad pusillum quippiam, vnà cum humilitate mea coronam percipiant iustitia Orthodoxæ fidei de manu Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Eugenius igitur, qui Martini vices ageret, electus est quinto Idus Septembris, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, & in eius obitu, quem quarto Nonas Iunias, anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-octauo consignamus, Baronius à nobis adhuc dissidet integro triennio, cuius erroris initium patefecimus in eiectione Martini ab Vrbe Roma. Postrema hæc verba, *cessauit Episcopatus eius dies viginti octo*, in vita sancti Martini apud Anastasium deleri debent, quæ teste Baronio [a] desiderantur in plerisque Codicibus. Post Eugenium autem vacauit Sedes *mensem vnum, dies viginti nouem*, id est, vsque ad vltimum Augusti diem, quo Vitalianus Pontificatum suscepit.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

[a] An. 654. n. 2.

X. *Vitalianus sedit annos quatuordecim.* Minutiæ corruptæ sunt apud Anastasium, adduntur enim *menses sex*, & posteà idem Vitalianus dicitur sepultus *sexto Kalendas Februarij.* Restituendi sunt igitur menses quatuor, dies viginti septem. Baronius Vitaliano annum vnum detrahit, nec vllam rationem reddit, cur annos Sedis tredecim duntaxat attribuat ac menses quinque minùs diebus quatuor. Hoc calculo dissidium nostrum, quod hactenus triennale fuerat, fit deinceps quadriennale, Vitaliani mortem & subrogationem Adeodati collocamus anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio, Baronius autem quadriennio citiùs.

XI. Post S. Vitaliani mortem Sedes vacauit *menses duos, dies tredecim*, vel potiùs viginti quinque. *Adeodatus sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die sexto Kalendas Iulias.* Hæc Anastasius. Obiit igitur Adeodatus sexto Kalendas Iulias anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo, eique successit Donus eodem anno. Baronius mortem Adeodati refert sexto Kalendas Iulias anno Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto, ait enim in aliquibus Codicibus apud Anastasium Adeodato quatuor tantùm Pontificatûs annos attribui, in aliis, quos sequi mauult, septem assignari, obseruàrque huic postremæ opinioni subscribi à Sigeberto, sed circa res septimo seculo gestas non valet auctoritas Scriptoris longè recentioris. Chronologiæ suæ meliùs consuluisset, si Martini eiectionem ab Vrbe retulisset ad annum prædictum literâ Dominicali F, & ex Vitaliani Pontificatu nihil dempsisset. Episcopatu tamen Adeodati per tres annos diutiùs quàm par erat protracto, triennium amputauit è nostro dissidio, quod imposterùm vnius duntaxat anni futurum est.

XII. *Donus* teste Anastasio *sedit annum vnum, menses quinque, dies decem. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die tertio Idus Aprilis.* Vacauit igitur Episcopatus post Adeodatum menses quinque, dies totidem, creatúsque est Donus Kalendis Decembris anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo. Mors eiusdem Doni, quæ tertio Idus Aprilis anno Christi sexcentesimo septuagesimo-nono contigit, vno anno anticipatur à Baronio, & vnius anni dissidium, quod in obitu Adeodati supererat, inter nos adhuc viget. At Constantini Augusti ad Donum Papam literæ, quas Baronius [b] integras re-

[b] An. 678.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

citauit, controuersiam omnem dirimunt, reperiuntur enim datæ *pridie Idus Augustas Constantinopoli, Indictione sexta*, indeque constat Donum, qui tertio Idus Apriles obiit, è vita migrasse non anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo cui sexta Indictio, sed anno Christi sexcentesimo septuagesimo-nono cui septima Indictio per Aprilem mensem præfigebatur.

XIII. Mortuo Dono, Episcopatus vacauit *menses duos, dies* 15. lege 25. deinde *Agatho sedit annos duos, menses sex, dies tres. Qui etiam sepultus est apud B. Petrum Apostolum sub die quarto Idus Ianuarij*. Baronius, quamuis alio die mortem Agathonis consignet, conuenit tamen nobiscum de anno, qui sexcentesimus octogesimus-secundus à Natiuitate Christi numerabatur. Vt annum illum assequatur, sancti Agathonis Pontificatum vltra triennium producit, fatetúrque ad id se cogi, quia post mensem Ianuarium anni sexcentesimi octogesimi-primi Acta sextæ Synodi superstitem eum fuisse declarant, extántque literæ ad eundem Papam datæ mense Decembri, Indictione decimâ iam inchoatâ.

XIV. Ex prædictis facile est animaduertere, quàm rectè quoad annos Pontificum, procedat Anastasij Chronologia, licèt in appendicias mensium vt in dierum numeros mendum irrepserit. Anastasianum calculum egregiè confirmant Characteres Chronologici, quos literæ Pontificiæ & Cæsarea Diplomata suppeditant. Ab Anastasij computo recessit Baronius, quia satis accuratè non aduertit sanctum Martinum Romà eiectum fuisse currente literâ Dominicali F, incidítque in deprauatum Anastasij Codicem, qui Pontificatum Adeodati vltra septennium prorogabat. Hæc fermè summa totius controuersiæ.

XV. Vitalianus igitur hoc anno, Christi sexcentesimo duodesexagesimo, pridie Kalendas Septembres assumptus est in Romanum Præsulem. Ad initia Pontificatûs pertinent quæ de Wandregisilo Abbate scribit Auctor vitæ penè coætaneus. *Ædificauit in ipso loco*, nempe Fontanellæ, *vir Domini* Wandregisilus *Basilicas egregio cultu, numero quatuor, in honorem videlicet Principis Apostolorum Petri, simúlque Doctoris Gentium Pauli, Sanctíque Laurentij ac Pancratij Martyrum Christi, & cùm huic operi insisteret, misit nepotem. suum* Godonem *in vrbem Romam propter pignora beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi, vt ædificatis Basilicis in promptu haberet reliquias Sanctorum, quorum nomini & reuerentiæ dicare disposuerat. Qui votis pij Patris libentissimè parens Romam abiit Vitaliano Papâ eodem tempore gubernante Sedem eiusdem Ecclesiæ, atque ab eo suscepta plurima Apostolorum & Martyrum Christi pignora, vnà cum benedictione Apostolica rediens secum detulit, Codicúmque sacrorum copiam non minimam, prosperóque cursu itinere acto ouans reuertitur ad virum Dei, cunctáque quæ attulerat idem vir Domini venerabiliter suscepit. Accersito etiam sanctæ recordationis Audoeno Præsule, præfatas quas ædificauerat Ecclesias vt consecraret, simúlque pignora quæ Godo cum eius auctoritate Romæ impetrauerat, Christi imponeret aris, supplex exorat. Quod ita à prædicto Præsule confestim constat fuisse impletum.* Inter Codices, quos Godo Româ detulit, in Chronico [a] Fontanellensi ponuntur *volumina Beatissimi atque Apostolici gloriosissimi Papæ Gregorij.*

WANDREGISILVS ÆDIFICAT QVATVOR ECCLESIAS.

POSCIT RELIQVIAS A PAPA.

[a] Cap. 2.

XVI. Anastasius Cellæ Leobardinæ Abbas in Episcopatu Argentoratensi, cùm Monasterium annis quadraginta rexisset, hoc anno vitam clausit. Successit in administrationem Cœnobij Godefridus miræ vir abstinentiæ. Hunc Coccius [b] ait ad annum ætatis duodeuicesimum supra centesimum peruenisse, quia Leobardum illius loci primum Abbatem, cuius obitum anno Christi sexcentesimo duodeuicesimo sub Clotario Secundo, totius Franciæ tunc Monarcha, consignauimus, existimauit obiisse die vltimâ Decembris, anno Christi quingentesimo vndenonagesimo, cùm idem Clotarius Secundus in sola Neustria regnaret, superstitibus adhuc Guntchramno patruo & Childeberto Secundo fratre patrueli, quorum ille Burgundiam, hic Austriam obtinebat. At istius Auctoris error, vt ad annum Christi quingentesimum octogesimum-sextum [c] iam notauimus, ex eo promanauit, quòd *Leobardum S. Benedicti discipulum vnicè carum* finxit, & ne pugnantia scribere videretur, prima Cellæ Leobardinæ fun-

[b] Cap. 6.

ANASTASIVS ABBAS CELLÆ LEOBARDINÆ OBIT.

[c] Num. 42.

AN. CH. 658.
CLOTAR. III. R. 3.

damenta, quæ regnante in Austria Childeberto Secundo iacta sunt, ad Principatum Childeberti Primi, qui numquam potitus est Austriâ, perperam reuocauit, ideóque coactus est mortem Leobardi priùs referre, quàm Austriæ Regnum, vbi Cella Leobardina sita est, in potestatem Clotarij secundi deueniret. Coccij computatio deinceps ita procedit. Anastasius anno Christi quingentesimo nonagesimo fit Abbas Cellæ Leobardinæ; anno pòst quadragesimo, Christi sexcentesimo tricesimo vitam claudit; tum succedit Godefridus. In assignando igitur anno, quo Godefridus administrationem Monasterij suscepit, à Coccio dissidemus totis annis duodetriginta, tótque annos Godefrido censemus adimendos, itaut annum ætatis non centesimum duodeuicesimum sed nonagesimum duntaxat attigerit. Quot annos idem Godefridus in Abbatiali Præfectura transegerit, haud produnt Auctores. Ei subrogatus est Leobardus Secundus, deinde Maurus, qui Monasterium anno quinto Theodorici Calensis iam regebat. Ab hoc autem anno, Christi sexcentesimo duodesexagesimo ad annum vsque quintum Theodorici Calensis effluxerunt anni sex & sexaginta, quorum aliquot ex postremis Mauro, ceteros partim Godefrido, partim Leobardo Secundo attribues.

SVCCEDIT GODEFRIDVS.

XVII.

IONAS ABBAS VITAM S. IOANNIS ABBATIS REOMAENSIS SCRIBIT,

Vitam sancti Ioannis, Abbatis quondam Reomaensis, quam Auctor coætaneus Asceta Monasterij Reomaensis conscripserat, Ionas Abbas, vt ipsemet in annotatione de tempore & occasione operis à se suscepti testatur, hoc anno recognouit. *Anno*, inquit, *tertio Regni Domini Clotarij Regis, ex iussu ipsius Principis, vel genitricis suæ præcelsæ Dominæ Baltichildis Reginæ, cùm ad vrbem Cabilonensem mitteretur, noni mensis secundâ hebdomadâ, Ionas Abbas disciplinis beati Columbani eruditus, atque per Monasterium S. Ioannis, quod vocatur Reomaus, præteriens paucis diebus inibi pro labore itineris quieuisset, ductus precibus Domini Hunnæ Abbatis fratrúmque ipsius Cœnobij, vt quæ per discipulos memorati Confessoris Christi, vel posteros eorum veraciter comperta erant, conscriberet, tandem articulum scribendi ita conuertit.* Opus Monachi Reomaensis nacti sumus manuscriptum in multis Bibliothecis, quas Tomo primo non semel laudauimus. Ionæ recognitionem publicarunt Rouerius [a] & Bollandus [b]. Vtramque lucubrationem sæpè contulimus, cùm de rebus à Ioanne Monasterij Reomaensis conditore ac primo Abbate præclarè gestis ageremus. Ex illa collatione deprehendimus [c] Monachum Reomaensem à Iona non rarò interpolatum fuisse. Singulas interpolationes examinauimus, probauimus nonnullas, alias reiecimus. Quis autem illarum Auctor fuerit, hodie quæritur. Nobis videtur idem ac Ionas ille, qui vitas Sanctorum, Columbani, Attalæ & Eustasij conscripsit. Chronologia non refragatur. A prima lucubratione, quæ vitas Sanctorum, Columbani, Attalæ & Eustasij complectitur, ad alteram, quæ tota est de vita sancti Ioannis Abbatis Reomaensis, effluxerunt anni circiter sexdecim. Ionas primum opus confecit quadragenarius, alterum sexagenario minor.

ROGATVS AB HVNNA ABBATE REOMAENSI.

[a] In Hist. Mon. Reomaens.

[b] D. 28. Ian.

[c] An. 507. nn. 17. 18. an. 518. nn. 9. & seqq. an. 539. n. 19.

XVIII.

IONÆ ÆTAS,

Huius Auctoris ætas ita colligitur. Sanctus Attala Bobiensis Abbas, sancti Columbani successor, obiit sexto Idus Martias anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo, vt ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum [d] aliâ occasione probauimus. Ionas autem, cùm beatus Attala ad Deum migrauit, annos in Monasterio nouem duntaxat exegerat, vt ex eius Scriptis infrà citandis patebit. Iam verò si Cœnobium, vt admodum probabile videtur, ingressus est anno circiter ætatis decimo-sexto, natus erat annos circiter viginti-quinque, cùm sanctus Attala ex hac vita discessit. Hoc fundamento computationis posito, natus erat annos circiter quadraginta, cùm vitas Sanctorum, Columbani, Attalæ & Eustasij publicauit; annos circiter sex & quinquaginta, cùm vitam sancti Ioannis Abbatis Reomaensis à Monacho Reomaensi priùs scriptam recognouit auxitque. Vitas enim Sanctorum, Columbani, Attalæ & Eustasij, literis commendauit intra triennium ab obitu sancti Bertulphi, vitam verò sancti Ioannis Abbatis Reomaensis anno tertio Clotarij Regis exarauit. Sanctus autem Bertulphus, qui sancto Attalæ in administrationem Monasterij

[d] Num. 24.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

Bobienſis ſucceſſit, plebem ſibi commiſſam *per tredecim annos*, vt ipſemet Ionas in eius vita teſtatur, omni diligentiæ ſtudio gubernauit, annóque Chriſti quadrageſimo ſupra ſexcenteſimum inter mortales viuere deſiit. Annum autem Clotarij Regis tertium, quo Ionas ad Reomaenſe Monaſterium acceſſit, anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo illigamus.

XIX. Textus, quo Ionas docet ſe nouem duntaxat annis in Cœnobio conuerſatum eſſe, priuſquàm ſanctus Attala Deo ſpiritum redderet, talis eſt in eiuſdem ſancti Attalæ vita. *Cùm iam nouem annorum per circuitum in Monaſterio conuerſatus fuiſſem, & ſæpè parentes mei poſtulaſſent, vt ipſos eius permiſſu viſitarem, nec impetrare valuiſſent, quâdam poſteà die nullo inde mentionem faciente, ait. Vade, fili, feſtinus, & matrem fratrémque viſita, & nullâ morâ præpediente quantocyùs reuertere. Cùm autem ego differrem, & temporis opportunitatem euenire in proximo dicerem (erat enim tempus nimÿ frigoris, tempus videlicet Februarÿ menſis) ille reſpondit. Accelera iter quod dixi, nam ignoras vtrùm impoſterum liceat illud agere tibi. Datis ergo comitibus, Blidulpho Preſbytero & Hermenoaldo Diacono, viris religioſis, ad deſtinatum peruenimus locum, à Monaſterio diſtantem centum & quadraginta milliaribus. Quò cùm venimus, gratuitâ pietate à genitrice poſt tantorum interuallum annorum ſuſceptus ſum, ſed non diu genitrix optato fruitur dono. Nam eâdem nocte febre correptus, inter incendia clamare cœpi, me viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum aliquantiſper moram facerem, & ſi non me citò ſubmouens, quocumque poſſem conamine, ad Monaſterium repedarem, me citò morte præueniendum. Mater ad hæc, præſtat me ibi ſanum te ſcire, inquit, quàm hîc mortuum plangere. Fateor, longum fuit diei expectare aduentum. Vix erumpente Aurorâ, ad Monaſterium repedare ſtuduimus. Nequaquam ego cibi per triduum quicquam cepi, donec ad medÿ penè itineris loca pertingeremus. Feſtinantibus ergo & iter vrgentibus nobis, ſoſpitatem rurſum recepi, venientéſque ad Monaſterium, Patrem noſtrum Attalam iam febribus detentum reperimus, ac morti proximum. Ipſe verò viſis nobis gratulatus eſt. Sícque apertè cognouimus, viri Dei in hoc præualuiſſe preces, vt me vis febrium vrgeret citò ad Monaſterium ante eius exitum redire.*

XX. PATRIA. Ex eodem textu liquet Ionam, nec in Britannia, nec in Hibernia, quod plerique contendunt, ſed in Italia natum eſſe, domicilium enim matris à Bobienſi Monaſterio *centum* duntaxat *& quadraginta milliaribus* diſtabat. Non infieiamur luſtratas ab eo Hiberniam, Britanniam & Galliam. Ipſe enim in prologo vitæ ſancti Columbani præfixo teſtatur ſe pollicitum ante triennium, vt eiuſdem ſancti Columbani vitam in literas referret. *Memini*, inquit, *me ante hoc fermè triennium, fratrum conniuentiâ flagitante, vel beati Bertulphi Abbatis imperio iubente, cùm apud eos Apenninis ruribus vagans, in Bobienſi Cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, vt almi Patris Columbani meo ſtuderem ſtylo texere geſta.* Deinde ait ſe toto illo triennio vel vectum eſſe *per oras Oceani*, vel commoratum in lenta *Elnonis* palude viciníſque locis, vbi venerabilis Amandus Euangelium Dei prædicabat. Poſtremò, poſtquàm aſſeruit ſe non eo conſilio ſcribere, vt viris eruditis coæquari velit, viros doctos deſignat per aromata Arabica, per nardum Indicum, per lapides pretioſos; ſe verò per butyrum Hiberniæ, per pinifera iuga Apennina, per Galliæ ſuccinum, & quemadmodum aliorum eruditioni ſuam inſcitiam, ſic aromatibus Arabicis butyrum opponit Hiberniæ, nardo Indico pinifera iuga Apennina, pretioſis lapidibus ſuccinum Galliæ. *Si quædam aliquis non ritè diſtincta, ac de induſtria corrupta repererit, reiicienda indicabit, præſertim ſi doctorum facundiâ fultus, affatim ſcientiâ oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc veſtigia tendere, vt nos putemus doctorum greſſibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madentes, virides campos flore pinxerunt; nobis vix arida tellus arbuſta gignere nouit. Illi dites balſami lachrymâ ex Engaddi, floréque aromatum ex Arabia; nobis ex Hibernia vix butyrum pingueſcit. Illi piper nardúmque ſumunt ex India; nobis pinifera iuga Apennina, iuga, quæ zephyriis rigeſcunt frigore flabris, vix tandem ſaliuneulam præbent. Illi pretioſi la-*

AN. CH. 658.

CLOTAR. III. R. 3.

pidis vanitate gloriantur, nobis [illegible] temerarium videtur Gallia succino gloriari. Prius-quàm vlteriùs progrediamur [illegible] obiter nota quid Ionas per has voces intelligat, *de industria corrupta*. Super[illegible] ore Tomo[a] ad annum Christi quingentesimum octogesimum-quintum, qu[illegible] Attala Vapingo Lirinum secessit, obseruauimus hunc Ionæ morem esse [illegible] scribendo, vt immeritò vituperet complures eorum qui familiaritatem ini[illegible] unt vixerúntque cum Sanctis, quorum vitam literis commendandam susci[illegible]. In illis casibus *quædam* ab eo *de industria corrupta*, rectè pronuntiabis. Su[illegible] tamen existimationis haud adeò negligentem atque incuriosum fuisse susp[illegible] amur, vt apud posteros haberi voluerit Historicæ veritatis corruptor *de* [illegible] *dustria*. Quapropter *quædam* à se non in sensu sed in stylo *de industria cor*[illegible]*pta* scribit, idque sic interpretamur ob subsequentes periodos, in quibus [illegible] otestatur se multùm ab iis differre, qui *doctorum facundiâ* fulciuntur, *affat*[illegible] *scientiâ* opplentur, & *rore eloquentiæ* madent.

a Num. 13.

STYLVS.

XXI.

A tempore, quo Ionas vita[illegible] sancti Columbani scripsit, vsquedum vitam sancti Ioannis Abbatis Reoma[illegible]sis recognouit, elapsi sunt anni circiter sexdecim. Quibus in locis inter[illegible]llo tot annorum versatus sit, haud scimus. Curam tunc alicuius Monaster[illegible]ij suscepit, in quo Regula sancti Columbani vigebat. Id constat ex anno[illegible]atione iam recitata, quæ sancti Ioannis Abbatis Reomaensis vitæ præfixa [illegible]reperitur. Ibi enim & asseritur *Abbas*, & *disciplinæ beati Columbani eruditus* [illegible] prædicatur. A quibusdam Abbas vocatur Bobiensis, sed nec eius nomen [illegible] in catalogo Bobiensium Abbatum inuenitur, nec Abbatis Bobiensis operâ vsos putamus Clotarium Regem, eiúsque matrem Baltichildem, quia Bobium extra Franciæ fines in Longobardorum Regno situm erat. In Francia florebant Monasteria non pauca, sub instituto sancti Columbani, cuipiam illorum præfuit Ionas, qui laudatur in vita sancti Walerici ab Auctore propè æquali, dicitúrque *eruditus discipulus discipulorum eius*, nempe sancti Columbani, quia paulò post eiusdem sancti Columbani obitum in Cœnobio Bobiensi Monachum induit.

AN ABBAS BOBIENSIS.

XXII.

HVNNA AETAS.

Hunna Reomaensis Abbas, qui Ionam Abbatem benignissimè suscepit, & vt S. Ioannis primi Reomaensis Abbatis vitam conscriberet, flagrantissimis precibus rogauit, fuit vnus ex sancti Columbani discipulis in Monasterio Luxouiensi, superstésque dicitur in viuis anno Domini sexcentesimo sexagesimo-quarto. Vtrumque refert Rouerius[b] ex notis Chronologicis catalogi veteris, in quo Reomaenses Abbates per ordinem recensentur; obseruátque Clotarium Secundum, Tertij loco, ad prædictum annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quartum in iisdem notis perperam nominari. Vixit quidem Hunna Monachus in Cœnobio Luxouiensi sub Abbate Columbano, cùm Neustria, pars Regni Francici, penes Clotarium Secundum erat, sed hic Clotarius ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quartum minimè peruenit, obiit enim anno Christi sexcentesimo duodetricesimo, rectéque ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quartum restituitur Clotarius Tertius, Secundi pronepos, qui Clodoueo Secundo successit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, Regnúmque per annos quatuordecim ad annum vsque Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum tenuit.

b In Hist. Reomaens. Abb. 7. c. 2.

XXIII.

Extat in Historia Reomaensi[c] Priuilegium, per quod Guillencus Episcopus Lingonensis Bernardo Abbati Reomaensi Riciacum & alias Ecclesias anno Christi millesimo centesimo vicesimo-sexto confirmauit. In illo Priuilegio Guillencus meminit Priuilegij longè antiquioris, quod Reomaensi Monasterio Sigoaldus Episcopus Lingonensis olim concesserat. Rouerius[d] hoc Sigoaldi Priuilegium ait ad tempora spectare vel Abbatis Celsi qui successit Hunnæ, vel Abbatis Mascharæ qui Celso subrogatus est, nos verò referendum potiùs arbitramur ad Abbatis Hunnæ tempora, si catalogi Lingonensium Episcoporum & Abbatum Reomaensium consulantur.

c Abb. 41. c. 5.

d In Hist. Reomaens. Abb. 9.

XXIV.

EPISCOPI LINGONENSES.

Modoaldo, quem anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto sedisse cons-

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3.

tat, in Episcopatum Lingonensem successit Bertoaldus superstite in viuis Clotario Secundo Rege, cuius obitus in annum Christi sexcentesimum duodetricesimum incidit. Anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto celebratum est Concilium Cabilonense, cui subscripsit idem Bertoaldus annum Pontificatûs ad minimum iam agens decimum-septimum. Bertoaldo successit Sigoaldus, hícque vix censendus est ad annum Christi sexcentesimum duodesexagesimum peruenisse, quo Hunna Reomaensis Abbas Ionam Abbatem hospitio suscepit. Ab illo enim anno ad annum vsque Christi sexcentesimum octogesimum-sextum, quo Lingonensis Episcopus erat Eronus, intercesserunt anni duntaxat duodetriginta. Catalogus autem Episcoporum Lingonensium à Sigoaldo ad Eronum quatuor exhibet Antistites, Wlfrannum, Godinum, Adoinum siue Adonium, & Garobaldum seu Gaarbaldum aut Gairbaldum, quorum sola supersunt hodie nomina, gestis, quæ Chronologos iuuare possent, altâ obliuione consepultis.

XXV. MONASTERII REOMAENSIS ABBATES.

Hunna Reomaensis Abbas, quocum Ionas apud Reomaum anno tertio Clotarij Regis, id est, anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo, conuersatus est, Sigoaldo Lingonensium Episcopo superstes vixit. Ab illo enim anno vsque ad Dagoberti Tertij Principatum, cuius initium anno Christi septingentesimo vicesimo-primo collocatur, in veteri Reomaensium Abbatum catalogo quatuor duntaxat Abbates, Celsus, Maschara, Deodatus & Samuel enumerantur. Hic obiit regnante prædicto Dagoberto. De tribus aliis præter nomina & ordinem, quo singuli præfuerunt Asceterio, nihil occurrit.

XXVI. PRIVILEGIVM.

Guillencus Lingonensis Episcopus Priuilegium Reomaensi Monasterio ab antecessore suo Sigoaldo concessum sic commendat. *Priuilegium Sigoaldi Episcopi de consecratione Abbatis, de fraterna dilectione, de charitatiua fratrum castigatione & emendatione, sed & de omnibus, quæcumque Episcopaliter præcepit & confirmauit, laudamus & confirmamus.* Hinc patet Priuilegium, quod Reomaensi Monasterio Sigoaldus Lingonensis Episcopus indulsit, ad duo capita potissimùm reduci, *de consecratione* videlicet *Abbatis*, & *de fratrum castigatione*. Vtrumque caput continetur in formula Priuilegij, quam Marculfus [a] Auctor coætaneus exhibuit. Primum sic. *Iuxta dispensationem diuinam cùm Abbas de ipso Monasterio à Domino migrauerit, quem vnanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis, optima Regulæ comparatum, & vita meritis congruentem, similiter sine præmio memorata vrbis Episcopus ipse promoueat Abbatem*, id est, Monachum Abbatiali titulo dignum, quem tota fratrum Congregatio ex suo cœtu ad illud Abbatis officium elegerit, Episcopus Diœceseos, in qua Monasterium situm est, Abbatem promoueat seu benedicat absque præmio, nec Abbatis absque suo interuentu electi benedictionem recuset differátve. Secundum sic. *Si aliquid ipsi Monachi, de eorum religione tepidi, aut secùs egerint, secundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, si praualet, corrigantur; sin autem, Pontifex de ipsa ciuitate coercere debet, quia nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur*, id est, cura corrigendi Monachos sit penes Abbatem cedente Episcopo, sed posito casu quòd Abbas Monachos corrigere vel nequeat vel nolit, eadem cura, vt anteà, penes Episcopum maneat. Illis de rebus actum iam fusiùs à nobis ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum, cùm explicuimus integram Marculfi formulam, quæ multò plures Priuilegij partes amplectitur.

[a] L. 1. c. 1.

XXVII. Iure igitur communi Lingonensis Episcopus, in cuius Diœcesi Reomaus, Abbatem Reomaensem eligebat ordinabátque, necnon ideo quid præmij percipiebat, prætereà Monachos ipsos Reomaenses, si deliquissent, Canonicâ plectebat animaduersione. Sigoaldus Episcopus illo iure vsus est, vt patet ex Honnæ Abbatis electione, qui sub eius Pontificatu factus est Abbas Reomaensis ex Monacho Luxouiensi. Suo iure postmodum cessit, permisit enim Monachis Reomaensibus, vt, Abbate mortuo, successorem, quem vellent, modò tali officio dignus existeret, è sua Congregatione deinceps eligerent à se suísque

que

que successoribus Episcopis sine præmio promouendum, id est, ordinandum seu benedicendum, curámque corrigendi Monachos Abbati reliquit, potestate tantùm sibi reseruatâ eos corrigendi, quos Abbas corrigere vel nollet vel non posset. Hæc sunt duo præcipua capita, quæ, teste Guillenco Lingonensi Episcopo, distinctè legebantur in Priuilegio, quod Sigoaldus Lingonensis Episcopus in gratiam Reomaensium Ascetarum emisit *de consecratione Abbatis & de fratrum castigatione*. Porrò, cùm Guillencus addat, *Priuilegium Sigoaldi Episcopi de omnibus, quacumque Episcopaliter præcepit & confirmauit*, à se laudari quoque ac confirmari, Priuilegium illud Sigoaldi consentaneum omnino arbitrare formulæ Priuilegij, quam ex Marculfo recitauimus ac notis illustrauimus ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum, cùm Priuilegium Landerici Parisiensis Episcopi pro Monasterio San-Dionysiano examinaremus. AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 5.

Abbates Reomaenses hoc ordine recensentur; sanctus Ioannes, sanctus Siluester, Mummolus, Leopardinus, Sicharius, Bobo, Hunna. De quatuor prioribus multa diximus suis locis. Sicharij & Bobonis sola supersunt hodie nomina. Sors Hunnæ paulò felicior fuit, vt liquet ex prædictis. Petrus Rouerius illustratione centesimâ quadragesimâ-tertiâ Historiæ Reomaensis *Bobonem extremum è discipulis S. Ioannis, Hunnam primum S. Columbani* vocat, eâque distinctione non obscurè testatur Regulam sancti Columbani in Reomaensis Monasterij mores inductam fuisse, cùm Hunna ex Monacho Luxouiensi constitutus est Abbas Reomaensis. Sanctus Ioannes Reomaense Monasterium in suo fundo priùs erexit, quàm beatus Maurus ex Italia & sanctus Columbanus ex Hibernia in Gallias venirent, id est, priusquàm Regulæ sanctorum Benedicti & Columbani in iisdem Galliis audirentur. Monachis apud Reomaum vicum à Reomo * riuo præterfluente sic nuncupatum congregatis, primùm Regulam quam ex multis Galliarum Monasteriis collegerat, deinde Macarianam præscripsit, vt docet Ionas in eius vita, libro primo, capitibus tertio & septimo, obseruauimúsque Tomo primo ad annos Christi quadringentesimum octogesimum-sextum [a] & quadringentesimum nonagesimum-sextum, vbi captâ occasione Regulam sancti Macarij descripsimus explicuimúsque. Septimo seculo suscepta est à Monachis Reomaensibus Regula sancti Columbani, cùm Hunnæ Monacho Luxouiensi Abbatiales Infulæ Cœnobij Reomaensis essent delatæ. XXVIII. VARIÆ REGVLÆ. * La Reome. a Num. 25.

De Hunna septimo Abbate Reomaensi nihil ampliùs recurret, neque etiam de Abbate Iona, quem hospitio apud Reomaum excepit. De vtriusque ætate iam satis diligenter inquisiuimus, vt Hunnam Ionâ seniorem fuisse credas. Hunna enim Monasticam vitam in Luxouiensi Cœnobio duxit ante annum Christi sexcentesimum decimum, seu priusquàm sanctus Columbanus è Luxouio totâque Burgundiâ pelleretur; Ionas verò Bobiense Monasterium ingressus est, nuntiúmque rebus secularibus remisit, cùm regimen Cœnobij penes beatum Attalam erat, quem sancto Columbano è viuis erepto in administrationem Asceterij Bobiensis anno Christi sexcentesimo decimo-quinto successisse constat. XXIX.

R. P. Franciscus *Sarrebource* Presbyter nostræ Congregationis ac Superior Domûs & Collegij Cenomanensis nuper ad nos transmisit *Compendium Historiæ Abbatiæ Sancti Vincentij Cenomanensis*, quod nobis communicandum acceperat à Reuerendissimo Patre Francisco *Cheurier*, illius Monasterij Abbate Benedictino è Congregatione sancti Mauri. Manuscripto illo Codice sæpiùs vtemur, quia catalogum exhibet Abbatum, quorum nomina post diligentem admodum perquisitionem reperiri potuerunt à primo Cœnobij conditu vsque ad Iacobum *le Mercier* Abbatem Benedictinum è Congregatione Casalis Benedicti, qui factus est Abbas anno Christi millesimo sexcentesimo duodetricesimo, & Reformationem Congregationis sancti Mauri in Monasterium induxit. XXX. MONAST. S. VINCENTII CENOMAN.

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 3. XXXI.

Erectum est hoc Cœnobium à sancto Domnolo Cenomanensi tunc Episcopo, qui Leusium ei ptimum Abbatem præposuit, vt ad annum Christi quingentesimum septuagesimum-secundum [a] Tomo superiote dictum est. Leusium in prælaudato Abbatum catalogo sequuntur, Tirmius, Richardus, Goscelinus, floruerunt autem, Tirmius anno Christi sexcentesimo-secundo, Richardus anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo, Goscelinus hoc anno, Christi sexcentesimo duodesexagesimo. Agemus infrà de successoribus eiusdem Goscelini.

[a] Num. 7.

ABBATES.

---

659. CLOTAR. III. R. 4.

ANNVS
CHRISTI 659.
CLOTARII III. R. 4.

I. S. GERTRVDIS MORITVR.

ANNO Christi sexcentesimo vndesexagesimo, decimo-sexto Kalendas Apriles, die Dominico, Gertrudis Abbatissa quondam Niuellensis ad Deum feliciter migrauit. *Beatissima Gertrudis*, inquit Author vitæ coætaneus, *posteaquàm se Abbatissæ administratione abdicauit, triennij ferè spatio perpetuis vacabat precibus & sacris exhortationibus, Deíque verbum tum sibi tum suæ curæ creditis annuntiare non destitit. Erat interim spe gaudens, in rebus duris & aduersis patiens, mente inuicta, vultu placida & serena, valdè sitiens supremum vitæ suæ diem, quippe quæ peroptaret è carcere ad regnum, è tenebris ad lucem, à morte proficisci ad vitam. Degebat inter mortales solo corpore, nam animo quotidie transibat ad cælestia, continuis precibus & abstinentiæ afflictioni singulariter addicta. Et licèt tenera esset corpuscula, attamen asperis illud ciliciis macerabat, nihil sibi in hac vita refrigerij aut laxamenti indulgens, vt posset illic beatissimâ frui quiete, vbi iusti fulgebunt sicut Sol, nempe in regno calorum. Cùm autem ad supremum vitæ diem venisset, planè decreuit, ne quidquam omnino, id est, nullum neque laneum neque lineum indumentum eius corpusculo adhiberetur, præter velum quoddam penè nullius precij, quod quædam peregrina Sanctimonialis ante complures dies illi pro benedictione miserat, vt illo caput eius tegeretur, porrò in sepulchro cilicium poneretur, nec alio operimento se contegi voluit, nisi cilicio quo erat induta, & panno veteri quo cilicium illud tegebatur. Dicebat enim superflua nihil neque viuentibus neque morientibus posse conferre; quod quidem ita se habere, etiam sapientes affirmant. Cùm iam propè adesset dies migrationis eius, vni ad se accito è fratribus dixit. Abi celeriter ad illum peregrinum Monachum, qui Vltanus dicitur, degítque in Monasterio, quod Fossuense appellant, dicásque illi. Virgo Dei Gertrudis misit me sciscitatum ex te, quo sit die ab hac luce decessura, valdè enim se formidare dicit, pariterque lætari. Porrò ab illo auditurus es, quæ ad me responsa ferre debeas. Abi igitur nihil hæsitans. Fecit ille quod iussus erat, respondítque ei seruus Christi Vltanus. Crastinâ die intra Missarum solennia Christi virgo Gertrudis è corpore abscedet, dicas verò illi, ne quicquam trepidet ad suum obitum, sed læta proficiscatur, sancto Patricio Episcopo cum beatissimis Angelicis spiritibus eum ingenti gloria ipsam excepturo. Interrogante fratre, num hæc diuinitus ipsi essent reuelata, ille respondit. I properè, certus illam cras Domino spiritum reddituram. Quid prætereà ex me requiris? Abiit itaque frater, & omnia ordine enarrauit sanctæ Gertrudi. Illa quasi è somno euigilans gratias egit Deo, quòd per seruum suum ipsam dignatus esset consolari, multúmque illâ promissione exhilarata totam noctem cum sororibus in Psalmis & precibus duxit insomnem, die autem postero, qui erat Dominicus, horam circiter sextam, vt vir Dei prædixerat, sacratissimum Christi Corporis & Sanguinis viaticum accepit, cúmque Sacerdos precem illam, quam Secretam vocant, absoluisset, anno ætatis suæ tricesimo tertio, decimo-sexto Calendas Aprilis, gratias agens piissimo Creatori, quòd à corpo-*

ris corruptione alienam ipsam ad suum regnum vocare dignaretur, feliciter in Domino obdormiuit. Dies ille Martij decimus-septimus, qui Dominicus erat, annum denotat præditum literâ Dominicali F per mensem Martium. Talis fuit annus Christi sexcentesimus quinquagesimus-nonus, quo Gertrudem mortuam asserimus. Talis fuit & annus Christi sexcentesimus sexagesimus-quartus, quo Sigebertus in suo Chronico mortem eiusdem Gertrudis consignauit. Vtraque sententia suos habet asseclas, plures posterior, hanc secutus & Miræus in fastis Belgicis, illam autem in Chronico Belgico re diligentiùs examinatâ. Cur à Sigeberto recedamus, ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-sextum exposuimus suprà. AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

Sancta Gertrudis eâdem horâ, quâ migrauit è vita, Modestæ Anristitæ apparuit. Multi volunt Modestam, Modoaldi Treuirensis quondam Episcopi ex sorore neptem, in Horreo Treuirensi Abbatissam fuisse post Irminam, Dagoberti Regis filiam, sed aduersatur ratio temporum, quia Dagobertus, cuius filia Irmina primum inter Horreenses Antistitas locum obtinuit, in Hibernia tunc exulabat adhuc adolescentulus. Rectè Browerus monet Modestam alumnam extitisse Cœnobij, quod in Auendensi Comitatu à sancto Romarico extructum fuit. Quapropter in sanctæ Gertrudis Niuellensis vita, cuius textus non semel deprauatus errori dedit occasionem, nonnulla sunt corrigenda. Ac primùm non ita legendum est, *in Treuirensi Monasterio Abbatissa fuit, Modesta nomine*, sed potiùs *in Auendensi Monasterio*, id est, in Sancti Montis Cœnobio, cui Modesta præfuit post Gebertrudem sancti Romarici neptem, cuius mentionem ante septennium fecimus. Deinde ad illum locum, *cùm autem crastinus dies aduenisset, ciuitatis Episcopus, nomine Clodulphus, venit ad Monasterium prædicta Modesta*, non legi debet, *ciuitatis eiusdem Episcopus*, vt in quibusdam manuscriptis Codicibus substitutum reperitur, aut *Treuirensis Episcopus* vt Surius edidit, sed *ciuitatis Metensis Episcopus*, tunc enim Meris sedebat Chlodulphus, cuius frater Ansigisus Dux sanctam Beggam Gertrudis sororem in vxorem duxerat, Treuiris verò Pontificatum gerebat Numerianus. His ita prænotatis, quomodò sancta Gertrudis eâdem horâ quâ decessit, Modestæ Auendensi Abbatissæ apparuerit, audiamus ex Authore vitæ, quem Surius edidit mutato stylo. *Multis quidem*, inquit, *à se inuicem milliaribus corpore disiuncta erant, at amor eas sibi mutuò præsentes semper exhibebat*, &c. *Modesta Abbatissa Cœnobij sui templum precandi animo ingressa, cùm se ante aram beatissima Virginis prostrauisset, atque inde finitâ precatione surrexisset; subitò vidit ad dextrum altaris latus sanctam Gertrudem adstare eo in habitu quo vti consueuerat; audiuit etiam illam sibi dicentem. Soror Modesta, nihil de huius visionis veritate ambigas, sed certò noueris me hodie migrasse è vita. Ego enim sum Gertrudis, quam summoperè amasti. His dictis ab eius oculis disparuit. At illa secum tacita cogitabat, quid sibi ea vellet visio, nihil tamen illo die cuiquam indicare voluit. Alterâ autem luce venit ad Monasterium eius* Metensis *Episcopus Clodulphus*, malè *Treuirensis* in editione Suriana nuncupatus, *ex quo illa inter alia percontabatur de sancta Gertrude, quo habitu vel formâ corporis illa fuisset. Ille mox ordine exposuit & staturam corporis eius & forma elegantiam. Itaque ex eius verbis cognouit sacra virgo Modesta veram sibi oblatam fuisse visionem, atque ad Episcopum. Confiteor nunc tibi, Domine Episcope, quod hactenus celaui, reuelatum mihi esse hesternâ die, horâ quasi sextâ ex hac luce illam abiisse. Episcopus diem & horam annotauit, & rem ita se habere, vt Abbatissa dixerat, comperit.* II. APPARET MODESTÆ ABBATISSÆ AVENDENSI.

Idem Author ait vocatum se in Monasterium Niuellense cum Richino, vt Moniales, quæ Gertrudem mortuam deflebant, aliquâ consolatione reficeret, testatúrque cellulam, in qua corpus iacebat, miro prorsus odore completam fuisse. *Tunc verò ego*, inquit, *vnà cum fratre Richino accersitus eò sum, ob Sorores eius mœrentes obitu consolandas. Dixit autem ad me frater ille, sentisne aliquid? Respondi. Nihil equidem sentio, sed Sorores video mœstissimas. Hoc cum dixissem, suauissimus erupit odor, tanquam fragrantium vnguentorum, totam com-* III. SEPELITVR IN SVO MONASTERIO.

plens cellulam, vbi sacrum Virginis corpusculum honorificè iacebat, inhæsitque diu illa miri odoris suauitas nostris naribus etiam posteaquàm è cella digressi eramus. Impletis autem funeris officiis in cistella, quam ipsa olim sibi parauerat, à Sacerdotibus & Christi ancillis cum diuinis laudibus sacrum beatissimæ Virginis corpusculum honorificè conditum est, vbi quotidie orantibus multa diuinitus præstantur beneficia.

IV. In Tabulis Ecclesiasticis, sexto-decimo Kalendas Aprilis ponitur *in Hibernia natalis Sancti Patricij Episcopi & Confessoris, qui primus ibidem Christum euangelizauit, & maximis miraculis & virtutibus claruit, &c. Niuigellæ in Brabantia, Sancta Gertrudis, quæ clarissimo genere orta, despiciens mundum, & toto vitæ suæ cursu in omnibus sanctitatis officiis se exercens, Christum sponsum in cælis habere meruit.* Vtriusque memoriæ sacratus fuit idem dies obitûs, & sanctus Patricius sanctæ Gertrudi, vt dictum est, in morte obuiam factus declarauit, quantùm sibi placuerit, quòd Foillanum, Vltanum, aliósque Apostolicos ex Hibernia prædicatores recepisset & fouisset. Apud Molanum [a] præterea *secundâ die Decembris recolitur consecratio Sanctæ Gertrudis Virginis; quarto Idus Februarij, eleuatio corporis; tertio Calendas Iunij, translatio in nouum feretrum.*

[a] D. 17. Mart.

V. Exequiis sanctæ Gertrudis interfuit Vltanus Abbas. Id in dubium vocari non debet. Fuit Vltanus Abbas Fossensis ac Peronensis. Fossæ * tamen à Perona non parum distabant nec ad eundem pertinebant Episcopatum, sitæ enim erant in prouincia Interamnensi Diœceseos Traiectensis supra Namurcum inter Mosam & Sabim, Perona verò ad læuam Somonæ ripam in Diœcesi Nouiomensi. De Monasterij Peronensis, aut potiùs de Monasteriorum Peronensium, vt & de Cœnobij Fossensis origine actum suprà. Duo virorum Monasteria, cùm beatus Furseus in cælum migrauit, ab Erchinoaldo Maiore domûs anno Christi sexcentesimo quinquagesimo construebantur, vnum intra pomœrium Peronæ, alterum mediâ leucâ ab oppido Perona in Monte sancti Quintini. Intra pomœrium Peronæ, vbi olim Monachorum Conuentus, hodie Collegium est Canonicorum. Monasterium autem virorum in Monte sancti Quintini etiamnum conspicitur, vocatúrque Monasterium sancti Quintini de Monte, vbi degunt Monachi Benedictini è Congregatione sancti Mauri. Solo à Nortmannis adæquatum fuit hoc Monasterium, ideóque nullæ supersunt primæuæ fundationis notæ, præter literas Adalberti Viromanduorum Comitis, è quibus instaurationem pariter & aliquantulam originis eiusdem Cœnobij notitiam percipere est. Initium illarum literarum inter obseruationes ad Guiberti Abbatis opera sic legitur. *Ego Adalbertus Comes notum esse volo tam præsentibus quàm futuris, in meo Virodumensi Comitatu ab antiquo tempore extitisse Ecclesiam in honore Sancti Quintini Martyris dedicatam, in Monte sitam, iuxta vicum Peronam, quam quondam Dagoberti Regis authoritate, Erchenaldi Præfecti donatione, Sancti Eligij Pontificis benedictione, Vltanus quidam genere Scotus, professione Monachus, Ecclesiasticis Sanctionibus ac Monasticis instituit Institutionibus, Abbatis honore functus, post cuius vitæ excessum, incuriâ ac barbarorum insectatione ad tantam desolationem ipsa peruenit Ecclesia, vt vix rara antiquæ habitationis apparerent vestigia. Hanc igitur pro mea remedio animæ, prædecessorum siue hæredum meorum salute, diuinâ compunctus inspiratione, iussi à fundamento reædificare, & Abbate constituto, cum consilio fidelium meorum, Abbatiam studui dotare, sícque in perpetuum ratum & inconuulsum permanere. Huius autem dotis res hæ sunt,* &c. Auditâ sancti Fursei morte, duo eius fratres Vltanus & Foillanus in Gallias è Britannia statim transfretarunt, & vt Hugo Menardus [b] ex veteri Codice manuscripto sancti Arnulphi Metensis refert, *diuersati sunt apud Sanctam Itubergam eiúsque filiam Geretrudem virginem Sanctissimam. Sancta igitur Geretrudis cùm eorum sanctimoniam perspectam & exploratam haberet, dedit eis villam vulgò Fossas dictam, vt in ea Monasterium construerent & Xenodochium. Monasterium regebat Vltanus. Sanctus verò Foillanus se Sanctæ Geretrudis adiunxit contubernio.* Fuit igitur Vltanus Abbas trium Monasteriorum, Fossensis, Peronensis & sancti

* Fossæ.

AB VLTANO ABBATE FOSSENSI PERONENSI

[b] In Append. ad lib. 1. Obseruat. d. 31. Oct.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4. ET SAN-QVINTINENSI.

Quintini de Monte. Foſſis vitam potiſſimùm duxit ſuperſtite Gertrude, vt conſtat ex iis quæ de Martyrio ſancti Foillani déque obitu ipſiuſmet Gertrudis ſuprà narrauimus; Peronæ verò & in Monaſterio ſancti Quintini poſt mortem eiuſdem Gertrudis, vt infrà patebit ex iis quæ de ſancto Amato Senonenſi Epiſcopo dicemus. Lapſu temporis vt Peronæ ſic & Foſſis ex Monachorum Cœnobio factum eſt Collegium Canonicorum. En ratio, cur Abbatum, qui Monachos Foſſenſes ac Peronenſes rexerunt, indices hodie deſiderantur. Catalogus autem Abbatum San-Quintinenſium * de Monte collectus eſt è veteribus eiuſdem Monaſterij chartis à Stephano *le Gris* Monacho Benedictino Congregationis ſancti Mauri prædictíque Cœnobij San-Quintinenſis tunc Priore, prodiítque primùm in lucem anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-primo inter notas & obſeruationes ad opera venerabilis Guiberti Abbatis beatæ Mariæ de Nouigento * publicatus à Luca Dacherio prælaudatæ Congregationis Monacho ac Bibliothecæ San-Germanæ de Pratis præfecto. A primo Cœnobij San-Quintinenſis conditu vſque ad inſtaurationem poſt cladem à Nortmannis illatam ſupereſt nomen vnius duntaxat Abbatis, Vltani videlicet, de quo ſic Nomenclator. *Proto-Abbas Sanctus Vltanus*, &c. *anno reparatæ ſalutis 643. Abbatiæ Sancti Quintini Montenſis ab Erchenaldo Viromanduorum Comite præficitur, quemadmodum ex prædictis Adalberti literis perſpectum habetur. Ad ſuperos exceſſit anno Chriſti 686.* Literæ Adalberti Comitis, vt ex earum fragmento ſuprà recitato liquet, annum, quo San-Quintinenſi Monaſterio præpoſitus eſt Vltanus Abbas, determinatè non notant, innuunt tantùm tempus, quo Dagobertus apud Francos regnabat, Erchinoaldus Maior erat domûs Regiæ, Nouiomenſem Eccleſiam adminiſtrabat Eligius Epiſcopus. At hi Characteres ſimul conuenire non poſſunt, quia Dagobertus Rex Francorum priùs obiit, quàm Maioratum Regiæ domûs ſuſciperet Erchinoaldus, aut Eligius ad Infulas Nouiomenſes aſſumeretur. Anno enim Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo diſceſſit ex hac vita Rex Dagobertus; & anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo conſecuti ſunt, Erchinoaldus Maioratum, Epiſcopatum Eligius. In literis igitur Adalberti Comitis, vbi nomen Dagoberti legis, illius loco Clodoueum eiuſdem Dagoberti filium ac ſucceſſorem repone. Sed nec ex hac emendatione ſequitur annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-tertium in textu Nomenclatoris retinendum eſſe. Illo quidem anno regnabat Clodoueus, Maioratu fungebatur Erchinoaldus, Eccleſiæ Nouiomenſi præerat Eligius; at vitam ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum beatus produxit Furſeus, eóque mortuo frater eius Vltanus in Franciam primùm venit. Ergo Vltanus vt Foſſenſis Monaſterij ſic & Peronenſis ac San-Quintinenſis factus eſt Abbas poſt obitum ſancti Furſei, ſuperſtite tunc in viuis Clodoueo Rege, cuius mors anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto contigit; Maioratum Regiæ domûs exercente Erchinoaldo, cuius obitum in hunc annum, Chriſti ſexcenteſimum vndeſexageſimum conicimus; Nouiomenſem Diœceſim adminiſtrante Eligio, qui Kalendis Decembribus eodem quo prædictus Erchinoaldus anno deceſſit. De anno, quo Nomenclator ſuprà citatus mortem Vltani Proto-Abbatis San-Quintinenſis conſignat, diſputabimus alio loco.

* *Abbez du Mont Saint Quentin.*

* *Nogent ſous Coucy.*

VI. In Diœceſi Bituricenſi vicus eſt, qui Sanctæ Montanæ nomen ad hunc vſque diem ſeruat. Ibi Kalendis Octobris quot annis colitur Sancta Montana virgo, cuius vitam Philippus Labbeus [a] ex illius loci legendario, quod etiam per R. P. Nicolaum *de Gresbemaiſnil* noſtræ Congregationis Preſbyterum conſuluimus, publicauit ſanctæ Gertrudis vitæ à Surio [b] editæ adeò conformem, vt beata Gertrudis in Epiſcopatu Bituricenſi ſub nomine ſanctæ Montanæ celebrari videatur. Exemplar vtriuſque vitæ ob oculos tibi ſubiicimus.

CONFVNDITVR CVM MONTANA.

[a] Tom 2. Biblioth.

[b] D. 17. Mart.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

VITA SANCTÆ GERTRVDIS ex editione Suriana.

PROLOGVS.

SANCTA ac indiuiduâ persuasi charitate credimus, & stabili atque inconcussâ fide tenemus, iis, qui iter illud, quod ad cælestem perducit patriam, ingredi, cunctáque huius labentis seculi lucra & emolumenta abiicere cupiunt, ad æterna illa capessenda præmia impendio hoc adminiculari, si res gestas Sanctorum vtriusque sexûs hominum, ad aliorum profectum & ædificationem, vel breuiter, at bonâ tamen fide, siue scribendo siue concionando commemoremus; vti illorum exempla pectorum nostrorum tenebras flammâ feruentis amoris & ardore sanctæ compunctionis illustrent. Atque hanc ob rem, adiuuante nos omnium opifice Sancto Spiritu, de vita beatissimæ Virginis Christi Gertrudis, eiúsque conuersatione, quâ secundùm Deum & Monasticam disciplinam, dum esset in humanis, regulariter vixit: ad exemplum sanctæ familiæ Christi, ea iam scribere aggrediar, quæ vel ipse meis vidi oculis, vel à testibus idoneis & fide dignis accepi; maximè id à me poscente sacrâ virgine & Abbatissâ Dominicanâ, sanctâque Niuellensis Cœnobij, cui Gertrudis beatissima præfuit, Congregatione.

Caput primum.

Et quidem, quòd ad illius genus & familiam attinet, longum est ea hic recensere: præsertim cùm in tota Europa apud omnes peruulgata sint clarissimæ stirpis huius & loca & nomina. Ad alia igitur accedamus. Cùm in paternis ædibus versaretur sacra puella Gertrudis, ad pedes beatæ memoriæ parentis suæ Ittæ, die ac nocte Verbi Dei sapientiam meditabatur, Deóque chara & hominibus grata ac amabilis, coætaneas suas longè anteibat. Fuit verò hoc primum illius in Christi seruitio initium, quemadmodum ab homine veraci & iusto, qui præsens illic aderat, cognoui. Cùm pater illius Pipinus Regem Dagobertum in suas ædes ad splendidas epulas inuitasset, quidam eò adolescens aduenit, filius Ducis Aus-

VITA SANCTÆ MONTANÆ ex editione Labbeana.

PROLOGVS.

INSEPARABILI charitate atque stabili fide tenemus, quòd desiderantes cælestis patriæ vitam tenere & terrena lucra funditus relinquere, ad æterna præmia obtinenda valeret adiuuare, si fidem, vitam vel conuersationem Sanctorum Sanctarúmque Christi Virginum ædificationem vel profectum Dominicorum veraciter alicuius liceat pauca scribendo aut prædicando studio commendare, quatenus Sanctorum Sanctarúmque Virginum præcedentium exempla cordis nostri tenebras flammâ charitatis & ardore sanctæ compunctionis valeant illuminare. Propterea omnium opifice Spiritu Sancto adiuuante de beatissimæ Virginis Christi atque Matris familiæ Montanæ exemplo & conuersatione, quæ secundùm disciplinam regularem vixit sub axe cæli iuxta id vel quod vidimus, vel per idoneos testes audiuimus, adiuuante Christo, atque sanctæ puellæ Dominicæ Abbatissæ orationibus, vel sanctâ Congregatione Monasterij, vbi sancta Virgo præesse videbatur, postulante, scribendo conabor charitati vestræ intimare.

Caput primum.

Sed quo ordine de terrena origine genealogiam assumpserit huic sermoni miscere longum est. Quisnam in Europa habitans huius progeniei altitudinem vel nomen ignorat & loca? Igitur cùm esset in domo parentum Sancta Dei puella Montana secus pedes genitricis suæ die ac nocte & verbo & sapientiâ nitebatur. Erátque Deo chara & hominibus amica, supérque suas coætaneas crescebat omni religione & sanctitate.

Caput secundum.

Primum enim electionis suæ siue in Christi seruitio fecit initium, sicut per iustum & veracem hominem comperimus, qui præsens aderat, quia dum genitor suus Regem domi suæ ad nobile prandium inuitasset, adueniens ibidem vnus pestifer

trasiorum, ísque tum à Rege tum à parentibus sancta Gertrudis eam sibi coniugem dari petiit, suam illis, vt est saculi huius more comparatum, vicissim amicitiam & studium promittens. Et Regi quidem iucundus fuit hic sermo, hortabatúrque patrem puella, vt ad ipsius conspectum puella vnà cum matre adduceretur. Venerunt illa, tametsi ignorarent, quam ob causam Rex illas acciri voluisset: inter edendum autem cùm ex puella Rex sciscitaretur, num illum adolescentem auro fulgentem & sericis comptum vestibus, vellet habere sponsum, illa indignabunda, etiam adhibito iureiurando, respondit. Ego neque hunc, neque quenuis alium mortalem hominem, sed Christum Deum ac Dominum meum volo sponsum habere. Qua cùm audiuisset Rex & Proceres eius, stupebant ad tam tenera puella sermonem, diuino vtique instinctu prolatum. Porrò adolescens pudefactus, recessit cum indignatione. At illo posthabito, sancta Dei puella ad matrem se contulit.

Caput secundum.

Ab illo autem die animaduerterunt parentes eius, Regi illam non mediocriter caram esse. Elapsis inde annis quatuordecim, Pipinus vitâ functus est. Tum verò matri vidua Gertrudis sedula adharebat, eiúsque iussis officiosè, sobriè & castè inseruiebat. Cùm verò mater eius quotidianas susciperet curas & cogitationes de familia & filia orba Gertrude, vir Dei Amandus Episcopus ad eius venit ades, verbum Dei pradicans. Rogauit autem eam vt sibi & filia, Christíque familia Cœnobium construeret. Postquàm igitur à sancto Episcopo rem ad animarum salutem pertinentem didicit, mox sacro accepto velamine, facultates suas omnes séque Deo obtulit. Res ea malè habebat antiquum humani generis hostem diabolum, qui ab initio semper pios omnes stimulante inuidiâ insectatus est. Itaque incitauit quorundam animos in illam, ídque adeò, vt ab illis; qui ad exequendam Dei voluntatem adiutores se ei prabere debuerant, non parum molestia pateretur, immò multas perferret iniurias, multâ afficeretur ignominiâ, & rebus necessariis priuaretur vnà cum Sancta Gertrude filia sua. Qua quidem si nos singulatim commemorare velimus, nimiùm

homo, videlicet filius Ducis Austrasiorum, qui cùm à Rege & parentibus puella postulasset, vt sibi ipsa puella in matrimonium fuisset promissa secundùm morem saculi propter terrenam ambitionem & mutuam amicitiam placuit Regi & patri puella vt in suam prasentiam illa cum matre sua fuisset vocata. Illis autem ignorantibus propter quam causam vocaret Rex infantem: inter epulas interrogata est à Rege si illum puerum auro fabricatis vestimentis indutum voluisset habere in sponsum. At illa quasi furore cum iuramento dicens; quia nec illum, nec alium terrenum hominem, nisi Christum volebat habere sponsum, itaut ipse Rex & Proceres eius valdè mirarentur super his, qua à puella ex Dei visione dicta fuerant. Ille verò puer recessit in se confusus iracundiâ plenus.

Caput tertium.

Sancta ergo puella Montana ad suam conuersa est genitricem.

Et ex illâ die parentes eius cognouerunt à quali Rege fuerat adamata. Post annos verò quatuordecim cùm pater eius Pipinus de hac luce migrasset, matrem in viduitate secuta est, eíque in obsequium atque in Dei mandatis sobriè & castè deseruiebat. Cùm verò quotidie supradicta materfamilias tam de se quàm de sua orphana filia quid esset factura cogitaret, adueniens ad domum suam Amandus Christi seruus verbum Dei pradicans ex Domini permissione rogabat, vt Monasterium sibi aut filia sua Dei famula Montana & Christi familia construeret: statim ergo vt intellexit Sanctus Amandus ignota mulieris voluntatem ad salutem animarum pertinere, sacrum velamen ab eo accepit, semétque ipsam contradidit & omnia qua habebat.

Caput quartum.

Sed hostis humani generis & instigator, qui ab initio bonis operibus inuidus est, ad resistendum prauorum corda firmabat, & ab his qui ad Dei voluntatem faciendam ei adiuuare debuerant, non paruam sustinuit tentationem. Quales iniurias vel ignobilitates & periuria propter nomen Christi cum filia sua perpessa est, scribere longum est, si per

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

prolixi futuri sumus. Quanta verò eius animi fuerit erga Deum deuotio, quàm diuinis flagrarit desideriis, sequentia declarabunt.

Caput tertium.

Ne enim animorum corruptores, Dei famulam Gertrudem ad illecebrosas huius mundi voluptates vi adhibitâ pertraherent, arreptâ forfice, capillos eius ita abscidit, vt coronæ similitudinem referre viderentur. Interim lætabatur Sancta Gertrudis, & gratias agebat Deo, quòd in hac vita momentanea pro Christi amore coronam in capite suo repræsentare meruisset, vt in illa vita sempiterna coronam perpetuam ob corporis & animæ integritatem digna esset percipere. Præstitit autem Deus eis pacem ab aduersariis, & pars diaboli victa est. Deinde verò mater eius Christi Sacerdotibus eam tradidit, à quibus cum sodalibus sacrum acciperet velamen, eámque toti illi Sanctimonialium Congregationi voluit esse præfectam. Erat enim Sancta virgo Gertrudis magnâ morum continentiâ prædita, mente sobria, verbis & sermone moderata, ætatem senilem iam moribus præseferens. Feruebat amore Christi sponsi sui, vultu pulchra, sed pulchrior mente; castitate integra, larga eleemosynis, ieiuniis & orationibus dedita, pauperum & peregrinorum solicitè curam gerens; erga senes quidem & ægros humana & pia, porrò iuuenibus strenuam se exhibens erga res diuinas. Atque hoc pacto, summo studio creditum sibi officium exequebatur. Porrò per nuncios suos, boni testimonij viros, tum Sanctorum patrocinia, tum sacros Codices ab vrbe Roma & regionibus transmarinis, gnaros quoque homines, qui diuinæ Legis Cantica, sibi suísque meditanda interpretarentur, meruit obtinere.

Caput quartum.

Cæterùm mater eius Itta, rebus his ad hunc modum compositis, plena iam dierum, cùm etiam nepotes suos vidisset, non minor annis sexaginta, ab obitu mariti sui Pipini anno duodecimo, Deo & Sanctis Angelis spiritum suum commendans, migrauit ad Dominum, atque in Niuellensi Monasterio sub beati Petri Apostoli tegmine honorificè tumulata est. Cùm autem matre defuncta Sancta Gertrudis totum regiminis pondus in se solam recepisset

singula narrantur: sed hoc tantùm quam deuotionem & quale desiderium in se habebat in Dominum ostendere.

Nam vt violatores animorum filiam suam ad illecebras huius mundi per vim non raperent, ferrum tonsoris arripuit, & capillos Sanctæ puellæ ad instar coronæ abscidit. Sancta autem famula Christi Montana agens Deo gratias, gaudebat eò quòd meruisset in hac vita pro Christo in capite coronam accipere, vt in perpetuum corporis & animi integritatem digna essec habere. Deinde misericors Deus & adiutor in tribulationibus ipsos aduersarios in pacis concordiam reuocauit. Cessarunt virga, ac pars diaboli victa est. Materfamilias ita filiam suam Dei electam Montanam Sacerdotibus Domini tradidit ad accipiendum sacrum velamen cum sodalibus suis, & sancto gregi Cœnobicarum, Christo ordinante, praeesse constituit. Nam morum continentiâ, mentis sobrietate, verborum moderatione senilem ante fecit ætatem. Erat autem charitate prædita, vultu pulchra, sed pulchrior mente, castitate integra, eleemosynis larga, ieiuniis & orationibus dedita, curis pauperum ac peregrinorum prouida, infirmis ac senibus pia. Iuuenibus verò in disciplina extitit strenua: erga Ecclesiastica studia quasi pastoralem habebat curam, vt per suos nuncios boni testimonij viros Sanctorum patrocinia, vel sancta volumina, de vrbe Roma & de transmarinis regionibus gnaros homines ad docenda diuini Regis carmina sibi & suis meditanda Deo inspirante meruisset habere.

Caput quintum.

His omnibus iuxta diuinum ordinem dispositis plena dierum & perfectâ ætate mater beatissima Montana exemplum boni operis posteris relinquens vel etiam superstites relinquens soboles, suos atque ex eis videns nepotes, plus minùs sexagenum ætatis annum ita gerens, post obitum beatæ memoriæ viri clarissimi Domini sui Pipini anno duodecimo, Deo & Angelis spiritum suum commendans migrauit ad Dominum. Cùm ergo Dei famula

recepisset, cogitabat secum de rerum cælestium contemplatione, cupiebátque sine rerum temporalium strepitu illi vni vacare. Itaque foris quidem bonis & fidelibus fratribus, intus verò, id est, intra Monasterij septa spiritalibus sororibus rei familiaris curam demandabat, vt posset ipsa liberiùs die ac nocte in sancto agone persistere, & vigilando, orando, sacris incumbendo lectionibus & ieiuniis aduersùs spiritales nequitias dimicare. Et hac quidem ratione eò vsque progressa est, vt penè omnem scripturam diuinam memoriæ commendarit, & obscura allegoriæ mysteria, Sancto reuelante Spiritu, luculenter auditoribus explanarit. Extruebat verò etiam diuorum templa, aliáque egregia ædificia, simúlque orphanis, viduis, captiuis, peregrinis & Clericis victum quotidianum liberaliter subministrabat. Minimè verò hoc loco id prætermittendum arbitramur, quod ipsa nobis veluti terrore correpta retulit. Cùm ad altare Sancti Sixti Martyris orationis causâ assisteret, vidit super se descendentem sphæram igneam sanè luculentam, adeò vt tota Basilica eius splendore irradiaretur dimidia fermè horæ spatio, quæ sensim disparens, eò rediit vnde processerat. Posteà quoque, etiam aliis sororibus cernentibus, rursus eodem modo super ipsam lux illa apparuit.

Caput quintum.

Ablegauerat quandoque nonnullos pro sui Cænobij vtilitate. At illi cùm iam iam mare nauigarent, in præsens vitæ discrimen coniecti sunt. Tum illi in Sanctæ Gertrudis memoriam redeuntes periculum omne euaserunt. Primò quidem illi tranquillum sensere pelagus, deinde autem procul conspiciunt quasi nauim quandam miræ vastitatis, à latere ad ipsos accedentem, cúmque ad illos appropinquasset, ingens orta tempestas est, & ferueścens mare horrendis agitabatur fluctibus. Ecce autem immanis quædam & terribilis bellua ab illis conspicitur, non quidem tota, sed solo dorso è mari eminens. Eâ re perterriti nautæ, & iam salutem omnem desperantes, falsis Diis vota nuncuparunt. Porrò illi, quos Sancta Gertrudis miserat, nomen Christi inuocantes, putabant se iam ad supremam

mula Montana defunctâ matre, onus omnis regiminis super se solam suscepisset, intra se cogitabat de cælesti contemplatione quam sibi sine sæcularium strepitu habere optauerat, bonis ac fidelibus dispensatoribus foris de fratribus, intra verò septa Monasterij, de spiritualibus sororibus vnam familiarem commendauit: quatenus diebus ac noctibus in agone sanctis orationibus & lectionibus & ieiuniis contra spiritualia nequitia potuisset Deum audire. Et ita exitus rei paruit in illa, vt penè omnem Bibliothecam diuinæ legis memoriter reconderet, & obscura allegoricè mysteria Spiritu Sancto reuelante apertè auditoribus aperuit. Inter cætera, Sanctorum Ecclesias & alia præcipua ædificia à fundamentis construxit, & orphanis, viduis, captiuis, peregrinis alimoniam quotidianam cum Dei largitate ministrauit.

Caput sextum.

Nec prætereundum est, vt arbitror, quod ipsa Dei famula quasi timore perterrita nobis narrauit. Cùm ad altare Sancti Sixti Martyris orationis causâ stetisset, vidit super se descendentem sphæram flammeam perlucidam, vt tota Basilica illius claritate fuisset illustrata quasi dimidiâ horâ, paulatímque recessit vnde venerat, & posteà similiter omnes sorores iterum eo modo. Quid istius lucis manifestatio indicabat? nimirum veri luminis visitationem, qui omne semen pro se & omnibus orans illuminat.

Quâdam autem die periclitantibus nobis in mari eiusdem beatæ memoriæ Montanæ commemoratio ad vitam opportunè succurrit, dum pro vtilitate Monasterij in pelago cum tranquillitate nauigaremus, à longè apparuit miræ magnitudinis nauis venire ex latere. Cùm autem appropinquasset, leuauit tempestas nauim in mari cum ingentibus fluctibus, & ecce magna & terribilis bellua quasi iactu fundæ nobis apparuit, cuius non totum, sed ex parte, vidimus dorsum, & nautæ tremefacti de vita nihil sperantes suis votum vouerunt idolis. Nos autem nomen Domini inuocantes, nam nouissimam sperauimus horam, & exclamauit vnus ex nostris qui adhuc viuit & dixit ter. Montana, adiuua nos, sicut promisisti. Certè quod audiui & vidi vobis testor; tertio illo repentè verbo cetus abys-

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

huius vitæ horam peruenisse, vnúsque ex illis exclamauit. Gertrudis, adiuua nos, vti pollicita es. Cúmque id ille tertiò diceret, cetus ima pelagi petiuit, & illi cum multo gaudio, redditâ maris tranquillitate, eâdem nocte in portum appulerunt. Ita Christus precibus sanctæ Gertrudis pauperes suos à præsentissimo mortis periculo liberauit. Hæc quidem nos ab illo habemus, qui præsens interfuit. Cùm porrò aliquot fluxissent anni, & sacrum sanctæ Virginis corpusculum, multâ abstinentiâ multísque vigiliis attenuatum, acri insuper ægritudine fatigaretur, Domino reuelante didicit propè adesse suam è corpore migrationem. Itaque ex consilio seruorum & ancillarum Dei Abbatissæ honore & officio sese. Christi amore abdicans, quantùm quidem ad rerum externarum curam attinet, neptem suam Wisetrudem, quæ ab ipsis propè incunabulis apud ipsam ad Monasticæ Regulæ præscriptum educata, & sacris literis imbuta fuerat, suo loco inuitam coëgit Abbatissæ ministerium exercere. Agebat tum Deo sacra puella Wisetrudis vicesimum ætatis annum, antiquo Francorum stemmate prognata. Erat illa quoque eleganti formâ, familiæ chara, lenis erga subditos, rigida superbis, suauis eloquio, & Dei proximíque amore feruens, corporísque integritate conspicua. Effecerat autem pater eius, qui eam dolebat id vitæ genus complexam, vt Reges & Reginæ itémque Antistites, diaboli id inuidiâ agente, primò quidem blandâ persuasione, deinde verò etiam vi eam è Cœnobio extrahere niterentur, res Cœnobÿ illius, cui sancta virgo præerat, sibi sceleratè vendicantes. Sed Domini misericordiâ & Sanctorum precibus munita, omnes suos aduersarios, Christo, cui se deuouerat, adiuuante mirabiliter superauit. Tantam enim illi gratiam Christus contulit, vt qui priùs, prauâ inflammati cupiditate, eius accusatores & facultatum Monasterÿ direptores fuerant, multâ in eam vsi liberalitate, eius extiterint defensores, omnésque sacræ ædes præclarè instauratæ sint. A suscepta autem Abbatissæ functione anno vndecimo, diebus ampliùs quinquaginta morbo compellente decumbens, solito nihilo minùs more largas eleemosynas in pauperes & inopes conferebat. Tandem omnibus, vt sacrum monet Euangelium, debita remitsum petiit, & nos cum lætitia & tranquillitate eâ nocte portum obtinuimus, ita per orationem ancillæ suæ pauperes suos Christus dignatus est liberare à morte.

Caput septimum.

Post aliquot annos ex causa nimia abstinentia & vigiliæ custodia, cùm eius corpusculum ex magna ægritudine grauiter fatigaretur, per reuelationem diuinam cognouit quòd suus de hac luce appropinquasset exitus, cum consilio seruorum Dei vel ancillarum omnem honorem & honoris vocabulum, quem erga gregem corporaliter habebat, ex solo spiritali Christi amore funditus dereliquit, & neptem suam secus pedes eius a cunabulis sub sanctæ Regulæ norma sacris literis imbutam & nutritam in vices suas cunctum gregem regere & pauperibus ministrare constituit. Tunc & ipsa electa fuit. Erat autem vultu serena, familiæ cara, lenis subditis, pauperibus larga, parentibus pia, eloquio blanda, charitatem habens erga Deum & proximum in continentia permansit pura. Contigit autem ex odio paterno, vt Reges, Reginæ, etiam & Sacerdotes per inuidiam diaboli illam de loco, primùm persuasione, postmodum militari per vim terrore eiicere tentarent, & res Domini, quibus benedicta puella praerat, iniquiter possiderent, sed Domini misericordiâ & Sanctorum oratione est protecta, omnibus suis aduersariis Christus, cui se ancillam deuouerat, miro modo restitit, & Deus gratiam suam ita contulit, vt qui antè propter cupiditatem raptores atque accusatores extiterunt, posteà verò largitate & beneficiis extiterint defensores. Omnibus benè dispositis & Christi Ecclesiæ rebus restauratis, decimo deinde & primo anno ex quo sibi creditum suscepit regere gregem per quinquaginta & plùs dies continuato languore lecticulo detinetur. Solito more pauperibus & egenis largas eleemosynas tribuens omnibus debita secundùm euangelium remisit, ab omnibus pacem ac benedictionem recepit. Inter spirituales Dei ancillas fide & spe in Christo fiducialiter habens tricesimo ætatis anno lætum emisit spiritum sub die nono Kalendas Nouembres, &

AN. CH. 658. CLOTAR. III. R. 4.

tens, & ab omnibus pacem ac benedictionem recipiens, cùm inter religiosas Dei ancillas fide & spe in Christum munita vixisset, anno ætatis suæ tricesimo lætum Domino reddidit spiritum, nono Calendas Decembris, atque in beati Petri Apostoli Basilica summo studio in sepulcro marmoreo condita est. Sed his obiter commemoratis, eò, vnde sumus digressi, reuertamur.

Caput sextum.

Itaque beatissima Gertrudis, posteaquàm se Abbatissæ administratione abdicauit, triennij ferè spatio perpetuis vacabat precibus & sacris exhortationibus, Deique verbum tum sibi, tum suæ curæ creditis annunciare non destitit. Erat interim spe gaudens, in rebus duris & aduersis patiens, mente inuicta, vultu placida & serena, valdè sitiens supremum vitæ suæ diem, quippe quæ peroptaret è carcere ad regnum, è tenebris ad lucem, à morte proficisci ad vitam. Degebat inter mortales solo corpore: nam animo quotidie transibat ad cælestia, continuis precibus & abstinentiæ afflictioni singulariter addicta. Et licèt tenero esset corpusculo, attamen asperis illud ciliciis macerabat, nihil sibi in hac vita refrigerij aut laxamenti indulgens, vt posset illic beatissimâ frui quiete, vbi iusti fulgebunt sicut Sol, nempe in regno cælorum. Cùm autem ad supremum vitæ diem venisset, planè decreuit, ne quidquam omnino, id est, nullum neque laneum neque lineum indumentum eius corpusculo adhiberetur, præter velum quoddam penè nullius pretij, quod quædam peregrina Sanctimonialis ante complures dies illi pro benedictione miserat, vt illo caput eius tegeretur: porrò in sepulchro cilicium poneretur: nec alio operimento se contegi voluit, nisi cilicio quo erat induta, & panno veteri quo cilicium illud tegebatur. Dicebat enim superflua nihil neque viuentibus neque morientibus posse conferre, quod quidem ita se habere, etiam sapientes affirmant.

Caput septimum.

Cùm iam propè adesset dies migrationis eius, vni ad se accito è fratribus dixit. Abi celeriter ad illum peregrinum Monachum, qui Vltanus dicitur, degítque in Monasterio quod Fossuense appellant, dicásque illi. Virgo Christi Gertru-

summâ diligentiâ marmoreo tegitur tumulo, vbi Sanctorum omnium resurrectionis expectat diem. At vnde digressi sumus, ad id reuertamur.

Caput octauum.

Beata ergo Montana Dei famula postquàm vinculum oneris de sua conscientia relaxauit quasi trium mensium indesinenter orando, exhortando se suósque, verbum Dei prædicando loqui non cessauit, spe gaudens, in tribulatione patiens, mente deuota & serena, transitûs sui adesse extremum optabat diem de carcere ad regnum, de tenebris ad lucem, de morte festinabat ad vitam. Et cùm solo hîc esset corpore quotidie animo ad æterna transire cupiebat, virtute continua, orationibus & afflictionibus atque abstinentiâ singularis. Addidit etiam asperas vestes cilicinas & occultè suum induit corpusculum, ne vllam in hac vita haberet suauitatem refrigerij, nisi illic vbi fulgebunt Sancti sicut Sol in patria eorum. Cùm ergo ad diem peruenisset extremum, ita decreuit, vt in ipso sepulturæ loco nullum lineum vestigium super se misissent præter vnum velum vile multùm, quod quædam peregrina Sanctimonialis ante dies plures illi pro benedictione dederat ad caput cooperiendum, & ipsum corpus in sarcophago vbi quiescit nullo alio velamine exceptis his duobus cilicio quo induta fuerat & panno vetere quo ipsum cilicium tegebatur. Dicebat quòd res superfluæ morientibus nihil, neque viuentibus adiuuare potuissent. Quod verum esse sapientes testabantur.

Deinde cùm appropinquaret dies assumptionis animæ illius, vocauit vnum de fratribus & præcepit ei dicens. Vade festinanter ad illum peregrinum qui remotus est in Monasterio, & dic ad illum. Virgo Christi Montana misit me

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

dis misit me sciscitatum ex te, quo sit die ab hac luce decessura, valdè enim se formidare dicit, pariterque latari. Porrò ab illo auditurus es, quæ ad me responsa referre debeas. Abi igitur nihil hæsitans. fecit ille, quod iussus erat, respondítque ei seruus Christi Vltanus. Crastino die intra Missarum solennia Christi virgo Gertrudis è corpore abscedet, dicas verò illi, ne quicquam trepides ad suum obitum, sed læta proficiscatur, Sancto Patritio Episcopo cum beatissimis Angelicis Spiritibus cum ingenti gloria ipsam excepturo. Interrogante fratre, num hæc diuinitus ipsi essent reuelata, ille respondit. I properè, certus illam cras Domino spiritum reddituram. Quid prætereà ex me requiris? Abiit itaque frater, & omnia ordine enarrauit sancta Gertrudi. Illa quasi è somno euigilans, gratias egit Deo, quòd per seruum suum ipsam dignatus esset consolari, multúmque illâ promissione exhilarata, totam noctem cum sororibus in Psalmis & precibus duxit insomnem: die autem postero, qui erat Dominicus, horam circiter sextam, vt vir Dei prædixerat, sacratissimum Christi Corporis & Sanguinis viaticum accepit, cúmque Sacerdos precem illam, quam Secretam vocant, absolnisset, anno ætatis suæ tricesimo-tertio, decimo-sexto Calendas Aprilis, gratias agens piissimo creatori, quòd à corporis corruptione alienam ipsam ad suum regnum vocare dignaretur, feliciter in Domino obdormiuit.

Caput octauum.

Tum verò ego vnà cum fratre Richino accersitus eò sum, ob sorores, eius mærentes obitu, consolandas. Dixit autem ad me frater ille. Sentísne aliquid? Respondi. Nihil equidem sentio, sed sorores video mæstissimas. Hoc cùm dixissem, suauissimus erupit odor, tanquam fragrantium vnguentorum, totam complens cellulam, vbi sacrum Virginis corpusculum iacebat, inhæsítque diu illa miri odoris suauitas nostris naribus, etiam posteaquàm è cella digressi eramus. Impletis autem funeris officiis, in cistella, quam ipsa

ad te interrogandum quali die migratura sit de luce, valdè se timere dicit similitérque gaudere. Et ille tibi dicturus est quid debeas respondere atque renuntiare. Vade & noli dubitare. Mox impletâ iussione, quod ex mandato fuerat, surgere non destitui (fortè restituendum *suggerere non destitit.*) *At ille seruus Dei sine mora ita misso responsum dedit & dixit. Hodie pridie Kalend. Octobris est, Kalendis Octobris die crastino, & tunc ancilla Christi in Missis solemnibus Dei, de corpore est migratura. Diem eum non timeat, neque trepidet de obitu suo, sed læta pergat, quia beatus Patricius Episcopus cum electis Angelis Dei & cum ingenti gloria parati sunt recipere eam. Vade & tu velociter. Interrogauit autem eum ille frater qui fuerat transmissus si hoc per reuelationem diuinam vidisset, vt ei per ordinem indicaret. Ille respondens dixit. Vade & tu frater festina, scies hoc die crastinâ. Quid me plùs interrogas? Qui reuersus nunciauit famulæ Christi quod fuerat dictum ad eum. At illa quasi è somno euigilans clarum præ gaudio reddidit vultum, gratias agens Deo eò quòd per seruum suum ancillam suam dignatus esset consolari. Et ita de promissione permansit læta, vt totam noctem cum sororibus in Psalmis & orationibus duceret vigilem. Crastinâ autem die Dominicâ, horâ quasi sextâ, iuxta Dei verbum sacratissimum Christi Corporis & Sanguinis viaticum accepis, & quando Sacerdos illi Dominicam sententiom & secretam habuit finitam tricesimo & tertio ætatis suæ anno sub die Kalendarum Octobrium agens creatori suo gratias, qui sine corruptione ad suum eam dignatus est vocare regnum, Deo desiderata emisit spiritum.*

Dum ibidem ego & alius frater fuissemus euocati propter sororum consolationem, vocauit me seruus Dei & dixit. Sentísne aliquid? Ego respondi. Non, nisi sorores in gratia Dei vel in mærore video. Cùm hæc dixisset, venit sanctissimus odor quasi fragrantia vnguentorum, ita redolebat cellula, vbi sanctum corpus iacebat. Et nos inde digressi in manibus nostris adhuc illius miri odoris suauitatem sentiebamus. Cùm omnia quæ circa beatissimum corpus agebantur officia impleta fuissent, in cisterna sua quam olim

AN.CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

olim sibi parauerat, à Sacerdotibus & Christi ancillis cum diuinis laudibus sacrum beatissima Virginis corpusculum honorificè conditum est, vbi quotidie orantibus multa diuinitus præstantur beneficia.

sibi præparauerat cum diuinis laudibus à Sacerdotibus & Dei ancillis corpus beatissimæ virginis Christi Montanæ mirificè traditur sepulturæ, vbi quotidie orationum præstautur beneficia, præstante D. N. I. C. cui est honor & gloria, virtus & potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

VII. Martyrologia Benedictinum & Gallicanum Kalendis Octobris sanctam Montanam commendant. Primum sic. *Apud Ferrarias * in agro Vastinensi, sancta Montana Virginis & Abbatissa.* Alterum sic. *Apud Ferrarias Cœnobium in tractu Senonensi, sancta Montanæ Virginis, quæ Cœnoby Cauensis Abbatissa, per studia castitatis multas Christo sponsas progenuit. Cui & ipsa cum lampade puritatis & fidei occurrens in caleste Palatium, consors æternarum nuptiarum admissa est.* Hugo Menardus Monachus Benedictinus è Congregatione Sancti Mauri Martyrologium Benedictinum duobus obseruationum libris illustrauit, nactus est è Monasterio Ferrariensi vitam [a] sanctæ Montanæ manuscriptam, quæ à superiore differt in matris nomine, & in Cœnobij nuncupatione, Montanam enim Mononâ matre natam asserit, & Monasterij Cauensis Abbatissam vocat, in ceteris autem consentanea est Legendario suprà citato. Monachi Ferrarienses sanctam Montanam ideo colunt, quòd pars reliquiarum Ferrarias translata fuerit, in literis enim quas Ludouicus *de Blanchefort* Ferrariensis Abbas *anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo-nono, die* XVI. *Nouembris* scripsit, & Guillelmus Morinus Magnus eiusdem Monasterij Prior libro sexto [b] Historiæ Vastinensis inseruit, inter *plures reliquias plurimorum Sanctorum*, quibus illud Cœnobium tunc decorabatur, annumeratum reperitur *caput beatissimæ virginis Montanæ*. Menardus hæret dubius, vtrùm Ferrarienses Gertrudem Niuellensem sub nomine Montanæ celebrent, an verò Montanam à Gertrude Niuellensi distinctam, cuius vita non sit fideliter scripta, perperámque cum Actis Gertrudis Niuellensis penè tota confundatur. In nupero Brabantiæ Ducatu duo visuntur oppida, quibus nomen est Berga; vnum à sancta Gertrude cognomen sortitur, alterum à Zoma riuo; hoc vocatur Berga * ad Zomam, illud appellatur Berga * sanctæ Gertrudis. Bergam autem incolis montem esse plerique scribunt, nec desunt [c] qui beatam Gertrudem prædictorum locorum Dominam fuisse affirment. Hinc suspicati licet occasionem datam, vt beata Gertrudis cognomento esset Montana, & Gertrudis in multis prouinciis, in aliis Montana nuncuparetur. At Berga cùm sanctæ Gertrudis tum ad Zomam non à monte sed à portu nomen accepit Bergæ, vt Molanus in marginalibus notis ad encomium sanctæ Gertrudis Niuellensis obseruat. Vtraque enim illarum vrbium nobilitatur portu, neutra verò posita est in monte, & Berga portum æquè ac montem significat, quia denotat locum in quem se tutò recipere quis potest, nec saluti suæ meliùs consulit qui confugit in montem quàm qui portum subit. Existimamus igitur sanctam Gertrudem à sancta Montana distinguendam esse; plerasque res ex Actis sanctæ Gertrudis in vitam sanctæ Montanæ irrepsisse; sanctam Gertrudem Niuigellæ & in aliis Belgij locis, sanctam Montanam in Diœcesi Bituricensi & in Monasterio Ferrariensi coli, illam obiisse decimo-sexto Kalendas Aprilis, hanc Kalendis Octobris, illius corpus etiamnum Niuigellæ quiescere, huius caput Ferrarias delatum fuisse.

* Ferrieres en Gastinois.

[a] L. 2. obs. d. 1. Oct.

MONTANA DISTINGVITVR A GERTRVDE.

[b] Cap. 2.

* Berg-op-Zom.

* Gertrudenberg.

[c] Molan. d. 17. Mart.

VIII. Wilfetrudis, quæ Cœnobij Niuellensis curam triennij ferè spatio ante mortem Gertrudis cognatæ susceperat, grauissimas à propinquis iniurias pertulit, vt in vita sanctæ Gertrudis docet his verbis Author synchronus. *Erat illa eleganti formâ, familia chara, leuis erga subditos, rigida superbis, suauis eloquio, & Dei proximíque amore feruens, corporísque integritate conspicua. Effecerat autem pater eius, qui eam dolebat id vitæ genus complexam, vt Reges & Reginæ, itémque*

WILFETRVDIS INIVRIAS PATITVR.

AN. CH. *Antistites, diaboli id inuidiâ agente, primò quidem blandâ persuasione, deinde verò*
659. *etiam vi eam è Cœnobio extrahere niterentur, res Cœnobij illius, cui sancta virgo*
CLOTAR. *præerat, sibi sceleratè vindicantes. Sed Domini misericordiâ & sanctorum precibus*
III. R. 4. *munita, omnes suos aduersarios, Christo, cui se deuouerat, adiuuante, mirabiliter superauit. Tantam enim illi gratiam Christus contulit, vt qui priùs prauâ inflammati cupiditate, eius accusatores & facultatum Monasterij direptores fuerant, multâ in eam vsi liberalitate eius extiterint defensores, omnésque sacra ædes præclarè instaurata sint.*

IX. Post sanctæ Gertrudis obitum, Gudila eius cognata ex Monasterio Niuel-
* d. 8. Ian. lensi *repedauit ad parentum limina parentibus deinceps subiecta*, vt apud Surium * Author vitæ loquitur. Bollandus in notis ad eiusdem Gudilæ vitam ab Huberto scriptam negat illam ad parentes rediisse, vult enim eos nuntium seculo remisisse, priusquàm Gertrudis Abbatissa moreretur, quia sancta Amalberga Gudilæ mater sacrum velamen accepit à sancto Autberto, quem putat mortuum circa annum Christi sexcentesimum vndesexagesimum, sed cùm post obitum Clotarij Tertij Regis, qui anno Christi sexcentesimo vndesep-
GVDILA tuagesimo decessit, in locum sancti Autberti regnante Theodorico suffectus
REDIT AD fuerit sanctus Vindicianus, dubium non est quin idem sanctus Autbertus Ca-
PARENTES. meracensis Episcopus sanctæ Gertrudi Abbatissæ Niuellensi superuixerit annis decem, ab eóque velari potuerit sancta Amalberga post aliquot annos à morte sanctæ Gertrudis, quo temporis interuallo Gudila piam admodum cum parentibus vitam duxit. *Erat in confinio*, inquit Hubertus, *villa Morzella vocabulo, distans ab eorum mansione duorum milliarium interstitio, in qua ædificatum fuerat Oratorium in honore sancti Saluatoris dedicatum. Hunc locum diligens, beata Dei virgo expetiit, remota à suis, vitans eis esse molestia in omnibus saltem mo-*
* Moorsel. *dicis negotiis, atque appetens vacare solius contemplationi diuinitatis.* Morzella * seu Morsella, Surio Mortella, in Breuiario Remensi Mortscella, Miræo in Chronico Mortesella, vicus est ad hodiernos Brabantiæ ac ditionis Alosta-
* Alost. næ * limites. Vbinam Gudilæ parentes præcipuum domicilium elegerint, haud habetur compertum, nisi fortassis Martinis qui locus *Merchten* nunc dici videtur.

X. Erant Gudilæ sorores duæ Reinildis & Pharaildis. Illa non recessit à pater-
b d. 4. Ian. na domo, quandiu parentes in seculo vixerunt. *Pharaildis*, vt Miræus [b] in
EIVS SO- Fastis Belgicis testatur, *à S. Gertrude Abbatissa Niuellensi cognata sua, sanctè insti-*
RORES. *tituta, à teneris annis pietatem egregiè coluit, & in bonis operibus ad extremum vsque vitæ diem seriò perseuerauit.* Colitur Gandaui, & in multis aliis locis pridie Nonas Ianuarias, distinguique proculdubio debet ab altera Pharailde, cuius vitam eodem die Bollandus publicauit.

XI. Hoc anno mortuum putamus Erchinoaldum Maiorem domûs post annum
ERCHINO- enim Christi sexcentesimum quinquagesimum-quintum Ecclesiam constru-
ALDVS xit, eique paucos duntaxat dies superuixit beatus Eligius. Erchinoaldi mor-
MORITVR. tem, quam Eligius Nouiomensis Episcopus prædixerat, in vita ipsius Eligij sic enarrat Audoenus. *Quodam tempore* Eligius *obnixè ab Herchenoaldo Palatij Præposito, quamdam ob causam procul ab oppido secum pergere in comitatu rogabatur. At ille secum multa reputans renuebat prædictum iter eo tempore cum ipso arripere, cogebatur verò à Senioribus & Abbatibus ciuitatis suæ, vt quoquo modo satisfaceret voluntati eius, ne pro excusatione itineris offendiculum vel inimicitiam tam præstantissimi incurreret viri. Tandem autem ab eis in propatulo respondere compulsus ait. Quid necesse est, fratres, quòd nobis tantam vexationem conamini ingerere, ego proculdubiò noui quod vos omnino nescitis, quoniam si illuc properauerimus, magnam ibidem iniuriam passuri sumus, hinc enim homo pergens vadit illuc, sed viuus exinde non reuertetur, illic etenim morietur. Porrò post paucos dies completur sermo eius, & cùm vix acturi simul ad destinatum prædium peruenissent, ibíque aliquot dies commorarentur, ita, vt dudum prædixerat, contigit. Denique quadam nocte, cùm alto sopore omnes quiescerent, fortuitu Eligius egressus tabernaculum,*

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

dum foris ante vestibulum deambularet, ac de Psalmis nescio quid secum volueret, vidit subitò columnam ignis è cælo descendere, cubiculúmque Herchenoaldi vehementer penetrare, & tacitè secum euentum rei considerans, interitum bestiæ illius Diacono suo, qui fortè solus cum eo inuentus erat, indicat. Confestim verò Herchenoaldus vltione diuinâ percussus cùm subitò in internis visceribus vasto cremaretur incendio, iussit protinus ad se vocari Eligium, qui cùm vocatus affuisset, & videret eum vehementer angi, cæpit ei suadere, vt quia iam ei viuendi non aderat fiducia, vel hoc faceret moriturus quod non fecerat sponte viuus, scilicet vt sacculos copiosos metallo auri refertos, quos secum equi vehebant incomptos, pauperibus iam sine dilatione pro refrigerio suæ animæ tribueret, hoc ei solum astruens prodesse, illa verò quæ in thesauris relinquebat, proculdubiò animæ suæ obesse. Sed ille sicut semper rapidus, ita tenax & auarus dum moras dilationis longiùs innectit, repentè miser spiritum exhalauit, cuius corpus Eligius secum pro misericordia referens, sepulturæ tradidit, ac sic verba sua cunctis manifestè completa ostendit. Ad illam Audoeni narrationem sic ratiocinatur Buzelinus [a]. *Palatio Præfectus Ercenualdus ab omnibus laudatur, solus in eum acerbior Diuus Eligius videtur, & qui vitam eius literis tradidit sanctus Audoenus. Velítne tamen æternæ salutis exortem naturæ debitum persoluisse, non mihi facilè persuadeo. Contractis aduersus egenos manibus ea pugnant grauiter quæ de sacris ab hoc Principe constructis ædibus & Monasteriis exposuimus. Deinde corpus eius intra templum ab ipso conditum Eligius Peronæ telluri tradidit, argumento sanè non leui, minimè flammis infernalibus damnatum censuisse.* Quòd Buzelinus Erchinoaldum à ceteris laudari dixit, id gratis non protulit. In vita sancti Fursei, vbi miracula Peronæ facta describuntur, Erchinoaldus *electus Domini & Beatus* vocatur. *Tunc electus Domini Erchenaldus constituit tres Domesticos suos, &c. Beatus quoque Erchenaldus Perronam cum festinatione properauit.* A Fredegario [b] commendatur hoc elogio, cùm Maiordomûs in Palatio Clodouei Regis efficitur. *Erat homo patiens & bonitate plenus. Cùm esset sapiens & cautus, humilitatem & benignam voluntatem circa Sacerdotes, omnibus patienter & benignè respondens, nullâque tumens superbiâ, neque cupiditate sæuiebat. Tanta in suo tempore pacis sectans, vt Deo esset placabile. Erat sapiens, sed inprimis cum simplicitate, rebus mensuratè ditatus, ab omnibus erat dilectus.* A Monacho Dionysiano in Gestis Dagoberti Regis [c]. *Erat homo sapiens, bonitate plenus, cautus ingenio, seruos Dei omnésque Sacerdotes humiliter venerans, rebus admodum mensuratè ditatus, qui ab omnibus Regni Primatibus miro venerabatur affectu.* Et ab Aimoino [d]. *Humilis, pacificus, cunctísque virtutum bonis existens ornatus, Sacerdotes Domini diligenter verebatur, & ipse ab eis & ab vniuersis Optimatibus diligebatur.* Plura congerere superfluum videtur.

[a] Lib. 2.

[b] Cap. 84.

[c] Cap. 48.

[d] Lib. 4. c. 37.

XII. Erchinoaldus primò per solam Neustriam; paulò pòst Flaocato mortuo etiam per Burgundiam; defuncto demùm Sigiberto Rege, coniectóque in vincula Grimoaldo per Austriam quoque, dum vixit, Præfectus Palatij fuit, gessítque Maioratum in tota Francia, quod ante eum acciderat nemini. Hæc de Erchinoaldo dicta sufficiant, qui Erchinoldus, Erchinaldus, Erchonaldus, Erchenaldus, Ercenualdus, Herconualdus, Erchanualdus variâ nominis enunciatione appellatur. De Ebroino illius successore agemus anno sequenti. Franci enim *in incertum vacillantes*, vt Anonymus in Gestis [e] Regum Fancorum aliíque [f] obseruant, defuncto Erchinoaldo Maioremdomûs haud statim elegerunt.

[e] Cap. 45.

[f] Cont. Fredeg. c. 92.

XIII. S. ELIGII. Eligius Nouiomensis ac Tornacensis Episcopus, qui Erchinoaldum Maioremdomûs, vt supra dictum est, hoc anno sepulturæ mandauit, obiit etiam hoc anno, Kalendis Decembribus, quibus coli solet. *Paucis ab Erchenualdi exitu diebus*, inquit Buzelinus [g], *mense Decembri vitam cum morte commutauit S. Eligius.* Vixit Eligius annis ampliùs septuaginta, sedit annis vndeuiginti, mensibus sex, diebus decem. Nostræ Chronologiæ fauent Iacobus Vassorius aliíque, qui volunt Eligium annis nouemdecim sedisse, quamuis in annotandis annis Christi non parum à nobis dissentiant.

[g] Lib. 2. Annal.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

XIV. OBITVS. *Eligius annos iam natus ampliùs septuaginta, sentiens imminere dissolutionem corporis sui, quodam in die cum discipulis suis in Nouiomensi oppido deambulabat, atque interim casu eminùs conspiciens in fronte Basilica beati Medardi parietem nonnihil diruptum, ruinam minari: ocyùs iussit acciri artificem qui parietem communiret. Dicentibus autem discipulis vt opportunum tempus sustineret, quò & faciliùs & durabiliùs reparari posset, ille respondit. Immò iam fiat, nam alioqui Eligio superstite non fiet. Statim leui beatus vir febre laborare cœpit, certiúsque iam edoctus de obitu suo, iubet conuocari omnes ministros suos, quos ipse multo tempore & aluerat & instituerat, iisque denunciat finem vitæ suæ iam impendere, atque vti semper consueuerat, inter cætera hortatur eos ad seruandam pacem mutuam, ad charitatem vel maximè colendam, vt quæ sit vnitatis & concordiæ vinculum. Deinde euocato Baldredo Tornacensis Ecclesiæ Abbate, sic ait. Ego, frater, quod certissimè futurum scio, te celatum nolo. Equidem iam sum abiturus à vita, te verò admoneo, ne vnquam velis Tornacum redire, sed mane hic apud fratres tuos. Quòd si secus feceris, iam antè tibi prædico, viuum te inde non rediturum.* Quod quidem non aliter contigit quàm Eligius prædixerat, vt patebit anno sequenti. *Cùm sic autem, vt dicere cœpi, vir beatus ægrotaret, & morbus ad quinque vel sex dies ita eum infestaret, vt ipse tamen interim scipioni innixus obambularet, morbúmque dissimularet, non cessabat ab opere Dei, bonam eam virtutum suarum coronidem fore sperans, si ad extrema vsque perduceret id, quod per longa vitæ spatia constanter retinuisset. Sentiens autem iam appropinquare felicissimæ migrationis diem, pridie Calendas Decembris congregatis vndique famulis & discipulis suis* vltimam adhortationem habuit, *die iam aduesperascente fixis humi genibus* Dominum orauit pro idoneo successore, obiitque *primâ noctis horâ, & ecce confestim visa est ex illis ædibus lux ingens & valdè corusca sursum ascendere, atque inter mirantium obtutus sphæra ignea Crucis in se effigiem præferens, perniciter admodum per densas nubes in cœlum penetrare. Quam verò sanctus ille vir charus fuerit plebi, mox ab eius obitu declaratum est. Vix enim spiritum exhalauerat, & iam tota vrbs luctu omnia complebat, vt tanquam communis parentis obitu, omnes orbitatis vulnere confecti viderentur. Compositum autem ex more corpus in Ecclesiam deportatum est, ibíque pariter Clerus in hymnis, populus in lamentis noctem duxere peruigilem.*

XV. *Facto autem mane conuenit ingens in oppidum vtriusque sexûs multitudo. Affuit etiam & Regina Bathildis cum filiis & Optimatibus & exercitu copioso, quæ velociter oppidum ingressa, celeríque cursu funeri accurrens, ingenti voce in fletum prorumpit, plorans atque eiulans quòd eum viuum minimè reperisset. Cúmque diutissimè feretro incumbens lamenta geminaret, rogat interim præparari quemadmodum corpus beati viri ad Calam Monasterium suum transferret. Sed cùm voluisset eum leuare, & non præualuisset ex loco mouere, tristis admodum effecta, indixit Ecclesiæ triduanum ieiunium celebrare cum silentio. Quod cùm fieret, ipsa quoque cum Optimatibus suis paritérque cum Clero iubiante persistente, indesinenter per illud triduum excubiæ celebratæ sunt. Dum hæc igitur agerentur, ipsa venerabilis Regina nimis intolerabiliter lugens, nullo genere à fletu cohibere se poterat. Denique cùm ex nimio dolore absentiam sancti viri ferre non posset, tandem vt desiderio suo satisfaceret, reuelatâ eius facie in lugubre osculum ruens, cœpit manus pectúsque lambere, ac genas copioso lacrymarum imbre profundere, & ecce repentè dum sacrum corpus exosculans palparet, miraculum non silendum illicò contigit. Nam cùm esset hiemale tempus, & corpus iamdudum mortuum totum decumberet gelidum, fortuitu vnda sanguinis ex naribus iacentis profluens cœpit vbertim genas Sancti rigare. Quod videlicet conspicientes Episcopi & Regina Christianissima, confestim suppositis hinc inde linteis, summa cum diligentia quousque sponte decurreret, sanguinem collegerunt, ac pro magno munere seruandum deinceps in pignoribus segregarunt. Intereà, vt prædictum est, ieiunio expleto, satagebat omnimodis Regina, vt quoquomodo corpus sancti viri in Calam Monasterium suum transferret. E contra alia pars conabatur eum Parisius ciuitatem deferre, vtrisque tamen obsistebant ciues Nouiomagenses, iustissimam sibi hæreditatem membra sui Antistitis vindicantes. Hoc ergo modo orta*

erat

erat inter eos altercatio, piâ vicissim deuotione pro sancta rapina decertantes, quinam iustiùs eius mererentur reliquias ac sepulturam possidere. Sed cùm Episcopi, & præstantiores quique qui aderant, partibus Reginæ fauerent, atque ad eius Monasterium eum deferendum decernerent, orta est ingens vociferatio & tumultus magnus ab vniuersa plebe Nouiomagensi. Tunc Regina consilio prudenti vtens, & iudicio Dei Omnipotentis caussam committens ait. Seponantur iam ambages verborum, & si est Domini voluntas aut Sancti huius, vt illuc eat quò ego cupio, sine vlla dilatione leuetur; sin verò aliàs, modò probabimus. Post hæc verba cùm accessissent ad feretrum, & tentarent eum leuare, tanto pondere depressum senserunt, vt ne mouere quidem à loco illum possent. Deinde alij atque alij vicissim sibi succedentes nihil vspiam præualere potuerunt. Postremò omnium Regina accedens, ipsáque per se probare volens, vlnis exsertis ac rebrachiatis cœpit pulsare vtrùm vel vnum feretri cornu valeret mouere. Cùmque totis viribus inhianter nitens pugnaret, & quasi montem immanem pulsaret, nihil prorsus proficere potuit. Tunc ergo conuersa ad Optimates ait. Ecce iam liquidè cognoscimus, non esse voluntatis eius, vt eum alicubi feramus; concedamus igitur huic plebi vel inuiti, quod hactenus noluimus voluntarij. Placuit autem consilium cunctis, & decreuerunt vno ore omnes in eodem oppido eum sepelire. Itaque post hanc definitionem cùm rursus feretrum leuare tentarent, tantâ mox celeritate leuigatum subleuatúmque est, vt facilè iam à duobus portaretur, qui ante horam nec à plurimis mouebatur. Quod miraculum cuncti ciues cum Regina cernentes, gloriam Domini magnificabant, dicentes. [Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus virtutum, & mirabilis es, Deus, in Sanctis tuis.] Deinde cùm iam deferretur corpus ad sepulchrum, tota penè ciuitas ruit in obsequio funeris cum luctu. Nam & Regina deuota, cùm esset hyemis tempore palus immensa, nullatenus suaderi potuit, vt vehiculo vteretur equi; sed pedestri & graui labore sequens feretrum per paludem, lamenta continua cum omni sociabat familia. AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4. SEPVLTVRA.

XVI. *Postquàm beati viri corpus mandatum est sepulturæ, casu relicta ibi fuit pellis quædam caprina longè optima, ex Episcopi domo, quæ feretro imposita fuerat. Eam, cunctis abeuntibus, Vffo Diaconus, natione Sueuus, clàm ablatam in lectuli sui stramine abscondit. Reuersi funeris ministri vident eam non adesse, nec mediocriter consternati, passim eam inquirunt. Sed cùm nullâ ratione reperire possent, extitit inter eos non minima turbatio. Interim nox cogit omnes dare se quieti, & ecce Abbati Sparno vir sanctus in visione apparet, blandéque, vt solebat eum compellans, indicat locum, vbi res ablata haberetur. Alterâ luce Abbas, quid in visione cognouerit, duobus fidelibus fratribus exponit, illísque assumptis abit ad lectum Diaconi, quærit rem furto subductam, móxque inuenit. Tum accitum Diaconum durissimè obiurgat, non tamen verberat, siquidem beatus Eligius prohibuerat ne id faceret. Vbi res ad aliorum notitiam perducta est, beatum Eligium omnes cœperunt timere haud vulgariter, & ita, vt par erat, perpetua cum veneratione prosequi.* Huc vsque Audoenus partim vt editus à Luca Dacherio [a], partim vt contractus in epitomen à Laurentio Surio [b]. Colitur sanctus Eligius ipsis Kalendis Decembribus, qui dies depositionis fuit. Sepultus est in Ecclesia sancti Lupi, quæ nunc ipsius Eligij nomine decoratur, vt obseruauit Auctor Galliæ Christianæ.

[a] Tom. 5. Spicileg.
[b] D. 1. Dec.

XVII. Ad posteros transmissæ sunt aliquot Homiliæ sancti Eligij. Sexdecim publicatæ sunt in Bibliotheca Patrum. SCRIPTA.

XVIII. Primæ, quam in Natali die Domini pronuntiauit, mentionem fecimus ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum. De ceteris hic agemus.

XIX. Secunda in die Purificationis sanctæ Mariæ habita est de Euangelio & de vsu luminarium, vixque antiquius inuenies testimonium de cereorum Ecclesiastica gestatione in die Purificationis. *Hæc vobis, fratres,* inquit Eligius, *sufficiunt breuiter dicta de lectione Euangelica, quia verò consuetudo est Ecclesiastica, vt hac die gestantes manibus lumina, Missarum solemnia celebremus, breuiter quoque dicendum quæ sint huius rei exordia. Cùm Romani totius mundi potirentur dominio, à subiecto sibi Orbe tripertito, per tria quinquennia solutionem censûs indixerunt fieri, & hoc modo, vt aurum vno, argentum altero, æs verò tertio persolueretur*

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

quinquennio. Vnumquodque autem quinquennium vocabatur lustrum, eò quòd ipso expleto censúque soluto, in vnum conueniente populo Romano, sacrificium celebraretur, & cum cereis ac lampadibus vrbs Roma lustraretur ob honorem infernalium Deorum, & præcipuè Februi (id est, Plutonis) qui dominus inferni dicebatur, à quo & mensis Februarius vocabulum sortitur, in cuius parte extrema hoc agebatur, ideo verò tunc infernalibus Diis sacrificabant, quia eorum præsidio nationes Orbis se subiugasse putabant. Nunc igitur vanæ superstitionis errorem pulchrè Christiana deuotio ad veram conuertit fidei religionem, cùm iam non post quinquennium, nec vt olim circa finem mensis Februarij vna lustratur ciuitas Roma ob honorem Februi, qui falsò lustrationum (id est, purgationum) potens putabatur & Deus infernorum, & ob dignitatem eius quæ iam cessauit terreni Romanorum Imperij, sed per singulos annos circa initium eiusdem mensis, vniuersa Dei ciuitas (sancta videlicet Ecclesia) illustratur, fidei lumen, quod filiorum suorum fulget in cordibus, designans cereorum lumine quod eorumdem gestatur manibus ob honorem Domini nostri Iesu Christi qui est vnus & verus Deus cæli & terræ & inferni, quíque verus homo pro nobis factus hodiernâ die in templo præsentari, & cùm esset sine sorde peccati, legalem purgationem cum hostiarum oblationibus pro se fieri, sanctíque Simeonis manibus suscipi, atque ab eo & à beata Anna cæterísque iustis, qui eius expectabant aduentum, se voluit consiteri. Nos ergo, charissimi, hodie solemniter recolentes huius rei memoriam, & cum domina nostra gloriosa genitrice eius Maria eum oblaturi, vel cum beato Symeone ipsum suscepturi, cum cereis & hymnis, puritate mentis atque lucidis operibus splendidi, in conspectu eius astare debemus deuoti, sedulò recordantes dignitatem nobis repromissi perennis & fœlicis Imperij, cælestis scilicet Regni, quod tunc omnes Electi sunt accepturi, quando iuxta parabolam Euangelij cum bonorum operum lampadibus occurrentes sponso immortali, ipsi sponsa eius effecti, amantissimum thalamum intrabunt, ad quem nos introducere secum dignetur idem benignus Deus & Dominus noster Iesus Christus qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XX. Tertia homilia habita fuit in Quadragesima, totáque versatur in laudibus ieiunij, cui duas alas attribuit, orationem videlicet & eleemosynam, *quamuis*, inquit Eligius, *tam magnæ virtutis sit ieiunium, non tamen putetis illud vobis posse sufficere solum, nisi duarum emendetur testimonio rerum, assiduitate scilicet Orationum & largitate eleemosynarum, his enim certè alis subleuatur ad cælum.*

XXI. Quarta, quinta, sexta, septima, decima, vndecima, duodecima & decima-tertia, habitæ sunt in Cœna Domini. Adderemus octauam cum decima-quinta, nisi Edmundus Aubertinus libro tertio de Sacramento Eucharistiæ & Philippus Labbeus in addendis & corrigendis ad Tomum primum Dissertationis Historicæ de Scriptoribus Ecclesiasticis quos Bellarminus attigit, vtramque ex Elegianorum operum catalogo iam expunxissent, quia octaua censetur farrago consarcinata ex Hilario, Augustino, Prospero, Isidoro Hispalensi, necnon ex Commentariis in Psalmos longè post ætatem Eligij conscriptis atque Hieronymo perperam attributis, & ex Alcuino adhuc recentiore; & in decima-quinta reperiuntur ipsissima Haymonis Halberstatensis Episcopi verba qui nono seculo floruit. Rescissis autem hisce duabus, supersunt adhuc octo suprà enumeratæ, ex quibus abundè colligere est quàm strenuè beatus Eligius officio suo ac reconciliationi pœnitentium incumberet. Non erit extra nostrum propositum fragmenta quædam describere, quæ ritus ac praxim illorum temporum edoceant.

XXII. Homiliæ quartæ duæ sunt partes, lotio pedum Apostolicorum à Christo facta, & publicorum Pœnitentium reconciliatio. A priore sic ad posteriorem transit Eligius. *Vt igitur audiuit vestra dilectio, hæc omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum est purgatio, vnde non incongruè hac ipsâ die, sicut Ecclesia tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio.* Deinde sic ait. *Vt ante nos dictum est à Patribus, cùm tanta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta Corporis & Sanguinis Domini differenda sint, auctoritate Antistitis debet se quisque ab al-*

tario remouere ad agendam pœnitentiam & eâdem auctoritate reconciliari. Lectum quippe modò est. [*Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.*] *Hoc est, eum indignè illud accipere, qui accipiat eo tempore, quo debet pœnitentiam agere. Vnde mihi ad vos, ô fratres, nunc habendus est sermo, quos mater sancta præsens Ecclesia nostro officio hodie reconciliat Deo.* Ex hoc textu liquet reos grauiorum criminum, quæ pœnitentiâ publicâ castigari solebant, auctoritate Episcopali ab altario ad agendam pœnitentiam remotos fuisse, eâdémque pòst auctoritate reconciliatos. AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

XXIII. Homilia sexta docet non esse procrastinandum in agenda pœnitentia. *Cùm enim*, inquit Eligius, *omnes homines pœnitentiam velint in fine vitæ suæ accipere, vix paucos videmus eam, secundùm quod desiderant, adipisci. Quanti enim, qui se ad extremum vitæ suæ pœnitentiam accepturos esse credebant, aut subitâ ruinâ oppressi sunt, aut fortè naufragio demersi, aut sanguinis ictu, vel illâ infirmitate quæ apoplexia dicitur & neruorum contractio, ita percussi sunt, vt non solùm pœnitentiam petere, sed etiam signare se aut orationem Dominicam dicere omnino non possent.*

XXIV. Homilia septima publicè pœnitentes hortatur vt seriò pœniteant, hos enim Eligius sic alloquitur. *Ille scrutator cordium & renum, intrinsecus corda nostra inspicit, & diuinitatis suæ potentiâ considerat si per lamenta pœnitentiæ illi satisfecistis, nos autem, qui puri homines sumus, tantummodò facies intuemur. Vnde saluti vestræ consulentes, hortamur vt si quis vestrûm fictè pœnitentiam accepit, aut pœnitere dissimulauit, ad reconciliationis sacramentum nullatenus accedere præsumat, sed magis sordes scelerum diluat fontibus lachrymarum cæterarúmque operibus virtutum. Si verò quantùm humanæ fragilitati scire permittitur, dignè pœnituistis, & deinceps ne talia facere velitis, totâ mentis contritione promittitis, dexteras manus vestras in sublime extendite, vt abhinc cælestem conuersationem & vitam Deo dignam gerere ostendatis.* Ad illam dexteræ manûs eleuationem alludit Homiliâ vndecimâ, cùm signum conuersionis à pœnitentibus ita postulat. *Si ergo, fratres charissimi, de perpetratis malis Deo satisfacitis, indéque erubescitis, & non vlteriùs ad perpetrata mala animo redire deliberatis, ostendite nobis signum vestræ ad Dominum conuersionis & regressionis, vt simul cum Angelis, quibus est gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, de vestro reditu gaudere possimus.* Prætereà ex textibus suprà recitatis obserua Eligium, ne Sacramenta cum indignis communicaret, admodum exhorruisse. Eandem ob causam in Homilia quarta, postquàm varia recensuit peccata, quorum rei regnum Dei non consequentur, sermonem suum ad pœnitentes ita conuertit. *Qui ex vobis, talibus & his similibus inuoluti sceleribus fuerint, & per confessionem ac pœnitentiam nequaquam condignam satisfactionem egerint, sed adhuc in hac vetustate perdurant, non se à nobis reconciliari posse existiment, nisi priùs veterem hominem cum actibus suis nunc enumeratis expolient & nouum induant, & ipsi in eodem nouo homine (id est, in Christo) noua creatura (id est, noui homines) per pœnitentiam fiant, sicut dudum per Baptismum facti fuerant, vt hoc Apostoli dictum illis meritò conueniat.* [*Vetera transierunt, ecce facta sunt noua omnia.*] *Si igitur condignam Deo pœnitentiam obtulistis de præteritis, & sic hæc eadem vlteriùs admittere non vultis, sed cum Dei gratia & adiutorio, in omni bonitate & iustitia & veritate perseuerare desideratis, tunc scire potestis, quia noxiâ vetustate exuti, noua creatura facti estis, & verè Deo reconciliamini per Christum & per nos quibus dedit ministerium reconciliationis, & ita gaudentes Apostolum ad vos & de vobis dicentem audietis.* [*Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi & in Spiritu Dei nostri.*] *Si autem (vt diximus) aliter est, nemo vestrûm se fallat, nemo se seducat, nemo circumueniat, non enim potest Deus sicut homo illius decipi fraudulentiis, clamante omnibus Apostolo.* [*Nolite errare, Deus non irridetur.*] *Qui enim peccando factus est inimicus, nisi satisfaciendo non potest reconciliari vt fiat amicus. Reconciliatio namque eorum est, qui anteà inimici fuerunt, & conciliantur amici, reconciliantur inimici.*

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

Homiliâ decimâ, Sanctus Eligius diem Cœnæ Dominicæ vocat Natalem Calicis, & huius appellationis causam sic reddit. *Vocatur hac dies Cœna Domini, vocatur & Natalis Calicis, & meritò talibus præfulget vocabulis, quia hac eádémque die mysticum Pascha Dominus cum discipulis celebrans, Sacramenta Corporis & Sanguinis sui, illis, atque per illos nobis tradidit, & ipse celebrationis initium fecit.*

XXV. Addit in more positum, vt eádem die latronibus parceretur. *Hac etiam*, inquit, die, *toto Orbe chrisma conficitur ad abluendam totius mundi culpam, pænitentibus per indulgentiam subuenitur, discordes ad concordiam hodie redeunt, pacificantur irati indices, & iam latronibus parcunt, patescunt carceres in toto Orbe, dant indulgentiam Principes criminosis, seruis malis indulgent domini.*

XXVI. Homiliâ decimâ-sextâ Sanctus Eligius absolutè pronuntiat animi præparationem ac dolorem in pœnitente requiri, priusquàm absolutionem peccatorum consequi possit. Pœnitentes enim sic alloquitur. *Vnusquisque vestrûm ad se rediens consideret, si per amaritudinem pænitentia Deo satisfecerit pro suis offensis & delictorum maculis. Nam licèt ministerium reconciliandi Episcopali authoritate complere velimus, tamen nisi Spiritus Sanctus, per cuius innocationem istud officium agitur, corda vestra intrinsecus purificata inuenerit, à reconciliationis gratia vacui remanebitis.* Habuit hanc concionem in Cœna Domini vt plerasque præcedentes, vel illo die imminente cùm pœnitentes ad reconciliationem breui excipiendam præparare vellet. Reconciliationis enim iamiam faciendæ certissimo sunt argumento verba, quibus postulauit signum sibi dari à pœnitentibus, quo cognosceret cælestia magis ab eis amari quàm terrena. *Si deinceps*, inquit, *ad ea quæ pænituistis, redire non vultis, neque alia crimina custodiente & protegente Deo perpetrare in animo habetis, date nobis signum quo cognoscamus quàdmagis cælestia quàm terrena ametis.* In eadem Homilia manifestissimè duo pœnitentium publicè genera distinxit, siue duas pœnitendi publicè causas, crimina videlicet publica & crimina occulta. Duos enim homines, quos publica actio criminalis publicam agere pœnitentiam coegit, à reliqua publicè pœnitentium turba, quam simul & in globo ad sedulam pœnitentiam excitauerat, consultò discriminauit speciatimque sic compellauit. *Duos præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam coegit agere pænitentiam.* Textum illum Ioannes Morinus nostræ Congregationis Presbyter allegauit in erudito Commentario de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, capite decimo [a] libri quinti, vbi *criminum occultorum capitalium confessione Sacerdoti secretà factà pænitentiam secundùm Canones publicè actam fuisse* testimoniis Sanctorum, Leonis, Innocentij, Basilij, Isidori & Eligij demonstrauit.

[a] Num. 13.

XXVII. Præter Homilias sancti Eligij reperitur vna eiusdem ad Desiderium Cadurcensem epistola, cuius meminimus suo loco, necnon sermo ad plebem, qui tribuitur à multis Augustino, inscribitúrque Tractatus de rectitudine Catholicæ conuersationis. Hoc opus citatum fuit à nobis non semel, extátque apud Audoenum in vita ipsius Eligij. Placet ea describere, quæ sunt contra idololatriam & artes diabolicas, mores enim exprimunt cùm prauorum Christianorum qui se paganis immiscebant, tum ipsorum paganorum quorum magnus erat numerus in Diœcesibus quas Eligius administrabat, ac potissimùm in Tornacensi, quæ Nouiomensi remotior erat, imò in illis partibus Boream versùs Orbis Christiani limes constituebatur extremus, vltra quem quotquot consistebant gentes opacâ nocte gentilitatis inuoluebantur.

XXVIII. *Ante omnia*, inquit Eligius, *illud denuntio atque contestor vt nullas paganorum sacrilegas consuetudines obseruetis, non caragos, non diuinas, non sortilegos, non præcantatores, nec pro vlla causa aut infirmitate eos consulere vel interrogare præsumatis, quia qui facit hoc malum, statim perdit Baptismi sacramentum.* Lucas Dacherius hoc loco legit *caraios*, *caragos* infrà, *caragios* ad marginem, interpretatúrque *magicos*. Manuscriptus Codex, qui penes nos fuit, habet *carcarios*. Retinemus *caragos*, quia καραγὸς grauem strepitum sonat, indéque deduci potest *caragus* vel ἀπὸ τῦ κάρου, id est, à sopore graui, quem huiusmodi ho-

mines suis præstigiis inducere solent. Non desunt qui *caragos* deriuent à carris,
id est, à vehiculis agendis, illi enim vagabundi carros suos agebant, nunc in
hanc, nunc in illam regionem, vt nouas capturas facerent. Consule Ludoui-
cum *de Montigny* Canonicum & Archidiaconum Nouiomensem in notis ad vi-
tam sancti Eligij.

Similiter & auguria vel sternutationes nolite obseruare, nec in itinere positi ali- XXIX.
quas auiculas cantantes attendatis, sed siue iter seu quodcumque operis arripitis, si-
gnate vos in nomine Christi, & Symbolum & Orationem Dominicam cum fide &
deuotione dicite, & nihil vobis nocere poterit inimicus.

Nullus Christianus obseruet quâ die domum exeat vel quâ reuertatur, quia omnes XXX.
dies Deus fecit. Nullus ad inchoandum opus diem vel Lunam attendat. Galatas ta-
lis superstitionis reos redarguit Apostolus [a]. *Dies obseruatis, & menses, & tem-* [a Cap. 4.]
pora, & annos. Timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Hunc enim
Apostoli textum sic interpretatur sanctus Augustinus [b]. *Non itaque dies obser-* [b Ep. 119.]
uemus, & annos, & menses, & tempora, ne audiamus ab Apostolo, [timeo ne fortè
sine causa laborauerim in vobis.] Eos enim inculpat qui dicunt. Non proficiscar quia
posterus dies est, aut quia Luna sic fertur, vel, proficiscar vt prospera cedant quia
ita se habet positio syderum. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi
agit mensem, vel agam quia suscepit mensem. Non plantem hoc anno vineam quia
bissextus est.

Nullus in Calendis Ianuarij nefanda & ridiculosa, vetulas aut ceruolos, aut iot- XXXI.
ticos faciat, neque mensas super noctem componat, neque strenas aut bibitiones su-
perfluas exerceat. Quid sit *vetulas* seu *vitulas* facere, quid *cernolos* seu *ceruulos*,
explicuimus Tomo primo ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-
quintum [c], & Tomo secundo ad annum Christi quingentesimum octogesimum- [c Num. 13.]
sextum [d]. *Iotticos* * siue *ioc̃ticos* faciunt qui repræsentant Histriones, vt obser- [d Num. 16.]
uat Archidiaconus Nouiomensis iam laudatus. Vetat Eligius, ne Christianus [* *faire le iongleur.*]
mensas super noctem componat. Id ante Eligium prohibuit Faustinus Episcopus,
qui sancto Medardo successit in Episcopatus Nouiomensem ac Tornacensem,
Kalendisque Ianuariis concionem ad populum habuit, quam prædictus Archi-
diaconus aliíque sancto Augustino perperam attribuunt. *Aliqui etiam rustici,*
inquit Faustinus, *mensulas suas in ista nocte, quæ præteriit, plenas multis rebus,*
quæ ad manducandum sunt necessaria, componentes, totâ nocte sic compositas esse vo-
lunt, credentes quòd hoc illis Kalendæ Ianuariæ præstare possint, vt per totum annum
conuiuia illorum in tali abundantia persenerent. Eodem sermone Faustinus stre-
nas interdixit, necnon superfluas bibitiones in quarum damnationem Episcopi
ieiunium illo die salubriter instituerunt, vt ostendimus ad annum Christi quin-
gentesimum quadragesimum-quintum [e]. Strenæ nomen à Strenia Dea sortitæ [e Num. 13.]
sunt, ideóque sanctissimi Præsules Christianos ab iis abstinere voluerunt, ne
Streniæ Deæ cultores ac superstitionis ethnicæ participes esse crederentur.

Nullus in pyras credat, neque in cantum sedeat, quia opera diabolica sunt. Alia XXXII.
verò lectio sic habet apud Dacherium. *Nullus Christianus in puras credat, neque*
in cantu sedeat, quia opera diabolica sunt. Prælaudatus Archidiaconus non *in*
puras sed *impuras* videtur legisse. Locum enim hunc exponit de mulieribus im-
puris, quarum nec sermonibus aurem adhibere, nec cantibus delectari debeat
Christianus.

Nullus in festiuitate Sancti Ioannis vel quibuslibet Sanctorum Sollennitatibus sol- XXXIII.
stitia, aut vallationes, vel saltationes, aut caraulas, aut cantica diabolica exerceat.
Sanctus Augustinus [f] eiusmodi *vallationes* seu ballationes in festiuitatibus Sanc- [f Serm. 215. de tempore.]
torum ita reprehendit. *Ante omnia, vbicumque fueritis, siue in domo, siue in iti-*
nere, siue in conuiuio, siue in consessu, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro
proferre, sed magis vicinos & proximos vestros iugiter admonete, vt semper quod
bonum est & honestum loqui studeant, ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in
sanctis festiuitatibus choros ducendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo de lin-
gua sua, vnde debuerant Deum laudare, inde sibi vulnera videantur infligere. Isti

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4. *enim infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas Basilicas Sanctorum exercere nec metuunt nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur, quia ista consuetudo balandi de paganorum obseruatione remansit.* Lege quæ de Christianorum exhilarationibus in festis Sanctorum ex Gregoriis Nysseno & Magno dicta sunt à nobis ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-sextum [a]. Eligius enim, quem Gregorio Magno seueriorem minimè putamus, in textu proximè citato nec indulgentiæ ipsius Gregorij refragatur, nec à sermone sancti Augustini discrepat.

[a] Num. 40.

XXXIV. *Nullus nomina dæmonum, aut Neptunum, aut Orcum, aut Dianam, aut Mineruam, aut Herculem, aut Genifcum, aut ceteras huiusmodi ineptias credere aut inuocare præsumat.*

XXXV. *Nullus diem Iouis absque festiuitatibus sanctis, nec in Maio, nec vllo tempore in otio obseruet, neque dies tiniarum, vel murorum, aut vel vnum omnino diem, nisi tantùm Dominicum.* Ita Codex Dacherianus. Prior pars textûs Eligiani nullam patitur difficultatem. Insectatur eos, qui feriam quintam in honorem Iouis colunt. In huiusmodi homines sic inuehitur sanctus Augustinus in fine sermonis iam citati, *Quia audiuimus, quòd aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumueniat, vt quintâ feriâ nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram Deo & sanctis Angelis eius contestamur, quia quicunque hoc obseruare voluerint, nisi per prolixam & duram pœnitentiam tale sacrilegium emendauerint, vbi arsurus est diabolus, ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices & miseri, qui in honore Iouis in quinta feria opera non faciunt, non dubito quòd ipsa opera die Dominico facere nec erubescunt nec metuunt. Et ideo quoscunque tales esse cognoueritis, durissimè castigate. Et si emendare noluerint, nec ad colloquium nec ad conuiuium vestrum eos venire permittite. Si verò ad vos pertinent, etiam flagellis cadite, vt vel plagam corporis timeant, qui de animæ suæ salute non cogitant.* Feria igitur quinta, quâ pagani Iouem venerantur, instar diei Dominici, qui Saluatoris nostri Resurrectioni sacer est, *absque festiuitatibus sanctis*, id est, nisi festum aliquod in illam inciderit, in otio non est à Christianis obseruanda. Posterior pars textûs, quem examinamus, est deprauata. Loco *tiniarum*, vel etiam, vt aliud exemplar habet, *turmarum*, reponenda est vox, *pinnarum*, quam Nouiomensis Archidiaconus Codice Bibliothecæ Nouiomensis innixus vsurpauit. Vetat Eligius, ne paganorum more *dies pinnarum vel murorum*, id est, Natalitij dies vrbium, à Christiana plebe celebrentur. Quàm diuersi fuerint, apud Christianos & paganos, dierum illorum ritus, apprimè nos docet Duplex Roma, Vetus scilicet ac Noua, hæc enim quinto Idus Maij Christianis cæremoniis, illa vndecimo Kalendas Maij superstitionibus ethnicis sua Natalitia quot annis olim recolebat. De die Natali Nouæ Romæ sic loquitur Nicephorus [b]. Episcopi à Constantino Augusto rogati *Constantinopolim veniunt, encænia & consecrationis festum diem celebrant, incruento sacrificio operantur, precibus votisque Vrbem abundè prosequuntur & firmant, eandémque Dei genitrici dedicant, Nouam Romam, imperantémque Constantinopolim cognominantes.* Τὴν Κωνσταντίνου καταλαβόντες, τὰ ἐγκαίνια ταύτης ἐποίουν, τὴν ἀναίμακτον θυσίαν ἐπιτελοῦντες, καὶ εὐχαῖς ἀναλαβόντες καὶ στηρίξαντες ἱκανῶς, τῇ Θεοτόκῳ ἀνέθεντο, νέαν Ῥώμην καὶ βασιλεύουσαν Κωνσταντινούπολιν ὀνομάσαντες. Fronto Ducæus subdubitat vtrùm in hoc textu legendum sit, τῇ Θεοτόκῳ, vt beatissima Virgo Maria ἡ Θεοτόκος seu Dei genitrix indicetur, an τῷ Θεοτόκῳ, vt Dominus noster Iesus Christus ὁ Θεότοκος seu Deo genitus intelligatur. Triplex occurrit ratio dubitandi. Nam teste eodem Nicephoro [c] Constantinus vrbem Constantinopolitanam recèns extructam Christo Deo commendauit. *In foro*, inquit Nicephorus, *quod nunc quoque Constantini dicitur, porphyreticam & maximam illam columnam Româ aduectam statuit, in qua statuam suam ex ære factam collocauit, quæ dextrâ manu ingens au-*

[b] Lib. 8. c. 26.

[c] Lib. 7. c. 49.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

reum malum continet, atque ipsi malo veneranda Crux ab eo infixa cum tali inscriptione. TIBI CHRISTE DEVS VRBEM HANC COMMENDO, σοὶ Χριστὲ ὁ Θεὸς παρατίθημι τὴν πόλιν ταύτην. Deinde dedicatio ad cultum latriæ Deo tantùm debitæ pertinet, vnde sanctus Augustinus Ecclesias nonnisi Deo dedicari consueuisse testatur multis in locis, vt obseruat Baronius ad annum Christi trecentesimum-tricesimum [a], vbi de ipsa dedicatione vrbis Constantinopolitanæ sermonem instituit, ideóque cùm apud aliquos Auctores Ecclesiam cuidam sancto dicatam legis, Deo dicatam in illius sancti memoriam interpretare. Denique Eusebius in vita [b] Constantini Magni laudat ipsummet Imperatorem, quòd & Martyrum honorarit memorias, & ciuitatem suam ipsi Martyrum Deo consecrarit, καὶ τὰς τῶν μαρτύρων μνήμας ἐτίμα, καὶ τὴν αὐτοῦ πόλιν τῷ τῶν μαρτύρων καθιέρου Θεῷ. Vt autem Ecclesiæ Deo in memoriam Martyrum dedicantur, sic & factum putamus, vt Deo Constantinopolis in honorem beatissimæ Virginis Dei genitricis Mariæ consecraretur, vnde & teste Ducæo [c] Nicephorus alio in loco eandem vrbem Christo simul & Matri eius dedicatam memorat. Atque inde colligere est quinto Idus Maij Christianos, vt nouæ Romæ Natalitia ritè celebrarent, totos fuisse in laudibus Dei beatæque Virginis Mariæ concinendis. At pagani diem Natalem veteris Romæ, qui fuit vndecimus ante Kalendas Maij, longè aliter colebant, equestri videlicet certamine, vt Dio Cassius [d] docet, & sacris Palilibus, quæ describuntur ab Ouidio [e], promiscuéque Palilia vocantur & Parilia in veteribus Kalendariis, Palilia quidem, quia Dea Pastorum, in cuius honorem fiebant, Pales dicebatur, Parilia verò, quia fiebant pro partu pecoris.

[a] Num 4.
[b] Lib. 5. c. 47. antiq. edit. cap. 48 nouæ edit.
[c] In not. ad c. 26. l. 8.
[d] Lib. 41.
[e] Lib. 4. Fastor.

XXXVI. *Nullus Christianus ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, aut ad cellos, vel per triuia luminaria faciat, aut vota reddere præsumat.* Multa de superstitioso illo cultu iam diximus ad annos Christi, quingentesimum sexagesimum-sextum [f], quingentesimum octogesimum-sextum [g], & sexcentesimum quinquagesimum-sextum [h], cùm Canones Conciliorum, Turonensis, Autissiodorensis & Nannetensis, explicuimus. Sanctus Augustinus in Sermone sæpè iam laudato vetat *ad fontes aut ad arbores vota reddere.* Tota textûs Eligiani difficultas consistit in vocabulo *cellos*, cuius loco alij *cancellos*, *ocellos* alij substituunt. Vox *ocellos* displicet, aliæ duæ probantur, & in eandem significationem recidunt, *cellus* enim locus est diis consecratus ac quibusdam cancellis septus, & vt *cellus* in masculino genere sic in fœminino dicitur cella.

[f] Num. 41.
[g] Num. 18.
[h] Num. 28.

XXXVII. *Nullus ad colla vel hominis vel cuiuslibet animalis ligamina dependere præsumat, etiamsi à Clericis fiat, & si dicatur quòd res sancta sit & lectiones diuinas contineat, quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli.*

XXXVIII. *Nullus præsumat lustrationes facere, vel herbas incantare, neque pecora per cauam arborem vel per terram foratam transire, quia per hæc videtur diabolo consecrare.*

XXXIX. *Nulla mulier præsumat succinos* (Dacherius *socinos* legit) *ad collum dependere, nec in tela vel in tinctura, siue quolibet opere, Mineruam vel infaustas ceteras personas nominare, sed in omni opere Christi gratiam adesse optare, & in virtute nominis eius toto corde confidere.*

XL. *Nullus, si quando Luna obscuratur, vociferare præsumat, quia Deo iubente certis temporibus obscuratur.* Ethnici, cùm Luna defectum patiebatur, maximos erumpebant in clamores, quia vociferationibus Lunam iuuari putabant, arcerique maleficia quæ Lunæ eclipsim comitarentur. Priorem superstitionem sic arguit sanctus Ambrosius [i]. *Quis, fratres, in vobis non molestè ferat (non tamen de omnibus dico, sunt enim inter vos quos ad Religionis cultum debeasis habere exempla) quis, inquam, non molestè ferat, sic vos esse vestra salutis immemores, vt etiam cælo teste peccetis? Nam cùm ante dies plerosque de vestra auaritia cupiditate pulsauerim, ipsâ die circa vesperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligiositas eius penetraret ad cælum. Quod cùm requirerem, quid sibi clamor hic velit, dixe-*

[i] Serm. 4. pro variis actionib.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

runt mihi quòd laboranti Lunæ vestra vociferatio subuenires, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Risi equidem & miratus sum vanitatem, quòd quasi deuoti Christiani Deo ferebatis auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum, tanquam infirmus enim & imbecillis, nisi vestris adiuuaretur vocibus, non posset luminaria defendere quæ creauit. Benè igitur facitis, qui diuinitati exhibetis solatium, vt vobis iuuantibus possit cælum regere. Sed si vultis hoc pleniùs facere, cunctis & totis noctibus peruigilare debetis. Nam quotiens, putatis, vobis dormientibus Luna vim passa est, & tamen de cælo non corruit? Aut numquid semper circa vesperum defectum patitur? nonne aliquando & circa lucem laborat? Sed apud vos vespertinis tantùm horis laborare consueuit, quando copiosa cœna venter distenditur, quando maioribus poculis caput mouetur. Tunc igitur apud vos laborat Luna, quando laborat & vinum. Tunc, inquam, apud vos turbatur carminibus globus Lunæ, quando calicibus turbantur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa Lunam quid agatur in cælo, qui circa te non vides quid agatur in terra? Hoc est planè quod ait Sanctus Salomon, dicens. [Stultus sicut Luna mutatur.] Mutaris enim sicut Luna, dum stultus & insipiens ad motum eius, qui Christianus fueras, incipis esse sacrilegus. Sacrilegium enim Creatori committitur, dum imbecillitas adscribitur creaturæ. Mutaris ergo sicut Luna, vt qui paulò antè fidei deuotione fulgebas, posteà perfidia infirmitate deficias. Mutaris sicut Luna, dum cerebrum tuum ita exinanitur sapientiâ, sicut Lunæ obscuritas. Te verò teterrimæ tenebræ mentis inuadunt, atque vtinam, ô stulte, sicut Luna muteris. Illa enim citò ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec sero conuerteris. Illa velociter colligit quod amiserat lumen, tu nec tardè fidem recipis quam negasti. Grauior ergo tua quàm Lunæ mutatio est. Luna defectum luminis patitur, tu salutis. Posteriorem sic sanctus Augustinus [a]. *Si quando Luna obscuratur, adhuc aliquos clamare cognoscitis, & ipsos admonete, denunciantes eis quòd graue sibi peccatum faciunt, quando Lunam, quæ, Deo iubente, certis temporibus obscuratur, clamoribus suis à maleficiis sacrilego ausu se defensare posse confidunt.*

[a] Serm. 215. de Tempore.

XLI. *Nec Lunâ nouâ quisquam timeat aliquid operis arripere, quia Deus ad hoc Lunam fecit, vt tempora designet, & noctium tenebras temperet, non vt alicuius opus impediat, aut dementem hominem faciat, sicut stulti putant, qui à dæmonibus vexatos à Luna pati putant.* Ethnici nullum opus inchoabant in nouilunio, nam primum diem Lunæ, vt Hesiodus testatur, sacrum æstimabant. Falsò quoque credebant eum à Luna pati, qui vexabatur à dæmone, nec satis exploratam habebant diaboli malignitatem, qui Lunam Dei creaturam infamabat quasi morborum causa fieret, imò Creatorem ipsum in inuidiam & odium adducebat vt homines eundem Creatorem blasphemarent. Lege Euangelistarum interpretes, vbi agunt de dæmoniaco, quem Matthæus [b] Lunaticum vocauit. *Hunc,* inquit Euthymius, *Matthæus Lunaticum dicit, quòd dæmonum quidam secedentes, aduersùs quosdam homines tempus certum Lunæ obseruabant, & tunc insultum in illos faciebant, vt dum Luna mali causa videretur, eius Creator calumniæ exponeretur.*

[b] Cap. 17. v. 14.

XLII. *Nullus dominos Solem aut Lunam vocet, neque per eos iuret, quia creatura Dei sunt, & necessitatibus hominum iussu Dei inseruiunt.*

XLIII. *Nullus sibi proponat Fatum vel Fortunam aut Genesim, quod vulgò Nascentia dicitur, vt dicat, qualem Nascentia attulit, taliter erit; quia Deus omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire, atque omnia in sapientia dispensat sicut disposuit ante constitutionem mundi.*

XLIV. *Præterea quoties aliqua infirmitas superuenerit, non quærantur præcantatores, non diuini, non sortilegi, non caragi; nec per fontes, aut arbores, vel binios diabolica philacteria exerceantur; sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam Corporis & Sanguinis Christi cum fide ac deuotione accipiat, oleúmque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum in nomine Christi vngat, & secundùm Apostolum oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & non solùm corporis sed etiam animæ sanitatem recipiet, complebitúrque in illo quod*

Dominus

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

Dominus in Euangelio promisit, dicens. [Omnia enim quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Longè alia erant Christianorum phylacteria, qui Crucem aut Euangelium ex collo dependebant. Vnde Gregorius Magnus in literis [a] ad Theodelindam Longobardorum Reginam. *Excellentissimo filio nostro Adulowaldo Regi transmitere phylacteria curauimus, id est, Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini & lectionem Sancti Euangelij thecâ Persicâ inclusam.*

[a] L. 12. ep. 7.

XLV. *Ante omnia vbicumque estis, siue in domo, siue in itinere, siue in conuiuio, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro proferre, quia sicut Dominus in Euangelio praenuntiat. [De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines super terram, reddent rationem in die iudicij.]*

XLVI. *Ludos etiam diabolicos vel vallationes*, id est, ballationes vt suprà, *vel cantica Gentilium fieri vetate. Nullus hæc Christianus exerceat, quia per hæc paganus efficitur, nec enim iustum est vt ex ore Christiano, vbi Sacramenta Christi mittuntur, & quod decet Deum semper laudare, cantica diabolica procedant. Ideóque, fratres, omnes adinuentiones inimici toto corde respuite, & supradicta sacrilegia cum omni horrore fugite.*

XLVII. *Nulli creaturæ præter Deo & Sanctis eius venerationem exhibeatis; fontes vel arbores, quos sacrinos vocant, succidite; pedum similitudines, quos per biuia ponunt, fieri vetate, & vbi inueneritis, igni cremate. Per nullam aliam artem saluari vos credatis, nisi per inuocationem & Crucem Christi. Nam illud quale est, quòd si arbores illæ, vbi miseri homines vota reddunt, ceciderint, nec ex eis ligna ad focum sibi deferunt? Et vide quanta est stultitia hominum, si arbori insensibili & mortuæ honorem impendunt, & Dei Omnipotentis præcepta contemnunt? Non ergo cælum, non sidera, non terram, nec vllam omnino creaturam præter Deum nullus adorandam credat, quia omnia ipse solus condidit atque disposuit. Altum quidem est cælum, ingens terra, immensum mare, pulchra sidera, sed immensior & pulchrior sit necesse est, qui hæc creauit.* De pedum similitudinibus, quos ethnici per biuia ponere consueuerant, nonnulla iam prælibauimus ad annum Christi quingentesimum octogesimum-sextum [b], vbi tertium Canonem Concilij Autissiodorensis exposuimus. Lares Viales in magno cultu fuerunt apud ethnicos; viis enim præesse, viatoribus auxilium præbere, debilibus pede sanitatem conferre credebantur. Illorum statuæ collocabantur in biuiis, sed adeò informes, vt soli pedes exprimerentur, seu quia pedum morbos existimabantur curare, seu quia pedum adminiculo viæ conficiuntur.

[b] Num. 18.

XLVIII. Sententiis Eligianis, quas hactenus ex Audoeno recitauimus, plerasque valdè conformes complectitur Sermo, qui numeratur ducentesimus quadragesimus-primus inter vulgatos Augustini de Tempore, & in Appendice quam Doctores Louanienses Tomo decimo Augustinianorum operum subiecerunt, recensetur duodeseptuagesimus cum hac censura, *Lipsius dubitat an sit phrasis Seueriani.* Præcitatum autem Audoenum sic redegit in epitomen Surius [c]. *Ante omnia illud denuncio atque contestor, ne vllus paganorum sacrilegas consuetudines obseruetis, non diuinos, non sortilegos, non incantatores pro vlla re aut infirmitate consulere ausi sitis. Qui enim id facit, ille mox perdit Baptismi gratiam. Neque etiam auguria vel sternutationes obseruetis, nec in itinere constituti aues cantantes curiosè attendatis, sed siue iter seu quodlibet opus suscipitis, signate vos in nomine Christi, symbolúmque & orationem Dominicam cum fide & deuotione dicite, nec quicquam vobis nocere poterit inimicus. Nullus Christianus obseruet, quâ die domum vel exeat vel reuertatur, omnes enim dies Dominus fecit. Nullus ad inchoandum opus diem vel Lunam attendat. Nemo in Calendis Ianuarij nefanda & ridicula, vetulas aut ceruolos vel iocticos faciat, neque mensas per noctem componat, neque strenas aut potationes superfluas exerceat. Non cælum, non terram, non sidera, nec vllam omnino creaturam, præter Deum, vllus adorandam credat, quia omnia ipse solus condidit atque disposuit. Altum quidem est cælum, ingens terra, immensum mare, pulchra sidera, sed longè maior & pulchrior sit necesse est qui hæc creauit.* Ceterùm vt Audoenum & Surium clariùs intelligas, præter obseruationes, quas

[c] Die 1. Dec.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

Canonibus Synodorum, Turonensis secundæ & Autissiodorensis sub Aunachario Episcopo, subiecimus, consule apud Halitgarium caput sextum Pœnitentialis Romani, vbi hæc leguntur de sacrilegio. *Si quis sacrilegium fecerit, id est, quod aruspices vocant, qui auguria colunt, superauguriauerit, aut quocumque malo ingenio, tres annos in pane & aqua. Si quis ariolus fuerit, quod diuinos vocant, aliquas diuinationes fecerit, quia hoc dæmoniacum est, quinque annos pœniteat, tres in pane & aqua. Si quis in Kalendis Ianuarij, quod multi faciunt, & in ceruulo ducit, aut in vetula vadit, tres annos pœniteat. Si quis sortes habuerit, quas Sanctorum contra rationem vocant, vel aliquas sortes habuerit, vel qualecumque malo ingenio sortitus fuerit, vel diuinauerit, tres annos pœniteat, vnum in pane & aqua. Si quis ad arbores vel ad fontes, vel ad cancellum, vel vbicumque, excepto in Ecclesia, votum vouerit aut exsoluerit, tres annos cum pane & aqua pœniteat, & hoc sacrilegium est vel dæmoniacum. Qui verò ibidem ederit aut biberit, vnum annum pœniteat in pane & aqua.*

XLIX. Prætereà Eligius, quod hoc loco prætermittere non debemus, acerrimè confutauit eos, qui perperam sibi persuaserant, concubinis frui licere. *Concubinas*, inquit apud Audoenum, *siue ante nuptias siue post nuptias habere prohibemus, quia omnino illicitum est. Nam qui vxorem legitimam ducere cogitas, dignum est vt virginitatem vsque ad nuptias custodiat, & post nuptias nullam alteram præter vnam legitimam coniugem cognoscat, sicut & Apostolus præcepit, vt ipse fidem seruet, sicut & illam sibi seruare vult, nec peccet cum alia, sicut nec suam vult cum alieno viro peccare, timens illud quod idem Apostolus terribiliter proclamat, dicens. [Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.] Quidquid enim de iure connubij mulieribus non licet, nec viris omnino licet. Nam qui ante legitimas nuptias habere concubinam præsumit, peius peccat, quam qui adulterium committit, & ob hoc dignus est à Christianorum consortio separari; qui si non pœnituerit, æterna illum flamma sine remedio cruciabit. Quapropter, Christiane, fuge fornicationem, erubesce iam sub oculis Dei & Angelorum peccare.* Hunc textum ita contraxit Surius. *Concubinas siue ante nuptias, siue post nuptias, habere prohibemus, quandoquidem omnino illicitum est. Qui enim legitimam vxorem ducere constituit, æquum est vt virginitatem vsque ad nuptias conseruet, & post nuptias nullam aliam, præter vnam legitimam coniugem, cognoscat, sicut & Apostolus præcepit, cui etiam fidem seruet, quemadmodum ab illa seruari vult, nec peccet cum alia, sicut nec illam vult cum alio peccare, timens illud quod idem Apostolus terribiliter clamat. [Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.] Quicquid enim coniugij iure fœminis non licet, nec viris licet. Quamobrem, ô Christiane, fuge fornicationem, erubesce iam sub oculis Dei & Angelorum peccare.* Surius hanc periodum resecuit. *Nam qui ante legitimas nuptias habere concubinam præsumit, peiùs peccat, quàm qui adulterium committit, & ob hoc dignus est à Christianorum consortio separari; qui si non pœnituerit, æterna illum flamma sine remedio cruciabit.* Sibi persuadere non potuit hæc Eligij fuisse verba, *qui ante legitimas nuptias habere concubinam præsumit, peiùs peccat, quàm qui adulterium committit.* Nec mirum quòd hæc sententia Surio displicuit. Eandem etiam improbarunt Doctores Louanienses in recognitione operum Augustinianorum. Inter alia enim, quæ in Appendicem Tomi noni reiecerunt, occurrunt quatuor ac viginti Tractatus de diuersis, horum autem vicesimum, qui *de certitudine Catholicæ conuersationis* inscriptus reperitur, sancto Augustino abiudicarunt hac censurâ. *Non est Augustini. Verba huius Authoris sunt. [Nam qui ante nuptias legitimas, habere concubinas præsumit, peiùs peccat, quàm qui adulterium committit.]* Deinde censuræ confirmandæ ergò, ad marginem illorum verborum sic scripserunt. *Hoc Augustinus non diceret.* Tractatus iste non est quidem sancti Augustini, sed eius doctrinæ non aduersatur. Totus est sancti Eligij, talísque in ipsiusmet Eligij vita descriptus est à sancto Audoeno Scriptore synchrono. Quod attinet ad doctrinam. Sanctus Eligius à sancto Augustino non dissentit. Id palam fiet facillimè. Sanctus Augustinus in Sermone ducentesimo quadragesimo-tertio de Tempore, quem Doctores

Louanienses haud improbarunt, ita loquitur. *Qui ante legitimas nuptias concubinam sibi adhibere præsumit, peius peccatum facit, quàm qui adulterium committit.* Alio sensu donari non possunt hæc sancti Eligij verba. *Qui ante legitimas nuptias habere concubinam præsumit, peiùs peccat, quàm qui adulterium committit.* Synonyma sunt, *peiùs peccat,* & *peius peccatum facit.* Textus igitur sancti Eligij, qui legitur apud sanctum Audoenum & probatis sancti Augustini verbis innititur, non est repudiandus, eget tantùm interpretatione quam Ludouicus *de Montigny* Archidiaconus Nouiomensis in notis ad vitam sancti Eligij, & Lucas *Dachery* Monachus Benedictinus in præfatione ad Tomum quintum Spicilegij iam vsurparunt. Adulterium procul dubio grauius est peccatum quàm fornicatio, peiúsque peccat seu peius peccatum facit adulter quàm fornicator. Id in confesso est apud omnes, nec vnquam sanctus Eligius, aut qui sanctum Eligium antecessit sanctus Augustinus, adulterium simplici fornicatione leuius crimen censuit. At propter scandalum aliásque circumstantias contingere potest, vt is qui fornicatur peiùs peccet quàm qui committit adulterium. In casu, quem sanctus Augustinus & sanctus Eligius proponunt, nulla ratio dubitandi. Palàm quis in conspectu totius ciuitatis adhæret concubinæ, cuncto populo vidente licenter id à se fieri proclamat, prauóque exemplo ceteros in fornicationem inducit. Hunc sancti Augustinus & Eligius asserunt peiùs peccare, quàm eum qui secretò ac trepidè adulterium patrat. *Illud quale est*, inquit sanctus Augustinus in Sermone ducentesimo quadragesimo-tertio de Tempore, *quòd multi virorum ante nuptias concubinas sibi assumere non erubescunt, quas post aliquot annos dimittant, & sic postea legitimas vxores accipiant. Tractant enim apud se, vt priùs de multis calumniis & rapinis iniustas diuitias & iniqua lucra conquirant, & postea contra rationem plùs nobiles quàm ipsi sunt vel ditiores vxores accipiant. Ecce quantis malis se obligant, qui non solùm luxuria sed etiam auaritia vel cupiditati infeliciter seruire desiderant. Vnde coram Deo & Angelis contestor atque denuncio ista mala & semper prohibuisse, & numquam ei placita fuisse, quia præcipuè temporibus Christianis concubinas habere numquam licuit, numquam licebit. Sed quod peius est, faciunt hoc multi viri iure fori non iure cæli, non iustitiâ iubente sed libidine dominante. Cùm enim Apostolus coniugia habentibus dicat,* [*tempus breue est, & superest, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint,*] *& illud,* [*abstinete ad tempus, vt vacetis orationi,*] *quomodo adulteras concubinas permittit habere, qui castitatem seruare & in coniugiis positis præcepit? Pro qua re iterum atque iterum voce liberâ clamo, quia qui ante legitimas nuptias concubinam sibi adhibere præsumit, peius peccatum facit, quàm qui adulterium committit; quia qui adulterat, adhuc tam graue malum secretè vult agere, in publico autem aut metuit aut erubescit committere; ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentissimâ rem execrabilem, toto populo vidente, licenter se putat admittere.*

AN. CH. 659.
CLOTAR. III. R. 4.

L. CALIX.

In Monasterio Kalensi seruatur Calix sancti Eligij, ipsius operâ fabricatus, totus ex auro purissimo, gemmis per circuitum cuppæ in parte exteriori atque etiam in inferiori parte decoratus. Altitudinis est ferè pedalis ab imo ad summum sacræ pateræ, orificium habet paulò arctius quàm nostri iam habere soleant, sed vas altius est & capacius, vt Andreas Saussaius obseruauit. Istius enim Calicis, quem Batuldis Regina Kalensibus Monialibus in pignus piæ recordationis tradidit, ectypon ob venerandæ antiquitatis specimen, & raritatem formæ, accuratim expressum exhibuit in Panoplia [a] Sacerdotali. Demochares capite decimoquinto de Diuino Missæ sacrificio meminit alterius Calicis, qui Nouiomi in Monasterio sancti Eligij custoditur. *De beato*, inquit, *Eligio, quòd Missarum fuerit studiosus minister, habetur adhuc hodie euidens probatio, cuius monstratur ad huius rei perpetuam fidem Calix ipse quo in Missarum solennis vtebatur, appellatúrque ab omnibus etiam paruulis, Calix S. Eligij, qui inter reliquias asseruatur à religiosis Cœnoby sub huius nomine dicati, traditúrque malè habentibus vt in eo bibant, & sanitatem, quam consueuerunt in eo bibentes, recuperent.*

[a] P. 1. l. 8. c. –.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

LI. MOMMOLINVS FIT EP. NOVIOM. BERTINVS ABBAS SITIVENSIS.

Sancto Eligio in Cathedra Nouiomensi successit Mommolinus ex Abbate Sitiuensi. Sitiuensis autem Monasterij regimen suscepit Bertinus. Ebertramnus apud Augustam Viromanduotum in Nouiomensi Diœcesi Cœnobio sancti Quintini iam præerat. Sic pios viros, qui simul per multos annos vixerant, in diuersa loca migrare voluit Deus, vt vberes eorum fructus magis dilatarentur. Bertinus suo ministerio probè functus est, &, vt Malbrancus scribit [a], adiit sæpè Iudocum Presbyterum, qui vitam ad annum vsque Christi sexcentesimum sexagesimum-quintum produxit.

[a] L. 3. c. 38.

LII.

Non desunt, quibus hæc Chronologia de annis beati Iudoci displiceat, sed Authoribus Fredegario & Florentio computum nostrum sic confirmamus. Iudocus ante annum Christi sexcentesimum tricesimum-sextum, Dagoberti Regis decimum-quintum, vt ex rebus à Fredegario ad annum eiusdem Regis decimum-quartum enarratis constat, in agrum * Pontiuensem ad Haymonem Ducem non peruenit. *Delectatus locorum vastâ solitudine* (verba sunt Florentij [b]) *super fluuium Alteiam * disposuit habere habitationem. Sed à Duce Haymone obuiam ei facto retardatus est ab hoc proposito per spatium septem annorum*, id est, ad annum vsque Christi sexcentesimum quadragesimum-tertium. *Elapso septennio ad vitam transiens solitariam mansit in loco qui dicitur Brahic*, &c. *Iam octo annis ibidem elapsis ad vlterius Domino Duce processit desertum, condens Oratorium in honorem Sancti Martini, in loco qui dicitur Rimacus super fluuium, vbi plurimas ab hoste antiquo passus est insidias per quatuordecim annos quibus ibidem commoratus est.* Secessit igitur in secretiorem eremum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, vitámque clausit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto. Florentius, à quo mutuati sumus ista, florebat anno Christi millesimo decimo-quinto, Monasterio sancti Iudoci cum Abbatis titulo præfuit, résque quas in vita sancti Iudoci scripsit, ex antiquiore libro à se breuiter excerptas testatus est. Ceterùm cùm audis Iudocum in posteriori eremo post annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-primum mansisse per annos quatuordecim, id sumere non debes adeò strictè, vt toto illo tempore numquam inde digressum credas, nam Romam profectus legitur, vt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium retulimus.

* Le Pontieu.
[b] Ap. Surium d. 13. Dec.
* Autie.

LIII. ECCLESIA WENSTERHOW. DEDICATVR.

Ecclesia, quam Landoaldus in prædio Wentershowo ædificauerat, *per Calendas Decembris*, vt Notgerus testatur, in honorem beati Petri dedicata est. Cùm autem tales solemnitates diebus Dominicis vt plurimùm fieri soleant, nota Kalendas Decembres in diem Dominicam sub Remacli Traiectensis Episcopi Præsulatu bis tantùm incidisse, semel anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio quo Landoaldus in Galliam venit, iterum hoc anno, Christi sexcentesimo vndesexagesimo, quo dedicationem illam consignamus. Sancti Landoaldi vitam, miracula, Translationémque duobus libris explicuit Notgerus *anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo, Indictione octauâ*, vt ipsemet in præfatione sui operis asserit, id est, post annos trecentos & ampliùs ab eius obitu. Author ille, quia literis commendauit res ab ætate sua plurimùm remotas, lapsus est in multos errores. Primò triennalem Pontificatum, quem Amandus Traiecti sub Sigiberto Rege gessit, retulit ad Principatum Dagoberti, qui Sigibertum filium in Austrasiæ Regno antecessit. Deinde longum subiecit interpontificium vsque ad beatum Remaclum, eâque temporis intercapedine Landoaldo vices Pontificias per annos nouem attribuit. Atque vt ita sentiret, eâ se dixit adductum ratione, quòd Landoaldus Lambertum puerum enutrierit, & in præmium operæ diligenter impensæ prædium ab Apro Lamberti patre acceperit nomine Wentershowm, vbi posteà construxerit dedicaritque Ecclesiam in qua sepultus diu iacuit. *Incompertum est*, inquit, *deinde, quantâ temporis intercapedine plebs Traiectensium fuerit vsque ad beatum Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quia famâ ad nos vsque perferente accepimus, beatum Landoaldum illic remansisse, & per nouem annos vices Pontificis administrasse. Cui opinioni illud nos facilè facit accedere, quia refertur idem beatus Lan-*

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

doaldus specialem Patronum nostrum, Sanctum scilicet Lambertum, primâ pueritiâ nutriuisse. Propter quod & illustris vir Aper, eiusdem pueri pater, prædium vocabulo Wentershowm, super Archa fluuium positum, eidem ad inhabitandum & Ecclesiam construendam perpetuo iure concessit, & eundem puerum diuinis dogmatibus imbuendum, cum eo manere constituit. Vbi dum artifices operi insistunt, & aquam, vtpote de paludibus turbidam, fastidiunt, B. Landoaldus cum puero Lamberto, inuocato Christi nomine, eum Crucis protensione fontem limpidissimum baculi impressione omnium vsibus fecit ebullire, qui fidem dictis præbet vsque hodie. Et inferiùs. *Beatus verò Landoaldus, cursum vitæ præsentis explens, in senectute bona repausationem indeptus, hominem exuit; brauium coronæ perennis accepit, sepultus in Ecclesia, quam ipse ædificauerat, & in honore B. Petri per Calendas Decembris dedicauerat.* Fisenus [a] illo Notgeri textu nixus Lambertum in Sanctorum, Landoaldi, Remacli ac Theodardi, disciplina fuisse sic asseruit. *Quamdiu pro Amando rexit Ecclesiam Landoaldus, ei filium pater instituendum tradidit. Tradidit & Remaclo, vbi datus est Amando successor. Atque postquàm impetratâ missione, secessit ipse Stabuletum, subrogatúsque est Theodardus, Lambertum item hic accepit sanctioribus institutis imbuendum.* Anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio, qui primus Episcopi Remacli fuit, Landoaldus ex Italia in Galliam ab Amando adductus est, in administranda Diœcesi Remaclum per annos nouem consilio & operâ iuuare potuit, sed non obiit vices Pontificias siue munera Episcopalia, numquam enim ordinatus fuit Episcopus; Presbyter vocatur in Fastis Ecclesiasticis, Archipresbyter à Notgero & ab aliis; Archipresbyteri titulo gaudebat Romæ, priusquàm in Amandi familiaritatem veniret, hinc Cardinalis ex vulgari iudicio pingi solet. Ceterùm cùm numquam Episcopus fuerit, Ecclesiam, quam apud Wentershowm construxit, haud dedicauit, sed ab Episcopo Remaclo dedicandam curauit. Ita planè dicendum. Prætereà Lambertus nec Landoaldi nec Remacli discipulus fuit. Sancti Lamberti vitam multi scripsere. Notgero ceterisque Lamberti præconibus præstat authoritate Godeschalcus, tum quia vetustior est, tum quia sancti Lamberti vitam ab Authore synchrono conscriptam legit ac penè ad verbum descripsit, vt facilè iudicabit, quisquis eiusdem Godeschalci lucubrationem cum Anonymi fragmentis à Duchesnio [b] publicatis contulerit. Sic autem ille de Lamberti pueritia & adolescentia déque magisterio Theodardi disserit. *Pater à prima ferè ætate tradidit eum viris sapientibus & historicis, sacris literis edocendum. Ille verò magno studio, officio lectionis assidua adhæsit, & velociter ipsum consummauit. Cùm autem imbutus fuisset à prudentissimis viris, reuersus est ad domum patris sui. Et pueritiæ annos excedens, annum adolescentiæ cum magna sollicitudine exercebat, & quotidie in bonis operibus crescebat, & spiritus sapientiæ & gratia humilitatis in eius vultu resplendebat. Eodem tempore, diuinæ dispensatione prouidentiæ, Summus Pontifex Theodardus, oppidi Traiectensis Cathedra Pontificali præsidebat, pater eius commendauit eum præfato Antistiti, diuinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula Regia erudiendum.* Nullum ibi verbum de Landoaldo & de Remaclo. A Godeschalco non dissentit Stephanus adhuc antiquior Notgero. Nicolaus verò qui post Notgerum scripsit, Renerus & Ægidius, qui Nicolaum secuti sunt, nullâ Remacli mentione factâ duos Lamberti præceptores Landoaldum & Theodardum constituunt. De singulis hisce Scriptoribus egimus suprà, quibus vixerint temporibus, quâ polleant authoritate, quâue fide digni sint inuestigauimus. Anonymus qui Lamberto synchronus fuit, & Godeschalcus vt antiquitate sic authoritate Notgerum eiúsque asseclas antecellunt, ideóque cùm de Lamberti pueritia & adolescentia sermonem sic instituant, vt apertè doceant illum sub Landoaldi disciplina nusquam fuisse, respuimus ea quæ recentiores in contrariam sententiam assumunt ex Notgero. Lambertus annos tres ac viginti natus erat, cùm dedicata est Ecclesia Wentershowensis.

LIV.

PRÆCEPTUM PRO COENOBIO CORBEIENSI.

Clotarius hoc anno, Regni sui quinto iam inchoato, mense Decembri, Corbeiense Monasterium à teloneis immune fecit hoc [c] Præcepto. *Chlotharius*

[a] In vit. sancti Lambert. c. 3.

[b] Tom. 1. Hist. Franc.

[c] Tom. 1. Conc. Gall.

AN. CH. 659. CLOTAR. III. R. 4.

*Rex Francorum, vir inluster, omnibus agentibus tam præsentibus quàm futuris. Cognoscat magnitudo seu industria vestra, pro mercedis nostra augmento & diuino intuitu, tale nos actoribus, seu discursoribus Monasterij virorum Corbeia *, quod Domna & genetrix nostra Baldechildis Regina suo opere construxit, præstitisse beneficium, vt quotiescumque Monachi, missi, vel discursores ipsius Monasterij, partibus prouinciæ, vel per reliqua loca, ad cappas comparandas, aut reliquas opportunitates ipsius Monasterij exercendum, seu cellarium fuerint egressi mercandum, in quibuslibet locis, vel territoriis, seu partibus, vbicumque teloneum, pontaticum, rotaticum, ceterásque redhibitiones fiscus noster à discursoribus, seu iter agentibus exigere consueuit; habeant hoc Monachi in iam dicto Monasterio Corbeia consistentes, tam præsentes quàm in futurum inibi aduenientes, in omnibus indultum simúlque concessum. Eâ scilicet ratione, vt neque nos, neque iuniores, aut successores nostri, vllo vnquam tempore de eo quod superiùs continetur, à Monachis aut Missis vel discursoribus ipsius Monasterij exigere, nec requirere vllis locis vllísque ordinibus infra terminos Regni nostri præsumatis. Sed vt superhabetur insertum, habeant ipsum beneficium iam dicti Monachi sanctæ Congregationis Corbeia Monasterio, & actores eorum ex nostra largitatis munificentia concessum, simúlque indultum, quò potiùs delectet ipsam sanctam Congregationem ex ipso beneficio pro stabilitate Regni nostri, Domini misericordiam exorare. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora conseruetur, nos & præcelsa genetrix nostra Domna Baldechildis Regina manu nostris signaculis subter eam decernimus adfirmare. Vidrehadus iussus. Signum Gloriosi Domni Chlotharij Regis. Signum præcelsæ Baldechildis Reginæ. Data sub die XXIII. mensis Decembris, anno V. Regni nostri. Stirpiniaco. In Dei nomine feliciter.*

* Corbie.

LV. LEODEGARIUS FIT EP. AUGUSTODUN.

Hoc anno, Clotarij Regis quarto, Leodegarius Augustodunensem Pontificatum iniit. *Quo munere*, inquit Vrsinus, *decem annis strenuè functus cùm esset, Clotarius Rex, qui eum promouerat, excessit è viuis.* Obiit autem Clotarius, cùm annum in Regno decimum-quartum ageret. Augustodunensis Ecclesia, quæ penè biennio squallida remanserat, pristino splendori statim reddita est per Leodegarium. *Ita in aduentu eius exterriti sunt omnes Ecclesiæ vel vrbis illius aduersarij, necnon & hi qui inter se odiis & homicidiis incessanter certabant, vt memoriam transacti scandali nollent audire, quia quos prædicatio ad concordiam non adduxerat, iustitia & terror cogebat. Iam enim in Episcopatum, dispensante Deo, eleuatus, quantùm in alimonia pauperum eius excreuerit præcipua cura, longum est enarrare per singula. Sed nobis ista tacentibus testantur opera, vel matricula, quæ ab eodem instituta residet ad Ecclesiæ ianuam, vel specierum pulchritudo, quæ aureo fulgore rutilant in Ecclesiæ ministerio, necnon & Baptisterij ornamenta miris operibus fabricata, quantúmque in amore Martyrum eius mens fuerit deuota, silentibus nobis indicat S. Symphoriani Martyris sepultura seu Translatio sancti corporis gloriosa. Prætereà innuunt eius industriam Ecclesiæ pauimenta, vel laquearia, & atrij constructio noua, murorum vrbis restauratio, domorum reparatio, & quæ erant nimiâ vetustate consumpta, per se redintegrata visa dant videntibus testimonia. Sufficiant hæc inprimis pauca de plurimis.* Hæc Auctor synchronus in vita sancti Leodegarij.

LVI. EPISCOPI VENETENSES. ET ALETENSES.

Transiit ad Deum hoc anno sanctus Hinguethenus, qui Pontificatum Venetensem biennio duntaxat gessit. Meriadecus Eremita successit in Episcopatum, vt in eius vita [a] testatur Auctor Armoricæ Sanctæ. Discessit etiam è viuis hoc anno Riatwalus, cùm Aletensem Diœcesim in eadem Armorica sex annis administrasset. Ei successit Tutamenus, cuius obitum post quadriennium referemus.

[a] d. 7. Iun.

ANNVS
CHRISTI 660.
CLOTARII III. R. 5.
CHILDERICI II. R. 1.

AN.CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

I. EBROINVS MAIOR-DOM.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo, cùm Maioratus Regiæ domûs aliquandiu vacasset, Ebroinus in locum Erchinoaldi subrogatus est. *Defuncto Erchonaldo Maioredomûs, Franci in incertum vacillantes, præfinito consilio Ebruino huius honoris altitudine Maioremdomûs in aula Regis statuunt.* Hæc in Gestis [a] Regum Francorum leguntur apud Anonymum, cui Continuator Fredegarij subscribit [b]. Henschenius in diatriba [c] de tribus Dagobertis Erchinoaldo subiicit Ebroinóque præponit Radobertum, qui Præcepto Clodouei Regis de libertate Monasterij sancti Dionysij subscripsisse fertur. Sed illius Præcepti, quod anno decimo-sexto Clodouei Regis emissum est, subscriptiones suppositítias esse iam probauimus, & ex prædictis constat Erchinoaldum Clodoueo Regi superstitem vixisse. In passione sancti Ragneberti, quam Duchesnius ex Attebatensi Codice publicauit [d], Ebroinus *ex infimo genere ortus* dicitur. Id autem videtur à vero penitus alienum, quia præfectura Palatij, teste Eginhardo in vita Caroli Magni, *non aliis à populo dari consueuerat, quàm his, qui & claritate generis, & opum amplitudine cæteris eminebant.* Ebroinus, quamuis illustri loco natus esset, non eâ quâ decessor Erchinoaldus authoritate pollebat, vnde factum, vt Austrasij pace Regni non parum interturbatâ tumultuarentur, & Regem, qui soli Austriæ dominaretur, sibi dari poscerent impetrarêntque.

[a] Cap. 45.
[b] Cap. 92.
[c] Lib. 1. c. 10.
[d] Tom. 1. Coll. Hist. Franc.

II. CHILDERICVS FIT REX AVSTRIÆ.

Istam rerum Austrasianarum mutationem attingit Author coætaneus in vita sanctæ Bathildis, his verbis. *Nuper & Austrasij pacifico ordine ordinante Dominâ Balthide, per consilium quidem seniorum, receperunt Childericum filium eius Regem Austri; Burgundiones verò & Franci facti sunt vniti.* Abhinc Clotarius Burgundionibus tantùm ac Francis seu Neustrasiis, Childericus eius frater Austrasiis imperauit. In altera sanctæ Bathildis vita, cuius Author politior est, eadem Childerici Regis promotio sic exponitur. *Austrasij quoque pacifico ordine, faciente Dominâ Bathildâ (per consilium quidem seniorum) receperunt filium eius Childericum Regem in Austrasiam, factíque sunt Burgundiones & Franci ex illo tempore vniti.* Cuius periodi postrema verba non eo sensu accipienda sunt, vt Neustriæ Burgundiæque Regna tum primùm coniuncta & sub vnius imperio fuisse credas, nam Clotarius secundus, cùm Dagobertum filium Regem Austriæ constituit, Neustriam ac Burgundiam sibi reseruauit, idémque præstitit Dagobertus cùm Sigibertum Austriæ Regem præfecit, & quamdiu Sigibertus vixit, Clodoueus eius frater natu minor Neustriâ simul ac Burgundiâ potitus est. Insignem prorsus laudem Bathildis Regina sibi comparauit Austrasiæ tumultu sic composito. *Credimus*, inquit prior Anonymus in eius vita, *Deo gubernante, iuxta Domnæ Baltidis magnam fidem ipsa tria Regna tunc inter se tenebant pacis concordiam.* Posterior clariùs atque elegantiùs. *Credimus quia, Deo gubernante, iuxta Domina Bathildis magnam fidem accidit, vt ipsa tria Regna, quæ anteà dissidebant discordiâ, tunc inter se tenerent pacis concordiam.* Id hoc anno contigisse iam monuimus post obitum Sigiberti Regis ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum [e]. Chronologiam nostram egregiè confirmat [f] vetus Anonymus, qui septem annos à morte Sigiberti Regis vsque ad Childerici Principatum enumerat, & Childerico Regi quatuorde-

[e] Num 7.
[f] Tom 1. Coll. Hist. Franc. pag. 781.

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

cim annos attribuit, vtrosque scilicet incompletos; obierunt enim, Sigibertus anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto, Childericus anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio. In Austria Maioratum domûs Regiæ sub Childerico Rege Wlfoaldus, in Neustria & Burgundia sub Clotario Rege gessit Ebroinus.

III. OBITUS MAGNI EP. AVENION.

Hoc anno, *Domini sexcentesimo sexagesimo, sancto patri sanctus filius, beato Magno beatus Agricolus*, vt in huius vita legitur, *in Episcopali Sede* Auenionensi *successor communi omnium calculo declaratur. Vidit Beatus Magnus suam sponsam filio desponsatam, vidit & suam viuam imaginem in sua Sede collocatam, vidit gregem suum mutasse hominem, nec tamen mutasse Pastorem, quicquid enim sanctus senex in se optasset, hoc in Agricolo filio emicare videbat. Quare statuit eidem Ecclesiæ sua omnia elargiri, cui se filiúmque deuouerat, prædia, possessiones & feuda, quæ illi supererant in seculo, templo beatissimæ Virginis Deiparæ liberali donatione testamento concepto consecrauit. Quibus peractis, non multo interiecto tempore matura Deo, & mundo beata illa anima misera istius vitæ vinculis exoluta, relictísque Auenionensibus, tum suarum virtutum, tum bonorum omnium, tum sua sanctissima prolis hæredibus, ad cæleste præmium decimo-quarto Calendas Septembris euolauit.*

* S. Magne. Sanctus Magnus * Episcopus Auenionensis vnà cum filio ac successore Agricolo colitur, vt obseruat Saussaius in encomio sancti Agricoli quarto Nonas Septembris, & in catalogo Sanctorum, beatorum ac piorum, qui proprias Historias vel Natales non habent. Agricolus antequàm ad Præsulatum promoueretur, erat Archidiaconus, eóque munere videtur functus per triennium, nostro enim calculo non aliud temporis interuallum ab eius reditu ex Insula Lerinensi vsque ad assumptionem in Episcopum intercessit. Author vitæ turpiter hallucinatur, dum scribit eum votis omnium expetitum, ipsique Dagoberto Regi, qui Clotario patri in Regni administrationem successerat, acceptum fuisse, cùm Magnus, qui propter senium pascendo gregi Dominico se tunc imparem cognoscebat, de successore attentiùs cogitauit, defuncto tamen intereà Dagoberto Episcopatum non obtinuisse nisi regnante iam Clodoueo Secundo. Quomodò enim hæc stare possunt cum recta Chronologia? Agricolus nostro calculo annum decimum-septimum, ex Authoris sententia decimum-quartum agebat, cùm Dagobertus Rex è viuis excessit, an ea ætas idonea fuit gerendis infulis? Fortè cùm Magnus Pontificatum sub Dagoberti Principatu suscepit, inter publicas acclamationes populus etiam benè precatus est Agricolo filio, vt patri post multos annos aliquando subrogaretur, idque testatus est Dagobertus sibi non displicere propter egregiam opinionem quam adolescens apud omnes de se concitabat, hic tamen Præsulatum nec sub Dagoberto nec sub Clodoueo gessit, sed Clotario Tertio iam regnante Pontificias infulas accepit. Sepultus fuit sanctus Magnus in Ecclesia Cathedrali, ibique quieuit ad annum vsque Christi millesimum trecentesimum vicesimum-primum, quo translatus est in Basilicam, quæ sancti Agricoli nomen etiamnum gerit.

IV. PALLADII EPISCOPI AVTISSIOD.

Hoc eodem anno Palladius Autissiodorensis Episcopus, cùm Ecclesiam triginta-sex annis ac mensibus tribus rexisset, *obiit IV. Idus Aprilis*, quo die coli solet [a], *& sepultus est in Basilica S. Eusebij quam ipse suo opere construxerat, & cessauit Episcopatus dies* x. Hæc Chronographus Autissiodorensis [b], sed longius procul dubio fuit interpontificium, nam qui successit Vigilius *sedit annos* xxv. *menses quinque*, & *martyrizatus est sub die* v. *Iduum Martiarum*. Post mortem sancti Palladij vacauit Episcopatus à quarto Idus Aprilis vsque ad mensem Octobrem quo Vigilius Pontificatum suscepit. Hic, teste eodem Chronologo [c], *genere nobilis extitit, & Sanctitate præclarus. Inter cetera namque virtutum suarum insignia etiam Monasterium in suburbio ciuitatis Autissiodorensis extruxit, quod pluribus ditatum muneribus, vt testamenti ipsius series demonstrat, in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicauit, quod etiam muro circumcingens Monachorum esse constituit, simúlque Xenodochium ibidem esse præcepit.*

[a] Mart. Gall.
[b] Cap. 21.
[c] Cap. 22.

In

AN. CH. 660.
CLOTAR. III. R. 5.
CHILD. II. R. 1.
V.

In vita sancti Baboleni, quam Duchesnius [a] publicauit, *Clotharius Rex immaturâ preuentus morte, Theodorico fratri quinto anno* dimittit Principatum, & Clotharij Regis morti proximè subiungitur obitus Abbatis Baboleni, sexto Kalendas Iulij, itaut minimè reuocandum sit in dubium, quin ex illius Authoris sententia primus Abbas Fossatensis hoc anno è vita discesserit. *Dum sciret sui obitûs diem imminere, successorem sibi elegit virum venerentissimum, Ambrosium nomine. Quo facto, dum viueret cum mortalibus, transibat ad Christum sanctis virtutibus. Sacris autem refulgens actibus, immortali Regi existebat deuotus. Qui in cunctis Domini mandatis exercitatus, & calestis gloria dignus factus,* VI. *Kalendas Iuly migrauit à saculo, coniunctus Sanctorum choro, atque in gaudio Angelorum exultat ante Dominum. Sepultum est autem eius sanctum corpus ad Septentrionalem plagam secus Ecclesiam Sancta Dei genitricis ab ipso constructam, in pretioso lapideoque sarcophago, in quo multis annis iacuit decenter humatum.* Hæc idem Anonymus, cuius authoritate refelluntur quæ proferuntur à recentiore Breulio de pariete Ecclesiæ diuinitus perforato, itaut sancti Baboleni corpus cum ipso suo lapideo sarcophago intra eandem Ecclesiam iuxta Dei genitricis aram pertransierit *deuoluto* post eius mortem *non multi temporis spatio.* Sanctus Babolenus colitur à Fossatensibus sexto Idus Iulij, quo die mortuus creditur, quia confunditur cum altero Baboleno seu Papoleno Abbate Stabulensi, quem Stabulenses eodem die venerantur.

[a] Tom 2. Coll. Hist. Fran.

BABOLENI ABBATIS FOSSAT.

VI. Obiit & hoc anno Rigobertus Turonensis Episcopus, cùm sedisset annos [b] sex. Successit Papolenus, seditque annos quinque, menses duos.

[b] Seuert.

RIGOB. EP. TVRON.

VII. Ad hunc annum pertinent multa, quæ post obitum sancti Eligij contigisse scribit Audoenus. *Nuperrimè,* inquit, *post obitum suum vir beatus in visione noctis cuidam persone in aula Regis habitanti apparuit, cui in habitu prafulgido assistens pracepit, vt sine aliquo cunctamine adiens Reginam Bathildem commonere eam deberet, quòd insignia auri gemmarúmque ornamenta, quibus adhuc in cultu vtebatur, ob Christi iam reuerentiam deponere non grauaretur. Quod cùm is, cui iussum erat, negligenter silendo prateriisset, apparuit nihilominùs & nocte secundâ, atque eadem qua pridie eâdem serie commonuit. Sed cùm nec tunc quidem prasumpsisset ex visione Regina quidquam intimare, tertiâ nihilominùs vice cum magna apparens comminatione, eadem qua priùs mandauerat ingeminando subiunxit. Cúmque nec sic quicquam Regina auderet indicare, emissâ subitò corpori febre cœpit vehementer augi. Quem cùm Regina agrotantem visitaret, caussas agritudinis sciscitari studuit. Tunc ager opportunitate inuentâ, secreta cordis detexit, mandata Regina indicauit, atque omnem ei tenorem visionis exposuit. Nec mora, & post rerum narrationem discedente extemplò febre sanitatem pristinam recepit, Regina verò non ambigua de Confessoris admonitione omnia à se confestim ornamenta reiecit, nec prater brachiles aureos super se quicquam ornamentorum reseruauit. Omnia itaque in eleemosynis dispertiens, comptiora quaque in Crucis opere aptauit, quam nimirum eleganter perficiens, ad caput S. Eligij stabiliri pracepit. Iussit prятереà & crepam,* id est, capsam, *ex auro atque argento mirificè fabricari, quam super Confessoris membra deponere deberet. In quo opere copiosam molem auri & argenti ipsa prabuit, dicens. Hic beatissimus multorum Sanctorum fabricauit sepulchra, & ego, vt dignum est, si quiuero, fabricabo ei memoriam. Factúmque est ita. Et cùm stabilita in locum tumuli fuisset, tanta deinceps copia auri vel gemmarum in fibulis ac diuersis speciebus à Potentibus eodem loco collata est, vt eam sermo narrantis vix sufficiat exponere. His ita gestis, mos erat vt diebus Quadragesima propter fulgorem auri vel nitorem gemmarum operiretur tumba velamine linteo vrbanè ornatu holoserico. Igitur ingrediente Quadragesimâ pracinxerunt crepam huiusmodi sindone, vt moles radiantis metalli velata tegeretur diebus pœnitentia. Et post aliquot dies fortuitu dum multi astarent sepulchro, miraculum apparuit inauditum. Cœpit namque subitò linteum, quo tumba cingebatur, sudare, ac deinde paulatim paulatímque fumigans vberiùs rore infuso humectari. Quod cùm circumstantes conspicerent, in magno protinus stupore conuersi magnalia Christi ibi fatebantur tunc fieri. Deinde cùm distillare*

S. ELIGII CAPSA,

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

cernerent linteum, visum est senioribus consilium optimum, vt auferentes eum è tumulo, atque extorquentes in vasculo, aliqua ex eodem liquore procuraretur medicina fore. Quod & factum est, & mox tollentes præcinctorium elicuerunt in vase æreo, atque ex hoc demùm multis præbuerunt sanitatis antidotum. Tanta quippe fuit sudoris illius vbertas, vt etiam holosericum vrbanè tunc tinctum ex nimia roris infusione proprium amitteret colorem, linteúmque sibi connexum colore inficeret suo. Itaque simile huic operi Gedeonis factum intueor, ibi etenim ros in vellere ex diuina præstantia ad indicium rogantis infusus est; hic nihilominùs infusio diuinæ virtutis ad sanitatis remedium collata est; illic concha vellere expresso rore completur; hic nimirum linteum in concha expressum ad duorum ferè sextariorum mensuram liquor sanctus elicitur. Miram eius efficaciam infrà narrabimus sub Ingomaro Viromanduorum Comite.

VIII. *Cùm corpus beati Eligij in latere altaris esset sepultum, visum est Episcopo* Mommoleno *& Reginæ* Bathildi *consilium optimum, vt ædificatâ vltra altare volutione* * *illic ei condignam facerent Translationem. Cúmque huiusmodi consilium mente conceptum illic accersissent, & qualiter id fieri deberet disponerent, apparuit subitò in pariete circa vitream maximam veluti arcus in rotundo prærupta imminens criptura, vt liquidò cunctis patesceret Dei nutu id fieri quod disponerent, ac per eum locum maceriam debere euertere, quo nimirum viderent hoc opus cripturam præire. Hæc ergo cum magna admiratione vniuersi cernentes, meritis Antistitis voluntatem ex hoc fatebantur Saluatoris, deinde iam hac confidentiâ acti cùm conarentur parietem eo in loco forare, vt prædictum opus possent perficere, ita sese sponte absque eorum labore in directum maceria fudit, vt nec hominem vllum nec ipsam denique tumbam, quæ ei erat contigua, vllatenus læderet corruentis ruina. Sic igitur cum Antistitis præsidio opus aggredientes optatum, dignum beato Confessori atque honorabile Mausoleum. Intereà appropinquante die depositionis eius annuali, parabant equidem ciues, quemadmodum ei honorificam facerent Translationem. Præparabat etiam Regina vestimenta omnia holoserica nimiùm pretiosa, vt cum in die transmigrationis exueret illa quæ dudum cum eo miserat indumenta, & indueret ea quæ tunc præparabat noua. Igitur cùm anno iam vertente dies depositionis eius aduenisset, conuenit in oppidum copiosa populi multitudo, tunc cuncto Clero canora vocis celebrante melodiam, omnibúsque Christianis insistentibus excubiis, ablata est cum diligentia tumba desuper Confessoris membra, deinde cùm esset leuatum tumuli opertorium, magnum circumstantibus visum est miraculum. Nam vbi reuelatum fuerat corpus sanctum, odor continuò flagrauit gratissimus, quódque ita erat solidum & illibatum, absque vllius membrorum diminutione incorruptum, vt viuere adhuc putaretur in tumulo, & quod his adhuc est venerabilius, ita barba & capilli eius, qui tempore obitûs sui iuxta morem fuerant abrasi, mirum in modum creuerant in tumulo, vt cuncti hæc videntes nouum inauditúmque obstupescerent rei gestæ miraculum. Tunc Episcopi cum tremore magno leuantes eum de tumulo, vestimenta ei pretiosissima, quæ Regina parauerat, mutauerunt omnia, ea quoque, quibus dudum obtectus fuerat, eundem exuentes cum magna diligentia deposuerunt sub sigillis, ac sic demùm concrepante hinc inde choro psallentium, cymbalísque spiritualibus perstrepentibus, canorâ organis suauíque modulatione concinentibus, à loco quo iacuerat vir sanctus tunc coram cunctis submotus, cum summo & honorifico studio deponitur, atque in præparato sibi sepulchro vrbanè vt decebat componitur æternæ memoriæ seruandus, ampliúsque quotidie honorificandus.* Erat tunc Viromanduorum Comes Garifredus, de quo sic loquitur idem Audoenus, cùm sermonem de miraculis ad monumentum sancti Eligij patratis instituit. *Dum adhuc vir beatus in corpore degeret, quidam Comes Vermandensis, Garifredus nomine, habuit aduersùs eum scrupulum quoddam, quod nimirum piaculum, cùm beatus Eligius migrasset de corpore, inultum adhuc remansit apud hominem; post longum verò interuallum negligenter oblitus piaculum, venit tandem adorare ad Sancti sepulchrum; cúmque tunc ex more ad Confessoris caput cecindillus arderet, illo ingrediente Ecclesiæ limen, confestim extinctum est candelabri lumen; quod cùm ille illicò animaduertisset, tremens*

* *Vne voute.*

TVMVLVS.

TRANSLATIO.

GARIFREDVS COMES VIROMAND.

pallénsque orauit, post orationem verò cùm egressus fuisset Ecclesiam, statim reddito diuinitus lumine cecindillus solitum profudit fulgorem. Itaque cùm prædictus vir paratus esset iam equum ascendere, quidam ex famulis eius, qui posterior Basilicam fuerat egressus, rem ex ordine narrauit, sicut gestum constabat. Quod cùm ille audisset, tristis admodum effectus arcana sua conscientia cœpit discutere, quod esset facinus, pro quo istud portentum esset ostensum, & cùm culpam suam deprehendisset reminiscens quæ aliquando in sanctum virum admiserat, confestim reuertens retrorsum fores Basilicæ adiit, sed vbi primum gradum in pauimento impressit, mox lumine subtracto iterum cecindillus visus est dependere extinctus. Tunc ille palàm id cernens iam nimio timore perterritus prosternit se cum lamento & ingenti rugitu coram Sancti sepulchro, ac sic diutissimè culpæ suæ satisfaciens, cœpit apertis fletibus se reum, se indignum, séque infelicem accusare, ob cuius videlicet noxam in loco sancto candelabrum extinctum dependeret. Cúmque diu flens atque eiulans eo in loco persisteret, séque illic mori, nisi lux amissa rediret, voce publicâ proclamaret, tandem satisfactione eius susceptâ lux candelabri ablata denuò rediit diuinitus amissa. Tunc ille quantulumcumque recreatus iussit continuò famulum vas sibi pretiosum citò deferre argenteum, quod acceptum veluti pacis obsidem Christi Confessori obtulit, ac iuxta eius tumbam deposuit, promittens insuper nonnulla ex suis facultatibus eidem Basilicæ collaturum, tantùm vt culpa in sancto viro admissa haberet iamiámque terminum. Sic demùm adorans & glorificans potentiam Saluatoris, lumine cecindilli micante, ex eodem latus loco discessit. AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

IX. Ad hunc annum referenda quoque videntur ea, quæ scribit idem Auctor de miraculo ad lectum sancti Eligij ostenso. *Cùm vir beatus* Eligius *in Compendio villa Regali frequentiùs esset solitus aduentare, prouideràt sibi hospitium vltra flumen Hisara* * *in cuiusdam viri domicilio, vocabulo Waldoleni; quo videlicet in loco eundo plerumque vel redeundo consueuerat diuertere ad manendum. Postquàm ergo migrauit de mundo, prædictus hospes eius minimè reuerescens Pontificis stratum, destruxit per incuriam lectulum paruipendens tanti viri discubitum, spondam etiam lectuli, quam sæpiùs trinerant manus Sancti, suppedaneum liminis fecit, séque cum coniuge in eodem loco, quo vir beatus pausauerat, sine vllo cunctamine collocauit. Et ecce ipsâ nocte, vehementi febre correptus cœpit protinus tadiare, tremere, sudare, ac pallescere; pedes quoque, qui lectuli calcauerant spondam, cœperunt fortuitu condolere, nimióque feruoris ardore aggrauari, itant à gressu penitus compelleretur arceri. Cúmque huiusmodi artuum torqueretur cruciatibus, visum est coniugi eius in visu, vt amoneret se vtérque quantocyùs ab illo discubitu, spondam etiam, quam negligenter proiecerant, in loco pristino restaurarent, atque omne stratum, sicut fuerat, diligenti curâ componerent; sed illâ negligenter visionem obliuiscente, vir eius atrociùs cruciatur dolore, & sequenti nocte etiam ipse admonetur, quòd nisi se citò à lecto submoueret, seueriùs iam ex hoc corriperetur. Tunc ille post transactam visionem moderatâ in se quantulumcumque febre surrexit vt valuit festinus, & spondam lectuli illicò recollegit, quam diligenter lotam in eo loco, vnde exierat, restaurauit, lectúmque, vt priùs fuerat, circumquaque composuit, sícque se deinceps à discubitu illo remouens, prioris facti cum multa satisfactione pœnitentiam gessit, atque ita demum sanitatem recipere meruit. Deinde iam hoc miraculo latiùs crebrescente, vndique cœperunt aduentantes eo in loco munuscula inferre; cœperunt etiam illic virtutes clariùs declarari, populíque conuentus frequentes ibidem fieri. Quod factum magna cum admiratione cernens homo relictâ protinus domo in alio se iuxtà contulit tabernaculo, suúmque diuersorium hospitium perpetuum in æuo concessit Eligio. Et ecce iam domo viri dirutâ, Basilica ibi constructâ, lecto mirificè exornato, condignum in æternum possidet Eligius hospitium. Quem videlicet locum Clemens Pontifex Beluacensis sub suo habet regimine, & multa ibidem iugiter exercentur miracula, ex quibus nunc duo tantummodò breuitatis studio perproperè commemorabo.* * *Oyse.* EPISCOPI BELLOVACENSES.

Agemus de duobus illis miraculis ad annum Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum. Interim obserua Clementem Episcopum Bellouacensem, cuius mentionem Audoenus in superiore textu fecit, sedisse post Himber-

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

tum, qui Mauricio à nobis ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum [a] laudato successerat.

[a] Num 39.

X. Tillo Abbas Solemniacensis, cùm de sancti Eligij morte nuntium accepisset, relicto Solemniaco secessit in eremum. *Hic miles Christi egregius*, inquit Author vitæ [b], *postquàm audiuit obitum B. Eligij, perrexit ad fines Aruernorum, & mutato nomine cœpit vocari Paulus. Sicque ad interiora montium transiturus, quia numquam ex quo Monachus esse cœperat, in vrbibus mansit, egressus per viam solitudinis intrauit syluam, sicque ad mediterranea confugit loca. Quæ cùm diu lustrans reperisset congruum locum inter secretos asperósque montes, quò vix reptando manibus & genibus potuit accedere, introgressus contemplatus est amœnum valdè & remotum locum, arboribúsque hinc inde circumdatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, sed & pomaria plurima. Monebatur ipsius nemoris amœnitate, eremitica habitacula olim fore. Cúmque ad eum locum pretioso vestigiorum niteretur conamine, aspectu intuens cernere meruit quod optabat. Præbuit celsitudo montis officium tendens ad Austrum. Nec procul habebatur fons aquæ viuæ, qui perduxit lympham inter frondes nemoris. Vir Domini habitationi congaudens, habitatorem se loci illius Deo deuouit, putabat enim mens sancta eremi lucrum æternæ vitæ congruere. Multa namque fuerunt tentationes eius, & die noctúque variæ dæmonum insidiæ, quas si omnes velim enarrare, modum excedam voluminis. Herbarum succo & paucis pomis vescebatur semel in die post Solis occasum. Post triduum vel quatriduum sumebat panem & sal, potúque perpauco deficientem animam sustentabat orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, vt ieiuniorum laborem labor operis duplicaret. Super nudam humum semper cubitabat, vestem quâ semel fuerat indutus numquam lauans, & superfluum esse dicens munditias in cilicio quærere, nec mutauit alteram tunicam nisi prior penitus scissa esset. Scripturas quoque Sanctas memoriter tenens, post orationem Psalmos quasi Deo præsente recitabat. Cum notum factum esset omnibus Aruernorum vrbium habitatoribus, quòd vir sanctus in solitudine esset, efferebatur ei testimonium ab omnibus, in tantùm, vt multi videndi cum desiderio & studio requirerent, atque vt ante cellulam eius tumultus fieret cum magno fauore. Deinde rogatus à religiosis viris, vt exinde egrederetur, & Monasterij cellam, vbi commodum prospiceret locum, ædificaret, reperit amœnum locum, ibique cellulam facere cum magna industria cœpit. Quod Cœnobium vocauit Braggecte, ibíque orationi intentus, hymnis & lectioni vacabat. Plures quoque ex diuersis prouinciis vsque ad tricenum numerum Monachos congregauit, & omnes eum Paulum vocabant.*

[b] Ap. Bolland. d. 7. Ian.

TILLO SECEDIT IN EREMVM.

XI. Hoc anno Eusebia Hamaticensis Abbatissa, *annos nata plùs minùs vigintitres*, vt Hugbaldus in vita sanctæ Rictrudis testatur, *cùm diuinitus agnouisset diem obitûs sui, omnes in sancta professione sub se militantes acciuit. Hortabatur eas in mutua perseuerare charitate, in proposito inuiolabiliter permanere, obedientiam promptissimè exhibere, nec de diuina quicquam diffidere prouidentia, licèt ipsa eis subtraheretur. Hæc atque alia cùm dixisset, omnésque Domino commendasset, repentè domus, in qua decumbebat, immenso est lumine perfusa. Quo recedente, sancta illa anima pariter migrauit à corpore, & ad vitam est profecta sempiternam decimoseptimo Calendas Aprilis.* Illo die celebratur in Fastis Belgicis. Apud Molanum, quem alij perperam secuti sunt, in prædicto Monasterio *sepulta dicitur in Sancti Petri Ecclesia à beato Præsule Amato, quem Sanctus Maurontus exulantem fouit,* sed ea sententia stare non potest. Amatus enim Senonensis Episcopus nondum exulabat; Amati Senonensis loco fortè non absurdè restitues Amandum Traiectensem quondam Episcopum, qui sanctæ Rictrudi eiúsque liberis amicitiâ coniunctissimus fuit. Agemus infrà de eleuatione déque Translationibus beatæ Eusebiæ, cuius memoriam Molanus obseruat in pagis Suessionensi & Beluacensi celebrem esse. *Claruit*, inquit [c], *Verniaci in pago Suessionensi, vnde singulis annis ex Dagoberti donatione vinum adfertur. Est quoque in pago Beluacensi villa, quæ ex nomine eius corrupto Sancta Isoia nominatur, quæ quondam extitit Marcianensium, nunc verò est Canonicorum Beluacensis Episcopij. Ibi celeberrimè*

EVSEBIA HAMATIC. ABBATISSA MORITVR.

[c] D. 16. Mart.

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

colitur in die Translationis, hoc est, decimo-quarto Calendas Decembris, nam diuina misericordia per eius merita plurima ibidem est operata. Eusebia, vt suo loco diximus, à Nanthilde Dagoberti coniuge non tantùm suscepta est ex sacro fonte, sed & ab eadem Regina Verniacum Suessionensis agri villam dono accepit. Villam sanctæ Isoiæ, seu villam, vt appellat, sanctæ Eusoiæ nominat Louuetus libro primo Antiquitatum Bellouacensium, vbi agit de Decanatu Bretolij. Nomina interciderunt Abbatissarum, quæ Monasterium Hamaticense post sanctam Eusebiam rexerunt, idémque Cœnobium, quod quondam fuit Sanctimonialium, postmodum Canonicorum, vt ex Chronicis Cameracensium constat, hodie Prioratus est Monasterij Marcianensis.

XII.

MAVRONTI AVLICA MVNERA.

Mauroncus, cùm soror eius Eusebia migrauit ex hac vita, vicesimum-sextum ætatis suæ annum agebat. Nuntium seculo nondum remiserat, quantùm ex Alcuino in vita sancti Richarij & ex Hugbaldo in vita sanctæ Rictrudis colligere possumus. Syluarum enim præfecturâ donatus est teste Alcuino, & præclarè functus est officio Regiorum conscribendorum Diplomatum teste Hugbaldo, deinde Authore eodem Hugbaldo iam peruenerat ad annos viriles, cùm de tradenda ei sponsa primò cogitatum est, intercessitque nonnihil morarum donec in Clericum ab Amando Pontifice attonderetur. *Postquam Maurontus ad viriles peruenit annos*, inquit Hugbaldus, *cùm esset vir nobilis, Regis lateri adhærebat, qui perpetuis eius officiis & ministeriis vtebatur. Data est autem opera, vt sponsa ei adscisceretur, sed Amando Pontifice spiritalis amoris & suauitates & æternæ vitæ inæstimabiles iucunditates ei prædicante, voluptuosos carnalis amoris compedes, quibus iam ferè pedem iniecerat, dirupit. Cùm autem matri indicasset se nolle sponsam admittere, illa metuens ne per abrupta lasciuiæ præcipitia, vt plerique solent adolescentes, iret in profunda gehennæ, non mediocriter dolere cœpit, orâtque Sanctum Amandum, vt ipsum ea in re iuuare velit. At vir sanctus eius precibus annuens, Martianas venit, optimísque sermonibus eam demulcens, pristinæ in Deum alacritati restituit. Accessit inde ad Missarum peragendam celebritatem, & cùm illic Maurontus adstaret, vidit sanctus Episcopus apem, ter eius verticem circumuolantem, nec ignorans quid ea res portenderet, eum aduocat, hortatur vt quamprimùm opere perficiat, quod iampridem animo velle cœpisset. Nec defuit Maurontus sancti viri monitis, eúmque idem beatus Antistes more Ecclesiastico totondit.*

XIII.

RICHARIVS PRESBYTER DEGIT IN SYLVA CRISCIAC.

Porrò Maurontus, antequàm Clericum indueret, Richario Presbytero & Abbati Centulensi solitariam mansionem præparauit, sic enim de ipso Richario scribit Alcuinus. *Famulus Dei, quia ab hominibus honorabatur, homines fugere meditabatur, vt honores temporales declinando, honores acciperet perpetuos, eremúmque concupiuit, quatenus liberiùs soli Deo vacaret, & contemplatiuos carperet fructus, qui ad id vsque temporis in actuosis haud segniter desudarat, sciens à Domino dictum de Maria, sedente secus pedes eius, & verbum vitæ attentiùs audiente. [Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea.] Huiúsque memor sententiæ, monasticam vitam petit, quò secretiùs sola cælestia mente rimaretur, Ecclesiæ regimen alteri* (nempe Ocialdo) *tradens, quam ipse in Centula vico Christo fundauerat. Porrò Gislemarus, vir illustris & Christianæ religionis deuotus amator, simul & Maurontus, nobilis quidam vir & terrarum vel syluarum ad Regem pertinentium seruator, præbuerunt ei locum manendi in sylua Tristiacensi, qui & ipse Maurontus posteà seculari habitu deposito Monachus factus est in eodem loco. Cúmque viro Dei mansionem solitariam præparasset, Christo Monasterium construere inchoauit. Vir igitur Dei habitationem illam cum vno solo commilitone* Sigobardo *ingressus est, paruo tantùm tuguriunculo, vilissimo opere facto, contentus, vt habitatio vitæ conueniret, superfluum æstimans, seculi contemptorem aliquid seculi deliciarum habere & videre. At inibi tantâ se mortificatione carnis castigauit, tantâ ieiuniorum & vigiliarum assiduitate macerauit, vt vix ossa arentia dissipatis iuncturis sibi adhærerent, & trementia baculo regente vestigia difficilè moueret. Iam mente seculo maior, sola cælestia semper cogitabat.* Huc vsque vulgatus Alcuinus. Neoterici quærunt vbi sita sit Sylua Tristiacensis, vtrùm hodiernum sit nemus

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILO. II. R. 1.

Creciacum * in Pontiuo, an Niepense in Flandria Lysæ fluuio contermi-num. Niepense sic interpretatur Malbrancus [a], *Richarius à Centula sua nimio afflata Fauonio profugus, Tristiacensem syluam Lisa conterminam ingressus est: modò Niepensis * dicitur septem in ambitu leucas complectens, támque roborum crassiorum ferax, vt quot annis suo pendat Principi centum triginta florenorum millia. Placuisset Abbati horridiorem vmbram consectanti, intra penitiores densioresque recessus sedem figere. Verùm Maurontus obtestari ne latum vnguem à suo prædio discedat, in quo & syluestris esset opportunitas, & remota ab omni vulgi strepitu solitudo. Broylus erat loco nomen, vbi nunc Meruilla *, sed paulò longiùs à flumine inter nemorosa recedendo, condita nouo est Anachoreta ædicula, domúsque solitaria, quam voluit vili fabricatam opere, qui supernacaneum æstimaret mundi contemptorem, mundi delicium adamare.* Malbranco multùm fauent hæc vulgati Alcuini verba, *qui & ipse Maurontus posteà seculari habitu deposito Monachus factus est in eodem loco.* Nam quisquis ait eremum Richario structam in eodem loco, vbi posteà Maurontus habitu seculari deposito Monachilem induit, nihil aliud à Broylo Morinorum intelligere videtur, vbi Maurontus Monasterium condidit degitque. Sed difficultatem omnem adimit genuinus Alcuini textus, vt occurrit in Codice manuscripto Bibliothecæ San-Victorinæ. *Qui Gisilmarus vir illuster & Christianæ Religionis deuotus amator, simul & Maurontus nobilis quidam vir & terrarum vel syluarum ad Regem pertinentium seruator, præbuerunt locum manendi in sylua Crisiacinse. Qui & ipse Maurontus posteà seculari habitu deposito Monachus factus est, in eodémque loco vbi viri Dei mansionem solitariam præparauerunt, Christo Monasterium construere inchoauit. Quam vir Dei habitationem cum solo Sigobardo commilitone suo ingressus, paruo tantùm tuguriunculo, vilissimo opere facto, contentus est, vt habitatio vitæ conueniret.* Eremus igitur, quam Richarius incoluit, in sylua fuit Crisciacensi, corruptóque vocabulo sylua Crisciacensis abiit in Tristiacensem antiquis incognitam, quam Neoterici Niepensem à Niepa fluuiolo cognominarunt. In Chronico Centulensi, sylua, quam Richarius ingreditur, Chrisciacensis, & locus, in quo mansionem figit, Forestis-Cella nuncupatur decimo à Centula milliari. *Præbuerunt*, inquit Chronographus [b], *locum manendi in sylua Chrisciacensi, in loco qui nunc Forestis-Cella dicitur distans à Centula x. passuum millibus, vbi videlicet per anteacta secula nemo habitauerat, in eodem verò loco, sub honore nostræ Dominæ sanctæ Mariæ, Christo Monasterium construere inchoauit.* Vt Centula sic & sylua Crisciacensis ad Ambianensem Diœcesim pertinebat, Broylus autem ad Taruannensem, quis autem credat Richarium relictâ Diœcesi Ambianensi, vbi Centulam erexerat, in aliam commigrasse? Watanense Chronicon, vt Malbrancus testatur [c], innuit sed obscurè Richarium in Watanum montem se recepisse, & inter parietinas à Romanorum temporibus residuas solitudinem sibi comparasse. Id etiam alienum prorsus à vero, quia teste Alcuino vitam in sylua Crisciacensi, corruptè Tristiacensi, posuit. Maurontus in eodem loco vbi cum Gislemaro seu Gisilmaro solitudinem Richario præparauit, Monachum non induit, vt Alcuinus editus à Surio perperam affirmat, sed idem Maurontus, qui Monachus posteà factus est, Monasterium in eodem inchoauit loco vbi cum Gislemaro seu Gisilmaro solitariam mansionem Richario præparauit, vt genuinus Alcuinus ex Codice San-Victorino suprà descriptus docet. A Richarij secessu in eremum ad Monachatum vsque Mauronti longa temporis occurrit intercapedo. Maurontus ex laico Clericus primùm fuit, tum Diaconus & Abbas Clericorum, nouissimè Monachus & Monachorum Pater. Hucbaldus in vita sanctæ Rictrudis Abbatissæ Martianensis ita scribit. *Eum*, nempe Maurontum, *idem beatus Antistes* Amandus *more Ecclesiastico totondit, decisâ comâ capitis eius, vt coronæ signum vel effigiem ferret in capite; per id, quod exteriùs fiebat, innuens quid eius significatione intus seruari oporteret, nempe vt vertice capitis nudato designaretur, præpotenti Deo nuda & aperta esse etiam arcana pectorum, nihilque vel abditissimis versari cogitationibus, quod fugiat*

* La forest de Crecy.

[a] Lib. 3. c. 39.

* La forest de Nip.

* Meruille.

[b] Lib. 5. c. 19.

[c] Lib. 3. c. 39.

AN.CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

oculos cuncta cernentis. Porrò crebra capillorum resectio indicaret assiduè resecandas malarum cogitationum superfluitates. Denique corona & summi Sacerdotis tiaram & Regia dignitatis diadema exprimeret, vt inde admoneretur ad Regale se pertinere Sacerdotium, & post victoriam ex multinariis mortalis vita tentationibus reportatam, meritò se recepturum vita immortalis coronam, quam Deus promisit diligentibus se. Qua quidem sanctus vir Maurontus non solùm ex beatissimi Prasulis huius traditione, sed etiam ex diuinarum Scripturarum lectione suscipiens & memoria commendans, studuit semper diligentissimè re ipsâ complere. Factus enim posteà Diaconus, illi muneri congruâ viuendi ratione & optimâ conuersatione respondit. Ex Anonymus in vita sancti Amati Senonensis Episcopi. *Clarâ prosapiâ editus Maurontus, Adalbaldi & sancta Rictrudis primogenitus in aula Regis insignis habebatur. Eum beatus Amandus Episcopus Clericorum Abbatem instituit, & Diaconum ordinauit. Is itaque in fundo suo, qui Broilus dicitur, in sancti Petri honorem Monasterium instruxit.* Eiusdem Mauronti Monachatum & Monasticam Præfecturam laudat Chronographus Centulensis [a]. *Scire volumus Lectorem, quòd ipse, de quo loquimur, Maurontus posteà pompâ saculari & habitu calcato Monachus Monachorúmque Pater factus est, & nunc sancta vita merito calesti fungitur societate; nec enim cassari poterat illa sacrosancta magni Patris Richarij benedictio, quâ fuerat dudum puer intercessione matris potitus.* Addit [b] hic Auctor *Filibertum*, qui Gemmeticum Cœnobium posteà construxit, *beatissimi Richarij feruentissimum dilectorem* fuisse, eorúmque ætatem sic comparat, vt *Richarius superato in huius vita procinctu seculo, iam emeritus miles & morti proximus haberetur*, cùm *Filibertus iuueniles annos in Dei seruitio exercebat, continentissima seruitutis tirocinium gerens in Resbacensi Cœnobio sub sancto Abbate Agilo.* Vixit ad hunc vsque annum Agilus, vt mox probaturi sumus. Filibertus vitam ad annum vsque Christi sexcentesimum nonagesimum produxit. Multò citiùs obiit Richarius, quem Malbrancus [c] ait *ad Theodorici principia pertigisse*. Sequuntur in eodem Chronico Centulensi nonnulla de Coschino, quæ stare cum recta Chronologia non possunt. Coschinus à Filiberto Abbate Gemmeticensi iam sene diuinis institutis eruditur, merito vitæ post alios quosdam ipsi Monasterio Gemmeticensi præficitur, postremò fit & Abbas Centulensis quia nullus è Monachis Catulensibus superest qui Patrem Richarium videri potuerit, supersunt autem multi, qui sanctum Filibertum beatissimi Richarij feruentissimum dilectorem & ipsius Coschini Magistrum conspexerunt. Vt ista corruant, satis est annotare, quòd Coschinus vitam sancti Filiberti *per initia Ludouici Pij imperantis* ab Ermentario Monacho Gemmeticensi conscribendam curarit, vt aliâ occasione statim posituri sumus. Interim obserua Magdelgisilum Monachum Centulensem Richarij Abbatis exemplo permotum in Eremum secessisse. Sic enim Menardus [d] scribit in illius vita, quam ex veteribus monumentis Monasterij Centulensis ad se transmissis composuit. *Sanctus Magdelgisilus districtioris vita ardens desiderio ad vitam Eremiticam citò animum conuertit, vt ab omni turba seiunctus maiori cum tranquillitate in rerum calestium meditationem posset incumbere. Quocirca huius licentiam secessionis à fratribus petiit, quam eorum benignitate obtinuit, etsi tam pium virum à se diuelli agrè paterentur. Tum se ieiuniis strictioribus & oratione prolixiori macerare cœpit à Deo summoperè efflagitans, vt locum votis suis idoneum dignaretur ostendere. Cùm se igitur sopori dedisset, visus est ei Angelus secundùm quietem ipsi, vt se sequeretur, imperans, qui illum per diuersa loca circumduxit. Cúmque ad stationem calitus praordinatam deuenissent, loco demonstrato, disparuit Angelus. Sanctus Magdelgisilus ad se reuersus, in terram prostratus Deo cum lachrymis gratias egit, & diluculò conuocatis fratribus visionem Angelicam patefecit. Fratres ei ob tantum beneficium à Deo acceptum gratulantur, & quidam ex iis eliguntur, qui illum ex pracepto Abbatis ad locum ab Angelo demonstratum prosequantur. Quò cùm peruenissent, tandiu illic remanserunt, donec ei cella & Oratorium erigerentur. In Eremo collocatus sanctus Magdelgisilus remotis arbitris singulari certamine cum cacodamone manus con-*

[a] Lib. 2. c. 19.

[b] Lib. 1. c. 26.

[c] Lib. 3. c. 39.

[d] Lib. 1. obseruat. d. 30. Maii.

MAGDELGISILVS FIT EREMITA.

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

*ſerere cœpit, non leni quidem velitatione aut vmbratili pugnâ, ſed aſperioribus ieiuniis, longiori oratione, & frequentioribus excubiis eum expugnauit. Locus autem ſitus eſt in agro Pontino iuxta fluuium Alté * aquarum copia & ſyluarum opacitate circumdatus ad liberiorem Dei cultum quietus valdè & opportunus, nomine Monſtreledus *. Aqua verò einſdem aluei erat inacceſſibilis, quod non parum negotij ſeruo Dei ad hauriendam faciebat. Quapropter ad Deum conuerſus eum cum lachrymis orauit humi proſtratus, vt ſibi aqua ſubſidium non denegaret, & ſe exauditum ſentiens duriſſimo ceſpiti ſignum Crucis appoſuit, ſtatímque vena aquæ limpidiſſimæ ſe aperiens clariſſimum fontem effudit, qui inde per amœnam planitiem excurrens ad alueum ceu ad maternum ſinum recurrit. Nec ſolùm bibentibus eſt iucundus, ſed etiam multos morbos, Deo hanc virtutem in gratiam ſerui ſui aquis impertiente, hauſtu ſuo ſanat.*

* L'Autie.
* Monſtrelet.

XIV. AGILVS ABBAS RESBACENSIS OBIT.

Agilus Abbas Reſbacenſis, cuius obitus ante biennium, vt diximus, inſigni miraculo nuntiatus fuerat, tertio Kalendas Septembris hoc anno centenarius ad Deum tranſiit. Eius mortem, ſepulturam & miracula ſic narrat Auctor ſynchronus, qui ſuam ætatem ſatis prodit, cùm ait quædam à ſe ſcripta, quæ *Donato Veſontionenſis vrbis Epiſcopo referente* didicerit. *Expleto biennio, hac eâdem nocte mediâ, id eſt, III. Kl. Septembris beatus Agilus feliciter centenarius migrauit ad Chriſtum, ſepultúſque eſt cum decore in Eccleſia quæ eſt in honore beati Iohannis Baptiſtæ ad plagam meridianam. Operæpretium ducimus annectere huic paginæ quòd venerabilis Ado, qui ad eius tranſitum venerat, totam noctem ducens peruigilem, cùm matutinorum melos expleſſet, paululùm ante exurgentis lucis crepuſculum, atque in Eccleſia beati Petri diutiùs ante altare, quod eſt in honore beatæ Mariæ, orans iaceret, duobus fratribus finem orationis illius præſtolantibus, ſurgens ab oratione audiuit vnà cum ipſis choros Virginum in ſublimi canentes. Hodie Sanctus Agilus cum ſummis laudibus pergit ad præmium, hodie Angelorum atque Archangelorum chori exultant, hodie cum Sanctis in cælo coronatus triumphat, felix valdè, quia ab infantia ſeruauit caſtitatem, & virgo centenarius aſcendit ad gloriam. Cùm ergo corpus eius ſepulturæ traderetur, quidam è fratribus validiſſimâ febre exæſtuans aduenit, linteum quod pauonem tegebat in fide pro remedio tetigit, móxque febris ab eo receſſit. Alter verò, qui dentium dolore torquebatur, maxillam peplo quaſi ceruicali impoſuit, ſícque dolor omnis fugatus eſt. Multi etiam variis infirmitatibus afflicti eo die ſanitatem recipere meruerunt.* Sancti Agili vitam, quam vt ſuperiore ſic & hoc Tomo ex Codice manuſcripto citauimus, integram nuper publicauit Petrus Franciſcus Chiffletius inter probationes Hiſtoriæ Trenorcienſis *, quas conſulere poteris.

* De Tournus.

XV. SVCCEDIT PHILIBERTVS.

De ſancti Agili ſucceſſore ſic in vita ſancti Philiberti diſſeritur. *Cùm beatus Agilus obiiſſet in Domino, fratrum concordante conſenſu vir Domini Philibertus ſuſcepit regiminis locum. Cœpit humilitate pollere, hoſpitalitatem ſectari, abſtinentiâ vigere, prudentiæ lampade radiare, florigerâ caritate vernare, zelo Dei ſuccendi, domum ſibi traditam ſtrenuè gubernare, nullius perſonam accipere, inuenta vitia radicitus extirpare. Tunc nonnulli è fratribus malignitatis ſpiritu inflammati, aſſumptâ rebellione Sanctum Dei de Eccleſia præſumpſerunt extrahere, ſed vltrix manus Domini hoc impunitum non pertulit. Nam vnus ex eis fulminis ictu interiit, alius more Arrij in ſterquilinium omnia ſua inteſtina depoſuit, atque indignam vitam dignâ morte finiuit. Tunc reliqui timore percuſſi petentes veniam pro facinore, eum in honorem ſtuduerunt reuocare, atque ei deinceps cum caritatis ſtudio obedire.* Huc vſque Auctor, quem hactenus aut Anonymum [a] diximus, quia nomen illius ignorabamus, aut Monachum Gemmeticenſem [b] appellauimus, quia ſub initium ſuæ lucubrationis, vt à nobis vel in Codice manuſcripto vel in Surio [c] lecta eſt, talem ſe prodebat, licèt nomen ſuum reticeret. Nupertimè nacti ſumus Hiſtoriam Regalis Abbatiæ Trenorcienſis, quam Petrus Franciſcus Chifflettius in lucem emiſit & authenticis probationibus illuſtrauit. Ibi tres inueniuntur de ſancto Philiberto libri; primus eſt de illius Vita, ſecundus & tertius de Tranſlationibus & Miraculis. Totius operis, cuius primum duntaxat librum

[a] Ad an. 635. n. 11.
[b] Ad an. 636. n. 4.
[c] D. 20. Aug.

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

brum antè legeramus, Auctorem didicimus Ermentarium Gemmeticensis Asceterij primò Monachum, postmodùm Congregationis sancti Philiberti dignissimum Abbatem, de quo deinceps citando Chiffletius hæc prænotanda duxit. *Ermentarius primùm in Gemmetico Monachus; adhuc tirunculus (vt ipse ait) sub Coschino Abbate, eius iussu Vitam scripsit Sancti Philiberti Abbatis, haud procul anno Christi* DCCCXV, *per initia Ludouici Pij imperantis. Ea primo huius operis libro continetur. Cùm deinde ad Herum Insulam se transtulisset, in eo religiosorum virorum comitatu fuit, à quibus Sancti Philiberti subductum inde corpus & per stationes ac mansiones varias circumuectum est. Per ea tempora librum alterum adiecit, qui est de Sancti Philiberti Translationibus & Miraculis primus, quem Vitæ iam olim à se conscriptæ adiunctum, Hilduino Abbati Caroli Regis adolescentiæ moderatori Regióque Archicapellano nuncupauit, anno Christi (vt videtur)* DCCCXLIII. *Tandem vaga Sancti Philiberti Monachorum familia Abbas datus, quinquennio illi præfuit; ac tum librum tertium conscripsit anno Christi octingentesimo sexagesimo-tertio, qui erat à primo piorum baiulorum ex Hero Insula egressu septimus & vigesimus; quo libro simul sequentis temporis Historiam complexus est, & in eumdem superioris ætatis prætermissa congessit.* Hæc suis locis ad nonum seculum examinabimus. Interim obserua grauiter eos errare, qui Coschino tertium locum inter Abbates Gemmeticenses tribuunt. Addit Chiffletius primum Ermentarij librum in Ecclesiarum Codicibus passim obuium fieri, & à se cum Balmensi, Gigniacensi, Aceyensi, Corneolensi & Vallis Lucensis exemplaribus collatum esse, repertos autem in solo Codice Trenorciensi duos posteriores libros cum præfatione ad Hilduinum Abbatem toti operi præfixa, in qua Ermentarius *vitam & virtutes* sancti Philiberti à se conscriptas ita testatur.

Hilduino Abbatum summo sit vita, salúsque,
Sit felix vita, gloria perpes, amen.
Tu meritis almi fultus valeas Filiberti,
Vitam & virtutes cuius habenda cape.
Sis memor, oro, sui: nostri quoque sis miserescens;
Vtque tui ille memor sit, memor esto sui.
Ille preces pro te Dominum fundendo precetur,
Vt felix viuas, & iugiter vigeas.
Tu quoque posce pium Regem Carolum reuerenter,
Quò nobis tandem det miserando locum.
Viue diu felix, gaudens per tempora multa;
ERMEN enim vester TARIVS ista cupit.

His circiter temporibus, Ansbertus in Monasterio Fontanellensi Monachum induit sub Abbate Wandregisilo. Vitam sancti Ansberti retulit in literas Aigradus Monachus Fontanellensis coætaneus, illam enim, vt ex prologo patet, inscripsit Hiltberto Abbati, qui Cœnobium Fontanellense post eumdem Ansbertum rexit, eique superstes vixit annos duntaxat quatuor. At hoc opus à posteris adeò interpolatum fuit, vt quæ propria sint Aigradi, commodè diiudicare non possis. De Ansberti genere ac patria sic ille. *A patre, nomine Siwino, & pago Veliocaßino patrimonióque, vocabulo Calceio, nobili erat ortus genere.* Calceium * situm est in Vulcasina * Francica vt hodie vocant, mediúmque iacet inter Vernonem * & oppidum sancti Clari * ad Eptam. Aigradus hæc paulò pòst subiungit de sponsalibus Angadrisinæ, cuius nomen variis modis effertur, Angadrisina, Andragasina, Angradisma, Andragisina. *Quidam illustris Rodbertus nomine, generosa ex stirpe proditus, gerulus fuerat annuli Regis Chlotharij. Cuius filiam religiosißimam ac nobilißimam, Angadrisinam * nomine, prædictus illustris Siwinus à præfato inclyto Rodberto expetiit, volens eam suo iuueni filio Ausberto sociari. Nec mora, præbens assensum eius petitioni prædictus illustris Rodbertus, constituto die, casto iuueni casta despondetur & puella. Denique ambo integritatem mentis & corporis castè seruare cupientes, Omnipotentem deprecabantur Dominum, vt voluptatum venena à cordibus eorum dignaretur repellere. Deinde orante B. Au-*

XVI. ANSBERTVS FIT MONACHVS FONTANELL.

* *Chaussy.*
* *Le Vexin François.*
* *Vernon.*
* *Saint Clair sur Epte.*
* *Angadresme*

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 3.

gadrisina virgine, vt speciositas illius in deformitatem verteretur, illicò Dominus preces eius exaudiuit. Nam facies illius ita vlcerata ac immundissima leprâ cooperta mox apparuit, vt à consortiis hominum, quicunque eam vidisset, exemplo segregandam decerneret. Medicorum deinde concurrit frequentia iussu genitoris, vt soboli charæ si quiuissent opitulari medelis, collatis præmiis digni remunerarentur. Sed quantò instantiùs huic operi insistebant, tantò Christi sponsa deformior vlcerosiórque apparebat. Tum pater diuinitus circa suam sobolem hoc fieri intelligens, inquirebat ab ea, vtrùm in virginitatis voto vitam elegisset finire. At illa, opto, inquit, mi genitor, & totis nisibus exoro Altissimi pietatem, vt continentia & pudicitia, non effranata luxuria, effici merear famula. Nam Christus, quem concupiui sponsum, ipse mihi hanc corporis infert molestiam, vt animæ tribuat nitorem. Qui mihi custos erit perpetuus, & in virginitatis proposito concedet perseuerare perenniter. Delectat hæc vita præsens, pater pie, sed decipit, quia omne quod in mundo est, vanitas est & concupiscentia oculorum, & mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut & Dominus manet in æternum. Hæc audiens pater illustrem accersiuit Siwinum, & quæ circa præfatam suam sobolem gesta erant, lucidè pandit. Ad hæc Siwinus respondit. Voluntatem Domini in omnibus sequi oportet, neque eius nutui vllo modo contraire velle, cuius indicia licèt sint occulta, semper tamen iusta. Vocatus quoque affuit & B. Ansbertus, vbi dissociabilem condit libellum, vt sancta virgo Angadrisina non sua sed Christi Domini vocaretur sponsa. Hoc facto, ad Rhotomagum vrbem sancto Antistiti dirigitur Audoeno, vt eius benedictione perceptâ & sacro velamine operta in virginitatis proposito conseruari mereretur. Quo patrato, pristinæ pulchritudinis & speciei elegantis extemplò est reddita, itaut cuncti auditorum dicerent, quia eam Christus sibi sponsam & famulam elegisset perennem. Post hæc vir Domini Ansbertus in aulam Regis, licèt nolens, à genitore perductus, sicut erat acumine ingenij clarus, cœpit esse aulicus scriba doctus, conditórque Regalium priuilegiorum, & gerulus annuli Regalis quo eadem signabantur priuilegia. Vbi positus, pia doctrina atque humilitatis exemplis ad Dominum se conuertens, seculum relinquere atque Monasteria frequentare curabat. Eiusdem Ansberti secessum in Cœnobium Fontanellense sic prosequitur Aigradus. *Igne diuini numinis accensus, ac Sancti Spiritûs lumine perfusus, à Palatio egressus, nullique sodalium ac sibi famulantium confiteri volens suam voluntatem, arripuit iter, quod ad prouinciam ducit Rotomagensem, peruenitque ad Fontanellam Cœnobium, situm in territorio Rotomagensi, super magnum fluuium Sequanæ, vbi Sacerdos Domini clarus Wandregisilus Monasterium construxerat, atque cum magna Monachorum coborte, sub sanctæ Regulæ iugo, laudabilem ducebat vitam. Cùm verò in eodem Monasterio, iubente viro Sancto, secundùm ordinem monasticum in hospitio fuisset receptus, cœpit à ministro humiliter implorare, quatenus sancti Monasterij Patrem mereretur videre. Et cùm ministri pio Patri imperata nuntiassent, tandem præfatum elegantem iuuenem in præsentiam sui adduci iussit. Tunc humi prostratus Christum in tanto Patre manentem humiliter adorans postulabat ab eo Monachum se fieri. Nam corpore & mente secula se renunciaturum aiebat, comámque sui capitis in Christi amore vt iuberet deponi, submissè flagitabat. Audiens autem venerandus Pater sanctam & Deo dignam eius postulationem, inducias consulendi super hoc dicebat habere se velle, vt, sicut Apostolica & monastica docet Regula, sciret ad quod venerat. Quibus expletis, spiritalium Fratrum consulta suscipiens inclytus Pater pia eius vota, veluti postulauerat, impleuit, Clericatûsque habitu decoratum reddidit. Sícque ex eo tempore cœpit ipse vir Dei amore sanctarum Scripturarum legendo feruere, assiduéque dulcissimos earum fructus intelligendo carpere. Cúmque acumen ingenij in præfato iuuene beatus Pater Wandregisilus pollere prouideret, diuersorum voluminum copiam ei concitè tribui iussit. Quæ cùm sedulè legendo percurreret, cuiusdam sancti Patris sententiam reperit scriptam, continentem hunc modum. Monachus viuat in Monasterio sub vnius disciplina Patris consortióque multorum, vt ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam. Hæc & cetera legendo percurrens, oculósque lacrymarum imbre perfundens, tractare attentissimè cœpit, qualiter hæc operando valeret implere.*

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

XVII. EPISCOPI VIENNENSES.

Ad hæc vsque tempora peruenire potuit Georgius Viennensis Episcopus, cuius decessot Bobolinus Landaleno à nobis ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum [a], quo Synodus Cabilonensis habita est, laudato successerat. Bobolinus & Georgius in Adonis Chronico sic commendantur. *Bobolinus Viennensis Ecclesiæ Episcopus, insignis claruit. Post quem Georgius magnæ virtutis Episcopus in eadem vrbe constituitur.* In Breuiario Viennensi coluntur, sanctus Bobolinus septimo Kalendas Iunij, sanctus Georgius quarto Nonas Nouembris.

XVIII. CLARVS ABB. S. MARCELLI. PROPHETIA INSIGNIS.

Sedente Georgio, Clarus Abbas sancti Marcelli migrauit ex haç vita. *Cùm instaret tempus dormitionis eius, & hoc ei à Domino reuelatum esset, quadam die in hortis fratrum ægrotus sedit, vocatísque ad se fratribus eos alloqui spiritualiter ac dulciter cœpit, dicens. Fratres mei, secundùm Apostoli dictum, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, quid mihi à Domino reuelatum sit, non tacebo. Sex Episcopos ista nostra ciuitas sub pace temporis Christi Ecclesiam gubernantes habebit. Postquàm illi dormierint, sub septimo Episcopo grauissima persecutio paganorum erit, & ista ciuitas iusto Dei iudicio illis ad dispergendum tradetur. Monachi & habitatores terræ istius partim occidentur, partim fugabuntur incensis sacris domibus, vastatis omnibus, & penè in desolationem redactis. Nunc ergo, fratres, Dei iudicium metuentes, curam agentes vestri, vigilanter intendite, vt cùm dies tribulationis venerint, paratiores ad tolerandum, si qui reperti fueritis, inueniamini. Corpus meum in Ecclesia beatissimæ Martyris Blandinæ & sociorum eius humate. Hæc audierunt fratres qui tum aderant. Quod posteà rei euentus demonstrauit, quando a Wandalis & à Saracenis non tantùm Viennensis sed longè latéque aliæ prouinciæ vastatæ sunt. Cùm iam decumberet, tertià die antequàm clara anima eius corpus corruptibile desereret, cùm semper in laudibus Dei perseueraret, videt circa crepusculum diei aperiri cælum & immensum exercitum candidissimi & niuei coloris supra cellam, vbi iacebat, descendere, quem exercitum miræ pulchritudinis & splendoris iuuenis præcedebat. Quod cùm Clarus irreuerberatis oculis læto vultu inspiceret, virgo beatissima Blandina, ab eo cognita, consolari eum cœpit, &, vt tantum exercitum sequeretur, hortari. Cúmque ipse voto & desideriis annueret, ab illa audiuit. Tertià die, horâ quintâ, sanctus Marcellus & ego ad te venientes, te nobiscum ad felicia regna ducemus, & ne hostis tibi nocere possit, totus iste exercitus Dei, quem vides, tecum erit. Sic visione abscedente, beatus vir à fratribus in Ecclesiam portatus, cilicióque superextentus, quamdiu superuixit, à Dei laudibus non cessauit. Appropinquante horâ exitûs sui, psalterium idem decantare cœpit. Vt ergo fratres, finitis Psalmis, dixerunt, [omnis spiritus laudet Dominum,] cum luce odor ineffabilis totam cellam, vbi Sanctus Dei iacebat, repleuit, sícque beata anima carne soluta, migrauit ad Dominum. Mansit autem idem odor vsque ad locum sepulchri. Quò cùm ferretur, quidam paralysi dissolutus, admotus feretro beati viri, in conspectu omnium illicò sanatus est. Sepultus autem est in Ecclesia beatæ Martyris Blandinæ, Sanctorúmque Martyrum quadraginta octo, ante altare, vbi miraculis clarus diu iacuit. Obitus autem eius agitur Kalendis Ianuariis.* OBIIT.

XIX. EPISCOPI VIENNENSES.

De tempore quo completa est beati Clari Prophetia, déque populis quos prouinciam Viennensem deuastaturos prædixit, differemus suo loco. Videtur tantùm hic nobis agendum de sex Episcopis, qui Diœcesim Viennensem post Sanctum Georgium pacificè felicitérque gubernarunt, priusquàm Episcopus fieret Austrebertus, in cuius Pontificatum illa calamitas incidit. Præsulum Viennensium varij catalogi diuersæque sunt epochæ nec expertes mendorum. Apud Democharem [b] inter Georgium & Austrebertum in Cathedra Viennensi sedent hi quinque Pontifices, Deodatus, Blidrannus, Eoldus, Gerardus & Bobolinus. Apud Boscium [c], Blidranno siue, vt vocat, Blidiano subrogatur Agratus, omittitúrque Gerardus cuius meminerat Demochares. Boscium secuti sunt Chenutius [d], & Lieutæus [e]. Seuertius [f] illo loco eosdem exhibuit Antistites, sed Eoldum Blidiano & Agrato præposuit. Robertus [g] quatuor tantùm nominauit expuncto Agrato. Idem præstiterunt Sam-

[a] Nn. 17. 59.
[b] De Diuino Missæ sacrific. cap. 29.
[c] Cap 4.
[d] In Archiep. Viennens.
[e] Cap 24.
[f] In Archiep. Viennens.
[g] In Gall. Christ.

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

marthani [a]. Chorierus [b] Clarum Abbatem sub Caldeoldi Pontificatu mortuum tradidit, séxque proximos Caldeoldi successores scripsit, Landalenum, Bobolinum, Deodatum, Blidrannum, Agratum & Eoldum. In tanta Scriptorum discrepantia quid ea de re sentiamus, paucis obseruationibus accipe.

XX. CALDEOLDVS ET EDALDVS AN DISTINGVENDI?

Caldeoldus in Adonis Chronico Viennensem Ecclesiam post Hecdicum regit, Cateldus vocatur in eiusdem Adonis Martyrologio colitúrque decimo-nono Kalendas Februarij. Locum suum in catalogo Viennensium Episcoporum obtinet apud Democharem & Sammarthanos. Omittitur à Boscio & Lieuræo, qui volunt Edaldum siue Edoaldum Hecdico siue Edicto successisse. Cum eodem Edaldo confunditur à Chenurio, Roberto, Seuertio, Bollando [c] & Choriero. Caldeoldum & Edaldum distinguendos remur. Nec aliter sentiet, quisquis sanctum Caldeoldum decimo-nono Kalendas Februarij, Sanctum Edaldum decimo-quarto easdem Kalendas coli meminerit. Ado, Menardus, Saussaius, ceteríque, quorum Martyrologiis beatus Caldeoldus inscribitur, illius memoriam vnanimi consensu decimo-nono Kalendas Februarij concelebrant. Boscius [d] autem & Lieuræus [e] obseruant sanctum Edaldum ad Deum migrasse decimo-quarto easdem Kalendas, & ad hunc diem sic scribit Ferrarius, *Viennæ in Gallia, S. Edaldi Episcopi.* Bollandus [f] sanctum Caldeoldum eundem cum sancto Edaldo facit; si tamen attentiùs legatur, ex eius annotationibus eruentur argumenta, quæ sanctum Caldeoldum alium à sancto Edaldo constituent, singulísque dies suos Natales, sancto Caldeoldo diem decimum-nonum ante Kalendas Februarij, sancto Edaldo diem decimum-quartum ante easdem Kalendas assignabunt.

XXI. Boscius Caldeoldum è Viennensium Episcoporum catalogo primus abrasit substituto in illius locum Edaldo. Inde duplex enata Neotericorum opinio. Quidam enim nullâ Caldeoldi factâ mentione Edaldum Hecdico suffecerunt. Plures, quia Caldeoldi nomen apud Adonem legerant, Adonem & Boscium benè conciliatos à se putarunt, si ex Caldeoldo Adonis & ex Edaldo Boscij vnum eundémque Episcopum conflarent, qui promiscuè Caldeoldus & Edaldus appellaretur. Boscium, qui vtrosque in errorem traxit, commentitia fefellit hæc epistola, quam Ioannes Papa per Felicem Presbyterum Edaldo Viennensi Episcopo transmisisse fertur. *Ioannes Episcopus Edaldo Viennensi Archiepiscopo. De officiis Missarum, de quibus in literis vestris requisistis, sciat charitas vestra, quia variè apud diuersas Ecclesias fiant. Aliter enim Alexandrina Ecclesia, aliter Hierosolymitana, aliter Ephesina, aliter Romana facit, cuius morem & instituta debet seruare Ecclesia tua, quæ fundamentum sancti habitûs ab illa sumpsit. Venerabilis Pallij vsum per sanctum Presbyterum vestrum Fælicem tibi destinauimus, nolentes te priuari antiquo beati Petri munere. Simul mittentes de capillis Sancti Pauli, vt esset Ecclesia vestra illius intercessione solatium, per cuius discipulum suscepit primum religionis honorem. Benedictio Apostolorum vos ab imbre malignorum custodias.* Illam epistolam Ioanni Papæ Quinto attribuit Boscius hac ad marginem notatiunculâ. *Iste fuit Ioannes V. qui sedere cœpit anno Domini* 685. Boscio adstipulatur Saussaius in Panoplia Clericali [g]. Refragatur ratio temporis. Nam Caldeoldus, quem Auctores illi cum Edaldo confundunt, multò citiùs Pontificatum gessit. Idcirco quidam recurrunt ad Ioannem Quartum, qui non Edaldo quidem sed Caldeoldo coæuus esse potuit, Ecclesiæ enim præsidere cœpit anno Christi sexcentesimo quadragesimo, vitámque clausit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo. Verùm literæ suprà recitatæ nullius sunt auctoritatis, quia Edaldo titulum Archiepiscopi vsúmque Pallij concedunt, & vnum ex sancti Pauli discipulis primum Ecclesiæ Viennensis Antistitem fuisse testantur. Addequòd epistolas, quæ continentur in libello Antiquitatum Viennensium apud Boscium, si de Viennensis Ecclesiæ initiis & prærogatiuis agunt, suppositas aut certè suspectæ admodum fidei esse credimus, atque ita habendas iam docuit Ioannes Launoius in discussione [h] Responsionis ad dissertationem de duobus Dionysiis

[a] Tom. 1. Gall. Christ.
[b] L. 9. c. 18.
[c] D. 14. Ian.
[d] Cap. 3.
[e] Cap. 23.
[f] D. 14. Ian.
[g] P. 1 l. 3. c. 1.
[h] Cap. 2.

AN. CH. 660. CLOTAR. III. R. 5. CHILD. II. R. 1.

Edaldus igitur, qui vocatur Eualdus à Chenurio, Edoaldus à Lieuræo,
Edoldus à Choriero, nequaquam cum Caldeoldo confundi debet. De Cal-
deoldo, qui variis etiam nominibus Caœldus, Cacocoldus, Caeoldus, Ca-
deolus, Cadoldus & Clodoaldus nuncupatur, ad annum Christi sexcentesi-
mum tricesimum-septimum [a] locuti sumus. Edaldus siue Eualdus aut Edol-
dus vel Edoaldus Infulas Viennenses seriùs accepit, idem enim nobis videtur
cum Ethoaldo, qui Priuilegio Berthefridi Ambianensis Episcopi pro Monas-
terio Corbeiensi cum eodem Berthefrido aliisque decem Præsulibus anno sep- XXII.
timo Clotarij Regis, id est, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo,
subscripsit. Huic autem si suum locum in catalogo Viennensium Antistitum
restituas, inter sanctos Georgium & Austrebertum sex iuxta sancti Clari pro-
phetiam enumerabuntur, Edaldus videlicet, Deodatus, Blidramnus, Agra-
tus, Eoldus & Bobolinus.

[a] Nu. 2 & seqq.

EDALDVS GEORGIO SVCCEDIT.

Helias Monasterij, quod Faro Meldensis Episcopus in honorem Sanctæ XXIII.
Crucis erexit, primus Abbas obiit hoc anno, cùm Cœnobium annis octode-
cim rexisset. Successit Fredegesilus qui sanctum Faronem sepeliuit, vt ad an-
num Christi sexcentesimum septuagesimum-secundum dicturi sumus.

HELIAS ABBAS S. CRVCIS OBIT.

Audoenus Vcetiensem Ecclesiam hoc anno rexit [b]. Eo sedente vel eius suc- XXIV.
cessore Potentino Vcetia in potestatem Wisigothorum rediit. Qua de re fusiùs
ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-tertium acturi sumus. Vcetia,
donec à Wisigothis iterum occuparetur, Arelatensi Metropolitæ subiacuit.
Erant tunc in Arelatensi prouincia præter Metropolitanum vndecim Episcopi;
Deensis, Viuariensis, Tolonensis, Arausicensis, Tricastinensis, Carpentorac-
tensis, Massiliensis, Vasensis, Cabellicensis, Auenionensis & Vcetiensis.
Antistitum autem Deensium, Tolonensium, Arausicensium, Massiliensium,
Vasensium & Cabellicensium manci sunt per ista tempora catalogi. De Viua-
riensibus Episcopis, qui septimo seculo floruerunt, actum suprà. Bettonis
Tricastinensis Episcopi, qui Concilio Cabilonensi Tertio subscripsit, succes-
sores solis sunt nominibus noti, Bonaricus & Salitonius reliquo septimo secu-
lo, aliique quorum nomina sequentibus Tomis recensebimus. Feliciores ex-
titerunt Episcopi Carpentoractenses & Auenionenses, quorum non tantùm ex-
tant nomina, sed & tempora notantur ac pleraque narrantur gesta.

[b] Tom. 2. Gall. Christ. in Ep. Vcetiens.

AVDOENVS EPISCOPVS VCETIENS.

EPISCOPI TRICASTINENSES.

Obiit hoc anno Philo Laureacensis Episcopus, cùm ab anno Christi sexcen- XXV.
tesimo decimo-quinto sedisset annos quadraginta-quinque. Successit in Episco-
patum Laureacensem Bruno. Hic exeunte Honorij Papæ Pontificatu, id est,
anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo, cùm Othocarus Pataujensis
Episcopus ex hac vita discessisset, ordinatus est primùm Episcopus Pataujensis;
deinde hoc anno post Philonis mortem factus est & Laureacensis Episcopus.
Vixit diutissimè, gessit enim Episcopatum annis sexaginta. Lege Wiguleum
Hundium Tomo primo Metropolis Salisburgensis in catalogo Episcoporum
Laureacensium & Pataujensium.

EPISCOPI LAVREACENSES ET PATAVIENSES.

ANNVS
CHRISTI 661.
CLOTARII III. R. 6.
CHILDERICI II. R. 2.

661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, mense Ianuario, migrauit I.
ad Deum sanctus Tozzo Augustæ Windelicorum Episcopus, cui Ta-
genbertus seu Dagobertus in Pontificatum successit. Beato Magno Monasterij

TOZZO EP. AVG. OBIT.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

Faucensis Abbati, qui viuere desiit octauo Idus Septembris anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, superstes fuit Tozzo annos quinque ac menses aliquot, obiitque decimo-septimo Kalendas Februarias, vt Ermenricus in supplemento post vitam sancti Magni testatur his verbis. *Vir venerabilis Episcopus Tozzo, post obitum beati Patroni Magni, prout potuit, ipsum Cœnobium* Faucense *semper cum suis custodibus custodiuit, secundùm facultatem loci regens & gubernans, atque disponens ea, quæ ad ipsum Monasterium iure pertinere debebant, custodiens sanctum corpus cum Clericis & officiis diuinis atque luminaribus vsque ad obitum suum, qui permanens post discessum beati Magni in Episcopatu annos quinque & menses tres, XVII. Kal. Febr. vitam secularem finiuit, tradens ante obitum suum hæreditatem suam ad sepulchrum beati Magni cum firmitate & stipulatione secundùm Legem Alamannorum, sepultúsque à Clero suo est Augustense sub testimonio in eadem hæreditate.* Porrò cùm sancti Magnus & Tozzo mortalem vitam clauserint, ille octauo Idus Septembres, hic decimo-septimo Kalendas Februarias, Episcopus Abbati superuixit præter annos quinque, non menses tres sed menses quatuor ac dies decem. Lex Alamannorum à nobis explicata est ad annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum [a]. Consule caput primum, quod est de rebus collatis Ecclesiæ, vt meliùs intelligas quomodò se gesserit Tozzo in tradenda hæreditate.

[a] Nu. 42. & seqq.

II. PERSECVTIO IN MONACH. CAMPIO.

Post sancti Tozzonis obitum *Theodorus fidelis Monachus sancti Galli & Magni minimè quiuit custodire locum Campidonensem propter varias persecutiones & malorum hominum à pagensibus ipsius loci oppressiones in suis & sua necnon in semetipso, idcircò relinquens illum locum profectus est ad Monasterium sancti Galli, inuenítque beatum Othmarum Abbatem ipsius Monastery iam senem & grandæuum prouectæque ætatis, sed Domini gratiâ & Spiritu Sancto plenum, & diuinis virtutibus imbutum.* Hunc Othmarum Tomo [b] superiore iam laudauimus. Alterius Othmari vitam scripsit Walafridus [c]. Vtrumque distingue. Prior, de quo nunc loquimur *Berhtgozum Monachum optimum virum & prudentem cum quatuor Monachis aliis* Campidonam *direxit, qui ipsum locum custodirent, permittens Theodorum morari in Monasterio Beati Galli vsque ad obitum suum.* Hæc in Appendice post vitam sancti Magni narrantur ab Ermenrico, & ad tempora Caroli Magni perperam ab eo reiiciuntur, quia duos confundit Othmaros, &, vt aliàs annotauimus, Pippinum Maioremdomûs beato Magno & Dagoberto Regi coæuum à Pippino Francorum Rege non distinguit. Obiit Theodorus in Monasterio S. Galli, ibique sepultus fuit. Vocatur sanctus Eremita Tomo secundo rerum Alamannicarum. Nondum tamen quod sciam inter sanctos habetur relatus, & quia Monachos apud Campidonam congregauit, Abbas nuncupari potest, meritóque apud Canisium [d] vocatur primus Abbas Campedonensis.

[b] An. 615. n. 7. an. 628. n. 21.
[c] Ap. Sur. d. 16. Nou.
[d] Tom. 5.

III. TRVDO ORDINATVR PRESBYT.

Trudo, de cuius reditu in Hasbaniam anno sequenti agemus, Presbyter ordinatus videtur hoc anno, postquàm Metis per quinquennium degisset. Donatus Diaconus, qui vitam illius in literas primus retulit, totum istud tempus complexus est duobus capitibus; altero exposuit diuinam vltionem quâ perculsus interiit indignus dispensator, qui Trudoni, eò quòd aduena esset, victum ægrè administrabat; altero Trudonis promotionem ad Ecclesiasticos ordines ita perstrinxit. *Dum verò sanctarum scripturarum vir Dei abundanter præceptis imbutus fuisset, deposito laicali habitu, ex consilio iamdicti Pontificis* Clodulfi, *comam suam in sancti Stephani protomartyris Ecclesia vouens se soli Domino seruiturum totondit. Fideliter iámque Deo in eadem Ecclesia sub venerabilis Chlodulfi regimine per Ecclesiasticos gradus feliciter pergens vsque ad Sacerdotalem dignitatem vita merita perduxit. Meruit autem venerabilis Trudo diuinâ misericordiâ opitulante tantam gratiam in conspectu Pontificis obtinere, vt carissimi fily locum apud eum habere videretur.* Astipulari non possumus Theodorico, qui Trudonem, cùm Clodulfum adiit, adeò ignarum fingit, vt eum velit Metis operam Grammaticæ ceterisque scientiis inferioribus nauasse.

IV. INITIA MONAST. BARISIAC.

Childericus Rex hoc anno, Regni sui secundo, Kalendis Augustis, Barisia-

AN. CH. 661.
CLOTAR. III. R. 6.
CHILD. II. R. 2.

cum villam in agro Laudunensi sitam Amando Episcopo, qui Traiectensem Diœcesim aliàs rexerat, Regiâ munificentiâ tradidit. Extat apud Miræum [a] inter Diplomata Belgica Præceptum istius donationis, cui Blidechildis Regina subscribit, sed loco Blidechildis, quæ Childerico Regi adhuc adolescentulo nondum nupserat, nomen alterius Reginæ restituendum arbitramur. Philippus Labbeus in Miscellaneis [b] curiosis putat aut loco Blidechildis reponendam esse Baldechildem Childerici matrem, aut expungenda quæ de secundo Childerici Regis anno & de imbecilla illius ætate bis repetuntur à Blidechildis Reginæ temporibus omnino aliena, quia Childericus puer erat annorum duntaxat nouem, nec Blidechildem vxorem adhuc duxerat. Alij ex Codice manuscripto Amandino & ex Appendice ad vitam sancti Amandi à Duchesnio edita Chinechildem siue Imnechildem aut Hymnechildem Reginam, Sigiberti quondam Regis relictam, Dagoberti tunc in Hibernia degentis matrem, reponunt. In Codice enim Amandino sic legitur. *Childericus Rex Francorum & Chinechildis Regina, viro illustri Bertuino Comiti*. Et sub finem. *Signum Childerici Regis. Chinechildis Regina subscripsi. Datum sub die Kal. August. anno* II. *regnante Domno nostro Childerico Rege*. Et in Appendice laudata *viro Domini Amando cellulam, quæ nuncupatur Barisiacus, cum adiacentibus sibi appendiciis Hildericus Rex & Hymnechildis Regina* dicuntur *condonasse*. De anno nulla controuersia, quia Codices omnes secundum Childerici Regis annum constantissimè retinent. Labbeus nomen Hymnechildis Reginæ respuit, nec vllam ei tribuit apud Austrasios auctoritatem. Non desunt coniecturæ satis validæ, quibus opinionem illam tuearis. Hæc enim Regina, si quid potestatis habuit in Austrasia, cùm Optimates peculiarem sibi Regem dari poposcerunt, eos ad reuocandum potiùs ex Hibernia Dagobertum quàm ad suscipiendum Childericum hortari debuit. Deinde si regnante Childerico nouem annorum puero Regni se negotiis immiscuit, cauendum certè, ne quid aduersùs eundem Childericum clàm moliretur prono erga Dagobertum affectu, quis enim matrem oblitam filij credat? Reiectâ Hymnechilde prædictus Auctor Baldechildem reponit, quæ maternâ pietate ducta, vt vtrique filio prouidè consuleret, modò cum Clotario, modò cum Childerico versata videatur. Huic correctioni fauet affinitas verborum, parum enim differunt ac leuissimâ mutatione facillimè confunduntur hæc vocabula, *Baldechildis* & *Blidechildis*, aut, vt ipsi Labbeo [c] in epitome rerum Francicarum placet, *Bildechildis*. Tamen cùm nomen Baldechildis in nullo Regij Diplomatis exemplari reperiatur, ac necessariò delendum sit nomen Blidechildis seu Bilihildis quam Childericus in vxorem nondum duxerat, restituemus nomen Hymnechildis seu Chinechildis, quod in Codice Amandino & in Appendice àd vitam S. Amandi legitur. Eiecto Childeberto pseudo-Rege & Grimoaldo Maioredomûs exauctorato, Clodoueus Secundus, qui decimum-septimum Principatûs annum in Neustria & Burgundia iam auspicatus erat, in Austrasia quoque regnare cœpit. Patri successit in tria Regna Clotarius Tertius. Post aliquot annos, cùm Clotarius adhuc minorennis esset, Austrasij tumultum concitarunt, postularúntque sibi Regem concedi, qui soli Austrasiæ dominaretur. Baldechildis Regina, penes quam regimen erat Monarchiæ Francicæ, donec Clotarius ad legitimam ætatem peruenisset, postulata sapienter laudauit, & vt Childericus Clotarij frater Rex Austrasiæ renuntiaretur, annuit sine mora, quippe rata, nisi seditio quamprimùm sedaretur, periculum esse ne cresceret, & Dagobertus in paternas Galliæ Germaniæque ditiones ex Hibernia reuocaretur. Hymnechildis, quia res tam citò compositæ sunt, in prolis suæ gratiam nihil ausa; si bellum exarsisset, ausura dubio procul. Quieuit igitur, & vt Clotario Tertio sic & Childerico Secundo Rege mansit in Austrasia, Regiæque donationi cum ipsomet Childerico subscripsit hoc anno, eiusdem Childerici Regis secundo. Subscripsit etiam Regiæ Præceptioni, quam idem Childericus emisit anno Regni sui octauo pro Cœnobiis Stabulensi & Malmundariensi, vt

[a] Dipl. 3.
[b] Cap. 4.
[c] Ad an. 665.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-septimum probabimus. In vita quoque sancti Praiecti, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium dicturi sumus, memoratur regnante eodem Childerico. Labbeus annum Childerici Regis octauum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-primo illigat; & ad illum annum laudat supradictum Childerici Præceptum, nullum autem de Hymnichildis subscriptione verbum habet. In illud silentium inquiremus ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-septimum, & vitam sancti Praiecti, cuius mentionem hic Auctor ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-sextum leuissimè facit, ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium consulemus explicabimúsque. Interim accipe Regium Childerici Diploma pro Monasterio Barisiacensi cum correctione prænotata. *Childericus Rex Francorum & Hymnechildis Regina, viro illustri Bertuino Comiti & Bertelando Vicario. Meritò largitatu nostræ munere subleuantur, qui pro parentibus nostris vel etiam pro adolescentiæ nostræ ætate famulantur. Proinde cognoscat magnitudo vel vtilitas vestra, quia nos propter nomen Domini vel amorem cælestem, Apostolico Patri nostro Amando Episcopo villam nostram nuncupatam Barisiacum sitam in pago Laudunensi, quam vsque nunc fiscus noster tenuit, promptissima deuotione, cum vniuersis villulis ad se adspicientibus, & cum omni integritate ad se pertinente concedimus & concessam esse volumus. Quapropter auctoritate nostra præsenti decernimus ac iubemus, quod in perpetuum volumus esse mansurum, vt ipsam villam memoratam Barisiacum cum omnibus ad se pertinentibus tam in terris, domibus, vineis, siluis, pratis, pascuis & mancipiis ibidem commanentibus, sicut fiscus noster ibidem tenuit ac possedit, & ipse Pontifex Domnus Amandus, ad opus Monachorum suorum, absque vlla contradictione vel diminoratione teneat ac possideat. Sic igitur in integrum hoc nostræ concessionis beneficium firmum esse volumus, vt iamdictus Pontifex de ipsa villa Barisiaco, & de rebus ad eam pertinentibus habendi, tenendi, freda exigendi, mansiones faciendi, dandi, commutandi, vel, quidquid elegerint, faciendi, liberam ac firmissimam per nostram auctoritatem habeat potestatem. Insuper omnes successores nostros per nomen Domini adiuramus, vt nullus eorum ipsam villam cum omnibus ad se pertinentibus, Domno Patri Amando, vel suis Monachis auferre præsumat, vel vllam inquietudinem faciat. Quod, quicumque est ille, fecerit, iudicium portet, & sententiam damnationis incurrat, & vt hæc auctoritas circa ipsum Pontificem & Monachos eius, firmior habeatur, & per tempora succedentia perpetuò conseruetur, & ego dum propter imbecillam ætatem minimè potui subscribere, manu propriâ subtersignaui, & Regina subterscripsit. Signum Childerici Regis. Hymnechildis Regina subscripsi. Datum sub die Kalend. Augusti, anno 11. regnante Domino nostro Childerico Rege.* Philippus Haruengius de Eleemosyna, Abbas Bonæ Spei, qui vitam sancti Amandi scripsit, hanc donationem perperam reiicit in annum circiter quintum Childerici Regis.

ANDREAS PRIMVS ABBAS.

Barisiaci primus Abbas fuit Andreas Amandi discipulus, qui posteà eidem Amando in regimen Elnonensis Monasterij successit; sic enim de Barisiaco disserit idem Haruengius. *Dum Lauduni moraretur* Childericus Rex, *venit ad eum beatissimus Pater Amandus, &, agente Deo, gratiam inuenit in oculis eius. Ad dilatandum itaque diuini cultûs obsequium, & propagandum regularis obsequium disciplinæ, nobile prædium Barisiacum nomine, cum omnibus eius pertinentiis, Regiâ liberalitate, & debitâ libertate beato viro contradidit, quod benignè cum gratiarum actione suscipiens, pro loci & temporis opportunitate, Monasterium inibi dispositione congruâ collocauit, congregatisque in eo Deum timentibus viris, & Christi professis militiam, venerabilem & Deo dignum Andream discipulum suum prouidâ dispensatione præfecit, successorem sibi in Elnonensi Monasterio mox futurum.* Barisiacus apud Bollandum in Commentario præuio vitæ sancti Amandi, leucâ à Couciaco *, alterâ ferè ab Oesia * fluuio oppidóque Calnico * remouetur.

* Coucy. * Oyse. * Chauny.

V. SENONIENSIS.

Sub idem tempus iacta sunt fundamenta Monasterij Senoniensis in Diœcesi Tullensi. Gundelbertus, qui dimisso Episcopatu Senonensi Vosagum ab aliquot annis incolebat, de condendo Monasterio cogitauit, &, vt opus illud exeque-

AN. CH. 661.
CLOTAR. III. R. 6.
CHILD. II. R. 2.

exequeretur, licentiam à Childerico Rege postulauit impetrauitque. Qua de re Chronographus ita disserit [a]. *In valle, quam venerabilis Pater Gundelbertus subintrauit, locus erat inhabitabilis & à frequentatione hominum remotus, qui soli Deo vacare volens ad habitandum receptacula quamparua inchoauit, sed ne alieni iuris peruasor esse videretur, cùm comperisset quòd dicta Vosagus in Regno supradicti Regis Childerici consisteret, ipsum ad impetrandam licentiam ibidem commanendi adire disposuit. Igitur datâ opportunitate Regem, quem quondam familiarem habuerat* (non placent istæ voces, *quem quondam familiarem habuerat*, quarum loco hæ, *cuius Optimates quondam familiares habuerat*, collocandæ potiùs videntur, vt infrà probabimus) *adiit, interpellat. Rex postulata, vt erat animo placidus, concedit, regiis scriptis data confirmat, metas terræ sibi tradita localiter aßignat, & ita distinguit, à rupe quæ Alta * Petra dicitur, per cacumen montis vsque ad villam quæ Cella dicta est, per ripam fluuioli per eandem villam decurrentis vsque locum qui Mare * dicitur, inde ad grandem Fontanam; inde per riuulum qui Waconos * dicitur vsque ad fluuium * Bruscam, & per ripam Bruscæ vsque ad cacumen montis iuxta Sanctum * Stephanum, & inde ad Fontem * Donnous; inde per transuersum monticulorum vsque ad riuulum, qui Petrosus riuulus nuncupatur, qui fluit per claustrum Mediani * Monastery. Sed pars terræ adiacentis dicto Monasterio posteà fertur data esse viro Sanctißimo Hydulpho eiusdem loci fundatori.* Hic Auctor Childericum, vbi regnare cœpit, virilem ætatem iam adeptum putauit, ideóque finxit Gundelberto, priusquàm in eremum secederet, familiarem olim extitisse. Refragatur Chronologia. Childericus tres duntaxat annos natus erat, cùm Clodoueum patrem amisit; octo, cùm Regnum Austrasiæ suscepit annuente Clotario fratre. Gundelbertus Episcopatum iniit regnante Clodoueo, eóque mortuo statim dimisit, puerulum igitur nouit Childericum, nec illâ vsus est cum eo familiaritate quam prædictus Chronographus insinuat. Ea ratio nos mouit, vt Childerici Regis loco reponeremus Optimates, quos regnante Clodoueo Gundelbertus ante Episcopatum & in Episcopatu familiares habere potuit. De conditu Monasterij Senoniensis paulò pòst sic idem Chronographus. *Sanctus Gundelbertus nihil penitus nisi ad nutum Dei agere decreuerat, quippe qui sibi proprij animi voluntatem non retinuerat, quia necdum aliquam in loco alieno, modo suo, adhuc Ecclesiam vel Monasterium inchoauerat, credidit diuinam voluntatem super hoc vigiliis, ieiuniis & orationibus fore requirendam. Dubitanti enim eo super dispositione officinarum Monastery quomodo vel quibus Numinibus ipsa dedicare deberet, ei in ipsa postulatione persistenti Dei misericordia quid vel quomodo vel quibus Sanctis ipsa loca consecrari vellet, per visum intonuit. Qui denique reuelatione & auctoritate Regiâ, vt suprà dictum est, animatus, in honore Sanctæ & perpetuæ Virginis Mariæ primam construxit Ecclesiam, quam solemniter dedicauit, & penes illam Monasterium cum officinis suis ædificauit, in quo beatum Petrum Apostolorum Principem cum suis Coapostolis duxit venerandum. Omnibus itaque Dei nutu dispositis & ordinatis, aliquantisque ibidem fratribus congregatis, sub beati Benedicti Regula ipsos militare decreuit, sicut hactenus immutabiliter vsque ad tempora nostra Deo regente videntur subsistere, quot ipse Episcopus & Abbas cum Ecclesia sibi credita strenuè rexit & religiosè.* Priusquàm ad eremum deuenisset, *ad Occidentalem plagam super Mortam fluuium* erat iam Ecclesia cui nomen Stiuagium *. Quis eius fuerit fundator, vel quo tempore incœperit, manet incompertum. Varias illius vicissitudines ad suam vsque ætatem paucis ita perstringit prædictus Chronologus. *Ferunt in dicta Ecclesia Ordinis Sancti Benedicti Monachos primò extitisse, deinde Sanctimoniales, posteà verò iterum dictum locum Monachos inhabitasse, exin Canonicos seculares, ac deinde Ordinis Pramonstratensis Canonicos, sicut hactenus ibidem permanent, fuisse institutos.* Plura de istis Ruyrus in Antiquitatibus Vosagensibus [b]. Primò, verùm apud Stiuagium illâ ætate, quâ sanctus Gundelbertus vixit, Regula sancti Benedicti custodita sit, an alia, non audet asserere. Deinde Moniales haud collocat apud Stiuagium, sed in loco quingentorum passuum intercapedine remoto, vbi hodie veteris Mo-

[a] L. 1. c. 2.

* *Haute-Pierre.*
* *La Mer.*
* *Vacon.*
* *La Riuiere de Brusch.*
* *La Montagne de S. Estienne.*
* *La Fontaine de Clonans.*
* *Moyen-Moustier.*

* *Estiual.*

STIVAGIENSIS.

[b] Part. 3. l. 1. c. 9.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

nasterij rudera conspiciuntur, superéstque Oratorium, quod antiquum spatiosioris Ecclesiæ Chorum repræsentat, & Capella Dominarum in memoriam Monialium etiamnum appellatur. Postremò, Canonicos, qui Stiuagiense Monasterium ad nostram vsque ætatem incoluerunt, in quadruplici ponit differentia, seculares, tum regulares sub Regula sancti Augustini, seculares iterum, denique regulares Ordinis Præmonstratensis. Quibus de mutationibus agemus, vt occurrent, & ad Annales Francorum pertinere videbuntur. Porrò Stiuagium in Stiua Valle situm est, vnde & Stiua Vallis aliquando nuncupatur, vtrumque autem nomen deducitur à stiua propter fertilitatem loci.

VI. ALDEGVNDIS. Hisce temporibus, vt Henschenius in diatriba de Episcopatu Traiectensi testatur, Aldegundis sacræ religionis velamen & habitum suscepit. Rem, prout gesta est, ex Hucbaldo narrabimus. *Cùm mater eius ægrotaret, & iam de vita desperaret, vocat Virginem filiam suam, dat ei aurum & argentum, vestimenta pretiosa, prædia, villas, seruos & ancillas, & omnia quæ habebat, præter illa quæ pauperibus in præsenti pro remedio animæ suæ distribuit, & quæ in vsus seruorum & ancillarum Dei, in Cœnobiis Domino famulantium delegauit. Defunctâ verò matre atque in prædicta villa Curtissolra,* * *& in Ecclesia sancta Dei genitricis, à Dei Sacerdotibus & aliis Ecclesiasticæ dignitatis ordinibus iuxta virum suum sepultâ, audiens Eudo iuuenis, cui præfata mater filiam suam in coniugem dari disposuerat, obitum eius, nihilominùs instat, vt Virginem vxorem accipiat, imperátque fidelibus suis apparatum præparare nuptiarum. Quod cùm audisset Virgo, valdè timuit, fugiénsque noctu in locum nemorosum, qui vocatur Melbodius* *, *aliquot diebus ibi latuit. Sed cùm audisset aduenisse S. Amandum atque venerabilem Autbertum Episcopos in Monasterium Altimontis; cum magna cordis humilitate nudis pedibus illuc properauit, ad vestigia eorum sese prostrauit, desiderium sui cordis aperuit, contrarias tentationum passiones sibi per insidias diabolicas irruentes indicauit. Tunc B. Amandus, iam penè toti notus Orbi famâ celeberrimâ virtutum, qui tanquam in messe Dei strenuus operator, multas per circuitum nationes ad fidem perduxerat Catholicam, multa Cœnobia virorum ancillarúmque Dei construxerat, aperiens os suum doctrina cælestis imbre facundum, ita puellæ fatigatum roborauit animum, vt non solùm ipsum respueret mundum, verùm etiam parata fieret pro Saluatore Christo, si foret occasio, subire Martyrium. Quid plura? Deducta est à sanctis Episcopis in Oratorium quoddam eiusdem Cœnobij, in honore & memoria sancti Vedasti dedicatum, vbi benedictione Sacerdotali ab ipsis dignè consecrata, sponsóque suo Domino Iesu Christo desponsata, sacræ religionis velamen suscepit & habitum.* In illo textu tria sunt consideranda; obitus Bertiliæ, Aldegundis fuga ne nuberet Eudoni, & velum ab eadem Aldegunde susceptum.

* Courtsore.

* Maubeuge.

VII. POST MORTEM MATRIS. Bertilia Walberto marito superstes vixit. Sepulti sunt ambo in Curtesolra, eorum corpora per Franciscum Archiepiscopum Cameracensem anno Christi millesimo sexcentesimo vndeuicesimo è terra fuerunt eleuata, vt Miræus in Fastis Belgicis [a] obseruauit. Crebris coruscant miraculis, & publicâ coluntur veneratione, teste Bollando [b] in notis ad vitam sanctæ Aldegundis illorum filiæ. *Postquàm Bertilia hac vitâ decesserat, apparuit Aldegundi quidam nuntians sibi ab Angelo dictum, quòd ipsa beata virgo Christum sit habitura sponsum. Nec multò pòst intuetur Dominum Iesum, quem toto affectu & mentis ardore diligebat, quasi Regem diadema capite gestantem, vestitum vestibus aureis, & vt ipsa fassa est, & Deum adhibuit testem se non mentiri, in spiritu vidit gloriam quâ perfruuntur sancti in cælesti curia.* Hæc leguntur in Codice Audomarensi, ibíque liberalitas Aldegundis in pauperes plurimùm laudatur.

[a] d. 30. Ian.
[b] d. 30. Ian.

VIII. Eudo, qui nuptias Aldegundis ambiebat, in Codice Gisleniano dicitur natus patre Rege Anglorum, nulla tamen huius mentio fit in Anglicanis Historiis, fuit fortassis Regij vel nobilissimi generis adolescens siue Anglus siue Scotus, qui tunc in Francia militabat.

IX. *Beata Aldegundis*, vt Hucbaldus prosequitur, *de Altomonte reuersa in locum, vbi priùs latuerat, quem ipsa Melbodium nominauerat; qui locus adhuc desertus*

AN. CH. 661.

CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

CONDIT COENOB. MELBOD.

erat, cœpit ſagaciſſimè locum excolere, vepribus & arbuſtis radicitus extirpatis, habitacula conſtruere, ſeruos & ancillas Dei ibidem congregare. Denique poſthac ædificauit ibi Eccleſiam in honore & memoria Sanctæ Dei genitricis Mariæ, in qua laudes diuinas & orationum vota quotidie perſoluebat. Tunc ſæculi huius diuitias pro nihilo reputans, prædia ſua & facultates & omnia ornamenta, quæ ſibi parentes reliquerant, ad loca Sanctorum legaliter diſtribuit, & pauperibus erogauit. Locum, vbi mater & pater eius ſepulti fuerant, in melius reparauit, & ibidem duodecim Sanctimoniales ad ſeruiendum Chriſto Domino conſtituit. In ſupradicto verò loco Melbodio, conſilio Beati Præſulis Amandi, cum duabus ſororis ſuæ B. Waldetrudis filiabus ſemetipſam contradidit, atque multis aliis ibi ſecum in ſancta religionis habitu congregatis, in ſancta conuerſatione permanſit, cunctiſque ſe videntibus exemplum bonorum operum dignum imitatione reliquit. Duas autem neptes, filias ſororis ſuæ cum magna diligentia regulariter in Monaſterio erudiebat, & vt Dominum Chriſtum ſibi ſponſum eligerent, ab ipſis infantiæ rudimentis diligenter edocebat. Harum vna Madelberta, altera vocabatur Aldetrudis. Ex illo textu ſuſtulimus nomen Dagoberti Regis, quod in vulgatis exemplaribus Hucbaldi legi ſolet, obierat enim Dagobertus antequàm Aldegundis Melbodienſe Monaſterium conſtrueret. Author Codicis Giſleniani perperam etiam affirmat ſanctum Autbertum, cùm Aldegundem velauit, in Montis Alti Monaſterio degiſſe, quia *Sancti Ansberti Rothomagenſis Archiepiſcopi, qui ibidem iuſſu Pipini Francorum Principis relegatus in exilia erat, carceres & vincula miſericorditer fouebat*, nam beatus Anſbertus Rothomagenſem Pontificatum longè poſt obitum Autberti Cameracenſis Antiſtitis iniit.

Henſchenius in diatriba de tribus Dagobertis, libro primo, capite vndecimo, X. vbi Clotario Tertio annos regni quatuordecim vindicat aduersùs eos qui non plures quàm quatuor attribuendos putant, duo Diplomata citat ex manuſcripto Chronico Ioannis Iperij, quorum alterum hac notâ clauditur, *actum ſub die Kalend. Februar. anno* VI. *Regni noſtri*; alterum iſtâ, *ſub die* XVIII. *Kal. May, anno* VI. *Regni Domini noſtri Chlothacarij Regis.*

Primum ab Iperio allegatur titulo de Concambio quarumdam terrarum inter Sanctos Bertinum & Mommolenum tunc Epiſcopum Nouiomenſem, laudatúrque à Malbranco apud quem libro quarto [a] de Morinis hæc leguntur. XI. *Eo in Diplomate Chlotharius III. ait Mommolinum Epiſcopum Nouiomenſem & Bertinum Abbatem Sitiu expetiiſſe facultatem commutandi quædam prædia in diuerſis prouinciis & territoriis, quà in Conſtantienſi, quà in Nouiomenſi, quà in Cameracenſi ſeu Veromandenſi, quà denique in Taruannenſi (nam poſtremò commutatum ſolo hiatu effertur, in albíſque iacet, cùm tamen nonnulla in ipſis tabulis villæ non abſona ſint ab hodiernis pagorum apud Morinos nominibus) vel potiùs ab ipſis commutata Regio ſigillo firmaſſe, vbicumque Eccleſiarum ſuarum bono ſtudentes congruum magis & conſentaneum in Domino iudicarent. Quinque villas Bertino tradit Mommolinus, quas hiſce nominibus affecit Diploma Regium; Vallis, Tunninio, Inbrago, Glindono, Selerciaca. Viciſſim verò accepit Vaſune prædium inſigne in territorio Conſtantienſi *, quod Sancto Bertino obuenerat permutatione initâ prædij Franciliaci cum illuſtri viro Agiulfo: præterea accepit Landardiacam villam, quam exiſtimamus eſſe Landertum in Taruannenſi vel Bononienſi territorio, & Franciliacum eſſe Franq hodiernum ad Monſtrolienſes. Vaſune autem, quam Diploma Bertini portionem nuncupat, non eſt alia à Vaſinia natiua Bertini ſede, quam vir pius cum multis aliis nudum Chriſtum ſecuturus deſeruerat, ſed in maius Monaſterij ſui, vel ſuorum Dei obſequia addictarum emolumentum poſtliminiò vendicarit, viâ concambij, vt vocant, tutiore. Huic permutationi interfuerunt haud dubiè tum è Morinis, tum è Nouiomenſibus honoratiſſimi quique ſuo chirographo teſte pactionem illam roborantes, ac præſertim Ebertramnus S. Quintini Abbas in Diplomate appellatus, à quo videtur prodire villa iſta, cui nomen Vallis. Interfuit etiam ad rem firmandam magis Regina Mater: porrò addit Clotharius. Nos & præcelſa Domina genitrix noſtra Batechildis Regina ſignaculo manus noſtræ noſcimur affirmaſſe.*

[a] Cap. 2.

COMMVTATIO VILLARVM INTER BERTINVM ABBATEM ET MOMMOLENVM EPISC.

* De Conſtance.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

XII.

AVDOMARI DIPLOMA EXAMINATVR.

Alterum, quo Bertino Abbati Sitiuensibúsque fratribus Audomarus Taruannensis Episcopus Basilicam beatæ Virginis ad tumulanda corpora transcripsisse fertur, integrum extat apud Malbrancum inter Scholia in caput tertium libri quarti de Morinis. A nobis omittitur, quia sensum habet imperfectum in plerisque locis, & quamuis nihil Historiæ contrarium amplectatur, dubiæ prorsus fidei videtur esse propter hasce subscriptiones Episcoporum. *In Christi nomine quamuis peccator ego Audomarus nomine absque merito Episcopus hanc epistolam voluntarius dictaui, & recensere audiui, & qui subteriùs scribere deberent rogaui. Hac abs ocellis feci, vt alius manum meam tenens scripsit & subscripsit. In Christi nomine Mommolenus acsi peccator Episcopus rogatus pro indiculo Domini Audomari subscripsi. In Christi nomine Audebertus indignus ss. In Christi nomine Drancio indignus Episcopus ss. In Christi nomine Audobertus Episcopus ss. Amlacharius in Christi nomine peccator Episcopus ss. In Christi nomine Grauangerus indignus Episcopus ss. Bertefridus peccator hanc epistolam ss. Baginus acsi peccator Episcopus ss.* Cæcus quidem fuit Audomarus extremis vitæ suæ temporibus, sed cùm à decimo-octauo Kalendas Maias huius anni vsque ad eius obitum supersint anni quinque, mensésque totidem, minùs aliquot diebus, in dubium vocari potest, an hoc anno illâ cæcitate laborarit. Sibi non constat Malbrancus, scribit[a] enim facultatem videndi nondum ereptam Audomaro fuisse, cùm Bertefridus Ambianensis Episcopus Corbeiensi Monasterio concessit Priuilegium, quod octauo Idus Septembris anno septimo Clotarij Regis datum repetitur[b]. De illo Priuilegio quid sentiamus, exponemus suo loco, hîc tantùm obseruamus eos, qui vtrasque tabulas, Sitiuenses videlicet & Corbeienses, citant, inter se pugnantia loqui, quoniam Sitiuenses Audomarum anno sexto Clotarij cæcum constituunt, Corbeienses autem anno septimo eiusdem Regis adhuc videntem prædicant. Deinde inter Episcopos, qui tabulis Sitiuensibus subscribunt, occurrunt duo, Grauengerus & Baginus, qui non alij videntur à Rauengerio & Baino Morinensibus Episcopis Audomaro recentioribus, vt Folquinus his verbis declarat. *Erkenbodus Taruannensis Ecclesia sublimatur Episcopus, Rauangerij successor in ordine factus, qui & ipse successor extiterat Baini Præsulis successoris Drancij, qui post B. memoriæ Præsulem Audomarum Taruannensis Ecclesiæ susceperat Pontificatum.* Ceteros Episcopos, qui prædictæ donationi subscripsisse perhibentur, ex aliis Actis iam nouimus. Ecclesiæ Nouiomensi præerat Mommolenus, Ambianensi Bertefridus, Suessionensi Draucio, Sagensi Amlacharius, Cameracensi Autbertus siue Audebertus, Siluanectensi item Autbertus siue Audobertus.

[a] L. 4. c. 1.

[b] Tom 1. Conc. Gall.

XIII.

INITIA MONASTERII FISCAMN.

Circa hæc tempora Waningus prima Fiscamnensis Monasterij fundamenta iecit. Certus quidem fundationis annus in veteribus monumentis haud assignatur, sed coniecturam nostram non parum confirmant quæ sequuntur. Wandregisilus post Fiscamnensis Cœnobij constructionem multos annos vixit; Waningus, cùm pleraque Monasteria propriis in possessionibus erexisset, vltimo loco Fiscamnense condidit Bathilde Regnum adhuc administrante, vitam abhinc produxit per annos duntaxat viginti, obiítque postquàm sancto Leodegario, cuius Martyrium anno quinto Theodorici Regis consignabimus, superstes aliquot annis fuisset. Constant autem ista ex vitis Sanctorum, Audoeni, Wandregisili & Waningi, quas consule. *Erat Waningus ditissimus*, inquit vetus Author[c] in vita sancti Wandregisili, *& multimoda Cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxit. Ex quibus vnum est, quod vocatur Fiscamnum*[*]. *Quo in loco dum moraretur, excessum mentis subitò passus est, ostensaque sunt ei pœnæ damnatorum, & felicitates iustorum, audiuítque diuinitus, viginti annorum spatio ipsum victurum, ídque impetrasse à Domino Sanctam Christi Martyrem Eulaliam, cui precibus se sedulis commendare solitus erat. Sed & ipsa Christi Martyr ei apparens, commonuit vt in prædicto prædio, quo morabatur, Monasterium construeret, & de sua stirpe nulli regendum committeret. Quâ reuersâ ad superos, virum Dei Wandregisilum accersiuit, & ordinem ei visionis exposuit, si-*

[c] Ap. Surium, d. 22. Iul.

[*] Fescan

műlque à febre quâ premebatur, eius precibus curatus optatam recepit sospitatem, prædictúmque Cœnobium, vt monitus erat, illicò construere cœpit. Erat tunc temporis apud Burdegalim * vrbem virgo Christi Hildemarcha, cuiusdam Monastery Sanctimonialium sanctissima gubernatrix, ad quam quidam vir Dei Monachus ac Diaconus nomine Sindardus, cùm propter vtilitatem seruorum Dei in illas partes mitteretur, causâ hospity declinare solitus erat. Cui illa intimauit, in visu se esse commonitam, vt tellurem adiret Rothomagensem, virúmque Dei Wandregisilum inuiseret, atque sub illius regimine diuinis pareret edictis. Quæ ad Christi famulum perueniens, ab illo ad illustrissimum virum Waningum perducta est. Is verò prædictum Cœnobium Fiscamnum per testamenta tradens beato Wandregisilo, eius suasu eidem religiosissimæ Virgini tradidit gubernandum. Sancti Waningi vita nondum in lucem prodiit integra. In priore fragmentorum quæ Bollandus [a] publici iuris fecit, situs Fiscamni describitur, & istud Cœnobium omnium, quæ Waningus extruxit, recentissimum comprobatur his verbis. Est in Rotomagensi Archiepiscopio super mare pagus, qui vocatur Calcegius *, quo in loco habebat vir memoratus Waningus possessiones non modicas, quarum vna dicitur Fiscampnus, vbi Monasterium statuit in nomine Sanctæ Trinitatis, Congregationémque Virginum Monacharum aggregauit, atque illis totum suum studium conuertit. Nam beatam Christi Virginem & Martyrem Eulaliam toto corde diligebat, venerabatur & excolebat, eiúsque se orationibus attentiùs commendabat. Nam ad Christum immortalem sponsum perrexerat, & victoria immarcessibilem coronam receperat, dilectorem suum Waningum diligebat, eiúsque salutis curam in cælis cum Domino regnans gerebat. Quadam igitur nocte ei Virgo apparens, dixit. Waninge, facilius est camelum per foramen acûs transire quàm diuitem in regnum cælorum intrare. Tu in hoc mundo possides diuitias, quarum partem obtulisti, partémque retinuisti. Monasteria, quæ in tuis possessionibus ædificasti, & prædia, quæ per manus Sanctorum Audoeni & Wandregisili Deo obtulisti, grata habentur in oculis Summi Pontificis. Nunc igitur ad cumulum bonorum operum tuorum, in prædio tuo Fiscampno construe Monasterium in nomine Sanctæ Trinitatis. Paulò pòst in eodem fragmento, vbi mentio fit nunciorum, quos Waningus ad Clotarium Regem direxit, palàm declaratur Cœnobium Fiscamnense priùs extructum fuisse, quàm Bathildis Regina in Calense * Monasterium secederet. A Rege Lothario iuniore, qui cum matre sua Baltide Franciam regebat, petierunt secretum, vt proderent pro quo venerant consilium. Quod Rex annuit, córque eis accommodans, quod postulant dat, & quæ non poscunt largitur Regia dona. In altero fragmento Waningus prouinciæ Calciacensis seu pagi Calcegij rector sic exhibetur. Commendauerat beato Waningo Rex Lotarius prouinciam Calciacensem, quam ob antiquarum syluarum abundantiam & ferarum diuersarum venationem iucundam valdè diligebat. Ac paucis interiectis primordia Monasterij Fiscamnensis ita describuntur. Ponuntur fundamenta, & ineffabili celeritate consurgunt parietes sacri, & velut diuinæ virtutis omnipotenti operatione collocantur tecta, complectuntúrque ædificia præmissa reuelationis. Consummato igitur completóque ædificio Galliarum Rex Lotarius inuitatur, multarum vrbium Sancti Patres conuocantur & congregantur, & rerum omnium creatoris & administratoris titulo, factúmque oraculum insignitur & consecratur, consecratúmque regalibus gazis & prædiis liberaliter dotatur, & diuitiarum cunctarum abundantiis ditatur & ampliatur. Imperat Rex Lotharius Sanctas Virgines congregari, & congregatis Virginibus iuxta beatæ Eulaliæ visionem Childemarcham summæ Sanctitatis Virginem præponi, totiúsque Ecclesiæ summam & administrationem sanctis & beatissimis Confessoribus Audoeno & Wandregisilo committit & iniungit deuotè. Virgines sacra conueniunt, promissa virginitatis cælesti sponso chirographa immobilia conscribunt, suaque conuersationis aromaticis cunctis odoribus circumadiacentes prouincias cunctipotenti famulari Domino admonent & accendunt. Congratulatur beata Trinitas, incommutabilis Deus, & completo templo, & conuenientium Virginum famulatui casto, quarum trecentarum sexaginta-sex diurnas nocturnásque & continuas contemplans laudes, & mortis liberatione & in mansura ciuitate promittis &

AN. CH. 661.
CLOTAR. III. R. 6.
CHILD. II. R. 2.

* Bourdeaux

[a] D. 9. Ian.

* Le Pays de Caux.

* Chelles.

CHILDEMARC. ABBATISSA.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

præparat beatæ retributionis immarcescibilem coronam. Agitur etiam de Monasterij Fiscamnensis origine apud Fridegodum in vita sancti Audoeni Rotomagensis Episcopi.

* Le Pays de Caux. * Les Cauchois. CONVERSIO CALETORVM.

XIV. Wandregisilus in prouincia * Calciacensi non Fiscamnensis tantùm Monasterij curam gessit, sed populis illius regionis, quos Calctos * vocabant, erudiendis plurimùm incubuit, sic enim scribit peruetustus Author vitæ. *Omnes Caletorum populi, ita bruti ac belluis similes ante aduentum illius in hac regione fuerant, vt præter Christianæ fidei nomen, virtus religionis penè abolita in illis locis haberetur. Agebat namque vir venerandus studio indefesso, vt quacumque peragraret loca, verbis Euangelicis condiret vniuersa. Et ita per eius monita & prædicationem sunt conuersi, vt qui antea diripiebant aliena, posteà largirentur propria, ac idolorum confringerent statuas, quas dudum ritu profano venerabantur, piéque ac sponte se subderent Christi disciplinæ, qui antè rebelles non dignabantur audire. Tantúsque honor ac deuotionis affectus excreuerant circa Sacerdotes ac Monachos, vt si contigisset alicui ex ordine plebeio eos obuiam habere, quamuis potens persona, Christum in eis adoraret ac veneraretur.* Erat Wandregisilo nepos, nomine Godo, de quo locuti sumus ad annum Christi sexcentesimum duodesexagesimum [a].

[a] Num. 15. AVGIA MONASTERIVM. [b] Lib. 1 Obseruat. d. 28. Mai. [c] In Episc. 17.

Hic solitudinis cupidus, singularis certaminis aleam subire voluit, & permittente Wandregisilo in locum, qua Augia appellatur, deuenit, vbi Basilicam fabricatus est, & desiderij compos se totum Dei cultui tradidit. Erat enim in vigiliis pernox, in lectione creber, in oratione assiduus, in ieiuniis continuus, & in meditatione sedulus. Tot & tantis de cacodæmone trophæis reportatis egregius Christi miles gloriosum in cælis duxit triumphum septimo Cal. Iunij. Hæc Menardus [b] ex veteribus monumentis Cœnobij Fontanellensis. Secessum Godonis in Augiam hoc anno collocamus, quia Desguerroisius [c] obseruat Wandregisilum post annos sex obiisse, mors autem Wandregisili consignatur anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo. Basilica, quam Godo construxit, Deo dedicata fuit nomine Principis Apostolorum, hodie verò celebris est sub nuncupatione sancti Godonis *.

* S. Gon. [d] Lib. 1. VBI SITVM. * Sezane. S. GODO ABBAS.

In Martyrologio Benedictino hæc leguntur quinto Kalendas Iunij. *In Normania, depositio S. Godonis Abbatis, nepotis S. Wandregisili.* Menardus in Obseruationibus [d] ad illum diem iam monuit Natalem sancti Godonis non quinto Kalendas Iunij sed septimo easdem Kalendas ponendum esse. Multò grauior est error in loco, non enim in Normania sed in Campania mortuus est sanctus Godo. Martyrologus Augiam, cuius mentio fit in vita sancti Godonis, interpretatus est pagum seu territorium in hodierna Normania pascuis abundantissimum, vulgò *le Pays d'Auge*, debuit autem interpretari vicum in hodierna Campania sitė in Episcopatu Tricassino, duabus tantùm leucis à Sezana * distantem, idiomate Latino dictum Augiam, *Oye* vernaculo. Fuit illic olim insignis Abbatia, nunc autem tantùm Prioratus Ordinis Benedictini. Si sanctum Godonem excipias, omnium Abbatum nomina perierunt. Lege Desguerroisium. Albericus initium istius Monasterij seriùs differt in annum Christi DCLXXVI. hæc enim ex ipsius Alberici Chronico manuscripto leguntur apud Dubouchetum inter probationes ad caput sextum prioris partis de vera Origine Regalis Domûs Franciæ: *Anno DCLXXVI. S. Godo nepos S. Wandregisili fundauit in Diocesi Trecensi primam Abbatiam de Oya.*

CONDITVR MONAST. PVELLAR. SVESSION. [e] Tom. 1. Collect. Hist. Franc.

XV. Iisdem circiter temporibus, cùm Ebroinus Maioratu Domûs Regiæ fungebatur, construi cœpit Monasterium puellarum extra muros vrbis Suessionensis, quod posteà translatum est intra ciuitatem, vbi nunc etiam floret sub nomine & patrocinio beatissimæ Virginis. Drausius, ex quo Suessionensem Præsulatum susceperat, duo statuerat erigere Monasteria, in quorum altera viri degerent, in altero virgines. Prius inchoauit absoluítque suis sumptibus in loco quem Rotundas appellabant vt dictum est suprà. Posterius, cùm sibi deessent opes, extruendum curauit ex munificentia Leutrudis insignis matronæ, quæ nupserat Ebroino. *Eâ tempestate*, inquit Author [e] vitæ, *quâ Ebroinus in Regio Palatio habebatur præ ceteris præcipuus, & consiliis Regis intimus, necnon & inter*

AN. CH. 661.

CLOTAR. III. R. 6.

CHILD. II. R. 2.

*Primates Regia dignitatis nobilißimus, sapedictus Episcopus proinde delegit priùs votum suum reuelare auricula nobilißima matrona Leutrudis, prædicti Principis Ebroini coniugis. Petiit siquidem ab ea, & humili prece depoposcit, vt pro Dei timore simul & amore dignaretur voto suo satisfacere, scilicet quòd suaderet viro suo, vt aut licenter daret sibi facultatem construendi locum vita virginum in quolibet locorum vicinarum partium, aut ipsa cum viro inciperent ipsum diligenter perficiendum pro salute animarum suarum. Cuius petitionibus votiuis pia coniunx fauens, viro suo hoc ipsum faciendum, aut sibi facere permittendum sedulò suasit, ac precibus autem eius inclinauit. Qui tam sua coniugis, quàm etiam sancti Dei piis exhortationibus & votiuis precibus victus, quod petebant, se facturum, seu permissurum fieri spopondit. Fundatum est itaque Monasterium extra Suessionica ciuitatis murum, supra ipsum Axona * alueum. In quo vir Dei Drausius cum prædicta matrona statuerunt chorum sacrarum virginum ibidem Deo dignè famulantium.* Per illa tempora Monasterio sancti Medardi præerat Autbertus Abbas, cui posteà successit Warinbertus Drausio Suessionensem Episcopatum adhuc regente, vt constat ex Appendice vitæ S. Medardi subiectâ [a]; nec audiendi, qui locum inter Episcopos Suessionenses Autberto tribuunt.

* *Aisne.*

[a] Ap. Sur. d. 8. Iun.

XVI. MVMMOLVS FIT ABB. FLORIAC. SVSCIPIT AYGVLPHVM.

Rigomarus primus Abbas sancti Petri Floriacensis, *quinquennio expleto*, vt Aimoinus à Duchesnio editus sub finem operis sui testatur, *ex hoc transiens seculo, successorem accepit nomine Mummolum. Hic bonus pastor dum creditum sibi à summo veróque Pastore Deo augmentare gregem studeret, quendam innocentis vita virum vocabulo Aygulphum Blesensi * castro haud ignobili genere ortum suscepit, ad seruiendum Christo conuersum.* Ceterùm Mummolus seu Mummulus Floriacensi Cœnobio præpositus fuit à Leodebodo sancti Aniani Aurelianensis Abbate, de quo rursum post sex annos verba faciemus.

* *Blois.*

XVII. PHILIBERTVS ABB. RESBAC. ADIT VARIA MONASTERIA.

Hoc anno, Philibertus Abbas Resbacensis, vt Monasterio suo meliùs proficeret, adiit varia, quæ conspicua erant in Francia seu Neustria, in Burgundia, & in Italia, Regulásque sanctorum Basilij, Macarij, Benedicti & Columbani studiosè perlegit. Vtrumque Ermentarius in eius vita sic docet. *Quia perfecti viri semper perfectiora sectantur, cœpit Sanctus vir Domini Sanctorum Cœnobia circuire, vt aliquid emolumenti ex successione sanctitatis acciperet, lustrans Luxonium & Bobium vel reliqua Cœnobia sub norma sancti Columbani degentia, atque omnia Monasteria qua intra suum gremium Francia & Italia ac tota concludit Burgundia, astutâ intentione prouidens vt prudentißima apes, & quicquid melioribus florere vidit studiis hoc suis traxit exemplis. Basily sancti carismata, Macary regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctißima, lectione frequentabat assiduâ. Sicque onustus virtute aromatum, sequacibus sanctum monstrabat exemplum.* De Regulis Sanctorum Basilij, Macarij, Benedicti & Columbani copiosè disseruimus [b] suprà.

[b] Ad an. 496. 544. 590. 650.

XVIII. STATVS FRANCIÆ.

In vita Sanctæ Bathildis hæc leguntur ab Auctore Gallo coætaneo scripta. *Tunc etenim precellentibus Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco & Domno Audoeno, seu & Ebroino Maioredomûs, cum reliquis senioribus vel ceteris quampluribus, & Regno quidem Francorum in pace consistenti. Tunc enim nuper & Austrasij pacifico ordine ordinante Domnâ Balthide, per consilium quidem seniorum, receperunt Childericum filium eius Regem Austri, Burgundiones verò & Franci facti sunt vniti.* Hæ duæ periodi duo diuersa notant tempora. Posterior designat annum Christi sexcentesimum sexagesimum quo Childericus Austrasiæ regnum suscepit, & vox *nuper* indicat hoc antè contigisse quàm id quod priore continetur. Prior autem testatur Regnum Francorum, id est, Neustriæ ac Burgundiæ, cùm Austria penes imperium Childerici iam esset, in pace constitisse, strenuè in id incumbentibus Chrodoberto Episcopo Parisiensi, Audoeno Episcopo Rotomagensi, & Ebroino Maiore domûs Regiæ. Nec quidquam videtur obesse, quominùs huic anno conueniat, nam Maioratum Regiæ domûs gerit Ebroinus, Audoenus in Cathedra Rotomagensi sedet, in Parisiensi Chrodobertus Importuni, de quo suprà, successor.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2. XIX. CHRODOBERTVS EP. PARISIENSIS

Ecclesiam Parisiensem post Chrodobertum rexit Sigoberrandus, cui successit Agilbertus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto, vt ex Historia [a] Bedæ probabimus. At isti Chronologiæ refragari videtur sanctus Audoenus in literis, quas Surius [b] vitæ sancti Eligij subiectas ita publicauit. *Domino sancto & à nobis in charitatis vinculo iugiter amplectendo Rodoberto Papa, Dado salutem. Vitam beati Eligij, quam nuper, frater charissime, descripsimus, per præsentem latorem strenuitati argutiæque vestræ emendandam direximus. Quæsumus ergo, vt sepositis paululùm curis exterioribus, studium illic adhibeas quantocyùs, & si quid fortè aut meâ aut Notariorum incuriâ in verbis vel syllabis incompositum aut minùs aptum deprehenderis, iuxta prudentiam tibi collatam studiosè emendes, nobísque demum emendata restaures.* Audoenus enim post obitum Clotarij Regis, id est, post annum Christi sexcentesimum sexagesimum-nonum, cùm fratres Clotarij Childericus & Theodoricus in viuis superstites essent, vitam sancti Eligij à se scriptam testatur. Nam postquàm Eligij de Clodoueo déque ipsius Clodouei vxore ac liberis prophetiam enarrauit, ipsius prophetiæ partem impletam, partem alteram nondum impletam esse sic ait in Codice manuscripto quem non semel laudauimus citauimúsque. *Cùm Rex & Regina pacificè consisterent, Eligius talem de ipsis & filiis habuit visionem. Vidit in visione noctis Solem circa horam diei tertiam clarè procedentem subitò disparere, & ecce Luna tribus Stellis circumdata cursum Solis solitum procedens Stellis permanentibus excepta est. Post hæc cùm illas tres Stellas ad horam penè Meridianam accedere, ac vicissim radiis suis sese repercutere prospexisset, eximior earum sublata est. Deinde aliâ subtractâ vna sola remansit, quæ cursum Solis imitans valdè fulgebat, & tantò vberiùs quantò magis ad Occidentem propinquabat. Hic est ordo visionis. Post mortem Clodouei, relicta Reginâ cum tribus pueris reget Regnum Francorum. Quâ defunctâ vnus ex ipsis tandem cadet, & post modicum alius Regno priuabitur, tertius verò tenens Monarchiam solus dilatabitur super omnes. Cuius visionis magnam partem completam iam videmus. Mortuo Clodoueo, & Reginâ, & primo filio, de aliis duobus filiis superest secundùm prophetiam adimplendum.* Et in editione [c] Suriana. *Cùm Rex & Regina pacificè & amanter victitarent, talis Eligio oblata visio est. Adspiciebam, inquit, in visione noctis Solem sub diei horam tertiam clarè lucentem, repentè disparere. Cùmque insolens prodigium intentè contemplarer, video repentè ceu dimidiam oriri Lunam, tribus in orbem vallatam Stellis, eâque viâ ingredi, quâ solet quotidie Sol recurrens. Ecce autem dum hîc quoque attonitus defigo obtutus, mox Stellis manentibus Luna euanescit. Deinde illas tres accuratè considerans Stellas, ad horam penè meridianam video eas accedere, vicissímque suis se radiis cadere, & eam, quæ inter eas præstantior erat, de improuiso non apparere. Cúmque duæ reliquæ inter se coniungi viderentur, dicto citiùs alterâ earum obscuratâ & sublatâ, vna sola remansit, eáque recto tramite Solis cursum imitans, magno tandem lumine aucta est, quantóque ad Occidentem magis ferebatur, tantò eius lux copiosiùs propagabatur. Porrò vbi ad vltimum peruenit occubitum, tantam vim luminis ex se diffudit, vt Solis splendorem vincere videretur. Huius autem visionis hæc est interpretatio. Defuncto Clodoueo Rege, qui sine dubio breui desinet esse in humanis, aliquandiu Regina coniunx eius cum tribus filiolis Francorum Regnum obtinebit. Illâ autem sublatâ, & filiis in Regno relictis, vnus ex iis cadet, nec diu pòst alter quoque è duobus Regno priuabitur. Tertius verò solus obtinebit Monarchiam, erítque eius magna gloria & potentia. Huc vsque Eligius. Nos verò dubitare non debemus ita fore vt prædixit, cùm iam nonnulla impleta videamus. Nam & Clodoueus Rex intra breue tempus in pace obiit, & Regina coniunx cum tribus paruulis ad paucos annos regnans, filiis posteà reliquit Principatum. Paucis interim labentibus annis, maior natu dum pacificè regnat, excedit è viuis, duobus relictis fratribus, de quibus quid futurum sit, solus Deus nouit.* Item in editione [d] Dacheriana. *Cùm Rex ac Regina pacificè gratéque consisterent, talem relationem de eis in diebus illis Eligius prædixit. Aspiciebam, inquit, in visione nocturna ceu Solem circa tertiam diei horam properantem, claréque prælucentem, subitò nusquam comparuisse, cúmque adhuc informe prodigium solerter intende-*

[a] L. 3. c. 26. 27. 28.
[b] D. 1. Dec.
[c] D. 1. Dec.
[d] Spicil. 5.

AN. CH. 661. CLOTAR. III. R. 6. CHILD. II. R. 2.

intenderem, conspexi illicò, & ecce quasi media oborta Luna tres circumquaque vallata Stellas eo teneri tramite visebatur, quo Sol recurrens quotidie vertitur. Itaque cùm & hoc portentum attonitus expectarem, mox intra mirantis obtutum, Stellis permanentibus, Luna fortuitu exempta est. Post hæc verò cùm anxius tres illas considerarem Stellas ad horam penè Meridianam accedere, ac vicißim suis radiis sese repercutere, ea quæ eximior ex tribus videbatur, ex improuiso sublata duas tantùm reliquit in propatulo, deinde cùm simul duæ illæ comitari viderentur, dicto citiùs vna earum obscuratâ atque substractâ vna tantummodò remansit in palàm, quæ sola recto tramite Solis cursum imitans magno demùm fulgore rutilabat, quantóque ampliùs ad Occidentem declinabat, tantò vberiùs claritas eius latè propagabatur, at vbi ad Vltimum Occidui latum peruenit, tantam claritatem suarum lampadarum profudit, vt potißimam Solis claritatem superare videretur. Hic est itaque ordo visionis. Post mortem Clodouei Regis (nam absque dubio citò defungetur) aliquanto tempore obtinebit hoc Francorum Regnum relicta eius Regina cum tribus paruulis; postquàm verò & ipsa Regno fuerit exempta, tribus filiis in Regno relictis, vnus demùm ex ipsis cadet, & post hoc haud longo spatio ex duobus quoque Regno vnus priuabitur, tertius verò solus Monarchiam adeptus dilatabitur super omnes affines suos, atque magnificabitur, & obtinebit sub ditione sua tria hæc regna, & sic visio hæc consummabitur. Huc vsque Eligius, sed nos minimè diffidere conuenit, quòd verba eius consequantur effectum, præsertim cùm hæc iam aliqua ex parte completa cernamus, cetera verò quæ nondum impleta sunt, ex consideratione præcedentium impleri è proximo non dubitamus. Nam secundùm eius sententiam & Rex Clodoueus infra paucum tempus, hoc est anticipans triginta dies in pace obiit, eiúsque demùm relicta Regina cum paruulis, paucis annis regnum obtinens, postmodum iure Regio exempta filios in Principatum reliquit, ac non post multos annos maior natu ex ipsis qui potißimum ius tenere videbatur, dum quietè tranquilléque regnaret, diem obiens, duos superstites fratres reliquit. De visis iam quid agatur, solius Dei iudicio definiri conuenit. Verùm esto. Scripserit Audoenus vitam sancti Eligij post obitum Clotarij Regis cùm Childericus & Theodoricus Clotario fratri superstites regnarent, eámque vitam Rodoberto seu Roberto Episcopo legendam corrigendámque transmiserit, an statim Rodobertus ille seu Robertus dicendus est Parisiorum Episcopus? Certè nec talis ab Audoeno vocatur in literis suprà recitatis, nec talem se nuncupat in suis ad eundem Audoenum seu Dadonem, has enim sic auspicatur. *Domino verè Sancto, culmine Apostolico sublimato, mihíque modis omnibus venerabiliter præferendo, Domino & Patri Dadoni, Rodobertus peccator.* Rodobertum aut Robertum (duplex enim nomen apud Surium legitur) Episcopum Parisiensem primus asseruit idem Surius, qui prælaudatis duabus epistolis pro suo libitu hos titulos affinxit. *Epistola beati Audoeni ad Robertum Episcopum Parisiensem de vita S. Eligij.* Et, *epistola Roberti Episcopi Parisiensis quâ beato Audoeno respondet.* Id verò præstitit, quia Chrodobertum Antistitem Parisiensem, cuius mentionem fieri sciebat in vita sanctæ Bathildis, confudit cum Chrotberto Episcopo, qui Diœcesim Turonensem administrare cœpit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto, superstésque Clotario ac Childerico Regibus vixit. Sanctus Audoenus vitam sancti Eligij à se scriptam transmisit ad hunc Chrotbertum Ecclesiæ Turonensis Episcopum Metropolitanum, de quo plura dicemus suis locis. Interim ex nostra sententia Importuno, quem sanctus Landericus antecesserat, in Episcopatu Parisiensi proximum successorem suffice Chrodobertum, tum Sigoberrandum, deinde Agilbertum, quem Beda [a] maximis laudibus non semel exornauit.

[a] L. 3. 4. 5.

AN. CH. 662.
CLOTAR. III. R. 7.
CHILD. II. R. 3.

ANNVS
CHRISTI 662.
CLOTARII III. R. 7.
CHILDERICI II. R. 3.

I. TRVDO DISCEDIT METIS.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo, qui Remacli Traiectensis Episcopi decimus seu postremus fuit, Trudo Presbyter in Hasbaniam rediit iussu Clodulfi Metensis Antistitis. *Transactis plurimis annis*, inquit Donatus, id est, annis sex vt interpretamur, *cùm iam vir Dei* Trudo *repletus esset diuinâ scientiâ, maturúsque tam ætate quàm moribus existeret*, siue cùm secundùm nostram supputationem annos iam quatuor ac triginta natus esset, *perfectúsque miles ad sustinenda immò vincenda omnia nequissima tela inimici excreuisset, illum sæpedictus Pontifex* Clodulfus *ad partes Hasbaniæ ob vtilitatem beatissimi Stephani seu ob profectum cunctorum habitantium Hasbaniam* * *felici iure destinauit, proficiscentémque vt pius Pater ita ammonuit, dicens. Perge, ô fili mi, & patrios iam visita fines. Oportet enim te populum non paruum Deo & sancto Stephano adquirere, perfectámque plebem Domino seruituram in tua hæreditate parare. Nec tibi molestum videatur, charissime, quòd hinc te proficisci iubeam, necesse est enim vt tuis exigentibus meritis plurimi religiosi viri in tua hæreditate, quam sancto Stephano tradidisti, Deo deseruiant. Consensit autem beatus Trudo pij Patris ammonitionibus, lacrimánsque ab eo benedictionem petiit*, &c.

* *La Hesbaye.*

INVISIT REMACLVM EP. TRAIECT.

Profectus igitur vir Dei comitante diuinâ gratiâ ad Tungrensem vrbem vsque peruenit, in qua suum spiritualem Patrem Remaclum Episcopum repperit. Qui cùm cognouisset aduentum venerabilis Patris gauisus est valdè, & honorificè suscepit illum. Cùm autem percunctasset omnia quæ erga eum Dominus egisset, qualiterue in diuinis legibus eruditus existeret, magnas Deo gratias referens, his verbis laudes Domino depromens ait. Laus sit tibi Domine, Domine Pater cæli & terræ, quòd adimplere dignatus es verbum, quod mihi exiguo seruo tuo reuelasti, & quia incolumem reduxisti ornatum præceptis tuis carissimum hunc filium meum Trudonem. Concessit autem illi Episcopus verbum Domini in cuncta parrochia sua prædicare & Missas in omnibus Ecclesiis celebrare, insuper & licentiam illi dedit, vt sicut in pueritia sua Deo vouerat Ecclesiam in sua hæreditate ædificaret. Magnas autem gratias vir Dei retulit Episcopo, suáque benedictione susceptâ viam quæ ducebat ad domum patris sui felici cursu prosperóque gressu carpere cœpit. Venerabilis igitur Trudo dum in ipsius itineris calle consisteret, ad cuiusdam fidelis viri domum vesperascente iam die declinauit. At ille vir cernens in eo spiritum sapientiæ, & sanctæ religionis habitum recognoscens, cum summa reuerentia suscepit eum. Cùm autem refecti essent, & hora iam requiescendi spatium postulasset, vir Dei ab hospite suo petiit, vt in pomœrio suo sibi ad requiescendum locus præpararetur. Erat enim æstiuum tempus. Consensit autem hospes viri Dei petitionibus, & illi ad dormiendum in pomœrio honorificè parauit locum. Dum autem Dominus omnium ostendere voluisset qualem virum hospitio suscepissent, vxor eiusdem fidelis viri intempesto noctis silentio à somno expergefacta surrexit, aperióque ostio domûs suæ in pomœrium respexit, & ecce illi magnæ ammirationis apparuit signum. Nam dum respexisset locum, in quo venerabilis Pater iacebat, apparuerunt ei duo luminaria miri splendoris, quorum vnum nimio fulgore coruscabat ad pedes illius, & aliud ad caput. Conterrita autem mulier cum festinatione reuersa ad virum suum, nuntiauítque ei mirabilem illam visionem. Ille verò statim surrexit, perrexerunt simul vt viderent si adhuc illa luminaria arderent. Egressi verò illud ammirabile lumen perseuerantiùs coruscare viderunt. Non autem erat ipsius luminis candor, sicut præsentium luminariorum, quæ ad effugandas nocturnas tenebras fungimur, sed in

modum clarißimi radiis Solis resplendens, ita vt æstimarent quòd per illum totus refulsisset. Ambo igitur nimio stupore perculsi non ausi sunt ei propiùs accedere, sed cum magna ammiratione gratias Omnipotenti Domino retulerunt, quòd talem virum in hospitio suscipere meruerunt. Cùm autem gallicinij tempus afforet, venerabilis Pater more solito à somno surrexit, vltimam noctis partem in psalmodiis & orationis ad lucem vsque perduxit. Facto autem mane hospitibus suis gratias referens voluit cœpti itineris perficere cursum. Surgentes verò hospites illius prostrauerunt se ad pedes eius postulantes ab eo, vt saltem illic vnius diei spatium præsentis sanctitatis ipsius meruissent habere consortium. Adquieuit vir Dei petitioni eorum, eósque toto illo die cælestibus monitis salutísque æternæ remediis instanter erudiuit. Petiuit quoque ab illo isdem vir fidelis, vt filium suum sacro lauacri fonte baptizaret. Ille verò petitionibus eius libenter obtemperans, statim baptizauit illum, & à sacro fonte suscepit, in vtroque pater illi spiritualis effectus. Læti autem pariter illum diem in præceptis diuinis vsque ad vesperum perduxerunt. Peracto autem noctis spatio valdè mane venerabilis vir Dei hospitibus suis vale dicens per viam suam pergere cœpit. Recedente autem viro Dei prædictus hospes illius surrexit, Oratoriúmque, in loco quo venerandus Pater requieuerat, ob memoriam ammirandæ visionis construxit, totámque villam ex nomine sancti Patris Trudonecas appellauit, quo etiam vocabulo vsque in præsentem diem ab omnibus nuncupatur. Peruenit igitur beatißimus Trudo ad domum suam & ad hæreditatem parentum suorum, quam olim lege inuiolabili sub cartarum descriptione Deo & sancto Stephano tradiderat. Quis autem enarrare poterit, quanto gaudio quantóve honore cognati & vicini illius eum susceperint, & quanta lætitia omnes illic habitantes obtinuerit, immensas Omnipotenti Domino gratias agentes, qui sanctum Trudonem incolumem illis retransmittere dignatus est? Igitur venerabilis Trudo memor verbi sui & voti quod Deo in sua pueritia vouerat, Ecclesiam in sua hæreditate construxit in honore beati Quintini Martyris & sancti Remigij Confessoris in loco qui vocatur Sarchinnio sito super fluuio Cysindria. De cuius Ecclesiæ dedicatione agemus sub Episcopo Theodardo.

PERVENIT AD DOMVM SVAM.

In Chronico Trudonensi reditus sancti Trudonis in Hasbaniam collocatur II.
anno Remacli Episcopi decimo, vt Bollandus obseruat in Commentario præuio vitæ [a] sancti Hadelini. Annum autem decimum Remacli Episcopi cum hoc anno, Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo, coincidere patet apud eundem Authorem ex eodem Chronico, vbi anno post Trudonis reditum tertio, nempe inchoato, Monasterium, quod Trudo Sarchinij construxerat, tertio Idus Octobris ab Episcopo Theodardo dicatum asseritur, illa enim dici nota designat annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quartum, vt suo loco probabimus. Reuerso in Hasbaniam Trudone, statim Remaclus Episcopatu Traiectensi se abdicauit. *Non multò pòst*, inquit Theodoricus [b] in vita sancti Trudonis, *sanctus Episcopus pertæsus secularium tumultuum, abrenunciatis omnibus, in suo Stabulensi Monasterio Monachum profitetur, ibíque secum habitans, sanctum Theodardum, posteà Christi Martyrem futurum, in Episcopatu successorem habuit.* Hæc Theodoricus ab Harigero [c] mutuatus est, apud quem ista leguntur. *Beatus Sacerdos, quod semper habuit in voto, remotioris vitæ solitudinem desideranter aggressus, ex permissu Regis & Principum, & Cleri sibi commißi, totiúsque plebis assensu, sanctum Theodardum probabilis vitæ virum sibi succedere instituit, & in Stabulaus Monasterium, vbi remotus à curis sæcularibus Deo liberiùs vacaret, secessit.* Per Regem, cuius permissu Remaclus Episcopatum deseruit, noli Sigibertum intelligere vt Notgerus in vita sancti Remacli censuit, sed Childericum Sigiberti ex fratre Clodoueo nepotem, qui tertium regni sui apud Austrasios annum iam agebat. Secedente in Monasterium Remaclo, Landoaldus Archipresbyter, qui per nouem annos in administranda Diœcesi strenuè illum adiuuerat, quietioris quoque vitæ genus arripuit. Theodardus autem, priusquàm ad Episcopatum promoueretur, Cœnobiis Stabulensi & Malmundariensi præerat. Ad hunc Episcopum missus est à patre Lambertus, vt in eius vita testantur hæc synchroni Scriptoris à Duchesnio publicata frag-

[a] d. 3. Feb.

[b] Ap. Sur. d. 23. Nou.

[c] Cap. 57.

REMACLVS ABDICAT EPISCOPATVM.

THEODARDVS PII EP. ERVDIT LAMBERTVM.

AN. CH 662.
CLOTAR. III. R. 7.
CHILD. II. R. 3.

menta. *Eo tempore, oppido Triiectinse Cathedrâ Pontificali præsidebat Summus Pontifex Theodardus, diuinæ dispensatione prouidentia. Protinus pater eius commendauit eum supradicto Antistiti, diuinis dogmatibus, & monasticis disciplinis in aula Regia erudiendum. Erat enim adolescens sapiens, aspectu amabilis, colloquio affabilis. Rectâ conuersatione tam cum Pontifice, quam & in domo Regia militare cœpit, itaut omnibus hominibus erat conformis,* &c. *Tantùm gratiarum in conspectu Pontificis inuenire meruit, vt quasi filium, hæredem & successorem sibi eum eligere adoptabat, si licitum ei fuisset, propter institutionem canonicam.* Et politiore stylo Godeschalcus. *Eodem tempore, diuinæ dispensatione prouidentiæ, Summus Pontifex Theodardus oppidi Traiectensis Cathedra Pontificali præsidebat, pater eius commendauit eum præfato Antistiti, diuinis dogmatibus, & monasticis disciplinis in aula Regia erudiendum. Postquàm autem ipse adolescens, per doctrinam Theodardi sapiens effectus est, virtute adultus, aspectu amabilis, colloquio affabilis, rectam in omnibus conuersationem habens, tam cum Pontifice quàm in domo Regia militare cœpit, itaut omnibus hominibus sine personarum acceptione, doctrinæ luci:fluos riuos effunderet, & cùm iam esset formâ præcipuus, fortis & velox, agilis multùm, firmus in bello, animo clarus, specie ornatus, charitate, & castitate, atque humilitate fundatus, omnibus curis sæcularibus prætermissis, operi tantùm lectionis vacabat, & tantam gratiam in conspectu Pontificis inuenire promeruit, vt (si secundum institutionem canonicam licitum ei fuisset) eum quasi filium, hæredem, & successorem sibi eligeret, atque adoptaret.* Ceterùm Ægidius obseruat Theodardum consecratum fuisse in Episcopum *à Sancto Cuniberto Archiepiscopo*, de cuius felici ad Deum transitu agemus anno sequenti, idque non parum confirmabit nostram opinionem de tempore quo Theodardus Ecclesiæ Traiectensi præsidere cœpit. Remaclus Stabuletum & Malmundarium aliquandiu solus iterum rexit, donec Papolenum Monasterio Malmundariensi præfecit. Qua de re sic Harigerus [a]. *Dominus & pater Papolenus visendi eum* (Remaclum) *gratiâ venit, sed eius magisterio adhærere, quam retrogredi, praelegit. Susceptus est officiosissimè, & conuersatus absque offensione, plures ad imitationem sui ædificabat. Tandem, cùm ad multam perfectionem profecisset, à beato Remaclo Malmundariensi Monasterio præfectus est. Ipse verò Sanctus, Stabulaus reuersus, ad maiora deinde se virtutum opera accinxit.* Habet similia Notgerus in vita sancti Remacli, sed in eo corrigi debet, quod Malmundarienses Monachos, qui Regulam sancti Columbani sequebantur, *Sancti Benedicti instituto* tunc vixisse tradit.

[a] Cap. 59.

III. Illis diebus Felix erat Aruernorum Episcopus. Huius decessor Genesius colitur tertio Nonas Iunij, sepultúsque fuit in Ecclesia sancti Symphoriani, de qua sic Anonymus [b] qui de Ecclesiis & altaribus Claromontensibus scripsit. *In Ecclesia Sancti Symphoriani, altare Sancti Symphoriani, altare Sancti Amantij, altare Sancti Marcelli, vbi S. Genesius requiescit.* Ecclesia illa de nomine eiusdem Genesij dicta fuit posteà Ecclesia sancti Genesij vel Ecclesia sanctorum Symphoriani & Genesij, & post sancti Quintiani Translationem Ecclesia sanctorum Symphoriani Martyris, Genesij & Quintiani Confessorum, & hodie Collegialis est Ecclesia sancti Genesij. Lege Sauaronem in notis ad Ecclesiam sancti Symphoriani & ad Ecclesiam sancti Stephani in qua beatus Quintianus primùm tumulatus fuit.

[b] L. 1 n. 25.

GENESIVS EP. ARVERNORVM SEPVLTVS IN ECCL. S. SYMPHOR.

IV. Felix Aruernorum Episcopus in vita sancti Præiecti laudatur, quòd eidem Præiecto regendum Candidinense Monasterium tradiderit, vnde Wion & Menardus coniiciunt Præiectum illius loci Monachum & Abbatem extitisse, sed leuis admodum hæc videtur opinio, nam Candidinense * Monasterium, vt Sauaroni placet, non aliud est quàm Cœnobium puellarum Canroennense *, quod beatus Genesius Felicis antecessor haud pridem construxerat. Ceterùm cùm ibidem Præiectus monasticam attenderet disciplinam, & tam animarum lucra quàm ædificiorum structuram proueheret, cuiusdam domûs voluit reparare maceriam, quæ quadraginta pedum numero in altum eleuabatur. Omnia erant iam parata, structores stabant in machina, subitò à fundamentis paries

PRÆIECTVS REGENDO COENOBIO PVELLARVM PRÆPONITVR.
* Cambdains.
* Chantoin.
MIRACVLIS CLARET.

AN. CH. 662.
CLOTAR. III. R. 7.
CHILD. II. R. 3.

cecidit veteranus, vnúmque ex operariis ita suâ mole oppressit, vt nullatenus inter lapides & puluerem appareret. *Tunc vir Domini repletus anxietate, lacrymarum imbrem effndit ante præsentiam Christi, institque molem lapidum amoueri, vt saltem vel quassatum cadauer traderet sepulturæ. Quod cùm fuisset impletum, inuenerunt hominem ita sanum, ac si nullo casu fuisset ruina præuentus.* Ad commendationem Felicis Antistitis addi potest Præiectum ab eo Sacerdotem ordinatum fuisse, Præiectus enim qui sub sancto Gallo & Progolo Episcopis Clericus, sub sancto Genesio Diaconus prædicatur, Presbyter erat cùm electus est Pontifex, vt succederet Gairoaldo, qui quadraginta tantùm diebus post Felicem sedit.

ORDINATVR PRESBYTER.

V.

NIVARDVS EPISCOPVS REMENSIS.

Qui Niuardum Remensem Episcopum hoc anno, vel præcedenti, aut etiam citiùs mortuum tradunt, turpiter hallucinantur, superstes enim in viuis erat vltimo Childerici Regis anno, id est, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio. Longè probabilius est hoc anno locum illi per visionem in somniis ostensum, in quo Villarense Monasterium à Barbaris olim dirutum felici tandem exitu post tot inutiles conatus repararet. Quâ de re sic Flodoardus[a] in eius encomio. *Commutauit à Banone & Theoderamno fratribus locum quendam super fluuium Maternam de rebus Remensis Ecclesiæ, vbi construxit Monasterium, quod dicitur Altumuillare *, petente Berchario Abbate, qui ab eo petierat locum sibi dari, vbi cum fratribus suis Monachis sub Regula Patrum Sancti Benedicti & Sancti Columbani viuere posset. Quod & idem Præsul facere studuit, vt infrà dicetur.* Et paulò pòst. *Quadam die veniens de villa Sparnaco *, simul comitante secum præfato Abbate Berchario, visum sibi est transito flumine debere paululum requiescere, sícque caput in sinum sedentis reclinans Berchary obdormiuit, & visum vidit, scilicet columbam locum sylua circumire, & in fago quadam post hanc circuitionem resedisse. Idque tertiò columbam videt eandem egisse, tumque cælos petisse. Quam visionem sicut ipse in somnis, ita prædictus quoque Bercharius vigilans fertur aspexisse. Quo viso compunctus idem cœpit Abbas fundere lacrymas. Experrectus autem B. Præsul à somno ex lacrymis eius sibi faciem reperit vdam, & interrogans quæ illi causa fletûs existeret, accepit eum propter sui ruinam fleuisse operis. Inuicémque sibi visa referentibus traditur Pontifex hac etiam Dei seruo cuidam nomine Banoni, cuius erat ipsa possessio, visa narrasse. Qui Oratorium in honore Sanctæ Crucis ibi habens conuersabatur. Qui etiam postquàm visionem Præsulis & eius agnouit voluntatem, obtulit ei eandem possessionem suam, partem quoque possessionis cuiusdam fratris sui nomine Baldini. Alterius verò fratris Theoderamni nomine causam retulit, quòd esset scilicet in factione contra Reolum Comitem, qui Remensis pòst extitit Episcopus, pro filiis eius, quos occiderat in vltione filiorum suorum, quos Reolus pro latrocinio quod exercebant suspendio necauerat. Vnde Domnus Niuardus eum cum Reolo, qui neptem suam filiam Childerici habebat vxorem, pacificauit, & sic ipse Theoderamnus simul cum ceteris fratribus suis eandem possessionem Sancto Niuardo commutatione ab eo sumptâ tradidit. Mox idem Præsul succidi syluam iubens, in honore Sancti Petri & omnium Apostolorum ibi construxit Ecclesiam, & vbi resedisse columbam viderat, altare instituit, collectísque seruis Dei Monasterium ordinauit.* Habet eadem Anonymus in vita sancti Berchari prolixiore stylo, additque totius operis curam eidem commissam fuisse Berchario, cuius industriam atque diligentiam in ædificando Monasterio sic commendat. *Præcedente in condictionem æterni tabernaculi tanto ac tali auspicio, tibi, inquit ad beatum Bercharium Præsul eximius* Niuardus, *tuaque industria hoc sanctum opus dispono committere, vt quem prudentiâ & sanctitate perfectum esse non dubitem, principem quoque in constructione cælestis fabricæ te iure consciscam. Quod vir Domini ardens vt erat, totis affluens in Dominum visceribus, cui inimica profectò omnis ignauia, amica verò indefessa laboris efficacitas, libenter suscipiens tanto amplectitur desiderio, quanta in eo supernâ gratiâ meritorum excreuerat magnitudo,* &c. *Itaque in supradicti prædio loci, quod in decliui montis latere situm, vt reducto profusiùs sinu pulcherrimam blandiens amœnitas planiciem reddat, in prospectu suo subiacentia Maternæ fluminis longè latéque littora circumdef-*

[a] L. 2. c. 7.

* Hautvilliers.

* Esparnay.

CONSTRVIT ALTVMVILLARE MON.

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

picit, vt mulcenti quadam visionis voluptate compellat, ab antiquo Altumuillare nomen acceperat, Angelica designationis spatium, vt cælitus ostensum fuerat, murorum ambitu iactis fundamentis complectitur, omnésque illius parietes ædificij ad modum columbæ in aere permeantis suspectâ permensione metatur. Nec ante animi cultoris opera destitit, donec supernâ annuente prouidentiâ, Childerici etiam Regis Francorum ac sacri Antistitis opitulante clementiâ opus quod ad laudem Dei susceperat optatâ perfectione compleret. Ea verò arbor, quæ quondam opulentissima fagus steterat, in qua columba cælitus emissa pridem resederat, ac suo gyro situm Monasterij volando expresserat, habitâ deliberatione succiditur, & collatis in commune omnium votis in loco cui affixa erat, aram in veneratione B. Petri Apostolorum Principis statuit. Ad consecrationem vero Basilicæ cum sancto Niuardo Metropolitano Pontifice alij etiam Episcopi conueniunt, Clerus omnis & numerosæ plebes vtriusque sexus irruunt, Proceres quoque non minori voto concurrunt, & per beati viri Berchary opus laudabile in Dei laudibus pari omnes magnitudine iocunditatis exultant. In Australi verò eiusdem montis latere aliam struxit vir Sanctus Ecclesiam, quam genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi semper Virginis Mariæ nomine decreuit honorandam. Septa etiam Monasterij & vniuersas competentis ordinis officinas ad sectandam vitæ regularis obseruantiam prudentissimè composuit, monasticæ conuersationis viros religiosos aggregauit, & cuncta quæ huic ordini commoda indicabantur, diligenter impleuit. Copiosos verò prædiorum sumptus sanctissimus Antistes tam ea quæ sui iuris esse videbantur, quam quæ etiam beato interueniente Berchario ab ipsis Francorum Primoribus obtineri poterant, in necessarios seruorum Dei delegauit vsus, vt videlicet in eodem Cœnobio & merito & numero populus Deo seruiens vtrinsque laboribus augeretur.

CONSTITVIT ABBATEM BERCHARIVM.

Ita conditum fuit Monasterium Altum-villare, cui primus Abbas præpositus est Betcharius. Niuardus Remensis Episcopus hoc opus ter suscepit, semel atque iterum irrito conatu, vt ex Flodoardo retulimus post Concilium Namnetense cùm tota Francia penes vnum Clotarium erat, tertiò felicissimo tandem exitu vt ex eodem Flodoardo & ex Anonymo proximè narrauimus. Extruendi Monasterij consilium vix inierat, cum Betcharium, cuius operâ vti volebat, è Cœnobio Luxouiensi Remos euocauit. Inde fit vt idem Bercharius etiam ante ostensam columbæ visionem Abbas à Flodoardo nuncupetur. Visionem autem illam in hæc coniicimus tempora, quia Monasterium Altumuillare constructum ait Anonymus *Childerici Regis Francorum opitulante clementiâ.* Inter illustres viros, qui Monasterium recèns conditum expetierunt, hi præcipuè nominantur, Theoderamnus, Gedeon & Reolus, de quibus ita Flodoardus. *Theoderamnus Monachus efficitur. Sed & Reolus filium suum nomine Gedeonem, de nepte sancti Niuardi susceptum, ibi Monachum fieri petiit, & rerum suarum partem ad idem Monasterium condonauit. Beatus autem Niuardus constituto Monasterio quicquid possessionum ante Episcopatum fuerat visus habere, ad ipsum locum tradidit, & exhortatus beatum Reolum, religionis ei suasit assumere habitum.* Theoderamnus partem possessionis, in qua ipsummet Monasterium erectum est, Niuardo Episcopo factâ commutatione tradidit. Gedeon Reoli Comitis filius matrem habuit filiam Childerici qui frater erat prælaudati Niuardi Pontificis. Reolus ex Comite seu Rectore territorij Remensis, hortante Niuardo Antistite, factus est Monachus, deinde post eiusdem Niuardi mortem ex Monacho creatus est Episcopus Remensis.

VI. CONCEDIT PRIVILEGIVM.

De Priuilegio, quod Niuardus Episcopus eidem Altiuillarensi Monasterio contulit, ita scribit Flodoardus. *Priuilegium quoque, poscente præfato Abbate Berchario, eidem contulit Monasterio, vt scilicet ipse Præsul idem Monasterium in sui iuris dominatione dum adiuineret conseruaret; & vt post suum decessum Remensis Episcopus ipsum Cœnobium gubernet, & eosdem Monachos contra omnes aduersantes defendat; ipsi verò Monachi potestatem habeant Prælatum sibi regulariter eligendi, prout in descriptione ipsius Priuilegij continetur.* Totum istud Priuilegium in tres distinguitur articulos. Primus exponit ius peculiare Niuardi Episcopi, secundus iura Pontificum qui Niuardo successuri sunt, tertius iura Monachorum.

Niuardus præter iura, quibus futuri Remenses Episcopi gaudebunt, hoc sibi AN. CH.
speciale vendicat, vt loci, vbi Monasterium erigendum curauit, tanquam 662.
possessionis, quam commutatione factâ comparauit, dominus habeatur ma- CLOTAR.
neátque quamdiu viuet. Ius Episcoporum, qui Niuardum subsecuturi sunt, III. R. 7.
duplex statuitur; vnum spiritale, Monasterium enim Episcopali iurisdictio- CHILD.
ni subest, ideóque dicitur ab Episcopo gubernari: ciuile alterum, traditur II. R. 3.
enim idem Monasterium in protectionem Episcoporum, qui Monachos cultui tantùm diuino vacantes ab omni quorumcumque hominum molestia tueri debeant. Ius verò Monachorum in sola Abbatis electione consistit, iis enim potestas conceditur, vt Abbatem sibi regulariter eligant.

Vitam sancti Niuardi scripsit Almannus Altiuillarensis Monachus, qui flo- VII.
rebat anno Christi octingentesimo nonagesimo, vt Trithemius asserit libro secundo [a] de viris illustribus Ordinis Benedictini. Hoc opus vno fermè seculo antiquius est Historiâ Flodoardi, non peruenit ad nostras manus, repertum fuit inter membranas Altiuillarenses à Sammarthanis [b], qui non aliunde à se descriptum testantur hoc exordium seu fragmentum Priuilegij suprà laudati. *In nomine Patris & Fily & Spiritûs Sancti, Amen. Ego Niuo siue Niuardus etiamsi peccator Episcopus, dum omnes Episcopi fratres mei, etiam & de viru Christianis, & de bonis hominibus, Monasteria secundùm Regulam Sanctorum Patrum ædificare non cessarent, petiit nos Bercarius Abbas cum fratribus suis, vt talem locellum eis perquirere deberemus in nostra proprietate, vbi ipsi secundùm Regulam Patrum sancti Benedicti & sancti Columbani viuere deberent, & pro nobis die noctuque misericordiam Domini debeant deprecari, vt in futurum veniam de peccatis merear obtinere. Sed cùm minimè hic talem locellum in nostra proprietate inueniremus, qui ipsis Monachis ad Monasterium faciendum placuisset, repertus est nobis vnà cum ipsis locellus qui dicitur Altiuillaris in fine Remensi super fluuium Materna prope villam Disiacum, quem à Bauone & Theoderamo de villis Ecclesiæ nostra concambiuimus, vnde & ipsa instrumenta ex hoc in archiuis Ecclesiæ continentur, villam quoque Disiacum cum Ecclesia & altari B. Timothei Martyris, in cuius parochia situs est Altiuillaris locus, eidem Monasterio legaliter confirmauimus. Sed sic pensitauit ipse Bercharius vnà cum fratribus suis pro nouissimis temporibus, vt dum aduiuimus ipsum Monasterium, quod dicitur Altiuillare, quod ego pro æterna beatitudine vel pro remedio animæ nostræ ad sanctam Regulam conseruandam ædificaui, in honore Sanctorum Petri & Pauli, seu etiam sancti Ioannis & ceterorum Martyrum & Confessorum, quorum pignora ibidem venerari noscuntur, in nostra potestate debeat esse, vt ipsos Monachos meliùs delectet secundùm disciplinæ ordinem & regula viuere, vel quietè residere, & taliter nobis consenserunt de fratribus meis Coepiscopis etiam & de comitibus nostris Archidiaconis, seu & Abbates, vel etiam Clerus noster Remensis, etiam & de viris illustribus, quorum manibus subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta.* Priuilegij, quod Niuardus Episcopus Altiuillarensi Monasterio contulit, tres sunt partes apud Flodoardum, primam tantùm complectitur charta proximè descripta, quapropter à Sammarthanis exordium & fragmentum prædicti Priuilegij rectè nuncupatur.

[a] Cap. 50.

[b] Tom. 4. Gall. Christ. ad Altumuillare.

Bercharius, qui primus Abbatis officio in Altiuillarensi Monasterio func- VIII.
tus est, diutissimè degit in Cœnobio Luxouiensi sub Abbate Waldeberto eiúsque decessore Eustasio, qui sancto Columbano proximè successerat. Almannus & Flodoardus locis suprà citatis insinuarunt Monachos Altiuillarenses vixisse *sub Regula Patrum sancti Benedicti & sancti Columbani.* Duas Regulas, vnam sancti Benedicti, alteram sancti Columbani, simul conflarunt, neque enim ausi sunt aut repudiare Regulam sancti Columbani quæ Bercharij temporibus in Monasterio Luxouiensi vigebat, aut non admittere Regulam sancti Benedicti, quæ florebat in omnibus fermè Galliarum Cœnobiis, cùm ipsi narrationem de conditu Monasterij Altiuillarensis instituerent. Ætate autem Bercharij, prælaudatæ distinguebantur Regulæ, nec in vno eodémque custodiebantur Monasterio. Quapropter solam sancti Columbani vt Mona-

AN.CH. chis Luxouienſibus, ſic Altiuillarenſibus olim præſcriptam arbitramur, quódque hoc loco de Alto-villari dicimus, id quoque de aliis Monaſteriis in ſimili
662. cauſa dictum volumus.

CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

IX. Iiſdem temporibus in eadem Remenſi Diœceſi florebat Monaſterium ſancti Baſoli *, vt conſtat ex Flodoardo [a], qui Niuardum Remenſem Epiſcopum ob inſignem munificentiam erga illud Cœnobium ſic etiam commendat. *Dedit quoque ſub Priuilegij iure ad Monaſterium Sancti Baſoli Eccleſiam in Viriziaco * in honore Sanctæ Mariæ constructam cum omnibus ad ipſam pertinentibus, ſimúlque locellum qui Waßiacus * dicitur. Immunitatem quoque ipſis Monachis ſub Perrone Abbate ibidem Deo ſeruientibus inſtituit, vt nullus Eccleſiaſticorum Iudicum eos indebitè in aliquo inquietare præſumeret, ſed eis quieto ordine ſub ſancta regula viuere ac Deo ſeruire liceret.* Ceterùm Monaſterium, cui Perto cum Abbatis titulo præfuit, à loco dictum eſt primò Viriziacum, deinde S. Baſoli Eremitæ nomen accepit. Lege quæ de SS. Eremitis Baſolo & Balſemio dicta ſunt Tomo ſuperiore [b].

* S. Baſle. [a] L. 2. c. 7. * Verzy. * Vaſſy. MONAST. S. BASOLI. [b] Ad an. 625. n. 129. & ſeqq.

X. Niuardo Epiſcopo Remenſi, prærer Childericum de quo ſuprà, frater fuit Gundebertus ſeu Guntbertus aut Gomberrus. Hic ſæpè laudatur à Flodoardo, mortuâ priori coniuge Bertam duxit, duóque Monaſteria puellarum, vnum Remis, alrerum apud Auennacum erexit. De Cœnobio Remenſi ſic loqoirur Flodoardus [c]. *Puellare Monaſterium Remis habetur ſitum ad portam, quæ olim Collaticia, ſcilicet à conferendis mercibus, nunc Baſilicaris * vocatur, eò quòd circa ſe Baſilicis dudum præ ceteris portis abundaſſe feratur, ſeu quòd euntibus ad Baſilicas in vico Sancti Remigij conſiſtentes peruia fuerit. Quod Monaſterium Domnus Guntbertus vir illuſtris in honore Sancti Petri conſtruxiſſe traditur, quod Regale vel Fiſcale vocatur, eò quòd in Regali poteſtate vſque ad moderna tempora fuerit habitum.* Pro Auennacenſi Cœnobio [d] citat Hincmari literas ad Teutbergam Auennacenſem Abbatiſſam, quibus palàm fit, *quòd Niuardus Remorum Archiepiſcopus de rebus Remenſis Eccleſiæ Monaſterium Altiuillarenſe conſtruxerit, & frater eius de ſuis proprietatibus, & quæ alij boni homines ad eundem locum dederunt, Auennacum extruxerit Monaſterium.* Super Auennaco non parum difficulratis oboritur, quia Flodoardus in alio loco ſcribit Cœnobium puellare apud Auennacum à Berta conſtructum fuiſſe, poſtquàm Guntbertus ab ea receſſiſſet maritima petiturus loca, vbi Monaſterium virorum condidit, & à barbaris enecatus palmam Martyrij reportauit. *Domnus Guntbertus*, inquir Flodoardus [e], *relictâ coniuge, maritima petens loca, illic etiam Monaſterium quoddam condidiſſe fertur, vbi & à barbaris decollatus fuiſſe traditur. Relicta verò ipſius Domna Berta Cœnobium puellare apud Auennacum *, Domino ſibi locum per Angelum demonſtrante, conſtruxit.* Hic Flodoardi textus cum Hincmari literis ab eodem Flodoardo ſuprà ciratis apertè pugnat. Standum cenſemus ab Hincmaro. Vt igitur Remenſe Monaſterium ſic & Auennacenſe ſub Niuardi fratris Pontificatu conſtruxir Guntbertus, de quo ſicut de Berta coniuge recurret ſermo ſub Reolo Niuardi ſucceſſore. Nec opinioni noſtræ refragatur Sigebertus [f], cùm ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-primum ſic ſcribit. *Sanctus Niuardus Remenſis Archiepiſcopus, & Reolus ſucceſſor eius, Bercharius quoque Martyr qui fuit Abbas primus Autiuillarenſium, Sancta etiam Bertha Martyr & Abbatiſſa, clarent in Gallia.* Illo enim anno florebant, ſanctus Niuardus Epiſcopus Remenſis, ſanctus Reolus qui ſancto Niuardo ſucceſſit in Epiſcopatum, ſanctus Bercharius qui fuit primus Abbas Alti-Villaris, & ſancta Berta quæ fuit Auennacenſis Abbatiſſa. Sed Chronographus non intendit aſſerere, quòd eodem illo anno, cùm Niuardus Epiſcopatum Remenſem adminiſtraret, Berta Monialibus Auennacenſibus cum Abbatiſſæ titulo præfuerit. Ceterùm, cùm apud Flodoardum non ſatis pateat, verùm Gunrbertus qui Remis Monaſterium puellare conſtruxit, idem ſit cum Gundeberto Niuardi Epiſcopi fratre, qui lite contendit cum Reolo Niuardi ſucceſſore, multùm lucis affert Hincmarus, dum, teſte eodem Flodoardo [g], ſcribit Auennacum Monaſterium à Niuardi fratre conſtructum fuiſſe. Situm eſt Auennacum in Epiſcopatu Remenſi.

[c] L. 4. c. 46. * Porte-Baſſeille. REMENSE S. PETRI. [d] L. 3. c. 27. AVENNACVM. [e] L. 4. c. 47. * Auenay. [f] In Chron. [g] L. 3. c. 27.

Ad

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

XI. MONASTERII GEMMETICENSIS INITIA.

Ad hunc annum referri debent initia Cœnobij Gemmeticensis. Ne citiùs à nobis collocarentur, ætas sancti Agili Resbacensis Abbatis, résque ab eius successore Philiberto hactenus gestæ prohibuerunt. Seriùs verò differri nequeunt, si gesta Bathildis Reginæ, quæ locum concessit, actáque sanctæ Austreberthæ, quæ quatuordecim duntaxat annos in Monasterio Portensi commorata est, attentè perpendantur. Quamuis autem hæc Chronologia validissimis argumentis innitatur, non desunt, qui Gemmeticense Monasterium Clodoueo superstite, aut viuente Dagoberto Clodouei patre, constructum putent, quia cùm agitur de prædicti Cœnobij conditu, nomen Dagoberti Regis in vita sanctæ Austrebertæ, Clodouei nomen in vita sancti Philiberti legitur.

XII. Sanctæ Austrebertæ vitam, quam Surius & Bollandus publicarunt [a], scripsit Anonymus, qui vixit eàdem ætate, vt in operis sui prologo satis declarat his verbis. *Ne splendidam nostro seculo lucernam imperito viderer obfuscare eloquio, admodum formidabam.* Deinde cùm miraculi priùs patrati quàm Austreberta Pauliacensi Cœnobio præficeretur, testem appellat adhuc superstitem, quæ tunc erat adolescentula & apud eandem Austrebertam educata fuerat. *Habebat secum,* inquit, *vnam tantùm adolescentulam, quæ apud eam fuerat educata, & hoc miraculum narrare consueuit, quæ huc vsque viuit in corpore.* Auctor ille Dagoberti Regis temporibus erectionem Gemmeticensis Monasterij sic ascribit. *Vir Domini Philibertus, Monachorum egregius Pastor, Cœnobiorum nobilis fundator, in saltu Gemmeticensi, ex prædicti Regis Dagoberti largitione, Monasterium à primo lapide fundauit, construxit, ac Deo famulantium Monachorum nobili congregatione ornauit.* Antequàm prædicta sanctæ Austrebertæ vita referretur in literas, edita fuit & vita sancti Philiberti, sed stylo adeò impari, vt Auctor apud Lectorem in contemptum venerit. Id colligitur ex prologo vitæ sanctæ Austrebertæ præfixo, in quo Scriptor fatetur se vereri, ne parem sortem ob imperitiam suam à peritioribus experiatur, si vitam beatæ Austrebertæ scribendam suscipiat. *Vereor,* inquit, *ne mihi contingat, quod cuidam contigisse audiui, qui rogatus à quibusdam, viri reuerentissimi Presbyteri, Monasterij Gemmeticensis quondam Abbatis, vitam atque conuersationem stylo diligentiùs exarare, illicò scribere conatus est. Cúmque ad manus cuiusdam legendi gratiâ peruenisset, despexit & irrisit, & longè aliter textum & ordinem multò meliùs dissimiliter immutauit.* Ista sancti Philiberti vita nondum in lucem prodiit. Aliam, quam Petrus Franciscus Chiffletius inter probationes Historiæ Trenorciensis publicauit, nono seculo scripsit Ermentarius imperante Choschino Abbate. Posteriorem hanc, cuius etiam exemplar integrum cum primigenia phrasi nacti sumus, quoties occasio se dedit, citauimus hactenus, nec inposterum aliam allegare decreuimus, licèt in elegantiorem à Surio [b] mutata reperiatur. Ibi verò primordia Gemmeticensis Monasterij sub Clodoueo Rege sic collocantur. *Cùm diuina virtus lumen illius,* nempe Philiberti, *super candelabrum vellet constitui, vt lampas Sanctitatis illius longè latéque fulgurante radio deberet splendere, posuit in corde viri sanctissimi, vt ex proprio labore deberet Monasterium fabricari. Tunc à Rege Francorum Clodoueo nomine atque eius Regina vocabulo Baldechilde, locum in pago Rothomagensi, quem vetusto vocabulo Gemmeticum antiquitas consueuerat nominare, obtinens suggestione supplici, nobile ibidem Cœnobium visus est extruxisse.* Hæc sententia recepta fuit à Monachis Gemmeticensibus, inter quos nominatissimus ille Willelmus, qui Normannorum Historiam libris octo complexus est, Gemmeticum constructum ait [c] *Clodouei Francorum Regis tempore, à beato Philiberto, opitulante Reginâ Baltilde.*

[a] D. 10. Feb.

[b] D. 20. Aug.

[c] L. 2. c. 6.

XIII. Tot Auctoribus vnum duntaxat opponemus, qui sanctæ Bathildis vitam literis commendauit, & ceteris qui de Gemmeticensis Monasterij primordiis verba fecerunt, ob antiquitatem meritò debet anteponi. Scribebat enim superstite Theudofredo Episcopo, qui factus est ex Monacho Luxouiensi primus Abbas Corbeiensis anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-septimo. Ætatem suam clarissimè his indicauit verbis. *Monasterium, quod vocatur Cor-*

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

begia, Bathildis *in Ambianensi parochia suo opere construxit, vbi venerabilis vir Teudofredus, nunc enim Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi fratrum præfuit, quem de Luxouio Monasterio præfata Domna Baltidis à reuerendissimo viro Domno Galberto quondam Abbate expetiuit, & mirabiliter ad ipsum Cœnobium fratrum condirexit.* Et paucis interiectis, sic extulit munificentiam, quâ Bathildis Regina Philibertum iuuit prima iacientem fundamenta Gemmeticensis Monasterij. *Ad Gemeticum Domno Fileberto viro religioso & siluam magnam ex fisco, vbi ipsum Cœnobium fratrum situm est, & multa munera, & pastus de fisco Dominico ad ipsum Monasterium construendum concessit.* Tunc autem totus erat in piis operibus, quibus Bathildis Regina post obitum Clodouei viri sui vacauit, exponendis. Res enim ab ea gestas ante coniugium, inito matrimonio, & in viduitate, per ordinem adeò accuratè digessit, vt nihil ad obseruandam temporum successionem ac distinctionem desiderari possit. Bathildis mortuo marito regnum Francorum, quia filij minorennes erant, per annos octo gubernauit, tum secessit in Kalense Monasterium, vbi reliquam vitam sanctissimè transegit. Quandiu Regnum administrauit, pacem per vniuersam Franciam fouit, totámque operam collocauit in conficiendis rebus, quas Deo gratas vtilésque populo fore iudicauit. Exterminauit Simoniam, prauas sustulit consuetudines, datâ præceptione vetuit ne quis è Christianis seruus fieret, Abbates ac Monachos vt religiosè viuerent hortata est per epistolas, multa munera contulit non tantùm vt Monasteria Corbeiense, Gemmeticense aliáque construerentur, sed etiam vt Luxouiense, Iotrense aliáque iam constructa ditarentur locupletiùs. Rerum adeò diuersarum præcipuas epochas notauimus, supplemento ceterarum erit hæc ab Auctore vitæ conglobata narratio cunctorum operum, quæ post obitum viri piè peregit, donec in Kalense Monasterium Deo soli famulatura se recepit. *Rex Clodoueus vir eius migrauit à corpore, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò post eum filius eius Clotharius quondam Francorum Regnum. Tunc etenim praecellentibus Principibus, Chrodoberto Episcopo Parisiensi, & Domno Audoeno, seu & Ebroino Maioredomûs cum reliquis senioribus vel ceteris quampluribus, & Regno quidem Francorum in pace consistenti. Tunc enim nuper & Austrasij pacifico ordine ordinante Domnâ Balthide, per consilium quidem seniorum, receperunt Childericum filium eius Regem Austri. Burgundsones verò & Franci facti sunt vniti. Et credimus Deo gubernante iuxta Domnæ Balthidis magnam fidem ipsa tria Regna tunc inter se tenebant pacis concordiam. Factum est tunc per eam, nutu Dei, & exhortantibus bonis Sacerdotibus, vt hæresis Simoniaca, quæ prauo vsu maculabat tunc Dei Ecclesiam, itaut dando præmia contra ordinem Episcopatus acciperet, vt præfata Domna Balthidis hoc impium nefas prohiberet, vt nullum præmium pro percipiendis sacris gradibus omnino intercurreret. Ordinauit etenim, imò per eam Dominus, vt & alia pessima & impia cessaret consuetudo, pro qua plures homines sobolem suam interire potiùs quam nutrire studebant, dum diuidebat actiones publicas, quæ eis ex consuetudine ingerebantur accipere, vt illis ex hoc grauissimum rerum suarum inferrent damnum. Prohibuit hoc ipsa Domna pro mercede sua, vt hoc nullus facere præsumeret. Ex quo facto copiosam & valdè magnam mercedem expectat. Quis enim valeat dicere quanta & quàm magna commoda per Religiosorum Cœnobia largiendo integra prædia & siluas magnas ad cellulas seu Monasteria construenda concessit? Quod etiam & ipsa, velut proprias & peculiares Dei caussas, id est, Kala * in Parisiaco, Deo sacratas puellas Cœnobium magnum Virginum ædificauit. Vbi Dei famulam religiosam valdè puellam Bertilam, in locum Matris esse primam constituit. In quo & ipsa venerabilis Domna Balthidis dein conuersari sub integra Regula Religionis & in pace requiescere consueuerat, & in veritate deuota id voluntate compleuit. Prætereundum non est (quia ad laudem Dei pertinet quicquid in Sanctis & electis suis mirabiliter operatur, quia vt dicit Scriptura, mirabilis Deus In Sanctis suis, enim Spiritus paraclitus operatur interiùs per bonam voluntatem, vt scriptum est, omni volenti bonum Deus cooperator est illi, sicut & isti magna fœmina constat veraciter fuisse, vt enim præfati sumus, neque nostra, neque*

* Chelles.

*cuinslibet, vt arbitror, lingua, quamuis erudita, enarrare eius omnia bona valet) quantas consolationes vel adiutoria ad casas Dei vel eius pauperibus pro Christi amore, quantásque opportunitates & commoda ipsa largita est, qualéque Monasterium, quod vocatur Corbegia *, in Ambianensi parochia suo opere construxit, vbi venerabilis vir Domnus Teudofredus, nunc enim Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi fratrum præfuit, quem de Luxonio Monasterio præfata Domna Baltidis à reuerendissimo viro Domno Golberto quondam Abbate expetiuit, & mirabiliter ad ipsum Cœnobium condirexit, qui nunc vsque & laudabiliter constat. Quid enim? Ad Gemeticum * Domno Fileberto viro religioso & siluam magnam ex fisco vbi ipsum Cœnobium fratrum situm est, & multa munera, & pastus de fisco Dominico ad ipsum Monasterium construendum concessit. Quantáque verò Domno Legeberto, ad Curbionis Monasterium, & villam mognam vocabulo Nugoretum, & talenta multa argenti vel auri, etiam ipsum regale quod ipsa cingebatur cingulum, de supra sacris lumbis suis deuotè abstulit, & fratribus in eleemosynam ipsum direxit. Et hoc totum hilari vultu ac benigno dispensabat animo. Vt enim Scriptura dicit. [Hilarem datorem diligit Deus.] Similiter ad Fontanellam * eulogia multa concessit & compendia. Quanta enim ad Luxonium *, vel ad reliqua Monasteria in Burgundia, & multas villas integras concessit, & pecuniam innumerabilem direxit. Quid? Ad Iotrum * Monasterium, vnde illas sacras Virgines cum præfato Domna Bertilane Abbatissa ad Kala suum Monasterium accersiuit, quanta ibi munera & de agris & pecunia multa contulit? Similiter & ad Monasterium sancta Fara * sua sæpè larga munera direxit. Ad vrbem verò Parisiacam ad Sanctorum Basilicas seu Monasteria & villas magnas & multas contulit, & muneribus plurimis ditauit. Quid plura? Vt diximus, hoc narrare non valeo per singula, sed neque vix media; totáque dici eius bona omnino à nobis non possunt. Præterire enim non debemus, quod per seniores Basilicas Sanctorum, Domni Dionysij, & Domni Germani, & Domni Medardi, & sancti Petri, vel Domni Aniani, seu sancti Martini, vel vbicumque eius pertinxerit notitia, Pontificibus seu Abbatibus suadendo pro zelo Dei præcepit, & epistolas pro hoc eis direxit, vt sub sancto regulari ordine fratres in ipsa loco consistentes viuere deberent. Et vt hoc libenter acquiescerent, in Priuilegio eis firmare iussit, vel etiam immunitates concessit, vt meliùs eis delectaret pro Rege & pace, summi Regis Christi clementiam exorare. Et illud commemorandum est, quia ad mercedis eius cumulum pertinet, quod captiuos homines Christianos ire prohibuit, datásque Præceptiones per singulas regiones, vt nullus in Regno Francorum captiuum hominem Christianum penitus transmitteret, sed magis & ipsa dato pretio captiuos plurimos redimere præcepit, & liberos relaxauit, & alios ex ipsis in Monasterio intromisit, & præcipuè de gente sua viros & puellas quamplures denutritas secum. Quantas enim attrahere potuit, eas per sancta Cœnobia commendauit, & vt pro ea exorarent eis præcepit. Etiam ad Romam vsque ad beati Petri & Pauli Basilicas, vel ad Romenses pauperes plura ac larga sæpiùs direxit munera.* Hæc vsque Auctor vitæ coætaneus.

AN. CH. 662.
CLOTAR. III. R. 7.
CHILD. II. R. 3.

* Corbie.
* Iumiege.
* Fontenelle.
* Luxenil.
* Iouare.
* Faremonstier.

Alter paulò recentior, qui priorem expoliuit, res easdem narrat elegantiore ac nitidiore stylo, & superiori, qui fuit obscurior, instar Commentarij esse potest. De pace per vniuersam Franciam stabilita sic ait. *Dominus Rex Clodoueus vir eius, gratiâ euocante diuinâ, XVII. Regni sui anno, rebus exemptus humanis migrauit à seculo, relictâque sobole filiorum cum matre, suscepit illicò filius eius Lotharius Rex, Francorum regimen. Et suffragantibus præcellentissimis Principibus Chrodoberto Episcopo Parisiaco & Domino Andoeno Rothomagensi, seu Ebroino Maiore domûs, cum reliquis Senioribus, vel ceteris quamplurimis Regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace constituitur. Austrasij quoque pacifico ordine, faciente Dominâ Bathildâ (per consilium quidem Seniorum) receperunt filium eius Childericum Regem in Austrasiam, factique sunt Burgundiones & Franci,* id est, Noustrasij, *ex illo tempore vniti. Et credimus quia Deo gubernante iuxta Dominæ Bathildis magnam fidem accidit, vt ipsa tria Regna, quæ anteà dissidebant discordiâ, tunc inter se tenerent pacis concordiam.* De simonia è Regno eliminata. *Factum est præterea per eam nutu Dei, exhortantibus Sacerdotibus, vt hæresis* XIV.

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

Simoniaca, qua prauo vsu maculabat tunc Ecclesiam Dei (dando scilicet contra instituta Canonum pro adipiscendis & conferendis Episcopatûs vel Presbyteratûs seu reliquorum Ordinum gradibus, præmiorum munera) à Catholicis viris pelleretur penitus, & hoc impium nefas prohiberetur, ne vllus Præsul pro percipiendis vel dandis sacris gradibus daret aliquid aut acciperet. De praua consuetudine abrogata, quam haud ita clarè prior Anonymus explicuerar, distinctiùs hæc habet. Ordinauit etiam, imò per eam Dominus, vt & alia pessima consuetudo cessaret, pro qua multò plures homines filios suos magis mori quàm nutrire optabant, dum de eis videbant exactiones fieri, publicáque, ex antiqua consuetudine, mala vrgebantur accipere, vnde grauissimum rerum suarum patiebantur damnum. Quam nequissima cupiditatis auaritiam ipsa pietate plena pro mercede æterna retributionis prohibuit, & vt in perpetuum seruaretur legibus tradidit, ex quo facto copiosa merces valdè à Domino reddita ei manet. De Calensi Monasterio copiosiùs differit. Quis valet enarrare, quanta & quàm magna commoda per Religiosorum Cœnobia virorum & sacratarum virginum largiendo integra prædia & siluorum aditus ad cellulas seu Monasteria construenda concessit? Cui etiam non videbatur liberalitas mognarum rerum, quas per diuersa Cœnobia conferebat, ad votum sui desiderij esse sufficiens, si non & ipsa inter ceteras & peculiares Dei casas Monasterium construeret, quod cælum esset adspiciens. Pro qua re iam quasi pelagus seculi calcans, Cœnobium Cala Sanctimonialium

*La Marne. Virginum in pago Parisiaco, vndà circumfluente Matrona * fluminis, decentissimè ædificauit. Quem locum villis affluentissimis & quamplurimis cum earum redditibus amplificauit & exornauit, & in potestate sub religione ibidem viuentium sacrarum Virginum tradidit, quarum quidem vocabula propter tædium quorumdam legentium reticui. Illud verò inserere curaui, quod rectoribus eiusdem loci valdè timendum est. Nam Præceptum super iis constituit, & manibus propriis ac filiorum consignauit, ac Regum sigillo roborauit, in quo testamento interminata est per inuocationem Sanctæ Trinitatis & diem tremendi iudicij, vt nemo per succedentia tempora rector quilibet eiusdem loci quicquam de iis villis, quas in vsus diuersos eiusdem Cœnobij habitantium contulerat, subtraheret, aut beneficiorios exinde haberet, quod si fecisset, pœnis infernalibus cum Iuda traditore nequissimo & cupidissimo afflictus sine fine puniretur. Ipsúmque testamentum qui quæsierit in archiuo eiusdem Ecclesiæ reperiet. In hoc etiam Cœnobio venerabilem religiosámque valdè Dei famulam Bertiliam, quam ex Monasterio Iodro euocauerat, in locum Matris primam constituit. Vbi & ipsa acceptabilis Deo & electa margarita Bathildis deinde conuersari sub integra Religionis Regula & in pace quiescere decreuit, quod in veritate, prout tempus posteà permisit, deuotâ voluntate compleuit. Cetera Monasteria, quibus Bathildis dona contulit, eodem, quo prior Auctor, ordine nominat, orditúrque à Corbeiensi. Prætereundum quoque non est, quia ad laudem Dei pertinet quicquid in Sanctis suis & electis mirabiliter operatur, sicut Scriptura dicit. [Mirabilis Deus in Sanctis suis.] Cuius quidem Spiritus paracletus est cooperator interiùs per bonam voluntatem, dando præcepta vitæ æternæ, vt scriptum est. [Omni volenti bonum Deus cooperator est & administrator.] Quod vtique in ista sacra & clarissima, vnde sermo agitur, Domina Bathilde veraciter ac liquidò claret ostensum. Vt enim vera loquamur, neque nostra, neque cuiuslibet, vt arbitror, lingua, omnia eius, quæ operata est, bona in consolationibus pauperum, in ædificiis & adiutoriis Ecclesiarum Dei, in opportunitatibus omnium indigentium, vel qualia aut quanta in incommoditatibus commoda exhibuerit, enarrare valet. Nec illud etiam est reticendum inter præcipua quæ fecit, quòd Monasterium, cuius vocabulum est Corbeia in pago Ambianensi suo opere fundo tenus struxit, ac deuotum gregem Monachorum inibi esse constituit. Vbi & venerabilis vir Dominus Theodofredus, nunc Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi fratrum præfuit, quem de Luxonio Monasterio præfata Domina Bathildis à reuerendissimo Walberto (is à priori Auctore Galbertus, à Iona in prologo vitæ sancti Columbani præfixo Waldebertus vocatur, & ex tertio Abbate Luxouiensi creatus est Meldensis Episcopus) Abbate expetiuit, & ad prædictum fratrum Cœnobium condirexit. Ipsum autem Monasterium, sicut à fundamento, ita

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

villis & prædiis omnibúsque sumptuum necessitatibus fundauit & ornauit. Quo in loco eius memoria, vt decet venerabiliter recolitur, atque laus eius, quamdiu in hac valle plorationis spiritus humanos rexerit artus, canetur. Posteà loquitur de Gemmeticensi, cuius initia sub Clotario Rege minorenni, cùm Bathildis eius mater Neustriam & Burgundiam administrabat, hoc anno collocamus. *Domino etiam Philiberto Gemmeticensis Monastery Abbati, magno & religioso viro, siluam magnam ex fisco, vbi ipsum Cœnobium fratrum situm est, magnáque munera & pastus de fisco Dominico ad ipsum Monasterium construendum concessit.* Subiicit nonnulla de Curbionensi, quæ quamuis priori Scriptori non aduersentur, haud parum difficultatis pariunt. Ait enim à memoria recessisse nomen villæ, quam Bathildis Regina dono tradidit, & illi villæ Nugaretum nomen est apud alterum Auctorem. Id verò quomodò fieri potuit, vt posterior Auctor, cui prioris scripta præ manibus fuisse ex vtriusque operis collatione constat, oblitus esset nominis, cuius iam prior meminisset? Quidam ex hoc loco suspicantur Authorem, quem priorem dicimus, ætate posteriorem fuisse, qui seruato alterius sensu vitam quoque beatæ Bathildis ediderit stylo minùs polito, suppleuerítque villæ nomen quod in alterius scripto desiderabatur. At eum, qui rudior est, antiquiorem: alterum, qui politior, recentiorem putamus, nec huic aliud scribendi consilium fuisse, quàm vt priorem emendaret. Defectus autem memoriæ, quem vulgaris textus adscribit Auctori, quoniam his tantùm verbis notatur *(cuius vocabulum à memoria recessit)* non imputandus est Auctori qui nomen villæ de industria reticere potuit, sed descriptori qui prædicta obtrusit verba loco nominis quod Auctor omiserat. Textus ita legitur. *Multa quoque talenta argenti vel auri Domino Laygoberto*, seu Legeberto, vt alter Auctor scribit, *Curbionensis Monastery Abbati cum villa quadam, cuius vocabulum à memoria recessit* (hæc phrasis, *cuius vocabulum à memoria recessit*, à Neoterico superaddita videtur) *ad opus seruorum Dei illic habitantium contulit. Sed & ipsum Regale quo cingebatur cingulum à sacris lumbis abstulit, fratribúsque in eleemosynam dedit, totum hoc agens & dispensans benigno animo & hilari, sciens scriptum.* [*Quia hilarem datorem diligit Deus.*] *Taliter ipsa beata anima thesaurizabat sibi ex terrenis pecuniis thesaurum in cælo, vbi fur non appropiat, nec tinea demolitur.* Idem Author mendosus est in iis quæ sequuntur de Monasterio Fontinellæ seu Fontenellæ aut Fontanellæ. *Similiter*, inquit, *& ad Fontinellam & Logium plura concessit beneficiorum compendia.* Meliùs hæc apud alterum. *Similiter ad Fontenellam eulogia multa concessit & compendia.* Amanuensis errore vox *eulogium* in hasce duas *et logium* perperam abiit; nam Logij Monasterij nulla vspiam mentio fit. Pergit Auctor, & de Monasteriis Luxouiensi, Iotrensi, sanctæ Faræ, ac Parisiensibus vtriusque sexûs hæc addit. *Ad Luxouium etiam & ad reliqua Burgundiæ Monasteria villas perplures ad integrum concessit, & pecuniam innumerabilem direxit. Ad Iotrum quoque Monasterium, vnde sacras Virgines cum præfata Domina Bertilia Abbatissa ad Cœnobium Kalense direxit & accersiuit, villam nouam sitam in pago Vermandensi, cum pluribus aliis muneribus, quibus ipsum locum honorauit & ditauit, deuotè contulit. Monastery quoque Sancta Fara non immemor fuit, quia villam quamdam cum sæpè datis muneribus ac largissimis donis eidem delegauit. Ad Basilicas necnon & Ecclesias, seu ad Monasteria sanctorum virorum sacrarúmque Virginum Parisiaca vrbis, villas laudabiles ac multas condonauit, & muneribus plurimis amplificauit. Sed, vt diximus, enarrare non valemus, vel media dicere per singula, quæ ipsa Dei cultrix & amatrix in omnibus, prout potuit, perfecit bona. Numquam ab ea defuit bonum, quia Deum amabat, ac summo studio diligebat illum.* Nec omittit sex insignes Basilicas seu Monasteria, sancti Dionysij in agro Parisiensi, sancti Germani in Parisiensi suburbano, sancti Medardi prope ciuitatem Suessionum, sancti Petri Floriaci ad Ligerim in Diœcesi Aurelianensi, sancti Aniani Aureliæ, & sancti Martini Turonis; de quibus hæc proximè subdit. *Præterire verò non debemus quòd per præcipuas Sanctorum Basilicas, almi scilicet Dionysij, & Diui Germani* (meliùs repones *& Domini Germani*, vox enim

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

Dini recentiorem ætatem redolet) *beati Medardi, sancti Petri, ac Domini Aniani, & sancti Martini, vel vbicumque eius potuit dinosci notitia, Pontificibus seu Abbatibus suadendo pro zelo Dei præcepit, & epistolas eis direxit, vt sub sancto regulari ordine fratres in ipsis sanctis locis consistentes castè & sobriè viuere facerent, & vt in hoc libentiùs acquiescerent, Priuilegium eis religionis firmari à filiis fecit, & immunitates concessit, vt meliùs eos delectaret pro Rege & pace, summi Regis Christi clementiam exorare.* Tum exponit Præceptionem, quâ Bathildis prohibuit, ne quis Christianus venundaretur seruúsve fieret. *Illud etiam commemorandum est, quod ad mercedis eius cumulum pertinet, quia captiuos homines Christianos vendere prohibuit, dedítque præceptiones per singularum vrbium regiones, vt nullus in Regno Francorum captiuum hominem Christianum penitus in aliud Regnum transmitteret. Dato etiam iusta remunerationis pretio plurimos captiuos redimi præcepit, & quosdam liberos relaxauit, quosdam verò cum religionis habitu sub Regula in Monasteria transmisit. Præcipuè autem de gente sua viros & puellas quas ipsa nutrierat, sicut semetipsam Deo commendauit, & cœnobialem vitam ducere instituit. Quantos autem, maximè domesticos, de vtroque sexu blandiendo inducere potuit, eos per sancta Monasteria commendauit, vt & pro ea viróque defuncto ac filiorum salute necnon & Regni pace pium Dominum exorarent, præcepit. Tantam enim gratiam diuina clementia eidem concessit, vt suasione proficuâ & eruditione magnificâ multos à seculi vanitate depressos abstraheret, & sub iugo Christi, quod leue est, supponeret. Et verè adoptabat illâ claritate frui, quam Angelus Danieli de iustitia eruditoribus dixit. Quoniam qui erudiunt multos ad prudentiam, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates.* Denique res piè gestas à Bathilde Regni gubernatrice sic claudit. *Basilicas quin etiam Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romæ positas, propter eorum amorem, decentissimè muneribus honorauit. Sed & Romanis reclusis & pauperibus sæpiùs largissima dona direxit.*

XV. Erectum est igitur in Neustria Cœnobium Gemmeticense, cùm Bathildis regnum Clotarij filij minorennis administrabat, & textus ex vita sancti Philiberti suprà citatus ita corrigi debet. *Tunc à Rege Francorum Clotario nomine atque eius matre Regina vocabulo Baldechilde, locum in pago Rothomagensi, quem vetusto vocabulo Gemmeticum antiquitas consueuerat nominare, obtinens suggestione supplici, nobile ibidem Cœnobium visus est extruxisse.*

XVI. Huic Monasterio nomina sunt Gemmeticum & Gemeticum promiscuè.

NOMEN. Gemmeticum à gemma, Gemeticum à gemitu dictum volunt. De Gemmetico sic Ermentarius in eadem vita sancti Philiberti. *Verè digna etymologia nominis, Gemmeticum nuncupatum, qui diuerso vernat decore more gemmarum. Hinc frondium coma siluestris, hinc multiplices arborum fruges, illinc placet vberrima tellus, istinc virentia prata graminibus, hinc hortorum odoriferi flores, hinc vinearum abundant botriones qui turgentibus gemmis lucentibus rutilant in falernis. Cinctus vndique aquis miratur inclitus cespes pascua pecorum congrua, fundens frugem lactiferam. Diuersis terra venatibus apta, auium ibi canora melodia. Sequana parte quadam aquis labentibus suis nauigeris omni vsu hominum aptum cingit locum, vnum tantummodò commeantibus dans ingressum. Nunc ascendens mare ibi eructat, nunc ad sinum rediens aquarum impetus manat. Compendia nauium, commercia plurimorum. Nihil penè indiget, quæcumque ministrantur vehiculis pedestribus & equinis, plaustris etiam atque ratibus. Ibidem Castrum condiderunt antiqui, ibi astant in acie nobilia castra Dei, vbi suspirantes pro desiderio paradisi gemunt, qui gementes rorantibus oculis in flammis vltricibus gemendi non erunt.* De Gemetico & Gemmetico sic Willelmus [a] Gemmeticensis Monachus. *Locus iure Gemetiem vocatur, quia pro suis offensis illuc gemuit, qui in flammis vltricibus gemituri non erunt. Quidam verò à gemma illum vocatum arbitrantur, quia vt gemma in annulo rutilat situ & vbertate fructuum.*

[a] Lib. 1. c. 6.

XVII. Monasterium ipsum ab Ermentario in vita sancti Philiberti secundùm

SITVS. exemplaria, Aceyense, Vallis Lucentis, ac nostrum, sic describitur. *Eius prudentia construxit per quadrum mœnia turritâ mole surgentia, claustra receptionis*

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

mira aduentantibus opportuna. Introrsus domus alma fulget habitantibus digna. Ab Euro surgens Ecclesia crucis instar erecta, cuius apicem obtinet alma Virgo Maria; altare est ante faciem lectuli cum dente beatissimi Philiberti, pictum gemmarum lumine, comptum auri & argenti congerie; ab vtroque latere Iohannis & Columbani ara dant gloriam Deo. Adhæret à Borea Dionysij Martyris & Germani Confessoris Ecclesia, in dextris nobile Sancti prominet Petri oraculum, è latere Sancti habens Martini. Huius viri quippe laude per cuncta dignissimi (nempe Philiberti) Basilica, in qua omnipotenti Deo sedulum exhibebat officium à meridie consistebat, cuius amœnitas incomparabilis omnes qui aderant incredibiliter delectabat. Dormitorium verò respiciens ad Austrum in nonaginta pedum longitudine & quinquaginta in latitudine tendebatur, in quo Solis nimia singula per lecta lux radiat, per fenestras vitrum penetrans, lumen optabile tribuens legentibus. Subter sunt ædes geminæ, duobus officiis opportunæ, hic falerna seruanda conduntur, hic prandia clara parantur. Ibique conueniunt, qui dignè Deo seruiunt, nihil habentes proprium, nullius egentes compendio, quia sperantes in Domino non deficient omni bono, vt verè in eis impleatur scriptum. [Pax multa diligentibus nomen tuum Domine, & non est illis scandalum.] Charitas ibidem fulget mira, abstinentia magna, humilitas summa, castitas ante omnia. Sed & illud mirum, quod à seculo non erat auditum, de belluis marinis inuenerunt compendium. Nam vncis, retibus & ratibus capiuntur pisces marini quinquagenis pedibus, qui ob iuuamina fratrum in escas etiam expellunt tenebras per lucernas, atque contra naturam sui aqua, quæ ignem extinguere consueuit, per nutrimenta pinguedinis ignem nutrit lucerna.

Laygobertus seu Legebertus Abbas Curbionensis, cuius mentio fit in vita XVIII.
sanctæ Bathildis, successit Ragnoberto, hic Launomaro ipsiusmet Monaste-
rij conditori, cuius felicem ad Deum transitum anno Christi quingentesimo
nonagesimo-tertio [a] consignauimus. Ad illum annum pauca descripsimus de [a] No. 2. 3.
Ragnoberto quæ legeramus in vita sancti Launomari. Nuper autem in ma-
nus nostras deuenit Codex manuscriptus, in quo multæ Translationes eius- TRANSLA-
dem sancti Launomari commemorantur, laudatúrque plurimùm Ragnober- TIO S. LAV-
tus seu Rannebertus, quòd eius arte atque industriâ delatæ sint ad Curbio- NOMARI.
nense Monasterium reliquiæ sancti Launomari, quæ priùs apud Carnotum in
Ecclesia sancti Martini tumulatæ quiescebant. Hæc antiquissima fuit sancti
Launomari Translatio, quam ex illo Codice descriptam sic accipe. *Post felices B. Launomari* * *transitus ad superos, Rannobertus vir consummatæ opinionis* * Lomer.
& Monachum in integrum gerens curam suscepit pastoralem, quâ susceptâ commisso sibi gregi & documento prodesse studuit & exemplo. Ille etiam sui prædecessoris pio accensus desiderio qualiter sanctissimam eius glebam ad Curbionense transferret Monasterium sollicitus æstuabat. Hic animum pulsabat affectus. Hoc votis, hoc precibus postulabat. Magnum quidem & qui duplicatum sperabat eius patrocinium, si præsens esset & corpore, quem præsentem non dubitabat intercessione. Ad perficiendum verò, quod anxio versabatur in corpore, nulla se opportunitas offerebat. Beatissimus etenim Launomarus in Ecclesia S. Martini tumulatus, vbi eo tempore Carnotensis Ecclesiæ fuisse sepulturam veteres tradiderunt, nec erat facile sacros inde cineres asportari, ex quibus Carnotensi populo & intercessionis plurimùm accedebat & honoris. Abbas itaque totus ad Dominum conuersus à Deo postulat quod ab homine non audebat implorare. Vnde & ad promerendum sacræ petitionis effectum multiplicatis indulgetur ieiuniis, & deuotior oratio frequentatur. Tandem diuino præeunte consilio duo ex Monachis eliguntur, quibus & vultus ad gratiam & ad furtum solertia deseruiret. Electi legationem suscipiunt, illi susceptum commendant negotium, qui transferendi sacras patrum suorum reliquias filiis Israel præstitit facultatem. His igitur beati Martini Monasterium ingressis, breui tempore nomen ingens affectata comparauit humilitas, religionis etiam atque industriæ tanta in eis indicia claruerunt, vt vni quidem eorum sacrarij custodia, alteri verò familiaris rei dispensatio crederetur, quæ scilicet felicem pollicebantur euentum, & ad tentandum gloriosum latrocinium blandientibus prosperis animabant, quod non multò pòst fecerunt. Nam cùm quadam die diuinitus

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

fuissent inspirati, vt corpus Confessoris transferrent, Monachi opertorium sepulchri magnâ facilitate eleuarunt, statim talem nectareæ suauitatis mellifluæque dulcedinis odorem hauserunt, ac si in eodem Mausoleo spirantia flagrantis balsami odoramenta haberentur multipliciter congesta. Quod cùm qualiter se haberet eiusdem Sancti Patris corpus, aspicerent, ita integrum inuenerunt, ac si præcedenti die fuisset sepultum. Deinde cum fideli deuotione sanctum corpus eleuatum de sepulchro posuerunt in feretro, vt eum è ciuitate Carnotina ad fluuiolum Oduræ * *decimo Kalendas Nouembris in Hymnis & Canticis spiritualibus adducerent. Quod cùm resciuissent Carnotenses, statim armati in equis ad Monachos cucurrerunt, qui timore perculsi statim Sanctum Launomarum inuocauerunt, vt sicut eis reuelauerat se transportari velle ad Curbionense Monasterium, ita eos suis orationibus protegeret, quod ita factum est. Nam fluuiolus ille in tantam subitò sine pluuiali inundatione excreuit magnitudinem, vt extra suos terminos latè per syluas difflueret. Quod cùm vidissent Carnotenses, & frustrà fluuium transire tentassent, dixerunt Sanctum Launomarum magis illum locum diligere, in quo vigiliis & orationibus atque ieiuniis vacans gloriam cæli promeruit, quam illum vbi solummodò corpus humandum dereliquit. Sícque Monachi ad Curbionense Monasterium incolumes peruenerunt.*

* *Eure.*

XIX. Auctor Neustriæ Piæ Pauliacum * illustre Monasterium Virginum, *quatuor leucis ab vrbe Rothomagensi* conditum scribit ab Amalberto siue Amelberto *circa ann.* 664. Nos illius Cœnobij primordia paulò vetustiora censemus. Amelbertus vir potentissimus Monasterium construxit in proprio fundo, qui Pauliacus dicebatur, ibique filiam suam paruulam, cui nomen Aurea, cum aliis Deo sacratis Virginibus manere voluit. Paulò pòst in eadem Diœcesi Philibertus Abbas insignis Gemmeticense Monasterium, de quo suprà locuti sumus, inchoauit decem duntaxar millibus à Pauliaco sequestratum. Fecit locorum vicinitas, vt Philibertus ad suscipiendam Pauliacensis Monasterij curam statim ab Amelberto sollicitaretur, móxque Austreberrham, cuius fama in dies crescebar, è Portensi Cœnobio euocaret. Id autem vel exeunte hoc anno, Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo, vel ineunte sequenti gestum est, Austrebertha enim, ne nuptui traderetur, anno Christi sexcentesimo duodequinquagesimo velamen ab Audomaro Morinorum Episcopo accepit, deinde pacatis parentibus in eorum domo *aliquamdiu* commorara est, donec adiit Portense Monasterium, vbi *per annos quatuordecim* degit. Lege Auctorem [a] vitæ, apud quem hæc proximè subiiciuntur. *Erat illis temporibus vir valdè venerabilis, Philibertus nomine, cuius suprà meminimus. Qui rogatus à quodam viro potentissimo, nomine Amelberto, eò quòd illo in tempore eius opera atque doctrina in fide & religione erant spectata & singularis ab omnibus habebatur, Monasterium, quod in fundo proprio, qui Pauliacus dicebatur, idem Amelbertus construxerat, filiámque suam paruulam, quæ Aurea dicebatur, cum aliis Deo sacratis Christo inibi seruire deuouerat, ad regendum suscepit. Et licèt vir Dei lectione frequenti easdem Dei ancillas instrueret, prædicatione sanctâ doceret, tamen quia necessitas exposcebat, vt talibus rudimentis ab eodem sexu regularis disciplinæ norma inhæreret, prædictus Dei famulus, auditâ iam famâ famulæ Christi Austrebertha, nuntios ad eam mittere studuit, duos videlicet ex Monachis suis, vt ad hunc locum venire deberet. Dei autem famulæ, licèt iam multo tempore exæstuans desideraret eiusdem sancti viri institui disciplinis, tamen vt columna immobilis & firma, Sancti Pauli recordans sententiæ dicentis, non citò moueamini, neque per sermonem, neque per epistolam, ignorans an fortè Deo placeret, ire ad modicum recusauit. Reuersis autem nuntiis, vir Dei per semetipsum ire compulsus, ad Dei famulam festinauit. Ibi verò tunc orta est sancta contentio. Nam omnes illæ famulæ Dei flentes & eiulantes leuauerunt in sublime voces, dicentes. Cur hodie nos, sancte Pater, decipis? Cur nostro lumine ablato, in tenebris nos derelinquis? Ad hæc ille respondens aiebat. Nolite, filiæ, nolite ita dicere. Vos enim in tenebris nullatenus remanetis, quia vos ipsæ luminaria mundi estis. Nolite ergo prohibere, ex vestro lumine alios participare, sed potiùs præstolantibus caritatem impendite. Multa ergo & alia his similia cùm Dei famulabus prædicasset, tandem altercatione*

* *Panilli.*

AVSTREBERTHA ABBATISSA PAVLIACENSIS.

[a] Ap. Bolland. d. 10. Feb.

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

tercatione submotâ pacéque redditâ, vicit Spiritus Sanctus per os viri Dei, & sic acquieuerunt omnes, deosculabantúrque eam singulæ, omnes Dominum benedicentes. Duabus itaque sororibus ex ipsis secum adhibitis, perrexit cum homine Dei, à quo regiminis curam in eodem loco illicò suscepit. Monachas passa est adeò refractarias, vt mortis periculum sæpè subierit, siue illæ necem molirentur, siue Amelbertus audito calumniantium mendacio gladium in eam stringeret. Monasterium illud, vt Auctor prosequitur, *tunc temporis paucum fuit & modicum, sed post paululum factum est magnum. Non enim minor numerus quàm viginti-quinque ancillarum Dei erat cum ea, quæ ei ita mente & corpore adhæserunt, vt vsque in diem vocationis earum, nec vna quidem ex eis ab ea quiuerit separari.*

XX. Hoc anno, qui septimus Clotarij Regis numeratur, Bertefridus Episcopus Ambianensis hoc libertatis Priuilegium Monasterio Corbeiensi concessisse fertur [a] octauo Idus Septembris. *Dominis Sanctis & summi culminis apice Pontificalis Cathedræ speculâ præsidentibus in Christo fratribus, Ninoni, Genesio, Ethoaldo, Emmoni, Audoni, Audomaro, Audoino, Audeberto, Burgundofaroni, item Audeberto, Drausciοni, Berthefridus munere superni largitoris Ambianensis Ecclesiæ Episcopus. Licèt nos antiquæ regulæ constituta salubri obseruatione custodire conueniat, tamen vtili prouisione tractantes constituimus, vt quod sacris deliberationibus non derogat, intrepidâ obseruatione conseruetur. Et quia Gloriosissimus Domnus Chlotharius Rex, necnon & præcelsa Domna Balthildis Regina, diuino inluminati auxilio, Monasterium suo opere, Christo Præsule, in loco nuncupante Corbeia construxerunt, religiosam petitionem nostris auribus patefecerunt, quæ viscerali pietatis affectu ita cor intrinsecus molliuit, vt petita non concedere, aut certè libentissimè non implesse, noster animus inreligiosum fore putaret. Sancto igitur amore succensi nostræ vilitatis extremitatem petierunt, vt & nos & vestra fraternitas consentientes, pro reuerentia Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, & Sancti Stephani protomartyris, qui ob gloriosum ac triumphale votum pro amore Christi coronam Martyry consecuti sunt, ad prædictum Monasterium in eorum honore constructum, Priuilegium concedere deberemus. Licèt Sancta Carthaginensis Synodus à bonæ memoriæ Bonifacio eiúsque Coepiscopis facta, vel ipsius Sacerdotis epistolæ ad Liberium porrecta, non prohibeant Monachos sub Priuilegio proprio residere, vel Sancti Augustini præclari Doctoris libri de gradibus Ecclesiasticis doceant Monachos sub quiete regulariter viuentes, absque inquietudine Clericorum vel Episcoporum residere. Quod nos considerantes, dum & canonica institutio de hac re nos non præiudicat, vel supradictus Domnus, & prædicta Domna dum se patrocinio tam & in præsenti vita, quàm & in futurum, præfatorum Sanctorum, plenissimâ deuotione tradiderunt, vt eis vbique apud Clementissimum & Omnipotentem Dominum eorum intercessio præbere dignetur adminiculum, vel pro reuerentia tantorum Martyrum, seu prout Monachi ibidem degentes sub Regula Sanctorum Patrum quieti conuersari possint, hoc Priuilegium plenâ voluntate, vnà cum consensu fratrum meorum, concessisse vel indulsisse visus sum, per quod decerno, atque ob testificationem diuini nominis interdico, vt nec ego, nec vllus Episcoporum successorum meorum hoc inrumpere præsumat. Nec nos hoc propria deliberationis instituto posteritas æstimet decreuisse, cùm etiam antiquiora, vel in nouo tempore Monasteria propria Priuilegia sint consecuta. Nam & Agaunensium, quod velut istud Regio est munere ditatum, & Lirinensium, vel Basilica Domni Marcelli, immóque & Monasterium Luxouiense, hoc videntur habere concessum, & ita à succedentibus custoditur, vt quicquid ibidem offertur, ipsi Abbates vel Monachi ibidem deseruientes, absque contrarietate vel repetitione Episcoporum, liberè cum Dei adiutorio hoc possideant. Ergo omnes vnius conspiratione consensus antedictis Principibus postulatione sociâ libentissimè annuentes, sic decreuimus, vt quæcumque prædicto Monasterio vel Monachis Regio munere, seu à quibuslibet Christianis, in agris, mancipiis, vineis, siluis, auro, argento, vel vestibus, vel quibuslibet speciebus conlata, aut deinceps conferenda sunt, vitæ nostræ temporibus seu successorum nostrorum, nec ego, nec vllus sibi Pontifex, aut aliquis ex ordine Clericorum Ambianensis Ecclesiæ, suis vsibus vsurpare, aut minorare, aut ad ciuitatem aliquas species deferre præsumat,*

[a] Tom. 1. Conc. Gall.

PRIVILEGIVM PRO COENOBIO CORBEIENSI.

AN. CH. 662. CLOTAR. II. R. 7. CHILD. II. R. 3.

sed sub omni libertate vel emunitate sæpedictum Monasterium vel Monachi ibidem consistentes possideant. Altaria ad sæpedictum Monasterium, vel tabulæ si defuerint, Episcopus Ambianensis Ecclesiæ in Dei nomine benedicat, & chrisma sanctum conficiat sine pretio, & annis singulis pro reuerentia sanctorum sine vllo præmio muneris causâ concedat. Et quod ad ipsum Monasterium in Dei nomine fuerit oblatum, vel à quocumque, Deo inspirante, transmissum, nihil sibi exinde Pontifex, aut eius Archidiaconus, aut quislibet ordinator Ecclesiæ audeat vindicare, nec ad præfatum Monasterium accedere, nec in agris ipsius conuiuia ego, vel Pontifices successores nostri, vel Archidiaconus, aut quislibet ordinator Ecclesiæ Ambianensis præparare præsumat, nisi ab Abbate sæpedicti Monastery spontaneâ voluntate fuerit rogatus. Et cùm Abbas fuerit de sæculo isto euocatus, quem vnanimiter Congregatio ipsius Monastery ex semetipsis bonum & dignum elegerint, datâ auctoritate à præfato Principe, vel eius successoribus, à nobis vel successoribus nostris, absque vllo commodo secundùm sanctos Canones ordinetur. Similiter & reliquos gradus Clericorum minores ac maiores, quos Abbas iamdicti Monastery elegerit, sine intra aut extra Monasterium, sine aliqua præmy acceptione, iuxta quod lectio docet, constituimus consecrare. Neque vllâ aliâ potestate in ipso Monasterio vtatur, vt diximus, neque in Monasterio, seu in rebus aut ornamentis ipsius, neque in personis, dum tanti Gloriosissimi Principis petitio intercessit, vel quia ipsi Monasterium ipsum construxerunt, & ditauerunt, vel pro reuerentia sanctorum Apostolorum & Martyrum, seu pro eo vt quieti sub Regula sancta ipsi Monachi viuere debeant ad ipsum Monasterium deseruientes. Nec Episcopus, nec Archidiaconus, aut qualibet alia persona, ordinator Ecclesiæ Ambianensis, quodcumque de eodem Monasterio, sicut de reliquis parochiis, vsurpare, aut commutare, aut aliquas res auferre, vel species, quæ ad ipsum Monasterium sunt conlata, deferre ad ciuitatem audeat, vt de perfecta quiete valeant ipsi Monachi, qui ad præfatum Monasterium deseruiunt, duce Domino, per tempora exultare, & sicut antedicta Monasteria sub libertate viuant, vt pro statu Ecclesiæ & salute Regum, vel stabilitate Regni, & tranquillitate patriæ valeant pleniùs pium Dominum exorare. Et si aliquis de ipsis Monachis contumax fuerit, ab Abbate prædicti Monastery secundùm canonicam institutionem emendetur. Vt hoc Priuilegium sub ea, vt diximus, libertate quâ antedicta Monasteria & Monachi viuunt, debeat in perpetuum permanere firmissimum, vt iamdicti Monachi sæpedicto Monasterio deseruientes nostris & futuris temporibus sub libertate consistant, quia nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro tranquillitate pacis, vel pro reuerentia sanctorum tribuitur. Illud etiam addi placuit, vt ipsi Monachi sub Regula sancti Benedicti, vel sancti Columbani, conuersari & viuere debeant. Quòd si aliquis calliditate, aut cupiditate præuentus Episcopus, ea quæ sunt superiùs comprehensa temerario spiritu violare præsumpserit, tribus annis pœnitentiam districtissimè agat, à communione fratrum sequestratus, & nihilominùs hoc Priuilegium, Christo protegente, qui & adiuuet illud conseruantes, & dissipet illud destruere cupientes, perpetim maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostræ, vt nostris & futuris temporibus valitura sit, manûs nostræ subscriptionibus roborauimus, & Coepiscopos Domnos, & fratres nostros rogamus, vt ipsum in omnibus confirmare debeant. Berthefridus peccator Ambianensium vrbis Episcopus hoc Priuilegium à me factum relegi, consensi & subscripsi. Genesius ac si peccator Episcopus hoc Priuilegium consensi. Chaoaldus Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Gautiobertus ac si peccator Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Boso in Dei nomine Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Ragnobertus acsi indignus Episcopus hoc Priuilegium consentiens subscripsi. Mummolenus acsi peccator Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Audobertus acsi peccator Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Audoenus Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Dado peccator hoc Priuilegium consensi ac subscripsi. Emmo Episcopus subscripsi. Leodeboldus peccator Episcopus hoc Priuilegium subscripsi. Chrodobertus peccator hoc Priuilegium subscripsi. Paternus peccator Egloensis Ecclesiæ acsi indignus Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Drauscio acsi peccator hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Ego Ande-

AN.CH. 662. CLOTAR. III. R.7. CHILD. II. R. 3.

bertus acsi peccator Episcopus hoc Priuilegium consensi & subscripsi. Factum hoc Priuilegium sub die octauo Idus Septembris, anno VII. *regnante Clotario Rege, Captonnaco in Palatio publico. Sigo in Dei nomine Diaconus hoc Priuilegium scripsi & subscripsi.*

XXI. Tria porissimùm tela vibrari possunt aduersus hoc Priuilegium, quod Ioannes Launoius Theologus Parisiensis iam impugnauit in assertione [a] inquisitionis in chartam, quam beatus Germanus Parisiorum Episcopus suburbano Monasterio dedisse fertur.

OSTENDITVR INTERPOLATVM.

Primò, Monachi Corbeienses dicuntur viuere *sub Regula sancti Benedicti, vel sancti Columbani*, idque caret omni verisimilitudine, quoniam Teudofredus, qui primus Abbas Corbeiensis extitit, Luxouio, vbi sola sancti Columbani Regula seruabatur, Corbeiam missus est à Walberto seu Galberto tertio Abbate Luxouiensi, vt illorum temporum Scriptor in vita sanctæ Bathildis testatur his verbis. *Monasterium, quod vocatur Corbegia, in Ambianensi parochia suo opere construxit, vbi venerabilis vir Domnus Teudofredus, nunc enim Episcopus, tunc verò Abbas, magno gregi fratrum præfuit, quem de Luxouio Monasterio præfata Domna Baltidis à reuerendissimo viro Domno Galberto quondam Abbate expetiuit, & mirabiliter ad ipsum Cœnobium fratrum condirexit.* XXII.

XXIII. Secundò, Bertefridus initio Priuilegij nominat vndecim Episcopos, Niuonem, Genesium, Ethoaldum, Emmonem, Audonem, Audomarum, Audoinum, Audebertum, Burgundofaronem, item Audebertum & Drausionem: deinde eos omnes asserit in Priuilegium consensisse, *omnes*, inquit, *vnius conspiratione consensùs antedictis Principibus*, Clotario & Bathildi, *postulatione sociâ libentissimè annuentes, sic decreuimus*; ex illo tamen numero sex duntaxat subscribunt, Genesius, Emmo, Audoinus siue Audoenus, Audebertus siue Audobertus, item Audebertus & Drauscio. Hæc simul conciliare quis possit?

XXIV. Tertiò, plures Episcopi subscribunt quàm nominantur initio Priuilegij, post Bertefridum enim subscribunt quindecim, Genesius, Charoaldus, Gautiobertus, Boso, Ragnobertus, Mummolenus, Audobertus, Audoenus, Dado, Emmo, Leodebodus, Chrodobertus, Paternus, Drauscio & Audebertus.

XXV. Quorum Episcoporum nomina initio Priuilegij recitantur, notæ sunt & Sedes, præerant enim Ecclesiæ Remensi Niuo seu Niuardus, Lugdunensi Genesius, Viennensi Ethoaldus siue Edoaldus aut Eualdus vel Edoldus, Senonensi Emmo, Aurelianensi Audo, Taruannensi Audomarus, Rothomagensi Audoinus siue Audoenus, Cameracensi Audebertus siue Autbertus aut Audobertus vt à Malbranco sæpiùs appellatur, Meldensi Burgundofaro, Siluanectensi Audebertus, Suessionensi Drauscio. Sed Episcoporum, qui Priuilegio subscribunt, Diœceses non ita facilè distinqui possunt. Lugdunensem regebat Genesius, Viennensem Ethoaldus qui Chaoaldus vitio librarij scriptus videtur, Gratianopolitanam Boso Fergeoli Martyris inferiùs laudandi decessor, Baiocensem Ragnebertus seu Ragnobertus, Nouiomensem & Tornacensem Mummolenus, Cameracensem & Atrebatensem Audobertus siue Autbertus, Rotomagensem Audoenus, Senonensem Emmo, Lexouiensem Leodeboldus seu Launobodus, Parisiensem Chrodobertus, Suessionensem Drauscio, Siluanectensem Audebertus. De ceteris verò nihil adeò certum. Inter Episcopos enim illorum temporum nullus inuenitur Gautiobertus, nullus Dado præter Audoenum Rotomagensem qui & Dado nuncupatur, nulla quoque mentio fit Egloensis Ecclesiæ cuius Episcopum se dicit Paternus. Fortè Gautiobertus idem est ac Gobertus Andegauensis Episcopus, qui Godebertus * à Widone Artaldo in Indice Episcoporum Andegauensium, promiscuè Gobertus & Godebertus à Roberto in Gallia Christiana nuncupatur, &, vt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum [b] probauimus, in Andegauensi Cathedra post sanctum Magnobodum sedit. Fortè

[a] Part. 4 c. 10. sect. 14.

* *S. Godebert.*

[b] Num. 37.

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

etiam vitiosè excusus est Dado, Corbeiensíque Priuilegio subscripsit Dido Pictauiensis Episcopus, qui redierat in gratiam cum Regia familia, vt ad annos Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum [a] & sexcentesimum quinquagesimum-septimum [b] obseruauimus. Simili modo Paternus leui mutatione factâ non Egloensis sed Elosensis siue Elusensis Ecclesiæ fortè dicendus est Episcopus, nec Indices Elusensium Metropolitarum refragabuntur, Senocus enim, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-sextum [c] ex Fredegario [d] fecimus, in Elusensium Episcoporum catalogis hactenus editis postremum locum occupat, successorúmque nomina desiderantur ad nonum vsque seculum, quo diruta penitus fuit Elusa.

[a] Num. 7. [b] Num 7. [c] Num 1. [d] Cap 54.

XXVI. Porrò, quicquid sit de illis coniecturis super Gautioberto & Dadone Episcopis & Egloensi Ecclesia, quia Sedes Episcoporum, quos Berthefridus initio Priuilegij nominat, certæ sunt & indubitatæ, nec interea, quæ iure Priuilegij concedit, quidquam deprehenditur, quod Marculfi formulæ à nobis iam recitatæ contrarium existat, Priuilegium ab eo credimus hoc anno emissum fuisse, quod lapsu temporis tale, quale hodie legitur, post aliquot interpolationes amputationésque abierit, &, vt plenissimè corrigatur, subsequentibus duntaxat emendationibus indigeat.

ET EMENDATVR.

XXVII. Primò, huic periodo *(& si aliquis de ipsis Monachis contumax fuerit, ab Abbate prædicti Monasterij secundùm canonicam institutionem emendetur)* restituendum est alterum membrum, quo ius Episcopo Diœcesano reseruatur in Monachum animaduertendi quem Abbas non coercuerit, sic enim habet Marculfus in sua formula. *Et si aliquid ipsi Monachi, de eorum religione tepidi, aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, si praualet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de illa ciuitate coercere debet.*

XXVIII. Secundò, delenda hæc periodus. *Illud etiam addi placuit, vt ipsi Monachi sub Regula Sancti Benedicti, vel Sancti Columbani, conuersari & viuere debeant.* Quam interpolationem si sustuleris, cetera meliùs inter se cohærebunt, propiúsque accedent ad formulam Marculfi. Tunc enim talis erit contextus Priuilegij. *Nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro tranquillitate pacis vel pro reuerentia Sanctorum tribuitur. Quòd si aliquis calliditate aut cupiditate præuentus Episcopus, ea quæ sunt superiùs comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit*, &c. Nihil autem excogitari potest Marculfi formulæ conformius, quæ sic habet. *Nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, ea quæ sunt superiùs comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit*, &c.

XXIX. Tertiò, Episcoporum subscriptiones, quæ Priuilegio subiiciuntur, abradendæ sunt, & earum loco reponendæ sunt subscriptiones Episcoporum, quorum nomina initio Priuilegij recensentur. Atque hoc esto nostrum de Corbeiensi Priuilegio iudicium.

XXX. Ad hunc annum, qui Clotarij Regis in Principatu septimus, & Wandregisili Abbatis in regimine Fontanellensis Monasterij decimus-quintus numeratur, hæc pertinent quæ Bollandus [e] ex eiusdem Wandregisili vita recitat in prolegomenis ad vitam sanctæ Bathildis. *In prædicto Cœnobio* Fontanellæ *viro Dei* Wandregisilo *cum suis commoranti, cùm nulla alimentorum solamina essent, Baltfridus Cellerarius eidem patefecit. Cui ille. Potest, inquit, conditor rerum suis in deserto famulis parare mensam, qui multiplicatione quinque panum satiauit hominum quinque millia. Itaque iuxta condictum viri Dei euenisse contigit. Monuit namque per visum Baltildem Reginam pietas diuina, vt famulo Christi intra eremi vastitatem consistenti necessaria ministraret. Quæ expergefacta onerata vehicula servo Dei dirigit. At ille gratias bonorum omnium largitori rependit, qui ope solitâ servis suis semper præsens adforet consolator. Sícque acceptâ benedictione, qui hæc alimenta tulerant calle quo venerant repedarunt. His diebus, id est, anno* VII. *tertij Regis Lotharij, qui erat regiminis prædicti Patris annus decimus-quintus, isdem vir*

[e] D. 26. Ian.

WANDREGISILVS PRÆCEPTVM REGIVM OBTINET PRO SVO COENOBIO.

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

Domini ad eundem Regem acceßit, & Priuilegium Regiæ confirmationis ſuper area præfati Cœnoby liberaliſſimâ datione ſuſcepit. Celebrata erat in territorio Caſtrenſi, in eo Palatio, quod diminutiuo vocabulo cenſetur Palatiolum.

XXXI. Illis temporibus Waldalenus Abbas Beſuenſis, quia vaſtato Cœnobio chartæ donationum direptæ fuerant, *egit* [a] *cum Sichelmo Duce tunc in Burgundia Ducatum agente, vt relationem acciperet rerum ipſius Monaſtery multorum bonorum hominum confirmatam conſenſu & ſubſcriptionibus.* Epiſtolam ipſam Sichelmi Ducis tranſmiſſam Maioribus Palatij edidit Lucas Dacherius in Chronico Beſuenſi datam *ſub die quarto Kalendas Octobris regnante Clotario Rege*, meliùs ex Codice Bibliothecæ Regiæ Philippus Labbeus in miſcellaneis curioſis datam hoc anno, *ſub die quarto Kalendas Octobris, anno ſeptimo, regnante Clotario Rege.* Anno enim ſequenti, menſe Auguſto, Regni ſui octauo Clotarius ſuper eadem donationum confirmatione Præceptum emiſit, vt ſuo loco dicturi ſumus.

[a] Chron. Beſ.

CHARTÆ COENOBII BESVENSIS CONFIRMANTVR.

XXXII. Hoc anno Claudius, qui poſteà Biſuntinenſis Eccleſiæ Pontifex fuit, inter Clericos militare cœpit, ſic enim de illius Clericatu ſcribit Author vitæ. *Factus autem ætatis viginti annorum, erat iam in diuinis eruditus, ac in bonis operibus aſſuetus, militiam elegit Clericalem, petiitque humiliter, ac pro ſuis meritis obtinuit, ſe recipi in Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Biſontinenſis. Qui creatus ſiue factus dictæ Eccleſiæ Canonicus, incepit in ipſo Canonicorum collegio Eccleſiam frequentare; Miſſis, horis canonicis, & aliis officiis Eccleſiaſticis intereſſe; libros ſacræ ſcripturæ diligenter reuoluere; lectiones ipſius ſacræ ſcripturæ feruenter & attentè audire; magiſtrorum ſermones deuotè auſcultare; ac per omnia (vt verus Chriſti famulus) abſque reprehenſionis nota ſe habere; ac in tantùm infra breue temporis ſpatium, diuinâ gratiâ ipſum proſequente, in prædictis ſanctis operibus profecit, quòd ſacræ paginæ probatiſſimus, ac talis, quòd in tota Burgundiæ prouincia, ſuo tempore non fuit factus ſimilis magiſter & profeſſor. Prædictus autem donis & virtutibus ditatus, de die in diem in ſanctitate proficiebat; Eccleſiam, vt diximus, frequentabat; diuina officia in ſuo gradu, & prout ad ipſum ſecundùm ordinationem ipſius Eccleſiæ, abſque defectu, reuerenter & deuotè exercebat; orationi, prout temporis opportunitas ſe offerebat, frequenter incumbebat; omni penè tempore, exceptis Dominicis & feſtis, ſemel in die refectionem ſumebat; ſæpè noctes in oratione, lectione & ſancta meditatione peruigiles ducebat; caſtum, &, vt credimus, virginem (vtpote qui numquam de quacumque parua infamia notatus fuerit) ſe cuſtodiebat; in veſtimentis mediocrem ſe habebat; in moribus verò humilem, in verbis dulcem & affabilem ſe exhibebat; ac (vt vno verbo cuncta complectar) in omnibus virtutibus, omnium iudicio, pollebat, ita vt crederes illum iam probatiſſimum Monachum. Completis autem in huiuſmodi ſanctis operibus duodecim annis, eius ſuffragantibus meritis electus eſt in Archiepiſcopum Biſuntinenſis Eccleſiæ*, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum probabimus.

CLAVDIVS FIT CLERICVS ET CANONICVS BISVNTIN.

XXXIII. In eadem Diœceſi Biſuntina florebat inſignis Abbas, nomine Germanus, de quo ſæpè verba fecimus. Vir erat penè quinquagenarius, tria regebat Monaſteria, ſancti videlicet Vrſicini *, Verdunenſe ſiue Inſulare vel S. Pauli ad Inſulam *, & Grandiuallenſe *, de quibus iam locuti ſumus ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſeptimum [b], quo factus eſt Abbas ex Monacho Luxouienſi. Martyrium cum Randoaldo paſſus eſt. De re conſtat, nequaquam de tempore, quia Bobolenus Auctor ſynchronus ſcripſit quidem vitam ac paſſionem ſancti Germani, ſed eius necem nullo Charactere Chronologico conſignauit. Murerus in Heluetia ſancta innuere videtur ſanctorum Germani ac Randoaldi cædem anno Chriſti ſeptingenteſimo contigiſſe; ſcribit enim tumulum S. Germani per annos ſeptingentos ſeptuaginta-ſeptem haud recluſum fuiſſe, recluſum autem anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, feriâ quartâ poſt feſtum ſanctæ Margaritæ. Bollandus in Commentario, quem vitæ ſancti Germani præfixit, opinionem Mureri condemnat, quia Germanus, cùm ſanctum Arnulphum in eremo conuenit, ſeptemdecim erat annorum, nec ſenem ſe decrepitum atque octogenario maio-

* S. Vrſitz.
* S. Paul zu Werd.
* Granfel.
[b] Num. 8.

GERMANI ABBATIS GRANDISVALLIS ÆTAS.

AN. CH. 662. CLOTAR. III. R. 7. CHILD. II. R. 3.

rem ostendit, cùm Cathicum Ducem adiit libros secum ac reliquias Sanctorum ferens, ideóque conijcit necem sancto Germano illatam esse *circiter annum* ICLXXVII. Quædam tamen argumenta prohibent, ne Martyrium illud tam tardè differamus, quamuis super anno determinatè pronuntiare non audeamus.

XXXIV. Scripsit Bobolenus, cùm è Monachis, qui Germanum nouerant, in viuis haud multi superessent, suámque lucubrationem tribus obtulit Abbatibus, Deicolo, Leudemundo & Ingefrido, quorum postremus Monasterium Luxouiense tunc administrabat. En operis prooemium. *Dominis eximiis, & sacris culminibus decoratis, religionisque copiâ fultis, & in sanctitate semper vbique pollentibus, Deicolo, Leudemundo & Ingefrido, Patribus, Bobolenus exiguus omnium Presbyterorum. Pauci admodum dies sunt, quòd à quibusdam sanctis fratribus flagitatus, vt sancti Germani Abbatis Grandiuallensis meo studerem stylo texere gesta, præsertim qui cum eo fuerunt in tempore, & penes ipsum patrata viderunt, à quibus etiam & nos per venerabiles viros Chadoaldum & Aridium didicimus, qui nunc superstites sunt.* Walbertus seu Waldebertus Abbas, cuius sæpè meminimus, Cœnobio Luxouiensi præfuit ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-secundum, quo factus est Episcopus Meldensis. In administrationem Luxouiensis Asceterij successit Windologus seu Vandologius, tum Bertoaldus seu Dectohaldus, deinde Ingofredus siue Ingefridus, aliique vndecim, ad incursionem vsque Saracenorum, quos Carolus Martellus repressit. Ex copioso tot Abbatum numero patet perbreues singulorum Præsulatus fuisse. Suspicamur Ingefridum Abbatem iam extitisse anno Christi sexcentesimo-octogesimo. Id autem si verum est, diúque ante Ingefridi Præsulatum occisus est Germanus, certè illius Martyrium circa hunc annum, Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum, Abbatialis Præfecturæ decimum-quintum, non malè collocabis. Intra spatium quindecim annorum contingere potuit, vt Gundonius Dux, qui condendi Grandiuallensis Monasterij præcipuus auctor fuit, eiusque successur Bonifacius morerentur, ac Bonifacio succederet Cathicus, qui crudelissimam in Germanum Abbatem Monachósque Grandiuallenses persecutionem mouit. Hæc ad Chronologiam.

XXXV. MARTYRIVM. Rem ipsam, vt gesta est, Bobolenus ita descripsit. *Contigit autem, vt moreretur Gundonius Dux, & Bonifacius Dux, siue Cathicus in locum eius succederet, qui cœpit nequiter opprimere populum illum vicini Monastery, cœpitque imputare quòd eius antecessori semper rebelles fuissent. Illis verò protestantibus, quòd nefas erat quod eis imputabatur, multis modis affligere eos conabatur. Et quia Deo Omnipotenti cura est de his qui certant pro eo, volens Athletam suum laureare, quem præsciuit pro suis laboribus coronandum, tandem excitatus est Cathicus in scelus. Igitur homines hos, neque audientes tunc, iubens ad se venire Centenarios illius vallis, eos in exilium ire præcepit. Tunc Cathicus quod iniquo consilio cœperat explere, seu quod venenatâ mente tractauerat, omnino cupiens adimplere, assumpsit secum phalanges Alamannorum gentis bellicosæ; orto iam Sole ingressus est super valle. Quod cùm nuntiatum esset beato Germano, quòd Cathelmundus à partibus Aquilonis cum magno exercitu ingrederetur super valle illa, & Cathicus ab alia parte cum ingenti exercitu adueniret, tunc beatus Germanus accepta secum pignora Sanctorum cum libris & Præposito Monastery, nomine Randoaldo, ad eum properare studet. Sed antequàm perueniret ad eum, homines inimici, diabolo impleti, proiecerunt in terram; qui tandem peruenerunt ad Cathicum; & inuenit eum in Basilica sancti Mauritij cum Erico Comite, consiliantes inuicem. Cœpit autem beatus Germanus alloqui eum & dicere. Inimice Dei & veritatis, cur ingressus es super homines Christianos? Cur non pertimescis ad naufragium perducere Monasterium meum, quod ipse ædificaui? At ille veniam postulat de commisso scelere, falsâ humilitate vadimonium suum in manum eius dare voluit, sed ille renuit eum accipere, promittens se de omnibus satisfacere. Egressus inde reliquit eum in Basilica sancti Mauritij, cum vno tantùm co-*

mite, nomine Randoaldo. Ille verò videns, quòd nihil proficeret, sed per totam val- AN. CH.
lem cernens tanquam à luporum morsibus vicinos Monastery laniari, & domus eo- 662.
rum incendio concremari, fleuit diutissimè, & manus palmásque in cælum tendens CLOTAR.
dicebat. Vide, Domine, ne sileas, quia gens barbara ingressa est super nos. Quem III. R. 7.
repedare volentem ad Monasterium suum cum Collega suo, in via secuti sunt homi- CHILD.
nes pleni dæmonio, quos videns S. Germanus Martyr & Sacerdos Dei, verbis pacificis II. R. 3.
eos alloquebatur, dicens. Nolite, fily mei, tantum nefas perpetrare in populo Dei. Illi vero, vt erant repleti dæmonio, eum exspoliauerunt vestimentis suis. Cúmque cerneret beatus Germanus Martyrium suum propè adesse, fratri suo Randoaldo loquebatur, dicens. Simus pacifici, frater mi, quia hodie fructum bonorum nostrorum consequimur. Cúmque expoliassent eum vnà cum Collega suo, aiebat, dicens. Gratias ago tibi, Pastor bone, quia non me fraudasti bonis tuis; dignare me recipere cum fratre meo in consortio Sanctorum tuorum. Post hæc, vox ei de cælo venit, dicens. Veni, fidelis dispensator, aperti sunt tibi cæli, congaudent tibi Angeli mei, vt perducant te in cælestem Ierusalem. Et hæc dicens; vnus ex iis, qui erat audacior, repletus dæmonio, lanceâ perfodit eum, simúlque & Randoaldum. Corpus remansit exanime, anima illius penetrauit cælos.

Quid secutum sit, ita declarat idem Auctor. *Fratres eius requirebant eum,* XXXVI.
huc atque illuc circumeuntes. Ferè horâ tertiâ noctis inuenerunt eum iam defunctum vnà cum Collega suo, & leuantes corpus eius cum eiulatu magno deferunt in Basilicam sancti Vrsicini suo opere constructam, prosternentes eum nudum ante conspectum Dei. Acta sunt hæc ipsâ nocte, in vigilia Cathedræ sancti Petri. Cùm fratres ad vi- SEPVLTV-
gilias excubarent, nuntius venit qui diceret Patrem Monastery ab hoste iniquo in- RA.
terfectum fuisse. Illi verò cum eiulatu magno deferunt eum in Basilicam sancti Petri & sepelierunt eum. Colitur etiamnum sanctus Germanus nono Kalendas Martias in vigilia Cathedræ Antiochenæ.

Ipsâ die interfectionis eius, vnus è fratribus inter hostium cuneos, cingulum, quod XXXVII.
vulgò bracile vocatur, inter manus trahentium inuenit, & Monastery vestiario detulit. Tunc omnes fratres tanquam munus de cælo prolatum ouantes excipiunt, & illud in Ecclesia inter pignora Sanctorum suspendunt. Post hæc contigit, vt aliquis homo vicinus Monastery magnis febrium detineretur infirmitatibus, vix à suis deportatus in Monasterium venit, cúmque Ecclesia limen attigisset, aspexit cingulum almi Germani pendere. Tum cæpit cum eiulatu magno precari, vt illud contingere MIRACV-
liceret. Tunc vnus de Diaconibus repleuit calicem, & immersit, & dedit bibere agro- LA.
to, & statim vt bibit, ad pristinam restitutus est sanitatem.

Eodem anno exeunte, in die Natali Domini, locus Martyrij cælesti luce XXXVIII.
resplenduit. *Factum est autem redeunte anni circulo, dies Natalis Domini aduenit; tantum lumen coruscans, referunt, in ipsa vigilia Natalis Domini, vbi interfectum corpus beati Germani fuit, de cælo venit, vt omnes mirarentur, & replerentur timore magno.* Hæc Bobolenus.

Quis sancto Germano in administrationem Monasteriorum, sancti Vrsici- XXXIX.
ni, Werdunensis seu Werdensis, & Grandis-Vallis successerit, nos latet. Ecclesiam sancti Vrsicini cum adiunctis prædiis aliquandiu Monasterio Grandis-Vallis subiectam fuisse docent Patres Collegij Bruntutani Societatis Iesu, in Basilica Sacra siue in Episcopatûs & Episcoporum Basileensium origine ac serie, quam Ioanni Conrado Episcopo Basileensi anno Christi millesimo sexcentesimo duodesexagesimo obtulerunt. Porrò prælaudata Monasteria in
Diœcesi Bisuntina collocamus, quia Episcopatum Basileensem * ætate sancti * *de Basle.*
Germani nondum erectum arbitramur. Verùm hac de re fusiùs agemus ad medium octauum seculum, cùm ad Pontificatum Walani peruenerimus, qui Pipino Regi synchronus vixit.

AN. CH. 663.
CLOTAR. III. R. 8.
CHILD. II. R. 4.

ANNVS
CHRISTI 663.
CLOTARII III. R. 8.
CHILDERICI II. R. 4.

I. PRÆCEPTA REGIA PRO COENOBIO BESVENSI

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo-tertio, Clotarij Regis octauo, Waldelenus Abbas Besuensis, literarum, quas à Sichelmo Duce obtinuerat, auctoritate fretus ad eundem Clotarium Regem se contulit, & Regium Præceptum ad perpetuam tuitionem expetiuit impetrauítque mense Augusto. Regium Diploma recitabimus ex Chronico Besuensi. *Clotarius Rex Francorum viro illustri Sichelmo Duci* (legendum potiùs opinamur, *Clotarius Rex Francorum vir inluster Sichelmo Duci*, nam facilè sibi persuadere potuit amanuensis infra Regiam dignitatem esse, si Clotarius *vir inluster* vocaretur, illiúsque tituli nuncupationem ad Sichelmum Ducem transferendam duxit) *Regem calorum, qui super omnes Reges termino immenso, nullo imperio regitur, & super omnes Sedes Angelicas suâ pietate & potentiâ tenet Principatum, erga solium Regni nostri, quod ipse nobis ad regendum commisit, credimus esse cultorem, si opportunè beneficia ad loca Sanctorum deuotâ mente præstamus, vel nostris oraculis confirmamus. Igitur venerabilis vir Waldalenus Abbas ad præsentiam nostram veniens, Gloriæ Regni suggessit, quòd genitor suus Amalgarius & genitrix sua Aquilina quondam pro Dei amore Monasterium nuncupatum Fontem * Besuam in pago Attoariorum in honore Sanctorum Petri & Pauli ædificassent, & Monachos ibidem sub Regula B. Columbani seu B. Benedicti adunassent, & maximam partem de facultate sua ipsi Monasterio delegassent, sed postea insidiante parte aduersâ ipsum Monasterium à malis hominibus irruptum & expoliatum fuerit, & omnes cartæ, quæ de supradicto loco vel de reliquis locis memoratus Amalgarius vel coniux sua ibi delegauerunt, cum multis aliis rebus ablatæ. Vnde memoratus Waldalenus relatione vestrâ pro firmitatis studio petiit Celsitudinem nostram, vt quascumque res ipsius Monastery seu præscripti loci in Dei nomine per Præcepti nostri authoritatem deberemus confirmare. Cuius petitione mercedem æternam & diuinam nobis in omnibus acquirere cupientes, nos id præstitisse & confirmasse cognoscite. Præcipimus igitur, vt quicquid constiterit à præfato Amalgario & eius matrona Aquilina, vel ab aliis Deum timentibus, ipsi Monasterio collatum, ad integrum hoc habeat, teneat & possideat, & nostris & futuris, Deo auxiliante, temporibus, ipsam scilicet Besuam cum omnibus appendiciis suis, cum terris & ædificiis, cum syluis & accessibus omnibus, cum mancipiis & colonis & seruientibus, totum liberrimè & integerrimè. Vetus-vineas cum omnibus appenditiis suis & syluis, Tilèrias, Beriam, Tregias, Cypetum, Buxatellum, Vendoueram, Auxiliacum cum appenditiis suis, & syluis, & colonicis, Blaniacum, Berlariam, Baymam, Variacum, Attiniacum, Nouiliacum, villam Catunnam, Curtem Molinensem, Mercennacum cum vineis duodecim, & vinitoribus, & colonicis qui excolere videntur. Apud Cocheiacum vineas nonminimæ quantitatis. In pago Belnensi vineas octo, cum vinitoribus & colonicis. In villa quæ Vaona dicitur, vineas & terras, cum seruis & ancillis excolentibus eas. Terras quas habebat in Diuione, & in fine Domni Petri, & Longo vico, & in Canauis, & in Arzâlias, & Tremoldo, & Prouiso, & Dista. In Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus & colonicis, & syluis & pratis & omnibus adiacentiis suis, cum seruis & ancillis, & omnia omnino liberrimè. In villa & in Chalciaco quicquid habebat ipse Amalgarius, in villa quæ Patriniacus dicitur, mansum vnum optimum cum omnibus appenditiis suis. Villam Alteriacum, & villam Boensem similiter cum omnibus appenditiis suis. Villam*

* La Fontaine de Bese.

lam Talamarum, & villam Giueeniacum. Omnia hæc integerrimè ac liberrimè cum omnibus ad eo pertinentibus. Vt autem hæc scriptio firma & stabilis in æuum permaneat, & à nullo nostrorum successorum sit permutanda, nostro nomine insigniri, & annuli impreßione iusimus sigillari. Signum Clotary Regis. Datum mense Augusto, anno ab Incarnatione Domini DCLVIII. *Indictione primâ, anno* VIII. *Regni Clotary. Actum Nemauso feliciter.* Nomen sancti Benedicti, annum ab Incarnatione Domini & Indictionem adiecit Neotericus in rebus Francicis, Besuensibus & Chronologicis, parum versatus. Author Chronici Besuensis, vbi sermonem de constructione Monasterij Besuensis instituit, locum primò describit, deinde hæc subiungit de Monachis ibi constitutis. *Talem locum Amalgarius Dux Deo & Sanctis eius Apostolis Petro & Paulo dignum duxit offerre, & sub manu filij sui Waldaleni Monachos, qui ibi Deo & Sanctis eius deseruirent, sub Regula beati Columbani studuit aggregare.* Nulla ibi mentio sancti Benedicti, cuius nomen ex prælaudato Diplomate Clotarij Regis expungi debet. Tunc in publicis instrumentis Franci nec annos Christi nec Indictionum notas apponebant, quapropter idem Præceptum ceteris abrasis ita claude. *Datum mense Augusto, anno* VIII. *Regni Clotary. Actum Nemauso feliciter*, vel vt alius Codex habet, *actum Nemausâ feliciter.* Caue etiam ne nomine Nemausi vel Nemausæ, Nemausum * intelligas ciuitatem in prouincia Narbonensi percelebrem, quæ Wisigothorum Regibus illâ ætate subiiciebatur, hodiernum potiùs Nemorosium *, aut alium existima locum fuisse vel in finibus Burgundiæ vel in ipsa Burgundia situm, nam Clotarius Rex hoc anno, Regni sui octauo, versatus est in Burgundia, & in Mosolaco seu Mosollaco Palatio resedit, vt Chronicon San-Benignianum & alterum Diploma Clotarij Regis testantur. In Aurelianensis Ecclesiæ Chartulario sæpè nominatur villa *Nemaus*, cuius mentionem ex eodem Tabulario plerumque faciemus.

AN. CH. 663.

CLOTAR. III. R. 8.

CHILD. II. R. 4.

* *Nismes.*

* *Nemours.*

II. *Anno octauo Regni sui Clotarius Rex residens Mosollaco Palatio suo, Wlfeebrannus Abbas huius loci*, nempe Monasterij sancti Benigni, *odiit eius præsentiam, conquerens super quorundam militum eius violentia. Guntrannus namque Rex dederat Sancto Benigno Martyri, patrono Diuionensis loci, Clariacum villam cum omnibus appenditiis suis, de cuius poßeßionis terris suproscriptis calumniatores molestias inferebant multos memorato Abbati, Monachisque huius loci. Rex ergo Clotarius annuens eius precibus fecit Præceptum Sancto Benigno de proscripto fundo, annulóque suo iußit insigniri, vt nullus suprodictorum columniatorum, aut eorum hæredes, vel successores, aut vllus aliquis alius cuiuscumque honoris ac dignitatis in denominato agro audeat aliquam vim inferre.* Huc vsque Chronicon San-Benignianum. Hieronymus Bignonius in notis [a] ad Marculfum & Stephanus Perardus in Collectione Chartarum Burgundicarum exscripserunt integrum ipsius Clotarij Regis iudicium datum nono Kalendas Nouembris, anno Regni octauo. *Clotarius Rex Francorum, vir inluster. Quotiescumque altercantium iurgia, Palatij nostri iudicia; nostrorúmque fidelium ac Ecclesiarum seu Sacerdotum pro quarumcumque rerum negotiis noscuntur aduenire, oportet nobis in Dei nomine iuxta legum seueritatem inquirere, vt deinceps nulla videatur quæstio renouari. Ideóque cùm nos in Dei nomine Masolaco in Palatio nostro, vnà cum Apostolicis viris Patribus nostris Episcopis, Optimatibus, ceterisque Palatij nostri ministris, necnon & Andobello Palatij nostri Comite, qui de ipso ministerio ad præsens deseruire videbatur, ad vniuersorum causas audiendas, iustóque iudicio terminandas resideremus; aduenientes ibi actores Basilicæ Domni Benigni, quæ est sub oppidum Diuione constructa, vbi ipse preciosus Martyr in corpore requiescit, & vir venerabilis Wlfeebrannus Abba præesse videtur, videbantur repetere à quibusdam hominibus, dicentes quia antecato tempore bonæ recordationis parens noster Domnus Guntchramnus quondam Rex per testamenti sui paginam ad ipsam Basilicam Sancti Benigni villam nuncupatam Clariacum cum adiacentiis vel omni re ad se pertinente concesisset, & ipsi homines infra ipsum terminum commanentes, ex parte maxima plurima peruasissent, vel ad suam partem contradicerent, & reditus terræ partibus ipsius Basilicæ reddere*

[a] L. 2. c. 25.

ET SANCTI BENIGNI.

AN. CH. 663.
CLOTAR. III. R. 8.
CHILD. II. R. 4.

tum, quod emissum est à Clotario Tertio Rege, conatus est ad Clotarium Secundum, Tertij proauum, transferre. Sed aduersatur Auctor Chronici San-Benigniani. Post Richimarum enim, qui regnante in Burgundia Dagoberto Clotarij Secundi filio, vt in fine Tomi superioris obseruatum est, Monasterium sancti Benigni rexit, Abbates eiusdem Cœnobij, de quorum Gestis ad posteros nihil peruenit, agnoscit Etherium, Vidradum, Hugonem, Odeleum, & Maurinum, deinde subiicit Wlfechrannum, quem testatur Præceptum pro suo Monasterio à Clotario Rege impetrasse. Præterea quomodò annus octauus Clotarij Secundi cum anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo conuenire potest? Clotarius Secundus anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto Neustriam post Chilpericum patrem, anno Christi sexcentesimo decimo-tertio Burgundiam & Austriam post Sigibertum Secundum agnatum obtinuit. Ergo annum octauum suæ dominationis apud Neustrasios anno Christi quingentesimo nonagesimo-secundo, apud Burgundiones & Austrasios anno Christi sexcentesimo vicesimo-primo illigauit. Perardus decipi se passus est à Sigeberto aliisque Chronologis, qui mortem Clodouei Magni triennio seriùs in annum Christi quingentesimum decimum-quartum, mortem Clotarij Primi triennio quoque seriùs in annum Christi quingentesimum sexagesimum-quartum reiecerunt. Deinde quos Fredegarius [a] Guntchramno, Childeberto Secundo & Theodorico Secundo annos incompletos tribuit, interpretatus est completos, eóque calculo sibi persuasit mortuos esse; Guntchramnum anno Regni sui tricesimo-tertio, Christi quingentesimo nonagesimo-septimo; Childebertum Secundum anno Regni Burgundici quarto, Christi sexcentesimo-primo; Theodoricum Secundum anno Regni sui decimo-octauo, Christi sexcentesimo decimo-nono; eodémque anno Clotarium Secundum, cùm Sigibertum Secundum sustulisset, Burgundiâ potitum esse, illiúsque octauum in Burgundiæ Regno annum cum anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo comparari. Sic illum Auctorem hoc loco ratiocinatum putamus, licèt ab hac computatione sæpè dissideat, annum enim Clodouei Magni decimum-sextum cum anno Christi quadringentesimo octogesimo-secundo & annum quintum Clotarij Primi cum anno Christi quingentesimo decimo-sexto componit.

[a] In Chron. capp. 14. 16. 38. 39.

V. SYNODVS AVGVSTODVNENSIS.

In eodem Regno Burgundiæ, Leodegarius Augustodunensis Episcopus, vt Ecclesiæ suæ præsentissimam opem afferret, Synodum hoc anno celebrauit. Summoperè dolemus Canonum in ea conditorum maximam partem ignorari. Iacobus Sirmondus nonnullos publicauit, qui spectant ad monasticam disciplinam, inscribuntúrque Canones Augustodunenses sancti Leodegarij. Hos produxit è Bibliotheca Ecclesiæ Andegauensis, vbi seruatur antiquissima Collectio Canonum, cuius Titulus quadragesimus-quartus est de Monachis & de Monasteriis. Singulos describemus adiectis breuibus notis, quas ex variis Regulis in Francia iam obseruari consuetis desumemus.

VI.

Iacobus Sirmondus præter Canones Augustodunenses sancti Leodegarij Episcopi de rebus Monasticis, quos descripsit è Bibliotheca Ecclesiæ Andegauensis, publicauit & alium Canonem ex altera Canonum collectione quam Bibliotheca sancti Benigni Diuionensis suppeditauit. Hic Canon nec ad Abbates spectat, nec ad Monachos; totus est de Clericis à Presbyteratu & infrà. *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum*, &c. Eidem Canoni præfigitur hic titulus. *Canones Augustodunenses, ara* 1. Sensus huiuscemodi tituli satis obscurus, quid enim hîc *ara* significat, vox Franco vix nota, soli familiaris Hispano? Sirmondus supradictum titulum in duas diuidit partes, quarum alteram illæ voces, *Canones Augustodunenses*, alteram hæ voces, *ara* 1. constituunt; priorem partem exponit instar tituli generalis qui cunctis Canonibus conuenit, posteriorem instar tituli particularis qui de solo primo Canone intelligitur. Adstipulatur proauunculo suo Petrus *Delalande*, omissâ enim priore illâ tituli parte *(Canones Augustodunenses)* posteriorem hanc *(ara* 1.*)* primo

AN. CH. 663. CLOTAR. III. R. 8. CHILD. II. R. 4.

Canoni præfigit. Synodo Auguſtodunenſi, ſeu cunctis Canonibus, quos Auguſtodunenſe Concilium ſanciuit, iure aptatur generalis hic titulus, *Canones Auguſtodunenſes*. Sed *ara* I. nobis non eadem res videtur ac Canon primus, ſiue Articulus primus, aut Capitulum primum. Vox Æra ſiue Era, de cuius etymo & vſu copioſè ad annum Chriſti quadringenteſimum duoſeptuageſimum* diſſeruimus, antiqua eſt & barbara. Sumi ſolet *pro computo ſeu annorum numero*, vt Auctor proximè citatus fatetur in notis ad Canones Auguſtodunenſes. Bis tantùm inuenitur in vniuerſa Collectione antiquorum Galliæ Conciliorum, in Canone videlicet Auguſtodunenſi de quo nunc loquimur, & in præfatione Concilij Arelatenſis quod anno Chriſti octingenteſimo decimo-tertio ſub Carolo Magno celebratum eſt. Epiſcopi ſic præfantur. *Dum anno* XLV. *Inclyti & Orthodoxi Domini & Principis noſtri Caroli Imperatoris ſub die* VI. *Idus Maias, erâ* DCCCLI. *vnanimitatis noſtra conuentus in Arelatenſium vrbe*, &c. Æra in illo textu non alia intelligi debet quàm Hiſpanica, quæ ſumpſit initium à Triumuirali partitione, triginta & octo annis ante Chriſtum natum, itaut Æra octingenteſima quinquageſima-prima cum anno poſt Chriſtum natum octingenteſimo decimo-tertio, ſiue cum anno Caroli Magni in Francia regnantis quadrageſimo-quinto, comparetur. At Æra prima, quæ Canoni Auguſtodunenſi præfigitur, ab Æræ Hiſpanicæ computo longiſſimè recedit; quis enim dicat Synodum Auguſtodunenſem habitam eſſe Erâ primâ Hiſpanorum, id eſt, anno ante Chriſtum natum duodequadrageſimo, ſiue anno Iuliano ſexto quo Domitius Caluinus & Aſinius Pollio Conſulatum geſſerunt? Era fortaſſis in Concilio Auguſtodunenſi abuſiuè vſurpatur, vt annos Leodegarij Epiſcopi connotet, & iſte titulus *(Canones Auguſtodunenſes ara* I.*)* fruſtrà diuiditur in duas partes, cùm nihil aliud ſignificare videatur, quàm Canones Auguſtodunenſes conditos fuiſſe *arâ* I. ſiue anno primo Leodegarij Epiſcopi. Quamuis hæc interpretatio placere poſſit, & ſanctum Leodegarium ob ſtudium ac vigilantiam in adminiſtranda Diœceſi plurimùm commendet, quòd ne primum quidem ſui Pontificatûs annum abſque conuocatione Synodi paſſus ſit elabi, ſuſpicamur potiùs mendum in Æram irrepſiſſe, nec *arâ* I. ſed *arâ* DCCI. ſancitos fuiſſe Canones Auguſtodunenſes. In libris cùm manuſcriptis tum excuſis errores huiuſcemodi ſæpè reperiuntur, literarum numeralium parte alterâ, ſeu priore ſeu poſteriore, per incuriam omiſsâ. Deinde quis ſibi perſuadeat Eram ab iiſdem Francis in Synodo Auguſtodunenſi aliter acceptam eſſe quàm in Arelatenſi, aut quemquam ab Hiſpanis in notanda Era diſcrepaſſe? Synodum igitur Auguſtodunenſem exiſtimamus celebratam fuiſſe Erâ ſeptingenteſimâ primâ, id eſt, hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-tertio.

*Nu 3 & ſeqq.

QVANDO HABITA.

VII. Petrus *Delalande* præter Canones Auguſtodunenſes, quos Sirmondus proauunculus publicauit, vnum adiecit è Bibliotheca Thuanea, qui nihil habet omnino quod ad Monaſteria ſpectet.

VIII. CANONES. Canones omnes, quos Synodus Auguſtodunenſis de rebus monaſticis edidit, non extant hodie. Nouem duntaxat deſcripti ſunt à Sirmondo, nec ſingulis ſui præfiguntur numeri, tres enim publicati ſunt abſque numeri nota. Quid de Monaſteriis ſanxerint, iam inſpiciamus.

IX. MONACHVS NIHIL HABEAT PROPRIVM. *Primus titulus hic eſt monaſtica diſciplina, vt Abbates vel Monachi peculiare non habeant; & Monachi ab Abbate victum & veſtitum conſuetum accipiant.* Habet ſimilia ſanctus Benedictus capite triceſimo-tertio ſuæ Regulæ. *Ne quis præſumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino, quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate. Omnia verò neceſſaria à patre ſperare Monaſterij, nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiſerit.* Et capite quinquageſimo-quinto. *Vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia qua ſunt neceſſaria, id eſt, cuculla, tunica, pedules, caliga, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula, vt omnis auferatur neceſſitatis excuſatio.*

X. Deſunt Tituli, ſecundus, tertius & quartus.

AN. CH. 663.

CLOTAR. III. R. 8.

CHILD. II. R. 4.

V. Vt compatres nullus eorum audeat habere. Haud aliter statuit sanctus Cæsarius in Regula Monachorum, capite decimo. *Filium*, inquit, *de Baptismo nullus excipiat.*

VI. Vt in ciuitatibus errare non inueniantur. Quòd si causâ vtilitatis Monastery, cum literis Abbatis sui ad Archidiaconum ciuitatis scriptis dirigantur.

Deest septimus Titulus.

VIII. Vt Abbati suo ac Præposito sint obedientes. Eadem præcipiuntur capite vicesimo-tertio Regulæ Agaunensis. *Præposito specialiter obediatur, multò magis Abbati, qui vestrûm omnium curam gerit, quia qui illos spernit, spernit eum qui dixit. [Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.]* XI. NON SIT PATRINVS. XII.

Deest nonus Titulus.

X. Vt nullus familiaritates extranearum mulierum præsumat habere; & qui inuentus fuerit, seuerius corrigatur. Vt mulieribus in Monasterium Monachorum nullatenus ingredi liceat. Similia leguntur in Regula Monachorum Agaunensium, capite quarto. *Cum extranea muliere collocutiones absque testibus, Canonum auctoritate legitimâ, prohibentur; matrum etiam & germanarum fabulis eos misceri secretiùs nullatenus concedatur, ne in ipsa nouitate militiæ constitutos seculari præsumptione subuertant.* Et capite vicesimo. *Fœminæ vestrum non frequentent habitaculum, sed cùm pro deuotione sua vel pro amore religionis vestræ expetierint Monasterium, non eis concedatur interiores Monastery ianuas introire, sed in Oratorio aut in hospitali domo reddatur illis honor & gratia.* NON VAGETVR. XIII. XIV. ABBATI ET PRÆPOSITO OBEDIAT. XV. XVI. FAMILIARITATEM EXTRANEARVM MVLIERVM NON HABEAT.

Desunt Tituli, vndecimus, duodecimus, decimus-tertius, ac decimus-quartus, & absque vlla numeri nota subiicitur hæc Sanctio. *Statuimus atque decernimus, vt nullus Monachum alterius absque permissu sui Abbatis præsumat retinere, sed cùm inuentus fuerit vagans, ad cellam propriam reuocetur, ibi iuxta culparum merita coercendus.* Eadem Sanctio reperitur in Regula sancti Ferreoli, capite sexto. *Monachum omnino siue Clericum alterius loci vel Monastery recipi sub qualibet causa nolumus, interdicimus, prohibemus.* Et capite vicesimo. *Vagari per loca Monachum sicut non decet, ita non conuenit, &c. Quapropter id definiuimus obseruandum, vt præter illos, qui pro vtilitate Monastery ab Abbate huc illúcque habere iubentur excursus, nullus egredi Monasterium loco alio moraturus absque voluntate Abbatis pro qualibet re vel necessitate præsumat.* XVII. ABBAS MONACHVM ALTERIVS NON RETINEAT.

XV. De Abbatibus verò vel Monachis ita obseruare conuenit, vt quicquid Canonicus ordo vel regula Sancti Benedicti edocet, & implere & custodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel Monasteria conseruata, & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes assiduas malis carebit contagiis. Ex hoc Titulo liquet id præcipuè Leodegario placuisse, vt in Cœnobiis Diœceseos Augustodunensis nulla Regula præter Benedictinam vigeret. Cur adeò studiosus Ordinis Benedictini fuerit, hæc afferri ratio potest. Diu vixit rexitque Monasterium in Diœcesi Pictauiensi, quæ contermina est Andinæ, vbi Glannafolium, familiæ Benedictinæ sedes in Galliis antiquissima ac florentissima, vnde Monachos Benedictinos in suum Monasterium fortè iam induxerat, nec alia occurrit causa, cur eius *passio & receptio reliquiarum* Tabulis Benedictinis inscribantur, hæc tertio Idus Aprilis, illa sexto Nonas Octobris. A Floriano Abbate, qui Glannafoliense Monasterium anno Christi sexcentesimo sexto gubernandum suscepit, ad Gausbertum Abbatem, qui sub Ludouico Pio claruit, effluxerunt anni circiter ducenti. Perierunt quidem Abbatum nomina, qui Glannafolium per illa tempora rexerunt, laudatur[a] nihilominus hoc Monasterium ob regularem disciplinam quâ plurimùm enituit ad medium vsque octauum seculum, donec variis casibus ac ruinis penè desolaretur. Asceteæ Glannafolienses erant in maxima pietatis existimatione, cùm Leodegarius adeptus est Episcopatum. Id in dubium vocari non potest, nam Leodegarij Pontificatus in Floriani Abbatis ætatem penè incidit. XVIII. ABBATES ET MONACHI CVSTODIANT REGVLAM S. BENEDICTI.

[a] Tom 4. Gall. Christ.

XIX. XX. MONACHVS CAVEAT NEGLIGENTIAM ET INOBEDIENTIAM.

Sequuntur duæ Sanctiones absque numeri nota.

Prima talis est. *Sint Monachi omnino obedientes, sint frugalitatis decore pollen-*

AN. CH. 663. CLOTAR. III. R. 8. CHILD. II. R. 4.

tes, in opere Dei feruentes, orationi instantes, in caritate perseuerantes, ne propter negligentiam aut inobedientiam hoste circumeunte ac rugiente & quærente quem deuoret, cibus efficiantur. Sit eis cor vnum & anima vna. Nemo suum aliquid esse dicat, sed sint eis omnia communia. In commune laborent. Hospitalitatis omnino sint receptores. Sanctus Benedictus obedientiam sic commendat capite septuagesimo-primo suæ Regulæ. *Obedientia bonum non solùm Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi inuicem ita obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi, de cetera omnes iuniores prioribus suis omni caritate & sollicitudine obediant.* Frugalitatem sic sanctus Columbanus capite tertio suæ Regulæ. *Cibus sit vilis & vespertinus Monachorum, satietatem fugiens & potûs ebrietatem, vt & sustineat, & non noceat. Olera, legumina, farina aquis mixta cum paruo panis paximatio, ne venter oneretur & mens suffocetur. Etenim vtilitati tantùm & vsui consulendum est æterna desiderantibus præmia, & ideò temperandus est ita vsus, sicut temperandus est labor, quia hæc est vera discretio, vt possibilitas spiritalis profectûs cum abstinentia carnem macerante retentetur.* Feruorem in opere Dei sic sanctus Benedictus capite quadragesimo-tertio suæ Regulæ. *Ad horam diuini Officij, mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur.* Orationem sic sanctus Cæsarius in Regula Monialium. *Orationibus sine intermissione insistite, secundum illud Euangelij. [Orantes in omni tempore vt digni efficiamini.] Et Apostolus. [Sine intermissione orate.]* Caritatem sic sanctus Benedictus capite septuagesimo-primo. *Nullus quod sibi vtile iudicat sequatur, sed quod magis alij. Caritatem fraternitatis casto impendant amore.* Idem sanctus Benedictus cauendam proprietatem sic monet capite tricesimo-tertio. *Omnia omnibus sint communia, nec quisquam suum esse aliquid dicat aut præsumat.* Sanctus Cæsarius in commune laborandum esse sic docet. *Omnia opera vestra in commune fiant tam sancto studio & feruente alacritate, quomodò si vobis propria faceretis.* Denique sanctus Benedictus hospitalitatem commendat capite quinquagesimo-tertio, quod inscribitur *de hospitibus suscipiendis.*

XXI. Altera Sanctio talis est. *Quisquis autem hæc à nobis, Deo præcipiente, dictata in confirmationem regularem Monachorum tentauerit aliquâ transgressione cassare, si Abbas est, anno vno ei communionis potestas suspendatur; si Præpositus, annos duos; Monachus, aut fustibus verberetur, aut à communione & Missa & caritate annos tres suspendatur. Iustum enim est, vt subrepentia vitiorum semina falce iustitiæ resecentur, ne dum simulatione continentiæ nutriuntur, ita syluescant, vt nec securibus excidantur.*

XXII. CLERICVS SYMBOLA APOSTOLORVM ET S. ATHANASII MEMORITER TENEAT.

Canon ex Bibliotheca San-Benigniana sic editus est. *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod Sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & fidem sancti Athanasij Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Per fidem sancti Athanasij intellige Symbolum sancti Athanasij, quod, vt Petrus *Delalande* obseruauit, olim solebat vocari fides Athanasij vel sermo de fide seu fidei Catholicæ, aut expositio fidei Athanasij. Atque hanc priscam & veram fuisse appellationem ostendunt Græci, qui ἔκθεσιν vel ὁμολογίαν τῆς καθολικῆς πίστεως interpretati sunt. Latini posteà Symbolum appellarunt, & inter hos primi omnium Galli. Porrò tanti apud Maiores nostros fuit illud, vt vnà cum Symbolo Apostolorum memoriæ à Clericis omnibus commendari Synodus Augustodunensis præceperit. Aduersùs vtrumque multa scripsit Gerardus Ioannes Vossius in tribus dissertationibus, quas de totidem Symbolis anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-secundo in lucem emisit. Negauit quidem Symbolum Apostolicum ab Apostolis compositum fuisse, fassus est tamen Auctores ante annum Christi quadringentesimum, id est, ante annos ducentos sexaginta tres & ampliùs priusquàm Synodus Augustodunensis haberetur, repertos esse non paucos,

qui Symbolum illud ab Apostolis esse conditum affirmarent, assererentque
Maiores suos in eadem sententia versatos esse, vnde patet antiquissimam esse AN.CH.
Ecclesiæ traditionem, de qua nefas dubitare. Conatus est & auctoritatem 663.
eleuare Symboli Athanasiani, audactérque inficiando ex iis, qui mentionem CLOTAR.
illius Symboli fecerunt, quemquam inueniri vetustiorem Oratoribus, qui III. R. 8.
Constantinopolim anno Christi millesimo ducentesimo vndequadragesimo à CHILD.
Gregorio Nono Papa directi sunt, secundam dissertationem sic exorsus est. II. R. 4.
Primi, vt arbitror, apud quos Athanasiani fiat Symboli mentio, sunt Rodolphus & Aymo ex Minorum; & Hugo ac Petrus ex Prædicatorum Ordine; qui quatuor, anno CIↃCCXXXIX. *ad Græcos Latinis conciliandos, à Gregorio IX. Constantinopolim missi fuere: vnde* ἀποκρισιάριοι, *hoc est, Legati Ecclesiæ, non Græcis modò, sed Latinis etiam, vocantur.* In eadem tamen dissertatione [a] posteà subiecit *videri circa annum millesimum id Symbolum iam in Ecclesiis aliquibus obtinuisse, & ita obtinuisse, vt aliqui Athanasij id esse arbitrarentur*, citauitque in illam rem Abbonem Abbatem Floriacensem, cuius hæc sunt verba in Apologetico ad Hugonem & Robertum Reges Francorum. *Primitus de fide dicendum credidi, quam alternantibus choris, & in Francia, & apud Anglorum Ecclesiam, variari audiui. Alij enim dicunt, vt arbitror, secundùm Athanasium; Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, non creatus, sed procedens.* At eundem Vossium tanquam amicum quinto pòst anno Iacobus Vsserius per literas admonuit hanc fidei formulam adscriptam Athanasio fuisse temporibus Caroli Calui, ídque manifestum esse *tum ex ineditis, Rathramni Corbeiensis Monachi contra Græcos libro 2. & Æneæ Parisiensis Episcopi contra eosdem lib. 1. cap. 19. tum ex Hincmari Remensis Archiepiscopi Capitulis, Presbyteris Parochiæ suæ anno* DCCCLII. *datis.* Scripsit Vsserius ad Vossium anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-septimo. Nondum Ratramnus & Æneas in lucem prodierant. Vtrumque posteà Lucas Dacherius è tenebris eruit, & in suo Spicilegio cum aliis veteribus monumentis publicauit; Ratramnum Tomo secondo, anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo, Æneam Tomo septimo, anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-sexto. Opus Rathranni seu Ratramni *contra Græcorum opposita* diuiditur in quatuor libros. Singuli libri distribuuntur in capita. Capite tertio libri secundi ab Vsserio nominati hæc leguntur de sancto Athanasio. *Beatus Athanasius Alexandrinus Episcopus multa propter Catholicæ fidei constantiam ab Arrianis perpessus, frequenter etiam exilio illorum factione pulsus, & in Nicæna Synodo Episcopo suo beato Alexandro Diaconus assistens, aduersùs vesaniam Arrij singulariter dimicans, in libello de fide, quem edidit, & omnibus Catholicis tenendum proposuit, inter cætera sic ait. [Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre solo est; non factus, non creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, non creatus, non genitus, sed procedens.]* Æneas Parisiensis Episcopus librum, quem scripsit *aduersùs Græcos*, ab encomio S. Athanasij sic auspicatus est. *S. Athanasius Alexandrinæ Sedis Episcopus, Græca lingua experientissimus, vbi beatus Marcus Euangelista præsedit; quæ Sedes secunda est à prima Romana, vt Canonum Statuta decernunt.* Lucubrationem suam in septem Quæstiones siue Obiectiones distinxit. Primam illarum cui Titulus, *quare Spiritum Sanctum à Patre & Filio profiteamur procedere, & non à solo Patre*, nonaginta quatuor capitulis absoluit. Nooemdecim priora confecit ex totidem sancti Athanasij textibus. Vndeuicesimum ex eius fide Catholica seu Symbolo sic desumpsit. *Item idem*, nempe sanctus Athanasius, *in fide Catholica; Quòd Spiritus Sanctus à Patre procedat & à Filio. [Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre solo est, non factus, non creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, non creatus, non genitus, sed procedens. Vnus ergo Pater, non tres Patres; vnus Filius, non tres Filij; vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Itaut per omnia, sicut iam supradictum est, & Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate veneranda sit. Qui vult*

[a] Num. 15.

AN. CH. 663. CLOTAR. III. R. 8. CHILD. II. R. 4.

ergo saluus esse, ita de Trinitate sentiat.] Hincmari Capitulum primum ad Presbyteros Parochiæ Remensis rectè citauit Vsserius ex Appendice ad Tomum tertium Conciliorum Gallicanorum à Iacobo Sirmondo editorum anno Christi millesimo sexcentesimo vndetricesimo. Capitulum integrum accipe cùm ex eadem Appendice, tum ex Hincmari operibus in duos Tomos distributis & anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-quinto ab eodem Sirmondo publicatis. *Vnusquisque Presbyterorum expositionem Symboli, atque Orationis Dominicæ, iuxta traditionem Orthodoxorum Patrum, plenius discat. Exinde prædicando populum sibi commissum sedulò instruat. Præfationem quoque Canonis, & eundem Canonem intelligat, & memoriter ac distinctè proferre valeat, & Orationes Missarum, Apostolum quoque, & Euangelium benè legere possit. Psalmorum etiam verba & distinctiones regulariter, & ex corde, cum Canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Necnon & Sermonem Athanasij de fide, cuius initium est,* [*quicumque vult saluus esse,*] *memoriæ quisque commendet, & sensum illius intelligat, & verbis communibus enuntiare queat.* Ratramno, Æneâ & Hincmaro, suprà laudatis longè antiquior est Synodus Augustodunensis, de qua nunc agimus, eâque nixi scribere possemus quod Vsserius in prædictis literis ad Vossium, & vnumquemque monere ne facilè persuaderi sibi patiatur *Athanasianum Symbolum Pipini vel Karoli M. temporibus conditum, aut à Gregory IX. Apocrisariis Athanasij nomine fuisse prolatum.* In eadem epistola Vsserius testatus est à se visa duo Psalteria Latina, *in quibus & Athanasianum habebatur Symbolum, & Apostolicum, totidem omnino quot hodiernum nostrum continens capitula.* Prioris Psalterij vetustatem & titulos Symbolis in eo præfixos ita commendauit. *In priore*, nempe Psalterio, *quod Gregory I. tempore non fuisse recentius tum ex antiquo picturæ genere colligitur, tum ex literarum forma grandiuscula Athanasianum quidem fidei Catholicæ, alterum verò Symboli Apostolorum præfert titulum.* De posteriore Psalterio sic locutus est. *In posteriore, quod Regis Æthelstani aliquando fuit, Apostolicum vice versâ Symbolum simpliciter, alterum autem fides Sancti Athanasij Alexandrini nuncupatur.* Gregorius Primus anno Christi sexcentesimo Pontificatum Romanum gerebat, Æthelstanus in Anglia regnabat anno Christi tricesimo supra nongentesimum. Posterius illorum Psalteriorum, licèt multò minoris habeatur antiquitatis quàm Synodus Augustodunensis & Scriptores Carolo Caluo coætanei, saltem ex Æthelstani Regis ætate deprehenditur vetustius Abbone Abbate Floriacensi, quem Vossius Auctorum, qui Symbolum Athanasio adscriptum memorarent, omnium antiquissimum perperam putauit. Prius autem Psalterium, quod colligitur Gregorij Magni tempore non fuisse recentius, antiquitate non tantùm auctoritatibus à Vossio allegatis sed & ipsi Concilio Augustodunensi longè præstat. Quapropter arbitrare eos à quibus conditus est Canon Augustodunensis, qui præcipit, vt *si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod Sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, & fidem Sancti Athanasij Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur,* de Symbolis Apostolico & Athanasiano non aliter sensisse quàm Maiores suos anteà sensisse nouerant. Vsserius literas suas ad Vossium, quas anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-septimo datas diximus, ita clausit, *Scribebam Londini, VI. Id. Februar. anno Christianæ epochæ* MDCXLVI. *vt nos in Anglia numeramus; vt vos verò in Belgio, XII. Kalend. Mart. ann.* MDCXLVII. Quos Characteres vt conciliare possis cùm in die tum in anno, nota *in Belgio*, id est, in Comitatu Hollandiæ vbi Amstelodamum & Vossij domicilium, receptum esse Kalendarium à Gregorio decimo-tertio Papa reformatum, annique principium à Kalendis Ianuariis peti; in Anglia verò, vbi scribebat Vsserius, in vsu adhuc esse vetus Kalendarium, quod à nouo seu reformato differt decem diebus, & initium anni non desumi à Kalendis Ianuariis sed à die Incarnationis Dominicæ, siue ab octauo Kalendas Apriles, quo die *Annuntiatio Beatæ Mariæ Virginis* celebratur. In hisce duobus tota controuersia vertitur, itaut propter Kalendarij differentiam qui Londinensibus

dies

dies est sextus ante Idus Februarias, is Amstelodamensibus fit duodecimus ante Kalendas Martias: idémque dies, qui Londinensibus VI. est ante Idus Februarias & Amstelodamensibus XII. ante Kalendas Martias, ex Amstelodamensium calculo, qui principium anni à Kalendis Ianuarij petunt, ad annum pertineat, cuius initium Kalendæ Ianuarij nuperrimè præteritæ fecerunt, ex Londinensium autem computo, qui principium anni ducunt ab octauo die ante Kalendas Aprilis, pertineat ad annum præcedentem, cuius finis cum die nono ante proximas Kalendas Aprilis coincidet. Sic Vsserius rectè monuit se iuxta supputationem Anglorum scribere Londini VI. *Id. Februar. anno Christianæ epochæ* MDCXLVI. siue iuxta Vossij & Amstelodamensium computationem XII. *Kalend. Mart. ann.* MDCXLVII. Nos verò, quia sicut Vossius & Amstelodamenses annum à Kalendis Ianuariis inchoamus, Vsserij literas anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo-septimo datas determinatè diximus, siue anno quinto postquàm Vossius suas de tribus Symbolis dissertationes edidisset *Amstelodami* CIↃIↃCXLII. XII. *Kal. Iun.* Redeamus ad Synodum Augustodunensem.

AN. CH. 663. CLOTAR. III. R. 8. CHILD. II. R. 4.

XXIII. FESTIVITATES QVOMODO CELEBRANDÆ.

Canon, qui nuperrimè prodiit ex Bibliotheca Thuanea, *Canonum Augustodunensium* XIV. inscribitur, éstque huiuscemodi. *Sæculares verò, qui Natale Domini, Pascha, Pentecosten non communicauerint, inter Catholicos non habitent. Nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare aut Missas facere præsumat; quòd si quis præsumpserit, amittat honorem. Mulieres ad altare ingredi non oportet.* Prima pars huius Canonis, in qua de festiuitatibus agitur, desumpta est ex Concilio Agathensi, cuius Canon duodeuicesimus talis est. *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha & Pentecosten non communicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Altera pars, quæ spectat ad Presbyteros, desumpta est ex Concilio Matisconensi Secundo, cuius Canon sextus hoc habet initium. *Nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut Missas priuatis festisque diebus concelebrare præsumat. Iniustum est enim, vt spiritali alimento corporale præponatur, sed si quis hoc attentare curauerit, dignitatem amittat honoris.* Tertia pars, quæ mulieres procul arcet ab altari, desumpta est ex Concilio Namnetensi, cuius Canon tertius ita clauditur. *Nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.*

MISSÆ A IEIVNIS OICANTVR.

MVLIERES PROCVL SINT AB ALTARI.

XXIV. CVNIBERTVS EPISC. COLON. OBIIT.

In Austria Cunibertus, cùm Diœcesim Coloniensem per annos quadraginta strenuè gubernasset, ad æternam gloriam migrauit. *Completis feliciter,* inquit Auctor vitæ, *quadraginta villicationis suæ annis, pridie Iduum Nouembris perueniens ad diem lucis huius extremum, Creatori suo ditandum bonis omnibus reddidit spiritum. Corpus autem eius, sicut ipse viuens præceperat, positum est cum magna gloria in Ecclesia Sancti Clementis quam ipse construxerat.* Ecclesia illa, vt Surius [a] ad beati Cuniberti vitam annotauit, hodie Basilica sancti Cuniberti nominatur. Successit in Episcopatum Bocaldus.

[a] D. 12. Nou.

SVCCEDIT BOCALDVS.

XXV. EPISCOPI ALETENSES.

Obiit etiam hoc anno Tutamenus Aletensis Episcopus in Armorica, cùm sedisset annos quatuor. Successit Rauilius. Lege catalogum Aletensium Antistitum in Armorica Sancta.

AN. CH. 664.
CLOTAR. III. R. 9.
CHILD. II. R. 5.

ANNVS
CHRISTI 664.
CLOTARII III. R. 9.
CHILDERICI II. R. 5.

I. MONAST. SARCHINIENS. DICATVR.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto Traiectensis Episcopus, postquam Sarchiniense Monasterium à Trudone Presbytero constructum fuit, Ecclesiam Deo in honorem sanctorum Quintini Martyris & Remigij Confessoris dicauit. Donatus Diaconus, qui vitam sancti Trudonis primus scripsit, nullum de Templi dedicatione verbum fecit, vt infrà patebit ex eius textu quem citabimus. Harigerus [a] eandem cæremoniam silentio prætermisit, elogium enim sancti Trudonis, quod encomio sancti Remacli medium inseruit, sic absoluit. *Voti sui non immemor Cœnobium in prædio suo sine dilatione fundauit, patrimoniis & reditibus dotauit, Deo seruientes illic constituit, cum quibus & ipse residuum vitæ suæ sanctè & piè conuersando peregit, tandémque finem vitæ sortiens bonum, ibidem sepulturam accepit.* Notgerus prædictam Ecclesiam à sancto Remaclo dedicatam fuisse sic affirmat in eius vita. *Beatus Trudo natale reuisit solum, & quod iampridem animo conceperat, re ipsâ effecit, Oratorium extruens in prædio suo, vbi multos Deo seruituros collegit, atque ad extremum a beato Remaclo eius Oratorij consecrationem & petiit, & impetrauit.* Apud Theodoricum autem in vita sancti Trudonis, *dedicata ad votum Ecclesia per beatum Theodardum, sanctissimi Martyris Quintini, necnon & gloriosi Rhemorum Archipræsulis Remigij memoriæ titulatur.* Theodoticum secutus est Author Chronici Trudonensis. Imus in hanc sententiam, quia Theodardus Ecclesiæ Traiectensis regimen iam susceperat. Istius Basilicæ dedicationi fortè ambo interfuerunt Remaclus & Theodardus, vt Cellæ sancti Gisleni dedicandæ operam nauasse perhibentur Amandus & Autbertus Episcopi, de quibus in vita beati Gisleni [b] sic Anonymus loquitur. *Absolutâ Oratorij structurâ, rogante beato Gisleno, sanctissimi Pontifices Amandus & Autbertus in honorem Apostolorum more Ecclesiastico illud celeberrimè dedicarunt.* Et Fulbertus [c] in vita sancti Autberti. *Gaudens venerabilis Pater* Autbertus Cameracensis Episcopus *bonis viri*, nempe Gisleni, *studiis, accersito secum beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circumfusa plebis exultatione, Monasterium dictum ad laudem Domini & honorem Apostolorum Petri & Pauli consecrauit.* Ceterùm dedicationi, de qua nunc agimus, in Trudonensi Chronico & apud Miræum [d] in fastis Belgicis, dies præfigitur tertius ante Idus Octobris, isque dies designat hunc annum à Christo nato sexcentesimum sexagesimum-quartum, quoniam toto tempore quo Theodardus Pontificatum gessit, dies tertius ante Idus Octobris cum Dominico coincidit hoc duntaxat anno bisextili, qui literâ Dominicali F per mensem Octobrem præditus fuit.

[a] Cap. 52.
[b] Ap. Sur. d. 10. Sept.
[c] Ap. Sur. d. 13. Dec.
[d] d. 23. Nou.

II. Sarchiniense Monasterium rexit Trudo Presbyter, quamuis abstinuerit Abbatis nomine. Apostolus Hasbaniæ dici meruit, quia complures illius regionis incolas ad Dei cognitionem & amorem adduxit. In eius laudes sic excurrit Donatus. *Venerabilis Trudo memor verbi sui & voti quod Deo in sua pueritia vouerat, Ecclesiam in sua hæreditate construxit in honore beati Quintini Martyris & sancti Remigij Confessoris, in loco qui vocatur Sarchinnio sito super fluuio Cysindria, ibíque suffragante Domino magnam vtilitatem animarum tam sanctæ exhortationis studio quàm religiosissima vitæ exemplo operabatur. Instanter autem populum monitis cælestibus erudiebat, nudis vestimenta præbebat, humiles diligebat, superbos castigabat, errantes corrigebat, infirmos visitabat, diuitibus largitatem docebat. Innumerabiles itaque viri per doctrinam illius compuncti & ab erroris via conuersi sanc-*

AN. CH. 664.
CLOTAR. III. R. 9.
CHILD. II. R. 5.

*tum Patrem sequentes soli Domino seruierunt. Plurimos autem discipulos venerabilis Pater nutriebat in eodem loco, inclitos quoque pueros diuinâ sapientiâ eruditos mundi huius caducas diuitias & temporales honores despicere docebat. Itaque factum est vt multi nobiliorum hominum filij istius seculi prospera despicientes, comámque suam deponentes cum inuicto militæ Christi, soli Deo deseruirent. Meritis igitur beati Patris exigentibus, plurimi ad Dominum conuersi sunt, & qui se solum inprimis Christo seruiturum obtulit, postmodum cum multis Domino seruire promeruit, & cuius vita meritum in pueritia paucis innotuit, in perfecta iam ætate exemplum vitale plurimis extitit, sícque Omnipotentis Dei gratia in eo refulsit, vt à cunctis habitantibus Hasbaniam * honore paterno veneraretur, accidítque vt is qui castitatis pudore refrænatus carnalem sobolem habere contempserat, innumerabilem in Christo progeniem possideret. Multa autem miraculorum insignia ostendit Dominus illis temporibus per seruum suum. Fuit quidam fidelis vir cognatus etiam venerabilis Patris, habitans in villa quæ vocatur Amburnia, diues valdè opibus & fide robustus. Quadam igitur die venerabilem Trudonem isdem vir inuitauit ad domum suam, vt audiret ab eo sermonem salutis. Cui vir Dei libenter obediens ad domum illius perrexit. Suscepit autem eum vir supradictus cum maximo gaudio. Tunc vir sanctus tam illum quam etiam totam domum ipsius spiritualibus erudiuit Domini præceptis. His ritè peractis, famulus Domini Trudo & cognatus eius deambulabant in pomærio, ad quem vir Dei. O, inquit, amice, quàm amœnus esset locus iste si aquam in proximo habuisset. Cui ille. Etiam Pater. Tunc venerabilis famulus Domini Trudo in eodem loco foramen cum baculo suo cauauit, retracto autem à se baculo eruperunt simul aquæ largissimæ, quæ etiam ob necessitatem villam ipsam habitantium fluunt abundanter vsque in hodiernum diem. Cognatus verò viri Dei ob commemorationem huius miraculi Oratorium ibi in beati Trudonis honore construxit, quod etiam vsque in præsens perdurare tempus cognoscitur. Sed & ob venerandi Patris merita, virtutes plurimas in eodem Oratorio Dominus operari dignatus est.* Theodoricus, qui trecentis post Donatum annis vitam beati Trudonis * scripsit, villam ipsam Amburniam sic appellatam finxit, mutatis literarum penultimis, quasi Ambulliam, hoc est, amne bullientem, sed prædictum miraculum tali probatione non eget. Trudo diem iuuandis proximis absumebat, noctem Deo sibíque seruabat eò libentiùs, quòd mortalium neminem haberet arbitrum. *Habebat in consuetudinem cunctis diebus vitæ suæ*, inquit Donatus, *vt solus in obscuro noctis silentio ad vicum, qui nuncupatur Falmio, pergeret, in quo Ecclesia in honore sancti Martini constructa esse dinoscitur, in qua sanctis Psalmorum hymnis Domino decantatis ad propriam remeabat Cellam. Distat verò illa Ecclesia à Sarchinnio, vbi nunc idem Confessor Christi in corpore requiescit, tertio miliario. Alterâ verò nocte pergebat ad villam quæ Septimburias dicitur, in qua ædificata est Basilica in honore sanctæ Genouefæ virginis, vbi eodem studio psalmodiis & orationibus Domino decantatis ad suam reuertebatur Ecclesiam, sícque alternatis noctibus hanc aut illam visitare consueuerat. Quæ etiam Ecclesia eodem penè spatio à prædicto Sarchinnio viri Dei Cellâ distare videtur, hoc est, miliario, vt diximus, tertio.*

* *Hesbaye. Hasbain. Haspengow.*

* *S. Tron. S. Truyen. S. Truden.*

III. Circa hæc tempora Deodatus Niuernensis Episcopus abdicauit se Pontificatu. In eius vita, quam Monachus vallis Galilææ conscripsit, desiderantur notæ temporum, quibus Ecclesiæ Niuernensis regimen suscepit ac dimisit, nec vlli leguntur Characteres Chronologici præter tres annos septimi seculi, nempe sexagesimum-septimum, sexagesimum-nonum & septuagesimum-nonum, quorum primo sedes eius in Alsatia laudatur, altero narratur secessus in vallem Galilæam, tertio mors consignatur. In catalogo Niuernensium Antistitum post Rauracum, qui Concilio Cabilonensi anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, & Priuilegio Landerici Episcopi Parisiensis anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo subscripsit, ponitur Gilbertus anno Christi circiter sexcentesimo sexagesimo-quinto, medius locus Deodato tribui debet. Qui Gilberto sanctum Deodatum subiiciunt, huius vitam non satis accuratè perlegerunt, neque enim ad Deum migrasse dicitur *vndecimo suæ ab-*

DEODATVS ABDICAT EPISCOPAT. NIVERN.

AN. CH. 664. CLOTAR. III. R. 9. CHILD. II. R. 5. IV.

dicationis anno, vt illi scribunt, sed anno vndecimo post aduentum in vallem Galilæam, priùs autem quàm in valle Galilæa pedem figeret, *fundamenta Monasterij*, quod Argentillæ primùm erigere conatus est, *ad aliquod fastigium perduxit*, deindę *Alsatiam ingressus apud Wilram condito domicilio resedit*, vt Author vitæ testatur [a].

[a] Ap. Surium, d 19 Iun.

Deodatus in Occidentali Francia nobilibus parentibus natus est, & ne sanctitas eius sub modio diutiùs lateret, pari consensu Cleri ac plebis donatus est Niuernensi Pontificatu. *Factus Episcopus non quæ sua sunt quæsiuit, sed quæ Iesu Christi, nec tam pro honore ab hominibus debitam reuerentiam, quàm à Deo sempiternam remunerationem expetiit. Cuius rei hoc potest esse certissimum argumentum, quod ille se Pontificatu vltro abdicauit. Vir summæ sanctitatis, in charitate Dei perfectâ humilitate fundatus & radicatus, districti iudicis & æquissimi tribunalis eius consideratione perterritus, sciens cui plus commissum sit, ab eo quoque plus requisitum iri, totum se accinxit ad perfectam Christi imitationem suscipiendam. Deliberatione ergo tanta rei planè expeditâ nuncium remittit tam suis quàm alienis negotiis, & ne nauis Ecclesiæ Christi tam idoneo destituta gubernatore, veniret in discrimen, frequenti gregi suo, piis eius retinendi causâ lachrymis armato valedicit, & cum aliquot eiusdem propositi sociis è Niuernensi oppido egrediens, voluntarium sibi ipsi à natali solo exilium indicit, ciuis Angelorum & Christi cohæres futurus, quem expectare volebat in solitudine saluus factus à pusillanimitate spiritûs & tempestate tumultûs popularis. Beati autem, immò térque quatérque beati viri, centuplum à Christo & vitam æternam percepturi, præ cæteris comites fuere Arbogastus & Florentius, quorum prior in sacro nemore, quod Germanico idiomate Heiligeforst dicitur, eremiticam duxit vitam, & inde ad Argentinensis Ecclesiæ Præsulatum raptus est, cui decedenti, item à solitudine Hasale abstractus Florentius datus est successor.* Arbogastus erat Aquitanus, Scotus Florentius, agemus de vtriusque Pontificatu suis locis. *Præter hos fuere cum Deodato Willigodus, Domnolus & eiusdem cum illo nominis Deodatus, quos nullus labor ab eo separare potuit, quin certatim illi officiosè inseruirent, & eius parerent iussis, satius ducentes cum illo inter ignotos affligi, quàm apud notos in patria rebus iucundis perfrui. Præsidebat tum Tullensi Ecclesiæ Leudinus* (corruptè *Gribaldus* in exemplaribus) *vir sanctissimus, quando fidelis Christi seruus Deodatus, repudiato seculo, in Vosagi saltu sibi sedem delegit, cúmque tandem cum sociis venisset ad Romanum * prædium, quod tum duo fratres inter se partiebantur, cuius esset meriti, Dei nutu declaratum est. Asclas enim vnus ex iis fratribus nouas illic extruebat ædes, ad fastigia cùm ventum esset, trabs quædam, cui omnis contignatio inniti debebat, nullâ arte vel industriâ per triduum suo potuit loco aptari, modò breuitate, aliàs curuitate vel aliâ re id impediente. Iratus igitur Asclas conuiciis artifices proscindebat, quòd cùm syluam ad manum haberent, velut inertes multam operam in eam rem frustrà impendissent. Illis autem iam & opere defessis, & animi mærore affectis, pransum euntibus, vir sanctus eò accedit, & fessus ex itinere in ea domo residet. Vbi autem ex puerulo quodam didicit rei totius seriem, multâ permotus misericordiâ, qua ab infantia cum illo adoleuerat, tentauit opem ferre mærentibus, accitóque beato Willigodo & sociis aliis trabem illam sensim ad locum suum admouit, ac deinde cœpto perrexit itinere. Vbi id resciuit loci eius herus, non longè progressum ex itinere ad se reducit, compertâque tum peregrinationis eius causâ, tum ipsius conditione, prædium illud ei donauit vsu tantùm eius ad vitam sibi reseruato, certam argenti summam in annos singulos viro Dei pollicens. Nec dubitauit pauper Christi suscipere aliena, qui reliquerat sua, vt merces cumularetur religioso viro ex ipsius eleemosyna, quâ videbat sustentari posse pauperes Christi, quos posteà illic Christo congregauit, aut certè quod spiritu præuideret locum illum dilecti discipuli sui Willigodi sepulturâ nobilitatum iri, ad cuius quidem exanime corpus tot & tanta vsque in præsens miracula eduntur, vt nemo possit habere dubium, quin spiritus eius degat in cælis. Inde verò progressus Deo deuotissimus Antistes, Argentillam, quæ sic à riuulo suo dicitur, peruenit, eam nunc vulgus rusticum Arentellam corruptè vocat. Ibi tanti itineris labore defatigatus commorari constituit, impensás-*

SECEDIT IN EREMVM

CVM ALIQVOT SOCIIS.

* Romon.

AN. CH. 664. CLOTAR. III. R. 9. CHILD. II. R. 5.

que sibi ad construendum illic Monasterium præparanit, cuius fundamenta cùm iam ad aliquod fastigium perduxisset, offendi cœpit & affligi iniuriis accolarum ipsi inuidentium, vt dicturi sumus inferiùs. Gribaldi seu Gilbardi loco restituimus Leudinum, ne incidamus in errorem eorum, qui sanctos Hildulphum & Deodatum in Pippini Regis tempora reiiciunt, decepti Codice deprauato, in quem Milonis Treuirensis Episcopi nomen irrepsit expuncto Numeriano, sed næuus ex ipsa lectione facilè deprehendi potest, quia in eodem textu Hildulphus Ansigiso Pippini Regis proauo coætaneus perhibetur. *Publicis vtilitatibus*, inquit qui ceteros in achronismum abduxit Author vitæ sancti Hildulphi, *inuigilante Ansgiso & Milone Archiepiscopo Treuirensium vrbis rebus humanis exempto, communi voluntate Treuirorum confirmatur Antistes Hildulphus.*

V. Cùm Deodatus, Arbogastus, Florentius, sociíque suprà recensiti in eremum Vosagi secesserunt, si fidem habemus Diatribæ [a], quam Godefridus Henschenius de tribus Dagobertis scripsit, Orientalis Francia duobus Regibus obtemperabat Childerico Secundo & Dagoberto Secundo patruelibus, illi parebat Diœcesis Tullensis, huic Argentoratensis in qua Florentius & Arbogastus consederunt. Ad illam opinionem confirmandam Acta manuscripta eorumdem Sanctorum in hunc modum citantur. *Tradunt Sanctum Arbogastum in temporibus Dagoberti Regis, cùm sancta Ecclesia longè latéque flores doctrina Catholica suaue redolentes diffunderet, & verbum Dei vsquequaque properè curreret, de Aquitania progressum.* Item. *Temporibus illustris Francorum Regis Dagoberti, præclarus Pater Florentius ineffabili tam odore quàm decore virtutum floruit, adscitis sibi eiusdem sancti propositi sociis, Arbogasto videlicet, Theodato atque Hildolfo, fines attigit Alsatia, & eò locorum, vbi riuulus, qui ab incolis Haselach nuncupatur, Vosago terminum ponens, fluuio, cui nomen Bruscha est, illabitur, manendi sibi requiem elegit. Prædictis itaque sociis eius ab ipso recedentibus, non longè à riuulo repertâ planitie consedit.* Item. *Temporibus Dagoberti Regis S. Florentius, comitantibus secum S. Arbogasto, Theodato atque Hildolpho, de Scotia venit in Alsatiam.* Hi verò Scriptores nec ad ætatem Sanctorum prænominatorum accedunt, nec carent mendis; Hildulphum enim, qui longè setiùs comitem Deodato se iunxit, in Alsatiam cum eodem Deodato seu Theodato sociisque Florentio & Arbogasto venisse comminiscuntur, ideóque tales Authores arbitrare vel nullâ dignos fide, vel ita interpretandos esse, vt solummodò testari voluerint Arbogastum & Florentium sub Dagoberto Rege floruisse, cui sententiæ nullatenus refragamur, nam vterque post Childerici necem Dagobertíque reditum ex Hibernia per multos annos in Alsatia vixit.

[a] L. 2. c. 3.

VI. Clotarius Neustriæ Burgundiæque Rex obiit anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo. Theodoricus frater in illa Regna successit. Anno sequenti Theodoricus trusus est in Monasterium, & Childericus, qui decem annis in Austria iam regnauerat, Neustriâ quoque ac Burgundiâ potiri cœpit, vniuersámque Francorum Monarchiam, quæ tunc in tria Regna diuidebatur, solus obtinuit, vt indicat Author coætaneus, apud quem in vita sancti Leodegarij hæc leguntur. *Childericum Regem expetunt vniuersi, vt alia daret Decreta, per tria qua obtinuerat Regna, vt vniuscuiusque patria legem vel consuetudinem deberent sicut antiquitus Iudices conseruare, & ne de vna prouincia Rectores in aliam introissent.* Post Childerici necem Theodoricus Regna Neustriæ ac Burgundiæ recuperauit exeunte anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio. Tunc & Dagobertus ex Hibernia reuocatus est ab Austrasiis, & Austriæ Regnum, quo Sigibertus pater gauisus fuerat, ad annum vsque Christi sexcentesimum octogesimum possedit, ex eóque computo, cuius singulos numeros suis locis probabimus, constat Arbogastum & Florentium in Austria versatos esse, cùm Dagobertus Rex paternum regnum post exilium diuturnum suscepit. Agemus inferiùs de profectione Deodati ex Diœcesi Tullensi in Argentoratensem, tum de reditu in Tullensem, in qua ipse Monasterium *vallem Galilæam*, & Hildulphus Medianum Monasterium annuente Childerico Rege construxerunt.

AAaa iij

AN. CH. 664. CLOTAR. III. R. 9. CHILD. II. R. 5.

Bruſcha flumen, cuius meminimus, non procul à Murzighemio * amnem Haſelam * illabentem ſuſcipit, vbi Florentius exexit Monaſterium * Haſelacenſe, cui Kirchemium aliáque loca Dagobertus Rex attribuit, vt ſuo loco dicemus. Sura * fluuius, qui versùs confinia Palatinatûs è regione Badenſis ditionis in Rhenum influit, Suraburgo * quod alluit nomen dedit, vbi Canonicorum Collegium, quod Monaſterium eſt *Heligeforſt* olim dictum, fundatorem agnoſcit Arbogaſtum, qui regnante poſteà Dagoberto Præſulatum Argentorarenſem geſſit.

* *Mutzig.* * *Le fleuue Haſel.* * *Haſlac.* * *Sur.* * *Surbourg.*

VII. SIGOBERRAND. EP. PARIS. OCCIDITVR.

VII. Hoc anno luctuoſa mors Sigoberrandi Epiſcopi contigit. Antiſtes ille, qui Sigoberrandus apud Bollandum [a] in priore vita ſanctæ Bathildis, & Sigebrandus in poſteriore nuncupatur, indubiè non alius eſt ab Epiſcopo Pariſienſi, quem Breulius Sigrobandum, Robertus Sigobaudum, Raynaudus Segebrandum appellant. Auctor coætaneus de Sigoberrandi morte ſic ſcribit in vita ſanctæ Bathildis. *Erat eius*, nempe Bathildis, *ſancta deuotio, vt in Monaſterio religioſarum fœminarum in Kala, quod ipſa ædificauit, conuerſari deberet. Nam & Franci pro eius amore hoc maximè dilatabant, nec fieri permittebant, niſi commotio illa fuiſſet per miſerum Sigoberrandum Epiſcopum, cuius ſuperbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde ortâ intentione, dum ipſum contra eius voluntatem interfecerunt, metuentes ne hoc ipſa Domna contra eos grauiter ferret, ac vindicare ipſam cauſſam vellet, permiſerunt eam ſubitò pergere ad ipſum Monaſterium*, vt anno ſequenti dicemus. Theophilus Raynaudus in Sanctorum Lugdunenſium indiculo [b] Segebrandum vocat impium & Epiſcopali gradu dicit indignum. At nemo peior pronuntiari debet quàm probetur eſſe. Auctor ſynchronus, cuius verba recitauimus, dum miſerum appellat, & ſolam ſuperbiam mortis cauſam præbuiſſe ait, ſatis indicat non aliis infamem fuiſſe ſceleribus, quid ſi dicamus innocentem & ab inimicis expoſitum publicæ inuidiæ? Mortis illatæ crimen multi refundunt in Ebroinum, qui Bathildi, ne vlciſceretur, ſeceſſum poſteà ſuaſerit. Ideóque nonnulli ſuſpicati ſunt Sigebrandum nihil aliud ſonare quàm Sigonis filium, & Sigebrandum non eſſe diſtinguendum ab Annemundo Sigonis filio Lugdunenſi Pontifice, de cuius nece copioſè diſſeruimus ante decennium ſub Clodoueo Rege.

[a] d. 26. Ian.

[b] In Enemund.

VIII. SVCCEDIT AGILBERTVS.

VIII. In Cathedra Pariſienſi poſt Sigoberrandum Epiſcopum ſedit Agilbertus. Hic patriâ Pariſinus, in Hibernia primùm Epiſcopus fuit, deinde in Anglia, poſtremò in Francia. Conſulendus ea de re Beda [c]. *Cùm Cenwach reſtitutus eſſet in Regnum* Occidentalium videlicet Saxonum, qui antiquitus *Geuiſſe* vocabantur, *venit in prouinciam de Hibernia Pontifex quidam, nomine Agilbertus, natione quidem Gallus, ſed tamen legendarum gratiâ ſcripturarum in Hibernia non paruo tempore demoratus. Coniunxítque ſe Regi ſponte miniſterium prædicandi aſſumens, cuius eruditionem atque induſtriam videns Rex rogauit eum, acceptâ ibi Sede Epiſcopali, ſuæ gentis manere Pontificem. Qui precibus eius annuens multis annis eidem genti Sacerdotali iure præfuit. Tandem Rex qui Saxonum linguam tantùm nouerat, pertaſus barbaræ linguæ ſubintroduxit in prouinciam alium ſuæ linguæ Epiſcopum, vocabulo Wini, & ipſum in Gallia ordinatum, diuidénſque in duas parœcias prouinciam, huic in ciuitate Venta, quæ à gente Saxonum Vintanceſtir appellatur, Sedem Epiſcopalem tribuit. Vnde offenſus grauiter Agilbertus, quòd hoc, ipſo inconſulto, ageret Rex, rediit Galliam, & accepto Epiſcopatu Pariſiacæ ciuitatis, ibidem ſenex & plenus dierum obiit.* Agilbertus, cùm Pariſienſem Eccleſiam regebat, teſte eodem Beda [d] per nuncios à Rege prædicto rogatus eſt, vt ad Epiſcopatum Occidentalis Saxoniæ rediret, ſed conteſtatus eſt eò ſe venire non poſſe, *quia Epiſcopatu propriæ ciuitatis ac parœciæ teneretur aſtrictus*, vnde colligimus eum patriâ Pariſinum fuiſſe. Factus eſt autem Epiſcopus Pariſienſis hoc anno. Nam hoc eodem anno & interfuit in Anglia quæſtioni motæ de obſeruatione Paſchæ cùm adhuc eſſet Epiſcopus Occidentalium Saxonum, & Wilfridum Epiſcopum conſecrauit in Gallia cùm Pariſienſem Epiſcopatum iam ſuſcepiſſet. Vtrumque probatur ex Beda.

[c] Lib. 3. c. 7.

[d] Lib. 3. c. 7.

AN. CH. 664.
CLOTAR. III. R. 9.
CHILD. II. R. 5.

IX.

Primum ſic. Apud Bedam in Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum, controuerſia, quæ de obſeruatione Paſchæ nata eſt, explicatur toto capite viceſimo-quinto libri tertij; Colmanus Lindisfarnenſis Epiſcopus errorem Scotorum pertinaciùs tuetur, Eccleſiaſticæ veritatis regulam propugnat Agilbertus Epiſcopus Occidentalium Saxonum. Capite ſequenti, tempus initæ diſputationis ita notatur. *Facta eſt autem hæc quæſtio anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, qui fuit annus Oſwi Regis viceſimus-ſecundus, Epiſcopatus autem Scotorum, quem geſſerunt in prouincia Anglorum, annus triceſimus.* Hique tres Characteres inter ſe nullomodò pugnant. Annus enim ſecundus Oſwi Regis in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum incidit apud eundem Auctorem capite decimo-quarto libri tertij. *Tranſlato ad cæleſtia regna Oſwaldo, ſuſcepit regni terreſtris ſedem pro eo frater eius Oſwi iuuenis triginta circiter annorum, & per annos viginti & octo laborioſiſſimè tenuit, impugnatus videlicet à pagano Rege Penda, & ab ea quæ fratrem eius occiderat pagana gente Merciorum, & à filio quoque ſuo Alcfrido & à fratruo, id eſt, fratris ſui, qui ante eum regnauit, filio Adilualdo. Cuius anno ſecundo, hoc eſt, ab Incarnatione Dominicâ anno ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto reuerendiſſimus Pater Paulinus, quondam quidem Eboracenſis, ſed tunc Epiſcopus Rhofenſis ciuitatis tranſiit ad Dominum ſexto Iduum Octobrium die.* Et capite viceſimo-ſexto eiuſdem libri iam laudato, tres Pontificatus Scotorum in Anglorum prouincia ſpatio annorum triginta ſic circumſcribuntur. *Aidan decem & ſeptem annis, Finan decem, Colman tribus Epiſcopatus tenuere.* Deceſſit autem Aidan ſiue Aidanus pridie Kalendas Septembris anno nono Oſwi Regis vt ex capite decimo-quarto prædicti libri conſtat, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-primo, itaut annus poſt ipſius Aidani mortem decimus-tertius cum anno Oſwi Regis viceſimo-ſecundo, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto coincidat.

X.

Alterum probatur duobus modis. Beda poſtquàm capite viceſimo-ſexto libri tertij diſputationem de obſeruatione Paſchæ conſignauit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, Oſwi Regis viceſimo-ſecundo, Scotorũm Antiſtitum in Anglia triceſimo, res eiuſdem anni capite ſequenti ſic perſequitur. *Eodem anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto facta eſt eclipſis Solis die tertio menſis Maij, horâ circiter decimâ diei. Quo etiam anno ſubita peſtilentiæ lues, depopulatis priùs Auſtralibus Britanniæ plagis, Nordanhumbrorum quoque prouinciam corripiens, atque acerbâ clade diutiùs longè latéque deſæuiens magnam hominum multitudinem ſtrauit.* Reliquo illo capite, quod longum eſſet recitare, totus eſt in ea peſte deſcribenda. Deinde caput proximum ſic orditur. *Intereà*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, dum lues in Britannia graſſabatur, *Rex Alchfrid miſit Wilfridum Presbyterum ad Regem Galliarum, qui eum ſibi ſuiſque conſecrari faceret Epiſcopum. At ille miſit illum ordinandum ad Agilbertum, qui relictâ Britanniâ Pariſiaca ciuitatis factus erat Epiſcopus, & conſecratus eſt magno cum honore ab ipſo, conuenientibus plurimis Epiſcopis, in vico Regio qui vocatur in Compendio* *. En primum argumentum, quod à narratione & contextu rerum hoc anno geſtarum petitur. Sequitur alterum, ídque deſumitur ab annorum numero, quos Wilfridus poſt acceptum Epiſcopatum vixit. Beda totam Wilfridi vitam capite viceſimo libri quinti ſummatim complectitur. Inter alia quomodò ille ab eodem Agilberto Epiſcopo Preſbyter primùm in Britannia, deinde Epiſcopus in Gallia fuerit ordinatus, ſic exponit. *Coniunctus eſt amicitiis Alchfridi Regis, qui Catholicas Eccleſiæ regulas ſequi ſemper & amare didicerat, vnde & illi, quia Catholicum eum eſſe comperit, mox donauit terram decem familiarum in loco qui dicitur Stanford, & non multò pòſt Monaſterium triginta familiarum in loco qui vocatur Inrhypum. Quem videlicet locum dederat pridem ad conſtruendum inibi Monaſterium his qui Scotos ſequebantur. Verùm quia illi poſtmodùm optione datâ maluerunt loco cedere, quàm Paſcha Catholicum ceteróſque ritus Canonicos iuxta Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſuetudinem recipere, dedit hoc illi, quem melioribus imbutum*

* *Compiegne.*

AN. CH. 664. CLOTAR. III. R. 9. CHILD. II. R. 5.

disciplinis ac moribus vidit. Quo in tempore ad instantiam præfati Regis ordinatus est in eodem Monasterio ab Agilberto Episcopo Geuissorum, cuius supra meminimus, desiderante Rege, vt vir tanta eruditionis ac religionis sibi specialiter indiuiduo comitatu Sacerdos esset ac Doctor. Quem non multo post, detectâ & eliminatâ, vt suprà docuimus, ad annum videlicet Incarnationis Dominicæ sexcentesimum sexagesimum-quartum, quo disputatio de obseruatione Paschæ inita est, *Scotorum sectâ, Galliam mittens cum consilio atque consensu Patris sui Oswi, Episcopum sibi rogauit ordinari, cùm esset annorum circiter triginta, eodem Agilberto tunc Episcopatum agente Parisiaca ciuitatis, cum quo & alij vndecim Episcopi ad dedicationem Antistitis conuenientes multùm honorificè ministerium impleuerunt.* Prætereà eodem capite, vt illam Wilfridi promotionem ad Episcopatum hoc anno, Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto factam fuisse rursum confirmet, scribit ipsummet Wilfridum obiisse *post quadraginta & quinque annos accepti Episcopatus, anno Imperij Hosfredi quarto*, id est, anno Christi septingentesimo-nono, nam superiori capite testatur Hosfredum Alchfrido patri in Regnum successisse *anno Dominica Incarnationis septingentesimo quinto.* Ceterùm si Wilfridus annos quadraginta-quinque in Episcopatu transegit, vitámque clausit anno Christi septingentesimo nono, sanè in dubium nusquam vocari potest, quin Pontificatum hoc anno, Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto, susceperit.

XI. His circiter temporibus Sidonius * in Cœnobio Gemmeticensi Monachum induit. Eius Acta collegit ex vita manuscripta Menardus in obseruationibus * ad Martyrologium Benedictinum. *Sanctus Sidonius fuit natione Hibernus. Illo tempore in Insulis Anglorum & Hibernorum mos ille barbarus increuerat, vt parentes liberos pretio seruituti addicerent, itaut etiam Canametidarum regionum incola eos emerent comedendos. Sanctus Philibertus Abbas Gemmeticensis horum miserius Monachos suos cum nauibus onustis illo transmittebat, qui eiusmodi homines ad Dei imaginem effictos à tam dura ceruice redimerent, quorum alios Clericos, alios Monachos, alios famulos Monasterij faciebat. Cùm igitur quadam die in patriam Sancti Sidonij delati fuissent, beatus adolescens eos interpellauit, qui, & vndenam essent, cùmque illi ad singula ipsi satisfecissent, & insuper multa de Sancti Philiberti virtutibus addidissent, Sanctus Sidonius diuino amore inflammatus relictis patria & parentibus in Galliam traiecit, & Gemmeticum venit, vbi à Sancto Philiberto Abbate perhumaniter exceptus est. Ille tanti viri sapientiam admiratus, & humi prostratus in numerum fratrum ascribi efflagitauit. Cuius votis Sanctus Abbas obsecundans perlectâ ei de more Regulâ sub qua militaturus erat, ei habitum monasticum dedit. Beatus adolescens qua tam ardenti animo concupierat, assecutus, se totum Deo in seruitutem dicauit. Cibo mediocri vtebatur, pudicitiâ erat incredibili, humilitate prorsus stupendâ. Longum esset omnes alias eius virtutes recensere, quibus ceteris & etiam senioribus praluccbat. Tam eximiam in adolescente admiratus sanctimoniam Sanctus Philibertus cum ceteris tamquam rei monastica specimen & exemplar proponebat.* Hæc Menardus.

* Saens.
* L. 2. d. 14. Nou.

SIDONIVS FIT MONACHVS GEMMETICENS.

XII. In vetere catalogo Reomaensium Abbatum, qui notis Chronologicis auctus est & à Petro Rouerio in Historia Reomaensi sæpè citatur, Hunna, qui septimum locum inter Abbates Reomaenses obtinet, sancti Columbani discipulus in Monasterio Luxouiensi prædicatur, & Ascetterio Reomaensi cum Abbatis titulo præest *anno Domini sexcentesimo sexagesimo-quarto, tempore Clotarij Secundi Regis Francorum.* Ad quem textum idem Rouerius Clotarij Secundi loco nomen Clotarij Tertij reponendum iam monuit [b]. Nos accuratiori censurâ prædictas notas castigauimus [c], asserimúsque restituendum annum Christi sexcentesimum duodesexagesimum expuncto anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto, quoniam illarum Auctor Hunnam Abbatem Reomaensem non aliunde quàm ex Ionæ scriptis agnouit, & annum Clotarij Regis tertium, quo Ionas se ab Abbate Hunna fratribúsque Reomaensibus beneuolentissimè susceptum testatur, non illigauit anno Christi sexcentesimo duodesexagesimo vt par erat, sed cum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto perperam comparauit.

[b] In Hist. Reomaens. Abb. 7. c. 2.
[c] Ad an. 658. n. 23.

ABBATES REOMAENSES.

parauit. Hunnæ autem, cuius obitus circa hæc tempora contigit, in adminiſ- AN. CH.
trationem Reomaenſis Monaſterij ſucceſſerunt, Celſus, Maſchara, Deodatus 664.
& Samuel qui peruenit ad Principatum Dagoberti Tertij, id eſt, ad annum CLOTAR.
Chriſti viceſimum-primum ſupra ſeptingenteſimum. III. R. 9.

In Gallia Chriſtiana memoratur hoc anno Paulus Epiſcopus Carpentorac- CHILD.
tenſis, ſucceſſor Licerij, qui Synodo Cabilonenſi Tertiæ regnante Clodoueo II. R. 5.
Secundo ſubſcripſit, deceſſórque Anaſtaſij, cuius mentionem ad annum Chriſti XIII.
ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum facturi ſumus. PAVLVS EP. CARPENTORACTENSIS.

Magdelgiſilus, cùm in agro Pontiuo iuxta fluuium Alteiam in eremo, cui
nomen Monſtroledus, *aliquot annos* vixiſſet, multis ieiuniis & laboribus con-
fectus in morbum incidit. Nec idcircò aliquid de priſtino vigore relaxauit, ſed
quò cælo propinquior erat, eò magis ſe à terrenis affectibus ſegregabat. Lege XIV.
Hugonem Menardum in Obſeruationibus [a] ad Martyrologium Ordinis Bene- MAGDELGISILVS ÆGROTAT,
dictini. *Tum Centulenſium Abbati*, nempe Ocialdo ſiue Ocioaldo, quem Ri- [a] L. 2. d. 30. Maij.
charius in eremum ſeceſſurus Monaſterio Centulenſi præfecerat, *Angelus appa-*
ruit, eíque morbum ſancti viri manifeſtauit, iuſsítque eum viſitare, eíque omnia
charitatis officia impendere. Illicò Abbas ſelectis quibuſdam fratribus cum eis ad ere- VISITATVR AB OCIALDO ABBATE CENTVLENSI,
mum ſe contulit, quò cùm perueniſſet, beatum virum amicè ſalutauit, protulitque
omnia, quæ ipſi neceſſaria indicauerat. Vir Dei aduentu Abbatis & fratrum, tantâ
lætitiâ perfuſus eſt, vt omnem ægritudinem obliuioni dederit. Poſthac Abbas cum
fratribus ad Cænobium rediit, relicto fratre in eremo, qui curam illius gereret. Id
autem hoc anno contigiſſe palàm docent monumenta Centulenſia, ſi cum Hiſ-
toria Eccleſiaſtica Bedæ conferantur.

Anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, facta eſt eclipſis XV.
Solis, die tertio menſis May, horâ circiter decimâ diei, quo etiam anno ſubita peſti-
lentiæ lues, depopulatis priùs Auſtralibus Britanniæ plagis, Nord-Humbrorum quo-
que prouinciam corripiens, atque acerbâ clade diutiùs longè latéque deſæuiens, ma-
gnam hominum multitudinem ſtrauit. Hæc habet Beda capite viceſimo-ſeptimo
libri tertij. Deinde librum quartum ſic orditur. *Anno memorato præfatæ eclipſis*
& mox ſequentis peſtilentiæ, quo & Colman Epiſcopus vnanimâ Catholicorum in-
tentione ſuperatus, ad ſuos reuerſus eſt, Deuſdedit ſextus Eccleſiæ Doronernenſis Epi-
ſcopus obiit pridie Iduum Iuliarum. Sed & Ercoubert Rex Cantuariorum eodem
menſe ac die defunctus Egberto filio Sedem Regni reliquit, quam ille ſuſceptam per
nouem annos tenuit. Tunc ceſſante non pauco tempore Epiſcopatu, miſſus eſt Romam
ab ipſo ſimul & à Rege Nordan-Humbrorum Oſwi (vt in præcedente libro diximus)
Wighart Presbyter, vir in Eccleſiaſticis diſciplinis doctiſſimus de genere Anglorum,
petentibus Eccleſiæ Anglorum Epiſcopum ordinari. Tandem *Theodorus*, vt Beda eo-
dem primo capite libri quarti ſubiungit, *ordinatus eſt à Vitaliano Papa, anno*
Dominicæ Incarnationis 668. ſub die 7. Kalendarum Aprilium Dominica. Statim
autem ab obitu *Deuſdedit* Epiſcopi, cùm *Wighart* Preſbyter à Regibus Can-
tuariorum & Nordan-Humbrorum Romam nondum directus eſſet, omnes
Walgamum Epiſcopum expetierunt, qui, ne fieret Epiſcopus, fugit ex An-
glia, traiectóque Oceano venit in agrum Pontiuum, vbi Magdelgiſilus mor-
bo periculosè laborabat. Walgami profectionem ex Anglia in Franciam com-
memorat Malbrancus ex monumentis Centulenſibus, ſic enim ſcribit capite
duodequadrageſimo libri tertij de Morinis. *Malguillus* (Magdelgiſilum, vt ali-
bi iam monuimus, ita vocat) *mirè illo charitatis officio*, quod Abbas fratréſque
Centulenſes impenderunt, *exhilaratus, vultum prodidit tantæ lætitiæ indicem, vt*
ſanum exiſtimantes ſuam Centulam repetierint, vno è fratribus ad morbidas ſarcinas
relicto. Sed reuerà idem, qui priùs, recrudeſcens dolor coquebat virum, ſed ab alio
Præſule viſitatum referunt Sancti Richarij monumenta, cùm iam penè ad extrema
perductus eſſet. Is fuit Walgamus, qui Cantienſem in Anglia Inſulam, quam ſum- SANATVR
mi infimíque eius vertici admoliebantur, fugiens, Deum rogauit impenſiùs, à ſe A WALGAMO.
amoliretur veluti rem meditatæ vitæ omnimodis inimicam. Attamen & alti generis
ſplendor, & ingenij benè exculti dotes, omnino Epiſcopatûs illius honeſtamento pa-

*rem fecerant. Equidem altiore consilio edoctus est sese in Pontiuum transferre ad extrema Morinorum. Illic optatum egregij famuli Dei contubernium consequeretur, non procul fluuio commorantis. Cantio celerrimè egressus, scapham nactus est, sed remige vacuam: & vbi Walgamum excepit, recto cursu ad fluuium Altheiam perlata est Angelico propellente Fauonio: nec morata, quoad è regione Anachoretici domicilij pertigit. In illud verò pertingere Romana ab Alxiaco * viæ ductu non fuit arduum. Verùm non erat, qui nouo hospiti solita comitatis & amicitiæ officia redderet, in funestum propinquæ mortis mærorem cedebant omnia. Quare ad eum, qui transmiserat, multis precibus & lacrymis recurrit hospes. Postmodum impositis corpori manibus, illud apprimè sanum restituit. Quasi sopore excusso Malguillus spondam deserit, & in Walgami insilit amplexus; amplexus, inquam, mutuos identidem repetunt, quasi fratres gemini, quos longo regionum interuallo longanitas diuiserat.*

* *Auchi.*

XVI. Quandiu Magdelgisilus & Walgamus simul vixerint, manet incompertum. De Magdelgisilo Menardus ita scribit. *Paulò pòst vir Dei ad Christum migrauit, & in eodem loco sepultus est, vbi aliquandiu iacuit*, id est, vsque ad Ingelardi Abbatis Præsulatum, qui Monasterio Centulensi præfuit exeunte seculo decimo, itaut vox *aliquandiu*, quæ pro tempore aliquo nec admodum longo vsurpari solet, apud illum Auctorem annos trecentos & ampliùs significet; atque inde fit, vt nec probè sciri possit, quid interualli per has voces, *paulò pòst*, idem Auctor annotarit. Malbrancus de Magdelgisilo & Walgamo in eremo conuiuentibus hæc habet. *Diu communi vixerunt quadrâ, sed communione afflictationum, precum, colloquiorum spiritalium vsu, velut duo igniti carbones se mutuò magis ac magis incendebant. Non facilè in humanum cadunt ingenium ac linguam, quæ ab his duobus Athletis promanarunt egregia facinora ac virtutes. Quoniam verò in quem annum vita metam produxerint, haud liquet, his illam adiungemus.*

VTRIVSQVE SOCIETAS,

XVII. Prior in grauem inualetudinem incidit Walgamus. Magdelgisilus mœrore tactus *ad Centulenses*, vt Malbrancus persequitur, *actutum transmisit, qui Ascetas moneret sui contubernalis adeò laborantis: deferrent quantociùs ad salutariter emigrandum necessaria. Non segnes ex Asceterio Mysta conuolare Monstreletum, Walgamum extremis pascere & inungere, piam accinere Hymnodiam, quam inter expirat suauissimè, corpus quodammodò oppignerans socio lamentanti, quod ipse in sacrariolo Asceta condiderunt. Malguillus* seù Magdelgisilus *dictorum eius haud immemor, omnem breui extersit tristitiæ nebulam, & seriò se ad parile iter emetiendum comparauit. Vnde non longo interuallo sodalem est subsecutus, sed priùs è Christi manu honorarium sertum accepit suæ immortalitatis tesseram. Maius ad tertium Calend. accesserat, cùm socium alteri tumulum est consecutus.* In Martyrologiis Benedictino & Gallicano celebris est S. Magdelgisili memoria tertio Kalendas Iunij.

ET OBITVS.

XVIII. Walgamus distingui debet à Vulganio, de cuius ætate non benè constat. *Vulganius natione Anglus, claris & Orthodoxis natus parentibus, Angelicâ visione,* si Molano fides est in Natalibus [a] sanctorum Belgij, *marinos fluctus transmeans in ipso transitu procellam insurgentem sedauit, & post transitum septem annis Morinorum ruricolam plebem, quæ fidei fundamenta nondum plenè hauserat, informauit, & exemplis sanctissimis solidauit. Quantis autem prodigiis posteà Atrebati claruerit, longum foret enarrare. Obiit ibidem in cellula, iuxta Monasterium, non multò post tempora S. Vedasti.* Discessit ex hac vita sanctus Vedastus anno Christi quingentesimo duodequadragesimo, sed vtrùm Monasterium, quod hodie Vedastinum appellatur, vt nomen sic & originem à sancto Vedasto repetat, haud ita patet. Ea de re consulendus præ ceteris Miræus, apud quem in Originibus [b] Benedictinis hæc leguntur. *Fuit initio Anachoretica sancti Vedasti cellula, piorum deinde secessus, ac Monasterium sancti Auberti studio excitatum, & Regiâ Theoderici liberalitate demum mirificè auctum. Ac primùm quidem per annos multos, à paucis Monachis sub Priore agentibus locus incolebatur, sed temporibus Vindiciani Episcopi, & duodecimo anno Theoderici Regis, creatus est primus Abbas Hatta vir inprimis religiosus ac prudens.* Hæc autem si vera sunt, & origo Monasterij Ve-

VVLGANIVS DISTINGVITVR A WALGAMO,
[a] d. 2. Nou.
ERVDIT MORINOS,

[b] Cap. 5.

daſtini non ab ipſomet ſancto Vedaſto repetenda eſt, ſed à ſancto duntaxat AN. CH.
Autberto, qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio, cer- 664.
tè Vulganius, qui *non multò poſt tempora S. Vedaſti* mortuus dicitur, *iuxta Mo-* CLOTAR.
naſterium non obiit, aut ſi, prout Sauſſaius [a] in eius elogio ſcribit, *veniens* III. R. 9.
Atrebatum, ab Abbate ſancti Vedaſti popoſcit, vt ſibi in cellula prope eius Monaſte- CHILD.
rium, incluſum degere liceret, obiit longè poſt tempora ſancti Vedaſti, imò poſt II. R. 5.
annum duodecimum Theodorici Tertij Regis, id eſt, poſt annum Chriſti ſex- [a] d. 2. Nou.
centeſimum octogeſimum-quintum, quo primus Abbas Cœnobij Vedaſtini
factus eſt Hatta. Malbrancus [b] huic opinioni refragatur, Vulganium enim [b] Lib. 2. c. 54.
ſancto Columbano, cuius aduentum in Gallias anno Chriſti quingenteſimo
duodeſeptuageſimo conſignauimus, coætaneum conſtituit, aſſeritque in
Franciam transfretaſſe Columbano apud Anglos adhuc commorante. Verùm
hæc ſententia firmari non poteſt, quia Columbanus, qui Monaſterium Lu-
xouienſe poſteà conſtruxit, nec in Britannia diu moratus eſt, nec ex Britannia
diſcipulos in Galliam tranſmiſit. Queſti iam ſumus Tomo præcedenti [c], quòd [c] Ad an. 568.
recentiores Auctores, qui ſecus ſcripſerunt, nec duos agnouerunt Columba-
nos, quorum alter in Britannia conſenuit, alter in Franciam traiecit, nec am-
borum diſcipulos idoneè diſtinxerunt. Idem Malbrancus [d] Vulganio ſocios [d] Lib. 2. capp.
tribuit Ranricum & Quilianum, additque ab eorum commilitonibus Caidoco 54. 55.
& Fricoræo, quos Columbanus ad illud opus direxerat, ſanctum Richarium
in agro Pontiuo eruditum fuiſſe. Sed nec id verum dici poteſt, quia Ri-
charius longè poſt exilium Columbani Luxouienſis Abbatis, imò poſt eius
mortem Caidocum & Fricoræum hoſpitio ſuſcepit, vt Tomo ſuperiore ad an-
num Chriſti ſexcenteſimum vndetriceſimum ex Alcuino probauimus.

Ab anno Chriſti D L I I. quo diſceſſit è viuis Athalbertus Morinorum XIX.
Epiſcopus, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-ſeptimum
quo beatus Audomarus eandem Morinorum Diœceſim adminiſtrandam
ſuſcepit, vacauit Epiſcopatus annos octoginta quinque. Valdè probabile
eſt Vulganium durante illo interpontificio, cùm apud Morinos vix vllum DVRANTE
Religionis veſtigium reſtaret, è Britannia in Franciam veniſſe cum Ran- INTERPON-
rico & Quiliano viris Eccleſiaſticæ diſciplinæ peritiſſimis, annos ſeptem in TIFICIO.
excolendis Bononienſibus impendiſſe, viciniam pòſt Taruannicam perluſ-
traſſe, tandem Atrebatum ſeceſſiſſe, ibique ſolitariam vitam duxiſſe prope
Cellam ſancti Vedaſti, quæ poſteà ſub Epiſcopis Atrebatenſibus Autberto &
Vindiciano creuit in inſigne Monaſterium, quod intra muros Atrebatenſes
hodiéque conſpicitur.

Obiit ſanctus Vulganius * quarto Nonas Nouembris, quo die celebratur XX.
à Molano in Natalibus ſanctorum Belgij & à Sauſſaio in Martyrologio Galli- * S. Vulgain.
cano. Sepultus eſt in villa quæ teſte Auctore vitæ dicebatur *bonorum virorum* EIVS OBI-
terminus. Molanus [e] arbitratur hanc villam ſiue ciuitatem eſſe Atrebatum, TVS.
aut Nobiliacum, alteram Atrebatenſium vrbem, quæ propter hoſpitalitatem [e] d. 2. Nou.
in ſeruos Chriſti tale tunc cognomen habuerit. Atrebatum * enim vrbs eſt * Arras.
duplex, intermedio nuper adhuc diſtincta muro, iam ad maiorem vtriuſque
partis ſecuritatem deiecto; altera minor ſed antiquior, vbi Sedes Epiſcopa-
lis; altera maior ſed recentior, cui nomen olim Nobiliacum, vbi Monaſte-
rium Vedaſtinum. Sanctus Vulganius in Martyrologio Cameracenſi vocatur
Epiſcopus propter Apoſtolatum, quem apud Danos in Britannia & apud Mo-
rinos in Gallia exercuit, nam pleroſque cùm Danorum tum Morinorum ad
ouile Dominicum perduxit, *neque mirari oportet*, vt Molanus [f] obſeruat, *ſi* [f] d. 7. Febr.
priuatæ Eccleſiæ de ſuis Apoſtolis, etſi Presbyteris, officium canant Epiſcoporum, cùm TRANSLA-
etiam Romana Eccleſia de Euangeliſtis legat officium Apoſtolorum. Sanctus Vulga- TIO.
nius Atrebato Lenſium * tranſlatus eſt ante annum Chriſti milleſimum, vt * Lens.
ex Chronico Cameracenſi liquet apud Molanum [g], celebratúrque quot an- [g] d. 2. Nou.
nis hæc Tranſlatio duodecimo Kalendas Iunij. XXI.

Quo viuendi genere fidiſſimi comites Ranricus & Quilianus curſum perege- SOCII.

AN.CH. 664. CLOTAR. III. R. 9. CHILD. II. R. 5.

rint, vbiue vitam clauserint, non traditur, ni forsan Quilianus aliquid adhuc operæ Euangelicæ nauarit apud Monstrolienses, aut illic eremum fixerit, quia corpus eius integrum ipsi possident, atque ab omni retrò memoria possederunt. Non ignoramus litem esse inter Albiniacenses Diœceseos Atrebatensis & Monstrolienses Diœceseos Ambianensis, cùm vtrique sancti Quiliani corpus ostentent. At hæc discordia facilè componi potest. Distinguendi sunt enim, Quilianus, Chillenus & Kilianus, vt rectè Iacobus Malbrancus [a] iam monuit. Monstrolij * quiescit sanctus Quilianus, sancti Vulganij socius, de quo suprà. Quiescit Albiniaci * sanctus Chillenus, cuius mentio fit in vita sancti Faronis, vt ad annum Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum obseruabimus. Herbipoli * quiescit sanctus Kilianus, qui Romam profectus est sedente tunc Conone Papâ, vt ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-sextum dicturi sumus.

[a] L. 2. c. 58. * Montreuil. * Aubigny. * Wirtzbourg.

665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

ANNVS CHRISTI 665. CLOTARII III. R. 10. CHILDERICI II. R. 6.

I. BATHILDIS Regina ineunte anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto, seu paucis, vt interpretamur, mensibus post Sigoberrandi Parisiensis Antistitis mortem, in Calense Monasterium secessit. Menardus [b] & Duchesnius [c] in vita sanctæ Bertilæ ex veteribus Codicibus manuscriptis referunt Bathildem id peregisse *filio Clothario iam adulto*, nihilque nostræ Chronologiæ conuenientius excogitari potest, anno enim Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto Clotarius annum ætatis suæ decimum-quartum absoluit. Quomodò se res habuerit, Auctor coætaneus in ipsius Bathildis [d] vita sic exponit. *Erat eius sancta deuotio, vt in Monasterio religiosarum fæminarum in Kala, quod ipsa ædificauit, conuersari deberet. Nam & Franci pro eius amore hoc maximè dilatabant, nec fieri permittebant, nisi commotio illa fuisset per miserum Sigoberrandum Episcopum, cuius superbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde ortâ intentione, dum ipsum contra eius voluntatem interfecerunt, metuentes ne hoc ipsa Domna contra eos grauiter ferret, ac vindicare ipsam caussam vellet, permiserunt eam subitò pergere ad ipsum Monasterium. Et fortaßè dubium non est, quod ipsi Principes tunc illud non bono animo permisissent. Sed ipsa Domna Dei voluntatem considerans, vt hoc non tam eorum consilium quàm Dei fuisset dispensatio, vt eius sancta deuotio per quamlibet occasionem, Christo gubernante, esset impleta. Deductáque ab aliquibus Senatoribus, venit ad præfatum Monasterium suum Kala, ibique à sanctis puellis, vt decebat, honorificè & satis amabiliter, in sancta Congregatione recepta est. Habuit enim tunc non modicam querelam contra eos, quos ipsa dulciter nutrierat, pro qua re falsam ipsi eam habuissent suspectam, vel etiam pro bonis mala ei repensarent. Sed & hoc conferens cum Sacerdotibus, citiùs eis clementer cuncta indulsit, & vt ipsi ei illam cordis commotionem indulgerent, supplicauit. Et ipsa pax inter ipsos, Domino largiente, plenissimè restituta est.* Super ea querela non conueniunt ambo Scriptores Anonymi editi à Bollando. Prior Bathildem questam vult de Proceribus, posterior de Monialibus Calensibus. Binettus [e] posteriorem secutus ait Monachas Calenses veritas esse, ne Bathildis quietem disciplinámque Cœnobij perturbaret, illâque de causa non leuiter afflictum fuisse piissimæ Heroinæ animum. At, hæc si vera sunt, quomodò *honorificè & satis amabiliter*, aut etiam, vt posterior Anonymus habet, *satis admirabiliter* in

[b] L. 1. Obseru. d. 4 Nou. [c] Tom. 1. Collect. Hist. Franc. [d] Ap. Bolland. d. 26. Ian. BATHILDIS SECEDIT IN COENOB. KALENSE. [e] In vit. sanctæ Bathild. c. 7.

CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6. II.

Congregatione recepta est? Miramur posteriorem sententiam descriptam esse in tertia Lectione Officij, quod de sancta Bathilde recitatur in Monasterio Calensi quâlibet feriá quartâ mensis Septembris non impeditâ.

RELIGIOSAM VITAM DVCIT.

Bathildis religiosam in Cœnobio vitam sic describit Auctor synchronus. *Ipsa piissimo affectu diligebat sorores vt proprias filias, & sancta Abbatissæ earum obediebat vt matri, & ministerium exhibebat eis vt vilissima ancillula ex sancta deuotione. Insistebat assiduè orationi deuota cum lacrymis, & diuinam lectionem sæpiùs frequentabat. Consolationem verò continuò per sanctam exhortationem & frequentem visitationem infirmorum faciebat. Dolebat enim cum dolentibus per studium caritatis, & cum gaudentibus gaudebat, & pro debilibus & infirmis vt consolarentur Domnæ Abbatissæ humiliter sæpiùs suggerebat. Cuius petitioni ipsa, vt mater, amabiliter cuncta præstabat, quia verè erat eis more Apostolico cor vnum & anima vna, dum se inuicem tenerè ac plenissimè diligerent in Christo.* Vixit Bathildis vsque ad Theodorici Tertij Principatum. Id Auctor synchronus in vita sancti Wandregisili testatur. Philippus Labbeus [a] ex eodem loco colligit Bathildem ad annum saltem Christi sexcentesimum octogesimum peruenisse, quia mortem Childerici Secundi, cui Theodoricus frater successit, in illum annum differendam putat. Aliam inimus Chronologiam, & Bathildem peruenisse arbitramur ad annum saltem Theodorici Regis quintum, quem anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo illigamus. Prophetiam igitur sancti Eligij, quam Audoenus in illius vita descripsit explicuitque, non de Bathildis obitu sed de secessu in Monasterium interpretare. Visionem suam sanctus Eligius in Audoeni textu genuino siue in editione Dacheriana [b] sic enarrat. *Aspiciebam in visione nocturna ceu Solem circa tertiam diei horam properantem claréque prælucentem, subitò nusquam comparuisse, cúmque adhuc informe prodigium solerter intenderem, conspexi illicò, & ecce quasi media oborta Luna tres circumquaque vallata Stellas eo teneri tramite visebatur, quo Sol recurrens quotidie vertitur. Itaque cùm & hoc portentum attonitus expectarem, mox intra mirantis obtutum, Stellis permanentibus, Luna fortuitu exempta est. Post hæc verò cùm anxius tres illas considerarem Stellas ad horam penè Meridianam accedere, ac vicissim suis radiis sese repercutere, ea, quæ eximior ex tribus videbatur, ex improuiso sublata duas tantùm reliquit in propatulo*, &c. Deinde sic exponit. *Post mortem Clodouei Regis (nam absque dubio citò defungetur) aliquanto tempore obtinebit hoc Francorum Regnum relicta eius Regina cum tribus paruulis; postquàm verò & ipsa Regno fuerit exempta, tribus filiis in Regno relictis, vnus demùm ex ipsis cadet*, &c. Denique illius visionis interpretationem, quam sanctus Eligius publicauit, re ipsâ iam completam esse sic subiungit Audoenus. *Secundùm eius sententiam & Rex Clodoueus infra paucum tempus, hoc est, anticipans triginta dies, in pace obiit, eiúsque demùm relicta Regina cum paruulis, paucis annis Regnum obtinens, postmodum iure Regio exempta filios in Principatum reliquit, ac non post multos annos maior natu ex ipsis, qui potissimum ius tenere videbatur*, id est, Clotarius Tertius, *dùm quietè tranquilléque regnaret, diem obiens, duos superstites fratres*, Childericum Secundum & Theodoricum Tertium, *reliquit*. Hæ verò phrases, *Luna fortuitu exempta est, Regina Regno exempta, Regina iure Regio exempta*, non mortem Reginæ designant, sed regiminis abdicationem, Bathildis enim longiorem vitam duxit, Regentis autem nomen deposuit & Monasticum suscepit habitum Clotario filiorum natu maximo, cuius obitus in annum Christi sexcentesimum vndesexagesimum incidit, in viuis adhuc superstite. In editione Suriana [c] sanctus Eligius sic loquitur. *Aspiciebam in visione noctis Solem sub diei horam tertiam clarè lucentem, repentè disparere. Cúmque insolens prodigium intentè contemplarer, video repentè ceu dimidiam oriri Lunam, tribus in orbem vallatam Stellis, eáque viâ ingredi, quâ solet quotidie Sol recurrens. Ecce autem dum hic quoque attonitus defigo obtutus mox Stellis manentibus Luna euanescit. Deinde illas tres accuratè considerans Stellas, ad horam penè Meridianam video eas accedere, vicissímque suis se radiis cadere, & eam, quæ inter eas præstantior erat, de improuiso non apparere.* Et

[a] In epitom. Hist. Franc. ad an. 673.

[b] Spicileg. 5.

[c] D. 1. Dec.

AN. CH. 665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

paulo pòst. *Defuncto Clodoueo Rege, qui sine dubio breuì desinet esse in humanis, aliquandiu Regina coniux cum tribus filiolis Francorum Regnum obtinebit. Illâ autem sublatâ, & filiis in Regno relictis, vnus ex iis cadet.* Vtrùm autem in illo textu hæc vox, *sublata*, mortuam significet an summotam ab administratione Regni, non apertè constat. Abbreuiator Audoeni manuscriptus, quem sæpè breuitatis causâ citauimus, ab Audoeni mente palàm recessit. Cùm enim Eligianæ visionis ordinem exposuit, Bathildem, quam Audoenus ob secessum in Monasterium *Regno & iure Regio exemptam* scripserat, tunc *defunctam* seu mortuam sic asseruit. *Post mortem Clodouei, relicta Regina cum tribus pueris reget Regnum Francorum. Quâ defunctâ vnus ex ipsis tandem cadet.*

III. GENGVLFVS DEFENSOR COENOBII BESVENSIS.

Clodoueus Rex, decimo-quinto Kalendas Septembris, hoc anno, Regni sui decimo, vt Auctor Chronici Besuensis docet, singularem beneuolentiam erga Monachos Besuentes iterum testatus est, eorum enim Cœnobio Defensorem & Aduocatum Gengulfum virum illustrissimum constituit Regiis hisce literis. *Venerabilis vir Waldalenus Abbas de Monasterio S. Petri Fontis Besua, quod suus genitor Amalgárius eiúsque matrona Aquilina quondam suo opere visi sunt ædificasse, Clementia Regni nostri suggeßit eò quod ipsum Monasterium à malis hominibus fuisset vastatum, & instrumenta cartarum vna cum reliquis rebus quamplurimis exinde fuissent deportata. Ob hoc petiit à nobis vt illuster vir Gengulfus omnes causas ipsius Monastery ad persequendum & redintegrandum deberet recipere, cui nos hoc beneficium præstitisse cognoscite. Quapropter per præsens hoc Præceptum iubemus, vt memoratas omnes causas ipsius Monastery ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, & vnumquodque, vt iustum est, restituat, sic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas. Data XV. Calend. Septemb. anno X. regni Domni Clotary Regis.* Obseruat Hieronymus Bignonius longo tempore apud Francos illud obtinuisse, vt præter Regem nemini Procuratoris habendi absque Principis consensu facultas suppeteret. Extat apud Mareulfum [a] formula de causis alterius recipiendis. *Fidelis Deo propitio ille, ad nostram veniens præsentiam suggeßit nobis, eò quòd propter simplicitatem suam, causas suas minimè poßit prosequi, vel admallare, Clementia Regni nostri petiit, vt illustris vir ille omnes causas suas in vice ipsius, tam in pago, quàm in Palatio nostro admallandum prosequendúmque recipere deberet, quod in præsenti per fistucam eas eidem visus est commendasse. Propereà iubemus, vt dum taliter vtriusque decreuit voluntas, memoratus ille vir omnes causas lui, vbicumque prosequi vel admallare deberet, vt vnicuique pro ipso, vel hominibus suis, reputatis conditionibus, & directum faciat, & ab aliis similiter in veritate recipiat. Sic tamen quamdiu amborum decreuit voluntas.* In illa formula vox *lui* corruptè pro *ipsius* vsurpatur. *Admallare* significat ante iudicem vocare litigandi causâ, mallus enim erat placitum maius, vbi maiora negotia à Comite finiebantur. Causæ *per fistucam* dicuntur alteri commendari, quia fistuca siue festuca symbolum erat traditæ possessionis.

[a] Lib. 1. c. 21.

IV. PRÆIECTVS FIT EPISC. ARVERN.

His circiter temporibus Præiectus Presbyter Gairoaldo mortuo in Episcopatum Aruernensem successit. Iniit enim Pontificatum cùm Childericus in Austria regnabat, imò causis suæ Diœceseos exigentibus in Austriam ad eundem Regem profectus est, vt alio loco dicemus. Edita est duplex [b] eius vita. Authores extiterunt synchroni. Prior ætatem suam prodit, cùm patratum in refodiendis cuiusdam Martyris reliquiis miraculum profitetur ab eo qui adfuerat se accepisse. Posterior æqualem quoque se indicat in ipso prologo, vbi Ionam sancti Attalæ Bobiensis Abbatis discipulum laudat his verbis. *Ionas etiam nostræ memoriæ tempore vir eloquens.* Sancti Præiecti vitam prior ab eius Episcopatu; posterior exorsus est ab incunabulis. Hoc vno vsi sumus hactenus, vsuri imposterum vtroque. Posterior Pontificatum Gairoaldi & subrogationem sancti Præiecti sic exponit. *Defuncto Felice, cùm maxima pars Cleri vel populi Præiectum cuperent habere Antistitem, Archidiaconus vrbis præfata Gairoaldus nomine, cupiditatis instinctu, Clero contempto, laicorum vsus consilio, Episcopatum vrbis Aruernicæ vsurpauit per præmium. Sed quadraginta dierum euoluto cur-*

[b] Ap. Bolland. d. 25. Ian.

AN. CH. 665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

ricula, mortis sortitus est transitum. Igitur cùm vrbs Aruernica Præsulis destituta solatia, Genesium virum inclytum, & Senatariâ dignitate prælatum, Pontificalis Cathedræ sublimare voluisset in solio, ipse vir potens & sapiens honoris gradum incautè non appetens, indignum se huic officio fatetur coram cunctis, quin potiùs concionatur ad ciues, vt Præiectum à Rege peterent in Sede Pastoris. Tunc itaque fauore populi concordante, imò magis Sancto Spiritu gubernante, inito consilio, Præiectum elegerunt Antistitem, decreto etiam Regis populi petitionibus annuente. Alter Anonymus Præiectum ait promotum ad Episcopatum regnante Childerico, quem vocat Regem Germaniæ, id est, Austrasiæ, nam Reges Austrasiorum siue Orientalium Francorum vtrique Germaniæ, transrhenanæ scilicet ac cisrhenanæ, necnon aliis quibusdam Galliarum prouinciis, atque inprimis Aruerniæ dominabantur. Deinde obseruat Genesium virum illustrem, qui tunc in Aruerna ciuitate municipatum obtinebat, siue qui teste Sauarone Comitatum Aruernorum gerebat, timuisse ne contra edicta Canonum ageret si Pontificatum susciperet, hoc est, si statim ex laico seu Comite fieret Episcopus. *Sub diua,* inquit, *memoria Hilderici Regis, qui Germania gerebat principatum, cùm Aruernorum Ecclesia penè Sacerdotali esset culmine destituta, Genesius eo tempore vir illustris & generositate pollens, opibúsque opulentus, in præfata vrbe municipatum obtinebat. Cùm opinio de adepto Sacerdatia cateruatim, vt in talibus rebus fieri assolet, rimaretur, & alius aly præferri niteretur, atque inter se disceptarent, cùm pars maxima præfatum Genesium ad Pontificale culmen sublimandum summo annisu Regalibus edictis deposuissent, ille metu perculsus, ne contra edicta Canonum ageret, indignum se Sacerdotio fore asserens concionabatur. At ciues in electionem Præiecti verba deprompserunt, qui illis diebus officium Sacerdotalis Ordinis in præfata vrbe gerebat. Quorum cùm ad aures vulgi peruenisset consensus, vox omnium Clericorum & laicorum vna efficitur, Præiectum dignum fore Sacerdotio. Quid plura? Auctore Deo ordinatur Episcopus.* Nullum ibi verbum, vnde conricere fas sit Præiectum ante Episcopatum vel Monachum vel Abbatem extitisse, quod Scriptores Benedictini contendunt.

Felix Aruernorum Episcopus in numero Sanctorum habetur. Sepultus fuit in Ecclesia sancti Stephani, in qua sanctissimi Præsules Namatius, Aprunculus & Quintianus iam quiescebant, vt Anonymus libro primo [a] de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus testatur his verbis. *In Ecclesia sancti Stephani, altare sancti Stephani, vbi S. Namatius & S. Quintianus, & sanctus Aprunculus, & S. Felix, & alia Sanctorum corpora, quorum namina nescimus, quiescunt.* V. S. FELIX EPISC. ARVERN. [a] Num. 13.

Gairoaldus, qui post Felicem quadraginta tantùm diebus sedit, & *cupiditatis instinctu*, vt diximus, *Clero contempto, laicorum vsus consilio, Episcopatum vrbis Aruernica vsurpauit per præmium*, confundirur à Sauarone cum sancto Gerualdo, quem prædictus Anonymus, qui de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus scripsit, in Ecclesia sancti Galli sepultum fuisse docet [b] his verbis. *In Ecclesia S. Galli, altare S. Maria, vbi requiescunt S. Gallus, & S. Vrbicus, & S. Antalianus & sanctus Gerinaldus.* Saussaius à Sauaronis opinione non recedit in elogio sancti Præiecti octauo Kalendas Februarias, & in Appendice ad Martyrologium Gallicanum sub litera G. Sic enim in Natali sancti Præiecti scribit. *Tum defuncto beato Genesio* (Genesij loco Felicem restitue) *cùm sacra comitia ad successorem deligendum agerentur, omnium bonorum vota facilè in Præiectum tat nitentem virtutibus conspirarunt, vt Præsul in eius locum, cuius diuinos mores egregiè referebat, ordinaretur. At Carinaldi Archidiacani tunc præualuit ambitio, qui Magnatum quorumdam potentiâ fretus, effusísque in corrupta vita homines muneribus, Episcopatum sibi contra Cleri & plebis saniara suffragia, adeáque contra ius & æquum vendicauit. At Deus vindex impiorum moliminum, intra dies quadraginta Carinaldum de medio sustulit, admissi reatûs demissè à Præiecto veniam in extremis deprecatum*, sed vnde hanc simoniaci Præsulis pœnitentiam didicerit, haud prodit, certè nec ex vita sancti Præiecti, nec ex libello de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus accepit, tamen alia non videtur opera legisse, vt

VI. GAIROALDVS DISTINGVITVR A S. GERIVALDO. [b] Lib. 1. n. 8.

AN. CH. 664. CLOTAR. III. R. 10. CHILO. II. R. 6.

textum iam citatum insereret vitæ sancti Præiecti, aut in Appendice prædicta subsequentem sancti Gerivaldi panegyrim texeret. *S. Gerivaldus, aliàs Carivaldus Episcopus Aruernensis, qui cum solutioris vitæ fuisset, Episcopatúsque infausta habuisset primordia, a Deo tactus, animitus resipuit, tantaque pœnitentia significatione Ecclesiam suam in extremis ædificavit, ut non modo a Clero & populo fuerit in Sancti Galli Basilica (in qua sanctus ipse Gallus, Sanctique Vrbicus & Antolianus requiescunt) ante altare Sanctæ Mariæ cum magno honore sepultus, sed & deinde ob manifesta glorificationis signa inter Sanctos Claromontanos annumeratus, sicut libellus fermè ante annos 700. conscriptus de Sanctis, Ecclesiis & Monasteriis Claromontij, non ita diu ex scriniis Illidianæ Basilicæ & Sanctæ Mariæ Portuensis in lucem editus copiosè demonstrat lib. 1. num. 8.* Sauaro, qui libellum ipsum de Ecclesiis & Altaribus in Claromonte consistentibus cum notis publicauit, ingenuè fatetur se nescire quo iure Gerivaldus, quem in vita sancti Præiecti Gairoaldum, Carivaldum in Claromontensium Antistitum catalogo dictum putat, ascriptus sit Sanctorum numero, nisi Sanctus vocetur *propter Episcopatûs honorem & quòd diuino cultui consecratus esset, vel quòd solutiorem vitam cum sanctitate mutauerit.* At tantùm abest vt Gairoaldus ad meliorem frugem migrarit, quin potiùs ob simoniam vltione diuinâ post quadraginta dies è viuis abreptus videtur, sic enim de illo Anonymus iam citatus in vita sancti Præiecti disserit. *Cùm maxima pars Cleri vel populi Præiectum cuperent habere Antistitem, Archidiaconus vrbis præfatæ Gairoaldus nomine, cupiditatis instinctu, Clero contempto, laicorum vsus consilio. Episcopatum vrbis Aruernicæ vsurpauit per præmium, sed quadraginta dierum euoluto curriculo, mortis sortitus est transitum.* Quod attinet ad Pontificiam dignitatem, Anonymus, qui de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus libellum composuit, complures Episcopos, qui Diœcesim Aruernam rexerunt, Sanctos appellauit, sed eos omnes ob Sanctitatis famam tali decorauit encomio, neminem verò propter solum honorem Episcopatûs. Res facilè probari potest. A primo Ecclesiæ Aruernicæ exordio vsque ad Gairoaldum quotquot Aruernis Episcopi præfuerunt, vt Sancti coluntur, si tres excipias, Apollinarem, Cautinum & Progolum, de quibus Anonymus in Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus silet; deinde idem Anonymus à Gairoaldo vsque ad Sigonem quo nullum recentioris ætatis nominat, tres duntaxat Sanctos dicit, Præiectum, Auitum & Bonitum, qui dies Natales in plerisque Kalendariis habent. Eadem assertio firmiùs stabilitur hac inductione.

CATALOGVS EPISC. ARVERN.

Primus Aruernorum Episcopus fuit Stremonius siue Austremonius *, de cuius sanctitate & miraculis lege Tabulas Ecclesiasticas Kalendis Nouembribus, & Gregorium Turonensem in Historia Francorum libro primô, capite vicesimo-octauo, & in libro de gloria Confessorum, capite tricesimo. Anonymus Ecclesiam in illius honorem cum altari erectam obseruat [a] his verbis. *In Ecclesia S. Austremonij, altare S. Austremonij, altare S. Boniti.* De sepultura verò non loquitur, quia non in Claromonte sed Iciodori * sepultus fuit, vt Gregorius in præcitato libro de gloria Confessorum docet. Secundus Aruernorum Episcopus fuit Vrbicus, hunc Tabulæ Gallicanæ numero Sanctorum ascribunt tertio Nonas Apriles, sepultúmque tradit Anonymus [b] *in Ecclesia S. Galli.*; eâ verò vel euersâ vel ruinam minante corpus beati Vrbici translatum est in Illidianam vbi hodie custoditur. Verba Anonymi hæc sunt, *in Ecclesia S. Galli, altare S. Mariæ, vbi requiescunt S. Gallus & S. Vrbicus*, &c. Tertius Aruernorum Episcopus fuit Leogontius, cuius sanctitatem æquè ac sepulturam sic indicat Anonymus [c]. *In Ecclesia S. Leogontij, altare S. Mariæ, altare S. Michaelis, altare S. Iuliani, ibi requiescit S. Leogontius.* Quartus Aruernorum Episcopus fuit Illidius *, qui colitur in Martyrologio Romano Nonis Iuliis, & quiescit in Ecclesia sui nominis, de qua sic Anonymus [d]. *In Ecclesia S. Illidij, altare S. Clementis, altare S. Mariæ, vbi S. Illidius, & S. Desideratus, & S. Gallus, & S. Auolus, & S. Iustus, & S. Iniuriosus, & Scholastica in corpore quiescunt.* Quintus Aruernorum Episcopus fuit Nepotianus, quem in Ecclesia sancti Venerandi sepultum docet Anonymus.

* Austremoine.
[a] L. 1. n. 12.
* Issoire.
[b] L. 1. n. 8.
[c] L. 2. n. 18.
* Allyre.
[d] L. 1. n. 11.

mus [a]. *In Ecclesia S. Venerandi, altare S. Iuliani & S. Basilicæ Antiochenæ, altare S. Quintini & S. Dionysij, altare S. Mariæ, vbi S. Venerandus, & S. Linguinus, & S. Nepotianus, & S. Auitus, & S. Clara, &c. in corpore quiescunt.* Eius diem Natalem, quia incertus est, non habent Kalendaria, Translationem verò celebrat vndecimo Kalendas Nouembres Appendix ad Martyrologium Gallicanum, sanctitatem & miracula prædicat Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum, capite tricesimo-septimo. Sextus Aruernorum Episcopus fuit Artemius, hic colitur nono Kalendas Februarias in Martyrologio Gallicano, Sanctus appellatur à Gregorio Turonensi [b], diu sepultus requieuit in Ecclesia sui nominis, de qua sic [c] Anonymus, *in Ecclesia S. Artemy, altare S. Mariæ, altare S. Martini, vbi S. Artemius, & S. Vera, & S. Supperina, & alia corpora Sanctorum requiescunt.* Hæc Ecclesia solo æquata est, & vulgò dicitur *le vas de S. Arthem*, quò loci arcam lapideam, in qua sanctus Artemius olim condebatur, carris rotantibus atteri pedibúsque prætereuntium conculcari non immeritò iam questus est Ioannes Sauaro. Septimus Aruernorum Episcopus fuit Venerandus qui colitur [d] decimo-quinto Kalendas Februarias. Illius sepulturam, sanctitatem ac Basilicam commendat Gregorius Turonensis [e]. *Est & ibi*, inquit, *sepulchrum ipsius Sancti Venerandi Episcopi, à quo hæc ædes nomen accepit.* A Gregorio non recedit Anonymus, cùm eandem beati Venerandi Basilicam ita laudat [f]. *In Ecclesia S. Venerandi, altare S. Iuliani & S. Basilicæ Antiochenæ, altare S. Quintini & S. Dionysij, altare S. Mariæ, vbi S. Venerandus, & S. Linguinus, &c. in corpore quiescunt.* Octauus Aruernorum Episcopus fuit Rusticus *, de quo, quamuis octauo Kalendas Octobris colatur, silet Anonymus, quia non in ciuitate Claromontana sepultus fuit sed Alnati * vbi Presbyterali officio quondam fungebatur antequam in Pontificem assumeretur. Lege Martyrologium Gallicanum ad diem prædictum & Gregorium Turonensem libro secundo, capite decimo-tertio. Nonus Aruernorum Episcopus fuit Namatius, quem Anonymus sepultum testatur in Ecclesia sancti Stephani, de qua sic scribit [g]. *In Ecclesia S. Stephani, altare S. Stephani, vbi S. Namatius & S. Quintianus, &c. quiescunt.* Decimus Aruernorum Episcopus fuit Eparchius, de cuius sepultura nihil Anonymus; signatur in quibusdam Tabulis pridie Kalendas Octobres teste Saussaio in catalogo Sanctorum, Beatorum & Piorum qui proprias Historias vel Natales in Martyrologio Gallicano non habent. Vndecimus Aruernorum Episcopus fuit Sidonius *, qui colitur in Tabulis Ecclesiasticis decimo Kalendas Octobres, diúque sepultus quieuit in Ecclesia sancti Saturnini de qua sic Anonymus [h]. *In Ecclesia Sancti Saturnini, altare Sancti Saturnini, vbi Sanctus Amandinus, & Sanctus Sidonius quiescunt.* Duodecimus Aruernorum Episcopus fuit Aprunculus, qui septimo Idus Martias & pridie Idus Maias colitur [i], sepultúsque fuit in Ecclesia sancti Stephani, de qua sic [k] Anonymus. *In Ecclesia S. Stephani, altare S. Stephani, vbi S. Namatius, & S. Quintianus, & S. Aprunculus, &c. quiescunt.* Decimus-tertius Aruernorum Episcopus fuit Eufrasius, cuius sanctitatem prædicat Gregorius Turonensis [l], sepulturam Anonymus non indicat. Decimus-quartus Aruernorum Episcopus fuit Apollinaris, de cuius sepulchro non loquitur Anonymus, quia non habetur in numero Sanctorum, nam teste Gregorio Turonensi [m] *oblatis multis muneribus in Episcopatu successit, quo quatuor abutens mensibus, migrauit à seculo.* Quæ de sanctitate Apollinaris à Roberto [n] & à quibusdam aliis proferuntur ex Adonis Martyrologio, non ab Adone scripta sunt sed ab Adonis Interpolatore, vt testantur Mosander & Rosweydus qui Martyrologium Adonis recognouerunt. Ado sexto Kalendas Octobris solum Cypriani Episcopi & Iustinæ Martyrium consignauit, addita sunt à recentiore quæ sequuntur de Eusebio Episcopo, de Senatore, de Luxurio & de Apollinario Episcopo. *Romæ viâ Appiâ in cœmeterio Callisti, depositio S. Eusebij Episcopi & Confessoris. Et in Albano natale Sancti Senatoris. In Sardinia Natalis Sancti Luxurij. Aruernis, depositio S. Apollinary Episcopi.* Martyrologio Romano inscripti fuerunt sanctus Eusebius & sanctus Senator, nequaquam

[a] L. 1 n. 10.
[b] L. 2, c. 13.
[c] L. 1 n. 29.
[d] Martyr. Gall.
[e] De gloria Conf. c. 37.
[f] L. 1. n. 10.
* *S. Rustic, vulgò S. Rotiri.*
* *Aulnat.*
[g] L. 1. n. 13.
* *Sidoine.*
[h] L. 1 n. 22.
[i] Martyr. Gall.
[k] L. 1. n. 13.
[l] L. 3. c. 2.
[m] L. 3. c. 2.
[n] Gallia Christ.

AN. CH. 665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

verò Luxurius & Apollinarius siue Apollinaris. Luxurius ad nostros Annales non pertinet. Quis autem Adonis Interpolatorem in Apollinaris Episcopi sanctitate comprobanda Gregorio Turonensi res sui ferè temporis narranti anteponat? Decimus-quintus Aruernorum Episcopus fuit Quintianus, qui colitur in Tabulis Ecclesiasticis decimo-octauo Kalendas Iulij & Idibus Nouembris, & vt Gregorius Turonensis in eius vita scribit [a], *obiit perfectus in sanctitate & sepultus est in Basilica sancti Stephani ad leuam altaris.* A qua sententia non recedit Anonymus, cùm eandem sancti Stephani Basilicam ita laudat [b]. *In Ecclesia S. Stephani, altare S. Stephani, vbi S. Namacius, & S. Quintianus,* &c. *quiescunt.* Decimus-sextus Aruernorum Episcopus fuit Gallus, qui Kalendis Iuliis colitur in iisdem Tabulis, & sepultus fuit in Basilica sancti Laurentij teste Gregorio Turonensi [c], cui suffragantur hæc Anonymi verba [d]. *In Ecclesia S. Laurentij, altare S. Laurentij, ibi requiescunt S. Gallus, & S. Briccius,* &c. Decimus-septimus Aruernorum Episcopus fuit Cautinus, cuius memoria nec ab Anonymo recolitur, nec apud posteros extitit gloriosa. Decimus-octauus Aruernorum Episcopus fuit Auitus, qui colitur [e] duodecimo Kalendas Octobris, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Principalis sepultus ita perhibetur ab Anonymo [f]. *In Ecclesia S. Mariæ Principalis, primum altare S. Mariæ, altare S. Iuliani, altare S. Priuati, altare S. Sulpitij, vbi requiescunt S. Auitus, & S. Garius, & S. Sigo.* Decimus-nonus Aruernorum Episcopus fuit Desideratus *, cuius sanctitatem non modò Martyrologium Claromontense, *tertio Idus Februarij apud vrbem Aruernam depositio B. Desiderati Episcopi & Confessoris*, & eodem die Molanus in additionibus ad Vsuardum, *Aruernis, sancti Desiderati Episcopi & Confessoris*, sed & Ecclesia declarat illi dicata, de qua sic Anonymus [g]. *In Ecclesia S. Desiderati, altare S. Petri, altare S. Isidori & Sanctæ Mariæ.* Locum autem sepulturæ sic idem Anonymus [h] indicat. *In Ecclesia sancti Illidij, altare S. Clementis, altare S. Mariæ, vbi S. Illidius & S. Desideratus,* &c. *quiescunt.* Vicesimus Aruernorum Episcopus fuit Auolus *, cuius sanctitatem vt istis verbis in notis Sauaronis Tabula Illidiana, *S. Auolus Episcopus*, ita sepulturam Anonymus hisce prodit [i]. *In Ecclesia S. Illidij, altare S. Clementis, altare S. Mariæ, vbi S. Illidius, & S. Desideratus, & S. Gallus, & S. Auolus,* &c. *quiescunt.* Vicesimus-primus Aruernorum Episcopus fuit Iustus *, qui Sanctus in antiquis catalogis appellatur, sepultúsque fuit in Ecclesia S. Cirici, de qua sic Anonymus [k] loquitur. *In Ecclesia sancti Cirici, altare S. Cirici, vbi S. Abraham, & S. Iustus, & S. Siluinus requiescunt.* Vicesimus-secundus Aruernorum Episcopus fuit Cæsarius, de quo nihil apud Anonymum, licèt Claromontanis Fastis inscriptus sit Kalendis Nouembribus. Vicesimus-tertius Aruernorum Episcopus fuit Gallus * huius nominis secundus seu iunior, cuius sanctitatem & sepulturam simul declarat Anonymus, cùm sepultum in Ecclesia sui nominis sic tradit [l]. *In Ecclesia S. Galli, altare S. Mariæ, vbi requiescunt S. Gallus, & S. Vrbicus,* &c. Et ne suspiceris de seniore Gallo sermonem hic fieri, obserua seniorem Gallum, vt in eius vita Gregorius Turonensis [m] à nobis iam citatus scribit, sepultum fuisse in Basilica sancti Laurentij, de qua sic etiam Anonymus [n]. *In Ecclesia S. Laurentij, altare S. Laurentij, vbi requiescunt S. Gallus & S. Briccius,* &c. Vicesimus-quartus Aruernorum Episcopus fuit Progolus, de quo nihil apud Anonymum, apud alios nudum nomen legimus. Vicesimus-quintus Aruernorum Episcopus fuit Genesius *, de cuius sepultura sic Anonymus [o]. *In Ecclesia sancti Symphoriani, altare sancti Symphoriani, altare S. Amantij, altare sancti Marcelli, vbi S. Genesius requiescit.* Illi cultus ac veneratio persoluitur tertio Nonas Iunias, vt ex Ordine Claromontensi constat. Vicesimus-sextus Aruernorum Episcopus fuit Felix, qui *Candidinense Cœnobium tradidit ad regendum Praiecto*, vt Auctor synchronus in ipsius sancti Præiecti vita testatur [p]. Plura de illo non occurrunt, at ex vngue leonem agnosce, & ex studio quod adhibuit vt prædictum Monasterium curæ viri maximè probi committeret, quantâ diligentiâ vigilantiâque vsus sit in administratione suæ Diœ-

[a] De vit. patr. c. 4.
[b] L. 1 n. 13.
[c] De vit. patr. c. 6.
[d] L. 1. n. 3.
[e] Supplem. Mart. Gall.
[f] L. 1. n. 2.
* Desiderat.
[g] Lib. 1. c. 18.
[h] L. 1. n. 11.
* Auol.
[i] L. 1. n. 11.
* Iust.
[k] L. 1. n. 14.
* S. Gal.
[l] L. 1. n. 8.
[m] De vit. patr. c. 6.
[n] L. 1. n. 3.
* Genez.
[o] L. 1. n. 25.
[p] Ap. Boll. d. 25. Ian.

AN. CH. 665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

ceſeos, ſeriò collige, ac fatere non immeritò vocari Sanctum in veteribus monumentis quæ Sauaro conſuluit, eóque titulo recenſeri ſepultum cum aliis ſanctis Epiſcopis, Namacio, Apruncuło & Quintiano, in Eccleſia ſancti Stephani, de qua ſic Anonymus [a]. *In Eccleſia S. Stephani, altare S. Stephani, vbi S. Namacius, & S. Quintianus, & S. Apruncułus, & S. Felix, &c. requieſcunt.* Viceſimus-ſeptimus Aruernorum Epiſcopus fuit Gairoaldus de quo iam diſputamus. Poſt Gairoaldum ſederunt Præiectus, Auitus, Bonitus, Nordebertus, Bubus, Proculus, Thaido, Daibenus, Stephanus, Adebertus, Fridigiſus, Stabilis & Sigo poſtremus omnium, quorum Anonymus in ſuo libello meminit. Ex illis tredecim proximis Gairoaldi ſucceſſoribus, quinque duntaxat vt Sancti coluntur, Præiectus ſeu Proiectus in Tabulis Eccleſiaſticis octauo Kalendas Februarias, Auitus huius nominis ſecundus ſeu iunior duodecimo eaſdem Kalendas in Breuiario & Miſſali Claromontenſibus citatis à Sauarone, Bonitus in prædictis Tabulis decimo-octauo eaſdem Kalendas, Stabilis Kalendis Ianuariis in monumentis Monaſterij Mozacenſis & in Eccleſia Illidiana vbi eius feſtum officio octo Lectionum celebratur teſte Sauarone, & Sigo 4. Idus Februarias in Breuiario, Martyrologio & Ordine Claromontanis. Anonymus ex iiſdem tredecim proximis Gairoaldi ſucceſſoribus oſtendit tantùm vbi tres ſepulti fuerint, Auitus, Bonitus & Sigo, qui ſunt è quinque Sanctorum ſuprà nominatorum numero, de ceterorum nouem ſepultura ne verbum quidem facit. Auitum in Eccleſia ſancti Venerandi, Bonitum in Eccleſia ſui nominis, & Sigonem in Eccleſia ſanctæ Mariæ Principalis ſepultos docet. Sic enim loquitur de Baſilica ſancti Venerandi [b]. *In Eccleſia S. Venerandi, altare S. Iuliani & S. Baſilicæ Antiochenæ, altare S. Quintini & S. Dionyſij, altare S. Mariæ, vbi S. Venerandus, & S. Longinus, & S. Nepotianus, & S. Auitus, &c. in corpore quieſcunt.* De Baſilica [c] ſancti Boniti. *In Eccleſia S. Boniti, altare S. Maurity, altare S. Angeli, altare S. Petri & S. Mariæ, ibi requieſcit S. Bonitus in corpore.* De Baſilica [d] ſanctæ Mariæ Principalis. *In Eccleſia S. Mariæ Principalis, primum altare S. Mariæ, altare S. Iuliani, altare S. Priuati, altare S. Sulpity, vbi requieſcunt S. Auitus, & S. Garius, & S. Sigo.* Idem Anonymus ſanctitatem beati Præiecti commendat ab Eccleſiis & Altaribus in eius honorem erectis. *In Eccleſia*, inquit [e], *ſancti Praiecti, altare ſancti Praiecti, altare ſancti Boniti, &c. In Eccleſia* [f] *ſancti Praiecti, altare ſancti Praiecti, altare S. Mariæ, &c. In Eccleſia* [g] *S. Vincenty, altare S. Vincenty, altare S. Geronty, altare S. Praiecti;* Item, *in Monaſterio puellarum* [h] *Cantoenno, Eccleſia S. Petri, altare ſancti Petri, altare ſancti Praiecti; & in Monaſterio* [i] *Camalarienſe, altare S. Mariæ, altare S. Praiecti, &c.* De ſepultura ſilet, quia Præiectus non Claromonte ſed Volouici ſepultus fuit vbi Martyrium ſubiit, erectúmque eſt poſteà Monaſterium ab Auito ſucceſſore, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum dicturi ſumus. Loquitur autem de ſepultura ſancti Boniti, quia quamuis Bonitus Lugduni mortuus ſit ibíque primùm ſepultus, Aruernos tranſlatus eſt ſub Proculi Pontificatu, & depoſitus in Eccleſia ſancti Mauritij, quæ, cùm Anonymus ſcribebat, Eccleſia ſancti Boniti iam dicebatur, hodie verò Eccleſia ſancti Boniti vel ſancti Ferreoli vocatur in Claromontenſi ſuburbio, éſtque cùm parœcia tum Prioratus Illidianæ ditionis. Agemus ſuo loco fuſiùs de illa Tranſlatione, quam Author coætaneus vitæ ſancti Boniti ſubiecit. Ceterùm ex præmiſſa inductione, quâ Pontifices quadraginta complexi ſumus, liquet, ne vnius quidem, qui ſanctitatis gloriâ non refulſerit, ſepulturam ab Anonymo notatam fuiſſe in Eccleſiis Claromontenſibus, & erraſſe Sauaronem, qui nonnullos prædictorum Antiſtitum ob ſolum Epiſcopatûs honorem Sanctos appellari putauit, in eâque ſententia ſanctum Gerinaldum, quem Anonymus in Eccleſia ſancti Galli ſepulcrum dixit, cum Gairoaldo ſimoniaco Præſule perperam confudit.

[a] Lib. 1. n. 13.
[b] Lib. 1. n. 10.
[c] Lib. 1. n. 4.
[d] L. 1. n. 2.
[e] L. 1. n. 24.
[f] L. 2. n. 11.
[g] L. 1. n. 19.
[h] L. 3. n. 26.
[i] L. 2. n. 2.

VII. In laudes ſancti Præiecti *, qui Gairoaldo in Epiſcopatum ſucceſſit, excurrunt duo Anonymi ſuprà laudati. *Cùm ſublimatus in Cathedra*, inquit poſ-

* S. Praiect.

AN. CH. 665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

terior, *benedictione perceptâ, fulgeret conuersatione Angelicâ, agebat Deo gratias plebs deuota, quòd talem Sacerdotem recepisset Ecclesia, quæ antè fuerat morte sui Antistitis destituta. Erat enim vir Dei sanctus Praiectus piissimus, & omni suauitate conspicuus, vultu hilaris, fulgentibus oculis, blandus verbis, virginitate praecellens, corpore pulcherrimus, cute nitidus, staturâ decorus, omni bonitate repletus. Cúmque sanctis moribus polleret, quemdam religiosum virum, Euodium nomine, socium sibi elegit, per quos multorum animas sancta prædicatio ad cælestia desideria inuitauit.* Prior Anonymus eundem ita commendat. *Habebat tunc temporis,* nempe Præiectus Episcopus, *socium sacræ religionis sagacissimum perspicuaque sanctitatis virum Euodium, qui multos Aruernorum vicinarumque vrbium populos antiqui anguis irretitos habenis, ad sanctæ Ecclesiæ Catholicæ gremium per pœnitentiæ salubris antidotum reuocauit.* Assentiri non possumus iis, qui hunc Euodium eundem faciunt cum Euodio Cœnobij Magnilocensis Abbate, cuius iam meminimus sub beati Genesij Pontificatu. Duo distinguendi sunt Euodij, quorum alter in vita sancti Boniti, alter in vita sancti Præiecti laudatur; ille Magnilocensium Monachorum primus Abbas constitutus est ab Episcopo Genesio Monasterij conditore, vt suo loco diximus, hic Monialium Camaleriensium curam suscepit, vt Anonymus nuperrimè citatus declarat his verbis in vita sancti Præiecti. Præiectus Episcopus *cœpit affatim prædicto Genesio Comiti consilium præbere salubre, vt quia soboles ei quæ hæreditario iure succedere deberet deerat, Ecclesiam sibi, quæ maculam & rugam non haberet, adoptaret. Quo consilio vix tandem isdem vir illustris adepto, Monasterium sacratum Virginum suburbano præfatæ ciuitatis in loco, cui Camelaria * nomen inditum est, omni nisu atque conamine fabricare adorsus est, ex Regula duntaxat virorum Sanctorum, id est, S. Benedicti, & S. Cæsarij, atque Columbani. In quo Monasterio ad exercendam normam fidei, religionisque ac mortificationis custodiam, præfatum Euodium, cuius superiùs mentionem fecimus, summum præfecit, & ad necessitatem eorum res suo iure obtentas inibi delegauit. Sanctus verò Pontifex quamdam fœminam illustribus ortam natalibus, quam ab adolescentia in Christiano vigore dilexerat, vocabulo Gundilanam, ibi matrem instituit.* Alter Anonymus eadem Camaleriensis Monasterij primordia breuiùs perstringit hoc modo. *Cœpit interea Praiectus vir Domini prædicto Genesio suadere, vt quia mundanas soboles non haberet, Ecclesiam sibi pro filiis adoptaret. Tandem itaque vir nobilis eius verbis consentiens, in suburbano memoratæ vrbis Monasterium construens sub norma sanctæ Regulæ ibidem viuere instituit Virgines; reliquam amplissimam facultatem post suum obitum per loca deputauit Ecclesiarum sanctarum.* In Historia sancti Genesij Comitis, quam Sauaro in notis ad secundum librum de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus citat, habetur mentio quinque Ecclesiarum quas Genesius apud Camaleriam ædificauit. *Construxit*, inquit Author Historiæ, *diuino admonitus oraculo apud castrum proprium, Camaleriam à Camelis sic nuncupatam, quinque Ecclesias, quinque corporis sensus designantes. Quarum vnam in honore Saluatoris condidit; posteà alteram in honore Dei genitricis Mariæ; tertiam Petro Apostolo dicauit, quam sexûs virginei personis donauit; quartam S. Cæciliæ fecit cui Monachos adiunxit; quintam in exaltatione S. Crucis ædificauit, cui Ecclesiasticos duntaxat Presbyteros dare arbitratus est non secundùm vllius prædictarum regularum consuetudinem viuentes.* In libello de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus Author non loquitur de Ecclesia Saluatoris, reliquas verò quatuor ita laudat. *In Monasterio Camaleriense, altare S. Mariæ, altare S. Praiecti, altare S. Agathæ, altare S. Martini, altare S. Pardulfi, vbi requiescit S. Tecla; in Ecclesia S. Petri, altare S. Petri, altare S. Angeli, altare S. Boniti, altare S. Ioannis, altare S. Petronillæ; in Ecclesia S. Cæciliæ, altare S. Cæciliæ; in Ecclesia S. Crucis, altare S. Crucis, altare S. Orientij, altare S. Iulianæ, altare S. Andreæ.* Plura non legimus de Genesio Comite. Habetur in numero Sanctorum, colitúrque Nonis Iuniis, vt in notis ad vitam beati Præiecti per antecessum Bollandus [a] obseruauit.

INITIA MONAST. CAMELAR.

* Chameliere.

[a] D. 25. Ian.

VIII. PRÆIECTVS CONDIT MONAST. PVELLAR.

Præiectus Episcopus aliud puellarum Monasterium cum Xenodochio erexit,

ſic enim res ab eo præclarè geſtas proſequitur Anonymus nuperrimè citatus. *Cernens vir Deo plenus vbertim Chriſti familiam creſcere, aliud Monaſterium in ſuburbano prædictæ vrbis, in agello Cæſariæ quondam fœminæ conſtrui præcepit, & ipſum de puellis Deo dicatis ſacrauit. Ante illud etenim tempus puellarum in illis locis Cœnobium vix reperiebatur. Xenodochium quoque in propriis rebus, Orientalium morem ſecutus, in loco qui Columbarius dicitur, fabricare curauit. Medicos vel ſtrenuos viros qui hanc curam gererent, ordinauit, ita tamen vt ſemper ibidem viginti ægroti mederentur, & ſtipendia ſibi acciperent. Poſtquàm verò conualeſcerent, aliis locum curandi darent.* ET XENODOCHIVM.

Obiit hoc anno Giſloardus Epiſcopus Virodunenſis, cui ſucceſſit Gerebertus conſanguineus, Abbas anteà Theologienſis, vt Waſbutgius obſeruat [a]. Sedente Gereberto Rudingus Abbas Bellilocenſis Childericum Auſtraſiæ Regem adiit, & ab eo in gratiam ſui Monaſterij Regale Præceptum obtinuit. *Procerum largâ liberalitate vel pecuniarum in poſſeſſionum coemptione vſque ad ſeptingentos ſeptuaginta manſos excreuerat fundata nouiter inceptio Abbatiæ. Quas nimirum res, ne poſtmodum à Miniſtris diriperentur iniquitatis, conſilio habito Regalis Præcepti auctoritate confirmari conſtituit. Adito ergo Glorioſo Childerico, qui tunc temporis Francorum obtinebat Regnum, ipſius Clementiâ voluntati ſuæ implorat tribui effectum. Iungunt precibus eius preces diuerſæ Palatinorum poteſtates, quorum ſanctitatis eius fama occupauerat aures. Fauore ergo omnium vſus non modò quod petebat obtinuit, verùm etiam largitione Principis villam quamdam Domeriacam nuncupatam accepit, quam ei Rex Præcepto delegauit, & ipſam Abbatiam ſuâ Regiâ defenſione munitam, ab omni prorſus externo ſeruitio liberam & immunem eſſe conſtituit, reſeruato Virduuenſium Pontifici, cuius Diœceſi continetur, reſpectu ſacrorum Ordinum & benedictionis.* Huc vſque vita ſancti Rodingi deſcripta è Codice Catalaunenſi. Syncerior eſt hic Codex Bellilocenſi, quia nec mentionem Regulæ Benedictinæ facit, nec in Regio Childerici Præcepto quidquam exhibet, quod antiquæ Marculfi formulæ refragari videatur. Vox tamen, *Abbatia*, quæ non ſemel in ea lucubratione legitur, oſtendit Auctorem Rodingo nec coætaneum nec ſuppatem fuiſſe. Deinde ſunt & in eodem opere quidam næui, quos diſſimulare non poſſumus. Primus peccat circa ætatem Rodingi, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum probabimus; alter circa Tabulcienſes Abbates, quibus ipſum Rodingum & Chroduinum eius nepotem perperam adſcribit.

IX. EPISCOPI VIRODVN. [a] Lib. 2.

PRÆCEPTVM CHILDERICI R. PRO MON. BELLILOC.

Obiit & Papolenus Turonenſis Epiſcopus, cùm ſediſſet [b] annos quinque, menſes duos. Succeſſit Crotbertus, ſeu Chrodobertus, de quo ſic Auctor coætaneus [c] in vita ſancti Præiecti. *Audiens hæc Chrodobertus Turonicæ vrbis Epiſcopus Diaconem ſuum cum eulogiis causâ viſitationis ad ipſum*, nempe Præiectum, *direxit*. Erat Præiectus Aruernorum Epiſcopus, vt obſeruatum eſt ſuprà, Diaconum epilepticum à Chroduberto ſeu Chrotberto Turonorum Epiſcopo cum eulogiis ad ſe viſitationis causâ directum ſanauit. Hoc miraculum fuſiùs ab eodem Anonymo deſcribitur.

X. EPISCOPI TVRON. [b] Seuert. [c] Ap. Bolland. d. 25. Ian.

Hoc eodem anno Iudocus Preſbyter, cùm in poſteriori eremo, quam anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-primo ingreſſus erat, *per quatuordecim annos* degiſſet, migrauit ad Deum Idibus Decembris. *Subſequente tempore*, inquit Florentius, *precioſa Chriſti margarita Iudocus in carne præter carnem viuens, Angelus eſſe videbatur non homo, qui tandem cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto, Idibus Decembris obdormiuit in Domino, Angelorum obſequiis & Chriſto duce (cuius præſentiam indicabant intolerabilis claritas ſplendoris & incomparabilis dulcedo diuini odoris) deductus in cælos. Cuius corpus, quia virgo fuerat, ac immunis à carnalis commixtionis contagio, ita ſaluum ac integrum permanſit in tumulo ad ſexaginta ferè annos, ac ſi ſpiritus vitæ foret in eo. Nam à cuſtodibus corporis ſui, vngues manuum ipſius ac pedum, & capilli capitis barbaque, quaſi viueret, excreſcentes præcidebantur, & radebantur omni Sabbato, quouſque ſucceſſor Ducis Haymonis, Dectricus nomine, minùs reuerenter ac præſumptuosè (immemor illius Scripturæ, non*

XI. S. IVDOCVS MORITVR.

AN. CH. 665. CLOTAR. III. R. 10. CHILD. II. R. 6.

tentabis Dominum) sacrarium violenter irrupit cum satellitibus suis, ac intranit cum, vbi repositum erat corpus sanctissimi Confessoris Iudoci. Qui viso miraculo s... tim cæcitate percussus in amentiam incidit, ac miserabiliter exclamans, hâ San... Iudoce, surdus permansit ac mutus, quoadusque diem clausit extremum, temer... tisque sua in præsenti sæculo excepit pœnam, ne à Domino, his qui non punit i... ipsum, hac de causa damnaretur in futuro.

XII. Auctores auctioris Galliæ Christianæ in catalogo Luxouiensium Abba... ponunt hoc anno mortem Walberti Luxouiensis Abbatis, & in nomencl... Bisonticensium Archiepiscorum scribunt eiusdem Walberti funus hoc curatum fuisse à Migetio Vesontionensi Antistite. Sed Walbertus in L... uiensi Monasterio vitam multò seriùs produxit, & ex Abbate Luxouien... ctus est post Faronem fratrem Meldensis Episcopus vt patebit infrà. De... Migetius Vesontionensis Episcopus longè ante eundem Walbertum ex vita discessit, vixque creditur ad hunc annum peruenisse, quia supersum... duntaxat nouem ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-q... tum, quo Claudius infulas Vesontionenses suscepit, inter Migetium auter... Claudium medij sederunt Episcopi duo, Ternatius & Geruasius.

XIII Acta sancti Migetij, quæ Ioannes Iacobus Chiffletius in Historia Veson... nensi [a] publicauit, à nobis examinata sunt ad annum Christi sexcentesim... quinquagesimum-secundum, feliciter eiusdem Migetij transitu sic claudun...

[a] Part. 2. c. 26.

EPISCOPI BISVNTINI, *Hic eius mos erat assiduus, vt nocturna quieti membra traditurus, sese Sanct... pignoribus commendaret, & à sæcularibus absolutus curis in sancta contempla... animum relaxaret, atque in pia meditatione necessarium corpori soporem suscip... In pia ergo intentione, quadam nocte soporatus, per visum ad principalem Eccle...*

MIGETIVS, *est deductus, vbi contemplabatur quasi consistentem infinitam multitudinem Abba... quorum maior pars videbatur esse Sacerdotum. Inter quos vnum recognoscebat ... nem, quem (quòd sibi nouerat familiarem, quia eius comes in Romano itiner... stiterat) interrogans, qua tanta esset multitudo, audiuit omnes hos mundana... tam finiuisse in B. Ioannis Euangelista seruitio. Quos beatus Ioannes cum ... Stephano ad altare prædicta Ecclesia cum ineffabili cantûs melodia deducebat, ... eius peractis officiis omnes ab eius manibus viuificum munus percipiebant. Deni... que reuelatione est edoctus, quòd non alia eum maneret carnis resolutio, nisi in B. Ioannis vicinis Oratorio. Qui gratulabundus super tali visione, séque visitari diuini respectûs miseratione, Oratorium B. Ioannis est ingressus, & ibi ex imo cordis profundo, lacrymis prorumpentibus, ad Deum extendens puram mentem, Dei clementiam secretis precibus inuocauit. Quo facto, ad domum quamdam Episcopatui proximam declinauit, & ibi cum magna Abbatum multitudine & Cleri visitatus est, sacro se iussit oleo muniri, vnà cum Corporis & Sanguinis Domini perceptione. His peractis astantes respiciens, singulis pro exhibito officio gratias retulit, fessáque membra ad requiem in Domino contradidit.* Depositus est in Ecclesia sancti Pauli, vt vetus eiusdem Ecclesiæ Codex affirmat. Colitur cum sancto Donato decessore, septimo Idus Augustas, in supplemento Martyrologij Gallicani, ibique non Migetius sed Megetius appellatur.

XIV. TERNATIVS, Sancto Migetio seu Megetio in Episcopatum Vesontionensem successit Ternatius. Hic Chronicon Bisontinorum Antistitum ad sanctum vsque Migetium decessorem suum conscripsit, & Ecclesiam in honorem sanctorum Petri & Marcellini ædificauit in Campo Martio, vbi hodie conspicitur Abbatia sancti Vincentij. Lege Chiffletium, parte primá Historiæ Vesontionensis, capitibus, octauo, decimo-septimo, tricesimo-primo & tricesimo-quinto, in quibus agit de Campo Martio Bisontino, & parte secundâ, capite vicesimo-septimo, in quo laudat Ternatium, eúmque asserit in Ecclesia sancti Pauli quiescere.

XV. GERVASIVS. Ternatio mortuo subrogatus est vel nolens Geruasius eius frater. Hic à fratre tunc Episcopo ad omnem pietatem institutus est, vixitque ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum, quo Claudius infulas Episcopales suscepit. Ambo fratres, Ternatius & Geruasius, à Chiffletio Sancti vo-

cantur in Historia Vesontionensi a, & à Miræo b in Fastis Belgicis & Burgundicis. Hæc inpræsentiarum de Præsulibus Bisuntinis sufficiant.

AN. CH. 665.

CLOTAR. III. R. 10.

CHILD. II. R. 6.

Illâ ætate Bisuntino Metropolitæ suberant tres Episcopi, Lausannensis, Constantiensis & Bellicensis. Post Concilium Cabilonense Tertium, cui regnante Clodoueo Secundo Arricus Lausannensis Episcopus interfuit, catalogus Lausannensium Episcoporum ad Principatum vsque Caroli Magni mutilus hodie reperitur. Paulò feliciores extiterunt Bellicenses ac Constantienses Episcopi, quorum nomina saltem hodie supersunt, licèt gesta obliuione consepulta omnino perierint. Post eandem enim Synodum Cabilonensem, cui Florentinus seu Florentius Episcopus Bellicensis anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto subscripsit, in nomenclatura Bellicensium Episcoporum sequuntur Ypodinius, Pracmatius & Bertterius, solis nominibus noti; tum Ansemundus, cuius meminit vetus charta Nonis Aprilis anno Christi septingentesimo vicesimo-secundo, vt Guichenonius & alij obseruarunt. De Præsulibus Constantiensibus ad Rhenum agemus post triennium c aliâ occasione.

a Parte 2. capp 27. 28.
b D 7 Aug.

XVI. EPISCOPI BELLICENSES.

c Ad ann. 668. n. 21.

XVII.

Hoc anno, siue elapso modico tempore post sancti Deodati aduentum in Vosagum, Leudinus cognomento Bodo Tullensis Episcopus Monasterium in eadem Vosago condidit, suóque de nomine Bodonis-Monasterium * appellauit. Sic enim scribit Chronographus Senoniensis d. *Elapso modico tempore postquàm vir beatissimus ille Deodatus in hanc subintrauit Vosagum, erat vir æquè sanctissimus, Bodo nomine, Tullensis Episcopus, qui Dei ductus zelo in quodam prædio suo, quod eius nomine Bodonis-Monasterium appellatur, adunato non modico conuentu Sanctimonialium claustrum ibidem statuit, & eidem Monasterio pluribus collatis redditibus Ordo Sanctimonialium multo tempore ibidem perdurauit. Sed postmodum à quodam successore suo Berthodo Tullensi Episcopo idem Monasterium deletum est, & in superiori loco, qui modò Sancti Saluatoris dicitur, pro illo ipse Episcopus à fundamentis ædificauit, & ibidem Monachos sub norma beati Benedicti Abbatis instituit, qui posteà inde expulsi, Ordinis Sancti Augustini Canonici, sicut vsque nunc ibidem permanent, sunt inthronizati.* Bertholdus in Tullensi Cathedra sedebat anno Christi millesimo quinto, Moniales igitur ad illam vsque ætatem in Bodonis-Monasterio degerunt. Prima illius loci Abbatissa fuit Thetberga *, ipsius sancti Bodonis ante Sacerdotium vxorati filia. Menardus e coniugem sancti Bodonis vocat Odilam, quæ de mariti sui consensu Sanctimonialis facta est in Cœnobio sanctæ Salabergæ.

* Bodon-Monstier.
d L. 2 c 10.

BODONIS-MONASTERIUM.

* Thetberge.

THETBERGA ABBATISSA.

e L. 2 Obseru.

Memoria sancti Bodonis in Martyrologiis Benedictino & Gallicano celebris est tertio Idus Septembris. De anno quo mortalem vitam clausit, haud liquet. Multa de illo scripsit Molanus f, & in Martyrologium Gallicanum transiit ex Saussaius, quæ nobis non videntur fide digna. Præter Monasterium puellare, de quo suprà, non existimamus aliud ab eo constructum. Quis credat erectum à sancto Bodone Cœnobium in honorem sancti Leodegarij Martyris, cuius Mart, cum multis annis mors sancti Bodonis antecessit? Sancto Bodoni successit in Episcopatum Eborinus, vt Nomenclatores g in catalogis Episcoporum Tullensium attestantur.

d 11. Sept.

XVIII.

f D. 11. Sept.

EPISCOPI TULLENSES.

g Democh. Chenut. Robert. Sammarth.

AN. CH. 666.
CLOTAR. III. R. 11.
CHILD. II. R. 7.

ANNVS CHRISTI 666.
CLOTARII III. R. 11.
CHILDERICI II. R. 7.

I. TRANSLATIO S. VEDASTI.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo-sexto, Kalendis Octobris sancti Vedasti ab Autberto Atrebatensi Episcopo translatum est ... beatissimæ Virginis ad locum ab Angelo designatum, vbi cellulam olim & torium in quo sepeliretur ipsemet Vedastus erexerat. Dies huius Transla... notatur in multis Martyrologiis à Bollando citatis in Commentario præu... tæ sancti Vedasti, & quotannis apud Atrebatenses Officio Ecclesiastico s... tu duplici celebratur. Annum iuxta nostram Chronologiam ita collig... Sanctus Vedastus iniit Episcopatum anno Christi duodequingentesim... post Clodouei baptismum secundo, rexit Diœcesim per annos quadrag... *iacuit in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ annos circiter centum viginti &* ... vt tradit Anonymus [a], qui miracula sancti Vedasti facta diuersis temporib... literas retulit, seu translatus est *post annos obitûs sui* CXXVIII. vt in Chro... Sigeberti ex Lipsiano Codice legitur. Ergo translatus est hoc anno, C... sexcentesimo sexagesimo-sexto, qui post annum Christi duodequinge... mum centesimus sexagesimus octauus numeratur. Certè citiùs aut ord... Pontifex, aut ex hac vita sublatus, aut è priori sepulturæ loco delatus in ... vix dici potest, quia donec Episcopus fieret, nonnihil temporis interc... Vigilia Natiuitatis Dominicæ, quâ Clodoueus baptismum suscepit ex... anno Christi quadringentesimo nonagesimo-sexto. Vix etiam seriùs diffe... videntur, Ordinatio, mors & Translatio prædictæ, quia Translationi ... dis Octobris interfuit Audomarus Morinorum Antistes, cuius obitus ... Idus Septembris anno Christi sexcentesimo duodeseptuagesimo contigit.

[a] Ap. Bolland. d. 6. Febr.

II. Sancti Vedasti Translationem Anonymus suprà laudatus ita perstringit. *Sanctissimus Vedastus * postquàm commune mortis debitum soluens, veteri suum Adæ chirographum reddens, ac Domino Iesu animam commendans, cælestia regna petiuit. Iacuit beatum cadauer in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ annos circiter centum viginti & octo. Deinde translatum est à BB. Autberto & Audomaro in locum, vbi nunc seruantur beata illius pignora.* Fusiùs describit Alcuinus in vita sancti Vedasti. *Iacuit*, inquit, *in loco eodem vsque ad tempus B. Autberti, qui septimus ei in Sede Pontificali successit Episcopus. Is autem vt maiorum relatione cognouimus, & vt in innumerabilium hominum ore versatur, & quod oculis etiam factum probamus, dum quadam die post hymnos matutinos in mænianis consistens, rubente Aurorâ, Orientem versùs intenderet, vidit eminùs trans fluuiolum, qui Crientio * vocatur, virum præfulgidum, virgam manu tenentem, Basilicæ locum metiri. Quod ille cernens, reuelante Deo, visionem cognouit Angelicam, ostensúmque est illi, beatum illuc Vedastum, annuente Christo, sine dubio transferendum. Quâ reuelatione certior factus, inuitauit ad tantum opus B. Audomarum *, qui eâ tempestate Taruennæ Morinorum vrbis Episcopus, in Dei rebus magnificus habebatur. Qui licèt iam senio pressus, & amissione luminum videretur debilior factus, animum tamen vt arcum habens spiritali studio intentum, illicò promptus, Christo gressus regente, festinus ad venerabilem peruenit Autbertum. At ille quid animo gereret, & quid sibi diuinitus esset ostensum, referens, pari voto communique consilio cum magno populorum gaudio, qui vndique confluxerant, ad locum designatum beatissimum transtulerunt Vedastum. In qua Translatione perhibetur B. Audomarus lumen recepisse oculorum,*

* wast.

* Le Crinchon.

* Omer.

lorum, sed illicò precibus eandem, quam vltroneus ferebat, reimpetrasse cæcitatem. Paruipendebat quippe lumen carnalium oculorum, qui lumen meruit ciuium supernorum. Adhuc prolixiùs Fulbertus in vita sancti Autberti. Rerum necessitas vrgebat, vt venerabilis Pater Canonicos suos, qui Atrebati in B. Mariæ Monasterio famulabantur, visitaturus adire deberet, qui locus olim & ambitu murorum & frequentiâ ciuium celeberrimus fuerat, sed Gentium infestatione à prisco statu deformatus, crebris ruinis huc vsque consistit. Vbi cùm de rebus Ecclesiæ satis ad tempus tractasset, quadam nocte, vt illi semper erat moris, fratribus adhuc quiescentibus, surgens, nocturna orationis tempus, vsque in lucis crepusculum continuauit. Necdum verò cursum orationis expleuerat, cùm se foras quasi pro refocillandis aliquo releuamine artubus, suspensâ interim oratione, contulit, & stans in mœnibus, cœpit piæ meditationis motibus pulsari, quamobrem Vedastus, tantorum spatio annorum vilis sepulcri cespite clausus, debito honore careret, quem iam supernorum ciuium consortio exultantem, cælestis Hierusalem ceu gemmam virtutum fulgore micantem adsciuisset. Etenim à die depositionis eius, vsque ad tempus B. Autberti, sex fuere Episcopi, quibus ipse septimus ad Pontificij culmen successit, cum tot labentibus annis gemma Dei pretiosa subterraneo adhuc specu claudebatur, cuius sepulcrum haud longè à dextro cornu altaris B. Mariæ distabat. Cùm verò tot egregios Christi Confessores illis fuisse temporibus audiamus, meritis sublimes, virtutibus illustres, minimis in rebus solicitiores, proculdubiò manifestum est, non eorum ignauiâ negligentiàs iacere tantum thesaurum, sed diuino iudicio & voluntate B. Vedasti, hoc exequendi muneris ministerium B. Autberto reseruatum. Cœpit igitur animo æstuare, quonam transferri Sanctus Confessor debuisset, reputans secum, incongruum fore, duo luminaria magna, angustâ vnius domûs sede cohiberi, videlicet, ne vbi præclara Dei genitricis memoria primatum nominis tenebat, tanti Patris gloria obscurior videretur, cùm repentè Aurorâ rubente, Orientem versùs intendens, videt eminùs trans fluuiolum, qui Trientio vocatur, virum splendidum, virgam manu tenentem, Basilicæ locum metiri, ceu quondam Ezechiel secus fluenta Babylonis corpore positus, in spiritu venit ad terram Israel, vbi in visionibus Dei, templum Domini manu hominis vidit metiri. Quod ille cernens, reuelante Spiritu, visionem cognouit Angelicam. Intellexit igitur vir Dei B. Vedastum illuc, annuente Christo, transferendum. Beatus igitur Pontifex tali reuelatione certior factus, B. Audomarum, qui eâ tempestate Taruannensis vrbis gregem curâ peruigili regebat, ad tam solenne Translationis officium inuitandum æstimauit. Qui licèt senio pressus, & amissione luminum debilior factus, imbecillioris tamen corporis tantùm non formidabat laborem, quantùm B. Autberti mandato satisfacere gaudebat. Difficultatem igitur corporis superabat caritas mentis, Christoque gressus regente, deuotus ad venerandum peruenit Episcopum. At ille cùm quid animo gereret, & quid sibi diuinitus esset ostensum referret, congratulabatur visioni, & se fraterna sedulitatis studio obedienter accinxit. Iam verò æstimari non potest, quanta confluentis populi turba eo die ad eum locum conuenerit, Clerus videlicet & vtriusque sexûs non ignobile vulgus. Parato igitur feretro, & omnibus, quæ necessaria videbantur, detecto sepulcro, & impositâ antiphonâ, cum magna reuerentia sanctum thesaurum sustulerunt, paratisque crucibus & cereis, & omnigenis solennis pompæ ornatibus, cum magna plebis exultatione sanctum corpus ad locum destinatum transferre cœperunt. Transeuntes autem prædictum fluuiolum, cùm iam suburbanos fines contingerent, & B. Audomarus S. Autberti vestigia pedetentim prosequeretur, statim supernæ operationis in se agnouit virtutem, vt ei apertè daretur intelligi, quanti essent meriti, & is qui portabatur, & is, quem reportando sequebatur. Nam depulsâ longa cæcitatis nocte, statim oculorum lumen recipit, in loco videlicet, vbi in memoriam B. Autberti Ecclesia constructa, à præsentibus adhuc cernitur in testimonium præsentis miraculi. Sed quia venerandus vir Audomarus paruipendebat lumen carnalium oculorum, qui lumen certè ciuium desiderabat supernorum, illicò precibus eandem, quam vltroneus ferebat, rursus impetrauit cæcitatem. Quæ in exhibitione miraculi non latet virtus operantis, sed superest quærere meritum optata virtutis. Verùm subtiliùs speculantibus dubium esse non po-

MONAST. S. VEDASTI INCHOATVR.

AN.CH. *test, quia praeuntibus meritis Sancti Vedasti, fides, vt efficeretur, obtinuit B.*
666. *berti. Stupentibus autem, qui aderant, vario euentu miraculi, beatum corpu*
CLOTAR. *locum ab Angelo designatum honorificè transtulerunt. Quo in loco venerabilis*
III. R. 11. *scopus Monasterium construxit, & ex rebus sui Episcopij in vsum famulantiu*
CHILD. *rerum opportunitate donauit, vbi iuxta congruam rerum facultatem fratres in*
II. R. 7. *quia diuini cultûs deputauit.*

III. Tres hi Scriptores omnium, qui primam sancti Vedasti Translation
teris commendarunt, antiquissimi sunt, & authoritate præstantissimi.
ruit Alcuinus regnante Carolo Magno. Anonymus post annum Christi
gentissimum quinquagesimum-secundum, quo beati Vedasti corpus
eleuatum est, statim scripsit, illius enim eleuationis occasione calamo m
admouit. Fulbertus vndecimo vixit seculo. Vnanimi consensu affirman
domarum interfuisse Translationi suprà recitatæ, silent autem de Lam
Traiectensi Episcopo, qui legitur in Sigeberti Chronico interpolato a
num Christi sexcentesimum duodesexagesimum, vnde Miræus in Origi
Benedictinis capite quinto, Locrius in Chronico Belgico ad annum C
sexcentesimum octogesimum-septimum, Malbrancus libro quarto de
rinis capite primo, aliique recentiores exscripserunt, quanto vitio nosce
tìmè, qui iuxta nostram Chronologiam meminerit Lambertum hoc
Episcopum nondum fuisse. Ecclesiam, quæ temporibus Fulberti stabat
ta in honorem sancti Autberti in eodem loco vbi sanctus Audomarus v
recuperauit, parochialem factam fuisse, & adhuc extare nostro seculo
nuit etiam Georgius Coluenetius in notis [a] ad Baldericum. Locus, in q
corpus sancti Vedasti translatum est, extra muros Attrebati tunc erat, hod
tus est intra pomœrium vrbis. Atrebatum enim vrbs est duplex, intern
nuper adhuc distincta muro, iam ad maiorem vtriusque partis securitate
iecto. Altera, minor quidem sed antiquissima est, à sancto Vedasto ex
templo Deiparæ Virginis exornata, ac Sede Episcopali illustrata. Alter
que præcipua, suam originem debet sancto Vedasto, qui inibi ad ripam C
ronis fluuioli Oratorium extruxit, in quo iuxta Altare sepeliri se voluit
posteà suis obnixè poscentibus passus sit se in Basilica Cathedrali tum
vnde tamen est ad idem Oratorium hoc anno reportatus. Ibidem Au
tus Episcopus complures Monachos sanctioris vitæ cultores collegit, inchoa-
uitque nobilissimum Monasterium, quod morte post quadriennium præuen-
tus minimè perfecit, sed initia tam felicia promouit Vindicianus eius succes-
sor, vt suo loco dicemus.

[a] L. 1. c. 19.

IV. Ad hæc postrema Wandregisili Abbatis tempora pertinent, quæ vulgò
narrantur de sancto Ansberto, qui Theodorico adolescenti Clotarij & Chil-
derici Regum fratri regnum prædixisse, singularíque miraculo prædictionem
confirmasse, sic fertur, *Quodam tempore, à climate meridiano, distantem à præ-
fato Cœnobio Fontanellensi passus ferè quingentos, hortatu eiusdem viri Dei Ans-*
ANSBERTVS PRESBYT. *berti, B. Wandregisilus vineam plantare & excolere cœpit. Quo in loco præfatus vir
Domini Ansbertus, dum vnà cum fratribus operaretur, Theodericus adolescens, fu-
turus Rex, venatibus, vt sibi gentilicum erat, insistens, ad præfatum Dei hominem
accessit, quia nouerat eum prudentem doctrinâ, humilem cultu, sanctissimum imita-
tione. Nam à sancto Pontifice Audoeno Rotomagensis Ecclesiæ iam fuerat Presbyter
consecratus. Quem idem homo Christi & sanctâ benedictione muniuit, & sacerdo-
tali auctoritate de plurimis sanctæ doctrinæ hortamentis instruxit, insuper & Regem
eum futurum esse prædixit. Quo negante id futurum esse, respondit vir Dei. Scias,
quia honore Regni sublimaberis, sed noueris te multa aduersa in Regno perpessurum,
sícque laboriosissimè triumphum de hostibus tuis adepturum. Quod posteà rei proba-
nit euentus. Ad hæc adolescens intulit Theodericus. Si pia Omnipotentis Dei ordina-
tione in culmine dominantem constituerit Regni, opto te dignum Deo fieri Antisti-
tem, vt perpetuâ sanctâque doctrinâ crescat Ecclesia fidelium. Cúmque Sacerdos Do-
mini indignum se tanto onere ferendo diceret, ipsúmque ex successione hæreditaria*

Regni fastigia ampliùs conscendere debere intimaret, & ille adhuc dubitans permaneret, adiecit vir sanctus. In hoc noueris mei fidem accommodandam verbis, si hodie hyemali tempore locus, in quo tabernaculum istud consistit, qui nunc tritus ob vestigia calcantium videtur, viridem produxerit herbam, sicque iuxta vestigia eiusdem tentory, ceteris agri partibus viridior maneat in suum. Quod ita secundùm sermonem hominis Dei euenisse, omnibus illu aduentantibus indicium est, ita vt vsque ad hanc diem locus ille viridior reliquâ agri parte appareat, in modum tentory ibi quondam fixi, siue hyemali, siue æstiuo tempore. Hæc vulgatus Aigradus. Refragatur autem Diploma Chilperici a Regis, qui Regem Childericum *Genitorem* suum vocat, Regem Chlodecharium *Auunculum*, id est, patruum, & Reginam Baldechildem *Auam* siue Auiam appellat. Nam mortuo Childerico Regnum ex *successione hereditaria* non ad Theodoricum fratrem in Monasterio latitantem, sed ad Chilpericum ipsius Childerici filium deuoluebatur, quâque ratione Theodorico delatum sit, exponemus suo loco.

Hoc anno migrauit ad Deum Wilfetrudis Abbatissa Niuellensis, quam Saussaius Martyrologio Gallicano inseruit nono Kalendas Decembres. Obiit autem anno XI. suæ Præfecturæ. *A suscepta,* inquit Auctor synchronus b, *Abbatissæ functione anno vndecimo, diebus ampliùs quinquaginta morbo compellente decumbens, solito nihilò minùs more largas eleemosynas in pauperes & inopes conferebat. Tandem omnibus, vt sacrum monet Euangelium, debita remittens, & ab omnibus pacem ac benedictionem recipiens, cùm inter religiosas Dei ancillas fide & spe in Christum munita vixisset, anno ætatis suæ tricesimo lætum Domino reddidit spiritum, nono Calend. Decembris, atque in B. Petri Apostoli Basilica summo studio in sepulchro marmoreo condita est.* Post Wilfetrudem Agnes, quæ etiam Sanctæ Gertrudis alumna fuerat, Abbatissæ locum obtinuit, in eiusdem Sanctæ Gertrudis honorem Templum erexit, lectulum, quo Sancta Gertrudis vltimum agonem inierat, in illud Templum intulit. Lege Bartholomæum Fisenum in Floribus Ecclesiæ Leodiensis c.

In Antiquitatibus Parisinis d, Aurea, quam beatus Eligius Monasterio Virginum Parisiis à se condito præfecerat, obiisse dicitur hoc anno, cùm annos tres circiter ac triginta Cœnobio sororibúsque præfuisset. Hic computus à nostra Chronologia non dissidet, Eligius enim extruendo Monasterio incumbebat anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo, vt in fine superioris Tomi notauimus. In iisdem Antiquitatibus, alij volunt Auream annos vixisse sexaginta tres, alij annos duodeseptuaginta. Hæc discrepantia, quæ quinquennium inuoluit, ex eo fortè oborta est, quòd Aurea primùm sepulta fuit extra vrbem in Basilica Sancti Pauli, deinde anno post quinto translata fuit in vrbem depositáque in Ecclesia Sancti Martialis, vbi etiamnum quiescit. Lege quæ superiùs ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-quartum e dicta sunt de Basilicis Deo dicatis sub nuncupatione Sanctorum Pauli ac Martialis. Ad Christum migrauit beata Aurea quarto Nonas Octobris, quo die celebris eius memoria fit in Tabulis Ecclesiasticis. Inscribitur Martyrologio Benedictino, sed non potiori iure quàm Sanctus Eligius. Extat illius encomium in Martyrologio Gallicano f satis prolixum, cuius postremas periodos hoc loco recitasse sufficiet. *Sancta vita actibus perfuncta chara Deo Virgo, præscia obitus, cursum feliciter impleuit, grassante enim Parisiis lue pestiferâ, nominatim cum centum & sexaginta sororibus vocata ad præmium à S. Eligio, qui iam defunctus adolescenti cuidam oranti in templo apparuit, collegium Virginum conuocauit, quibus post salutaria exhortationis verba sigillatim valedicens, atque Crucis signo muniens, tandem ab hac luce caduca, ad æterna gloriæ lumina migrauit, &c. Et sæpè quidem Parisienses ciues beatæ huius Cælitis operam publicis in calamitatibus experti sunt, potissimùm cùm ab immani incendio, subinde ab illuuione formidabili, quibus Regia vrbs alternis vicibus periclitabatur, sanctæ ipsius Virginis patrocinio ciuitas ipsa mirabiliter erepta est.* Lege etiam Audoenum in vita g S. Eligij, vbi agit de obitu S. Aureæ, obseruátque centum ac sexaginta Monachas eâdem tempestate cum Abbatissa mortuas esse.

AN. CH. 666. CLOTAR. III. R. 11. CHILD. II. R. 7.

a Apud Labb. miscel. curios. c. 5. §. 2.

V. WILFETRUDIS ABBATISSA NIVELLENSIS OBIT.

b In vit. S. Gertrud. ap. Sur. d. 17. Mart.

SUCCEDIT AGNES.

c d. 17 Dec. in S. Begga.

VI. AUREA ABBATISSA MORITUR.

d L. 1.

e Nat. 6. 7.

f d. 4 Oct.

g L. 1. c. 41.

AN. CH. 666. CLOTAR. III. R. 11. CHILD. II. R. 7.

VII. Licèt eodem tempore mors centum & sexaginta Moniales cum Abbatissa sustulerit, illustre permansit in ciuitate Parisiensi puellare Monasterium Sancti Martialis, vbi Virginum Deo famulantium numerus tricenarium priùs excedebat. Abbatissarum, quæ Cœnobium post sanctam Auream gubernarunt, interciderunt nomina. Post quinquennium agemus de Translatione sanctæ Aureæ ex Basilica sancti Pauli in Ecclesiam sancti Martialis, variásque vicissitudines, quas vterque locus diuersis seculis expertus est, exponemus alibi.

VIII. *Ansologus Ep. Iuvaviensis obit.* Ansologus Iuuauiensis Episcopus hoc anno viuere desiit, cùm Diœcesim annis viginti feliciter rexisset, teste Bruschio in Chronologia Monasteriorum Germaniæ. Wiguleus *Hund à Sultzenmos* in Archiepiscopis Salisburgensibus addit annos octo. Est & alia inter hosce Scriptores discrepantia. Bruschius enim vult Rupertum, Vitalem, Ansologum, eorúmque successores ad sanctum vsque Virgilium Episcopos simul & Abbates fuisse, qui Iuuauiensem Episcoparum cum Monasterio sancti Petri gubernarint. Hundius autem in alia versatur sententia, censétque Vitalem sancti Petri primum Abbatem à Ruperto Iuuauiæ tunc Episcopo institutum fuisse, eíque posteà in Episcopatum Iuuauiensem successisse dimisso Monasterij regimine, quod ait fuisse penes Ansologum, donec eidem Ansologo ad Episcopatum Iuuauiensem post Vitalis obitum promoto Sauolus in administrationem prædicti Cœnobij successit, & sic de ceteris. Lubenter hanc opinionem amplectimur, & vt anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto, quo beatus Vitalis Iuuauiensis Episcopus in cælum migrauit, Ansologum ex Abbate sancti Petri Iuuauiensem Episcopum, *Succedit Savolus.* & Sauolum ex Monacho Abbatem sancti Petri suffecimus, sic & hoc anno, quo mors Ansologi Iuuauiensis Episcopi consignatur, Sauolum ex Abbate sancti Petri Iuuauiensem Episcopum, & Ezium ex Monacho Abbatem sancti Petri subrogandum affirmamus. *Episcopi Iuvavienses vbi sepulti.* Sedes Episcopalis in eodem Monasterio diu permansit, ibíque sepulti sunt Episcopi Iuuauienses seu Salisburgenses ad sanctum vsque Virgilium, qui Sedem Episcopalem constituit ac sepulturæ locum elegit in augustissimo Templo, quod ab imis fundamentis intra duodecim annos erexerat, Deóque in honorem S. Ruperti dedicarat, vt suo loco fusiùs enarrabimus. Porrò, cùm Antistites Laureacenses in Boioaria Metropolitæ aliquando fuerint, arbitramur Metropolitanam dignitatem ab Ecclesia Salisburgensi post obitum Ansologi translatam esse ad Sedem Laureacensem, quia potentiâ & auctoritate præualebat Bruno Laureacensis Episcopus, Diœceses enim Laureacensis & Patauiensis ab anno Christi sexcentesimo sexagesimo simul vnitæ fuerant, & ab eodem Præsule regebantur.

IX. *Episcopi Carnotenses et Venetenses.* Obierunt etiam hoc anno Magobertus & Meriadecus insignes Antistites. Magobertus Carnotensis Episcopus sedit annos tredecim, vt Demochares aliíque affirmant. Ei successorem omnes constituunt Sigoaldum, qui Pontificatum gessit annis duodecim. Meriadecus Venetensem Ecclesiam septem duntaxat annis administrauit. Vixit annos duodequadraginta. Colitur à Diœcesanis septimo Idus Iunij. Successit in Episcopatum Meldeocus, qui Præsulatum sex annis tenuit, vt Albertus in Armorica Sancta testatur.

X. *Testamentum Leodegarii Ep. Augustodun. examinatur.* Hic annus Leodegarij Augustodunensis Episcopi septimus fuit, notatúsque reperitur inter varios Characteres, quibus illius Testamentum consignatur apud Stephanum *Perard* in Collectione veterum monumentorum ad Historiam Burgundicam pertinentium. Eruditus hic Antiquarius de Testamento illo iudicium iam tulit, pronuntiauírque recentius opus esse Neoterici, qui donationem sancti Leodegarij scripto suo rectè complexus videatur, licèt in notis Chronologicis aliisque circumstantiis, quarum expositione auctoritatem sibi conciliare conatus est, à vero plurimùm aberrarit.

XI. Donatio talis est. *Ego Leodegarius, etsi indignus Episcopus Eduorum, dono, trado, transfundo, & hæredem statuo Ecclesiam Beati Nazarij, titulum mei Præsulatûs, de rebus meis; hoc est, de Mariniaco villa, quæ iacet super Stantiam fluuium, quam mihi Regina Valdechildis de proprio suo in proprium meum delegauit, & per*

AN. CH. 666. CLOTAR. III. R. 11. CHILD. II. R. 7.

Regale instrumentum chartæ habere concessit : nec minùs de Tiliniaco villa, quæ de iure materno ab auis & proauis michi competit, & est super fluuium Sagonam, necnon & de Olgea & de Canamis villa quam de Bodilone & Sigrada Deo deuota conquisiui, cuius terra sita est tam infra Diuionemcastrum quàm circa. Quas villas cum catallis suis, seruis vtriusque sexûs, terris, vineis, pratis, aquis, stagnis, cursibus, recursibus, syluis, pascuis maioris peculy vel minoris, de statu nostro proprio in statum matriculæ nostræ, quum ostium Ecclesiæ Sancti Nazary fabricauimus, cum omnibus suis appendiciis delegamus, secernimus, transfundimus eâ ratione, vt tam à præposito eiusdem matriculæ Rectario, quàm à successoribus eius, quos nostri successores Pontifices ordinauerint, quadraginta fratres cotidiana diaria & stipendia omni tempore accipiant, vt liberiùs pro salute Regni & Principum ac totius Orbis Dominici deprecari possint.

XII. Huiusce Donationis pars non ignobilis Pontificio Diplomate sic confirmatur. *Ioannes Episcopus, seruus seruorum Dei, Reuerendissimo ac Sanctissimo Adalgario Sanctæ Augustudunensis Ecclesiæ Episcopo. Hac parte in eadem Ecclesia, in perpetuum diuinæ præceptionis mouent cunctos eloquia, vt quotiens res aliena contra rationis ordinem à quoquam detinetur, æquitate debeat annuente restitui. Constat siquidem villam Tillsniacum, proprietatis iure quondam Leodegary Augustudunensis Episcopi, & ab eo Sancto collatam Nazario, cuius vocabulo ipse honoratur Episcopus. Postmodum cùm à prauis hominibus longo tempore fuisset retenta, & quasi in proprietatem eorum redacta, dilectus filius noster Karolus Clementissimus Imperator super hac subtili examinatione habitâ, cùm eam ad ius Ecclesiæ Augustudunensis pertinuisse legitimè cognouisset, & possessam primò ab ea, & posteà peruasam a violentis hominibus liquido didicisset, hanc Præcepto suæ authoritatis ipsi Episcopo reddidit, & ad ius ipsius Ecclesiæ reuocauit, cui scilicet hanc superiùs nominatus Sanctus Leodegarius olim contulerit. Et ideo quia postulauit à nobis fraternitas tua, vt iam memoratam villam, secundùm Imperiale Præceptum, Apostolicæ authoritatis liberalitate ac Priuilegio Augustudunensi Ecclesiæ firmaremus, inclinati precibus tuis, supernæ pietatis gratiâ suffragante, prædictæ Ecclesiæ, cui fraternitas tua præesse dignoscitur, sæpè memoratam villam, sicut antiquitus fuit, denuò confirmamus, vt hoc quod suum fuerat, & redditum nunc possidet, debeat sine cunctatione perpetuis temporibus possidere vel adhærere. Huius Priuilegy authoritate confirmantes, antedictam villam in præfato Episcopio constituimus, quod in eiusdem Episcopy Ecclesia, de qua ablata fuerat, nunc reddita, in ipsius dominio sine ambiguitate permaneat, non solùm autem crebro dictam, sed & omnes, quæ eiusdem Ecclesiæ, vel modò est, vel futuræ consistunt, in eodem Episcopio confirmamus habendas, statuentes Pontificali censurâ, sub interdictione anathematis futuríque iudicy, nulli licere, hæc quæ à nobis, tam super dicta villa, quàm super omnibus rebus ab eadem Ecclesia vel habitis vel habendis promulgata fuerint, aliquâ temeritate violare, vel conturbare, aut repetere, sed potiùs stabilitate perenniter * inconuulsa permanere in eodem prædicto loco decernimus. Quisquis autem, magnus vel paruus, aduersùs hoc Priuilegium authoritate Apostolicæ Sedis munitum, contraire fortè tentauerit, sciat se perenni * iudicio condemnandum, & igni qui non extinguitur mancipandum. Qui verò custos & conseruator eius extiterit, æternis gaudiis perfruatur, & perennis cum Angelis in cælestibus potiatur. Scriptum per manus Gregory Notory Regionary & Scriniary Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Nouembri, Indictione decimâ. Benè valete.* Petardus Pontificium hoc Diploma Testamento sancti Leodegarij subiecit, sed & in margine perperam posuit annum Christi octingentesimum septuagesimum-septimum, & in notis nomen Ioannis Papæ Noni malè collocauit; anno enim Christi octingentesimo septuagesimo-sexto per mensem Nouembrem currebat iam Indictio decima, eóque tempore Romanum Pontificatum gerebat Ioannes Octauus, & Imperatoria dignitas erat penes Carolum Caluum Magni nepotem.

* perennium

* perennium

XIII. In Testamento, quod examinandum suscepimus, inter se plurimum dissident hi Characteres Chronologici. *Anno Incarnationis Dominicæ, Dei & Saluatoris Domini nostri Iesu Christi*, DC *quinquagesimo-tertio, Indictione decimâ, re-*

AN. CH. 666. CLOTAR. III. R. 11. CHILD. II. R. 7.

gnante Theodorico filio Clotarij Gloriosi Regis, Maiore verò Domûs Leodegiso filio Herchinoaldi, ego Leodegarius, etsi indignus Episcopus Eduorum, septimo Episcopatûs mei anno, considerans varias rerum mutationes &c. *Pro amore Diuinitatis, pro remissione peccatorum, pro pia quoque recordatione Domini Clotarij & Valdechildis Reginæ, pro statu necne Regis Theodorici, & Regni, ac cunctorum Procerum eius, præcipuè pro his, qui in dicendis rebus conquirendis adiutores & collaboratores nobis extiterint, dono, trado,* &c. *Acta Christiaco publicè, tertio anno Regni Theodorici Regis. Ego Episcopus Leodegarius huic donationi facta sub anathemate subscribo, & manu propriâ firmo.*

XIV. Primò, Indictio decima cum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio non coincidit, quocum pars Indictionis vndecimæ pársque duodecimæ comparari debent. Licèt autem hi duo Characteres simul conuenirent, nullius apud nos essent auctoritatis, quia in publicis instrumentis apud Francos ætate sancti Leodegarij nondum vsurpari consueuerant.

XV. Secundò, Testamentum, de quo nunc agimus, conditum perhibetur *regnante Theodorico filio Clotarij Gloriosi Regis*, & donatio, quæ continetur in eodem Testamento, facta dicitur *pro pia recordatione Domini Clotarij & Valdechildis Reginæ, pro statu necne Regis Theodorici*. Neminem ex antiquis Auctoribus inuenimus, qui Clotarium vel patrem Theodorici vel Baldechildis maritum appellaret. Illorum temporum Scriptores Regem Francorum, qui Baldechildem in vxorem duxit & Theodoricum ex ea suscepit, vnanimi consensu Clodoueum vocant. Auctor Chronici San-Benigniani, qui duodecimo seculo floruit, Regem Francorum, cui Baldechildis Theodoricum peperit, promiscuè Clodoueum & Clotarium nuncupauit hoc modo. *Clodoueus Rex, qui & Clotarius dictus est, octodecim annis in Regni administratione completis defunctus est in primæuo flore iuuentutis, relictis tribus filiis, Clotario, Childerico & Theoderico, vnà cum matre eorum Baldechilde Regina.* Chronographum San-Benignianum Besuensis ita transcripsit. *Clodoueus Rex, qui & Clotarius dictus est*, XVIII. *annos in Regni administratione complens defunctus est in primæuo flore iuuentutis, relictis tribus filiis, Clotario, Childerico & Theoderico, vnà cum matre eorum Baldechilde Regina.* Clodoueus anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto discessit ex hac vita. Tres eius filij successiuè regnarunt in Burgundia; Clotarius annis quatuordecim, Childericus quadriennio, Theodoricus annis vndeuiginti. Leodegarius sub tribus hisce Clodouei filiis Pontificatum tenuit, Episcopatum iniit anno quarto Clotarij Regis, apud Childericum fuit in amicitia flagrantissima, si Testamentum sub Theodorici Principatu condidit, non capimus cur in eo nec Clotarij meminit nec Childerici.

XVI. Tertiò, Principatus Theodorici cum anno septimo Leodegarij Episcopi non conuenit, quia Leodegarius Episcopatum anno Christi sexcentesimo vndesexagesimo suscepit, & Theodoricus anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio post Childericum fratrem cœpit regnare.

XVII. Quartò, Leodegisus seu Leudesius Herchinoaldi filius anno tertio Theodorici Regis Maioratum Regiæ Domûs non gessit, in viuis enim esse desiit anno post Childerici mortem proximo, Theodorici Regis primo.

XVIII. Certè, si benè coniectamus, is, qui Leodegarij Testamentum longè post eius mortem, cùm Dagoberti Primi filius in Burgundia promiscuè Clodoueus & Clotarius appellabatur, eo, quo legitur hodie, tenore fabricauit, vbi ex illius Clodouei seu Clotarij liberis solum nominauit Theodoricum, hac Theodorici nuncupatione filium eiusdem Clodouei seu Clotarij primogenitum intellexit, qui post patrem in Burgundia regnauit, & ab Historicis non Theodoricus sed Clotarius illiúsque nominis Tertius vocatur.

XIX. Inter notas igitur Chronologicas, quibus Testamentum sancti Leodegarij consignatur, ea præcipuè in pretio habenda est, quæ sumitur ab eius Pontificatu, designátque annum Christi sexcentesimum sexagesimum-sextum, ipsius Leodegarij Episcopi septimum, Clotarij Regis vndecimum.

Hoc autem posito, fragmenta Testamenti, quæ suprà recitauimus, facilè AN. CH.
sic emendari possunt. *In nomine Dei & Saluatoris Domini nostri Iesu Christi. Ego* 666.
Leodegarius, etsi indignus Episcopus Æduorum, septimo Episcopatûs mei anno, con- CLOTAR.
siderans varias rerum mutationes, &c. *Pro amore Diuinitatis, pro remissione pec-* III. R. 11.
catorum, pro pia quoque recordatione Domini Clodouei & Valdechildis Reginæ, pro CHILD.
statu necne Regis Clotarij, & Regni, ac cunctorum Procerum eius, præcipuè pro his II. R. 7.
qui in dicendis rebus conquirendis adiutores & collaboratores nobis extiterunt, dono, XX.
trado, &c. *Acta publicè, regnante Clotario Rege. Ego Episcopus Leodegarius huic*
donationi factæ sub anathemate subscribo, & manu propriâ firmo.

Opinioni nostræ non refragatur aliud Testamenti fragmentum, quo Leode- XXI.
garius aduersùs eiusdem Testamenti violatores ita decernit. *Si deinceps alicuius obstinatio contra hæc se erexerit, nouerit etiam se quinquaginta-quatuor Coepiscoporum, qui à Principibus nostris Christiaco congregati sunt, quibus præsentibus vel quorum consilio hanc donationem Ecclesiæ nostræ celebrauimus, & nostrâ auctoritate excommunicatum.* Hæc enim vt dici possunt de anno tertio Theodorici Tertij, qui per annos septem in Neustria tantùm & in Burgundia regnauit, dum Dagobertus Secundus, eius frater patruelis, in Austrasia dominabatur, sic & aptari possunt anno vndecimo Clotarij Tertij, quia Neustriæ tantùm ac Burgundiæ tunc præerat, eiúsque frater Childericus Secundus septimum sui Principatûs annum in Austrasia numerabat. De Christiaco nihil aliud legimus. Porrò numerus Episcoporum quatuor & quinquaginta non est supra fidem, plures enim ex Burgundia & Neustria temporibus Guntchramni Regis Concilium Secundum Matisconense per se vel per Vicarios celebrarunt, vixque pauciores interfuerunt Synodo Cabilonensi Tertiæ regnante Clodoueo Secundo.

Deodatus Niuernensis quondam Pontifex, *cùm fundamenta Monasterij*, quod XXII.
Argentillæ construebat, *ad aliquod fastigium iam perduxisset, offendi cœpit & affligi iniuriis & improbitate accolarum ipsi inuidentium, tanquam in dies sibi illorum fundos vsurpaturo. Erant illi strenui sanè milites, sed libertatem suæ malitiæ velamen habentes. Eorum ergo proteruiam Dei seruo humiliter declinante, derepentè ira cælestis adeò in illos incubuit, vt tam ipsi quàm posteri eorum aut annos gratissimæ iuuentutis non excesserint, aut certè mentis facti inopes, à finibus suis per igno-*
miniam exclusi sint, donec nequam stirps illa è medio sublata esset. Hinc venerabi- DEODATVS
lis vir post immodicos auiæ & anfractuosæ solitudinis circuitus Alsatiam ingressus est, INGREDI-
vbi inter Amalarici villare & Vngisuillam apud Wilram condito domicilio resedit, TVR ALSA-
cuius quidem hodiéque plurimæ illic ostenduntur parietinæ, & fons perspicuus atque TIAM.
saluberrimus, eius nomine celebris. Vbi cùm circumcirca, tanquam Sol quidam spiritalis, radios Deo gratæ actionis euibraret, & dociles hominum religiosorum animos bono Christi odore ad se adduceret, quidam inter Proceres eximius Hunnus cum coniuge Hunna, qui in vicinis locis morabatur, magísque ex debito quàm intentione huic mundo inseruiebat, in familiarem serui Dei amicitiam se insinuanit. Accessit verò inter illos ad solidæ dilectionis plenitudinem, quòd Sanctus Præsul eius prolem & baptizauit, & è salutaris fontis lauacro suscepit, teste vallis Galilææ Monacho in eius vita [a].

[a] Ap. Surium, d. 19 Iun.

Ad hunc annum peruenire potuit Numerianus Episcopus Treuirensis, cuius XXIII.
memoria celebris est in Tabulis Ecclesiasticis tertio Nonas Iulij. Successit in EPISCOPI
Episcopatum Hildulphus, de quo plura dicemus anno sequenti, cùm de TREVIR.
Translatione sancti Maximini verba faciemus.

AN. CH. 667.
CLOTAR. III. R. 12.
CHILD. II. R. 8.

ANNVS
CHRISTI 667.
CLOTARII III. R. 12.
CHILDERICI II. R. 8.

I. OBITVS WANDREGISILI ABB. FONTANEL. [a] Ap. Surium, d. 22. Iul.

ANNO Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo Wandregisilus Abbas Fontanellæ migrauit ad Dominum vndecimo Kalendas Augusti, quo die nomen eius in Tabulis Ecclesiasticis legitur. *A primo ædificationis die* rexit hoc Cœnobium *per viginti ferè annorum spatia*, vt Aigradus in vita sancti Ansberti testatur, siue, vt Author vitæ distinctiùs [a] exprimit, *in sacro regimine expleuit decem & nouem annos, menses quatuor, dies viginti & vnum*, à Kalendis videlicet Martiis, quæ in annum Clodouei Regis vndecimum siue in annum Christi sexcentesimum duodequinquagesimum inciderunt, vsque ad diem vndecimum ante Kalendas Augustas huius anni, qui numeratur à Christo nato sexcentesimus sexagesimus-septimus, illigatúrque anno Clotarij Regis duodecimo, quem signat Codex manuscriptus Monasterij sanctæ Catharinæ prope Rotomagum laudatus à Bollando in Commentario præuio vitæ sancti Ansberti, vnde corrigas vulgatam sancti Wandregisili vitam, in qua notatur annus Clotarij Regis vndecimus. Sunt & in eadem vita Characteres alij Chronologici, qui petuntur ab Incarnatione Christi, ab Indictione & à Pontificatu Vitaliani Papæ. Wandregisilus requieuisse dicitur *anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto, Indictione octauâ, anno nono Pontificatûs Vitaliani Papæ.* Non displicet annus Vitaliani Papæ nonus, qui nostro calculo consentaneus est, sed annus Christi sexcentesimus sexagesimus-quintus & Indictio octaua, quamuis inter se cohæreant, nec anno Vitaliani Papæ nono, nec anno Clotarij Regis duodecimo conueniunt, expungíque debent quia tales notæ temporum à Francis vsurpari nondum consueuerant.

II. Wandregisilus morti proximus, cùm Monachi percontarentur, post ipsius transitum quem sibi præficere deberent, tale responsum dedisse fertur. *Æternus rerum conditor, qui vobis locum concessit opportunum, quo sibi plebs sua famuletur in secula, ipse vobis, charissimi filij, post paruitatis meæ decessum, dignum ac deuotum misericorditer tribuet rectorem. Duo sunt tamen in præsentia vestra, charissimi mei filij, qui vicissim post meæ fragilitatis decessum in regiminis succedent locum.* Designabat Lantbertum & Ansbertum, de quibus infrà. *Discipulorum catervâ vallatus, salutiferæ Crucis signo se muniens, vndecimo Calendas Augusti nexibus terrenæ corruptionis absolutus, animam cælo reddidit, consortiis iustorum sociandam, & æternæ felicitatis gloriâ fruituram. Interfuit autem in hoc eius sancto transitu inclytus Ecclesiæ Rothomagensis Pontifex Audoenus. Sepultus est primùm in Ecclesia beati Pauli Apostoli.* Hæc obseruauit Author vitæ. Agemus suo loco de illius Translatione in Ecclesiam beati Petri.

III. *Eo in cælestis regni societatem ab Angelicis choris suscepto, omnis caterua Monachorum, Christi Domini exorat pietatem, triduanum celebrans ieiunium. Quo expleto, iubente Deo, eligit famulum Domini Lantbertum, religione præclarum & genere nobilem, ex territorio Taruanensi ortum, cuius genitor Erlebertus vocabatur; qui plurima prædia prædicto loco Fontanellensi, in eadem Taruanensi regione, felici munere largiti sunt. Erat autem idem venerandus Pater Lantbertus caritate plenus, pudicitiâ supereminens, fide firmus, consiliis prouidus, in bonitate laudabilis, in colloquiis affabilis, vultu & staturâ decorus, venerandus omnibus, & in Christi religione feruens. Et inspirante gratiâ diuinæ caritatis, beatum Christi famulum Ansbertum,*

LANTBERTI SVBROGATIO.

bertum, idem venerabilis Pater venerabatur vt patrem, diligebat vt filium. Erátque eis in Domino cor vnum & anima vna. Is autem, qui regiminis susceperat curam, ad consulta Sancti Patris Ansberti, in tractando grege Christi secundùm normam Sanctorum Patrum, strenuè cuncta atque irreprehensibiliter gerebat. Quorum exemplis piæ actionis ac verborum sedulis exhortationibus plurimi excitati, carpebant itinera sanctæ conuersationis. Hæc Aigradus in vita sancti Ansberti. AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

IV. Lantbertus ex Monacho Fontanellensi factus est Abbas eiusdem Monasterij, vt & qui proximè successerunt Ansbertus & Hiltbertus. Etenim Aigradus in sancti Ansberti vita, quam Hiltberto Abbati dedicauit, in Synodo Rotomagensi, cùm Ansbertus Episcopus Ecclesiæ Rotomagensi & Hiltbertus Abbas Cœnobio Fontanellensi præerant, statutum ait, *vt* Monachi Fontanellenses *ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent, vt præcedentium Regum, Clodonei videlicet & Clotarij, simúlque Childerici necnon & Theoderici Priuilegiorum auctoritates docent.*

V. Super Regula, quam Monachi Fontanellenses illis temporibus secuti sunt, quæstio moueri potest. Fastis Benedictinis ascribuntur, sanctus Wandregisilus vndecimo Kalendas Augusti, sanctus Lantbertus decimo-octauo Kalendas Maij, sanctus Ansbertus quinto Idus Februarij. Nihilominùs ea Regula non REGVLA. tam sancti Benedicti quàm sancti Columbani, vel, vt magis existimamus, diuersorum Patrum fuisse comprobatur. Sanctus Wandregisilus, priusquàm Cœnobium Fontanellense construeret, Angelicâ visione monitus ad Bobiense Monasterium in Italia situm, vbi sanctus Columbanus obiit, statim perrexit; nusquam verò adiit Casinense quod sanctus Benedictus in eadem Italia rexit, aut Glannafoliense quod beatus Maurus sancti Benedicti discipulus in Regno Francorum ad Ligerim extruxit. Pro Regula sancti Columbani pugnat etiam magnus ille numerus Gallicanorum Monasteriorum, in quibus tunc exactissimè vigebat custodiebatúrque sancti Columbani disciplina. Facilè tamen nobis persuademus Regulam, quam sanctus Wandregisilus Monachis Fontanellensibus præscripsit, nec à sancto Benedicto nec à sancto Columbano sancitam fuisse, sed collectam ex scriptis antiquiorum Patrum, qualem sequebantur Monachi prope saltum Iurensem, quibuscum integro decennio vixit idem Wandregisilus, postquàm reuersus est Bobio. Dubitationem omnem tollit Aigradus in vita sancti Ansberti, laudat enim Lantbertum Abbatem, sancti Wandregisili successorem, sanctíque Ansberti decessorem, quòd in administrando Fontanellensi Monasterio cuncta strenuè atque irreprehensibiliter *secundùm normam Sanctorum Patrum* gesserit. Norma Sanctorum Patrum dicebatur ea Regula, quam quis ex Regulis diuersorum Patrum collegerat, vt præstitit sanctus Aredius Lemouicensis, qui teste Gregorio [a] Turonensi Cœnobium fundauit, *in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ.* De tempore, quo Monachi Fontanellenses Regulam sancti Benedicti susceperunt, inquiremus ad Synodum Rotomagensem sub Ansberto illius ciuitatis Episcopo & Hiltberto Abbate Fontanellensi, regnante tum Theodorico Tertio.

[a] L. 10. c. 29.

VI. Sub Lamberti Fontanellensis Abbatis disciplina vixerunt Altbertus eius auunculus, Erembertus Episcopus Tolosanus, Condedus Presbyter, & Hermelandus qui posteà ex Monacho Fontanellensi factus est primus Abbas Antrensis. Agit de singulis idem Aigradus. DISCIPVLI.

VII. De Altberto sic. *Genitor huius Sanctæ Virginis* Angadrisinæ, *illustris Rotbertus, & frater eius Altbertus, Auunculi erant Sancti Patris Lamberti, successoris in ordine regiminis B. Wandregisili, originem ducentes ex territorio Taruanensi. Ex quibus præfatus Altbertus sub prædicto Abbate Lantberto sequenti tempore in Fontanella Monasterio Monachus efficitur.* ALTBERTVS.

VIII. De sanctis Eremberto & Condedo sic. *Prædicto etiam Patre Lantberto regimen loci tenente, beatus Christi Pontifex Erembertus Tolosæ vrbis, & Sanctus Pres-*

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

byter Condedus & Anachoreta, Britanniâ Insulâ ortus, in prædicto Monasterio Fontanella Monachicum Deo dignum & nomen assumpserunt & habitum.

IX. Erembertus, vt ex eius vita [a] constat, & à nobis [b] superiùs est obseruatum, bis factus est Monachus in Monasterio Fontanellensi, Monasticam enim vitam sub Abbate Wandregisilo primùm amplexus est superstite Clodoueo Rege, deinde regnante Clotario eiusdem Clodouei filio promotus est ad Episcopatum Tolosanum, denique senio confectus abdicauit Episcopatum, in Cœnobium Fontanellense rursum secessit Abbate tum Lamberto, ibíque feliciter ad Deum migrauit.

[a] Apud Catell. Hist. Occit. l. 5. §. 2.

[b] Ad an. 655. n. 7.

EREMBERTUS.

Condedus Presbyter Lambertum Monasterij Fontanellensis Abbatem adiit regnante iam Theodorico Clotarij fratre, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum [c] obseruaturi sumus.

CONDEDUS.

[c] Num 1.

X. De sancto autem Hermelando * sic idem Aigradus. *Sub cuius*, nempe Lantberti, *etiam regimine, B. Hermelandus ex prædicto Monasterio Fontanella, rogante venerabili Pontifice Paschario Nannetensis vrbis, in eamdem regionem Nannetensem ab ipso Patre Lantberto directus, in quadam Insula aluei Ligeris, quæ vocabatur Antrum *, iuxta nominis einsdem proprietatem Monachorum venerabile ædificauit Cænobium. In cuius largitione prædictus Antistes Paschariu statuit, vt post decessum einsdem venerandi Patris Hermelandi, ex Manasterio Fontanella per cuncta succedentia tempora sibi instituant Rectores, vniuersi præfati loci habitatores, veluti largitiones einsdem loci, quæ adhuc in præfato Monasterio Fontanella seruantur, apertissimè declarant.*

XI. * Herblon.

HERMELANDUS.

* L'Isle d'Aindre.

XII. Sancti Hermelandi vitam scripsit Auctor synchronus, in prologo enim restatur res à se narrari, *quas visu relationéque fratrum* didicit. Extat apud Surium [d] eadem vita stylo in plerisque mutato, vt docet hic titulus operi præfixus. *Vita S. Hermelandi Nausomagensis, primi Abbatis Autrensis, grauiter & bonâ fide conscripta, licèt Author suum nomen reticuerit. Sed, quia sermone parum grato vsus est, quisquis ille fuit, aliquanto Latiniùs, plerumque etiam paraphrasticōs, interdum adstrictiùs eam expressit F. Laurentius Surius.* In editione Suriana similiter asserit Auctor à se commemorari res gestas, quas *partim visu, partim relatione fratrum* accepit. Primigeniam Auctoris lucubrationem nacti sumus in Codice manuscripto, qui fuit olim penes Claudium *Menard* Proprætorem Andegauensem, amicum nostrum, claræ apud omnes literatos memoriæ. Leguntur in hoc opere sex ac viginti capita, quatuórque duntaxat occurrunt Characteres Chronologici. Nascitur Hermelandus regnante Clotario, Fontanellam adit Abbate Lamberto; Monasterium Antrense construit Paschario Episcopatum Namnetensem administrante; Præceptum à Childeberto Rege pro eodem obtinet Cœnobio. Pij viri primordia placet hîc retexere, cetera suis locis exponemus.

[d] D. 25. Mart.

XIII. *Multorum iam per Orbem vniuersum circumquaque Regum collis iugo Christianæ religionis submissis, cùm fides Sanctæ Ecclesiæ, errorum caligine depulsâ, luce Euangelicæ veritatis corusca, in omni ditione Clothary Regis Francorum, tranquillâ vteretur pace, venerabilis Ærmenlandus genuinæ natiuitatis potitus exordio, ex Noniomacensium incolarum nobilissimis parentibus, perpetuâ fruiturus temporalem processit in lucem.* Verba sunt Auctoris coætanei, nec de alio Francorum Rege possunt intelligi quàm de Clotario Secundo, quem anno Christi sexcentesimo duodetricesimo ex hac vita discessisse constat. Natus est igitur Hermelandus, siue Ærmenlandus exeunte Clotarij Secundi Principatu, adoleuítque sub Dagoberto & Clodoueo Secundo, quorum alter è viuis anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo sublatus est, alter anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto viuere desiit. Pergit autem Auctor iam laudatus. *Hic beatissimus* Ærmenlandus *Procerum parentum opimis educatus dapibus, atque, vt assolet, præclara soboles nobilis prosapiæ affectione vallatus, litterarum eruditoribus, sui profectûs gratiâ imbuendus pro visione tantæ generositatis traditus fuit. Quibus, præ cunctis coæuis sodalibus, ad plenum eruditus, omnem puerilem petulantiam grauitate transcendens morum, nulli concupiscentia inlecebrosæ voluptatis adsensum præbuit. Carnis*

S. HERMELANDI PRIMORDIA.

AN. CH. 667.
CLOTAR. III. R. 12.
CHILD. II. R. 8.

quoque lasciniam spiritûs ardore conterens, nobilitati caruis animi præferebat nobilitatem, itaut in ipsis scholis probitate animi sacratus præfulgens puer ammirabilis omnibus haberetur. Parentes autem eius videntes eum litterarum doctrinis magna ex parte instructum regalibúsque militiis aptum, ab scholis cum recipientes regiam introduxerunt in aulam, atque Regi Francorum cum magno cum honore militaturum commendauerunt, quatenus per tramitem huius militiæ ad debitum progenitorum perueniret honorem. Sed vir Dei Ærmenlandus omne huius seculi culmen omnémque gloriam, Christi postponens amori, plùs appetiit per labentis seculi labores mansura gaudia iustorum promereri, quàm per transitoriam mundi gloriam perpetua iniustorum supplicia perpeti. Longè enim à parentum voluntate sanctum eius dirimebatur desiderium. Nam quod illi ad dignitatis eius gloriam agere conabantur, ipse ad suæ salutis dispendium fieri arbitrabatur, sententiam recolens Apostoli dicentis. [Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.] Et nisi eiusdem Apostoli sententiæ contradictor esse videretur, quâ dicit, [fily obedite parentibus,] nullatenus ei calestia ambienti suadere poterant terrestrem suscipere militiam. Cauens autem ne in aliquo salutaribus contrarius esset monitis, consideránsque simul necdum se sui arbitry facultatem consecutum esse, quem mente delitescendo fugere satagebat, corpore specie tenus coactè habitum militarem suscepit. Domino verò se protegente extemplò in aula commorans regia ex tirunculo perfectus ita effectus est miles, vt cor Regis omniúmque Optimatum gratiâ sua venustatis in amorem sui conuerteret, in tantum vt nimio eum Rex amplectens amore dispensatorem sui potus principémque constitueret Pincernarum. Cùm autem per aliquod tempus omnibus placens prudenter commissum perageret ministerium, suadentibus parentibus atque amicis suis, cuiusdam Optimatis nobilissimi, quam nullatenus accipere volebat, desponsauit filiam. Statuit etiam diem, quo eam sibi matrimonio copularet, qui hoc toto mentis nisu satagebat, vt non solùm à vinculo coniugali, verùm ab omni seculi actu collum suæ mentis, quod leni Christi iugo submittere desiderabat, excuteret. Non enim vt auditor obliuiosus Domini monita inaniter auribus hauserat cordis, quibus salubriter generi consulit humano dicens. [Qui non relinquit patrem & matrem, fratres & sorores, vxorem & filios, agros & omnia propter nomen meum, non est me dignus.] Et. [Qui vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.] Sed vt eximius operis executor arctiùs intimo ea retinens corde, quod aure corporis audiuit, pro virium facultate opere implere curauit. Diuino autem fretus spiramine, spretis cunctis seculi oblectamentis, sponsam relinquens, nuptias renuens, nudus terrenis actibus nudam Crucem Christi contra spiritalia nequitia dimicaturus athleta Christi arripuit, rectóque tramite munitis Euangelicis doctrinis pedibus viam regiam sequendam suscepit. Timens autem ne eius propositum secularium tumultus præpediret, si in turbis populorum diutiùs moraretur, præsentiam adiit Regis, humilíque cum deuotione petiuit, vt ei Regalis Clementia licentiam daret, quatenus, relictâ Palatinâ militiâ, regulari se Cœnobio Christo militaturus traderet. Rex autem maxima cum dilectione complectens non patiebatur eum à se sequestrari, atque ideo nimis eius resistebat precibus, suadens ei ne eius consortium in tam viridi floridâque desereret ætate. Cúmque talibus suasionibus diutiùs eius vexaret mentem, sanctum tamen eius propositum immutare nequiuit. Beato igitur viro in precibus persistente, tandem timore Domini perfusâ pÿ Principis Clementiâ, licentiam, quam ei diu negauerat, benignè est largitus. Ipse autem beatissimus Ærmenlandus cum Regis Optimatúmque bene- MONACHATVS. *dictione Palatio egressus ad Fontanellæ Monasterium, vbi venerandus Lambertus regularis praerat Monachorum Pater, concito peruenit cursu. Conuersionem namque in præfato expetiit Cœnobio, & ab ipso Abbate fratribúsque omnibus effectum suarum obtinuit precum.* Hæc contigerunt ineunte Lamberti Abbatis præfecturâ, vtque ita sentiamus, suadet intercapedo annorum vndequadraginta, quos intercessisse constat à morte Clotarij Secundi, quo regnante Ærmenlandus in lucem editus est, vsque ad obitum sancti Wandregisili, cui prædictus Lambertus in Monasterij Fontanellensis administrationem successit. Qualem se gesserit in Cœnobio Ærmenlandus, dicemus infrà.

AN. CH 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

Obiit hoc anno Gulhoetus seu Golhoetus aut Golorethus Episcopus Corentinopolitanus. Successit Hugo, de quo rursus ad annum Christi septingentesimum primum. Lege Armoricam Sanctam. Obiit quoque sub exitum huius anni, quinto Kalendas Ianuarij Wlfeodus seu Wolfoldus siue Wlfolenus aut Wlfolentus Episcopus Bituricensis, cùm sedisset annos viginti. Lege Patriarchium [a] Bituricense, vbi Sanctus etiam appellatur.

XIV. EPISCOPI CORENTINOPOL. WLFOLENTVS EP. BITVR. OBIT.

[a] Cap. 12.

Leodebodus sancti Aniani ad muros Aurelianenses Abbas, cuius sæpè meminimus, Testamentum condidit, quo tres Ecclesias hæredes instituit, Basilicam sancti Aniani, cui præerat cum Abbatis titulo, & ambas Basilicas Floriacenses, quarum alteram ipse in honorem beati Petri, alteram Ioannes vir prædiues in honorem beatissimæ Virginis extruxerat. Istud Testamentum quale apud Helgaldum Monachum Floriacensem, qui primus ex Archiuo Floriacensi descripsit, & apud Carolum Saussеyum in Annalibus Aurelianensis [b] Ecclesiæ legitur, variis circa Chronologiam mendis scatet.

XV. LEODEBODI ABB. TESTAM. EXAMINATVR.

[b] Lib. 4.

Inprimis Leodebodus in eo Testamento non sibi constat, nam Monasterium Floriacense sancti Petri modò deliberat ædificare, modò laudat ædificatum. *Monasterium*, inquit, *in honore sancti Petri ædificare delibero.* Item, *Monasterium, quod in honorem Domni Petri, sicut prædictum est, in agro Floriaco ædificare delibero.* Inferiùs verò, *ad Monasterium S. Petri Floriaco constructum delego.* Item, *pars memorati Monastery Domni Petri, quod est Floriaco constructum*, &c. Item, *Monasterio sancti Petri, quod est constructum Floriaco, duplum quoad ipsas Basilicas dedi.* Et sub finem, *prædicto Monasterio Domni Petri Floriacensis, quod nos à nouo construximus, delegauimus.* Hæ sententiæ adeò diuersæ penè persuadent prædictum Testamentum duas in partes diuidendum esse, quarum alteram Leodebodus in procinctu construendi Monasterij Floriacensis, alteram post constructum Monasterium scripserit, sed annus qui præfigitur initio Testamenti non est alius ab eo qui repetitur in fine. Vtrobique notatur annus secundus Clodouei, atque inde alterum corruptæ Chronologiæ petitur argumentum, quia Clodoueus anno secundo sui regni Bathildem vxorem nondum duxerat, & Leodebodus in suo Testamento meminit eiusdem Bathildis Reginæ. *In agro*, inquit, *Floriaco, quem cum glorioso atque præcelso domno Chlodoueo Rege, & gloriosa Domna vxore eius Bathilde Regina visus sum de rebus meis propriis commutasse.* Deinde in fine Testamenti perperam notatur annus Incarnationis Dominicæ sexcentesimus vicesimus tertius, nam nec annus sexcentesimus vicesimus tertius Incarnationis Dominicæ cum anno secundo Clodouei Regis conuenit, nec apud Francos Leodebodi temporibus in publicis instrumentis anni numerabantur ab Incarnatione Dominica.

XVI. Testamento, quod examinamus, Auctor subsequentis æui præfixit prologum, subiecitque enumerationem multarum villarum & hæreditatum quas Leodebodus Floriacensi Monasterio contulit.

XVII. In prologo tria de Leodebodo proponit quæ verissima credimus. Ait Leodebodum Monasterio sancti Aniani prope muros Aurelianenses Abbatem præpositum fuisse regnante Clotario Dagoberti patre, id Historiæ nullatenus repugnat. Ait Leodebodum Abbatem fuisse non tantùm sub Clotario Rege sed etiam sub eius filio Dagoberto ac nepote Clodoueo, nec id alienum videtur à vero. Ait denique agrum Floriacum ad dominium Leodebodi transiisse commutatione factâ cum Clodoueo Rege & Bathilde Regina, nec is displicet computus, consentaneum enim est ipsummet Leodebodi Testamentum, sed in eiusdem Anonymi textu, qui Testamento Leodebodi subiicitur, perperam *reperiuntur ab Incarnatione Domini non plures quàm* DCXX. *præteriisse anni, donec à Domno Leodebodo fabrica* Floriacensis *cœpta est Cœnobij.* Illo anno Christi sexcentesimo vicesimo, cùm Clotarius secundus vniuersæ Franciæ dominabatur, fortè Leodebodus Aurelianense sancti Aniani Monasterium administrare cœpit.

XVIII. Quod attinet ad Characteres Chronologicos, quibus Testamentum Leo-

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

debodi conſignatur, Clodouei Regis loco Clotarius, & anni ſecundi loco duodecimus annus reponi debet, quia ſubſcribit Leodegarius Aurelianenſis Epiſcopus, cuius deceſſor Audo, vt patet ex iis quæ de Priuilegio Corbeienſi diximus, octauo Idus Septembris anno VII. Clotarij Regis nondum obierat. De Rege nulla ſupereſſe poteſt controuerſia. De anno non ita conſtat, ſed cùm numerus II. non conueniat, nec reſtituendus ſit VII. confugimus ad XII. itaut opinemur Teſtamentum ab Abbate Leodebodo conditum fuiſſe quinto Kalendas Iulias, hoc anno, Clotarij Regis duodecimo, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo.

XIX. PER ARTICVLOS. Apud Carolum Sauſſeyum in Annalibus Aurelianenſis Eccleſiæ, Teſtamentum Leodebodi diſtribuitur in articulos octo, de quibus agendum hìc ſigillatim, nonnulli enim aut interpretatione indigent aut emendatione.

XX. In primo articulo Leodebodus tres Baſilicas, quas ſuprà nominauimus, hæredes inſtituit, enumeratque partem bonorum, quæ ſancti Aniani Baſilicæ tradit perpetuò poſſidenda. Textus talis eſt. *In nomine Patris & Filij & Spiritùs ſancti. Anno ſecundo, regnante Domno noſtro Chlodoueo glorioſiſſimo Rege ſub die V. Kal. Iuly. Virtute & firmiſſimo robore adquiritur, vt agreſta & docta menti teſtificatio ſuffragetur. Et quoniam ita eſt, Dei protegente dexterâ, ego Leodebodus iſta conſcribo, acſi indignus & peccator Abba. Dum me diuina pietas Baſilicæ Domni Aniani, vbi ipſe Domnus in corpore requieſcit, Abbatiæ ſublimatum honore eiuſdem loci cuſtodem eſſe inſtituit, congruum duxi, & deuotione pleniſſimâ mihi conſenſit voluntas, vt de re proprietatis mea tam in ipſa Baſilica, quàm & Baſilicæ Domnæ Mariæ, quam Ioannes Floriacus à nouo quondam conſtruxit, vbi venerabilis vir Fulcaldus Abba cuſtos præeſſe dignoſcitur, ſeu & in agro Floriaco, quem cum glorioſo atque præcelſo Domno Chlodoueo Rege, & glorioſa Domna vxore eius Baltilde Regina viſus ſum de rebus meis propriis commutaſſe, vbi pro ſalute Regia vel cuncto populo exorandum, Monaſterium in honore ſancti Petri ædificare delibero, vbi iamdictus vir Dei, ſanctus videlicet Præſul Anianus condignè iacet tumulatus, in quo Monachi iuxta Regulam Sanctiſſimi Benedicti & Domni Columbani conſiſtere debeant, ſingulariter de facultate proprietatis meæ Chriſto Præſule conferre delibero. Dono igitur antedictæ Baſilicæ Domni Aniani, vel Monachis ibidem deſeruientibus, vbi ad præſens diuinitate propitiâ funguntur officio, & de iure meo in ius antedictæ Baſilicæ à die præſenti transfundo portiones terrulæ infra agrum Nogrometenſe ſitas in territorio Biturico, nuncupatas Litmaro & Mariniaco, quas de Aniana & Proſperiana fœminis per inſtrumenta chartarum viſus ſum recepiſſe, cum domibus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, cum omni iure & beneficio ſuo, vel omnigeno pecude ibidem reſidente, ſicut a me poſſeſſum eſt. Similiter portionem meam quæ eſt infra agrum Littidum in Secalonia, quam de Agana fœmina dato pretio per venditionis titulum viſus ſum comparaſſe, cum domibus, ædificiis, mancipiis, præter quos ingenuos relaxauero, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, omniíque beneficio ſuo, ſicut à me poſſeſſum eſt.* In illo textu multa ſunt corrigenda. Primò ſublatis iſtis vocibus, *anno ſecundo, regnante Domno noſtro Chlodoueo*, hæc ſunt reponendæ, *anno duodecimo, regnante Domno noſtro Chlotario.* Deinde vbi occurrunt iſtæ voces, *ædificare delibero*, lege *ædificaui*, & iſtas ſubſequentes phraſes abrade, *vbi iamdictus vir Dei, ſanctus videlicet Præſul Anianus condignè iacet tumulatus, in quo Monachi iuxta regulam ſanctiſſimi Benedicti & Domni Columbani conſiſtere debeant.* Leodebodus enim, vt inferiùs ex aliis articulis eiuſdem Teſtamenti patebit, Monaſterium Floriacenſe ſancti Petri priùs erexit, quàm Teſtamentum condidit, eâque ætate, prout ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum iam obſeruauimus, ſanctus Anianus in Cœnobio ſui nominis ad muros Aurelianenſes quieſcebat, nec adhuc Monachis Benedictiuis attributa fuerant Monaſteria, quorum Abbates Regulam ſancti Columbani ſeruandam priùs ſuſceperant. Tunc in Franciæ Monaſteriis variæ cuſtodiebantur Regulæ, præcipuæ quidem erant eæ, quas beatiſſimi Patriarchæ Benedictus & Columbanus promulga-

AN. CH. rant, sed earum tantùm altera vigebat in quolibet Cœnobio, Monachúsque qui Regulam Sancti Benedicti profitebatur, nusquam se discipulum sancti
667. Columbani dicebat, ac vice versâ qui Regulæ sancti Columbani se addi-
CLOTAR. xerat, nusquam se discipulum sancti Benedicti nuncupabat. Plurima Mona-
III. R. 12. steria Regulam sancti Columbani, perpauca Regulam sancti Benedicti seque-
CHILD. bantur, lapsu verò temporis cùm vtraque remisso religionis feruore torpesce-
II. R. 8. rent, & cetera Franciæ Monasteria in meliori statu non essent, è Cœnobio Casinensi, vbi Regula Sancti Benedicti vigebat, vocati sunt Monachi, qui monasticæ vitæ disciplinam in Gallia collapsam restaurarent, eóque modo Regula S. Benedicti introducta est in varia Monasteria, quæ instituto S. Columbani priùs obnoxia erant, & ne sancti Columbani nomen penitus aboleretur, deinceps illorum locorum Monachi dicti sunt iuxta Regulam Sanctorum Benedicti & Columbani consistere, recentiores solum nomen sancti Benedicti, cuius Regulam obseruabant, expuncto sancto Columbano retinuerunt. Hinc apparet istas voces (*iuxta Regulam Sancti Benedicti & Domni Columbani*) Testamento Leodebodi insertas esse à Monacho Benedictino, postquàm monastica disciplina in Galliis iuxta Regulam sancti Benedicti refloruit, qua de re sermonem vberiorem sub Carolo Magno & Ludouico Pio faciemus. Denique in præcitato eiusdem Testamenti articulo, ad illum locum, *vbi ad præsens diuinitate propitiâ funguntur officio*, ita legendum putamus, *vbi ad præsens diuinitate propitiâ fungor Abbatis officio.* Præter Regulas Sanctorum Benedicti & Columbani, per Galliam, vt sæpè probauimus, vigebant pleræque aliæ, quarum vnam ab Antecessoribus acceptam Leodebodus Abbas in Cœnobio sancti Aniani custodiuit, & à Monachis Floriacensibus, vt dictum est suprà, voluit obseruari.

XXI. In secundo articulo Leodebodus alias quoque hæreditates eidem Monasterio sancti Aniani confert. *Itémque & portionem meam, qua est ad Vetulam casam, quam de Abbone & filio suo Fraterno, dato pretio per venditionis titulum comparaui, & quæ per epistolas donationis ad me peruenit, cum mansis, vineis, campis, pratis, syluis, pascuis, omníque genere pecudum & beneficio suo, sicut a me possessum est. Simili modo & portionem meam, qua est in villa Frietoni in Secalonia, sicut à me possessa est, cum mansis, accolabus, syluis, pratis, campis, pascuis in integrum, cum termino, vel omnigeno pecude ibidem residente. Simúlque terras vel prata, qua ab Albuna in pago Stampensi visus sum comparasse, sicut a me possessum est in integrum. Pari modo vasa dono argentea, anacleta pensantia libras* VIII. *& vncias duas. Sandalia* II. *ad Missas, & oralia ad mensam vna cum cappis & omni apparatu, & vela* II. *acu picta. Ista omnia vt in potestate & dominatione ipsius Monastery ibidem Deo seruientium perenniter maneant, integrâ deuotione instituo.*

XXII. In tertio articulo Leodebodus multa bona Basilicis Floriacensibus elargitur. *Simúlque & quod in pago Biturico cognominante Monte, qui est iuxta Carbrias vico, portionem terrula, quam de Domolo & vxore sua Ingara, vel de pluribus hominibus visus sum comparasse, dono: vel quodcunque ibidem per donationis epistolam aut quolibet contractu ad me peruenit. Seu & quod in Bria, qua est super fluuium Flironte, habeo, quæ de pluribus hominibus visus sum comparasse, & ad ipsum montem subiungitur, cum domibus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, cum omni iure & termino earum, omníque genere pecudum, sicut a me possessum est, dono. Idémque & villam Camberon, qua est iuxta terminum Clariacense, vel Vcello vico, quam de hæredibus Mummoli dato pretio per venditionis titulum visus sum comparasse, cum domibus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, omníque genere pecudum, cum omni iure & beneficio vel termino ad se pertinente, sicut à me possessum est, dono sancto Petro Floriacensi. Idémque & in Rausedone villa, qua est in pago Magdunense, quam de hæredibus Wagini dato pretio comparaui, suprascripta pars antedicta Basilica Domni Petri Floriacensis perpetuo*

iure atque proprietario, vt poßideat, integrâ voluntate decerno. Idémque antedictæ AN.CH.
Basilicæ Domnæ Mariæ, portionem meam, quæ est iuxta Columnæ vicum, quartam 667.
partem ex ipso agro Colommensi, cum mansis, accolabus, campis cultis & incultis, Clotar.
cum omni genere pecudum in integrum, sicut à me possessum est, delego perpetualiter III. R.12.
poßidendum.

In quarto articulo Leodebodus iisdem Basilicis Floriacensibus alia bona Child.
concedit. *Idémque in Simpliacense, quod est in Secalonia, quod de homine quodam* II. R. 8.
Aregisilo nomine, vel de aliis, dato pretio per venditionis titulum visus sum com- XXIII.
parasse, portionem ipsam cum mansis, sylvis, pratis, campis, pascuis, vel omni ge-
nere pecudum, & beneficio suo, sicut à me possessum est, Basilicæ Domnæ Mariæ tri-
buo, & vt in perpetuum poßideat, plenißimâ voluntate exopto. Pari modo & ad
memoratum Monasterium, quod in honorem Domni Petri, sicut prædictum est, in
agro Floriaco ædificare delibero, vbi Monachi regulariter consistere debeant, dono à
præsenti fiscum Floriacum, cum domibus, ædificiis, mancipiis, quos iugo seruitutis
non relaxauero, sylvis, campis, pratis, pascuis, vineis, aquis, aquarúmve decursi-
bus, cum adiunctis & adiacentibus suis, omníque genere pecudum, cum omni iure
& termino suo, sicut acto tempore ad fiscum fuit possessum, vel ad nos peruenit.
Idémque in potestate Melliaco quod per venditionis titulum visus sum comparasse,
cum domibus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, cum campis cultis
& incultis, seu officina molendini, quod in Malua in ipso territorio esse videtur, in
integrum cum termino suo & omni genere pecudum sicut à me possessum est concedo.
Seu & quod de hæredibus Pauloni negotiatoris quondam visus sum comparasse, areas
scilicet in oppido ciuitatis Aurelianensium, cum domibus desuper positis, accolabus
ibidem residentibus, vel vineas ad oppidum ipsius ciuitatis pertinentes, seu & lo-
cella villarum cognominata Curun, Cananarias, Simpliciaco, & Caliaco vltra flu-
uium Ligeris, quod dato pretio anteacto tempore visus sum comparasse. In hoc ar-
ticulo lege *ædificaui*, loco istarum vocum *ædificare delibero.*

In quinto articulo Leodebodus donis iterum auget Floriacensem Basilicam XXIV.
sancti Petri. *Vnde & in iudicio ante virum Apostolicum Domnum Audoenum Epi-*
scopum Rotomagensem, *& illustrem virum Chrannulfum Optimatem, vel reliquos*
Abbates conuenis, vt ex omnibus tam in terris quàm in mancipiis, seu & vineis, me-
dietatem exinde pars Basilicæ Domnæ Mariæ retineret, & aliam medietatem in meo
iure in integro deberem recipere. Quam medietatem eorum iudicio visus sum rece-
pisse. Ipsam enim in integrum ad memoratum Monasterium sancti Petri Floriaco
constructum delego perpetualiter poßidendam. Simúlque & Asinarias villam, quæ est
in valle, quæ de ratione illustris viri Trodquei per commutationis epistolas, quantùm
textus earum declarat, ad me peruenit, dum ego econtrà portionem illam quæ est in
Suncanto, vel Warentias, quod de Machilde fœmina quondam dato pretio per ven-
ditionis titulum comparaui, & hoc ad vicem memorati Trodouci dedisse visus fui in
ipsa villa Asinarias, pars memorati Monasterij Domni Petri, quod est Floriaco con-
structum, in integrum absque cuiuslibet impedimento, cum omni iure & termino,
sicut à me possessum est, omnéque genus pecudum ibidem residens, recipiat poßidendum.

In sexto articulo Leodebodus dona Floriacensi Basilicæ sancti Petri collata XXV.
sic prosequitur. *Areas verò infra muros Aurelianis, quas de Chonulfo Clerico dato*
pretio per venditionis titulum visus sum comparasse, vbi Leobastus accola commanere
videtur, ad prædictum Monasterium Domni Petri, vel Monachis ibidem degentibus,
integrâ voluntate dare decerno. Similiter & caballos XXX. *bonos, greges equinos*
V. *cum emissariis eorum, boum greges* XX. *vaccarum* V. *armentorum* X. *Argentum*
quod ad ipsum Monasterium Domni Petri, vel Monachis ibidem deseruientibus do-
no, per huius texti vigorem inserendum putaui. Hoc est bacchoaicha pura sigillata
transmarina pensantia pondo libras X. *quorum vnus habet in medio crucem auream.*
Dono & scutellam, quæ habet in medio effigiem capitis hominis simili modo auream.
Idémque & scutellas II. *minores Maßilienses deauratas, quæ habent in medio Cru-*
ces niellatas. Quæ species argenti in iure & dominatione memorati Monasterij Domni
Petri perenniter permaneant volo.

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

XXVI. In septimo articulo Leodebodus partem alteram suorum vestimentorum legat eidem Monasterio sancti Petri, statuitque pœnas aduersùs eos qui Testamentum hoc violare tentauerint. *De vestimentis verò quæ in paupertate mea habere videor, præter id quod superiùs Basilicæ Domni Aniani delegaui, reliquum quod superfuerit, pars Domni Petri Floriacensis recipiat ad possidendum. Spero autem non futurum, nec quolibet modo fieri posse credo, vt aliquis de hæredibus meis, aut qualibet persona, contra præsentem venire tentet epistolam. Quod si fecerit, & factum meum irrumpere conatus fuerit, inprimis iram cælestis incurrat Trinitatis, & insuper partibus Basilicæ Domni Aniani, & Basilicæ Domnæ Mariæ, vel Monasterio Sancti Petri, quod est constructum Floriaco, duplum quod ad ipsas Basilicas dedi, iuxta quod res ipsa meliorata fuerint, ipsis Abbatibus vel Monachis ibidem deseruientibus reformet, & fisci iuribus auri libras III. argenti pondo XX. teneatur obnoxius.*

XXVII. In octauo articulo, vt hæc donatio firmior habeatur, Leodebodus ita scribit. *Quam donationem, vt firmior habeatur, gestis municipalibus alligare decreui, & duas epistolas vno tenore conscriptas feci de re superiùs nominata, vna quæ in Archiuo Domni resideat Aniani, aliam verò pars Monasterij Domni Petri per futura tempora reseruandam recipiat, qualiter Monachi ibidem Deo seruientes, id quod eis per ipsam dedi defensare valeant. Et præsens nihilominùs à me facta donatio, firma omni tempore & inuiolata permaneat, stipulatione in omnibus comprehensâ. Actum Aurelianis publicè. Addi verò conuenit quod superiùs intimare debueramus, vt quicquid præfato Monasterio Domni Petri Floriacensis, quod nos à nouo construximus, delegauimus, & à timoratis viris delegatum fuerit in posterum, quicquid Abbas, qui ibidem præfuerit, exinde voluerit facere, pro vsu, aut vtilitate Monasterij ipsius, vel lucro animæ, aut fratrum necessitate, liberam habeat potestatem, absque detrimento & impedimento sæpedicti Monasterij.*

XXVIII. Testamento præter Leodebodum Abbatem subscribunt complures. In primis duo Episcopi, *Audoenus peccator Episcopus & Leodegarius acsi indignus Episcopus*, tum quatuor Abbates, *Beccelenus, Ado, Salomon, Leotsnidus.* Parcimus ceteris. Audoenus non alius fuit ab Episcopo Rotomagensi, cuius authoritatem illis temporibus in Clotarij Regno potentissimam fuisse iam docuimus ex Authore coætaneo qui vitam sanctæ Bathildis conscripsit. Iniit autem Pontificatum Audoenus anno Clodouei Regis tertio, & ex isto Charactere Chronologico rursum patet in apice Testamenti, de quo nunc disputamus, annum secundum Clodouei Regis haud legendum esse. Leodegarius Episcopus erat Aurelianensis, successeratque Audoni, qui Concilio Cabilonensi subscripsit anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto sub Clodoueo Rege, vixitque vltra septimum Clotarij Regis annum, Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum, vt suis locis obseruauimus, vnde redarguas Sausseyum aliósque qui Leodegario perperam Audonem siue Andonem sufficiunt. Leodegario successit in Episcopatum Gaudo, tum Sigobertus, deinde Seuericus, pòst Baldacus, qui solis nominibus noti sunt, excepto quòd Sigobertus, Ecclesiam sancti Maximini in agro sui iuris construxit, constructámque Monasterio Miciacensi contradidit, vt Carolus Sausseyus in Annalibus[a] Ecclesiæ Aurelianensis probat ex vetere charta, quæ possessiones omnes & iura Abbatiæ sancti Maximini à Ludouico & Lothario Augustis anno Christi octingentesimo tricesimo-sexto confirmata complectitur, & inter alia hæc continet verba quæ faciunt ad rem nostram. *Habet præfatus locus*, nempe Miciacensis, *ante S. Anianum Ecclesiam S. Maximini cum Burgo & sibi pertinentibus villulis in Belsica, Seleniaco, Gurgia, Monte-Limulio; quam Ecclesiam Sigobertus Episcopus in agro iuris sui construens prædicto Miciacensi loco dedit.* Scribebat Sausseyus anno Christi millesimo sexcentesimo decimo-quinto, déque ruderibus Ecclesiæ prædictæ hæc posteris tradidit. *Huius Ecclesiæ S. Maximini quædam visuntur vestigia à parte Occidentali Ecclesiæ Sancti Aniani in hac Ciuitate* Aurelianensi *inter rudera, in quibus Monachi Miciacenses census aliquos possident, & paucis abhinc diebus inuenta sunt adhuc sepulchra quædam hominum ibidem antiquitus sepultorum.* Calamo manum setiùs admouit

Episcopi Aurelianenses.

[a] L. 4. n. 230.

Aureliæ Ecclesia S. Maximini,

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8. ET ALIÆ DIRVTÆ.

admouit Symphorianus *Guyon* anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo, captâque occasione, quòd Saussæyus Ecclesiæ sancti Maximini suprà memoratæ quædam duntaxat monumenta inter rudera superesse testatus esset, varias enumerauit Ecclesias vrbis Aurelianensis, quarum hodie nullum visitur vestigium; putà Ecclesiam sancti Martini prope Ecclesiam sancti Aniani Septentrionem versùs; Ecclesiam sancti Euurtij prope Ecclesiam sanctæ Catharinæ; Ecclesiam sancti Mathutini vbi hodie conspicitur Cœnobium Monialium Visitationis sanctæ Mariæ; Capellam sanctorum Sergij & Bacchi Martyrum in limine Claustri sancti Aniani; Capellam sancti Catauni prope hodiernum forum vinarium; Ecclesiam sanctæ Lianciæ in suburbio prope Ecclesiam sancti Sulpitij. Ceterùm Leodebodus Abbas post conditum Testamentum diu non vixit, neque enim peruenit ad annum Christi sexcentesimum septuagesimumtertium, quo Reliquiæ sancti Benedicti Casino Floriacum translatæ sunt. Obiit tamen longæuus, & Monasterium sancti Aniani rexit annis circiter quinquaginta. Nomen successoris desideratur.

XXIX.

PRÆCEPTVM CHILDERICI PRO COENOBIIS STABVL. ET MALMVNDAR.

Hoc anno Childericum Austrasiæ Regem, vt Notgerus scribit, *beatus Remaclus adiit, & quod patruus* Sigibertus *ei donasset, vt confirmaret, petiit. Rex libens annuit, & vt vir Dei petierat, eius successorem Theodardum* Traiectensem Episcopum *& Odonem Domesticum iussit eiusdem mensura solum remetiri, cuius partem dimidiam sibi Rex seruauit, reliquam vsibus seruorum Dei testamento addixit & confirmauit. Quod quidem virum Dei prudenter admodum fecisse constat, vt si fortassis successores eius aliquando minùs possent, minori negotio, quod minus esset, sine inuidia & infestatione vicinorum liberiùs sibi vendicarent.* Diploma Childerici datum reperitur hoc anno, die sextâ Septembris, anno Regni octauo. Extat integrum apud Bollandum [a] in analectis ex variis Auctoribus de Gestis sancti Sigiberti Regis. *Childericus Rex Francorum, Emnechildis & Bilihildis gratiâ Dei Reginæ, cum viris illustribus Gundoino Duce & Hodone Domestico. Ad æternam proculdubiò mercedem credimus pertinere, si petitionibus Sacerdotum vel quorumlibet deuotorum iusta petentium perducimus ad effectum. Igitur Domnus & Pater noster Remaglus Clementiæ Regni nostri petiit pro Monasteriis suis Stabelau siue Malmundario, quæ bonæ recordationis auunculus noster Sigebertus quondam Rex suo construxit opere. Vnde & ipsius Principis regiminis tale Præceptum nobis ostendit relegendum de eorum maiori spatio. De ipsa foreste Dominica vtrisque partibus de ipsis Monasteriis tam in longum quàm in transuersum, duodecim millia dextrorsum saltibus, quod & adhuc pro totius firmitate taliter in ipsa Præceptione habetur insertum, vt per consilium Pontificum ipsius temporis, id est, Chuniberti, Nemoriani, Gisloaldi, cum illustribus viris, Grimoaldo, Fulcoaldo, Adregisilo, Bobono, Ducibus; Chlodulfo, Ansegisilo, Gariberto, Domesticis, taliter actum fuit, quòd veracissimè cognouimus, quòd illi serui Dei, quibus datum fuit, absque impressione populi ibidem in ipsa loca residere deberent. Quapropter ipse Episcopus Abba eorum vnà cum ipsis Monachis nobis exinde confirmatione auctoritatis nostræ petierunt affirmari. Quam petitionem nos pro Dei intuitu eis minimè denegare potuimus. Eâ tamen conditione sic petierunt ipsi serui Dei, vt versùs curtes nostras, id est, Amblauam, Charancho, Lethernacho, de ipsis mensuris, duodecim millibus dextrorsum saltibus sex millia subtrahere deberemus pro stabilitate operis, quod admodum per nostram ordinationem sic factum est. Vnde iussimus pro hac re Domno & Patri nostro Theodardo Episcopo, vel inlustri viro Hodoni Domestico, cum forestariis nostris ipsa loca mensurare & designare per loca denominata, quorum vocabula sunt. De Monasterio Malmundario vsque Sicco-campo. De Sicco-campo per viam Mansueriscam vsque Warcinna transuersat. De ipsa Warcinna vsque vbi Stagnebachus consurgit, deinde per ipsum Stagnebachum vsque in Amblauam, deinde per Amblauam versùs aquam per illam forestem, quæ separat Helmini Rouoritum & Andaste villare. Per ipsam mediam forestem vsque Iocunda-fania, de Iocunda-fania per illam Alsenam, quæ propinqua est Monasterio. Deinde per illam Alsenam vsque vbi in Glanem ingreditur, deinde transuersà Glane vsque Albam fontanam. De ipsa Alba fontana in*

[a] D. 1. Febr.

AN.CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

Amblauam. Summa Siggino, Auiaco, vbi Gare laicus vennam habuit. Inde per ipsam Amblauam, vbi Dulnosus in ipsam ingreditur, deinde per Dulnosum vsque in fanias. Deinde per mediam forestem de ipsis faniis vsque viam Transueriscam, inde per ipsam viam vsque Sieco-campo. Vt hoc totum & ad integrum, cum Dei gratia & nostra teneant atque possideant, cum immunitate nominis eius temporibus; vt absque vllius impugnatione forestariorum, vel cuiuslibet persona, liceat ipsam familiam Dei quieto ordine residere, & pro vita nostra, & stabilitate Regni Francorum die noctúque Domino famulari. Et vt hae Praeceptio nostra in membranis conscripta, firma & inuiolabilis perseueret, manu nostrâ subter eam decreuimus adfirmare. Sighum Gloriosi Domni Childerici Regis. Signum Emneehildis Reginae. Signum Bilihildis gratiâ Dei Regina. Signum Gundoini Ducis. Data quando fecit mensis September dies VI. *anno* VIII. *Regni Domni Childeriei Regis. Traiecto felieiter.* Exemplar huius Praecepti Bambergâ Ioannes Gamansius ex Archiuo Ecclesiae Bambergensis, vbi aliquae sancti Remacli reliquiae adseruanrur, transmisit Godefrido Henschenio, qui libro secundo[a] de tribus Dagobertis maximam partem edidit in varia distinctam fragmenta, quae cotrectiora putauimus editione Bollandi, descripsimúsque. Philippus Labbeus in epitome rerum Francicarum ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-primum, cui octauum Childerici Regis annum illigauit, Diploma suprà recitatum laudauit, nulla tamen subscriptionum factâ mentione, ne Hymnechildem siue Emnechildem, cuius loco Baldechildem ad annum eiusdem Childerici Regis secundum in Regia Praeceptione pro Monasterio Barisiacensi reposuerat, fateri tandem cogeretur in Austrasia commoratam esse ipsomet Childerico regnante. Frustrà quaeras aliam rationem, cur postquàm iudicium ad annum secundum Childerici Regis de subscriptione Diplomatis pro Coenobio Barisiacensi tulisset, ad annum eiusdem Childerici Regis octauum, quid de subscriptione Regij Praecepti pro Monasterio Stabulensi sentiret, haud expresserit. Annum autem Childerici Regis octauum cum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-primo comparauit, quia sententiam Henschenij[b] secutus, in annum Christi sexcentesimum sexagesimum-tertium mortem Sigiberti Tertij reiecit, eíque post Childeberti pseudo-Regis eiectionem Childericum Clotarij in Neustria & Burgundia iam regnantis fratrem subrogauit. Opinionem illam ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-quartum, quo Sigiberti Regis obitum consignauimus, iam explosimus antiquiorum Scriptorum auctoritatibus nixi. Clodoueus Secundus Sigiberto Tertio fratri superstes vixit, & Austrasiam suis ditionibus adiecit exauctorato Childeberto. Patri Clodoueo successit in Francorum Monarchiam, id est, in tria Regna, Austrasiae, Neustrasiae ac Burgundiae, Clotarius Tertius filiorum natu maximus, fratríque Childerico post aliquot annos Austrasiam dereliquit, quia tumultuabantur Austrasij, Regémque sibi concedi postulabant, qui soli Austrasiae, vt olim Sigibertus, dominaretur. Haec certa nobis videntur & indubitata.

[a] Cap. 3.

[b] In Distr. de tribus Dagob. l. 2. cc. 1, 2.

XXX. Praedicti Diplomatis, quod pro Monasteriis Stabulensi & Malmundariensi Childericus Rex anno sui Principatûs octauo confecit, meminerunt tum eiusdem Childerici frater Rex Theodoricus, & huius filius Clodoueus Tertius, tum Imperatores Otto Secundus & Henricus Secundus, ac Pontifex Romanus Leo Nonus, sed potissimùm Ludouicus Pius Imperatot, in cuius Praecepto ipsum Childerici Diploma totidem ferè verbis repetitur. *Detulerunt nobis*, inquit, *Praeceptum Childeriei Regis, in quo continebatur, qualiter vir sanctus, Remaglus scilicet nomine, qui nunc eodem in Monasterio requiescit, detulisset ei Praeceptiones Sigiberti Regis, in quo erat insertum, qualiter easdem cellulas nouo opere construxisset, & de sua foreste duodecim lengas vndique mensuratas, siue quae infra erant, pro diuino amore concessisset. Sed praedictus Pater magis diligens quietè Domino seruire, quàm tumultuosam seculi perturbationem perpeti, deprecatus est eundem Childerieum Regem, vt sex lengas eis subtraheret propter quietudinem Monachorum, & sex eis per suum Praeceptum confirmaret, atque vndique designari iuberet. Sicut*

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

& idem Rex libenter procurauit, id est, de Monasterio Malmundario vsque Siccum campum. Ac dein longo ordine loca finitima per circuitum in vtroque Diplomate assignantur, & tandem *ad Siccum campum* determinatio reducta completur.

XXXI.

Obserua in Childerici Diplomate, Præceptum Sigiberti Regis actum dici *per consilium Pontificum ipsius temporis, id est, Chuniberti, Nemoriani, Gisloaldi, cum illustribus viris, Grimoaldo, Fulcoaldo, Adregisilo, Bobono, Ducibus; Chlodulfo, Ansegisilo, Gariberto, Domesticis.* Atque inde apud Bollandum [a] corrige ipsum Diploma Sigiberti Regis, in quo, prout ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium iam retulimus, Sigibertus ita loquitur. *Ex consensu fidelium nostrorum, videlicet Domini Cuniberti Coloniensis Archiepiscopi, necnon Attelani, Theodefridi, Gislocardi, Episcoporum; vel illustrium virorum Glimoaldi, Folciardi, Bobonis, Adegrisili, item Bobonis; necnon & Domesticorum, Flodulfi, Ansigisi, Betselani, Gariperti concessimus.* Archiepiscopi voce Sigibertus in suo Diplomate non vsus est, trésque duntaxat Episcopos nominauit, Cunibertum Coloniensem, Nemorianum seu Numerianum Treuirensem & Gisloaldum seu Gislocardum Virodunensem, itaut Attelanus Laudunensis & Theodefredus Tullensis expungi debeant restituto in eorum locum Numeriano Treuirensi.

[a] D. 1. Feb.

XXXII. CLOTARIVS ET CHILDERICVS DVCVNT VXORES.

Ceterùm Childerici Præcepto post ipsum Childericum Regem subscribunt duæ Reginæ Emnechildis & Bilihildis. Illa vxor fuerat Sigiberti Regis, hæc Childerico quindecim annorum adolescenti nuperrimè nupserat. Vxorem quoque, cuius nomen excidit, non ita pridem duxerat Clotarius, nam post illius fratrísque Childerici mortem Ebroinus & asseclæ quemdam Clodoueum paruulum, quem Clotarij filium fuisse confinxerant, in Regem Austrasiæ leuarunt, vt infrà constabit ex sancti Leodegarij vita Ermenario eius in Episcopatu successori inscripta. Vixit Bathildis in Kalensi Monasterio vsque ad Principatum Theodorici, habuítque tres nurus, totidem filiorum coniuges, quas cum eulogiis frequenter visitabat. *Conferebat sæpè cum matre Monastery*, inquit Author [b] vitæ, *vt & Regem & Reginam & Proceres condigno honore cum eulogiis semper visitarent, vt erat consuetudo, vt ipsa domus bonam famam, quam conceperat, non amitteret, sed ampliùs semper in affectu caritatis cum omnibus amicis, atque validiùs in Dei nomine permanerent in dilectione, vt scriptum est, oportet te testimonium habere ab his qui foris sunt.*

[b] Ap. Bolland. D. 26. Ian.

XXXIII. MARTYRIVM S. ADRIANI.

Childericus Præceptum Traiecti * dedit, mansit enim plerumque in illa ciuitate. Sedem ibi habebat, cùm Adrianus Landoaldi internuncius Martyrium subiit. *Childericus Rex*, inquit Notgerus in vita sancti Landoaldi, *tunc Sedem habens apud Traiectum, tactus compassione, sumptus necessarios mittebat ei quotidie*, nempe Landoaldo. *Sed quadam vice Adrianus, eiusdem beati viri ad Regem internuncius, nimia auri & argenti pondera deportare creditus, à latronibus est interceptus, & in medio via loco Villari Martyrium indeptus.* Sancti Adriani dies Natalis ignoratur. Eius memoria celebratur apud Molanum & apud Miræum quartodecimo Calendas Aprilis quo die sanctus Landoaldus ad Deum migrauit.

* *Mastrich.*

XXXIV. TRANSLATIO S. MAXIMINI EP. TREVIR.

Hildulphus Treuirorum Episcopus, initio sui Pontificatûs, *inter cetera magnifica sua opera quæ gessit, corpus sancti Maximini Præsulis Treuirensis à loco quo eum sanctus Paulinus Aquitanus sepelierat, in eum quo nunc veneratur transtulit.* Ita scribit Author vitæ, cuius stylum modicè Mosander elimauit. Eandem vitam citat Anonymus, qui vitam sancti Agricij conscripsit [c]. *Legimus*, inquit, *in vita sancti Hildulphi Treuirorum Episcopi, quòd inter magnifica opera, quæ idem B. Hildulphus multiplicia gessit, corpus beatissimi Maximini ex crypta, vbi illud B. Paulinus Præsul dignissimus ex Aquitania reuectum tumulauerat, in domum quâ nunc veneratur, IV. Calendas Iuny transtulit, cum quo pariter sanctorum Pontificum Agricy & Nicety, necnon trecenta Martyrum corpora, in eadem magnificè reposuit Basilica, quem locum & sua supellectile & suis fundis ditauit, & Cænobitis replens centenum numerum constituit.* Agricius, Maximinus & Paulinus Diœcesim

[c] Ap. Bolland. D. 13. Ian.

AN. CH. 667. Clotar. III. R. 12. Child. II. R. 8.

Treuitensem administrarunt, antequàm Treuiri Francis subessent, Nicetius verò regnante Theodorico Clodouei Protochristiani filio sedere cœpit. Monachus vallis Galilææ, qui vitam sancti Deodari in literas retulit, prædictam sancti Maximini Translationem consignat hisce Characteribus. *Fuit*, inquit, *is annus Christi sexcentesimus sexagesimus-septimus, quo tempore Deodatus etiamnum in Alsatia morabatur.* Post biennium agemus de reditu sancti Deodari ex Alsatia in Diœcesim Tullensem. Interim obserua Hildulphum non Miloni, vt vulgò fertur, in Episcopatum Treuirensem successisse, sed sancto Numeriano cuius memoria celebris est in Tabulis Ecclesiasticis tertio Nonas Iulias, & redargue Ruyrum qui Deodato & Cœnobio vallis Galilææ immunitates à sancto Numeriano concessas ait, cùm tamen ex supradictis constet Hildulphum sancto Numeriano subrogatum fuisse, priusquàm Deodatus ex Alsatia in Episcopatum Tullensem rediret, & de condendo vallis Galilææ Monasterio cogitaret.

Episcopi Trevir.

XXXV. His circiter temporibus, cùm Rotharius Argentinensi Ecclesiæ præesset, fundatum est à Childerico Rege Cœnobium in valle sancti Gregorij vulgò *Munster in S. Gregorienthal*, quod aliquot annis antiquius Monasterio vallis Galilææ dicitur à Bruschio, laudatúmque reperitur à Munstero in Cosmographia & à Meriano in Topographia Alsatiæ. Ceterùm de Præsulibus Argentinensibus Tomo superiore disputauimus ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-septimum [a]. Post Gandonem, qui regnante Dagoberto Pontificatum gessit, Argentinensibus infulis redimitus est Vto siue Vtho vel Otho, tum Ansoaldus, deinde Rotharius seu Rodtharius, quorum duo posttemi regnante Childerico Diœcesim Argentoratensem administrarunt.

Monast. S. Gregor.

[a] Nu. 13. 14.

XXXVI. Ceterorum Episcopatuum in Germania prima quis esset tunc status paucis accipe. Si Nemetensium Episcoporum Chronologiam ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum [b] benè assecuti sumus, hoc anno Principius Nemetensis Episcopus obiit, cùm sedisset annos viginti-quinque, regnantibus in Austria, Sigiberto Tertio, Clodoueo Secundo, Clotario Tertio & Childerico Secundo. Laudatur à Bruschio, quòd Diœcesim *piè & sapienter* rexerit. *Huic dedit Sigebertus Rex*, inquit idem Auctor, *decimas omnium vectualium in agro Spirensi prouenientium, qua antea Regi dari consueuerant.* Successit Tragebodus regnante Childerico, à quo, prout idem Bruschius testatur, *consequutus est confirmationem* prædictæ *donationis decimarum.* Moguntiæ tunc sedebat Richbertus Episcopus, qui Lupoaldo seu Leowaldo successerat, & à plerisque perperam confunditur cum successore Sigeberto, de quo nos plura sub Clodoueo III. Vormacia verò Metropolis interpontificio laborabat ab obitu S. Amandi, de quo sub finem prioris Tomi non semel locuti sumus. Longiorem de illo interpontificio disputationem opportuniùs inibimus Tomo sequenti.

[b] Num. 65.

Principius Episc. Nemetens. obit.

Succedit Tragebodus.

Richbertus Episc. Mogunt.

Vormacia laborat inter-pontificio.

XXXVII. Legimus in vetusto Codice manuscripto Monasterij Menatensis vitam sancti Vincentiani Confessoris, cuius obitus in hunc annum, Clotarij Regis duodecimum incidit. Illius vitæ Auctor Herimbertus Diaconus, ipsius Vincentiani præceptor. Epitomen hîc dabimus seruatâ in multis primigenia phrasi. *In prouincia Andegauis, in villa cui nomen Nantogilo qua sita est super fluuium Olda ex predio & familia Beraldi Ducis vir Dei Vincentianus ortus est.* Patrem habuit Vincentium, matrem Mageldem. *Cùm ad annos peruenisset duos, gratiâ baptismatis est sublimatus. Cúmque annos iam haberet bis quinos, genitor eius à seculo migrauit, & mater eius iam præfata virum suum in moriendo subsecuta. Prædictus Beraldus illo tempore Ducatum Aquitanicum tenebat. Erat autem ipse Vincentianus à Deo electus, plebíque amabilis, pulcher aspectu decoráque facie, videns enim eum Beraldus gaudio est repletus, in vlnis illum accipiens & manibus tractans in filium ex tunc adoptauit. Iussit itaque Herimberto Diacono, vt cum Baronto filio suo illum apicibus vel sacris doceret Scripturis.* Vixit Vincentianus annos quadraginta, natus est igitur anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo, adoptatúsque est à Beraldo Duce in filium anno Christi sexcentesimo tricesimo-septimo, cùm Ecclesiæ Cadurcensi præesset Desiderius Episcopus, quem paulò pòst Beraldus

Sancti Vincentiani Ortus,

Gesta,

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

adiit. Illis autem simul prandentibus, *oblatus est liber beato Vincentiano coram cunctis ad legendum ante mensam. At verò cum completa lectio fuisset, dixit Desiderius Episcopus Beraldo Duci. Domine, si tibi videtur bonum esse, deponatur Vincentiano cæsaries ex capite, & sit nobiscum in sorte Clericorum. Respondit Dux. Ita fiat sicut tu præcipis. Audiens autem hæc Barontus filius eius vna cum matre sua peruenit ad patrem suum, & minimè permisit adimplere quod prædixerat. Videns itaque memoratus Dux insaniam filij sui contra Vincentianum Desiderio Episcopo illum dare non distulit. At ille eum accipiens Pastoralem curam agens ad altiora eruditione eum subleuauit.*

XXXVIII. Quamdiu Beraldus in viuis fuit, apud Desiderium Episcopum mansit Vincentianus, sed ab eo post Beraldi mortem dimissus est ob minas, quas Barontus Beraldi filius intentabat. Venit igitur Pictauium, Baronti famulitio se addixit, equorum curam suscepit. *Opprobria, flagella, irrisiones sustinebat patienter. Obedientiam, charitatem & fraternitatem in omnibus exhibebat fideliter.* Erga viduas & pauperes, quibus alimenta vestimentáque non raró distribuebat, singulari prorsus fuit benignitate, quamuis ab hero, quòd ita se gereret, sæpiùs increparetur.

XXXIX. Baronto & Vincentiano coætaneus extitit Rusticus Lemouicensis Episcopus, cuius mentio non semel fit in eadem sancti Vincentiani vita. *Barontus filiam suam, Sensam nomine, Meneleo filio Amanulphi desponsauit, cumque dies nuptiarum aduenisset, Meneleus coniugium pro Deo respuens partibus Aruernicis cum duobus domesticis pergens super fluuium Seulo eremum concupiuit. Posteà namque Sensa amore spirituali succensa ipsum est subsecuta. Hæc autem Barontus audiens contristatus est valdè, & præcepit omnem familiam suam & equos simul in Exandonense territorio regredi, ipse verò cum Vincentiano & nobiliores domesticos assumens itinere arrepto ad ipsum peruenit locum, in quo vir Dei Meneleus in sua morabatur simplicitate. Cùm autem ad eum aduenisset, cupiebat eum reuocare & dicebat. Menelee, cur tuam abnegas nobilitatem & progeniem, patrem tuum & matrem respuis? Surge & mecum reuertere, & ego dabo tibi quicquid in facultatibus habeo optimum, & accipe filiam meam vxorem. Et ille dixit. Genitorem meum & genitricem minimè abnego, facultates autem vestras omnimodis respuo. Hæc autem Barontus audiens nimiùm efficitur tristis, manu enim extensâ voluit illum apprehendere & secum deducere. Nutu autem Dei actum est, vt manus cum brachio rigesceret, cum qua eum tenere volebat. Cernens itaque hoc Vincentianus contristatus est valdè, & assumens secum Sauinianum Presbyterum & Meneleum rogare cœpit, vt pro Domino suo preces funderent, vt sanitatem recipere mereretur, quam in membris perdiderat, omnes enim intereà simul prostrati deposcebant à Deo veniam largiendam. Oratione verò completâ mox Barontus efficitur sanus. Tunc autem Barontus obtulit ei munera, virtute Dei compertâ, aurum, argentum, vestes & equos, villas quas ad nuptias filiæ suæ secum contulerat, quæ in desponsalibus iam conscribere iusserat, ipse verò diluculò consurgens Sauinianum secum habens itinere cœpto regressus Exandonense in Auolca curte & tunc super ripam Viseræ fluminis Ecclesiam ædificare iussit, misítque Genesium Sacerdotem ad Episcopum Lemouicensem Rusticum nomine, vt ex sua parte illum rogaret, vt reliquias ei ex authoritate Episcopali dirigeret, qualiter locus suprà dictus vel ipsa Ecclesia in honore ipsarum reliquiarum dedicanda foret. Iterum ex Auolca exiliens Lintiniaco curte perueniens omnem familiam suam, sicut ipse constituerat, ita inuenit. Vir autem Dei Vincentianus ad ministerium suum quod habebat pergens, equos sanos & saluos inueniens, & omnes seruientes incolumes, & iumenta eorum salua, & omnia qua ibidem dimiserat, omnes in vnum gaudentes maiores minoresque reuersi sunt ad Barontum. Cúmque Barontus ac familia domûs omnes læti atque hilares essent, & festum ducerent diem, ecce Genesius Presbyter Lintiniaco villâ, vbi Barontus erat, veniens obtulit ei reliquias, dicens. Domine, ecce reliquias & pignora quas Rusticus Episcopus per me tibi direxit, vide vt sint omnimodis sub signaculo dirigentis conseruata ac repositæ, quia valdè sunt gloriosæ. Barontus autem acceptis reliquiis in manibus suis commendauit eas Vincentiano, præcepit-*

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

que ei, vt eas Saniniano Sacerdoti deferret, & in templo, quod tunc ædificabatur, super ripam Viseris in loco Auolca complantare faceret. Vincentianus itaque magno repletus gaudio pignora accepit, & Saniniano detulit in templo quod ipse faciebat, dixítque ei. Sacerdos Dei Saniniane, accipe reliquias quas Dominus Episcopus per Genesium Presbyterum Domino meo Baronto transmisit, & in isto loco mittere eas procures. Sanninianus autem acceptis reliquiis sub cuius nomine essent nullatenus interrogauit, sed in opere quod faciebat in ipso perseuerauit.

XL. Rustici Lemouicensis Episcopi mentio fit iterum in exequiis Vincentiani, necnon in Ecclesiæ dedicatione post octo menses facta. Barontus ægro prorsus animo ferebat, quòd Vincentianus alimenta sua vestimentáque continuò pauperibus elargiretur. Illi suadere conatus est vt vxorem duceret, existimabat enim prælaudata pietatis exercitia viro coniugato rémque domesticam curanti minimè conuenire. *Consilio inito*, inquit Herimbertus, *volebat ei vxorem in coniugio copulare. Tunc iussit vnam de puellis suis domi prouenire, & manu tenens dicebat ei. Accipe coniugem tibi similem. At ille renuens noluit eam tangere. Tunc iratus furore tyrannus ille iussit illum virgis torqueri, cúmque eum torquentes virgis caderent, vxorem ei sociare non poterant. Ait illis Barontus, cadite eum ac flagellate & vsque ad internecionem deducite, & hunc iussit vt nocte illâ maneret in custodia. Mane autem surgens Barontus vocauit eum ad se, & dixit ei. Accipe puellam istam, Vincentiane, & esto magister super famulos meos & equos, & tribuam vobis quicquid necessarium fuerit. At ipse ait. Viuit Dominus Deus æternus, quia coniugem nunquam accipiam. Iratus itaque Barontus ac furore repletus baculo quem tenebat manu eum percussit, & iussit vsque in crastinum custodiâ mancipari. Ille vtique de nocte surgens ad eremum perrexit. Mane autem facto per diuersa loca ibat. Tunc inuenit eum quidam vir Ambrosius nomine, & interrogauit eum. Quid est, Vincentiane? vnde venis, aut quò vadis? At ille dixit. Ego à facie domini mei fugio ex Pictauensi territorio, dominus meus Barontus vult me sociare coniugi, ego autem illam accipere nolui, ille me flagellis & diuersis pœnis afflixit, ideo à facie ipsius effugio. Et Ambrosius dixit. Quid vis agere? Cui Vincentianus. Oportere enim æstimo vitam finire quam coniugio sociari carnali. Ait Ambrosius. Perge, inquit, mecum. Perrexerunt itaque ambo simul in eremo, & peruenerunt super ripam Vigennæ fluminis, ac ibi morati sunt per dies aliquot. Diebus autem paucis inibi transactis Ambrosius reuertens ex eremo Vincentianum in ieiuniis & vigiliis permanentem in saltu dereliquit. Dæmon milleformis ac tergiuersator Barontum nimiâ commouit calliditate, vt Vincentianum in sylua perquireret. Tunc Ambrosius Caturcorum ciuitatem petens obiit ibi, & vitam temporalem finiuit. At Vincentianus opus, quod cœperat, fideliter tenebat, cúmque sopore detentus obdormisset, vocauit eum Angelus Domini, dixítque ei. Vincentiane, scito quoniam crastinâ die Barontus veniet reuocare te volens, noli ergo metuere, confortare, viriliter age, ego enim sum tecum, vt eruam te ab eo. Notum sit etiam tibi quoniam dies obitûs tui in proximo erit, esto paratus ac vigilans, migraturus enim eris citò ad Christum. Surrexit etiam Barontus maturè consurgens ex Ruffiaco villa cum venatoribus & canibus suis ad supradictam perrexit eremum, venatione cœptâ ad ipsum peruenerunt locum, vbi vir Dei morabatur rogitans Deum. At cùm ad eum venissent canes, eius vestigia lingentes caudis agitantibus gauisi sunt vt poterant. Nam vnus ex venatoribus, qui primus aduenit, habens in manu hastam extendit manum vt eum teneret, & volebat eum ad dominum suum adducere, & dicebat ei. Fera pessima, cur cum bestiis habitare cupis? vade ad dominum tuum & reuertere cum eo. At ille cùm eum per vim vrgeret, vt ad suum seniorem adduceret, hasta de pugillo eius cecidit, & brachium eius rigidum permansit, vt nec sursum nec deorsum omnino declinare valeret. Cernens Barontus ea quæ acciderant, nimio pauore perterritus ad pedes viri Dei se strauit, deprecans eum, vt seruus eius sanitatem recipere mereretur. Beatus ergo Vincentianus erigens illum dixit. Domine non possum quicquam facere, nisi quod concessum fuerit à Christo meo, tamen mecum perseueret vsque in diem sepulturæ meæ, & ego impetrabo & rogabo Dominum pro illius sanitate.*

Barontus & Vincenrianus viæ simul se dederunt. *Cùm autem propinquarent* AN.CH.
Russiaco villâ, vnde Barontus egressus fuerat, omnes serui ac familia domûs eius 667.
præstolabantur aduentum illius. Factum est autem in ipsa nocte cùm sopore pressus CLOTAR.
vir Dei obdormîsset, vocauit eum Angelus Domini dicens ad eum. Vincentiane serue III. R.12.
Dei, opera tua & orationes tuæ ascenderunt in memoriam ante Deum, & ecce septi- CHILD.
mâ feriâ, horâ ipsius diei octauâ migrabis ad Dominum. Eodem tempore Rusticus II. R.8.
Episcopus Pontificatum obtinebat Lemouicæ ciuitatis, & Angelo nunciante illo in lo- XLI.
co cum suis occurrit festinanter admonitus, horâ autem diei octauâ beatissimus Vin-
centianus audiuit vocem vocantem se & dicentem. Egredere, vir Dei, veni ad con-
uiuium fratrum tuorum, vbi vocatus es. Hac audiens vir beatus gaudio magno re-
pletus dixit. Domine, fiat voluntas tua. Tunc cœpit viribus corporis repentè destitui,
& ad obitum mortis mox propinquari, statímque vt venerabilis Episcopus Rusticus
aduenit, Eucharistiam Corporis ac Sanguinis Domini nostri Iesu Christi ei tradidit.
Quo accepto, Omnipotenti Deo gratias agens dixit. In manus tuas Domine commen-
do spiritum meum, & cùm hæc dixisset, statim spiritum exhalauit. Quo viso vir Dei OBITVS,
officium, sicut mos est Clericorum, cum suis Clericis, qui ibi cum eo erant, pro eius
exitu decantare fecit. Obiit namque 4. Non. Ian. in pace.

Sequenti die, seu proximo die Dominico, Sauinianus Presbyter Rusticum XLII.
Episcopum conuenit. Qua de re sic idem Auctor. *Beatus Sauinianus Sacerdos,*
dum laudibus & Hymnis expletis Dominico die, summo mane, in suo se collocasset
lectulo, vidit in visione Angelum Dei vocantem se & dicentem. Sauiniane post Mis-
sarum solemnia expleta perge ad Rosiacum villam, quæ est Lemouicis partibus sita, &
illic inuenies corpusculum beati Vincentiani, ac in isto loco sepulturam facito ei præ-
parari. Visione admonitus Angelicâ, vt dictum est, fecit hæc omnia, nam Missâ ce-
lebratâ iussit locum mundari, & tumulum fabricari, & arrepto itinere peruenit ad
corpus. Rusticus vir Dei Episcopus ibi substitit cum suis Clericis, videns verò eum
Pontifex interrogauit, dicens. Quò pergis Sauiniane? Et Sauinianus. Domine,
transactâ nocte, expletis Dei laudibus, ac requiescens in lectulo audiui vocem di-
centem mihi de cælo. Sauiniane, surge citò, & postquàm expleueris Missarum so-
lemnia, iter age, & vsque Rosiaco villa quantocyùs propera, & corpus beati Vin-
centiani illic reperies, & in isto loco tumulus ei fabricetur, quoniam à Deo est illi
condonata sacratissima domus. Et Pontifex. Si à Deo est electus, ipse locus perma-
neat, ita vt iubet Dominus. Sauinianus ergo in domo ingrediens vbi Barontus ma-
nebat, omnia narrauit quæ ei acciderant. At Barontus hæc audiens perrexit ad cor-
pus viri sancti, & Episcopum poscebat, & Sauinianum rogabat, vt pro seruo suo pre-
ces ad Dominum & ad sanctum Dei virum funderent, vt sanitatem recipere mere-
retur, dixerúntque illi. Eat nobiscum vsque ad locum sepulchri, & sic permansit.

Officio completo parauerunt feretrum, & non præualuerunt eum mouere. Super XLIII.
equos ponebatur, minimè poterant eum subleuare. Cúmque cerneret hæc Episcopus,
ait Sauiniano. Frater non vobis, vt video, debetur, sed nobis, & in isto loco quies-
cere debet. Ait ergo Sauinianus. Domine, expecta paulisper, & vide. Tunc Sacer-
dos Sauinianus non immemor mirabilium Domini, quæ olim patribus antiquis osten-
dit, quando viri Philistæi oppugnando Israelitas ceperunt arcam Dei, vt narrat Re-
gum Historia, & posuerunt eam in plaustro nouo, & vaccas, quæ fœta erant, iun-
xerunt ad plaustrum, vt irent ad terram Israelitarum, & ibant vaccæ per viam, non
declinabant à dextris neque à sinistris, ita & iste similiter fecit, nam iunctis bubus
misit ad plaustrum, Herimbertus autem Leuita & Sauinianus vir Dei eleuauerunt
eum in plaustro, & ibant boues in directum cum plaustro sine rectore in via. Rusti-
cus ergo vir sanctus & Sauinianus cum Clero vnà cum Psalmis & Hymnis antecede-
bant corpus, Barontus autem & reliquum vulgus pedestres sequebantur vsque in ere-
mo, qui vocatur Celomus. Erat enim iam hora quando prandere deberent. Tunc ait
Sauinianus. Pater, quiescere debemus modò & cibum sumere nos & fratres nostri,
ne fortè grauemur in via. At ille. Frater, fiat vt vis. Cùm autem epularentur &
boues pascerentur in eremo, exiliens vrsus de condensa syluarum ac veprium occidit
& deuorauit vnum bouem ex illis. Tunc custos currens nunciauit Pontifici & Saui-

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

niano. At verò Pontifex dixit. Frater Sauiniane, surge, inquire eum, & cùm inueneris perduc ad nos. At vir memoratus à loco conuiuy surgens vrsum reperit, & ait ei. In nomine Iesu Christi & Sancti Vincentiani præcipio tibi, vt exeas inde, & venias ad nos, & seruitium, quod bos debuit exhibere quem occidisti, tu ipse facias, velis nolis. Quod ita fecit. Tunc vrsus venit cum eo ad plaustrum, & cum alio boue loris astrictus ad plaustrum est sine mora applicatus. In sua autem obedientia perdurantes vsque in locum sepulturæ venerunt, trahentes currum cum corpore viri Dei Vincentiani. Vniuersi autem viri ac sexus vtriusque populi multitudo magna currebant videre ista magnalia. Obedientiâ peractâ dabat Episcopus licentiam redeundi, & dicebat. Vide post hodiernum diem neminem ladas. Ipse autem cœpit pedes eius lingere, & sic est reuersus in saltum vnde venerat.

XLIV. SEPVLTVRA. De sancti Vincentiani sepultura sic idem Herimbertus. *Vir Dei Rusticus Episcopus necnon & Sauinianus cum ceteris Sacerdotibus deponentes eum de plaustro manibus propriis gestantes & in humeris portantes in templo posuerunt cum gaudio lætantes. Sauinianus ergo de reliquiis, quas ei beatus Christicola Vincentianus attulerat memoratus, quoniam non interrogauerat, cuius nomine essent, vel cuius virtute, veniens illic lacrymabili voce clamauit, dicens. Vincentiane Sancte, ô Sancte Vincentiane, obsecro, indica mihi cuius nomine sunt reliquiæ quas tradidisti mihi. Tunc vox cunctis audientibus facta est, dicens. Sanctæ Dei Genitricis Mariæ pignora sunt & virtutes nimiùm excellentissimæ. Audientes hæc flebant præ gaudio. Tumulo verò perfecto atque sepulchro parato posuerunt eum illic summa cum diligentia secus altare contra Aquilonarem plagam super littore ac ripa fluuij Visera* *.

* *La Visere.*

XLV. MIRACVLA. Sequuntur varia miracula. *Multi infirmitate & languore oppressi illic venerunt, & à languoribus, quibus tenebantur, sanitate receptâ reuertebantur ad propria. Post hæc autem Pontifex dictus ac Sacerdos Sauinianus ante sepulchrum se prosternentes & in pauimento iacentes orationem fuderunt, vt ille homo superiùs memoratus à Deo redderetur sanus, qui manum cum hasta in eremo contra virum Dei tenuerat Vincentianum. Oratione enim completâ manus cum brachio, quæ antè fuerat per omnia inutilis, mox redditur acceptâ sanitate pristini vigoris. Hæc audiens Barontus nimiùm efficitur lætus, operas vel expensas dedit, vt domus imperfecta ad perfectum duceretur. Agros tradidit & vineas, seruos & ancillas, sicut in testamento loquitur, quod ipse conscribere fecit vel manibus propriis roborauit.*

XLVI. ECCLESIÆ DEDICATIO. Denique apud eundem Auctorem eodémque quo sanctus Vincentianus obiit anno ponitur dedicatio Ecclesiæ in qua sepultus fuit. *Post obitum viri Dei Vincentiani, 8. mensibus iam transactis*, id est, octauo pòst mense, 15. *scilicet Kal. Sept. sub Rege Clothario, 15. anno* (lege 13. *anno*) *venit Episcopus venerabilis Rusticus cum multitudine Sacerdotum vel ceterorum turba populorum in Exandonensem pagum ad locum, qui vocatur Auolca, situm super fluuium Vesera, & dedicauit ibi Ecclesiam in honore Sanctæ Dei genitricis Mariæ, cuius reliquiæ illic sunt allatæ vel repositæ, necnon & Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum.*

XLVII. In illa sancti Vincentiani vita, quam Herimbertus spatio annorum quadraginta circumscripsit, quatuor occurrunt Characteres Chronologici, de quibus sigillatim hîc agendum.

XLVIII. Primus petitur à Præsulatu Desiderij Cadurcensis Episcopi. Sedit in Cadurcensi Cathedra Desiderius ab anno Christi sexcentesimo vndetricesimo ad annum vsque Christi sexcentesimum vndequinquagesimum. Vincentianus, cuius ortus in annum Christi sexcentesimum vicesimum-septimum incidit, Cadurcum proficisci potuit cum Beraldo Duce natus annos tunc decem, nec quidquam prohibet quominùs ad obitum vsque Beraldi Ducis in Episcopi Desiderij comitatu remanserit.

XLIX. EPISCOPI LEMOVICENSES. Secundus Character desumitur ab Episcopatu Rustici Lemouicensis Antistitis, quem Nomenclatores in suis catalogis hactenus omiserunt. Post Felicem, qui Paternum Abbatem ad Synodum Cabilonensem anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto direxit, à Bernardo Guidonis Episcopo Lodouensi in Nominibus ac Gestis * Lemouicensium Episcoporum, quæ Philippus Labbeus

* Capp. 2. 3 4.

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

beus Tomo secundo Bibliothecæ manuscriptorum librorum publicauit, recensentur *Adelphicius siue Adelphicus*, *Sanctus Lupus*, *Hertenobertus*, *Cæsarius*, *Roricius primus*, *Roricius alter eius ipsius nepos*, *Ermenardus*, *Simerius siue Eximerus*, *Salutaris*. In catalogo, quem Ioannes de Monte Doctor Theologus & Lemouicensis Ecclesiæ Canonicus Demochari transmisit, iidem eodem fermè ordine nominantur Episcopi; *Felix*; *Adelphius*, Bernardo Adelphicus & Adelphicius; *Sanctus Lupus temporibus Clotarij*; *Hertgenobertus*, Bernardo Hertenobertus; *Cæsarius*; *Roricius fundator Monasterij Sancti Augustini*; *Roricius Secundus*; *Exmemarius*, Bernardo Eximerus; *Ermenus*, Bernardo Ermenardus; *Salutaris*. Vt apud Democharem, sic & apud Chenutium occurrunt, *Felix*, *Adelphius*, *Lupus*, *Hertgenobertus*, *Cæsarius*, *Ruricius I. Ruricius II. Exmomarius*, *Ermenus*, *Salutaris*. Apud Robertum omisso Lupo, *Felix*, *Adelphius*, *Hertgenobertus*, *Cæsarius*, *Ruricius*, *Ruricius 2. Exmenarius*, *Ermenus*, *Salutaris*. Robertus Lupum, vt decebat, citiùs collocauit; vtrumque verò Ruricium superfluum censuit, retinuit tamen, ne Democharis numeros mutaret. *Hi duo*, inquit, *Ruricij videntur hoc loco superflui, ideóque delendi; cùm sint iidem qui superiùs Rustici dicuntur, sed numeros Demotharis mutare noluimus*. Meminerat anteà Robertus duorum Ruriciorum, quos obseruarat appellari quoque Roricios, & seniorem corruptè Rusticum dici, qui Monasterium sancti Augustini extra muros Lemouicenses prope Vigennam fluuium fundauit. Vtriusque Ruricij mentionem fecimus Tomo primo; senior enim florebat cùm Clodoueus Magnus Aquitaniam subegit; iunior verò Synodos, Aruernensem primam anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, Aurelianensem quartam anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo suâ subscriptione communiuit, & Exochium siue Exotium in Episcopatu antecessit. Ambo Ruricij à Bernardo Guidonis in Gestis [a] Lemouicensium Episcoporum Rustici nuncupantur. *Rusticus*, *Rusticus alter*, *Exochius*. Seniorem Ruricium Demochares *Rusticum*, *Ruricium* & *Roricium* promiscuè appellauit. Idem præstitit Robertus. Vtrumque Ruricium Chenutius *Rusticum* dixit. In Gallia Christiana Sammarthanorum, vterque Ruricius Exotio præponitur, & Felicem, *cuius vice Paternus Abbas adfuit Concilio Cabilonico*, sequuntur, *Adelphius*, *Hertgenobertus*, *Cæsarius*, *Ermenarius siue Ermenus*, *Salutaris*. Ignotus tot Auctoribus fuit Rusticus, qui regnante Clotario Tertio Pontificatum gessit, & Ecclesiam in honorem beatissimæ Virginis, anno eiusdem Clotarij Regis decimo-tertio iam inchoato, siue anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo, dedicauit. Locus ei post Adelphium Felicis successorem proximè restituendus, nec audiendi Bernardus Guidonis, Demochares & Chenutius, qui Lupum Adelphio sufficiunt. *Sanctus Lupus*, vt Bernardus Guidonis testatur [b], *diuinitus à Clotario Francorum Rege (de duobus enim erat altercatio) electus fuit*. Rectè Robertus & Sammarthani Clotarium Secundum interpretantur, qui Chilperico patri successit anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto, Regnúmque tenuit ad annum vsque Christi duodetricesimum supra sexcentesimum. Irrepsit error in textum Bernardi Guidonis, vbi *corpus* beati Lupi *à proprio eleuatum tumulo positum* dicitur *in Ecclesia S. Michaelis de Leonibus anno Domini* 358. Et illo loci Philippus Labbeus malè notauit *legendum* 558. *aut quid simile*, ratus non Clotario Secundo sed eius auo Clotario Primo coætaneum fuisse sanctum Lupum, qui Pontificatum suscepit anno Christi sexcentesimo decimo-quarto cùm Clotarius Secundus vniuersæ Franciæ dominabatur, eidémque Clotario Secundo superstes vixit, vt patet ex iis quæ Tomo superiore ad annos Christi sexcentesimum tricesimum-primum [c] & sexcentesimum tricesimum-secundum [d] narrauimus. Sic igitur enumerandi sunt, qui Lemouicensem Ecclesiam seculo septimo gubernarunt Episcopi; *Asclepeus siue Asclepiodorus*, qui migrauit ad Deum nono Kalendas Ianuarias, anno Christi sexcentesimo decimo-tertio; *Lupus*, qui consecratus est Episcopus quarto Idus Maias anno Christi sexcentesimo decimo-quarto, viuebatque adhuc anno Christi sexcentesimo tricesimo-secundo; *Simplicius*, cuius

a Cap. 2.

b Cap. 2.

c Num. 19.

d Num. 10.

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

meminit Audoenus in vita Sancti Eligij; *Felix*, qui Præsulatum priùs iniit, quàm Eligius Nouiomensis Episcopus ordinaretur, vt ex eadem Sancti Eligij vita constat, id est, ante annum Christi sexcentesimum quadragesimum, superstésque erat in viuis anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, cùm Cabilonense Concilium regnante Clodoueo Secundo celebratum est; *Adelphius*, quem Nomenclatores omnes Felici proximè subrogant; *Rusticus*, qui non semel laudatus reperitur in vita Sancti Vincentiani, eiúsque exequias mense Ianuario curauit, & octauo pòst mense, Basilicam in honorem beatissimæ Virginis dedicauit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo, regnante tunc Clotario Tertio; *Hertgenobertus* & *Cæsarius*, quorum sola hodie supersunt nomina.

L. Tertius Character eruitur à Principatu Clotarij Regis. Hic Clotarius, quia Sancto Vincentiano superstes vixit, alius à Clotario Tertio censeri non debet. Nam Sanctus Vincentianus, cùm decem duntaxat annorum esset, oblatus est Sancto Desiderio tunc Episcopo Cadurcensi. Sanctus autem Desiderius ad Cadurcensem Episcopatum promotus est anno Christi sexcentesimo vndetricesimo, cùm Dagobertus, Clotarij Secundi filius, auus Clotarij Tertij, Monarchiâ Francorum potiebatur. Clotarius Tertius post Clodoueum Secundum patrem regnare cœpit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto, cúmque annum Regni decimum-quartum adhuc ageret è vita discessit anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo. Quapropter expuncto illius Regis anno 15. qui legebatur in exemplari, restituimus 13. húncque intellige inchoatum, itaut mensi Augusto anni post Christum natum sexcentesimi sexagesimi-septimi respondeat. Simili modo, quod 8. *mensibus* ab obitu Sancti Vincentiani, siue à quarto Nonas Ianuarij, *iam transactis*, 15. *scilicet Kal. Sept.* peractum asseritur, id octauo post illam mortem mense, seu mense Augusto, factum liquet.

LI. Quartus Character ducitur à die quo Sanctus Vincentianus tum quadragenarius ad Deum migrauit. Erat enim feria septima seu Sabbatum, diésque quartus ante Nonas Ianuarij, cui diei præfigitur in Kalendario litera B, itaut annus, quo Sanctus Vincentianus cælo transmissus est, litera Dominicali C præditus extiterit. Toto tempore, quo Clotarius III. regnauit, dies quartus ante Nonas Ianuarij ter tantùm in Sabbatum incidit, anno scilicet Christi sexcentesimo quinquagesimo-sexto, iterum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, denique anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo. S. Vincentianus obiit post annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-sextum, puer enim annorum duntaxat decem erat, cùm oblatus est Desiderio Cadurcensi tunc Episcopo, cui Pontificales infulas ante annum Christi sexcentesimum vndetricesimum delatas nusquam probabis. Necesse fuit igitur vt mortem Sancti Vincentiani, vel anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, vel hoc anno, Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo, consignaremus. Placuit posterior opinio, quia numerus 13. quo Clotarij Regis annus indicabatur, cùm facta est Ecclesiæ dedicatio, amanuensis errore in 15. facilè abire potuit, nec eadem suspicio cadit in numerum 7. in notis enim numeralibus quibus componuntur multò minùs inter se differunt 13. & 15. quàm 7. & 15.

LII. Miraculum, quod Herimbertus in exequiis Sancti Vincentiani prolixiùs enarrauit, Gaufredus Prior Monasterij Vosiensis capite decimo-quinto suorum Chronicorum, quod *de Sanctis in Episcopatu* Lemouicensi *præclarioribus* inscribitur, sic perstrinxit. *In Exandonensi territorio ostenditur sarcophagus Sancti Vincentiani, ad cuius corpus transferendum versus cum boue se sponte ligandum inclinauit.* Idem Gaufredus capite duodetricesimo locutus est etiam *de Vico Sancti Vincentiani, qui est prope Viseram fluuium.* Hunc vicum Sancti Vincentiani nuperus Scriptor *, alioquin eruditus, oscitanter *ad Vigennam* collocauit. Visera enim & Vigenna fluuij sunt adeò diuersi, vt Visera Dotononiæ à dextra, Vigenna * Ligeri à sinistra misceatur.

* Phil. Labbeus in indice Tom. 2. Biblioth.

* La Vienne.

LIII. Vosium * insigne Monasterium, vbi Gaufredus diu degit, in Episcopatu Le-

* Vigeois.

AN. CH. 667. CLOTAR. III. R. 12. CHILD. II. R. 8.

mouicensi floruit à temporibus Aredij * Athanensis Abbatis, cuius obitum anno Christi quingentesimo nonagesimo-primo [a] retulimus Auctore Gregorio Turonensi [b]. Sic enim scribit Gaufredus in suis Chronicis [c]: *Michaelis Archangeli Ecclesia sublimatur corpore Iocundi Principis genitoris almi Aredij, quæ quondam Abbatia extitit, quam ipse Aredius nepoti suo Abbati Vosiensi Astidio, vnà cum Abbatia de Terrasson, quam rogatu beati Sori eidem Monasterio Sancti Michaelis subiugauerat, subiecit.* Hic textus apud Sammarthanos [d], qui solo Henrici Iustelli autographo vsi sunt, legitur valdè deprauatus & absque vllo sensu, emendatus est à Philippo Labbeo [e], qui Iustellanum autographum cum tribus aliis contulit. Astidius igitur tribus Monasteriis præfuit, Vosiensi, Sancti Michaelis Lemouicis, & Terrassonensi, quod hodie ad Diœcesim Sarlatensem pertinet. Lege quæ Tomis superioribus [f] de Sancto Soro eiúsque socio Sancto Amando dicta sunt. Ceterùm iste Astidius in Genealogia Sancti Aredij, quam ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum repræsentabimus, nepos ipsius Aredij ex sorore Constantia prædicatur, auunculúsque Karissimæ, de qua fusiùs ad illum annum loquemur aliâ occasione.

* *Trier.*
[a] Num. 6.
[b] L. 10. c. 29.
[c] Cap. 15.
VOSIVM MON.
[d] Tom. 4. Gall. Christ. in Vosio Mon.
[e] Tom. 2. Biblioth.
[f] An. 542. n. 2. an. 564. n. 44.

---

668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

ANNVS
CHRISTI 668.
CLOTARII III. R. 13.
CHILDERICI II. R. 9.

I. ANNO *Dominicæ Incarnationis 668. sub die 7. Kolendarum Aprilium Dominica* Theodorus ordinatus est Episcopus à Vitaliano Papa, & vnà cum Adriano Abbate missus est in Britanniam teste [g] Beda. In Historia Christiana veterum Patrum, quæ Parisiis anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo-tertio prodiit, perperam legitur annus 666. nam septimus dies ante Kalendas Aprilis notatur literâ A, & bisextilis annus Christi sexcentesimus sexagesimus octauus eâdem literâ Dominicali A præditus fuit post intercalationem bisexti, annus verò sexcentesimus sexagesimus-sextus literam Dominicalem habuit D, quæ diei VII. ante Kal. Apriles nullatenus conuenit. *Peruenit Theodorus*, vt Beda [h] subiungit, *ad Ecclesiam suam secundo postquàm consecratus est anno, sub die sexto Kalendarum Iuniarum Dominica, & anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus ex quo Britanniam venit Theodorus, Oswi Rex Nordanhumbrorum pressus est infirmitate.* Hos Bedæ textus malè interpretatus est Laurentius *de la Barre*, qui prædictam veterum Patrum Historiam collegit, in eâque Bedam edidit cum mendo suprà notato. Quadriennium enim existimauit ab ordinatione Theodori vsque ad morbum Oswi Regis effluxisse, quia Theodorus anno secundo suæ ordinationis ad Ecclesiam suam peruenit, & anno pòst secundo Rex prænominatus ægrotare cœpit. Sed ex præcitati Bedæ sententia biennium duntaxat cum aliquot mensibus ab ordinatione Theodori vsque ad morbum Oswi Regis intercessit. Theodorus enim sexto Kalendas Iunij peruenit ad Ecclesiam suam secundo postquàm consecratus est anno, id est, postquàm vnus annus duoque menses & dies vnus ab ordinationis die prætериissent, & anno pòst secundo, id est, anno sequenti cùm dies sextus ante Kalendas Iunij iam lapsus esset, Oswi Rex Nordanhumbrorum in morbum incidit. Ceterùm Theodori Episcopi & Adriani Abbatis iter in Britanniam per Franciam ita describit Beda [i]. *Cùm pariter per mare ad Massiliam, & deinde per terram Arelatem peruenissent, & tradidissent Ioanni Archiepiscopo ciuitatis illius scripta commendatitia Vitaliani Pontificis, retenti sunt ab eo, quousque*

THEODORVS EP. ROMÆ ITER SVSCIPIT IN BRITANNIAM.
[g] L. 4. c. 1.
[h] L. 4. cc. 2. 5.
[i] L. 4. c. 1.
ARELATE

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

Ebroinus Maior Domûs Regia copiam pergendi quoquò vellent tribuit eis. Quâ acceptâ Theodorus profectus est ad Agilbertum Parisiorum Episcopum, & ab eo benignè susceptus & multo tempore habitus est. Adrianus verò perrexit ad Emmonem Senonum & posteà ad Faronem Meldorum Episcopos, & benè cum eis diutiùs fuit. Coegerat enim eos imminens hyems, vt vbicumque potuissent, quieti manerent. Agilbertus sanis consiliis iuuare potuit, vtpote qui diu Pontificatum in Hybernia & in Britannia gesserat.

PARISIIS.

ALDVS FIT EPISCOPVS BITVRIC.

[a] Cap. 33.

II. Ado siue Aldus Pontificatum Bituricensem iniit mense Aprili; nam præter annos completos sedit sex mensibus, obiitque octauo Idus Octobris, vt in Patriarchio Bituricensi [a] testatur Monachus San-Sulpitianus.

LVPVS EP. CABILON. OBIT.

[b] D. 27. Ian.

[c] Hist. Cabil.

III. Ad hæc vltima Clotarij Regis tempora peruenit beatus Lupus Cabilonensis Episcopus, de cuius obitu sic Author editus à Bollando [b] ex Codice Iacobi Sirmondi & à Perryo [c] ex Legendario Ecclesiæ Cabilonensis. *Cùm beatissimus vir transitûs sui diem imminere sentiret, cognouit quòd reorum quidam carcerali custodia essent mancipati. Euocato itaque ad se Iudice ciuitatis, vt semper consueuerat, cœpit cum illo de misericordia conferre sermonem, vtque hos, quos inclusos retinebat, absolueret, piis precibus flagitauit. Quod ille impietatis spiritu retinente agere distulit. Sacratissimus autem Antistes per totum illud incommoditatis spatium, donec animam exhalauit, non cessauit aduentantibus ciuium ac filiorum turmis monita salutis impendere. Tandem cognoscens mortis sibi inesse articulum, præsidio Dominica Communionis muniens semetipsum, VI. Kalendarum Februarium die iturum ad calos efflauit spiritum*, quo die colitur Cabilone ritu duplici. *Corpus eius ex more compositum in Ecclesia beati Petri Apostoli, qua in suburbio eiusdem eminet ciuitatis, decernit tumulandum. Iam verò in crastinum enarrari non potest in obsequium sacri funeris quanta conuenerit multitudo. Interim dum effertur, aliis Psalmos intonantibus, aliis pra dolore fletum vbertim & planctum emittentibus, adeò vt tota clamore ciuitas impleretur, ventum est ad locum, in quo erat ergastulum damnatorum, vbi tanto beati corporis feretrum diuina virtus pondere pragrauauit, vt portitores vno in loco affixi tenerentur immobiles. Illi ergo, qui in custodia interficiendi seruabantur, vocem cum vlulatibus dantes, mox vt Sancti inuocant nomen, omnia carceris repagula abiiciuntur, ostiisque apertis reorum turba vinculis exonerata progreditur, atque obsecutores socia comitatur; ab omnibus manifestâ Dei virtute inspicitur cuius sit meriti qui portatur. Hæc iniquissimo statim comperta sunt Iudici, qui priorem impietatem nouâ accumulans temeritate, magna cum indignatione iurauit, quòd nullus per Lupum ex iis qui effugerant saluaretur. Conscendens protinus equum rapido cursu insequitur absolutos. Diuina mox vltio adfuit sauienti, conuersúsque est dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendit. Nam equo cui sedebat in praeceps ruente, allisâ ceruice indignam vitam dignâ morte finiuit. Intereà dum corpus ad præfatam Basilicam deferretur, illis qui custodiâ fuerant soluti cum cereis praeuntibus, proximo iam loco, vbi viarum scilicet interueniunt commeatus, subsistunt latores, vltrà progredi non valentes, donec ergastulo erepti à Clericis, qui aderant, balneis lauarentur, & acceptis vestibus abire permitterentur. Quocirca ob memoriam huius signi tanta erga Sanctissimum Confessorem reuerentia excreuit, vt si quis posteà per eosdem viarum transitus plaustra lignis onusta vrbi induceret, vnam ex eis portionem S. Lupo impertiretur. Quod se quoque vidisse multi ex Clero & populo publicâ pronuntiatione fatentur. Membra porrò illius superno fauore comitata Ecclesia inferuntur, in qua ad dextram altaris partem à Sacerdotibus & quibusque religiosis sepultura mandantur, vbi Dominica Maiestas diuersas efficit sanitatum medelas,* Sancto Lupo in Episcopatum successit Desideratus cognomento Dido, qui nominatur in vita sancti Leodegarij, Sedémque tenuit regnantibus in Burgundia Childerico & Theodorico Childerici fratre ac successore.

SVCCEDIT DESIDERATVS.

IV. Nicolaus Camuzatus in margine Historiæ Frodobertinæ, quam ex vetere membraneo Codice publicauit, ad morbum quo Frodobertus Insulæ Germanicæ prope Trecas primus Abbas extinctus est, breuem hanc notatiunculam

AN. CH. 668.

CLOTAR. III. R. 13.
CHILD. II. R. 9.

adiecit, *an. circiter* 700. Sed isti Chronologiæ duæ res repugnant ex eadem Historia deptomptæ. Nam *sub Rege Francorum Clodoueo Dagoberti filio, itémque Clotario iuniore eiusdem Clodouei filio, hic ipse Sacerdos pretiosus & Abbas eximius* Frodobertus *deprehenditur floruisse.* Clotarius autem anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo è viuis excessit. Deinde Frodobertus morti proximus Leonem & Lupellum *ad Abbonem virum reuerentissimum, tunc vrbis* Trecensis *Antistitem summâ celeritate direxit.* Abboni autem in Episcopatum Trecensem successit Waymerus seu Wammirus, qui nominatur in vita sancti Leodegarij, desiitque viuere anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo. Morbus igitur, quo Frodobertus interiit, vltra hunc annum, Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum, & dies obitûs vltra proximas Kalendas Ianuarias differri non possunt. *Ægritudine inualescente* Frodobertus *discipulos conuocat, eísque quam ex diuina reuelatione perceperat, sui diem transitûs declarat. Cúmque grex mitissimus de vigilantissimi Pastoris decessu simul & absentia tristaretur, altiùs exhortationis sermone concepto omnes compescit à fletibus, congratulandum sibi potiùs quàm dolendum affirmans, quòd qui hactenus exul vixerat, nunc patriæ redditus ad sui Regis conuiuium vocaretur. Illud vel maximè sæpè contestans vt normam sanctæ institutionis, quam ipso & docente didicerant & operante conspexerant, inuiolabili tenore vsque ad vitæ terminum conseruarent. Interea dies Dominicæ Natiuitatis cælo terrâque festiuissimus ac toto orbe colendus illuxerat. Accitis itaque duobus nominatim discipulis Leone scilicet viro sanctissimo, qui tum in eodem suburbio Abbas mitissimus existebat, itémque Lupello qui vitæ & conuersationis eius insignia, vt ipsius scripto declaratum est, licèt iusto breuiùs litteris illigauit, ad Abbonem virum reuerentissimum eiusdem tunc vrbis* Trecensis *Antistitem summâ eos celeritate direxit, obnixiùs supplicans vt Oratorium quod ipse honori Apostolorum Principis in superiùs descripta palude construxerat, die ortûs Dominici consecraret. Creuerat siquidem opitulante Deo Monachorum Congregatio, & maiorem quàm prima fuerat alteram construxit Ecclesiam. Quâ Pontifex supplicatione perceptâ atque apud se rationabiliter expenso negotio prudenti moderatione excusauit, factum asserens illud die quâ petebatur minimè posse compleri, quòd eum cum Clero suo & festiuitatis officiositas cumulatiùs occuparet, & consuetudo Ecclesiastica eo die id fieri nullo modo consentiret. Discipuli festinantiùs remeantes sancto Patri responsa Pontificis detulerunt, quod ille pertractans diligentiùs & rationabile esse perpendens eleuatis manibus in cælum & lachrymis ora perfusus; parcat, inquit, mihi Dominus, vósque, fily, indulgete, quòd minùs circumspectè negotium cogitans fraternitatem vestram in eundo & redeundo casso labore compulerim. Ne tamen sancta mens suis vsquequaque desideriis frustraretur, diuinâ est pietate consultum. Siquidem sacri obitûs dilatione perceptâ in octauum Dominicæ Natiuitatis diem spatium vitæ produxit, ita Domino vota eius sanctissima prosequente, vt vnâ eadémque die, per manus iamdicti Pontificis, & Basilicæ consecrationem, & gleba sacri eius corporis acciperet sepulturam. Itaque cùm iuxta morem Christianæ obseruantiæ Calendis Ianuariis Dominicæ Circumcisionis celebritas immineret, ad felicem transitum vrgente ægritudine sancta anima citabatur, nec sic tamen à sanctis monitis lingua officium continebat, assistentes sibi discipulos indefessus exhortans, quatenus inter se insolubile charitatis vinculum custodirent, atque in exhibitione salutaris obedientiæ persistentes, timorem Dei semper sibi ante oculos reuocarent. Iámque Sole ad telluris infima declinante, præfatum Lupellum, qui ei familiariùs obsequi consueuerat, maturiùs præcepit euocari. Eo coràm adducto, vt sacrum Euangelium ante se legeret imperauit. Ille autem dolore capitis acriùs torquebatur. Cúmque vt ipse postmodum retulit, ad parendum sanctis imperiis quamuis ægrè animum appulisset, in ipso mox legendi exordio, ita vniuersus dolor abscessit, vt nil doloris pristini, nil molestiæ resideret. Intereà per totius noctis excursum, Deo semper intentus, cùm inter spiritualia colloquia hora succederet, expletâ solemniter à fratribus in Ecclesia Psalmodiæ & Orationum quantitate, vniuersos denuò iubet adesse discipulos, dúmque ante eum textus Passionis legeretur Dominicæ, sub oculis omnium sancta anima carnis exuta velamine, fælici decessu cælestia penetrauit,* Ka-

FRODOBERTVS ABBAS INSVLÆ GERMANICÆ ÆGROTAT.

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

lendis nempe Ianuariis, vt initio anni sequentis repetemus. Anonymus præcitatus meminit Circumcisionis Dominicæ, quia post annos ducentos & ampliùs ab obitu sancti Frodoberti floruit, eâque scripsit ætate quâ Circumcisio Dominica celebrabatur in Francia Kalendis Ianuariis, sed illa festiuitas cùm Frodobertus viuebat, quot annis recoli nondum consueuerat, tantam enim solemnitatem silentio nusquam prætermisisset beatus Eligius in sermone aduersùs eos, qui se Christianos profitebantur, & Kalendis Ianuariis scelestas superstitiones ac nefarios ritus paganorum turpiter obseruabant.

V. PRIVILEGIVM DRAVSII EP. SVESSIONENSIS PRO MONIALIBVS EXAMINATVR.

Inter probationes Historiæ Suessionensis, quam Melchior Reginaldus edidit, extat Drausij Suessionensis Episcopi Diploma datum *Augusta Suessionum, sexto Kalendas Iulij, anno decimo-quarto regni Clotarij gloriosissimi Regis*, id est, hoc anno quo Clotarius Rex annum decimum-tertium absoluit & decimum quartum inchoauit. Illud Drausij Diploma *Dominis sacris & Apostolicis fratribus Suessionensis ciuitatis comprouincialibus, Noviomi Episcopo, & Audeberto, Clementi, Berthefrido, Audomaro* dirigitur, hoc est, Mummoleno Nouiomensi, Audeberto Cameracensi, Clementi Bellouacensi, Berthefrido Ambianensi & Audomaro Morinensi, Præsulibus, qui tum florebant in Belgica secunda. Emittendi verò Diplomatis hæc ratio fuit. *Illuster vir Ebroinus Maiordomus Franciæ, eiúsque illustris Matrona Leutrudis, & eorum vnicus dilectus filius Bouo, sacro ordine succensi, intra Cœnobij septa Basilicas in honore Sanctæ Mariæ Genitricis Domini Iesu Christi & Sancti Petri & Sanctæ Genovefæ, vel ceterorum Sanctorum infra muros ciuitatis Suessionensis construxerunt, vbi puella virgines ac Deo sacrata relictâ pompâ seculi sub Regula beatissimorum Patrum ad laudes Christi die noctúque canendas sunt collocata.* Iussit autem Drausius, *vt infra Monasterium virgines castè debeant Domino militare secundùm votum Deum timentium, qui construxerunt Regulam Sancti Benedicti catenus, vt postquàm in ipso Monasterio introierint Domino militare, foras de ipso Monasterio exire licentiam non habeant, & ad modum Luxoniensis Monastery quod beatus Columbanus tenuit, Regulam ad profectum animarum earum studeant in omnibus custodire.* Locus hic corruptus est procul dubio, nec facilè corrigi potest. Sensus tamen is videtur fuisse. Constructum est ab Ebroino eiúsque coniuge ac filio Monasterium puellarum extra muros Suessionenses, vt ante septennium obseruauimus, iussitque hoc anno Drausius Episcopus, vt Moniales quæ hactenus ibi *sub Regula beatissimorum Patrum*, id est, sub Regula ex scriptis variorum Patrum collecta vixerant, inposterùm Regulam Sancti Columbani custodirent. Dicet fortè quispiam inter Sanctimonialium Regulas nullam reperiri, quæ perhibeatur à Sancto Columbano præscripta. Fatemur nullam à nobis visam. Viguit tamen in plerisque puellarum Monasteriis quædam Sancti Columbani Regula. Testis Ionas in actis Sancti Eustasij & Sanctæ Burgundoforæ. Vitam enim beatæ Faræ seu Burgundoforæ sic auspicatur. *Beata Burgundofora Monasterium, quod Enoriacas appellatur, cui ipsa venerabiliter præerat, omni intentione ac deuotione secundùm Regulam Sancti Columbani instituit.* Et in vita Sancti Eustasij scribit ab eodem Eustasio tunc Abbate Luxouiensi ad ipsammet Burgundoforam, vt *Regulam* docerent, missos fuisse Monachos Luxouienses Chagnoaldum & Waldebertum fratres eiusdem Burgundoforæ. Prætereà Iotrense Monasterium, quod virorum, deinde puellarum fuit, ab ipso conditu Regulam Sancti Columbani suscepit. Iotrenses seu Iodarienses Monachos Regulæ Sancti Columbani addicunt Anonymus in vita Sancti Agili, Aimoinus in Historia[a] Francorum, & Fridegodus in vita Sancti Audoeni. Monachæ Iodarienses, cùm suffectæ sunt in locum Monachorum, amplexæ sunt & Regulam Sancti Columbani, quam pleræque Moniales in Gallia sequebantur. Beatæ Faræ Monasterium à Iotrensi non procul distat. Vtrumque situm est in Episcopatu Meldensi. Conterminæ sunt autem Diœceses Meldensis & Suessionensis. Moniales ex Cœnobiis Meldensibus suauissimum odorem pietatis latè diffuderunt, ideóque Drausio vicinorum Suessionum Episcopo facilè venit in mentem, vt eandem Sancti Columbani Regulam in Monas-

a Lib. 4. c. 41.

AN. CH. 668.

CLOTAR. III. R. 13.
CHILD. II. R. 9.

terio puellarum prope Suessionem ab aliquot annis erecto præciperet obseruari. Turpiter hallucinatur Reginaldus, cùm idem Monasterium regnante Clotario constructum ait ab Ebroino, vt illatam Sancto Leodegario necem expiaret. Beatus enim Leodegarius Clotario Regi superstes vixit annos nouem, interfectúsque fuit sub Principatu Theodorici. Non negamus possessiones, quas Ebroinus Cœnobio sub Clotario priùs à se magnis sumptibus fundato contulerat, ab eodem auctas fuisse sub Theodorico post mortem Sancti Leodegarij. Legitur enim apud ipsum Reginaldum charta data *anno Dominica Incarnationis octingentesimo quinquagesimo-octauo, Indictione sextâ*, quæ res supradicti Monasterij *sub Theodorico, necnon Clodoueo & Childeberto Regibus Francorum* amplificatas testatur. Prætereà Sanctus Leodegarius matri suæ Sigradæ, quæ religiosam vitam sub Ethetiæ Abbatissæ disciplina Suessione ducebat, literas scripsit, de quibus agemus infrà suo loco.

VI. Ex illis Episcopis, quorum nomina suo Diplomati Drausius Episcopus Suessionensis præfixit, obierunt paucis pòst mensibus Audomarus Morinensis & Audebertus Cametacensis, ille quinto Idus Septembris, hic Idibus Decembris.

VII. Hoc anno mortem Audomari Taruannensis Episcopi consignamus, quia cùm annos triginta in Præsulatu iam exegisset, incidit in morbum quo tandem extinctus est quinto Idus Septembris. Ne citiùs eam collocaremus vetuerunt Drausij Suessionensis Episcopi literæ ad ipsummet Audomarum hoc anno datæ *sexto Kalendas Iulij*, vt obseruatum est suprà. Ne verò seriùs differamus prohibet obitus Dagoberti Regis, qui viuere desiit mense Ianuario, ineunte anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo, cùm Audomarus Pontificatum iam gereret. Sanctissimus hic Episcopus visum priùs amisit quàm vitam, vt ante biennium notauimus. Eius cæcitatem, mortem ac sepulturam sic enatrat Author [a] vitæ. *Ferax Euangelicæ vitis palmes sacer Audomarus, cùm iam eos virtutum ferret fructus, vt per eum lex vitæ omnem illam regionem sanctificaret, fides intemerata sceptrum sibi vendicaret, mortis iura abolerentur lauacri diluuio, cœpit corpore debilitari, & vt pia mens diuinis propinquior fieret, vtroque oculorum lumine orbatus est. Itaque prouidus ille speculator inter Christicolas versatur corpore cæcus, sed lucis præclara de se exempla præbet. Porrò autem mente perlustrans illam sempiternæ lucis arcem, miratur Angelicos Ordines, Paradisum quoque illuminatis cordis oculis contemplans, nectareo ligni vitalis fructu se satiat. Felix sanè ea corporeæ lucis amissio, qua menti cælestis luminis adfert copiam maiorem, quo Christus Iesus conspicitur, cæli ostia reserantur. Postquàm autem Morinensis siue Taruanensis Cathedra triginta annorum spatio tanto esset potita Præsule, columna illa Dei corporis destituta viribus, acri cœpit febre pulsari, concuti atque discruciari. Tandem victa membra lecto affiguntur, sed mens inuicta pristinum conseruat fidei tenorem. Denique quinto Idus Septembris rumpit vincula corporis, cum Christo victura in secula seculorum. Sub mortem autem Pastor Apostolicus ad limina matris Ecclesiæ debilis progreditur, suscipiunt lugentia mœnia patrem. Deinde diuina sumpturus sacramenta beatus senex attedit, lachrymæ ab imo pectore erumpunt, offert Deo fragrantia precum thura, animo ad cælestia suspensus, corpore humi prostratus. Sacrosancto igitur Corporis & Sanguinis Christi sacramento pectus suum communit, & abitura anima diuinum præbet viaticum. Rursum lecto excipitur, æterni panis suauitate refectus. Et ecce cælesti melodiâ euocatur anima è corpore, digna quæ diuinis conspectibus præsentetur. Non latebant hæc beatum Bertinum, sed de iis diuinitus edoctus, absque mora, venit ad ædes, in quibus iacebat funus, discipulorum cateruâ stipatus, tollítque illud corpus nullâ vnquam libidine pollutum, & absportat ad Monasterium perpetuæ Virginis & Matris Domini, quod beatus Audomarus in Sithiu primò condiderat, ipsique Bertino & omni Ecclesiæ Sithiensi mandauerat, vt illic corpus suum humarent, quod & factum est.* Sancto Audomaro, cuius memoria celebris est in Tabulis Ecclesiasticis quinto Idus Septembris, successit in Episcopatum Drancius, & *sanctus abbas Bertinus*, vt Author vitæ tradit [b], *post beati Audomari obitum multos*

AVDOMARI EP. TARVANNENSIS.

[a] Ap. Sur. d. 9 Sept.

CÆCITAS,

OBITVS,

SEPVLTVRA,

[b] Ap. Sur. d. 9. Sept.

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

in Dei seruitute durauit annos, cætúmque Monachorum ipsi à Domino creditum, diligens Pastor multâ animi solicitudine sub districto sacra Regulæ iugo conseruabat. Vnde te darguas eos qui sanctos Audomarum & Bertinum sub idem fermè tempus mortuos volunt, vitámque sancti Audomari vsque ad annum Christi sexcentesimum nonagesimum-quintum protogant, & vt Drancium eiúsque successores Bainum & Rauangerium in catalogo Morinensium Antistitum retineant, eos aiunt ob Audomari cæcitatem suffraganeos tantùm siue administratores Morinensis Episcopatûs fuisse, vel illius Episcopatûs alteram Sedem tenuisse Bononiæ, Audomaro in altera Taruannæ ad exitum vsque persistente. Aduersùs huiusmodi homines, quos Malbrancus libro quarto de Morinis & in scholiis ad tertium caput illius libri laudat, satis est allegasse verba Folquini, qui Drancium, Bainum & Rauangerium Taruannensis Ecclesiæ Præsules sanctique Audomari successores agnoscit. *Abbas*, inquit, *Erkenbodus Taruannensis* SVCCESSOR. *Ecclesia sublimatur Episcopus, Rauangerij successor in ordine factus, qui & ipse successor extiterat Baini Præsulis successoris Drancy, qui post B. memoria Præsulem Audomarum Taruannensis Ecclesiæ susceperat Pontificatum.* Drancius patruum habuit sanctum Acharium Nouiomensem quondam Episcopum, & antequàm ad Præsulatum promoueretur, Archidiaconi munere functus est in Ecclesia Taruannensi.

VIII. Malbrancus [a] Bertulfi adolescentis aduentum in Diœcesim Taruannensem hoc anno consignat. De Bertulfi ortu, patria & ætate ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum iam locuti sumus. Eius peregrinationem Auctor vitæ sic describit [b]. *Cùm adolescentia ingressus iter, primæua ætatis excederet annos, naturali tantùm lege doctus, in via mandatorum Domini cœpit ire, & inter eos, qui non norunt nisi barbarum frendere, dextrum iustitia iter conatus est arripere. Sed quia non facile habuit quod conatus est (inter iniquos enim arduum, imò difficile fuit æquitatis iura tenere, præsertim cùm ad fidem Christi indigenas illos nec ratio nec persuasio posset allicere) maluit patriâ parentibúsque destitui, quàm consortio prauorum sordibúsque gentilium pollui. Exiuit ergo hic nouus Abraham de terra & cognatione sua, & venit in terram & cognationem non suam. Nam arrepto itinere versus Occidentem, tandem in partes Galliarum deuenit, eóque vbi Taruanensium fines Oceanus terminat, mansionem accepit. Erat tunc temporis in præfata regione quidam Wambertus non infimus Comitum, cui cum diuitiis par erat meritum. Huic paris conditionis coniux adhæsit, cuius ingenuitatem religio sancta & immaculata adornauit, nomine Homburga. Vtrisque ergo illorum cum ingenuitate sancta religio, & cum religione irreprehensibilis erat operum exhibitio. Nec defuere in argumentum religionis eorum plura virtutum opera, inter quæ illud præclarè eminuit, multarum per eos constructio Ecclesiarum. Nam ex facultatibus propriis in propry iuris prædio construxere Cœnobium operosâ manu elaboratum, non minus à magnis Cœnobiis pollens, quod honori & nomini Dionysij Martyris titulari fecerunt. Adiecerunt etiam tres adhuc Ecclesias fundare, eásque non paruâ deuotione Sanctis titulare, vnam Principi Apostolorum, aliam beatissimo Martino, tertiam Sancto Vedasto. Quas, vt dictum est, tam ex sumptibus propriis quàm in propry iuris prædio, nuncupato Rentica *, constructas venerantur omnes & colunt, præcipuè qui Ennenonem fluuium bibunt, cuius ripa prædicta possessio contigua adiacet.* Hic amnis Enneno, Euneno, Agnio & Ennona dictus reperitur, vulgò *Aa*: Renticam alluit, tum Falcobergam *, deinde Arcas *, Audomaropolim *, & infra Grauelingam * in Oceanum egeritur. Bertulfus post longam ex Alemannia peregrinationem substitit apud Renticam, *ibi fidem Christi, quâ nihil vmquam iucundius habuit, inuenit, &, secundùm illud Psalmista, cantabiles illi erant iustificationes Domini in loco peregrinationis suæ, & vt choris fidelium posset adiungi, humiliter se petiit sacramento Baptismatis insigniri. Consecutúsque Baptismatis sacramentum, Spiritus Sancti factus est templum, & inter illius patriæ indigenas cœpit esse non iam hospes & aduena, sed ciuis Sanctorum & domesticus Dei. Nec satis fuit iam inrato in Christi sacramenta tironi, Baptismatis gratiam suscepisse, sed vt Clericatûs signaculo arctiùs iungeretur Ecclesiæ,*

Margin notes: a L. 4. c. 7. — b Ap. Bolland. d. 5. Feb. — BERTVLPHVS PEREGRINATVR. — * Ranty. — * Foucquebergue. — * Arques. — * S. Omer. — * Grauelines. — BAPTIZATVR.

AN.CH. 668.
CLOTAR. III. R. 13.
CHILD. II. R. 9.

Ecclesia, & votis optauit, & precibus exorauit; quódque deuotè expetiit, efficaciter impetrauit. Intereà Wamberti Comitis famulatui se penitus addixit, cúmque se magnificum erga pauperes effusè præstaret, accusatus est quòd heri sui fortunis abuteretur, sed eius innocentia miraculis declarata est, de quibus agemus ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium, quo contigerunt.

IX.
AVTBERTVS EPISCOPVS CAMERAC. MORITVR.

Super anno, quo mors Autberti siue Audeberti Cameracensis & Atrebatensis Episcopi contigit, nullum oriri potest dubium. Obiit enim Idibus Decembris, & de illius successore agemus anno sequenti sub Theodorico Rege. *Fuit sanctum corpus eius tumulatum in Ecclesia beati Petri, quæ extra muros ciuitatis* Cameracensis *tunc erat, nunc verò intra mœnia eius est. In qua requieuit vsque ad tempus Dadilonis Episcopi, qui ei decimus-quartus in Episcopatu successit*, vt Fulbertus in ipsius Autberti vita scribit.

X.
AICHARDVS PROTESTATVR SE CHRISTI MILITEM FORE.

Aichardus, cùm puer decem annorum esset, hoc anno traditus est pio cuidam seni, sub cuius disciplina in literis ac virtutibus multùm profecit. Intra patrios lares educatus futuræ sanctitatis specimen iam dabat. At parentes de vitæ genere, cui se mancipare deberet, haud conuenientes trahebantur in diuersas sententias, *an in patriis armis se ad militiam secularem accingeret, an sub clericali toga in sortem Domini computaretur.* Priorem statum anteponebat pater Anscharius, posteriorem mater Ermena. Consilium suum vterque ratione tuebatur. *Pater sub Rege Clotario militando, crebris expeditionibus & armorum bellicâ sarcinâ perfractus, iam ab ingrato labore, si fas fuisset, quiescere præoptabat, sed ex decreto legis patriæ hoc vnum necessarium illi incumbebat, vt si terrena patrimonia inconcussè seruare maluisset, ipse resumptis armis ob defensionem patriæ ad bella procederet, aut ipse se vicariæ opis auxilio tueretur. Hac legis obseruatione præstrictus pater filium militaribus negotiis assuescere præmonebat, vt tali in tempore filius inter armatas legiones militaturus patrem supportaret annosum. Mater verò econtrà mariti consilium longè aliò inflectere nitebatur, protestata se pro filio votis insolubilibus esse obligatam. Nam eo tempore, quo ipsa partu imminente crebris doloribus quatiebatur, affirmabat, si saluo partu, cæli Dei adiutorio, mortis periculum euasisset, affirmabat, inquam, se, quicquid peperisset, diuinis cultibus deuouisse. Hanc igitur sibi præstari à marito indulgentiam postulabat, ne retractatâ promissione voti ream efficeret, néue filius pro hac re aliquandò iudicio Dei periclitaretur.* Litem omnem, *dum pater multâ obstinatione votum mulieris improbaret*, diremit puer Aichardus, asseruit enim nullâ se rerum mortalium ambitione teneri, nullâ inanis militiæ pompâ delectari, palámque protestatus est se Christi militem fore. *Erat eo tempore in finitima regione senior quidam vita honesta actibus deditus, in studiis liberalibus fundatus, qui quantò solerti erat fretus ingenio, tantò æqui & recti erat constantissimus defensor. Huius egregiâ famâ excitatus puer bonæ indolis venerabilem virum adiit expostulans ab eo intimæ conuersationis ipsius sibi locum non negari. At senior causam itineris, generis quoque & rerum ex ordine seriem percontatus, puerum gratanter suscepit, summâque diligentiâ tractauit. Inprimis diuinæ Psalmodiæ iussit puerum prægustare dulcedinem, quam mirâ celeritate addidicit. Nec mora, nouitius scholasticus infra breue tempus in omni genere sacræ disciplinæ adeò perfectus emicuit, vt cunctos non solùm præiret scientiâ, sed virtutum quoque superexcelleret gratiâ. Erat adhuc decem, vt videbatur, annorum.* Hæc Auctor vitæ [a].

[a] Ap. Surium, d. 15. Sept.

XI.
THEODARDVS EPISC. TRAIECT. OCCIDITVR PROPE NEMETVM.

In Austria Theodardus Traiectensis Episcopus Martyrium subiit hoc anno, quarto Idus Septembris. Dies notatur in Tabulis Ecclesiasticis. Annus, super quo varij Scriptores tot támque diuersas sententias protulerunt, facilè colligi potest. Theodardum ad hunc annum peruenisse docet Diploma, quod Childericus anno priori die sexto Septembris emisit, nam Theodardus qui tunc viuebat quarto pòst die non occubuit, siquidem Præceptum Traiecti datum legitur, & Theodardus prope Nemetum interemptus est, cùm proficisceretur ad Childericum Regem, qui Traiecto procul aberat. Martyrium autem eiusdem Theodardi post hunc annum differri nequit, Lambertus enim illi successit

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

in Episcopatum versante in Austrasia Childerico, cuius profectionem in Neustriam post obitum Clotarij fratris exponemus anno sequenti. Hæc ad Chronologiam. Rem ipsam Anselmus ita describit. *Beatus Theodardus pro rebus Ecclesiæ sibi creditis, dum Regias aures pergit compellare, & contra peruasores prædiorum Ecclesiæ auxilium postulare, in saltu Biwals nominato, haud longè ab vrbe Nemetensi, quæ Spira nunc dicitur, ab ipsis Ecclesiæ suæ prædonibus interceptus, diffugientibus à se comitibus, innocens trucidatur.*

XII. LAMBERTVS SVCCEDIT.

In sancti Theodardi locum subrogatus est eius discipulus Lambertus seu Landebertus, de quo sic Authot coætaneus in ipsius vita. *Interfecto præfato Antistite Theodoardo, copiosa multitudo virorum in regione illa habitantes, & cognoscentes Landeberti prudentiam, fidem & opera, atque conuersationem nobilissimam, clam locutione inuicem, eligere eum disponebant ad Pontificalem Sedem. Ergo Optimates viri & illustrissimi, qui eo tempore Rectores Palatij videbantur, Gloriosio Domno Childerico Regi famam beati viri innotuerunt. Et actus eius non silentes, testimonium perhibentes, vt dignus erat Sacerdotio fungi, & onus Pontificale accipere. Habuit itaque effectum eorum petitio, libenter obtinuerunt quod deuotè postulauerunt. Tunc omnis plebs in Spiritu Sancto vno accepto consilio, & simul cum Regis imperio, fauente Domino, à quo iamdudum electus erat, subrogatus est vt præesset Ecclesiæ Triiectensi. Ipse verò timore Domini repletus, officio sumpto, omnia quæ sui erant officij in opus bonum multiplicabat cotidie. Porrò Rex cùm almitatem & prudentiam eius percunctasset, diligebat illum super omnes Pontifices & Optimates suos.*

XIII. TRANSFERT CORPVS S. THEODARDI LEGIAM.

* Sanctus Theodardus sepultus fuit iuxta locum Martytij, nec inde moueri potuit à vicinis Episcopis Vangionum, Spiræ & Argentinæ. Lambertus sub initium sui Pontificatûs bis eò profectus est, primâ vice nihil obtinuit, at denuò reuersus sacras reliquias impetrauit, reuexitque *& in villa publica Legia** *tumulauit cum honore qualis decebat Martyrem.* Hæc fusè describuntur à Sigeberto in vita sancti Theodardi, breuiùs narrantur ab Anselmo, qui eiusdem Theodardi elogium sic absoluit. *Procedente tempore, successor eius, venerabilis Patronus noster Lambertus eadem magistri ossa inde ad nos transferre sæpissimè tentauit. Cúmque multùm reclamante rusticorum manu, & sui, vt aiebant, Martyris ossa, cum armis vindicante, hoc diu frustrà esset, misericordiâ tandem diuinâ fauente, inde transferendi tanti thesauri copia datur Sacerdoti, sacrique funeris pignus Ecclesiæ suæ reuexit. Cuius adhuc. Passionis diem, prouincia eiusdem compatriota, singulis annis, summa cum celebritate solent frequentare, & licèt ossibus absentem, meritis & signis, quæ frequenter ibidem fiunt, se gaudent habere præsentem.*

* Liege.

XIV. REMACLVS ABBAS STABVLENSIS OBIT.

Sigebertus eodem anno, quo Lambertus Episcopus Traiectum ab exilio reuocatus est, Remaclum Abbatem Stabulensem in cælum migrasse tradit. Vtrumque consignat anno Christi sexcentesimo nonagesimo-primo. Sed Lambertus decennio citiùs post Ebroini mortem exulare desiit, & Remaclus non vixit vsque ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-primum, in quem Lamberti reditus ab exilio & Ebtoini cædes inciderunt. Fisenus * Sigebertum meritò redarguit, quòd seriùs & Lamberti reuocationem è Monasterio Stabulensi & obitum Remacli distulerit. At erroris expers non est, cùm vtrumque eodem anno tefert ascribítque anno Cbristi sexcentesimo septuagesimo-quinto. Lambertus è ciuitate Traiectensi pulsus est ineunte anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto, exúlque vixit per annos septem in Cœnobio Stabulensi. Remaclus ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum haud peruenit, Goduinus enim qui tertium pòst locum in catalogo Stabulensium Abbatum ex Norgeri, Harigeri, Fiseni aliorúmque sententia tenet, Abbatiali dignitate iam gaudebat anno Dagoberti Regis quarto, Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo. Sigebertus igitur non eo anno, quo Lambertus Episcopus in vrbem Traiectensem ab exilio reuersus est, sed hoc potiùs anno quo Lambertus Episcopatum suscepit, mortem Remacli recensere debuit. Anno priori, postridie Nonas Septembris, vt ex Diplomate Childerici Regis ostendimus, superstes erat Remaclus, qui, quoniam tertio easdem

* D. 3. Sept.

Nonas obiit, hunc annum dubio procul attigit, nec ei longiorem vitam tribui patiuntur, quæ de successoribus, Papoleno, Sigolino & Goduino commemorantur. AN. CH. 668.

Notgerus de Remaclo narrat aliqua sub Theodorico Rege ac Pipino Principe, quæ fatetur incredibilia nonnullis videri. Certè vt & iis rebus fidem habeamus Chronologica non patitur computatio. *Austrasiani*, inquit Notgerus in vita sancti Remacli, *Pipino Principi studebant & parebant. Is vbi didicit in supradictis Monasteriis* Stabuleti & Malmundarij *cultum religionis augeri, duas ex fiscis suis villas in vsus mensæ seruorum Dei, vnam in Hasbanio, alteram in Arduenna, pro Dei & S. Remacli amore, attribuit. Sub horum tempore ferunt eum* (Remaclum) *Romam profectum, sancti Petri aliorúmque sanctorum suffragia imploraturum, atque illic tandiu in preces & ieiunia incubuisse, donec diuinâ & Angelicâ consolatione fretus, quandam reliquiarum eiusdem beatissimi Apostoli partem meruit obtinere, quæ quidem apud nos auro gemmísque ornata, præcipuo cum honore asseruantur. Quod licèt quibusdam fortassè incredibile videatur, nos, qui incomparabilem illum veneramur thesaurum, multa in earum præsentia diuinitus vidimus beneficia præstari, quæ poterit, qui volet, in libro virtutum siue miraculorum eius lectitare.* Harigerus abstinuit ab illa narratione. Pipinus regnante Theodorico Monasteriis Stabulensi & Malmundariensi dona largiri potuit, sed id nusquam præstitit in gratiam Remacli tum viuentis, Remaclus enim priùs ex hac vita sublatus est quàm Theodoricus in Regnum Childerico fratri succederet. Si profectionem in Italiam è Gallia Belgica idem Remaclus aliquando suscepit, dimisso Episcopatu statim itineri se commisit, verùm eiusmodi peregrinationis nulla superest coniectura, nam reliquiæ, quarum mentio fit à Notgero, non aliæ videntur ab iis, quas Amandus Traiectensis tunc Episcopus à Martino Papa transmissas accepit, vt in ipsiusmet Martini [a] literis ad Amandum testantur hæc verba. *Reliquias sanctorum, de quibus præsentium lator nos admonuit, dari præcipimus.*

CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

XV. AN ROMA RELIQVIAS ATTVLERIT.

[a] Ep. 2.

XVI. Remaclus, vt Gesta suis locis descripta satis declarant, longæuam duxit vitam, & *senior* à Notgero rectè nuncupatur, moribus tamen, vt idem Author subiungit, quàm annis maturior fuit. Extremam sibi horam vt sensit imminere, aduocatis discipulis vltima dedit mandata, quæ longus rerum vsus, disciplinæ domesticæ peritia, desideriúmque diuinæ gloriæ commendanda suggerebat. Commendauit imprimis indefessam in sacrarum rerum lectione & meditatione diligentiam, in vtendarum rerum penuria aut vilitate æquanimitatem, imò lætitiam è paupertatis amore, incorruptam castitatem, expeditam & accuratam in obsequendo alacritatem, ingenuam peccatorum apud Deum ac Prælatos pulso inani & irreligioso pudore confessionem, denique coniunctionem animorum arctissimam ex sancto Euangelicæ charitatis nexu. Obiit tertio Nonas Septembris, quo die coli solet. In administrationem Stabuleti successit qui Malmundarium iampridem regebat Papolenus. Abhinc vtrique Cœnobio vnus idemque Abbas denuò præfuit, & Malmundarium eo iure subiacuit Ecclesiæ Stabulensi, quo Cellæ omnes vel Præpositurae suis Monasteriis subsunt. Quoniam autem Stabulaus & Malmundarium in diuersis erant Diœcesibus, Stabulaus in Traiectensi, Malmundarium in Coloniensi, sancitum quoque fuit vt Abbas, qui vtrique loco præficiebatur, ab Episcopo Traiectensi benediceretur. Lege Diploma Friderici Coloniensis Archiepiscopi apud Ioannem Chapeauillum in notis ad caput secundum Ægidij. Sepultus fuit sanctus Remaclus in Oratorio sancti Martini, quod extra Monasterium Stabulense condiderat, in eóque loco per aliquotannos ad tempora vsque Goduini Abbatis quieuit.

SVCCEDIT PAPOLENVS.

XVII. Breulius Sigebertum secutus vult Sanctum Remaclum obiisse anno Christi sexcentesimo nonagesimo-primo, deinde multa comminiscitur de Papoleno successore quem confundit cum Baboleno Abbate Fossatensi in agro Parisiensi & cum Babone Abbate Sancti Vincentij prope muros Parisienses. Af-

ALIVS A BABOLENO ET BABONE ABBATIBVS.

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

fetit Babolenum (sic Abbatem illum ex multis conflatum vocat) post mortem sancti Remacli non tantùm Monasterio Malmundariensi sed etiam Stabulensi præfuisse. *Sanctus*, inquit, *Remaclus retento ad habitationem suam Stabulensi Cœnobio, hunc*, nempe Babolenum, *fratribus Malmundary propter disciplinam, saluâ tamen in omnibus suâ auctoritate præfecit. Post cuius gloriosam mortem, quæ contigit anno Domini 691. beatus Babolenus vtriusque Monastery regimen & administrationem adeptus est.* Addit posteà Babolenum Cœnobiis Malmundariensi & Stabulensi relictis, alia duo suscepisse gubernanda, Fossatense scilicet & sancti Vincentij, & modò in vno, modò in altero resedisse, *sicut fecerat priùs in Stabulensi & Malmundario Cœnobiis, quæ mortuo Sancto Remaclo pariter rexerat.* Sed à veritate quid magis alienum excogitari potest? An Babolenus post annum Christi sexcentesimum nonagesimum-primum admioistrare potuit Stabuletum, eóque pòst relicto Fossatum adire anno tertio Clodouei Regis, qui Regnum inchoauit decimo-quarto Kalendas Februarias anno Christi sexcentesimo duodequadragesimo? Quis ad anachronismum istiusmodi non obstupescat?

XVIII. PRÆIECTUS EP. ADIT CHILDERICUM REG.

Hisce tempotibus, cùm Clotarius Rex in viuis adhuc superstes erat, & Childericus in Austrasia tantùm regnabat, ibique degebat, videtur consignanda Præiecti Aruetnorum Pontificis in illam regionem profectio, cuius meminetuot duo vitæ Scriptores coætanei sæpiùs à nobis laudati. Posterioris hæc sunt verba. *Cùm vir Dei exigente causâ ad Regis Childerici festinaret præsentiam, itinere deducente peruenit ad locum qui Daraongus vocatur, in Vosago, vbi milites Christi beata paupertatis obtentu, more viuebant monastico, cùmque à Monachis fuisset exceptus cum gaudio, reperit Patrem Monastery, Amarinum vocabulo, febrium laborantem incommodo, itaut nec gressum mouere, nec præter aquam aliquod alimentum potuisset percipere. Sed cùm vir Dei, ad consueta arma recurrens, vexillum Crucis super agrum fecisset, protinus fugatâ febre, sanatus æger surrexit, sicque gaudentes statim noctem sequentem in Psalmis peregerunt & hymnis. Cùmque ad Palatium peruenisset, gratificè à Rege susceptus, & cum summa veneratione ab Optimatibus illius honoratus, quidquid à Principe petiit, vt voluerat impetrauit, atque valedicens Childerico Regi, & Reginæ ipsius digna Dei famulæ Bilichilda, vel Proceribus Regni Aruernicam repedauit ad vrbem.* Alter Anonymus ait Cœnobium, quod Amarinus in Vosago administrabat, ab eo constructum fuisse *ex permisso & conniuentia Warnechary Optimatis*, quem Bollandus in notis ad vitam sancti Præiecti Martyris interpretatur Warnacharium Maiorem-domûs sub Clotario Secundo, sed cùm iste Warnacharius teste Fredegario [a] diem obierit anoo Clotarij Regis quadragesimo-tertio, siue anno Christi sexcentesimo vicesimosexto, vix nobis persuademus eo viuente ædificatum fuisse Monasterium ab Amarino Abbate, cuius Martyrium anno pòst duodequinquagesimo, siue anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto, Theodorici Tertij Regis ineunte Prioctpatu contigit. Idem Anonymus obseruat Præiectum ex aula Regia in Diœcesim suam tediisse, *Priuilegio Ecclesiæ ex auctoritate Principis roborato.* Deinde Claudiam piam mulierem sic laudat. *Erat illo tempore in supradicto territorio Aruerno quædam fœmina Deo dicata, nomine Claudia, quæ sedulò propter caussam prædicationis veniebat, résque suas ex parte prædicto Pontifici, vel pauperibus quos ipse regebat, contulit. At non post multum spatium temporis, debitum impleuit natura, quæ à beato Præiecto summo cum honore est tumulata.* Claudia superstitem teliquit filiam, quam posteà rapuit Hector Comes Massiliensis, atque inde grauis exorta est inter Hectorem & sanctum Præiectum contenrio, quæ Martyrij palmam, vt suo loco dicemus, gloriosissimo Pontifici præparauit.

[a] Cap. 54.

SEPELIT CLAVDIAM NOBILEM FOEMINAM.

XIX. His quoque temporibus, quantùm ex eius vita colligi potest, Bercharius Abbas Altiuillarensis relicto Monasterio, cui præerat in Diœcesi Remensi, vastam saltus * Deruensis solitudinem expetiit in finibus Episcopatuum Catalaunensis & Tricassini. *Quo in loco, quâ venerat, intentionis non immemor aptum ædificandi Cœnoby statum inuigilando sollicitè scrutabatur. Hac igitur inter cogitan-*

* La Forest de Der.

AN. CH. 668.

CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

BERCHARIVS CONDIT MON. PVELLAR.

dum, Dei gratiâ praduce, contulit se ad quandam matronam Waltildem nomine, qua superbo nobilitata nomine, plurimorum à proauis pradiorum affluentiâ latabatur. A qua vir sanctus, condicti pretij dono, emit sibi partem sylua, eum scilicet locum, qui dicitur vulgò Mangisuillare, ibique cellulam adificans, eámque beata Maria ad honorem consecrans, puellarum cœtum Deo Matríque seruiturarum, prout posse fuit, diligentissimè aggregauit. Nam viam publicam vulgò cantillam dictam expetens, pretio à pratereuntibus suscepit captiuas puellas octo, quas in sancta religione edocens, Deo dicatas ibi manere constituit. Ex hoc igitur Christi adminiculante suffragio excreuit numerus virginum ad vsque sexagenarij cumulum, quibus etiam pradictus Pater neptem suprascripta matrona Waltildis solemniter Abbatissam prafecit. Hic locus in Diœcesi Tricassina situs est. Camuzatus, qui promptuarium antiquitatum Tricassinarum anno Christi millesimo sexcentesimo decimo in lucem emisit, de puellari illo Monasterio sic locutus est in notis ad Historiam sancti Bercharij. *Monasterium Sanctimonialium 700. abhinc annis funditus dirutum & euersum in quodam loco cui tunc nomen erat Mangisuillare, & deinceps puellare Monasterium appellatum, nostrates Gallico idiomate Pellemonstier nuncupant.* Prǽter puellas octo, de quibus suprà, Bercharius emit etiam pretio viros octo captiuos, quibus locum aptum ad habitandum quæsiuit, Childerico Monarchiam totius Franciæ iam obtinente.

XX. OTHMARVS ABBAS OBIT.

In Chronico Constantiensi Othmarus dicitur Monasterium sancti Galli strenuè rexisse 40. *annos*. Hæc quidem ab Auctore scripta sunt de posteriore Othmaro, qui floruit octauo seculo sub Pippino Rege, sed intelligenda sunt de priore Othmaro, qui Cellæ seu Monasterio sancti Galli præpositus fuit, cùm Dagobertus vniuersâ Franciâ potiebatur, & Maioratum Domûs Regiæ gerebat Pippinus Pippini Regis tritauus. Posterioris Othmari vitam scripsit Walafridus Abbas, miracula duobus libris complexus est Iso Monachus. Neuter horum Auctorum insinuat Othmarum, de quo loquitur, Monasterio sancti Galli præfuisse annis quadraginta, imò vterque innuit præfecturam Othmari, de quo sermonem facit, multò breuiorem fuisse, vt ostendemus suo loco. Priori autem Othmaro quominùs anni quadraginta regiminis attribuantur nihil vetat. Anno enim post beati Galli mortem tertio, Christi sexcentesimo duodetricesimo præfecturam iniit, Theodorum Campidonâ expulsum suscepit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, administrationis suæ tricesimo-tertio, potuitque peruenire ad hunc annum, Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum, qui post annum Christi sexcentesimum duodetricesimum quadragesimus numeratur.

XXI. EPISCOPI CONSTANTIENSES AD RHENVM.

Boso Constantiensem Diœcesim gubernabat anno Christi sexcentesimo duodetricesimo, cùm Othmarus Cellæ seu Monasterio sancti Galli præesse cœpit. Ioanni, quem anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto in viuis adhuc superstitem fuisse constat, successerat in Episcopatum. Quot annos posteà vixerit, quot item annos sederint eius successores, Martianus, Pictauius & Seuerus seu Seuerinus, manet incompertum. Othmarum Seuero seu Seuerino superuixisse non arbitramur. Qui Sidonium seu Sinodium Episcopum Othmaro Abbati coætaneum constituunt, ij loquuntur de posteriore Othmaro. In catalogis enim Episcoporum Constantiensium inter Seuerum seu Seuerinum & Sidonium seu Sinodium, Astropius, Ioannes Secundus siue Hanno, Buso seu Busso, aliique, de quibus infrà, medij collocantur.

XXII. MASSILIA DVOBVS SVBDITA REGIBVS.

Cùm Monarchia Francorum penes Clotarium ac Childericum fratres esset, in ciuitate Massiliensi cusi sunt numi, quibus appositum vtriusque nomen. Testis Tremissus aureus, cuius antica hæc est inscriptio, CHILDERICVS REX; postica, CHLOTARIVS REX; pársque antica caput exhibet Childerici Regis; postica Crucem, subter cuius brachia sunt illæ duæ literæ M & A, quibus MASSILIA significatur, & inferiùs hæ quinque subiiciuntur CONOB, quibus Imperatoria dignitas Regibus Francorum asseritur, vt alibi iam dictum est. Hinc liquet Massiliæ dominos simul fuisse Clotarium & Childeri-

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

cum, quorum ille Burgundiæ Rex erat, hic Austrasiæ. Par Massiliæ status fuerat superiori seculo, cùm illius ciuitatis partem obtinebat Guntchramnus Rex Burgundiæ, partem alteram Childebertus Rex Austrasiæ, Guntchramni nepos ex Sigiberto fratre. Porrò Childericum Massiliæ regnasse docet alius nummus, cuius antica pars habet eius effigiem, cum hac inscriptione CHILDERICVS REX, postica Crucem globulo superpositam & literas M & A subter Crucis brachia cum hac epigraphe MASSILIÆ CIVITATIS. Expressa sunt hæc numismata in Historia [a] Prouinciæ, quam Honorius *Bouche* Doctor Theologus in lucem emisit anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimoquarto, necnon in erudito Commentario [b], quem biennio pòst de vetere Francorum Moneta publicauit Vir Clarissimus Claudius *Bouteroue* Parisiis in suprema Monetæ Curia Regius Consiliarius.

[a] Lib 5. Sect. 2. cap. 11.
[b] Num. 250. 260.

XXIII. Clotario & Chiderico Regibus frater erat natu minimus, nomine Theodoricus, qui priuatam vitam in comitatu Clotarij Regis apud Neustrasios agebat, Rex tamen, vtpote qui filius Regis esset, in vita Sancti Eligij vocatur. *Die quadam*, inquit Audoenus, *duo Reges germani, Lotharius scilicet & Theodoricus, egressi penes Palatium gratiâ illic orationis diuertunt.* Loquitur Audoenus de Basilica Sancti Eligij, quæ non procul à Compendio villa Regia distabat, erectáque fuerat trans Oesiam siue Isaram in domicilio Waldoleni viri prædiuitis, vbi Sanctus Eligius sibi quondam prouiderat hospitium, cùm aulam Regalem frequenter adire consueuerat. In illa Basilica multa iugiter miracula fiebant. Ex iis duo tantùm describit Audoenus, de quibus nos ad hunc annum acturos iam polliciti sumus.

XXIV. Primum Auctor ille sic refert. *Die quadam duo Reges germani, Lotharius scilicet & Theodoricus, egressi penes Palatium gratiâ illic orationis diuertunt, vbi oratione factâ cùm redirent ad Regiam, præuenientes eos quidam Optimatum dabant salubre consilium, vt aliquid eleemosynæ ob Sancti venerationem eidem loco tribuerent, sed Rex senior in promptu contemnens neglexit hoc verbum, iunior verò, maiore foris progresso, solidos illic posuit cum voto ex radianti metallo. Deinde ab eo loco vterque properans cùm ingressus fuisset Palatium, cœpit subitò idem Rex Lotharius infusâ corpori febre vehementer augi, & conglobato vndique omni corporis ardore ac simul repentè in capite defluente, cœpit ardentissimo dolore dentium illicò cruciari. Cúmque noctem illam in maximis transegisset angustiis, facto mane negligentiam recordans hesterna diei, ad præsidium Sancti confugit Eligij, & vbi pridie fratre largiente sua, nihil obtulerat sponte, ibi iam coactus tamen vt mereretur medelam, multos ex publica moneta misit solidos per creditam personam, & protinus cùm donum illic eleemosyna illatum esset, confestim ab eo discedens dolor sine vlla mora sanitatem recepit.*

CLOTARIVS R. ÆGROTAT.

XXV. Alterum sic. *Sub eisdem fermè diebus puella quadam desponsata, instigante per carnis fragilitatem diabolo, à quodam mæcho fuerat fœdè corrupta: quam eiusdem sponsus causam vtcumque, suspectámve addiscens, cœpit ab ea extorquere, vt se per iuramentum ab hac suspicione idoneam redderet. At illa vtpote adultera, nihil trepidans securam se istud sacramentum posse transire gestiebat. Constituit ergo eidem eius sponsus, vt ad lectum beati Eligij hanc fidem sola persolueret, quod illa audiens facilè id sibi fieri præsumit. Cúmque illic vterque aduentasset, illa proterua & insolens sine vllo metu ad Sancti lectum accurrens, cœpit absque terrore id, quod exigebatur, iurare; sed mox vt manum lecto imposuit, illicò tabescente corpore deorsum ruens, quasi defectis pedibus in terram corruit: quam cùm vellent circumstantes erigere, tremens illa & spumans inter manus eorum decidit, atque ita demum lugubriter expirauit: quod eius pauidus cernens sponsus, consternatus, & ipse potentiam Christi & iudicium Sancti magnificauit, & sic deinde ad domum propriam non sine metu discessit.*

IN BASILICA S. ELIGII.

XXVI. Sunt & apud eundem Auctorem varia exempla vltionis diuinæ aduersùs eos, qui periurium ad sepulchrum Sancti Eligij commiserunt. Vnum tale est. *Vir quidam facinore quodam admisso cùm arctiùs ob id perurgeretur, fallaci audaciâ*

AD CVIVS TVMVLVM PVNIVNTVR PERIVRI.

AN.CH. 668.

CLOTAR. III. R. 13.

CHILD. II. R. 9.

prauentus ad sepulchrum beati Eligij id se iurando spondet idoneum reddere. Cúmque illuc adductus malè sibi conscius iuramentum explesset, confestim iustißimè diuinâ vltione percussus, crepuit illicò venter eius, & diffusa mox in terram viscera eius, sic miserabilis ille ad terrorem multorum indignam vitam dignâ morte finiuit. Alterum tale. *Cùm vir quidam agrum in loco nuncupato Caluomonte, ad Basilicam sancti Eligij pertinentem, malo ordine sua niteretur ditioni vendicare, ei obsistebat vehementer Sparuus,* seu Sparnus de quo superiùs[a], *Abbas eiusdem Ecclesiæ, qui cùm diu ab eo incursaretur, tandem causâ in Palatio Regis perlatâ, accepit à Principe iudicium, vt si posset in sancto loco terram coniurare, ad partem vtique Ecclesiæ vendicaret; sed ille maluit, vt idem pertinax vir, qui eam inuadere quærebat, iureiurando asseneraret suam. Et cùm iudicium esset, vt præfatus vir cum plurimis secundùm Francorum legem sacramentum persolueret, & hoc ipsum indulgens Abbas, noui, inquit, quòd malè eam inuaserit, idcircò rogo, vt cunctis iuratoribus indultis ipse singularis, si Deo placet, iurando eam vendicet. Cúmque hæc dixisset, placuit verbum istud cunctis Optimatibus Regis, & decreuerunt omnes ita fieri. Post hæc ergo pergentes ad Ecclesiam beati Eligij, & ingreßi ad locum sepulchri, præstolabantur omnes euentum rei. Tunc memoratus vir leue reputans negotium, cùm importunâ audaciâ posuisset iuraturus manum super sanctum locum, in medio ferè sacramenti verbo contremiscens, vehementer toto corpore declinauit retrorsum super ceruices caput, & mox diuaricatis dentibus, reuerberatísque oculis, cadente, vt dictum est, deorsum capite, magnóque ex ore fumo procedente, hunc solùm proferre potuit sermonem. Abba, inquit, Sparne, recipe terram tuam. Hoc ergo modo diuinitus percussus, atque illicò in terram prostratus, mortem quam non timuit fortuitu prauentus miser incurrit.* Parcimus aliis exemplis. *Tantus* autem *pauor*, vt idem Audoenus subiungit, *creuit in populo, vt nullus iam hodie etiam pro iustißima causa introrsus ad sepulchrum persoluere audeat iuramentum, sed quicumque habet sacramentum donare, foris ad circulum ianuæ idipsum cum magno tremore persoluit.*

[a] Ad an. 639. n. 16.

XXVII. Ad eundem tumulum Sancti Eligij complures ægroti sanitatem recuperarunt. In horum numero fuit adolescens, nomine Bobo, Ebroini Maioris domûs filius. *Quodam tempore*, inquit Audoenus, *morbo medullitus ingruente cæpit isdem puer vesano ægrotare languore, pro quo parentes nimis solliciti, erant positi in angustia graui, dehinc inualescente paulatim ægritudine cæpit iam puer vehementer angi, & morte iamiámque imminente, cùm viuendi spes penitus auferretur, nimis anxij parentes pro filio ad sanctum confugiunt Eligium, confidentésque de miraculis tanti Antistitis, puerum illicò deuouent ei supplices, atque pro muneris gratia pueri nonnulla offerunt ornamenta, baltheúmque eius speciosißimum protinus cum deuotione sepulchro insigunt. Quo facto confestim sine mora intercedente Confessore ægritudo abscesßit, & ad præsens conualescens puer sanitatem illicò recepit, ac deinceps incolumis mansit.*

SANATVR FILIVS EBROINI.

XXVIII. Florebat tunc Turonis Agericus Abbas Basilicæ Sancti Martini, cuius mentionem iterum faciemus infrà. Laudatur ab Audoeno in vita Sancti Eligij, vbi de Reliquiis illius hoc enarratur miraculum. *Cùm adhuc beatus Eligius sub seculari habitu Turonis in vrbe sancti Martini tumbam fabricaret, habebat hospitium in cuiusdam matronæ domo foris muros in vico, quæ nimirum fœmina inspiciens sanctum virum iugiter eximiis operibus intentum, eò quòd promptus esset in omni opere bono, frequens in oratione, necnon & largißimus in pauperum consolatione, verè, vt erat, Dei famulum credidit, & die quadam cùm vnus ex ministris eius eum iuxta morem tonderet, illa linteum, quod capillos decidentes receperat, rapiens, quæque ex capillis & barba colligere potuit linteo obuoluta in arcam sibi reposuit. Transierunt demùm plurimi anni, itaut penitus iam in obliuionem hæc, eadem fœmina duceret. Post obitum verò Sancti Eligij cùm prædicta fœmina noctibus intra secreta silentia quietè se ageret, audiebat plerumque in suo cubiculo dulci modulamine celebrari Psallentium; & cùm curiosè ad hoc intenderet, portentum conspiciebat per quædam foramina radiantia nimis micare luminaria; cúmque crebrò eadem cerneret fieri, nimio pauore perterrita non audebat iam nocte in diuersorio suo manere, nullatenus tamen recor-*

AN. CH. 668. CLOTAR. III. R. 13. CHILD. II. R. 9.

AGERICVS ABBAS S. MARTINI.

dari poterat de hoc quod aliquando ex fide condiderat. Euocato intereà Agerico Basilica Sancti Martini Abbate, causam ei per ordinem exponit, deflens se non posse securam noctibus quiescere in domo sua. Accedens autem prædictus Abbas ad domum, in qua fiebat portentum, cœpit inquirere à fœmina, vtrùmne aliquando ibidem seruorum Dei manserit quispiam; ánne etiam ei oblatum esset aliquid à viris sanctis pro munere vel eulogiis; vtrùm vel ipsa non rapuerit aliquando aliquid minus ex Sanctorum pignoribus? Tunc verò illa veluti per somnum, vtpote ex longinquitate temporum, Sancti Eligij capillorum reminiscens, pectúsque illicò pugnis sæpiùs cadens, rei ordinem exponit, qualiter videlicet aliquando ibidem capillorum beati viri decisiones ex fide condiderat. Statim ergo perscrutantes loculum repererunt easdem

RELIQVIÆ S. ELIGII.

Reliquias veluti aromaticis vnguentis odoriferas, vt ipsas quondam collegerat illibatas. Tunc nempe liquidò claruit & meritum Antistitis quantum esset, & sæpedictæ matronæ fides quantùm Deo placuerit, vt post tot annorum curricula in eodem loco ex iussione diuina ostenderentur miranda prodigia; audiui enim quòd postmodum in eodem domicilio elegans Oraculum fuerit à fidelibus constructum.

XXIX Addit Audoenus simillimum miraculum Nouiomi gestum in Monasterio puellarum, quod sanctus Eligius extruxit, vt suo loco diximus [a]. *Anus quadam in Monasterio, quod sanctus vir construxit Nouiomo, quodam tempore decisiones similiter ex capillis eius collegerat, atque panno obuoluens supra suum discubitum in manichile collocauerat, sed postquàm vir beatus migrauit de mundo crebrò cùm cæca noctis tenebræ cuncta operirent caligine, micabat ex eodem loco radius quidam splendoris, qui nonnunquam in domo illustrabat tenebras noctis; quod cùm Sanctimoniales illic fœminæ plerumque fieri cernerent, conuocantes prædictam sororem studuerunt ab ea percunctari, quæ esset causa quòd isdem splendor ab eius lecto nocte micaret. Tunc illa pignorum sancti viri recordans, rem, sicut gesta constabat, omnibus mirantibus exposuit. At illæ hæc audientes protinus ad locum accedunt, easdémque Reliquias auferentes digno in loco mox condunt, glorificantes & laudantes Deum, qui est fidelis in verbis suis, & tantam gloriam præstat Sanctis suis.*

[a] Ad an. 650. n. 2.

---

669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

ANNVS CHRISTI 669.
CLOTARII III. R. 14.
CHILDERICI II. R. 10.

I. FRODOBERTVS ABBAS CELLENSIS OBIT.

KALENDIS Ianuariis, quibus annus Christi sexcentesimus vndeseptuagesimus aperiebatur, obiit Frodobertus primus Abbas Monasterij Cellensis in suburbio Tricassino, eodem quoque die ab Abbone Episcopo dedicata est eiusdem Cœnobij Basilica, beatique viri corpus mandatum sepulturæ. Quibus de rebus apud Nicolaum Camuzatum in Promptuario Antiquitatum Tricassinarum ita loquitur Author Historiæ Frodobertinæ. *Frodobertus per totius noctis excursum, Deo semper intentus, cùm inter spiritualia colloquia hora succederet, expletâ solemniter à fratribus in Ecclesia Psalmodia & Orationum quantitate, vniuersos denuò iubet adesse discipulos, dúmque ante eum textus Passionis legeretur Dominicæ, sub oculis omnium sancta anima carnis exuta velamine, fœlici decessu cælestia penetrauit. Et illo quidem ita ex humanis assumpto collegiis, extemplò reuerentissimus nepos eius Waldinus, qui postmodùm loco auunculi in eodem ipsius Monasterio Abbas successit, gressu concito in Cœnobio S. Quintini ad memorabilem Gibitrudem Abbatissam perueniens, sancti viri obitum nunciauit. Illicò omnium pectora nouus quidem & penè intolerabilis dolor irrupit, pársque salutis absumpta putabatur, tantâ Patris absentiâ succedente. Vniuerso itaque Sanctimonialium cœtu in fletum & lachrymas*

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

lachrymas erumpente, venerabilis Abbatissa viscerali commota pietate, rapto cursu ad sancti viri exequias quamcelerrimè properauit. Cúmque inter eos de funeris diligentia tractaretur, illâ perquirente an loculus tumulando præparatus corpori adesset, responsum est, emptum quidem esse à quodam illustri viro Walberto nomine lapideum monumentum, verùm proceritati corporis eius nullomodò conuenire. Fuit enim idem sacratißimus vir non solùm animo splendidus, sed etiam venusto & procero corpore speciosus, vt illi quoque perhibent, qui eius sacratißimi corporis ossa se aspexisse fatentur. Missis itaque raptim ministris ad id deuehendum, mox mirum in modum miraculo claruit quòd summi esset meriti, cui funebres exequiæ parabantur. Nam cùm idem Walbertus quosdam è domesticis direxisset, qui emptum sarcophagum iis qui illud deferre venerant aßignarent, supernâ dispensante clementiâ tanta eos alienatio mentis elusit, vt pro vasculo breuiore quod emptum fuerat, aliud spatiosius & capacius, quod sibi idem Walbertus præparauerat, designarent. Quod illi vehiculo imponentes ad locum, quo vir sanctus se tumulandum decreuerat, quam citißimè perduxerunt, ita Omnipotens Deus, cui cura est de omnibus, nec ipsis quidem cineribus electi sui famuli quidpiam deesse passus est opportunum. Vniuersis igitur ad vsus sepulturæ pertinentibus elegantißime præparatis, supradictus reuerendißimus Pontifex, Abbatum suburbanorum Clerique ac populi agmine circumseptus ad B. Frodoberti exequias properat, cùm adhuc sacrum eius corpus in Cella Christiano more compositum iaceret. Qui primùm vt ratio expetebat ad præfata Basilicæ dedicationem accingitur peragendam, quam cùm solemni officio expleuisset, sacrum corpus cum reuerentia eleuans in Ecclesiam intulit, ac die eiusdem dedicationis, Kalendis scilicet Ianuariis, cum hymnis & laudibus & vniuerso Ecclesiastici officij apparatu preciosè in eadem Basilica, quam ipse construxerat, tradidit sepulturæ. Ita vir Domini terræ visceribus officiosißimè commendatus, septimam sabbati cum Christo in anima celebrat, octauam verò nostræ omnium resurrectioni generaliter repromissam interritus, immò de gloria securus expectat, etsi corpore mortuus, meritis tamen viuacibus in perpetuum gloriosus. Quot annos Gibitrudis Abbatissa sancti Quintini beato Frodoberto superstes vixerit, haud scimus, nec Abbatissarum, quæ Tricassino illi Monasterio præfuerunt, vllam commemorassemus, nisi Roculam & Gibitrudem Auctor Histotiæ Frodobettinæ laudasset. Eiusdem Cœnobij conditor initiúmque nesciuntur. Illius loci vicissitudinem mutationémque paucis accipe ex notatiuncula, quam Nicolaus Camuzatus in margine ad sancti Frodoberti vitam apposuit. *Ecclesia S. Quintini Trecensis olim fuit puellarum Cœnobium, nunc verò est Prioratus à Cœnobio Molismensi Ord. Benedictini dependens, & per Monachum eiusdem Ordinis haberi & deseruiri solitus.* Ex eadem Historia Frodobertina Iacobus *Cousinot* in manuscripto Thesauro Antiquitatum Augustæ Basilicæ sancti Lupi apud Tricasses collegit Theudecarium & Leonem Abbates Monasterij Beatæ Mariæ seu sancti Lupi prope muros Trecenses extitisse. De Theudecario nulla difficultas, quia Basilicæ sancti Auentini Confessoris & Beatæ Mariæ semper Virginis, quarum posterior nomen etiam sancti Lupi gerebat, in Orientali Trecarum suburbio sitæ erant, & Auctor Histotiæ Frodobertinæ postquàm de Basilica beati Auentini locutus est, Theudecarium eiusdem suburbij Abbatem statim commendat. *Paucorum*, inquit, *dierum interlabente curriculo, ad Basilicam B. Auentini Confessoris, eius gratiâ ex more Christi famulus* Frodobertus *accedebat. cúmque iam fores Ecclesiæ perintraret, contigit quendam energumenum dæmone exagitante vexari, qui rabidâ peste captiuus cùm miserum os in amentiæ verba laxasset, inter cætera famina pectoris furiosi, B. Frodoberti sæpiùs nomen ingeminans, sancto viro verbis procacibus insultabat, quòd eo sacras exercente vigilias solatium luminis detraxisset. At miles Christi strenuißimus, diabolicæ fraudis conscius, nullâ potuit minarum intentatione terreri, cui Christus erat præsidium, & contra hostiles machinas inexpugnabile firmamentum: quin potiùs quantò aduersùm se certamina dæmonum acriora cognouerat, tantò se robustiùs ad spiritualem pugnam contra inuisibiles nequitias præparabat. Opera pretium est illud quoque fidelium auribus tradere, quòd ei sæpè benignè annuente Domino secreta cælestis curiæ pandeban-*

GIBITRVDIS ABBATISSA SANCTI QVINTINI.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10. *tur, & quoniam ſemper mente in cæleſtibus habitabat, hauſtum ſupernæ iocunditatis diuina ei pietas frequentiùs propinabat, vt tantò ad hanc ardentiùs curreret, quantò ſuauitatis eius dulcedinem appetentiùs deguſtaſſet. Die enim quadam venerabilis Theudecarius eiuſdem Abbas ſuburbij, viſitationis pariter & inſtructionis ſuæ gratiâ ad eum venerat, vt mos erat cunctis per circuitum religioſis hunc ipſum ſanctum virum frequenter expetere, quatenus eius & exhortatione inſtrui & benedictione poſſent ſanctiſſimâ roborari. Cùm itaque circa horam ferè tertiam Frodobertus Spiritu Sancto plenus cum præfato viro Chriſtianiſſimo Theudecario Abbate fructuoſum ac ſpirituale colloquium fereret, audiuit Angelorum choros harmonicâ ſuauitate ineffabilique concentu cæleſtes Hymnos ad ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis gloriam concinentes. Cuius canorem dulcedinis, poſtquàm aliquandiu attonitis auribus hauſit, præfatum Theudecarium huic miraculo teſtem adhibuit, quo etiam poſtmodum referente ad notitiam plurimorum res tam mirifica decurrit.* Lege quæ ſuperiùs dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum[a]. De Leone Abbate non eſt par ratio, quia Monaſterium, cui præfuit non adeò clarè deſignatur. Huius Leonis, vt anno ſuperiori[b] tetulimus, ita meminit Auctor Hiſtoriæ Frodobertinæ. *Dies Dominicæ Natiuitatis cælo terrâque feſtiuiſſimus, ac toto Orbe colendus illuxerat. Acciti itaque duobus nominatim Diſcipulis Leone ſcilicet viro ſanctiſſimo, qui tum in eodem ſuburbio Abbas mitiſſimus exiſtebat, itémque Lupello, qui vitæ & conuerſationis eius inſignia, vt ipſius ſcripto declaratum eſt, licèt iuſto breuiùs litteris allegauit, ad Abbonem virum reuerentiſſimum eiuſdem tunc vrbis* Trecenſis *Antiſtitem ſummâ eos celeritate direxit* Frodobertus *obnixiùs ſupplicans, vt Oratorium, quod ipſe honori Apoſtolorum Principis in ſuperiùs deſcripta palude conſtruxerat, die Ortûs Dominici conſecraret.* Et paulò pòſt. *Diſcipuli feſtinantiùs remeantes ſancto Patri* Frodoberto *reſponſa Pontificis detulerunt.* Hæ voces, *in eodem ſuburbio*, non obſcurè ſignificant in eodem ſuburbio ſita fuiſſe Monaſteria, quæ Frodobertus & Leo Abbates iiſdem tempotibus gubernarunt. Suburbium autem Orientale, vbi Cœnobium Beatæ Mariæ ſeu Sancti Lupi, procul diſtabat à ſuburbio, vbi Frodobertus Cellenſe Monaſterium erexerat. Prætereà Leo, cùm fuerit è Diſcipulis Frodoberti taliſque prædicetur in rexribus ſuprà deſcriptis, non videtur Cœnobio præfuiſſe Clericorum quale erat Monaſterium Beatæ Mariæ ſeu Sancti Lupi, ſed Cœnobio Monachorum quale erat Cellenſe cuius Abbas Frodobertus. Difficultatem agnouit Auctor Antiquitatum manuſcriptarum Monaſterij Sancti Lupi, & vt ab ea ſe ſubtiliter expediret, Leonem in Hiſtoria Frodobertina diſcipulum Frodoberti dixit appellari; vel quia cùm adoleſcens eſſet traditus eſt in Flodoberti diſciplinam, deinde in Monaſterio Beatæ Mariæ ſeu Sancti Lupi factus eſt Clericus ſeu Canonicus ac poſtmodum Abbas; vel quia Frodobertum frequenter expetebat, nam teſte Auctore Hiſtoriæ Frodobertinæ *moris erat cunctis per circuitum religioſis hunc ipſum ſanctum virum frequenter expetere, quatenus eius & exhortatione inſtrui & benedictione poſſent ſanctiſſimâ roborari.* Leo Abbas Frodoberto ſuperſtes vixit, locúmque tenuit inter Abbates ſuburbanos, qui funus eiuſdem Frodoberti cum Abbone Trecenſi Pontifice curarunt. *Vniuerſis*, inquit idem Auctor, *ad vſus ſepulturæ pertinentibus elegantiſſimè preparatis, ſupradictus Reuerendiſſimus Pontifex, Abbatum ſuburbanorum Clerique ac populi agmine circumſeptus, ad B. Frodoberti exequias properat.* Nullum autem inde petitur argumentum, quo probare certò poſſis Leonem Abbatem fuiſſe Clericorum, qui Beatæ Mariæ ſeu Sancti Lupi Monaſterium in Orientali Trecarum ſuburbio ſitum incolebant.

a No. 16. 17.

b Num. 4.

LEO VTRVM ABBAS S. LVPI.

VI. EPISCOPI SENONENSES.

Emmo ſiue Emino Senonenſis Epiſcopus, cuius mentionem anno priori ex Beda[c] fecimus, vitam clauſit hoc anno. Amatus enim, qui ſucceſſit, Pontificatum geſſit ſub Theodorico, tum ſub Childerico, deinde iterum ſub Theodorico, à quo pulſus eſt in exilium, vt Auctor[d] vitæ tradit. De morte ac ſepultura Emmonis Clarius in Chronico Sancti Petri Viui ſic ſcribit. *Anno* DCLXXV. *tranſit ad Chriſtum Sanctus Emmo Senonum Archiepiſcopus, ſepultúſque eſt in Baſilica Beati Petri Viui.* Præter Clarium Monachus Altiſſiodotenſis mul-

c L. 4. c. 1.

d Ap. Sur. d. 13. Sept.

tique Nomenclatores in Antistitum Senonensium catalogo Sanctitatem Emmonis prædicant, Martyrologium tamen, in quo nomen eius haberetur, nondum legimus. Mors eiusdem Emmonis in annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum reiici nequit, Amatus enim in Episcopatum iam successerat, cùm Theodoricus Regno spoliatus in potestatem Childerici fratris deuenit. Vitiosi sunt Indices Episcoporum Senonensium. Qua de re grauiter ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-secundum [a] iam questi sumus, locum illum adi. Clarius Aigilenum Sancti Petri Viui Abbatem prædicto Emmoni Episcopo coætaneum testatur. *Florebat*, inquit, *tempore illo in eodem Cœnobio vir venerabilis Aigilenus Abbas in sancta religione feruens, & Cœnobium illud singulare in his regionibus erat sanctitate & religione.* Conditum fuit illud Monasterium à Theudechilde, Theodorici Primi filia, Clodouei Magni nepte, cùm Clotarius Primus, eius patruus, vniuersæ Franciæ dominabatur. Nondum venerat in Franciam Sanctus Columbanus, nec ante annum Christi quingentesimum nonagesimum iacta sunt prima fundamenta Monasterij Luxouiensis. Abbatum Sancti Petri Viui, quorum nomina hodie supersunt, tres antiquissimi recensentur, Amalbertus, Aigilenus & Ebbo. De Amalberto hæc tantùm Robertus. *Amalbertus, A. C. circiter* 507. Plura Sammarthani sic. *Amalbertus circiter an.* 507. *secundùm Regulam Luxouiensis Monastery regularem disciplinam induxit.* In Monasterio Sancti Petri Viui, quod Luxouiensi vetustius est, à primo conditu non obseruata fuit Regula Luxouiensis seu Regula Sancti Columbani, sed Regula Sanctorum Patrum, id est, Regula ex Basilio aliisque Patribus collecta, vt de Monasteriis haud paucis obseruatum est suprà. Si Regula Sancti Columbani posteà suscepta est à Monachis Senonensibus, rem illam aut non promouit Amalbertus Abbas aut seriùs vixit quàm prædicti scribunt Authores. Facilè nobis persuademus Amalbertum floruisse septimo seculo, cùm Eustasius Abbas aut eius successor Walbertus Luxouiense Monasterium iam administrabat. Illis temporibus erant in maxima per vniuersam Galliam existimatione Monachi Luxouienses, quosdam ex hoc Asceterio Senonas ab Amalberto vocatos esse nil vetat. Hæc autem si vera sunt, Amalbetto proximè successit Aigilenus, cuius encomium ex Clario suprà retulimus. Plura de vtroque non venerunt in nostram notitiam. Agemus infrà de Ebbone, qui ex Abbate factus est Episcopus Senonensis.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

[a] Nn. 45. 46.

ABBATES S. PETRI VIVI.

III. Sub initium huius anni, vt Beda scribit [b], *cùm nuncij certi narrassent Regi Cantuariorum Egberto, adesse scilicet Episcopum, quem petierant à Romano Antistite, in Regno Francorum, misit illo continuò Redfridum Præfectum suum ad adducendum eum. Quò cùm peruenisset, assumpsit Theodorum cum Ebroini licentia, & perduxit eum ad portum, cui nomen est Quentawic, vbi fatigatus infirmitate aliquantisper moratus est, & cùm conualescere cœpisset, nauiganit Britanniam. Adrianum autem Ebroinus retinuit, quoniam suspicabatur eum habere aliquam Legationem Imperatoris ad Britannia Reges aduersùs Regnum, cuius tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cùm tale nihil illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absoluit eum, & post Theodorum ire permisit. Peruenit autem Theodorus ad Ecclesiam suam secundo postquàm consecratus est anno, sub die* 6. *Kalendarum Iuniarum Dominica*, id est, anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo-nono, quia septimo Kalendas Apriles huius anni Theodorus secundum Pontificatûs annum iniit currente literâ Dominicali G, quâ notatur dies sextus ante Kalendas Iunias.

[b] L. 4. cc. 1. 2.

THEODORVS E FRANCIA IT IN ANGLIAM.

IV. Theodoro in Angliam profecto, & Dorouernensis Ecclesiæ Pontifice iam constituto, Cenwach Rex Occidentalium Saxonum, vt Beda quoque testatur [c], *misit Legatarios in Galliam ad Agilbertum* Parisiorum Episcopum, *submissâ illum satisfactione deprecans ad Episcopatum suæ gentis redire. At ille se excusans, & eò venire non posse contestans, quia Episcopatu propriæ ciuitatis ac parœcia teneretur astrictus. Ne tamen obnixè petenti nil ferret auxilij, misit pro se illo Presbyterum Eleutherium nomine nepotem suum, qui ei, si vellet, ordinaretur Episcopus,*

[c] L. 3. c. 4.

ELEVTHERIVS FRANCVS FIT EPISCOPVS IN ANGLIA.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

dicens, quòd ipse eum dignum esse Episcopatu iudicaret. Quo honorificè à populo & à Rege suscepto, rogauerunt Theodorum tunc Archiepiscopum Dorouernensis Ecclesiæ ipsum sibi Antistitem consecrari. Qui consecratus in ipsa ciuitate, multis annis Episcopatum Geuissorum ex Synodica sanctione solus sedula moderamine gessit.

V. Papolenus Abbas Stabulensis Romam religionis gratiâ profectus à Romano Pontifice impetrauit, vt sancti Symmetrij corpus liceret in Austrasiam deferre, collocauitque Ladernaci * hac lege, vt quot annis septimo Idus Maias Stabuletum deferrent Ladernacenses, ibique præscriptum clientelæ symbolum penderent. Eo loco, qui pagus est ditionis Stabulensis viâ Leodiensi, sanctum Symmetrium constat miraculis claruisse. Lege Fisenum in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, septimo Kalendas Iunij, quo die sanctus Symmetrius seu Simitrius Ptesbyter Martyrium cum aliis duobus ac viginti sub Antonino Pio consummauit, vt Ecclesiasticæ docent Tabulæ.

* Lerneux. RELIQVIÆ S. SYMMETRII DEFERVNTVR IN FRANCIAM.

VI. * Lambertus, quem anno priori Traiectensem Episcopum creatum obseruauimus, sub initium sui Pontificatûs Ecclesiam à Landrada Virgine in saltu, cui nomen Bellua, constructam dicauit. Exin multæ ad Landradam Virgines ac Viduæ confluxerunt, & locus ille non vt priùs à belluis Bellua, sed Belysia, id est, Benè Elysia, vocari cœpit teste Theodotico in vita sanctæ Landradæ.

BELYSIA.

VII. Hoc anno Clotarius Rex obiit, cùm annum Regni decimum-quartum ageret iuxta sancti Wandregisili Fontanellensis Abbatis Prophetiam, cuius meminit Authot vitæ apud Bollandum in prolegomenis ad vitam sanctæ Bathildis. *Spiritum prophetia diuinitus illi collatum nan dubitamus, itaut qua ventura essent, plurimis innotesceret. Profectò notum est, eum crebrò prædixisse ventura, qua posteà constant fuisse impleta. Namque Reginæ relicta Bathildi Clodouei Regis, obitus triarcharum filiorum ac successiones insinuauit. E quibus Lotharius, qui maior erat natu, quartum-decimum Regni agens annum consortiis subitò caruit humanis. Deinde Childericus temerè ab insidiatoribus interemptus à præsenti sublatus est vita. Tertius quoque Theodoricus superstes matris, Regni suscepit gubernacula. Sicque iuxta viri Dei Prophetiam euenisse manifestum est.* In Gestis [a] Regum Ftancorum & apud Ftedegarij Continuatotem [b] Clotario Regi tribuuntur anni duntaxat quatuor. At illam sententiam iam satis explosimus authoritate freti veterum Chartarum & antiquorum Scriptorum, qui sanctorum Leodegarij & Wandregisili vitas literis commendarunt. Si Clotarius regnauit annos tantùm quatuor, obiit puer vt in Gestis Regum Francorum legitur, Regnum enim Francorum adeptus est cùm annum ætatis quartum vix expleuisset. Verùm quomodò puer octo annorum ctedi potuit pater illius Clodouei, quem nonnulli Proceres in Austrasia Regem aduersùs Theodoricum erexerunt teste Anonymo in vita sancti Leodegarij? Nostro calculo Clotarius vixit annos octodecim.

CLOTARIVS REX OBIIT.

[a] Cap. 45.
[b] Cap. 93.

VIII. Illis temporibus Ebroinus Maiordomûs Leodegario Augustodunensium Episcopo infensissimus erat, vt testatur Anonymus iam laudatus qui vitam ipsius Leodegarij Ermenario Leodegarij successori dicauit. *Sanctus Pontifex Leodegarius dum in Augustidunensi vrbe felix in pace conuersaretur, postquàm omnia quæ diruta fuerant innouauerat, & in diuinis officiis Clericos erudierat, prædicatione què assiduus calesti populum commoneret, & in Dei mandatis custodiendis eius animus esset intentus, ita fuit efficax illius voluntas in omnibus, vt quæque implere decreuisset, ei à Domino absque difficultate tribueretur effectus. Nec enim immeritò suam Omnipotens Deus illi contulit gratiam, quia priùs ipsius se tota deuouerat custodire mandata. Sed quia à bona voluntate semper discordat malitia, & antiquus serpens inuidus semper inuenit per quos scandalum seminet, aliqui honorati spiritalia nescientes, sed potiùs potentiam secularem timentes, videntes hunc virum inflexibilem per iustitiæ culmen existere, inuido cœperunt liuore torqueri, & statuunt, si sit aditus, eius obuiare profectibus. Erat in illis temporibus Ebroinus Maiordomûs, qui sub Rege Clothario tunc regebat Palatium. Iam Regina* Bathildis *in Monasterio, quod sibi anteà præparauerat, residebat. Potereà memoratum inuidum adeunt Ebroinum, & contra Dei virum eius in furorem suscitant animum, & dum veritatis ac-*

EBROINVS INFENSVS EST LEODEGARIO EP. AVGVSTOD.

AN.CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

cusationem non inuenientes mendacium falsitatis confingunt, quasi dum omnes iussionibus Ebroini obedirent, solus Leodegarius Episcopus eius iussa contemneret. Erat enim memoratus Ebroinus ita cupiditatis face succensus, & in ambitione pecuniæ deditus, vt illi coram eo iustam causam tantùm haberent, qui plus pecuniæ detulissent. Cúmque alij timoris causâ, alij pro redimenda iustitia eum auri argentíque immensâ replessent pecuniâ, quorundam animi ob huius causam exspolij dolore tacti, contra eum fuerant iam commoti, & quia non solùm rapacitatis exercebat commercium, verùm etiam pro leui offensa sanguinem nobilium multorum fundebat innoxium. Sanctum itaque Leodegarium Episcopum ideò habebat suspectum, quia eum superare non valebat in verbo, nec adulationis ei vt ceteri impendebat obsequium, & contra omnes minas suas semper eum cognouerat permanere intrepidum. Tyrannicum enim dederat tunc edictum, vt de Burgundiæ partibus nullus præsumeret adire Palatium, nisi qui eius accepisset mandatum. Tunc de metu prioris fuerunt omnes suspecti, quòd hoc excogitasset ad suum facinus cumulandum, vt aut quosdam capitis amissione damnaret, aut dispendia facultatum infligeret. Interim donec causa suspenditur, Rex Clotharius à Domino vocatus de hac luce migrauit.

IX. THEODORICVS CLOTARIO SVCCEDIT.

Post Clotarium Theodoricus eius frater in Neustria & Burgundia per aliquot menses regnauit, vsquedum missus est in Monasterium à Childerico fratre, vt dicemus anno sequenti. Non defuerunt, qui Clotarium, quamdiu vixit, totius Franciæ Monarcham extitisse scriberent. Hos in errorem pertraxit Anonymus, qui Gesta Regum Francorum fabulosè contexuit. Nam mortuo Clotario, Theodoricum apud Francos, id est, apud Neustrasios quibus Burgundiones coniungebantur, & Childericum apud Austrasios Regno primùm positos esse sic affirmauit [a]. *In his diebus Chlotharius Rex obiit. Theudericus autem frater eius Rex eleuatus est Francorum. Childericus itaque alius frater eius in Austria vnà cum Wlfaldo Duce Regnum suscipere perrexit.* Childericus, antequàm Clotarius frater è vita discederet, in Austria diu regnauit. Id tot argumentis probauimus probabimúsque, vt in dubium vocari nullomodò possit. Theodoricus fratrum natu minimus priuatam vitam agebat, vtrùm in Clotarij Palatio, an in aula Childerici, non est constans omnium opinio. Priorem sententiam plures tuentur, pauciores posteriorem. Hæc tamen alteri præstat ob authoritatem veteris Anonymi, qui Fredegarium sex auxit capitulis, & Theodoricum apud Wlfoaldum, qui Maioratum Austrasiani Palatij sub Rege Childerico gerebat, in Austrasia Regem à Francis seu Neustrasiis eleuatum esse sic asseruit [b]. *His diebus Chlotharius Rex à valida febre correptus obiit in iuuentute. Theodoricus verò frater in Austrasia à Francis in regnum eleuatus est apud Wlfoaldum Ducem.* Nec aduersatur Audoenus in vita sancti Eligij, cùm ait Clotharium & Theodoricum quandoque è Palatio simul egressos ad eiusdem beati Eligij Basilicam accessisse, id enim multis annis ante mortem Clotarij contigit, nihílque vetat quominùs in Austriam Theodoricus posteà secesserit Clotario fratre adhuc superstite.

[a] Cap. 45.
[b] Cap. 93.

X. VINDICIANVS FIT EP. ATREBAT.

In sancti Auberti locum, cuius felicem ad cælos transitum anno priori retulimus, Episcopus Cameracensis & Atrebatensis subrogatus est hoc anno Vindicianus, qui suo gregi non minore virtutis ac doctrinæ splendore præluxit. Annum hunc eius Ordinationi assignat Coluenerius in notis ad Chronicon [c] Balderici, consecratum enim Episcopum affirmat *temporibus Theodorici Regis, qui post Chlotharium fratrem summam Regni suscepit*, ídque ex antiquis Tabulis à Claudio *Desprets* sibi communicatis probat. Eandem sententiam amplectuntur Bollandus in Commentario præuio vitæ sancti Sigiberti Regis [d], & Henschenius in Diatriba [e] de tribus Dagobertis, quamuis Theodorici Principatum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto perperam illigent. Nostram Chronologiam præualidè confirmat Miræus in Fastis Belgicis [f], vbi testatur Vindicianum Antistitem ordinatum fuisse octauo Kalendas Iulij, dies enim ille, cui littera G præfigitur, hoc anno Dominicus fuit. Vindicianus, quòd beato Eligio *familiari vsu dilectionis* aliàs inhæserit, à Balderico [g] iure commendatur; tanti magistri se discipulum professus est quamdiu vixit.

[c] L. 1. c. 19.
[d] D. 1. Febr.
[e] L. 2. c. 4.
[f] D. 11. Mart.
[g] L. 1. c. 18.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

XI.

Theodoticus Regna Neuſtriæ & Burgundiæ paucis tantùm menſibus tenuit, ſubſtituto in eius locum Childerico fratre, Auſtriæ iam Rege. Hos tumultus ita deſcribit Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Eo tempore Franci*, id eſt, Neuſttaſij & Butgundiones, *aduerſus Ebroinum inſidias parant, ſuper Theudericum conſurgunt, eúmque à Regno deiiciunt. Crinéſque capitis amborum vi abſtrahentes, incendunt, Ebroinum tondunt, eúmque in Luxonio Monaſterio in Burgundia dirigunt. In Auſter quoque propter Childericum Legationem mittentes accommodant, & vnà cum Wolfoaldo Duce veniens in Regno Francorum eleuatus eſt.* Habet eadem Continuatot [b] Ftedegarij. *Eo tempore Franci aduersùs Ebruinum inſidias præparant, contra Theodoricum inſurgunt, eúmque à Regno deiiciunt, crines capitis eius abſcindentes totonderunt, Ebroinúmque & ipſum tondunt, & in Burgundiam Luxonium Monaſterium inuitum dirigunt. Propter Childericum verò in Auſter Legationem mittunt, vnà cum Wlfoaldo Duce venientem, eúmque ſuper cunctum Regnum ſuſcipiunt.* In Sigeberti Chronico *Lotharius Rex Francorum moritur, & Theodoricus frater eius ab Ebroino Maiore domûs in Regnum ſublimatur.* Deinde anno ſequenti, *Theodericus Rex propter inſolentiam Ebroini à Francis repudiatur, & frater eius Hildericus, qui in Auſtria regnabat, à cunctis ad Regnum euocatur. Porrò Theodericus & Ebroinus tonſurantur, & Theodericus Pariſius in Cœnobio ſancti Dionyſij, Ebroinus in Luxonio relegantur. Hilderici Maior domûs erat Wlfoaldus.* In diſtinguendis temporum intetuallis, quibus Theodoricus Regnum ſuſcepit amiſitque, diſcrepamus ab hoc poſtremo Scriptore, quia Leodegarius Auguſtodunenſis Pontifex epiſtolæ donationis ab Abbate Berchario factæ ſubſctipſit 3. *Cal. Septemb. præſente domno & glorioſiſſimo Childerico Rege, an. 4. regni eius*, id eſt, tertio Kalendas Septembris, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo, Childerici in Neuſtria Burgundiâque regnantis anno quarto iam inchoato.

[a] Cap. 45.

[b] Cap. 94.

CHILDERICVS REGNAT IN NEVSTRIA ET BVRGVNDIA.

XII. EBROINVS ODIO HABITVR

Cauſa totius odij, quo Neuſtriæ Burgundiæque Ptoceres in Ebtoinum exarſerunt, hæc fuit. *Cùm Ebroinus* poſt Clotarij mortem, *eius germanum nomine Theodericum conuocatis Optimatibus ſolemniter, vt mos eſt, debuiſſet ſublimare in Regnum, ſuperbia ſpiritu tumidus eos noluit deinde conuocare. Ideò magis cœperunt metuere, eò quòd Regem, quem ad gloriam patriæ publicè debuerat ſublimare, dum poſt ſe retineret eum pro nomine, cui malum cupierat audenter valeret inferre. Cúmque multitudo nobilium, qui ad Regis noui properabant occurſum, mandante Ebroino itineris accepiſſent repudium, inito in commune conſilio, relicto eo omnes expetunt Childericum iuniorem, eius fratrem, qui in Auſtraſia acceperat Regnum. Quod conſilium qui tunc noluit ſequi, aut fugaciter euaſit, aut cum periculo incendio comminato adquieuit inuitus.* Hæc in vita ſancti Leodegarij ſctipta ſunt ab Anonymo coætaneo, qui ꝰ *iuniorem* non ad fratrem ſed ad Childericum referte voluit, vt Childericum bunc cognomento Iuniorem à Seniore Childerico Clodouei primi patre diſtingueret, nam cùm tes ſui temporis in literas teferrer, ignorare non potuit Childericum natu maiorem fratre Theodorico fuiſſe. Breuiùs docet Vrſinus nomen Ebtoini tunc extitiſſe *odioſum apud Francos, vt qui illo rurſus iugo premendos ſe vererentur, quod ſub Clothario per eum experti eſſent.*

XIII.

In tanto conſtitutus periculo, quid Ebroinus egerit, ita ſubdit Anonymus. *Cùm omnes ob Ebroini tyrannidem metu Childericum induxiſſent tam in Neuſtria quàm in Burgundia regno, agnoſcens tyrannus ſuo hoc facinore perpetratum, ad Eccleſiæ confugit altare, eiúſque in multis partibus ſubitò theſaurum direptum, & quod iniquus diu congregauerat malè, diſperſum eſt ſubitò benè. Epiſcopis tunc quibuſdam intercedentibus, & præcipuè interuentu Antiſtitis Leodegarij, eum non interficiunt, ſed Luxonio Monaſterio dirigitur in exilium, vt facinora quæ perpetrauerat euaderet pœnitendo. Sed quia terrena cupiditatis puluere oculos cordis habuit cæcos, ideò in animam malinolam ſpiritalis non profuit ſapientia.* Vrſinus ait Ebroinum multo timore correptum petiiſſe à Rege Childerico, *vt rebus omnibus derelictis permitteret ipſi vitâ incolumi degere in Monaſterio.* Tum hæc ſubiungit. *Illo ſic rogante, & Leodegario quoque pro eo intercedente Rex aſſenſit, & illicò ad Monaſterium Lu-*

MITTITVR LVXOVIVM.

LEODEGARIVS STAT A PARTIBVS CHILDERICI.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

xenium eum destinauit, vt illic monasticum institutum complecteretur. Childericus ab Vrsino laudatus reperitur, quod adhuc adolescens pro sua ætate Regnum Austrasiorum hactenus optimè administrasset. Auspicatus erat annum vitæ duodeuicesimum, & Bilihildem, cuius iam meminimus, in vxorem duxerat. Hanc plerique fingunt Leodegarij Augustodunensis Episcopi neptem fuisse ex sorore, & Leodegarium, vt à partibus Childerici staret, solo huiuscemodi affinitatis intuitu permotum volunt. Vnde prodierit hæc fabula, docebimus suo loco.

XIV. THEODORICVS RESIDET IN MONASTERIO S. DIONYSII.

In Regno confirmatus Childericus Rex germanum suum Theodoricum cuidam seruo Dei conseruandum ac nutriendum commisit. Hæc breuiter Vrsinus, quæ copiosiùs ac distinctiùs ab Anonymo sic enarrantur. *Cùm Childericus germanum, supra quem petitus venerat, sibimet præsentari iussisset, vt colloqui ei deberet, tunc quidam, qui in Regno videbantur esse Primary, & Childerico cupiebant auidè placere, crinem sui Domini temeritatis ausu iusserunt amputari, sicque fratri suo eum studuerunt præsentare. Sed cùm ab eo interrogaretur, quid de se agere vellet, ille verò hoc solùm, eò quòd iniustè fuerit de loco Regni deiectus, iudicium se à Deo celer expectare est professus. Tunc ad Monasterium Sancti Martyris Dionysij residere est iussus, ibique expectare, donec crinem quem amputauerunt enutriret.* Quæ secuta sunt, exponemus suis locis. Interim quinam Abbates Monasteriis Luxouiensi & San-Dionysiano tunc præfuerint, operæ pretium videtur hic inquirere.

XV. WALBERTVS ABBAS LVXOVIENSIS.

Luxouiensi Monasterio, cùm Ebroinus illud adiit, præerat adhuc Walbertus Abbas insignis, Faronis Meldensis Episcopi frater. Vtrumque sæpè laudauimus. Sancto Eustasio in administrationem Luxouiensis Monasterij successit Walbertus anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto. Post Gundobaldum, qui suâ subscriptione Synodum Remensem eodem anno sexcentesimo vicesimo-quinto roborauit, in Meldensi Cathedra sedere cœpit Faro, cùm Clotarius Rex, huius nominis Secundus, in viuis adhuc superstes esset, id est, anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto vel sequenti, nam Clotarius anno Christi sexcentesimo duodetricesimo vitam cum morte commutauit. Lege quæ Tomo superiore dicta sunt de Walberto ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-quintum [a], de Farone ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-septimum [b]. Quot annos egerit in præfectura Luxouiensi Walbertus, quot item annis Meldensem Pontificatum gesserit Faro, manet inuestigandum. Walberto quadraginta duntaxat annos regiminis Luxouiensis tribuunt Auctores [c] Galliæ Christianæ, plures necessariò tribuendos apertissimè colligimus ex Beda. Monasterium Luxouiense rexit Walbertus Abbas ad mortem vsque Faronis fratris, post cuius obitum ordinatus est Episcopus Meldensis. Non ignoramus multos inueniri Scriptores, qui Faronem Walberto fratri postponant in catalogo Meldensium Episcoporum. Sunt in hac sententia, Tritthemius [d], Demochares [e], Molanus [f], Chenutius, Robertus, Saussaius [g], & Sammarthani [h], vt omittamus Seuertium, qui non tantùm Walbertum Faroni fratri præponit, sed & inter ambos fratres medium Emmenesenonum collocat, deinde Faroni subiicit Chagnoaldum & alterum Walbertum Chagnoaldi fratrem, cui successerit Hildeuertus. Fatetur tamen Molanus Walberto Faronem ab Iperio Monasterij Bertinensis Abbate & Historiographo præponi. Quin & eidem opinioni Seuertius, si corrigatur, plurimùm fauet. Hic Auctor contra sententiam omnium duos Walbertos in catalogo Meldensium Antistitum constituit; vnum Gundobaldi successorem, alterum decessorem Hildeuerti; priorem Hagnerici filium & Faronis fratrem, posteriorem fratrem Chagnoaldi decessoris; vtrumque Abbatem Luxouiensem. Duos Walbertos, cùm Abbates Luxouienses, tum Meldenses Episcopos, quorum alter Hagnerici filius & frater Faronis, alter Chagnoaldi frater esset, procul dubiò conflauit ex vno, qui filius Hagnerici, frater Faronis & Chagnoaldi fuit. Prioris Walberti Pontificatum biennio circumscripsit, ab anno videlicet Christi sexcentesimo decimo-sexto quo Gundobaldum decessorem Synodo Remensi interfuisse credi-

CATALOGVS MELDENSIVM EPISCOPORVM EXAMINATVR.

[a] Nu. 10. 14.
[b] Nu. 17.
[c] Tom. 4. in Luxouio.
[d] L. 4. c. 139.
[e] De Diu. Missæ sacrif. c. 19.
[f] In not. ad d. 2. Maij.
[g] D. 2. Maij. d. 28 Octobr.
[h] Tom. 3. Gall. Christ.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

dit, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum duodeuiceſimum quo Walbertum ipſum ex hac vita ſublatum putauit. Expungi poteſt hic Pontificatus abſque vllo Chronologiæ detrimento, quia longè poſt annum Chriſti DCXVIII. celebrata eſt Synodus Remenſis, nam qui præſens interfuit ſubſcripsítque Sulpitius Bituricenſis Epiſcopus, ad Pontificatum promotus eſt anno Chriſti DCXXIV. Potiori quàm prædictus Walbertus iure ſeruari non debet in catalogo Meldenſium Epiſcoporum Emmeneſenonus, quem Seuerrio ſuppeditauit vulgatus hic Bedæ [a] textus. *Adrianus perrexit ad Emmeneſonum, & poſteà ad Faronem Meldorum Epiſcopos, & benè cum eis diutiùs fuit. Cogebat enim eos imminens hyems, vt vbicumque potuiſſent, quieti manerent.* Eſt enim deprauatus hic locus Bedæ, nec inde colligere quis poteſt Adrianum propter hyemem apud duos Meldenſes Epiſcopos, apud Emmeneſenonum ſiue Emmeſenonum & apud Faronem, quorum alter alteri proximè ſucceſſerit, hoſpitem manſiſſe. Bedam ſic teſtitue. *Adrianus perrexit ad Emmonem Senonum & poſteà ad Faronem Meldorum Epiſcopos; & benè cum eis diutiùs fuit. Cogebat enim*, &c. Loquitur Beda de Adriano Abbate, qui Româ iter in Angliam cum Theodoro Epiſcopo ſuſcepit, motámque propter imminentem hyemem in Gallia fecit, primùm Senonis apud Emmonem Epiſcopum Senonenſem, deinde Meldis apud Faronem Meldenſem Epiſcopum. Priore autem Walberto & Emmeneſeno abraſis, Gundoaldum ſeu Gundobaldum in Seuertij catalogo ſequitur Faro, quem eidem Gundoaldo ſeu Gundobaldo ſucceſſiſſe iam aſſeruimus [b]. Idem Auctor Faroni Chagnoaldum, Chagnoaldo Walbertum; Walberto Hildeuertum ſuffecit. Chagnoaldum laudauit, quòd *fuerat diſcipulus in monaſtica diſciplina celeberrimi B. Columbani apud Luxonium*, quódque *patrem* habuerat *Hagnericum in aula Theodeberti Regis clarum inter Principes Palatinos.* Poſteà de Walberto hæc ſubiecit. *Walbertus frater Chagnoaldi, & cum eo in præfato Monaſterio educatus ſub cuſtodia Euſtaſij Abbatis, deinde Abbas ſucceſſor loci vocatus eſt ad regendam Meldenſem Eccleſiam.* Clariùs indicare non potuit locutum ſe de Faronis fratribus Agnohaldo ſeu Chagnoaldo & Walberto ſeu Waldeberto, qui monaſticam vitam apud Luxouium coluerunt, poſteà facti ſunt Epiſcopi, Chagnoaldus Lugduni Clauati, id eſt, Lauduni, Meldarum Waldebertus, vt peruetuſtus Auctor in vita ſancti Agili docet his verbis. *Ingrediens laudabilis Agilus annum pueritiæ committitur Euſtaſio probatæ religionis viro ſacris litteris erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis, qui poſteà Eccleſiarum Præſules extiterunt; Agnohaldo ſcilicet & Waldeberto Hagnerici patrui eius filiis, qui Monaſterio, quod ſoror illorum Fara in paterno ſolo inter Albam & Mucram in loco, qui Eboriacus dicitur, ædificauit, conſtruendi & docendi regulares magiſtri claruerunt, quorum alter Lugduno Clauato, alter verò Meldenſis vrbis eſt ordinatus Epiſcopus.* Exiſtimauit Walbertum Chagnoaldo fratri in Epiſcopatum ſucceſſiſſe, quia textum Ionæ, quem in vita ſancti Euſtaſij Luxouienſis Abbatis legit, non benè intellexit. Apud Ionam de ſancto Euſtaſio hæc reperit. *Peractâ Legatione ſuâ venerabilis Pater Euſtaſius remeat, puellam*, nempe Burgundoforam, *à cuſtodia liberat, patrem terribiliter increpat, religionis veſtem per Pontificem vrbis illius Gundoaldum nomine induit, Monaſterium Virginum Chriſti ſupra paternum ſolum inter duos fluuios ædificat, fratres, qui ædificandi curam habeant, deputat, germanos puellæ Chagnoaldum & Waldebertum, qui ei poſteà ſucceſſit, vt Regulam doceant, decernit.* Pronomen *ei*, quod ex Ionæ ſententia referri debet ad Euſtaſium, perperam retulit ad Chagnoaldum, ipsúmque Walbertum, qui Euſtaſio Abbati Ionâ teſte ſucceſſit, Chagnoaldo Epiſcopo ſucceſſiſſe finxit. Ionas vitam ſancti Euſtaſij ſcripſit, cùm Walbertus, cui ſuum opus dicauit, Luxouienſis Abbas eſſet. Ergo Walbertum nec Epiſcopum nouit, nec ſucceſſorem Chagnoaldi; ſed Abbatem & Euſtaſij Luxouienſis Abbatis ſucceſſorem. Præterea Ionas in eadem ſancti Euſtaſij vita Chagnoaldum vocauit Epiſcopum *Lugduni*, id eſt, vt Anonymus in vita ſancti Agili Abbatis interpretatur, *Lugduni Clauati* ſiue Lauduni in Belgica ſecunda. Ergo Walbertus, ſi Chagnoaldo fratri ſucceſſit

in

[a] L. 4. c. 1.

[b] Ad an. 627. n. 17.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10.

in Episcopatum, non Meldensis sed Laudunensis Episcopus fuit. Iam verò si Chagnoaldum, vt oportet, Ecclesiæ Laudunensi restitueris, in catalogo Meldensium Antistitum solus supererit Walbertus, isque Faronis fratris successor decessórque Hildeuerti, nec à nobis dissidebit qui disiunctissimus anteà videbatur Seuertius. Argumenta, quæ Tomo superiore protulimus, vt Faronem non Walberti fratris sed Gundoaldi successorem confirmaremus, hoc loco non repetemus. Consule quæ scripta sunt ad annum Christi sexcentesimum vicesimum-septimum [a].

XVI. ÆTAS FARONIS EP. MELDENS.

Faro, si fides est Anonymo, quem Surius [b] publicauit, *fuit in Episcopatu à Clotario Rege vsque ad Childericum annis sexaginta-sex*. Non inficiamur Faronem in Episcopatu fuisse *à Clotario Rege vsque ad Childericum*, sed negamus eum in Episcopatu fuisse *annis sexaginta-sex*. Gundoaldus Faronis decessor Concilio Remensi subscripsit anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto. Ab illo anno ad mortem vsque Childerici Regis, quam anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio illigabimus, anni numerantur octo duntaxat & quadraginta. Seuertius inficiatur Faronem sedisse *annis sexaginta-sex*, annos reponit sex ac viginti. Sed ex Beda [c] constat Faronem in viuis superstitem fuisse *anno Dominica Incarnationis 668*. cùm Adrianus Abbas Româ Meldas peruenit in Angliam posteà perrecturus. Atque inde patet eundem Faronem, qui Pontificatum ante obitum Clotarij Regis, id est, ante annum Christi sexcentesimum duodetricesimum, suscepit, tegimini Meldensis Ecclesiæ præfuisse vltra annos viginti-sex imò vltra annos sex ac triginta. Quapropter recurremus ad annos quadraginta-sex, asseremúsque tribuendos Episcopatui Faronis annos XLVI. non autem annos LXVI. Transpositione literarum, anni XLVI. facilè abierunt in annos LXVI. Huic emendationi nihil videtur aduersari, quia si Faronis Episcopi primus annus cum anno Christi sexcentesimo vicesimo-septimo, Clotarij Regis quadragesimo-quarto, conuenit, eiusdem Faronis annus quadragesimus-sextus anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo, Childerici in Neustria & Burgundia regnantis tertio, illigatur. Certè ab hac computatione vix licet recedere. Nam Faro Pontificatum vix citiùs vixque seriùs potuit adipisci regnante Clotario, quia Gundoaldus decessor anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto Synodum Remensem suâ subscriptione communiuit, annóque Christi sexcentesimo vicesimo-octauo Clotarius Rex ex hac vita discessit. Obitum igitur Faronis Episcopi subrogationémque Walberti fratris reiiciemus in annum Christi sexcentesimum septuagesimum-secundum, & ad illum annum obseruabimus eundem Walbertum non annis duntaxat quadraginta sed annis septem & quadraginta Monasterio Luxouiensi cum Abbatis titulo præfuisse. Non omittendum hoc loco de Farone, quòd vt in eius Actis [d] legitur, *Chillenum Scotum, virum sanctum, ad Atrebatenses ipse misit, quos ille sanâ doctrinâ & illustribus miraculis ad Christum traduxit*. Sanctus Chillenus seu Kilianus quiescit * Albiniaci in Episcopatu Atrebatensi inter Atrebatum & oppidum sancti Pauli, colitúrque Idibus Nouembris. Lege ad illum diem Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

CHILLENVS ERVDIT ATREBATENSES.

[a] Num. 17.
[b] D. 28. Oct.
[c] L. 4. c. 1.
[d] Ap. Surium, d. 28. Oct.
* Aubigny entre Arras & S. Paul.

XVII. ABBATES S. DIONYSII.

Pauciora hîc scribemus de Abbatibus Sandionysianis, quia plerasque chartas illius Monasterij, quibus apposita nunc leguntur eorum nomina, suis locis aut supposititias aut interpolatas ostendimus, & quonam ordine quinque recensendi sint omnium antiquissimi, Tomo superiore ad annum Christi sexcentesimum tricesimum [e] iam declarauimus. Dodo Monasterij à Dagoberto Rege conditi primus Abbas fuit, superstes in viuis erat anno Christi sexcentesimo tricesimo-quinto, Dagoberti Regis decimo-quarto. Dodonem secutus est Chunaldus, hic finem viuendi sub Clodoueo Rege fecit. Chunaldo successit Aigulfus, hic Monasterium regebat anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-primo, Clodouei Regis decimo-quarto. Suffectus est Aigulfo Leobafarius, hic Abbatis officio fungebatur, cùm Theodoricus Regno spoliatus est à Childerico fratre. De Godobaldo Leobafarij successore sub eodem Theodo-

[e] Num. 22.

AN. CH. 669. CLOTAR. III. R. 14. CHILD. II. R. 10. XVIII.

rico post mortem Childerici fratris in pristinam dignitatem restituto verba faciemus.

BERCHARIVS IN SYLVA DERVENSI. MVLTAS CONSTRVIT ECCLESIAS.

Childerico totius Franciæ Monarchiam adepto, Bercharius, qui locum Sanctimonialibus ad habitandum in nemore Deruensi iam parauerat, abstrusiores eiusdem syluæ recessus studiosè perlustrauit, vt locum erigendo virorum Monasterio idoneum designaret. *Secretiora saltûs*, inquit Anonymus in eius vita, *infatigabiliter exentiens cognoscere, summoperè gestiebat, sicubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperisset, veniens in quendam locum, Lutosas * nomine, cellam construendi aptum reputans nimiâ sollicitudine vota explere studebat. Hoc igitur proprii viribus nullomodò dignum ducens aggredi, cuius erat hoc prædium potestatis, adiit; eo siquidem tempore Childericus Rex Regnum Francorum nobilissimè gubernans; libentissimè sancti viri petitionibus acquiescebat. Hunc ergo Pater eximius adiit, atque sibi ad bona vota consortibus viris Dei amore feruentibus, Leodegario & Mumuleno Episcopis, Amalrico quoque & Wlfando Optimatibus impetrauit à Rege licentiam ædificandi sibi in eodem loco Basilicam, quam beati Martini in honore consecratam prædictus Rex Childericus circumquaque ab Ecclesia silua leugâ vnâ benignè donauit.* Childericum vniuersæ Franciæ tunc dominatum satis probant ipsa Pontificum nomina, quorum alter Episcopatum in Burgundia gerebat, alter in Neustria. Camuzatus in obseruationibus ad Historiam Sancti Bercharij notat Ecclesiam Sancti Martini de Lutosis in Diœcesi Tricassina sitam esse. *Beatus verò Bercharius*, vt Auctor vitæ prosequitur, *neque his contentus cellulam sibi iuxta locum qui dicitur Puteolus * ea in parte, qua nunc Monasteriolum dicitur, ad honorem beati Mauritij condidit, sperans aptum se Monasterium ædificandi locum reperisse. Verùm cùm hoc etiam sibi habile non videretur, super fluuium * Vigera quandam Ecclesiam Sancti Sulpitij honori dicauit. Neque ibi etiam statum Cœnobij aptum fore ducens mente peruigili vt sapiens architectus, eum, qui petentibus se adesse comprobat, dare votis congrua loca poscebat.* Votorum compos tandem effectus est anno tertio Childerici Regis. Interim obserua cum Camuzato Canonico Tricassino pagum Mangisuillare, vbi Bercharius Puellare * Monasterium extruxit, & pagum Lutosas, qui nunc etiam ad Cœnobium virorum ab eodem Berchario pòst constructum pertinet, sitos esse in Episcopatu Tricassino, & vnam non ampliùs leucam ab illo virorum Monasterio subduci.

* *Louze.*
* *Puyfie.*
* *La riuiere de Voyre.*
* *Pellemonstier.*

---

670. CHILD. II. R. 11.

ANNVS
CHRISTI 670.
CHILDERICI II. R. 11. 1.

I. AD annum Christi sexcentesimum septuagesimum, qui Childerici Regis in Neustria Burgundiáque primus numeratur, hæc pertinent, quæ narrantur ab Anonymo in vita Sancti Leodegarij. *Childericum Regem vniuersi expetunt, vt alia daret decreta per tria quæ obtinuerat Regna, vt vniuscuiusque patriæ legem vel consuetudines deberent sicut antiquitus conseruare, & ne de vna prouincia Rectores in aliam introïssent, neque vnus ad instar Ebroini tyrannidem assumeret, & postmodum sic ille contubernales suos despiceret, sed dum mutuam sibi successionem culminis habere cognoscerent, nullus se aliis anteferre auderet. Vt verò ille libenter petita concessit, stultorum & penè gentilium deprauatus consilio, vt erat iuuenili leuitate præuentus, subitò quod per sapientum consilia confirmauerat, refragatus est.* Ita stomachatur hic Auctor, quia Childericus Wlfoaldum vt priùs in Austrasia, sic & in Neustrasia Burgundiáque Maiorem domûs instituit.

WLFOALDVS MAIOR DOMVS.

II. Quod attinet ad Leodegarium. *Hunc*, inquit idem Anonymus, *eò quòd cognouerat præ omnibus sapientia luce esse conspicuum, secum assiduè retinebat in Pa-*

LEODEGARIVS REGI PERCHARVS.

latium. Huius rei causâ malorum creuit rediuiua inuidia, atque contra eum rursus accusationum exquirentes initia, itaut quaque Rex ageret, iusto iniustóue iudicio, dicerent illius crimine factum, cuius si obtemperasset consiliis, in mandatu ambulasset diuinis. Sed quia cælitus iam superuenerat data sententia, ideò cor eius non valuit apprehendere iustitia disciplinam, sed iudicium, quod Theodericus se à Deo expectare professus est, celeri meruit sententiâ determinari. Vrsinus ait Leodegarium *annis ferè tribus* in amicitia Childerici Regis fuisse, ex eâque penitus excidisse instante Paschali solemnitate. Cœpit igitur hoc anno post Pascha percharus esse Childerico Leodegarius, cuius authoritatem apud Regem idem Vrsinus ita describit. *Porrò Leodegarium Episcopum omni domui sua præfecit, & in omnibus Maiorem domûs esse voluit. Is ergo, eâ acceptâ potestate, quicquid aduersùs priscorum Regum & magnorum Procerum leges comperit ineptè introductum, cùm esset vitâ & moribus inculpatis, ad pristinum reduxit statum. Vsqueadeò verò totum Francorum Regnum vsquequaque restituit, vt omnes se gratularentur Regem habere Childericum, ac rectorem Palatij Leodegarium.* Ceterùm Maioratus domûs Regiæ, cùm dignitas esset laica, Pontifici minimè conueniebat, quapropter apud Vrsinum loco citato Maiorem domûs seu Rectorem Palatij minùs propriè interpretabimur eum, cuius consiliis Rex plurimùm deferre consueuisset. Huic sententiæ præter synchronum Anonymum, qui Wlfoaldum sub Childerico Rege Maiorem domûs vocat in vita Sancti Leodegarij, fauent etiam Auctor de Gestis[a] Regum Francorum & Continuator[b] Fredegarij, tantùm enim abest vt Leodegario locum inter Maiores domûs concedant, quin aiunt Leudesium Erchinoaldi filium in Maiorem domûs sub Principatu Theodorici Regis à Francis electum fuisse hortante eodem Leodegario Episcopo.

AN. CH. 670. CHILD. II. R. II.

AN MAIOR DOMVS REGIÆ?

[a] Cap. 45.

[b] Cap. 95.

III.

Priorem Theodorici Principatum, qui paucorum mensium fuit, vt anno priori diximus, prætermittit Vrsinus, fatetur quidem mortuo Clotario Proceres Neustriæ ac Burgundiæ in duas partes diuisos esse, cùm alij Childericum, alij Theodoricum in solio collocare vellent, sed addit eos præualuisse qui Childerico fauebant, ipsúmque Childericum proximum Clotarij successorem sic constituit. *Clotarius Rex excessit è viuis. Tum verò beatus Leodegarius Episcopus id audiens, celeritate ad Palatium profectus est, & cum aliis de Rege constituendo tractare cœpit. Cúmque comperissent Childericum Austrasiorum Regem adolescentem pro sua ætate Regnum optimè administrasse, quadam Francorum pars eum voluit habere Regem. Sed Ebroinus, qui Maior domûs fuerat sub Rege Clotario, Theodoricum germanum cupiebat substituere fratri in Regno. Eius autem nomen tum erat odiosum apud Francos, vt qui illo rursus iugo premendos se vererentur, quod sub Clothario per eum experti essent. Itaque Ebroini consilio posthabito, Childericum Francorum Regem elegerunt.* Sunt & alia quædam corrigenda in Vrsino, qui tantæ authoritatis, quantæ prælaudatus Anonymus, apud probos iudices nunquam erit. Vterque, quia stat à partibus Leodegarij, liberiùs in Ebroinum debacchatur, quocum graues contentiones Leodegario fuerunt. Habuit Ebroinus suorum consiliorum participes suorúmque gestorum æstimatores viros doctrinâ, pietate, Pontificalibus infulis æquè præstantes, Crodobertum Episcopum Parisiensem & sanctum Audoenum Rotomagensem Episcopum, quibuscum ditiones Clotarij tranquillè pacificéque rexit. Author coætaneus, qui vitam sanctæ Bathildis scripsit, Clotarij Regnum in pace constitisse testatur incumbentibus in id operis *præcellentibus Principibus, Chrodoberto Episcopo Parisiaco, & Domno Audoeno, seu & Ebroino Maiore domûs, cum reliquis senioribus.* Ex sanctus Audoenus in vita sancti Eligij constanter affirmat Clotarium diem obiisse, *dum quietè tranquillèque regnaret.* Prætereà Ebroinus, vt aliquot exemplis iam docuimus, non pauca signa sub Clotarij Principatu dedit insignis pietatis, cùm Monasteria ipsemet ædificauit, aut pios viros in aliis ædificandis adiuuit. Hæc palàm ostendunt id Ebroino contigisse, quod viris in tali dignitate constitutis euenire solet, vt quocumque modo res sibi commissas administrent, odium & inuidiam aliorum incurrant, qui simili fortunâ gaudere cupiunt nec gaudent.

LAVS EBROINI.

AN. CH. 670. Ipſemet Leodegarius eandem poſteà ſortem expertus eſt, cùm apud Childericum Regem authoritate plurimùm valuit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium dicturi ſumus.

CHILD. II. R. 11. IV.

PAPOLENVS ABB. STABVL. OBIT.

Papolenus Abbas duobus duntaxat annis Monaſterium Stabulenſe rexit. Ita ſcripſit ad Fiſenum Franciſcus Laurentij Prior Malmundarienſis, qui Stabulenſes Antiquitates magno ſtudio fertur inueſtigaſſe. Sententiam hanc non parum confirmabunt ea quæ narrabuntur infrà de ſucceſſoribus Sigolino & Goduino, quorum poſterior præfecturam anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo iam obtinebat. Cetera, quæ de Papoleno circumferuntur ex Archiuis Stabulenſibus, haud placent. Papolenus dicitur Monaſterio Foſſatenſi priùs ad Matronam præfuiſſe, quàm Stabuletum veneritad Remaclum, & ſecundo poſt Remacli obitum anno Foſſatum rediiſſe, ibíque in adminiſtrando Cœnobio ad annum vſque octauum perſeueraſſe. Chartæ Stabulenſes Papolenum Stabuleti & Malmundarij Abbatem confundunt cum Baboleno primo Abbate Foſſatenſi, cuius mortem ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum retulimus, antequàm Papolenus Remaclum adiret. Claruerunt eodem ſeculo Bobolenus Abbas Bobienſis in Italia, Babolenus Abbas Foſſatenſis in agro Pariſienſi, Papolenus Abbas Stabulenſis ac Malmundarienſis in Diœceſibus Traiectenſi & Colonienſi, Babolenus Abbas ſancti Benigni Diuione, Papolenus Abbas Solemniacenſis in territorio Lemouicenſi & Babo Abbas ſancti Vincentij prope muros Pariſienſes. Ex tot Abbatibus vnum poſteri confecerunt, finxerúntque Monaſteriorum per Galliam ac Germaniam Viſitatorem, nec inter ſe conuenerunt hactenus de tempore, quo tantum onus in ſe receperit.

CONFVNDITVR CVM MVLTIS ABBATIBVS.

Qui Tranſlationem ſancti Symmetrij retulit in literas, is Romà Honorij Papæ auctoritate directum aſſerit. Molanus [a] aliter ſenſit, curam enim viſitandorum Cœnobiorum ante obitum Remacli Papoleno demandatam non putauit. Fiſenus ad Molanum acceſſit, & Papoleno, cùm Romam religionis gratià poſt mortem ſancti Remacli profectus eſſet, id onetis à Pontifice Romano impoſitum cenſuit. Obiit autem Honorius Papa, priuſquàm Stabulenſe Monaſterium conderetur, & Papolenus cùm Remaclum inuiſit, Viſitatorem non egit. Primum patet ex Chronologia ſuperiùs ſtabilita. Alterum conſtat ex verbis Harigeri & Norgeri. Sic enim de Papoleno ſcribit Harigerus [b]. *Dominus & Pater Papolenus viſendi eum* (Remaclum) *gratià venit, ſed eius magiſterio adhærere quàm retrogredi praelegit. Susceptus eſt officioſiſſimè, & conuerſatus abſque offenſione, plures ad imitationem ſui ædificabat. Tandem, cùm ad multam perfectionem profeciſſet, à beato Remaclo Malmundarienſi Monaſterio præfectus eſt. Ipſe verò Sanctus, Stabulaus reuerſus, ad maiora deinde ſe virtutum opera accinxit.* Et Notgerus adhuc diſtinctiùs in vita ſancti Remacli. *Dominus & Pater Papolenus ad eum inuiſendi quidem cauſà venit, ſed eius inhærere magiſterio quàm domum redire maluit. Susceptus eſt à beato Remaclo officioſiſſimè, & vixit apud eum ſine offenſione, quíque inſtruendus eò venerat, complures ſuis exemplis ad virtutis ſtudium incitauit. Cernens id beatus Remaclus, ſecúmque cogitans eà cauſà miſſum eum fortaſſis à Domino, rogauit eum ne ab ipſo diſcederet: tum præterea ob fratres in diſciplina continendos, Malmundarienſi Cœnobio, cuius Monachi Sancti Benedicti* (hoc loco nomen ſancti Columbani reſtituendum iam monuimus) *inſtituto viuebant, ſaluâ in omnibus authoritate ſuâ, eum præfecit. Atque inde Stabulaus reuerſus, ad maiora virtutum opera ſe accinxit.* Quonam è Monaſterio venerit ad Remaclum Papolenus, & vtrùm Abbas tunc eſſet, haud liquet. *Dominus* enim *& Pater* appellari potuit à præcitatis Authoribus, non quòd Abbas eſſet cùm Stabuletum videndi Remacli ſtudio ſe contulit, ſed quòd talis extiterit poſteà, præclarúmque nomen inter Abbates Malmundarienſes ſuperſtite adhuc Remaclo atque etiam inter Stabulenſes poſt mortem Remacli geſſerit. Et aſtipulari nequimus Anonymo, qui, cùm ſancti Symmetrij Tranſlationem publicaret, Papolenum veniſſe teſtatus eſt ex Romano Cœnobio, quod Gregorius Magnus ad cliuum Scauri conſtruxit. Papolenus nec Stabuletum profectus eſt ex loco tam remoto,

AN INSTITVTVS A PAPA VISITATOR COENOBIORVM?

[a] D. 16 Ian.

[b] Cap 59.

nec personam Visitatoris in Monasteriis Galliæ ac Germaniæ sustinuit. An Visitatorem eum suspicaberis, qui teste Norgero Stabuletum venit *instruendus*, & à Remaclo rogatus ne Stabuleto discederet, ibi remansit cum summa lætitia, quoniam *eius inhærere magisterio quàm domum redire maluit?* His ita discussis Papoleni mortem hoc anno consignandam existimamus septimo Kalendas Iulij, quo die festum illius cum ritu duplici maiore celebratur in Monasterio Stabulensi, vbi quiescit, & altare habet consecratum in sui honorem, vt Molanus ad eundem diem in Natalibus Sanctorum & Chapeauillus in notis ad caput vndesexagesimum Harigeri produnt. Qui Papolenum relicto Stabuleto Fossatum abiisse, ibíque obiisse ac sepultum esse volunt, addunt portionem insignem sacri corporis Stabuletum relatam fuisse atque reconditam in aram illius memoriæ consecratam. Sed mittamus has fabulas. Suum Babolenum Fossati quiescentem colant Fossatenses. Suum Papolenum Stabuleti quiescentem pari modo venerentur Stabulenses ac Malmundarienses. Sanctus Papolenus Stabuletum non integro rexit biennio, longiori temporis spatio Malmundarium administrauit, *vir Apostolicus* ob eximiam sanctitatem à Notgero prædicatur. In demortui locum suffectus est Sigolinus, de quo nihil aliud accepimus, quàm quòd beati Patris Remacli iudicio æquè ac Papolenus approbatus fuit, vt Notgerus in vita sancti Remacli testatur. Hoc elogium Sigolini, si verborum numerus attenditur, paruum est; si sensus, maximum. Quantus enim censendus est qui iudicio sancti Remacli probatus fuit & æquiparatus sancto Papoleno?

AN. CH. 670. CHILD. II. R. 11.

SIGOLINVS PAPOLENO SVCCEDIT.

V. AICHARDVS FIT MONACHVS ANSIONENSIS.

Aichardus puer Pictauiensis, cùm duodennis esset, monasticam vitam appetiit, aditque celeberrimum Ansionis Monasterium, cui nomen hodie sancti Iouini de Marnis, vbi turba Monachorum non modica disciplinam vitæ regularis seruabat. Iter non arripuit magistro parentibúsue inconsultis. Assensus est magister, parentes nequaquam. *Quibus cùm ille nullâ ratione persuadere posset, vt paterentur ipsum Deo seruire, quod & mater & ipsemet quoque Deo vouissent, illis inuitis ad locum memoratum abscessit. Ibi comâ capitis depositâ iugum Christi suaue suscepit. Nec Christus lucernam suam sub modio diu latere passus est, verùm cæci & claudi & variâ clade depressi, monitis Angelicis ad eum ire iubentur. Nec mora, quocunque genere morbi vexati tenebantur, celerem reportabant salutem. Quod ille factum à notitia hominum, si fas fuisset, occultare nitebatur, sed magnalia Christi per vicos & plateas vox publica personabat, quæ in aduentu Aichardi præsentem regionem à Deo visitatam esse asserebat. Nam etsi homines ex iussu viri Dei silere voluissent, tamen ex obsessis corporibus dæmones eiecti, fateri cogebantur.* Hæc Fulbertus in ipsius Aichardi vita [a].

[a] Ap. Surium, d. 15. Sept.

VI. EPISCOPI ALETENS.

Obiit hoc anno Rauilius Aletensis Episcopus, cùm sedisset annos septem. Successit Bilius, de quo plura inferiùs. Lege Albertum de Monte Relaxo [b].

[b] In catalogo Episc. Aletens.

ANNVS CHRISTI 671.

CHILDERICI II. R. 12. 2.

671. CHILD. II. R. 12.

I. ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo-primo, cui duodecimum Childerici Regis annum illigamus, Huntbertus Maricolensis Abbas Ecclesiam Maricolensem ditauit insigni donatione, quam Baldericus in Chronico [c] Cameracensi & Miræus in Codice [d] piarum donationum ita publicarunt. *Anno* XII. *regni Domni nostri Childerici Regis, XV. Kal. Aprilis, ego in Dei nomine Huntbertus, etsi indignus peccator, cogitans de Dei timore, vel æterni boni retributione, seu abluendis meis peccatis, quia dicit Scriptura [facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos perducant in æternas mansiones Sanctorum,] rursúmque*

[c] L. 2. c. 47.

[d] Cap. 5.

AN. CH. 671. CHILD. II. R. 12.

** Marilles.*

HUNTBERTUS DITAT ECCLESIAM MARICOLENSEM.

dicit, [facite vobis saccos eleemosynæ qui non veterascunt.] Idcircò dono, quod in perpetuum donatum esse volo, ad sacrosanctum Monasterium, quod vocatur Maricolas, quod vir illustris Chonebertus quondam suo opere construxit, vbi ego ipse indignus peccator Abbas praesse videor, consecratum in honore sanctæ Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi, & SS. Petri & Pauli Apostolorum, vel reliquorum dominorum, qui in ipsa Basilica venerantur, situm in pago Fanomartensi, super fluuiolum qui vocatur Helpre, hoc est, partem maximam de possessione nostra in villa nuncupata Macerias sita in pago Laudunensi super fluuium Iseram, quam de auia mea, Deo sacrata Audeliana, quondam dato pretio per venditionis titulum comparaui, hoc est, mansos dominicos, vbi ipsa Audeliana mansit, vel posteà nos ædificauimus, & terrationes & seruos & ancillas illos & illas. Hos igitur mansos, cum terris consitis & pascuis, in integrum per hanc seriem epistolæ nostræ donationis, quam Vlsinum Notarium scribere rogauimus, ad ipsam Basilicam sanctæ Mariæ Maricolis constructam, à præsenti die tradimus ad possidendum. Hæc omnia supra nominata ad ipsum Monasterium delegauimus, vt ipsi Monachi vel successores nostri in suo iure vel dominatione à præsenti die recipiant ad possidendum, tam in terris, quàm in domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmque decursibus, absque vllius iudicis interpellatione, habeántque in sua potestate tenendi, dandi, vendendi, commutandi, vel quod exinde voluerint faciendi. Propterea in ista epistola definimus, vt nullâ alterâ ratione calumnia in postmodum inter ipsos seruos Dei vel hæredes nostros non adcrescat. Si quis verò post nos, quod futurum esse non credimus, si aliquis de hæredibus nostris, aut qualibet opposita persona contra hanc donationem nostram, quam fieri rogauimus, venire aut infringere voluerit, primitus iram Trinæ Maiestatis incurrat, & sit anathema, & deleatur nomen eius de libro viuentium cælesti, & cum iustis non scribantur, sed sint consortes Iudæ Iscariotis, qui Dominum tradidit, & si emendare noluerit, mutet Deus sensum eius, & in illo iudicio recipiat, quod Ananias & Saphira receperunt in præsenti, & insuper inferat cogenti fisco auri libras decem, & decem argenti pondo coactus exsoluat. Nec si quid repetit, nihil valeat vindicare, & merces nostra in anteà proficiat ad salutem. Et si aliqua instrumenta aut anterioris aut posterioris, quolibet ingenio vel argumento de nomine nostro in propinquis meis vel extraneis personis fuerint ostensa, aut vllo vnquam tempore apparuerint, falsarius esse cognoscatur, & inanis permaneat. Sed præsens donatio à me facta omni tempore firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa idoneorum testium, Domini videlicet Vinditiani Episcopi & Fulberti mei fratris &c. Actum Maricolis. Ipse tamen Huntbertus & si peccator Abbas propriâ manu confirmo.* Bollandus in Commentario præuio vitæ[a] sancti Sigiberti Regis, & Henschenius in Diatriba[b] de tribus Dagobertis meminerunt huiusce Diplomatis, in cuius autographo, quod ipsius Humberti sigillo munitum & à se visum testantur, negant diei notam reperiri, quam Baldericus & Miræus interposuerunt. Solus igitur attendi debet annus Childerici Regis duodecimus cùm subscriptione Vinditiani Cameracensis Episcopi, qui sedere cœpit octauo Kalendas Iulij, temporibus Theodorici Regis, anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo. Atque inde præualidum ducitur argumentum aduersùs eos, qui Clotarium & Childericum fratres Clodoueo patri successisse volunt eodem anno, hunc in Austriam, illum in Neustriam & Burgundiam, nam post Clotarij mortem, cùm Vinditianus Episcopatum iniit, Childericus annum sui Principatûs decimum quartum iam numerasset.

[a] D. 1. Feb.
[b] L. 2. c. 4.

II.

** Landrecy.* ** La Sambre.*

SITUS MARICOLARUM. PAGUS FANOMARTENSIS.

Maricolæ, seu MareclIæ, vel Mariliæ, quæ vix altero milliari à Landreciaco* oppido distant, hodiéque insigni Ordinis Benedictini Monasterio decorantur ad Helptam fluuium, qui dexteram Sabis* ripam infra Landreciacum subit. Huius Cœnobij primarius fundator fuit Chonebertus, secundarius autem Huntbertus; secus sentiunt ij, quos editio Duacena Balderici fefellit, in qua per transpositionem loco Huntberti Chonebertus & vice versâ loco Choneberti Huntbertus legitur. Pagus Fanomartensis, vbi Maricolæ, nomen habuit à loco, quem veteres incolæ fanum Martis appellarunt, hodierni *Famars*

vocant primo lapide à Valentianis, quas ex eius ruinis ædificatas esse multi scribunt, maximè cùm Valentianæ * vicus olim exiguus fuerit in eodem pago Fanomartensi, vt testatur Eginhardus in Historia quam de Translatione Sanctorum Martyrum Marcellini & Petri composuit, vbi Monasterium sancti Saluij Martyris *in pago Fanomartensi in vico Valentianas appellato in ripa Scaldis * fluuij situm* affirmat. Miræus in Originibus [a] Benedictinis, ex sancti Humberti vita, quæ apud Maricolenses extat manuscripta, de patria Humberti déque origine Monasterij Maricolensis multa descripsit, quæ nullam fidem merentur, abundéque refelluntur ipso textu Diplomatis suprà recitati. Patria Humberti Maceriæ * fuerunt, non eæ quæ sitæ sunt ad Mosam vt in illa vita perperam scriptum habetur, sed aliæ quas ipsemet Humbertus in pago Laudunensi ad Iseram amnem collocat, ideóque Miræus in notis ad prælaudatum Humberti Diploma multiplices Macerias distinguit, vnas ad Mosam in Diœcesi Remensi, alteras ad Iseram siue Oesiam * in agro Laudunensi, tertias in Artesia. Parentes Humberti extiterunt Euardus & Popita, clari Francorum Proceres, Dynastæ Maceriarum ad Isaram flumen, duabus leucis ab Augusta Viromanduorum siue ab hodierna Quintinopoli, vt ex Auctore vitæ & ex Iacobo Guisiano refert Claudius Hemeræus in Augusta Viromanduorum illustrata [b].

* *Valentienne.*
* *L'Escault.*
[a] Cap. 12.
TRIPLICES MACERIÆ DISTINGVVNTVR.
* *Maisiere.*
* *Oyse.*
[b] L. 2. ad an. 660.

III. Tunc apud Humolarias ad ipsos penè muros eiusdem Augustæ florebat puellare Monasterium, cui præerat Hunnegundis Abbatissa mirâ sanctitate conspicua. Scripsit eius vitam Bernerus Abbas anno Christi nongentesimo duodequinquagesimo, vt Hemeræus [c] obseruauit. Aliam paulò recentiorem ab Episcopo quodam sub finem decimi seculi conscriptam publicauit Surius [d] stylo passim mutato. Rerum gestarum epitomen accipe. Hunnegundis siue Hunegundis nobilibus ac Christianis parentibus nata in pagi Viromandensis villa, quam Surius *Leibaidem*, Hemeræus *Lambaidem* vocat, *binis milliaribus ab Augusta. Eam è sacro fonte ferunt susceptam ab Eligio Nouiomensi ac Veromandensi Episcopo*, cuius Episcopatum spatio annorum nouemdecim, ab anno Christi sexcentesimo quadragesimo ad annum vsque Christi sexcentesimum vndesexagesimum, circumscripsimus. *In ipsis incunabulis aiunt eam cuidam desponsatam fuisse, qui pari esset generis claritudine. Sed, quia sponsus cælestis eam sibi seruare constituerat, occulto Dei iudicio, ille morte subtractus est. Postquàm autem sancta virgo adoleuit, essétque liberali atque eleganti vultu, Eudaldus quidam, homo nobilis, eam sibi despondit, multis ei collatis muneribus, mancipiis & villulis. Quæ in re licèt à parentibus inuita cogeretur, attamen vultu placido & mente castâ id perferens, iam secum animo meditabatur, quemadmodum se & dotem suam Christo sponso offerret, fierétque Sanctimonialis in beatissimæ Matris Virginis Monasterio.* Cùm autem sanctum mentis suæ propositum in opus iam conferre vellet, piâ fraude sponso suasit, vt antequàm mariti iure potiretur, simul Romam pergerent ad patrocinia Principis Apostolorum promerenda. Quod vbi consecuta fuisset, Romæ die quadam ad pedes Summi Pontificis prouoluta, voti secreta pandens, sacrum velamen deuotè flagitatum accepit. *Eudaldus hæc audiens, cùm se cerneret à virgine contemptum, toto animo commotus statuit eam gladio confodere. Sed veritus ne homicidij pœnâ plecteretur, simul etiam Apostoli sententiâ territus, quòd non sit contristandus spiritus Dei, cuius sancta virgo erat domicilium, & quòd eum, qui templum Dei violauerit, disperdet Deus, pœnitentiâ ductus, non fuit eam ausus contingere, sed missis nunciis separauit eam à consortio suo, solam illam relinquens, & etiam res itineri conficiendo necessarias, ei subtrahens. At illa humano destituta solatio, viriliter egit, & seipsam in Domino confortans, solam se dedit itineri. Ibat per viam, perinde ac si iam in Monasterio degeret, vel potiùs instar Eremicolæ, Christo in remota solitudine famulantis. Diebus festis solo pane & aquâ parcissimâ contentâ; reliquis, pane cineribus permixto, & herbarum arborúmque pastu defessum fouebat corpusculum. Cum Eudaldus ferret ægerrimè se ab illa contemptum, & vellet quidem sed non auderet eam interficere, consilio cuiusdam comitis sui, cum magna celeritate ad paternam contendit domum, venditis & distributis illis, quæ possent suo*

[c] L. 2. ad an. 650.
[d] D. 25. Aug.
HVNNEGVNDIS ABBATISSA HVMOLARIENSIS.

AN. CH. 671. CHILD. II. R. 12.

*pondere iter retardare, vt citiùs rediret ad suos. Iam enim statuerat secum, omne sanctæ virginis patrimonium & res hæreditarias distrahere, quæ verò non possent vendi ea prorsus destruere. Virginem sanctam, in cuius pectore morabatur Dominus sciens omnia, nihil huius latuit. Quamobrem diuino permota instinctu & Christi Spiritu vegetata, vt erat pedes, aliâ pergens viâ, equos & currus eius omnes anteuertit, veniénsque in patriam, omnia sua pro voto loco illi, quem vulgò Humolarias * vocant, beatissimæ genitrici Dei, séque simul, vt concupierat, Christo illic seruituram obtulit. Porrò non diu pòst Eudaldus secutus, rerum & facultatum eius omnium sibi dominium vendicat, nesciens eas iam diuino cultui & sacratissimæ Virginis patrocinio mancipatas & addictas. Vbi autem id comperit, in sese reuersus, secum tacitus & mirari & venerari cœpit, animaduertens quanta per virginem Dominus miracula fecisset. Mox igitur gratias & laudes Deo offert, quòd ipsum ab improbo conatu repressérit, ne peccaret in sanctam virginem, quódque subitâ morte ipsum furentem non extinxerit, Dignos proinde pœnitentiæ fructus faciens non potuit reperire, quibus vel laudibus virginem afficeret, vel muneribus placaret, vt posset in eius admitti conspectum, & Christo illius precibus commendari. Tandem cum multa cordis & corporis humilitate coram beatissimæ Matris Dei altari prostratus, veniam ab ea poposcit, orans vt quem noluisset habere sponsum, dignaretur habere seruum. Præstitit illi Dominus gratiam benè viuendi, eiúsque vota ad optatum perduxit finem. Multò enim plura, quàm posceret necessitas, sacratissimæ virgini suppeditauit, institutóque Xenodochio victum & vestes præbuit. Fultus deinde multimodâ Christi virtute, in huiusmodi operibus vitam exigens suam, exutus est huius mundi contagiis. Pro eius anima virgo Hunnegundis per manus Sacerdotum sacrificium Deo obtulit, corpus verò in Monasterio suo iussit sepeliri. Eo autem vitâ functo, arctiori se & seueriori vitæ tradidit.* In tota sanctæ Hunnegundis vita nullus occurrit Character Chronologicus, excepto quòd *eam è sacro fonte ferunt susceptam ab Eligio Nouiomensi ac Veromandensi Episcopo.* Itaque gesta per annos digeri non possunt, certisque temporibus consignari nequeunt eius ortus, baptismus, sponsalia, profectio ad limina Apostolorum, reditus in Galliam, ingressus in Monasterium Humolariense, præfectura Cœnobitica. Quænam antecesserint Abbatissæ, quænam proximè secutæ sint, similiter ignoramus. Hunnegundis *octauo Calendas Septembris* ad Dominum feliciter migrauit. Illo die in additionibus ad Vsuardum & in Martyrologiis Benedictino & Gallicano celebratur, ob festum autem sancti Ludouici transfertur eius Officium in diem sequentem à Canonicis San-Quintinensibus, vt ex eorum Breuiario liquet. Obseruauimus Lectione quartâ Romanum Pontificem, à quo Hunnegundis sacrum velamen accepit, *Martinum Primum* vocari, qui Romæ versatus est ab anno Christi sexcentesimo vndequinquagesimo, quo sedere cœpit, ad annum vsque Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium, quo pulsus est in exilium. In hac sententia necesse est dicas Hunnegundem aliquot annos natam esse, priusquàm Eligius in Episcopum Nouiomensem assumeretur.

* Homblieres.

IV. Hoc circiter anno, pridie Kalendas Maias hominem exuit Erembertus, cuius mentionem non semel fecimus. Hic ex Monacho Fontanellensi creatus est Episcopus Tolosanus, posteà dimisso Episcopatu rediit ad Monasterium Fontanellæ, vbi pridie Kalendas Maias ex hac vita discessit. Dies notatur in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. Annum colligimus ex Chronico ª Fontanellensi, cuius Auctor Translationem sancti Eremberti refert anno Christi septingentesimo quarto, postquàm requieuisset *annis plùs minúsue triginta-tribus.* Reditus in patriam & in Monasterium, ægritudo & alia quæ mortem antecesserunt, ab Auctore vitæ sic enarrantur. *Quodam tempore egressus ab vrbe,* nempe Tolosa, *disposuerat patriam propinquósque inuisere, quod & fecisse contigit, denique prosperè cœptum peragens iter peruenit ad prædictam possessionem Villiocortem, quam tunc germanus ipsius nomine Gamardus ex successione parentum iure hæreditario possidebat. Morante autem eo in eodem loco, ignis repentè vehemens exortus eandem possessionem exurendam inuasit, cúmque furentis incendij flamma omnem*

ª Cap. 2.

EREMBERTVS MORITVR.

nem absorptura vicum, ædificia ædificiis hærentia consumenda adiret, nulláque lympharum iniectio quidpiam adiutory inferret, imò sublimior eiusdem incendy vis assurgeret, vicani omnes iam nullam ereptionis loci spem habentes, intercessionem beati Antistitis Eremberti contra tumidum efflagitant ignem. Erat autem in eodem loco Basilica in honore Sancti Martyris Saturnini à præfato Sancto Pontifice olim constructa, in qua tunc idem Præsul diuinæ pietatis opem flagitabat, cùm hæc ignis tempestas ingrueret. Tunc concitus clamor populi, repercusso aere in altum attollitur, Basilicæ fores à vulgo pulsantur, & vbi humanum deerat, diuinum petebant auxilium sibi citissimè affore. At verò vbi Antistes aliorum casus considerans, compatiendo eorum miseretur querimoniis, ac proinde pedum suum, id est, baculum incuruum Pastoralem quem manu gestare solebat, extemplò obuiam flammæ erexit furenti, iterúmque humi prostratus orationi incubuit. Nec mora, in articulo suæ precationis, atque in aduentu baculi Pastoralis contra ignem elatum destinati, Eurus, qui vico incendia sparserat, veluti habenis post tergum reuinctus, contráque Austrum reflexus, primò vim sui furoris amisit, ac mox funditus flammam globis sopitis sedatísque compescuit. Lachrymæ deinde populi vertuntur in gaudium, mœror exultationi dedit concitè locum, authorem tanti miraculi cunctipotentem Christum vox populi collaudat, & Erembertum Pontificem Sanctum summi apud Dominum meriti fore pronuntiat. Sub idem ferè tempus secessit ad Monasterium Fontanellam, vbi tunc temporis venerabilis praerat rector Lambertus, ibíque aliquantulum in sancta degens conuersatione, vltimo confectus senio, languore corripitur paruo, quo ad extrema perductus inter diuinas laudes & colloquia dulcia exhortationésque iucundas viaticum sumens, ac vexillo Sanctæ Crucis se muniens, vltimúmque valefaciens fratribus, feliciter migrauit ad Christum, sepultúsque est venerabiliter in Ecclesia Sancti Pauli Apostoli, primò quidem in inferiori parte eiusdem Basilicæ. Idem Auctor subiungit Translationem corporis in eminentiorem locum, de qua nos ad annum Christi septingentesimum quartum differemus. Posteà hæc addit de baculo Pastorali déque vestimento sancti Eremberti. *Pedum verò summi Pontificis, in quo miraculum deinde factum erat, longo annorum æuo in prædicta Sancti Saturnini mansit Ecclesia, donec eâ ruinâ conquassatâ ad vicum transferretur Bruarium, vnà cum Episcopali eiusdem Pontificis vestimento, allatum verò est præfatum pedum ad Fontanellæ Monasterium, quod vsque ad nostra mansit tempora. Ferunt quoque quia in prædicto vico quidam Presbyter minùs religioni & honestati deditus, vltrò vestimentum Sancti, quod in scriniolo super altare pendenti seruabatur, temerè induere ausus est, in quo & temeritatem reatûs sui, & illius sanctitatem extemplò expertus est. Nam febre abreptus maximam virtutem Sancti confitebatur Antistitis, neque diutiùs eâdem molestiâ febris vexatus, tandem precibus Sancti Præsulis Eremberti salutem recuperauit pristinam.* Auctorem illum ex manuscriptis Codicibus Mossiacensi & Fontanellensi publicauit [a] Catellus. Eodem planè sensu vitam sancti Eremberti ex manuscripto Codice Fontanellensi composuit Menardus [b], hac tantùm additâ obseruatione de Gamardo sancti Eremberti fratre, déque Nammaco & Zachæo eiusdem Gamardi filiis, qui post obitum sancti Eremberti vitam monasticam in Cœnobio Fontanellensi duxerunt. *Posteà verò*, id est, post mortem sancti Eremberti, *frater eius Gamardus villam Viliocortem dedit Monasterio Fontanellæ, & comâ positâ ibidem Monachus factus est cum duobus filiis Nammaco & Zachao.* Hic etiam Auctor subindicat Erembertum obiisse, cùm Lambertus Abbas Monasterium Fontanellense gubernabat. *Sub idem tempus*, inquit, *Sanctus Antistes Pontificiâ curâ dimissâ ad Cœnobium Fontanellæ concessit. Tunc temporis Sanctus Lambertus regebat Monasterium. Ibi aliquantulùm in sancta conuersatione degens senio confectus, & leuiter affectus post diuinas laudes & pia colloquia signo Crucis munitus supremum vale fratribus dicens feliciter migrauit ad Christum.*

[a] L.5. Histor. Occitan.
[b] L.1. obseru. d.30. April.

V. Aduersùs nostram Chronologiam pugnat Ionas Monachus Fontanellensis in vita [c] sancti Wlfranni Senonensis Episcopi. Vult enim Erembertum in viuis superstitem fuisse, cùm Wlfrannus nondum Episcopus Mauriliacum Ansberto Abbati Lamberti successori tradidit. *Aliquot annis in Præsulatu* Senonensi *ad-*

[c] Ap. Surium, d.20. Mart.

AN. CH. 671. CHILDERICI II. R. 12.

ministratis, superno oraculo in visu admonitus, vt genti Frisonum verbum Domini anteà illis inauditum euangelizaret, finito opere Apostolico, proposuit illicò, animo pluribus prodesse. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagensi, quæ & ipsa mater est ciuitatum, Præsul sanctissimæ religionis & Abbas Monasterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipse scientiâ literarum imbutus, sed & Ecclesiasticis simul & monasterialibus disciplinis summè instructus, monachicum & nomen seruans & habitum, in prædicto Monasterio multorum pater extans Monachorum. Hunc Pontificem adiens beatus Wlfrannus, suam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ sedenti verbum vitæ immortalis annunciaret. Nam & anteà possessionem suam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ sita est in territorio Vastinensi, per testamenti seriem prædicto sacro loco & ipsi sancto Patri contradiderat, quæ facta erat anno 15. Regis Theodorici. Necdum enim idem vir Dei Pontificatûs conscenderat gradum. Intererat in hoc conuentu & confirmauerat cum aliis illustribus viris hoc scriptum sanctus Erembertus, Episcopus vrbis Tolosæ & Monachus eiusdem Cœnobij Fontanellensis, cuius nunc ossa sacra in eodem Monasterio virtutum gloriâ pollent. At Ionæ scripta multis interpolationibus aucta sunt, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-octauum probaturi sumus. Hic inquiremus tantùm in textum proximè citatum.

VI. Primò, Ansbertus ex Abbate Fontanellensi factus est Episcopus Rothomagensis, nec simul Abbas fuit & Episcopus. Id fusiùs explicabimus ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-tertium, quo curam Monasterij Fontanellensis suscepit Hildebertus Abbas ipsomet Ansberto ad Episcopatum Rothomagensem post obitum sancti Audoeni promoto.

VII. Secundò, Ansbertus, qui sancto Audoeno in Episcopatum Rotomagensem anno Christi sexcentesimo octogesimo-tertio successit, Fontanellensis Abbas esse desiit, cùm Theodoricus annum regni decimum agebat. Quapropter Auctori [a] Neustriæ Piæ lubenter assentimur, & donationem, de qua loquimur, anno 5. Theodorici Regis, non autem 15. consignandam existimamus. Adstipulamur & eidem Auctori [b], cùm ait Erembertum in Domino obdormiisse Fontanellæ sub Lamberto Abbate. Sed negamus eundem Lambertum ex Abbate Fontanellensi factum fuisse Lugdunensem Episcopum anno Christi DCLXX. [c]. Nec videmus quomodò idem Auctor in illis rebus sibimetipsi constet. Annos enim Regum ita computat in Fontanella [d] sancti Wandregisili. Vult Dagobertum obiisse anno Christi sexcentesimo quadragesimo-sexto, Clodoueum Secundum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quarto, Clotarium Tertium anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono cùm quatuor tantùm annos & aliquot menses regnasset. Iam verò, si Clotarius Rex è vita discessir anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono, & Lambertus promotus est ad Episcopatum Lugdunensem anno Christi sexcentesimo septuagesimo, quomodò illam promotionem Lamberti præcessit annus quintus Theodorici Regis, qui post Childericum Clotarij Tertij successorem regnare cœpit? Aliam inimus Chronologiam. Clotarium Tertium, cui quatuordecim annos Regni tribuimus, mortuum asseruimus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono; mortem Childerici Secundi referemus anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio; Theodorici Regis annum quintum cum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo comparabimus, quo ineunte Lambertus ex Abbate Fontanellensi fiet Episcopus Lugdunensis, & Ansbertus ex Monacho Fontanellensi creabitur Abbas eiusdem Monasterij.

a In Fontanell. cap. 4. n. 5.
b Ibid.
c In Fontanell. cap. 3. n. 7.
d Cap. 1. n. 5. cap. 2. n. 7.

VIII. Tertiò, sanctus Erembertus, antequàm Theodoricus in Regnum Childerico fratri succederet, ad Deum feliciter migrauit, nec ea confirmare potuit quæ scripta sunt regnante Theodorico.

IX. Leodegarius Augustodunensis Episcopus Regio Præcepto subscripsit apud Compendium *; quarto Nonas Iulias, anno tertio Regis Childerici; necnon Remis donationi Bercharij Abbaris tertio Kalendas Septembris, anno eiusdem Childerici Regis quarto. Vtraque charta describitur à Camuzato in obserua-

* Compiegne.

tionibus ad vitam Sancti Bercharij. Leodegarius, qui subscripsit vtrique, Pontificatum gessit in Burgundia. Compendium, vbi prior data est, situm est in Neustria. Mummolenus, qui posteriorem suâ subscriptione communiuit, in eadem Neustria Nouiomensis Episcopus fuit. Aliis argumentis non est opus, vt intelligas annos Childerici Regis non à die numerari, quo primùm Austriæ dominari cœpit, sed à die quo se Monarcham totius Franciæ dixit exauctorato Theodorico fratre, Burgundionum Neustrasiorúmque Rege. Leodegarius ex Childerici Regis amicitia penitus excidit imminente Paschali solemnitate, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio. Subscripsit igitur donationi Bercharij Abbatis, tertio Kalendas Septembres, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo, id est, anno quarto Childerici Regis inchoato; Regióque Præcepto Childerici quarto Nonas Iulias, hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-primo, id est, anno eiusdem Childerici Regis tertio iam incepto. Atque hæc ostendunt Theodoricum, qui post Clotarium fratrem anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono Rex Neustrasiorum ac Burgundionum fuit, haud diu regnasse, Regnísque priuatum fuisse ante mensem Iulium subrogato Childerico fratre Austrasiorum iam Rege.

AN. CH. 671. CHILD. II. R. 12.

X. DERVENSE MONASTERIVM.

Childericus Regium Præceptum, cui Leodegarius Episcopus hoc anno subscripsit, emisit in gratiam Bercharij Abbatis, qui post multas indagationes locum erigendo vitorum Monasterio idoneum in nemore Deruensi sic inuenit. *Quodam tempore, cùm iam diuina clementia vlteriùs famulantis animum per diuersa distrahi nollet, præcurrentibus indiciis locum votis congruum iri repertum dedit. Nam adyta syluæ perlustrans, casu quendam ad locum deuenit, vbi pastores subulcos reperit, quos blandè allocutus aureíque illos numismatis munere donans poposcit ostendi sibi quæ habiliora aliquando syluæ circumeundo ad habitandum loca peruidissent, dicens sibi animum esse, vti congruo habitandi loco, extirpando syluas, Cœnobitarum tabernacula designaret; se quidem diuersa tentasse, sed nullo penitus loco commanendi habitacula fida inuenisse. At illi præmio accepto, talibus animi votis sancto viro respondent. Nos quidem cùm fides teneat firma, munerati tuis ad vota processibus parere decreuimus, locúmque habitandi habilem pro nostro scire ostendere parati sumus. Nam persæpè inibi suillos greges iam disparati inuenimus, nec seductos aliorsum spes est requirere porcos; cùm illum semper absque aliquo ductore perditi sues expetant locum. Adest quoque ibi, Domine Pater, quædam non ignoti miraculi fagus, subter quam luminaria sæpè cùm accensa absque hominum accessu viderimus, diuini aliquid fore suspicamur. Nunc, inquit beatus Bercharius, ocyùs praite, tanti præsagij loca significate, méque consequentem iamiámque diu suspensum animo quietiorem reddendo, tantâ curarum mole absoluite. His dictis prædictus Pater ad locum properat, fidem dictorum excepturus, nec inaniter ferens testimonium pastorum diuinitus credidit factum esse miraculum, & à Deo sibi locum ostensum, qui non pateretur seruum suum diuersis intentum proprio labore frustrari. Nam qui eo cœtum bonorum executione operum pollentem adunandum prænouerat, dignè tali præsagio initia operum beati viri præsignauit, qui locus duobus integris milliariis à præfato loco, qui dicitur Puteolus *, disparatur. Ibi ergo beatus Bercharius multo labore syluis radicitus erutis, Cœnobij ædificandi statum praelegit. Exinde ad Palatium progreditur, Regis super hoc negotio clementiæ supplicaturus. Auxiliantibus verò sibi per diuinam gratiam ex cuius desiderio ista agebat, sancto Leodegario Episcopo & Almarico Maiore domûs, Fulcoaldo quoque & Wlfaudo, Ninardo etiam & Azelano Episcopis, impetrauit sibi dari à Rege syluam ex suo fisco qui vocatur Wasiacus in circuitu præfati loci, sicut ex authoritate regia tenetur exterminatum, vnde sumptus habere valeret ac prædia ad Cœnobium constituendum. Cùm etiam Deo disponente ad plurima sibi Rex libentissimè faueret, ad hoc vsque processit, vt aulam sibi decenti ornatu vt Regiam decebat Maiestatem in loco, qui dicitur Puteolus, fabricatam vbi causâ venandi crebrò aduentare consueuerat dono ei concederet, vnde ipse Domnus Bercharius Ecclesiam Deo in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli consecrandam construxit, quam ex præfato loco Puteolum appellauit. Sanctus verò vir quando*

* Puysie.

AN. CH. 671. CHILD. II. R. 12. IN DIOECESI CATALAVN. *suprà memoratas puellas emit simul cum ipsis pretio suscepit viros octo captiuos, quos in sancta religione edocens, primos in eodem loco Monachos constituit.* Hoc Monasterium à sylua Deruensi cognominatum fuit Deruense, oppidóque non exiguo, quod vernaculè *Monstierender* vocant, primam originem & suam appellationem indidit. Pertinet ad Diœcesim Catalaunensem, finitimum tamen est atque conterminum Tricassinæ, & propter illam vicinitatem copiosissimis donis, quorum titulos suis locis proferemus, à Tricassinis Pontificibus locupletatum videtur. Aiunt Monachi Deruenses in illo loco, vbi Monasterium situm est, visam à Berchario columbam, quæ querceui seu fago insidebar, super cuius stipitem excisum etiamnum hodie Deiparæ Virginis imago conspicitur in ipsius sacello, quod in auersa & posteriori Ecclesiæ parte extat. Illius autem columbæ spectaculum abest ab Historia sancti Bercharij præcitata, quæ tantummodò narrat ardentes & longè latéque lucem spargentes faces non procul ab ea arbore colluxisse, quod Bercharius tanquam ibidem condendi Cœnobij diuinitus aliquod immissum augurium agnouit lubens & accepit, augustúmque esse & Deo gratum eundem locum, inde ominatus est. Ante aliquot annos, cùm Niuardus Remensis Episcopus & prædictus Bercharius in sylua Diœceseos Remensis locum quærerent extruendo Monasterio idoneum, apparuerat columba, quæ locum, vbi Cœnobium Altiuillarense posteà condiderunt, ter volatu circumierat, ac toties in fago quadam post huiusemodi circuitionem residerat, vt ex Flodoardo [a] probauimus. Quod autem Monachi Deruenses de primordiis Altiuillarensibus audierant, id lapsu temporis ad originem sui Monasterij facilè transtulerunt.

[a] L. 2. c. 7.

XI. Inter illustres viros, quorum auxilio Bercharius à Childerico Rege impetrauit sibi dari syluam in circuitu loci, quem Cœnobio ædificando idoneum præelegerat, in Historia eiusdem Bercharij recensentur hi tres Episcopi, Niuardus, Leodegarius & Azelanus, hique tres Optimates, Almaricus, Fulcoaldus & Wlfaudus. Ibi Sedium, quibus Episcopi præerant, nomina reticentur, aliunde verò sciuntur quamfacillimè. Niuardus Remorum Episcopus erat Metropolitanus, vt ex Flodoardo [b] constat. Augustodunensem Ecclesiam regebat Leodegarius, vt patet ex eius vita quam Auctores coætanei conscripsere. Laudunensem Diœcesim administrabat Azelanus siue Attelanus, nec alius erat ab Attila siue Attola, quocum Niuardus Remensis Episcopus, res nonnullas commutauit, vt liquet ex textu Flodoardi Niuardum sic commendantis. *In Episcopatu positus, emptis per diuersa loca tam fundis quàm domibus, necnon mancipiis, dilatasse res inuenitur Ecclesiæ. Disposuit etiam nonnullas ordinatis colonis villas Episcopij. Quasdam quoque res commutasse reperitur cum Attila Laudunensi Præsule pro vtriusque partis opportunitate.* Ex tribus Optimatibus, qui nominantur in Historia Bercharij, duo carent titulis, Almaricus dicitur Maiordomûs. Est autem manifestus error. Erat enim Maioratus penes Wlfaudum, vt docent hæ subscriptiones Regio Præcepto, quod quarto Nonas Iulias, hoc anno, regni sui tertio, Childericus Rex emisit subiectæ. *S. Leodegarij Episcopi. S. Attelani Episcopi. S. Wlfaudi Maiorisdomûs. S. Almarici.*

[b] L. 2. c. 7.

XII. Extat illud Præceptum apud Camuzatum in notis ad Historiam sancti Bercharij. Actum est apud Compendium in Neustria, datúmque eidem Berchario Abbati, qui locum ad ædificandum in saltu Deruensi Monasterium à Rege sibi concedi postularat. *Celsitudo Regalis Clementiæ, religiosorum virorum petitionibus semper debet annuere, maximè gerentibus studium curæ Ecclesiasticæ, quatinus diuinum cultum exhibentibus benigno affectu subueniat, & opem sua deuotionis impendat, vt eorum oratio apud Domini clementiam nobis succurrat, & pro pace & stabilitate Regni nostri iugiter interueniat. Quapropter ad notitiam cunctorum peruenire iubemus, quoniam adiit Serenitatem nostram venerandus ac religiosus Abbas Bercharius, supplicans vt concederemus ei quendam locum in foreste Deruo, & in fine Wasiacinse, in quo sibi liceret construere Monasterium, & vt daremus sumptus ac prædia, per qua ea quæ competerent Monasterio vel locis cellarum complecti, & Ma-*

AN. CH. 671. CHILD. II. R. 12.

*nachorum Congregationem ibidem aptaret. Placuit igitur reuerentia nostra summi viri supplicatio, & quæ postulauerat concessimus illi. Qui Monasterium construens supra fluuium * Vigora in honore beatorum Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorum petiit Altitudinem nostram, vt pro rei totius firmitate integram emmunitatem circa ipsum Monasterium contraderemus. Nos igitur cælesti beneficio promoti, consensu Episcoporum & Optimatum nostrorum, precibus tanti viri aurem accommodantes, iubemus vt de omni facultate ipsius Monasterij, tam quod ego ipse ibidem delegaui, quàm etiam quod à reliquis Christianis hominibus noscitur esse condonatum, quódque ad præsens in quibuslibet locis, territoriis, & ex eius hæreditate vel studio tam vltra Ligerim in Herla scilicet & Saturiaco vel Domnofronte cum appendiciis suis, quàm etiam citra Ligerim possidere videntur, seu quod ibidem adhuc inanteà in Dei nomine à Christianis hominibus iustè & rationabiliter fuerit additum vel condonatum pro quiete ipsius Regni nostri, integram emmunitatem pro reuerentia ipsius sancti loci concedimus, vt nullus Iudex publicus quolibet modo iudiciariâ accinctus potestate in curtes ipsius Monasterij, vbicunque ad præsens eorum maneat possessio vel dominatio, aut quod inanteà vt diximus fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum,* id est, vectigal pro rebus quæ super rota vehunt, *infra vrbes vel in mercatis extorquendum, nec vllas paratas, aut quaslibet redibitiones exactare præsumat, sed in omni facultate ipsius Monasterij, vt præfatum est, in omnibus locis & territoriis, vbi aliquid possidere videntur, absque interdictu Iudicum, remotis & resecatis omnibus petitionibus de partibus fisci, vsque super ripam fluuioli Magnentis, progrediente in directum termino ad locum qui vallis profunda nuncupatur, sub emmunitatis nomine inconcussè tam nostris quàm futuris temporibus valeant dominari vel possidere, quo fiat vt & nos de præstito beneficio ad mercedem pertineat, & ipsos seruos Dei in ipso Monasterio consistentes meliùs delectet pro stabilitate Regni nostri adtentiùs Domini misericordiam deprecari. Et vt hæc emmunitas firmior habeatur, & per tempora conseruetur, manûs nostræ ac fidelium nostrorum tam Episcoporum quàm Optimatum subscriptionibus subter eam decreuimus roborari. S. Niuardi Episcopi* (prauè legitur apud Camuzatum nomen *Reoli* Episcopi, qui post Niuardum in Remensi Cathedra sedit) *S. Leodegarij Episcopi. S. Attelani Episcopi. S. Wlfaudi Maiorisdomûs. S. Almarici. Data 4. Non. Iuly, anno 3. regni Childerici Regis. Actum Compendio Palatio.*

* La Riuiere de Voyre.

Locus, qui Berchario conceditur *in fine Wasiacinse*, vt loquitur Childericus in suo Præcepto; siue *ex fisco qui vocatur Wasiacus*, vt Anonymus scribit in vita eiusdem Bercharij, distingui debet à locello *qui Wasiacus dicitur* apud Flodoardum [a], eodémque Auctore teste, *sub Priuilegij iure ad Monasterium Sancti Basoli* datus est à Niuardo Remorum Episcopo. Huius Niuardi nomen inter subscriptiones Episcoporum restituimus expuncto Reolo. Vt autem id ageremus, duæ res præcipuè nos impulerunt. Apud Anonymum, quem suprà citauimus, in Episcoporum numero, quorum auxilio Bercharius apud Regem vsus est vt locum in Deruensi silua construendo virorum Monasterio idoneum obtineret, collocantur prælaudati tres Episcopi, Niuardus, Leodegarius & Azelanus, nullâ Reoli mentione factâ. Deinde donationi Bercharij Abbatis Niuardus cum Leodegario Episcopo Augustodunensi & Mummoleno Episcopo Nouiomensi subscripsit *sub die 3 Cal. Septemb. præsente Domno & Glorioso Childerico Rege, an. 4. regni eius*, vt anno sequenti dicturi sumus. XIII.

[a] l.2.c.7.

Bercharius accepto Præcepto Regio multos discipulos congregauit. Hierosolymam semel adiit, Romam sæpiùs. Ex illis locis reliquias Sanctorum in Monasterium Deruense transtulit. Lege illius vitam. In Deruo Cœnobio celebris est memoria sanctæ Theodosiæ Virginis ac Martyris, de qua sic illius Ecclesiæ Martyrologium apud Camuzatum. *Quarto Non. April. apud Cæsaream Cappadociæ, passio Sanctæ Theodosiæ Virginis, quæ Diocletiani tempore vltrò se Confessoribus socians, in custodia tenta, & nihilominùs in equuleo cruciata, Dei virtute est de vinculis, aquis, bestiis eruta, nouissimè Martyrium capitis abscissione compleuit, & post multum tempus corpus eius multâ deuotione deportatum est Deruo Monasterio* XIV. RELIQVIIS SANCTORVM NOBILE.

AN. CH. 671. CHILD. II. R. 12.

à fratribus loci, & magno debitóque honore locatum, & ibidem diuinâ dispositione quiescit, piè petentibus adquiescens salutis suffragia.

XV. EPISCOPI LAVDVNENSES.

Attila siue Attola Laudunensis Episcopus, quem & Aterlanum, Attelanum atque Azelanum appellatum obseruauimus, annum agebat in Pontificatu quadragesimum, cùm Regium Childerici Præceptum, quod suprà recitauimus, hoc anno suâ subscriptione communiuit. In viuis haud diu supetfuit, habuítque successotem Vinfridum, de quo nihil legimus præter varias nominis editiones. Scribitur enim Vinfridus, Vmrifrindus, Vnifrindus, Wlfridus, Wlfandus & Wlfadus. Huic successit Peregrinus, tum Gerardus, vterqne solo notus nomine. De Serulfo Gerardi successore agemus suo loco.

XVI. GODINVS ET LANTRVDIS MVNIFICI ERGA MON. S. BENIGNI.

Regnante Childerico, *Godinus quidam ex Primatibus Burgundiæ vnà cum coniuge sua nomine Lantrude dedit sancto Benigno alodium iuris sui, cui vocabulum est Albiniacus, situm in pago Decolatunse, quod nunc generaliter Portuensis dicitur.* Hæc Auctor Chronicorum San-Benignianorum post Clotarij mortem sub Childerico Rege. Chartam donationis cum næuis aliquot euulgauit Stephanus *Perard* in hunc modum. *Sacrosancta Basilica, Dinioni in honore sancti Benigni constructa, vbi in corpore sanctus Benignus requiescit, vbi venerabilis vir Boloneus* (ex ipsa chartæ subscriptione *Agilbertus* reponi debet) *Abbas præesse videtur, omníque Congregationi inibi in Dei laudibus consistenti Godinus & matrona sua Lantrudis. Opportunum nobis erat, vt si possit existere, ampliora in luminaribus Ecclesiarum pro ablatione peccatorum nostrorum & pro Dei amore conferre deberemus. Attamen, in quantùm possibilitas prævalet, donamus, donatúmque esse volumus, & de iure nostro in ius & dominationem præfata Basilicæ Divionensi sancti Benigni omníque Congregationi in eodem loco degenti, regiculam iuris nostri, cui vocabulum est Albiniacum situm in pago Decollatininse, quicquid portio nostra in iam dicto loco, in villa seu agro Albiniaco, tam de alodo quàm de quolibet adtracto, in ipso loco habere videmur, casas, ædificia, vnà cum mansis, curtis, campis, pratis, syluis, aquis, aquarum decursibus, accessísque omnibus, in integro statu & terminatione, quod iam nos præsenti tempore possidere videmur, in præfata Basilica perpetualiter in Dei nomine possidendum, vt superiùs dictum est, à die præsente donamus & transfundimus, vt quicquid exinde ab hac die præfata Basilica Divionensis sancti Benigni, suíque agentes, per stipendium prædicti viri vel fratrum facere voluerint, liberam in omnibus hanc firmissimam habeant potestatem, ita vt diximus, agentes ipsius Basilicæ in Dei nomine, absque vlla contradictione post eorum donationem ad ius suum valeant reuocare. Hanc si quis, nos, aut quislibet de hæredibus nostris, aut apposita persona contra donationem præsentem nostram venire temptauerit, & vobis vestrísque successoribus calumpniam intulerit, culpabiles, sociato fisco, auri libram vnam, & argenti duas persoluant, & nihilominùs donatio nostra firma permaneat, stipulatione & sponsione pro omni firmitate subnixa. Actum Donernico publicè. Godinus hac donatione facta subscripsit. Signum Lantrudis quæ facere rogauit. In Dei nomine Agilbertus Abbas subscripsit. In Christi nomine Bobelenus Presbyter subscripsit. In Christi nomine Arembertus Presbyter. Frodoino. Frodebertus, Almabertus. Ansfredus rogatus hanc donationem scripsi & notaui die Veneris, mense Martio, in anno* XVII. *Regni Domini nostri Chilperici Regis feliciter.*

XVII. [a] Nu. 2. 4.

Post Wlfechramnum Abbatem, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-tertium [a] fecimus, Monasterium sancti Benigni rexit Agilbertus. De vtroque sic Auctor Chronici San-Benigniani. *Defuncto Wlfechranno Abbate, successit in locum regiminis Agilbertus.* Regimen igitur Monasterij San-Benigniani penes Agilbertum Abbatem erat, cùm Godinus eiúsque vxor Lantrudis Albiniacum prædicto Cœnobio contulerunt. Idcircò nomen Agilberti Abbatis inter subscriptiones, qnibus illa donatio firmatur,

CHARACTERES CHRONOLOGICI EXAMINANTVR.

rectè collocatur, secus autem dicendum de nomine Bolonei quod in ipsam chartam irrepsit. Perardus hoc solo chartæ næuo innixus (alibi enim nulla Bolonei mentio) locum Boloneo, qui nomenclatores omnes hactenus latuerit, in Abbatum San-Benignianorum catalogis concedendum putat, annúm-

AN. CH. 671. CHILDERICI II. R. 12.

que Chilperici Regis decimum-septimum, quem vitiosus Codex suppeditauit, interpretatur annum Christi quingentesimum septuagesimum-nonum. In hac computatione sequitur Auctores, qui Clodoueum Magnum anno Christi quingentesimo vndecimo mortuum scribunt, eiúsque filium Clotarium tenuisse volunt annos vnum & quinquaginta. De anno conuenimus quo Clodoueus Magnus obiit, sed eius filio Clotario quinquaginta duntaxat annos Principatûs attribuimus, ideóque annum Chilperici Regis decimum-septimum illigauimus anno Christi quingentesimo septuagesimo-octauo. Verùm in charta suprà descripta nec nomen Chilperici Regis, nec annus Regni decimus-septimus legi debet. Loco Chilperici restituendus est Childericus, Chilpericus enim Clodouei Magni nepos in sola Neustria regnauit, nec immiscuit se Regno Burgundiæ quod penes Guntchramnum fratrem erat. Regnauit Childericus annos duntaxat quatuordecim, in sola Austrasia decem, quatuor in vniuersa Francia, nec peruenit ad annum Regni decimum-septimum, cuius loco duodecimum censemus reponendum, anno enim Principatûs sui duodecimo Monarchiam totius Franciæ iam obtinebat, Burgundiâque potiebatur vbi Albiniacum. *Chilpericus* & *Childericus*, cùm vnius tantùm literæ inuersione differant, facilè confundi possunt. Sic & interpolatione vnius literæ, numerus X I I. facilè abut in X V I I. Expunctis igitur apud Perardum illis vocibus *in anno* X V I I. *Regni Domini nostri Chilperici Regis feliciter*, has lege *in anno* X I I. *Regni Domini nostri Childerici Regis feliciter*; & in margine, expuncto anno 579. scribe annum 671.

XVIII. VARII COMITATVS IN EPISCOPATV LINGONENSI.

Pagus Decolatunsis, vbi situm Albiniacum, in Chronico San-Benigniano vocatur etiam pagus Portuensis, nec aliter apud Iacobum Vignerium Societatis Iesu Sacerdotem in Chronico Lingonensi sub Ludouico Pio, vbi plures pagi seu Comitatus sic enumerantur, *Lingonarum*, *Bassiniaci* *, *ac Divionis*; *Hattuariorum* * vbi Besua Monasterium, *Portuensis* *, *& Oscariensis* * *agri*; *Magnimontensis* *, *ac Tornodorensis*, *& Dusmisi* *; *amborum Barrensium*, *ad Albam scilicet & Sequanam*. Ex illo pago Portuensi seu Portensi natus erat Agnohaldus sancti Agili Resbacensis Abbatis pater, de quo sic vetustus Auctor in ipsius sancti Agili vita. *Childeberto Sigiberti Regis filio, qui iuuentutis flore & sapientia decore gubernanit Burgundiam atque Austrasiam, fuit quidam ex primis Palatij Optimatibus, Portensi territorio nobilissimis natalibus oriundus, eiusdémque Regis Conuiua & Consiliarius nomine Agnohaldus.* Locus ei natalis haud parum profuit, vt esset in amicitia Regum Burgundiæ.

* de Bassigni. * des Attuariens. * de Port. * de Lasthoret. * de Memont. * de Duesme.

XIX. ABBATES S. BENIGNI.

In Chronicis San-Benignianis Abbates San-Benigniani hoc ordine collocantur, Wlfechrannus, Agilbertus, Bobolenus. Auctor enim illorum Chronicorum sic habet. *Defuncto Wlfechramno Abbate successit in locum regiminis Agilbertus, post quem præfuit Bobolenus.* Wlfechramno, quem Clotarius Rex anno sui Principatûs octauo, id est, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-tertio in Regio Diplomate laudauit, tectè subrogatur Agilbertus, qui sub Childerico eiusdem Clotarij fratre ac successore, Burgundiæ tunc Rege, donationi à Godino & Lantrude illius vxore factæ subscripsit, sed eidem Agilberto perperam sufficitur Bobolenus, in prædictis enim Chronicis Wlfechramnus sub Ioannis Papæ Quinti Pontificatu, id est, anno Christi sexcentesimo octogesimo-sexto Monasterium regit, & Bobolenus anno Christi septingentesimo decimo-quarto superstes in viuis manet. Duos igitur distingue Wlfechramnos, quorum alter anno Christi sexcentesimo sexagesimo-tertio sub Clotario Tertio claruit, alter anno Christi sexcentesimo octogesimo-sexto sub Theodorico Tertio, Clotarij Tertij fratre.

XX. DVO DISTINGVVNTVR WLFECHRAMNI.

Porrò cùm Chronographus San-Benignianus vnius tantùm Wlfechranni meminerit, meritò quæri potest, vtrùm res ab vtroque Wlfechramno gestas confuderit, an vnum duntaxat commendarit alterius nomine & actis penitus omissis? Vnum sanè Wlfechramnum ex duobus conflauit. Hæc enim ad priorem spectant. *Anno octauo Regni sui Clotarius Rex residens Mosollaco Palatio suo,*

AN. CH. 671. CHILDERICI II. R. 12.

Wlfechrannus Abbas huius loci adiit eius præsentiam, &c. Ad posteriorem ista. *Tempore prædicti Wlfechranni veneranda memoria Abbatis præsidebat Lingonum Ecclesiæ Eronus venerabilis Episcopus, qui inter cetera beneficia, quæ huic contulit loco, à Summo Pontifice vel verius Romanis Pontificibus Ioanne & Sergio petiit fieri decretum*, &c. Intellige Ioannem Quintum, qui Benedicto Secundo successit anno Christi sexcentesimo octogesimo-quinto, sedit *annum vnum, dies nouem*, sepultúsque est *die secundâ mensis Augusti* anno Christi sexcentesimo octogesimo-sexto, vt ad illum annum probabimus. Posterior igitur Wlfechrannus, de quo sermo non semel occurret, Monasterio sancti Benigni præfuit, cùm infulæ Lingonenses penes Eronem siue Heronum Episcopum, Romanæ penes Summos Pontifices Ioannem Quintum, Cononem & Sergium erant, Regnúmque Burgundiæ Theodorico Tertio, Clodoueo Tertio & Childeberto Tertio subiacebat.

XXI. *Translatio S. Aureæ.* Reliquiæ sanctæ Aureæ, cùm per quinquennium extra Ciuitatem Parisiensem in Basilica sancti Pauli quieuissent, hoc anno delatæ sunt in Vrbem, depositæque in Ecclesia sancti Martialis. Lege Antiquitates Parisinas [a], necnon ea quæ de prædictis Basilicis Deo dicatis sub nuncupatione sanctorum Pauli ac Martialis ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-quartum [b] iam obseruauimus. Auctor Antiquitatum Parisiensium fallitur, cùm scribit Rodobertum Episcopum Parisiensem Translationi sanctæ Aureæ interfuisse, Rodobertus enim seu Chrodobertus Episcopus Parisiensis ante aliquot annos obierat, Ecclesiæque Parisiensi tunc præerat Agilbertus Episcopus. Idem Auctor multò grauiùs errat, cùm addit erectam esse in honorem sanctæ Aureæ Basilicam in Ostiis Tiberinis, cuius mentio fiat apud Cæsarem Baronium octauo Annalium Ecclesiasticorum Tomo. Alludit enim ad hunc textum, quem ex vita Sergij Papæ ab Anastasio conscripta recitat Baronius ad annum Christi septingentesimum primum [c]. *Hic*, nempe Sergius, *Basilicam Sanctæ Aureæ in Ostiis*, id est, in Ostiis Tiberinis, *quæ similiter fuerat detecta vel dirupta cooperuit, suóque studio renouauit*. Anastasius autem ibi loquitur de sancta Aurea Martyre, quæ Martyrium sub Alexandro Imperatore consummauit, & in Tabulis Ecclesiasticis solemni memoriâ sic recolitur nono Kalendas Septembris. *Apud Ostia Tiberina, Sanctæ Aureæ Virginis & Martyris, quæ saxo ad collum ligato in mare demersa est: cuius corpus ad litus eiectum beatus Nonnus sepelivit*. Duas igitur distingue sanctas Aureas; vnam Virginem ac Martyrem Ostiensem, quæ tertio seculo vixit; alteram Virginem & Abbatissam Parisiensem, quæ septimo seculo floruit. Sanctæ Aureæ Martyris ac sociorum Acta præ manibus habuit Baronius, vt ipsemet testatur in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi ducentesimum vndetricesimum [d], & in notis ad Martyrologium Romanum nono Kalendas Septembris. Vtrumque locum consule, vt faciliùs innotescant tibi fabulæ, quas Neoterici de sancta Aurea Parisiensi Abbatissa comminiscuntur.

XXII. Hippolytus cognomento Nonnus quia Monachus, ab Eusebio in Historia [e] Ecclesiastica, à sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, à Gelasio Papa in Commentario de duabus in Christo naturis aduersùs Eutychen, à Petro Damiani in literis ad Nicolaum Papam, & ab aliis passim laudatus inuenitur. Diu degit in Arabia Syriæ contermina, plusquàm triginta millia hominum ad Christi fidem in Oriente perduxit; Romam venit sedente tunc Callisto Pontifice, à quo dignè, vt par erat, acceptus est, donatúsque Ecclesiæ Portuensis Episcopatu; corpus sanctæ Aureæ Virginis ac Martyris Ostiensis, vt suprà dictum est, sepulturâ donauit. Inde recentiores Auctores, qui *Fabulæ de S. Aurea refelluntur.* Parisiensem Auream ex duabus, id est, ex Ostiensi ac Parisiensi conflarunt, varias excogitarunt fabulas, asseruerúntque Auream Abbatissam Parisiensem, patriâ Syrissam fuisse, eiúsque Translationi cum Episcopo Parisiensi interfuisse Episcopum natione Syrum. Sanctus Audoenus in vita sancti Eligij bis de sancta Aurea Abbatissa Parisiensi sermonem fecit. Libro primo [f], sic. *Cæpit Eligius intra domum suam, quam in eadem vrbe Parisiaca ex munere Regis perceperat,*

[a] Lib. 1.
[b] Nu. 6. 7.
[c] Num. 6.
[d] Num. 7.
[e] L. 6. cc. 14. 16.
[f] Cap. 15.

rat, Virginum Christi ædificare domicilium; in quo opere diu multúmque instantissimè desudans, dignum tandem sanctarum Virginum construit Archisterium, vbi districtam Regulæ disciplinam constituens vsque ad trecentarum numerum puellarum ex diuersis gentibus, tam ex ancillis suis, quàm ex nobilibus Franciæ matronis congregauit, quibus & Abbatissam Deo dignam puellam, nomine Auream, filiam scilicet Maurini & Quiriæ, constituit. Libro secundo [a], sic. *Cùm nefanda clades depopularetur vrbem Parisiacam, & nonnulla iam Virgines ex Monasterio sancti viri, vbi Aurea nomine præerat Abbatissa, ad Dominum præcessissent, apparuit quadam die beatus Eligius cuidam adolescenti in Basilica, puellarum veste candidâ amictus, togarum velamine comptus; cumque is, qui aderat, nimio pauore perterritus latibulum quæreret, blandè cum lenitérque compellans vir beatus, præcepit vt iens citò diceret Matri Virginum, quòd ad se quantocyùs cum deputatis properaret Virginibus. Currens autem is, qui audierat, & citiùs Auream præueniens, surge, inquit, velociter quia Dominus Eligius in Ecclesiam te vocat. Quod cùm illa audisset, gaudio magno repleta sine mora properauit, sed tamen cùm venisset, visio beati viri iam abolita erat; Ecclesia verò ad firmitatis indicium, quòd illic esset visus, nebulâ quadam repleta monstrabatur, in tantùm vt candelabra quoque & vela subitâ roris inundantiâ distillare viderentur. Tunc ergo prædicta Aurea in sese reuersa intellexit se ex hoc mundo vocari, & protinus conuocans omnes sorores cœpit valedicere singulis, sequestrans ex eis nonnullas, quæ eam comitarentur inter cæteras; deinde iam ipsâ migrante ad Dominum, & reliqua nihilominùs subsequutæ sunt demùm, adeò vt eâ tempestate ex eodem Monasterio, vsque ad numerum centum sexaginta Monachæ morerentur.* In illis autem textibus nihil occurrit, vnde suspicari liceat Auream, quæ Parisiis curam puellaris Monasterij gessit, in Syria natam esse. Celebratur etiam in Tabulis Ecclesiasticis Aurea Virgo ac Martyr Cordubensis, quæ aliquando lapsa, sed facti pœnitens, iterato certamine hostem effuso sanguine superauit decimo-quarto Kalendas Augustas, Erâ octingentesimâ nonagesimâ-quartâ, id est, anno Christi octingentesimo quinquagesimo-sexto, vt beatus Eulogius scriptis testatum reliquit [b].

a Cap 51.

b L.3.c.17.

XXIII. TRANSLATIO S. MACHVTIS.

Facta est & aliarum reliquiarum insignis hoc anno Translatio. Corpus sancti Machutis Aletensis olim Episcopi, quem apud Xanctonas anno Christi quingentesimo sexagesimo-quinto mortuum diximus, Aletam tandem delatum est post annos ab obitu sex supra centum. Bilius, qui Rauilio in Episcopatum Aletensem anno priore successerat, hunc thesaurum honorificè suscepit, & vt suam erga sanctum Machutem seu Maclouium pietatem apud posteros testaretur, eius vitam literis commendauit. Quod opus in Lectiones posteà distributum in festo sancti Machutis & per totam Octauam necnon in die Translationis recitari consueuit. Lege Augustinum à Passu & Albertum à Monte Relaxo in catalogis Aletensium Antistitum.

672. CHILDERICI II. R. 13.

ANNVS
CHRISTI 672.
CHILDERICI II. R. 13. 3.

I. HECTOR PATRICIVS MASSIL.

ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo, cùm Hector, qui apud Massiliam Patriciatûs honorem adeptus fuerat, filiam Claudiæ suprà laudatæ raptam ex scelere sibi sociasset, & prædia, quæ Claudia Ecclesiæ Aruernensi contulerat, à Præiecto Pontifice sibi reddi postularet, inde ortum est graue dissidium, quod necem Hectori Comiti, exilium Leodegario Augustodunensium Episcopo, Martyrium Præiecto Aruernorum Pontifici procurauit. Lege vitam huius Antistitis [c].

c Ap. Bolland. d.25.Ian.

AN. CH. 672. CHILDERICI II. R. 13.

II. Leodegarius hoc anno, tertio Kalendas Septembris, cùm Childerici Regis apud Neustrasios & Burgundiones annus quartus iam numerabatur, eodem Childerico Rege præsente subscripsit hisce literis, quibus Bercharius Abbas Monasterio Deruensi plures villas de sua hæreditate concessit [a]. *Ego Bercharius in Christi nomine Abbas. Illud in Dei nomine potest ad anima nostra remedium pertinere, cùm ad loca Sanctorum, aliquid voluntate bonâ fuerit condonatum, & idcircò per hanc epistolam donationis ad Monasterium, cuius vocabulum est Puteolus supra fluuium Vigera, quod proprio labore, donatione & adiutorio Regum*, id est, Childerici Regis ac Bilihildis Reginæ, *ædificauimus, dono ibidem à die præsenti hæreditatem nostram in villa Discio vltra Ligerim supra fluuium Crete cum appendiciis suis, hoc est, quicquid visus sum habere in Canannas, in Sauiniaco, in Balgiaco, in Britello, in Musciaco, in Bissiaco, in Crisceio, in Cassiniaco, in Abloniaco, ibi habetur capella in honore S. Aniani, in Grauisio, in Laminiaco, in Nubileio, in Lusceio, in Sacron, in Virgiolo, in Sorgenio, in Vergenio, in Aliaco, in Motiniaco, in Cartal & Ferziaco, quæ omnia superiùs nominata nobis ex successione paterna atque materna legibus obuenerunt, tam terris quàm domibus, ædificiis, mancipiis ibidem commanentibus, quæ in præsenti tempore tenere videmur totum ad integrum, itaut hæc omnia superiùs intimata ad iam dictum Monasterium volo esse in dominicatum, vt ibidem in perpetuo proficiat in augmentum, & Monachi, qui ibidem deseruiunt, die noctúque pro peccatis meis & Regum & totius populi deprecari debeant, & si quis (quod fieri non credimus) de hæredibus vel prohæredibus nostris contra hanc epistolam donationis insurgere conatus fuerit, inprimus vitâ propriâ careat, atque cum stirpe sua captiuus . . . . . . & sicut Sodoma & Gomorrha in præsenti seculo percussa est, similiter percutiatur potestas & habitatio ipsius . . . . . . Actum Remis ciuitate sub die 3. Cal. Septemb. præsente Domno & glorioso Childerico Rege, anno 4. regni eius. Signum Niuardi Archiepiscopi* (fortè Librario displicuit vox *Episcopi*, quæ nobis hoc loco magis placeret) *S. Leodegary Episcopi Augustidunensis. S. Mummoleni Epis. Nouiomensis. S. Hermari Abbatis. S. Hilduini Abbatis. S. Berchary Abbatis, qui hanc cartam Donationis fieri iussit.*

BERCHARIVS ABB. DITAT MON. DERVENSE.

[a] Camuzat. in promptuar. antiq. Trecass.

III. Hisce temporibus Audoenus Rotomagensis Episcopus vitam sancti Eligij Nouiomensis quondam Episcopi conscripsit. Tempus ipsemet apertè prodit. Visionis enim sancto Eligio oblatæ ordinem sic exponit. *Aspiciebam in visione nocturna ceu Solem circa tertiam diei horam properantem, claréque prælucentem, subitò nusquam comparuisse. Cúmque adhuc informe prodigium solerter intenderem, conspexi illicò, & ecce quasi media oborta Luna tres circumquaque vallata Stellas eo teneri tramite visebatur, quo Sol recurrens quotidie vertitur. Itaque cùm & hoc portentum attonitus expectarem, mox intra mirantis obtutum Stellis permanentibus Luna fortuitu exempta est. Post hæc verò cùm enixiùs tres illas considerarem Stellas ad horam penè meridianam accedere, ac vicissim suis radiis sese repercutere, ea quæ eximior ex tribus videbatur, ex improuisò sublata duas tantùm reliquit in propatulo. Deinde cùm simul duæ illæ comitari viderentur, dicto citiùs vnâ earum obscuratâ atque substractâ vna tantummodo remansit in palàm, quæ sola recto tramite Solis cursum imitans magno demùm fulgore rutilabat, quantóque ampliùs ad Occidentem declinabat, tantò vberiùs claritas eius latè propagabatur, at vbi ad vltimum Occidui locum peruenit, tantam claritatem suarum lampadarum profudit, vt potissimam Solis claritatem superare videretur. Hîc est itaque ordo visionis. Post mortem Clodouei Regis (nam absque dubio citò defungetur) aliquanto tempore obtinebit hoc Francorum Regnum relicta eius Regina cum tribus paruulis. Postquàm verò & ipsa Regno fuerit exempta, tribus filiis in Regno relictis, vnus demùm ex ipsis cadet, & post hoc haud longo spatio ex duobus quoque Regno vnus priuabitur, tertius verò solus Monarchiam adeptus dilatabitur super omnes affines suos atque magnificabitur, & obtinebit sub ditione sua tria hæc Regna; & sic visio hæc consummabitur.* Hæc recitat Audoenus in persona Eligij. Deinde obseruat magnam eiusdem visionis partem completam esse, Clodoueo mortuo, Balthilde Regno exemptâ, & Clotario è viuis sublato; partem verò complendam superesse de Childerico & Theo-

AVDOENVS SCRIBIT VITAM S. ELIGII.

AN. CH. 672. CHILDERICI II. R. 13.

dorico adhuc superstitibus. *Cùm hæc*, inquit, *iam aliqua ex parte completa cernamus, cetera quæ nondum impleta sunt, ex consideratione præcedentium impleri è proximo non dubitamus. Nam secundùm eius sententiam, & Rex Clodoueus infra paucum tempus, hoc est, anticipans triginta dies in pace obiit, eiúsque demùm relicta Regina cum paruulis, paucis annis Regnum obtinens; postmodum iure regio exempta filios in Principatum reliquit, ac non post multos annos maior natu ex ipsis, qui potissimum ius tenere videbatur, dum quietè tranquilléque regnaret, diem obiens, duos superstites fratres reliquit. De visis iam quid agatur, solius Dei iudicio definiri conuenit.* Lucubrationem suam Chrotberto Episcopo corrigendam transmisit Audoenus, attentè lectam approbatámque Audoeno remisit Chrotbertus. Testes epistolæ duæ, quas Surius [a] vitæ sancti Eligij subiecit. Prima est Audoeni seu Dadonis cum hoc initio. *Domino sancto, & à nobis in charitatis vinculo iugiter amplectendo Roberto Papæ, Dado salutem.* Altera est Chrotberti seu Rotberti vel Roberti cum hoc initio. *Domino verè sancto, culmine Apostolico sublimato; mihíque modis omnibus venerabiliter præferendo, Domino & Patri Dadoni, Rodobertus* (aut *Robertus* vt in margine legitur) *peccator.* Hunc Episcopum, quem promiscuè Rodobertum & Robertum vocat, Ecclesiæ Parisiensi præficit Surius, quia confundit cum Chrodoberto Episcopo Parisiensi, cuius mentio fit in vita sanctæ Balthildis, vt ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-primum annotauimus. At Chrodobertus Parisiensis Episcopus obiit regnante Clotario, ideóque distingui debet à Chrotberto Episcopo, qui Diœcesi Turonensi præesse cœpit anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto, nec tantùm Clotario, sed etiam Childerico Clotarij fratri ac successori superuixit, & eodem Childerico totius Franciæ Monarchiam adepto vitam sancti Eligij ab Audoeno transmissam legit approbauitque. Differunt haud parum ipsamet Episcoporum nomina. Parisiensis enim vocatur Chrodobertus, Turonensis appellatur Chrotbertus. Illam etiam nominum differentiam subindicat Surius, quamuis ex duobus Episcopis nitatur vnum conflare. Nàm dum fingit Episcopum binominem, qui Rodobertus ac Robertus nominetur, à Chrodoberto Rodobertum & à Chrotberto Rotbertum seu Robertum deriuat, vt Neoterici demptis primis vocabulorum literis *Ch* Chlodouecum in Ludouicum & Chlotharium in Lotharium frequenter mutant. Audoenus igitur Rotomagensis Episcopus amicitiâ coniunctissimus fuit & Chrodoberto Episcopo Parisiensi, quocum laudatur in Actis sanctæ Balthildis initio regni Clotariani, & Chrotberto Episcopo Turonensi cui vitam sancti Eligij transmisit regnante tum in vniuersa Francia Childerico Clotarij fratre. Vitam illam sancti Eligij, quam sanctus Audoenus conscripsit, legimus in multis Codicibus manuscriptis, ac notissimè in eo, quem vir Clarissimus Antonius *de Vion* Dominus *d'Herouual* nobis nuperrimè communicauit, ibique obseruauimus Audoenum in textu vbi de semetipso in Episcopum ordinato sermonem facit, non in prima persona quam alij Codices habent, sed in tertia sic loqui. *Conuenientes ergo simul in ciuitatem Rothomagensem quarto-decimo die mensis tertij, tertio anno Clodouei iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sunt ab Episcopis pariter Episcopi, Audoenus quoque Rothomago, Eligius quoque Nouiomo.* Placuit id hoc loco notare, quia in epitome lucubrationis Audoenanæ manuscripta, quam ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum [b] citauimus, eandem narrationem init Auctor in tertia persona. Porrò nuperrimè Ioannes *Maan*, Turonensis Ecclesiæ Canonicus ac Præcentor, Sanctam & Metropolitanam Ecclesiam Turonensem, siue Historiam Præsulum Turonensium edidit. In illo opere Chrotbertus Turonensis Episcopus ob duas duntaxat res commendatur; primò, quòd Priuilegium Corbeiensi Monasterio à Bertefrido Ambianensi Episcopo concessum approbarit; deinde quòd ipse Priuilegium Cœnobio sancti Martini concesserit. Elogium sic inchoatur. *Chrotbertus siue Robertus Episcopus Ecclesiastica ius immunitatis, quod*

[a] d. 1. Dec.

TRANSMITTITQVE CHROTBERTO EP. TVRON.

[b] Num. 10.

AN. CH. 672. CHILDERICI II. R. 13.

Bertefridus Ambianensis Episcopus dudum concesserat Corbeiensi Monasterio, probauit in Captonnaco Palatio anno 664. vnà cum Episcopis quindecim. De Priuilegio Corbeiensi, quod legitur *factum sub die octauo Idus Septembris, anno VII. regnante Clotario Rege*, fusè locuti sumus ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum [a], quocum annus septimus Clotarij Tertij Regis conuenit. Tria de Chrodoberto Episcopo ad illum locum notauimus; Chrodoberti nomen initio Priuilegij non recenseri, reperiri tantùm inter subscriptiones Priuilegio subiectas, illius Sedem Pontificalem haud aliam fuisse à Parisina. Priuilegij tale est exordium. *Dominis Sanctis & summi culminis apice Pontificalis Cathedra speculâ præsidentibus in Christo fratribus, Niuoni, Genesio, Ethoaldo, Emmoni, Audoni, Audomaro, Audoino, Audeberto, Burgundofaroni, item Audeberto, Drausisoni, Berthefridus munere superni largitoris Ambianensis Ecclesiæ Episcopus.* Nulla ibi mentio Chrodoberti. Priuilegio tamen subscribit *Chrodobertus peccator.* Plures enim Priuilegio subscribunt Episcopi quàm nominantur initio Priuilegij. Berthefridus initio Priuilegij suprà descripto vndecim duntaxat Episcopos enumerat, subscribunt autem post Berthefridum Episcopi quindecim, nec inter hosce quindecim inueniuntur vndecim illi, quamuis illos vndecim in Priuilegium consensisse Berthefridus affirmet. *Omnes*, inquit, *vnius conspiratione consensûs antedictis Principibus*, Clotario & Bathildi, *postulatione sociâ libentissimè annuentes*, &c. Berthefridus initio Priuilegij nominat hos vndecim Episcopos, Niuonem, Genesium, Ethoaldum, Emmonem, Audonem, Audomarum, Audoinum, Audebertum, Burgundofaronem, item Audebertum & Drausionem. Post eundem Berthefridum subscribunt hi quindecim, Genesius, Charoaldus, Gauriobertus, Boso, Ragnobertus, Mummolenus, Audobertus, Audoenus, Dado, Emmo, Leodebodus, Chrodobertus, Paternus, Drauscio & Audebertus. Episcoporum, quorum nomina initio Priuilegij recitantur, notæ sunt & Sedes. De nonnullis Sedibus Episcoporum, qui Priuilegio subscripsisse perhibentur, haud ita constat. Quapropter Episcoporum subscriptiones, quæ Priuilegio subiiciuntur, abradendas censuimus, earúmque loco reponendas subscriptiones Episcoporum, quorum nomina initio Priuilegij recensentur. Siue autem nobiscum sentias, siue subscriptiones, quæ Priuilegio subiectæ leguntur, seruandas opineris, Chrodobertus Episcopus, qui sedebat anno septimo Clotarij Tertij, non Turonenses Infulas sed Parisienses gessit. Septimus enim Clotarij Tertij Regis annus anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo illigatur, Chrotbertus autem Turonis anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto sedere cœpit. Auctor Historiæ Turonensis, posito licèt ad marginem *anno* 652. Chrotberti Turonensis Episcopi Pontificatum ab anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio ad annum Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum sic circumscripsit. *Episcopatum gessit Chrotbertus annis quindecim & vndecim mensibus ex Turonicis Chartulariis, & morte submotus ipso anno Christi 669. quo & Adeodatus Papa vitâ defunctus est & Domnus eius in locum suffectus Childerico Francorum Rege.* Sed hæc Chronologia stare non potest, Adeodatus enim vndecimo Kalendas Maias, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio Pontificatum Romanum suscepit. De Priuilegio, quod Chrotbertus Monasterio sancti Martini concessit & Adeodatus Papa Pontificio Diplomate confirmauit, ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum prolixè disputabimus. In Chronologiam, quâ nititur Historia Turonensis, inquiremus aliâ occasione. Quamuis autem in rebus Chronologicis næuos quosdam ostensuri simus, Authori non possumus gratias non habere, quòd tam multa scitu dignissima de Turonensi Metropoli scripserit, & quamplurima Concilia, quæ priùs in tenebris delitescebant, luce primus donauerit.

[a] Nu. 10. & seqq.

IV. HERMELANDVS FIT PRESBYT.

In Cœnobio Fontanellensi tunc degebat Hermelandus Monachus, *omnibus ita ornatus virtutibus*, teste Auctore vitæ synchrono, *vt inter ceteros commilitones vt Lucifer ceteris stellis clarior radio virtutum conspicuus refulgeret. Quod saga-*

AN. CH. 672. CHILDERICI II. R. 13.

ci venerabilis Abba Lambertus deprehendens intuitu, quem erudiendum discipulatûs susceperat gratiâ, veluti magistrum pro eius virtutum venustate venerans amabat. Sacris quoque altaribus insuper dignum eum adprobans Sacerdotem sibi ordinari fecit ab Episcopo eiusdem pagi, ratum arbitrans, vt consecrationis sacratißimi Corporis Sanguinísque Christi tam praclarum támque sanctißimus vir fungeretur officio, qui vt pretiosißima à Domino de sterquilinio sacularis habitûs margarita erutus, inter sodales talibes in Monasterio locatus velut super candelabrum lucerna consecratione Apostolica vita omnibus lucidiùs enitebat. Ordinatus verò tantâ Sacerdotalis officy perfectione vigebat, vt cùm deuotus Deo oblationem studiosè cotidie offerret, maceratione sui corporis ipse hostia viua fieret. Hic Auctor nomen Episcopi reticuit, à quo Presbyter ordinatus est Ærmenlandus. At illud expressit Surius. *Venerabilis*, inquit, *Abbas Lambertus dignum eum censens, qui sacris aris admoueretur, ab eius loci Episcopo Sancto Audoeno Presbyterum voluit consecrari.* Ab Anonymo Surius haud dissentit. Audoenus enim Episcopus erat Rotomagensis, & Monasterium Fontanellense, quod hodie nomen sancti Wandregisili gerit, non in Baiocensi Diœcesi, prout Breuiarium Namnetense sexto Idus Iulias & septimo Kalendas Decembres, & Auctor Armoricæ Sanctæ in vita sancti Paschariј perperam asserunt, sed in Rotomagensi Episcopatu situm est.

V. EPISCOPI VENETENS. ET ALETENSES.

Migrauit ad Deum hoc anno sanctus Maldeocus, cùm Diœcesim Venetensem per annos sex administrasset. Vocatur à Saussaio Meddeocus in Appendice ad Martyrologium Gallicanum. Ei successit Hamon, qui teste Auctore Armoricæ Sanctæ sex quoque annos sedit. Idem Nomenclator scribit Bilium Aletensem Episcopum hoc anno mortuum esse, cùm Ecclesiam duobus duntaxat annis rexisset, eiúsque successorem vocat Moenum cui Pontificatum triennalem attribuit.

VI. FARO MELDENSIS EP. OBIT.

Hoc etiam anno, quinto Kalendas Nouembris ad Deum transiit Faro Meldensis Episcopus, de cuius ætate ac Pontificatu iam disputauimus ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-nonum [a]. *Fuit in Episcopatu à Clotario Rege vsque ad Childericum*, non quidem vt hodie in eius vita legitur [b] *annis* LXVI. sed annis XLVI. ab anno videlicet Christi sexcentesimo vicesimo-septimo, quo Clotarius Secundus Childerici Secundi proauus in viuis adhuc superstes erat. Sepultus est in Monasterio Sanctæ Crucis, quod prope Meldas à fundamentis erexerat. Sic enim capite centesimo decimo scribit Auctor vitæ, cuius fragmenta Duchesnius publicauit. *Conseruantur eius membra, quibus ad omne opus bonum velut organo vsus est, hac in speciosißima Basilica habitaculum Angelorum facta, quam ipse miro opere in fundo proprietatis sua fundauit in honore salutifera ac viuifica Crucis, necnon Baptista beati Iohannis atque omnium Apostolorum.* Hic Auctor calamo manum admouit regnante in Francia Carolo Caluo & Episcopatum Meldensem gerente Hildegario. Ætatem suam sic indicauit capite sexagesimo-quarto. *A vicesimo ordine B. Faronis vsque ad præsentem Hildegary humilis Episcopi (ex collegio Monachorum in clarißimi Martyris Dionysij Cœnobio degentium per electionem assumpti, ac munere diuino vnà cum præstantißima liberalitate inclyti Regis Karoli ad tanti regiminis culmen euecti) & multiplicatus ordo Præsulum piorum ad vsque hunc quem sexto-decimo numero rota annorum torquet voluendo.* Multas operi suo fabulas inseruit, quarum indicem, ne fallant incautos, hîc dabimus factâ collatione cum fragmentis, quæ operâ & studio Andreæ Duchesnij iam prodierunt in lucem.

[a] Num. 16.

[b] Ap. Surium, d. 25. Oct.

EIVS VITA MVLTIS FABVLIS SCATET.

VII. Primò, Duchesnius hæc descripsit ex capite vicesimo-primo. *Illis itaque diebus, dum hæc controuersia germana*, id est, controuersia inter germanos fratres Theodobertum & Theodoricum exorta, *fuscis alis perturbationum volitaret, clarus in aula Regis Theodeberti habebatur adhuc miles beatus Faro, iuuenili pollens ætate. In qua tantùm virtute prudentia vbertim floruit, vt à Regibus honore magnificentißimo amplificaretur.* Reticuit autem quæ proximè sequebantur in eodem capite. *Ac pro pacto amicitiæ filium Chilperici Regis à sacro fonte suscipiens Baptismatis nouus regenerator efficeretur. Qui Chlotharius nomine postmodum Mo-*

AN.CH. 672. CHILDERICI II. R. 13.

narchia trium Regnorum primus obtentor ex origine Francorum, id est, Neustrasiorum, *esse meruit*. Ab hac fabula iure abstinuit. Clotarius enim Chilperici filius Baptismum in vico Nemptodoro * suscepit anno Christi quingentesimo nonagesimo-primo, nec patrem spiritalem habuit Faronem, qui fortè nondum in cunis erat, sed Guntchramnum Regem, de quo sic Gregorius Turonensis [a] Auctor synchronus. *Rex Guntchramnus, postquàm conualuit, accessit Parisius. Exinde ad Rotoialensem * villam ipsius vrbis properans, euocato puero iussit Baptisterium præparari in vico Nemptodoro.* Et paucis interiectis. *Rex accedens ad lauacrum sanctum, obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, Chlotharium vocitari voluit, dicens. Crescat puer, & huius sit nominis executor, ac tali potestate polleat, sicut ille quondam, cuius nomen indeptus est. Quod mysterium celebratum *, inuitatum ad epulum, paruulum multis muneribus onerauit. Similiter & Rex ab eodem inuitatus, plerisque donis refertus abscessit, & ad Cabillonensem vrbem redire statuit.*

* Nanterre.
[a] Lib. 10 c. 28
* Ruel.
* id est, quo mysterio celebrato.

VIII. Secundò, mors Chilperici Regis, de qua locuti sumus ad annum Christi quingentesimum octogesimum-quartum, fabulosis commentis, quæ suo loco diluimus, sic aspergitur capite vicesimo-sexto. *Chilpericus occisus est insidiis Reginæ suæ Fredegundæ propter adulterium Landerici Principis sui*, seu Maioris domûs.

IX. Tertiò, caput tricesimum apud Duchesnium sic inchoatur. *Igitur Chlotharius non immemor prophetiæ*, &c. In Codice manuscripto sic. *Igitur Chlotharius suprà memoratis verbis sæpè iteratus, beatissimi videlicet Faronis spiritalis filius, non immemor prophetiæ*, &c. Duchesnius verba, quæ Clotarium Faronis spiritalem filium falsò asserebant, vt commenticia cautè suppressit.

X. Quartò, Duchesnius hanc periodum, quæ spectat ad Monasterium sanctæ Faræ, descripsit ex capite sexagesimo. *Prouidentur autem conditores huius operis à præfato Præsule Gundoaldo fratres dulcissimi beatæ Faræ, Chagnoaldus scilicet & Waldebertus, qui successor felix istius Gundoaldi hac in vrbe claruit.* In Codice manuscripto proximè sequuntur hæc verba, *testante vitâ sancti Eustasij*, à quibus abstinuit Duchesnius, quia sciebat in vita sancti Eustasij nullum de Waldeberti Episcopatu verbum inueniri. Nec mendo caret textus Duchesnianus, quod vt penitus tollatur, abradenda sunt & præcedentia verba, *qui successor felix istius Gundoaldi hac in vrbe claruit.*

XI. Quintò, vt Gundoaldo Waldebertum sic Waldeberto Faronem Auctor manuscriptus perperam subiecit capite nonagesimo-secundo. *A Waldeberto*, inquit, *de quo iam retulimus, post Gundoaldum nonus-decimus ordo à sancto Dionysio primo Antistitum hac in vrbe fulsit, post quem magnificentissimum Faronem vicesimus ordo ornauit.* Et capite centesimo-tertio sic. *Intereà factum est post dormitionem Waldeberti Episcopi huius vrbis, de quo iam præmisimus, qui nonus-decimus extitit à sancto Dionysio, vt frater eius Faro lege consanguinitatis, quasi iure hereditario fraternam successionem Pontificatûs hac in vrbe Meldensi mereretur, sicut in descriptionibus vitæ clarissimi Eustasij nostra relatio inuenit. A viris etenim*, &c. Duchesnius omisit ea quæ descripsimus ex capite nonagesimo-secundo, & textum, quem ex capite centesimo-tertio recitauimus, sic edidit nonnullis, quæ minùs placebant, amputatis. *Intereà factum est post dormitionem Waldeberti Episcopi huius vrbis, de quo iam præmisimus, vt frater eius Faro lege consanguinitatis quasi iure hæreditario fraternam successionem Pontificatûs hac in vrbe Meldensi mereretur. A viris etenim*, &c. Multa resecuit vt dubiæ aut nullius fidei. Super primo Meldensium Episcopo diuersæ sunt Nomenclatorum sententiæ, atque inde patet nesciri, quoti numero fuerint inter Meldenses Episcopos Gundoaldus eiúsque successores. Supersedemus illis quæstionibus, quia non pertinent ad nostrum institutum. Quod attinet ad Faronis Episcopatum, de illo nullum verbum occurrit apud Ionam in vita sancti Eustasij, rectéque Duchesnius postremam hanc periodi partem sustulit, *sicut in descriptionibus vitæ clarissimi Eustasij nostra relatio inuenit.* Ionas vitam sancti Eustasij scripsit, obtulítque

Waldeberto Luxouiensi tunc Abbati, vt ex ipsa præfatione sæpè iam citata constar. Ergo in illo opere non meminit Faronis vt Episcopi, qui Waldeberto fratri suo in Episcopatum Meldensem successisset.

Plerique Auctores de Farone & Waldeberto mendosè scripserunt, omnium mendosissimè Trithemius, qui Gundoaldum, Faronem & Waldebertum, tres fratres finxit, Monachos primùm Luxouienses, posteà Meldenses Episcopos. XII. Lege capita, centesimum tricesimum-septimum, centesimum tricesimum-octauum, & centesimum tricesimum-nonum, libri quarti de Viris illustribus Ordinis sancti Benedicti, & in postremo illorum capitum obserua hoc elogium tribus fratribus commune. *Pulchra ordinatio diuina. Tres fratres non solùm Episcopi, sed etiam vnius Ecclesiæ Episcopi fuerunt, Gandoaldus primò, posteà Walbertus, deinde Pharo.*

Gandoaldus seu Gundoaldus vel Gundobaldus non fuit è collegio Mona- XIII. chorum Luxouiensium, Meldensis Episcopus erat anno Christi sexcentesimo decimo-quarto, Synodo Remensi subscripsit anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto, ex hac vita discessit Clotario Secundo in viuis adhuc superstite

Fato ex aulico ac coniugato factus est Clericus consentiente vxore Blide- XIV. childe, quæ teste Anonymo in ipsiusmet Faronis vita, cuius fragmenta Duchesnius publicauit, *sacro velamini mancipata claruit, in villa residendo, quæ vulgò Pigneuindo * dicitur ex iure suæ proprietatis.* Deinde ex Clerico factus est Episcopus Meldensis post obitum Gundoaldi, cùm Clotarius Secundus in viuis superstes adhuc esset; Pontificatum gessit annis sex & quadraginta, vitámque sub Childerico prædicti Clotarij pronepote clausit hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo, cùm Fredegesilus Abbas Monasterio sanctæ Crucis præesset.

* *Oppigny.*

Walbertus seu Waldebertus, Monachus primùm, deinde Abbas Luxo- XV. uiensis, postremò Meldensis Episcopus. Chagnoaldum & Faronem Episcopos, illum Lauduni, hunc Meldarum, fratres habuit, Gundoaldum nequaquam. Mortuo Eustasio Abbate factus est Abbas Luxouiensis anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto, Monasterium Luxouiense gubernauit annis septem & quadraginta, donec Faroni fratri in Episcopatum Meldensem anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo successit.

WALBERTVS FIT EP. MELDENSIS.

Walberto ad Meldensem Pontificatum assumpto, regimen Luxouiensis XVI. Monasterij suscepit Windologus seu Vandologius. Huic successit Bertoaldus seu Dectohaldus, tum Ingofredus aliíque vndecim, ad incursionem vsque Saracenorum, de qua Tomo sequenti.

ABBATES LVXOVIENSES.

Vtrùm sancto Faroni superstes vixerit soror Fara, sciri probè non potest. XVII. In huius enim vita, quam vetus Auctor [a] scripsit, dies obitûs notatur III. *Non. April.* siletur annus, nec vllo Charactere Chronologico designatur. De Faræ ætate hoc vnum pro certo & indubitato affirmamus, quòd anno Christi sexcentesimo-decimo, vt suo loco diximus, *infra infantiæ annos* erat, cùm sanctus Columbanus eam, vt Ionas in Actis ipsiusmet sancti Columbani loquitur, *benedicens Domino vouit.*

[a] Inter opera Bedæ, Tom. 3.

Cœnobia puellaria *in Brige & in Cale*, quorum alteri sancta Fara præerat, XVIII. alteri sancta Bertila, in Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum à Beda [b] plurimùm commendantur. *Eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monasteriis constructis, multi de Britannia, Monasticæ conuersationis gratiâ, Francorum vel Galliarum Monasteria adire solebant, & filias suas eisdem erudiendas ac sponso cælesti copulandas mittebant, maximè in Brige & in Cale.* De Hereswida Orientalium Anglorum Regina, quæ Monasticam vitam in Kalensi Cœnobio duxit, locuti sumus suprà [c], nec hic postulat locus, vt in laudibus Monasterij Kalensis immoremur. In Cœnobio Brigensi vixerunt tres puellæ Regiæ, *Sedrido, Edelburg & Eartongatha.* Duæ priores post beatam Faram Monasterio successiuè præfuerunt. De illis enim hæc scribit Beda, cùm cœtum Monialium Brigen-

[b] Lib. 3. c. 8.

LAVS MONASTERII BRIGENSIS.

[c] Ad an. 656. n. 6.

AN. CH. 672. CHILDERICI II. R. 13. sium laudat [a], *Inter quas*, id est, inter Sanctimoniales Brigenses, *erat Sedrido filia uxoris, Anna Regis Orientalium Anglorum, & filia naturalis eiusdem Regis Edelburg. Vtraque, cùm esset peregrina, pro merito virtutum, eiusdem Monasterij Brigensis est Abbatissa constituta.*

[a] L. 4. c. 8.

XIX. ABBATISSÆ. Quot annos *Sedrido* Cœnobium rexerit, haud scimus, plura enim de illa non occurrunt. In præfecturam successit Edelburga, de qua fusiùs Tomo sequenti differemus. Hic pauca tantùm de illius genere ac ætate prælibabimus. Filia fuit Annæ Regis Orientalium Anglorum; sororem habuit natu maiorem, nomine Sexburgam, quæ nupsit Earconberto Cantuariorum Regi, matérque extitit Eartongathæ Monachæ Brigensis. Earconbertus post patrem suum Eadbaldum apud Cantuarios *anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo quadragesimo* regnare cœpit, Principatum *viginti-quatuor annis & aliquot mensibus* tenuit, obiitque *anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo-quarto*, quo facta est eclypsis Solis, & subita pestilentiæ lues magnam hominum multitudinem in Britannia strauit. Quibus de rebus Bedam consule, libro tertio, capitibus octauo & vicesimo-septimo; necnon libro quarto, capite primo. Inde autem probabile admodum fit non Edelburgam modò sed & Eartongatham illius ex Sexburga sorore neptem sub Faræ Abbatissæ disciplina vixisse. Necaliter sentit Trithemius [b] in encomio sanctæ Eartongathæ, vbi sic ait. *Eracongota Sanctimonialis virgo dignissima, Earconberti Regis Anglorum filia, quam ille magisterio Sanctæ Phara Abbatissæ iam dictæ, in timore Domini nutriendam commendauit.*

[b] L. 3. de viris illustr. Ordinis S. Bened. c. 66.

XX. BAMBA REGNAT APVD WISIGOTH. Hoc anno, Kalendis Septembris, Reccesuinthus Wisigothorum Rex obiit. In eius locum eodem die subrogatus est Bamba seu Vamba vel Wambanes aut Wambanus, tot enim nominibus indigitatus reperitur. Lucas Tudensis de morte Reccesuinthi déque subrogatione Bambæ sic scribit. *Vno eodémque die, scilicet Kalendis Septembris, & decedentis Regis*, nempe Reccesuinthi, *vitalis exitus fuit, & dicti viri*, Bambæ videlicet, *electio subsecuta.* Ioannes Vasæus [c] ait Reccesuinthi mortem apud Lucam Tudensem legi consignatam *Calendis Aprilis*, sed *librum mendosum* arbitratur. Cæsar Baronius Lucam Tudensem eo, quo nos suprà, citauit modo, & ex huius Auctoris sententia Reccesuinthum *Kalendis Septembris* mortuum asseruit [d]. Hæc opinio nititur etiam auctoritate Roderici Toletani, quem consule capite vltimo libri secundi de rebus Hispaniæ. Mendum circa Eram irrepsit, seu legas Eram DCCXIII. quæ reperitur in nonnullis exemplaribus, seu reponas Eram DCCXIV. quam Rodericus scripsisse creditur, initio enim eiusdem capitis Reccensuindus in Regnum patri succedit *ærâ* DCXCV. regnátque *annis* XVIII. *& mensibus vndecim*, itaut secundùm illam computationem dubium esse non possit, quin ad Kalendas Septembres Eræ decimæ-quartæ supra septingentesimam peruenerit; vnde & apud eundem Rodericum capite primo libri tertij *Bamba vir nobilis, de Gothorum nobili genere, strenuus, pacificus, mansuetus, ad Regni fastigium vnanimiter sublenatur ærâ* DCCXIV. Vtrobique expunctâ Erâ DCCXIV. Eram restitue DCCX. quæ anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo respondeat.

[c] In Chron. ad an. 672.

[d] Ad an. 672. n. 18.

XXI. Hanc emendationem egregiè confirmant Concilia, quæ Toleti & Bracaræ [*] celebrata sunt anno quarto Vambæ seu Wambani Regis.

[*] Brague.

XXII. Concilij Toletani Vndecimi hoc est initium. *In nomine Domini. Incipiunt Gesta Synodalia Concilij Toletani X I. acta in vrbe Regia Toleto, in B. Matris Domini Mariæ Virginis Sede, à* XVII. *Episcopis, anno quarto Regni Gloriosi Principis Wambani, sub die* VII. *Idus Nouembris, Erâ* DCCXIII. *In nomine Sanctæ Trinitatis. Collectis in vnum Carthaginis prouinciæ Sacerdotibus in Toletana vrbe, in beata matris Domini Mariæ Virginis Sede, anno quarto Excellentissimi & Religiosi Wambani Principis, sub die septimo Idus Nouemb. res votiua gandy*, &c. Era septingentesima decima-tertia cum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto conuenit, illóque anno Wambanus annum sui Principatus quartum Kalendis Septembris iniit; quia Kalendis Septembris, Erâ septingentesimâ decimâ, siue anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo regnare cœperat.

In

AN. CH. 672. CHILDERICI II. R. 13.

In Collectione Conciliorum Hispaniæ, Toletano Vndecimo proximè subiicitur Bracarense Tertium, cuius iidem ac superioris Charactetes Chronologici. *In nomine Domini. Incipit Concilium Bracarense Tertium, quod factum est sub anno quarto Gloriosi Domini nostri Wambani Regis, Erâ* DCCXIII.

XXIII. A nostra computatione non recedunt è Neotericis, qui ceteris accuratiùs scripserunt Vasæus [a] & Mariana [b]. Vterque hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo, mense Septembri, Wambam Reccesuintho successisse tradit. Adeò sollicitè tempus inuestigamus, quo Wamba Regnum suscepit,

XXIV. quia sub initium sui Principatûs domesticos tumultus, quibus nonnulli ex Francis se immiscuerunt, expertus est in Gallia Gothica, siue in ditionibus Gothorum quæ cis Pyrenæum montem in Gallia sitæ erant. Mariana [c] Regem, qui Francorum Monarchiam tunc obtinebat, *Chilpericum* appellat *eo nomine Secundum*. Scribete voluit ac fortè scripsit *Childericum*, & Librarius *Childericum* in *Chilpericum* facilè deflexit, quia idem character pro diuerso situ recto scilicet & inuerso literas representat d & p. Hæc coniectura non parum ad confirmationem nostræ Chronologiæ valet.

MOTVS IN GALLIA GOTHICA.

[a] In Chron. ad an. 672.
[b] l. 6 c. 13.
[c] l. 6. c. 13.

XXV. Auctor motuum Ilpericus, *qui Nemausensis vrbis curam sub Comitali præsidio* agebat. Additi prauitatis socij, Gumildus Magalonensis Episcopus & Ranimirus Abbas. Accepto rebellionis nuntio Wamba Rex Paulum Ducem cum copiis in Galliam quamprimùm misit, sed hic à Wamba quoque defecit, vt anno sequenti narrabimus ex Iuliano Toletauo Auctore synchrono.

PAVLVS DVX REBELLAT.

---

673. CHILDERICI II. R. 14.

ANNVS
CHRISTI 673.
CHILDERICI II. R. 14. 4.

I. ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio magnæ contentiones in aula Regia fuerunt, cùm ex aulicis alij Præiecto Aruernorum Episcopo, alij Hectori Massiliensium Comiti fauerent. Anno superiori causam aperuimus totius dissidij. Hector Claudiæ fœminæ quondam Aruernæ filiam rapuerat, & prædia quæ Claudia Ecclesiæ Aruernensi contulerat, sibi reddi postulabat. Præiectus Aruernorum Episcopus negabat Claudiæ prolem Hectori legitimè nuptam esse, asserebâtque bona, quæ semel Ecclesiæ concessa fuerant, redire non posse ad hæredes eius qui tradiderat. Wlfoaldus Maiordomûs, qui maximâ pollebat apud Regem authoritate, stetit à partibus Episcopi, Comiti verò fauit Leodegarius Augustodunensis Pontifex, quem Childericus ab eo tempore, quo Burgundiæ dominari cœperat, flagrantissimâ beneuolentiâ prosequebatur. Inde fit vt Hectot Comes in vita sancti Præiecti vituperetur, laudetur autem in vita sancti Leodegarij. Litis, quæ Comitem inter ac Præiectum Episcopum erat, In vita sancti Leodegarij nec Vrsinus meminit, nec Anonymus qui suum opus Ermenario ipsius Leodegarij in Pontificatu successori inscripsit, imò Vrsinus ne verbum quidem habet de Hectore & de Præiecto, & Anonymus Præiectum alto æquè silentio inuoluit, aitque Hectorem ad Childericum Regem perrexisse *pro quadam causa* quam non exponit. Ex Anonymis qui vitam sancti Præiecti scripserunt, posterior nullam Hectoris ac Leodegarij mentionem facit, prior in vtrumque inuehitur, ita tamen vt Leodegarium inferiùs appellet Sanctum, & ab exitu glotioso plurimùm commendet his verbis, *impiè valdè peremptus, palmam Martyrij adeptus est, satrisque nunc virtutibus pollet*, vnde colligere est eiusmodi Scriptorem Leodegario id tantùm vitio dare, quòd passus sit à Comite se circumueniri. *Erat*, inquit, *quidam vir infamis Hector nomine, qui apud Massiliam Patricij honorem adeptus fuerat, qui filiam su-*

HECTOR PATRICIVS MASSILIENSIS

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. ET PRÆIECTVS EPISC. ARVERN.

præscripta Claudia raptam ex scelere socianerat, & deinceps concubinatûs miseriam adorsus, ad Childericum Principem, qui eo tempore vtraque Regna (Austriam videlicet & Neustriam cui Burgundia coniungebatur) *sceptro gubernabat, alio sibi in scelere sociato nomine Leodegario peruenit. Accusat Pontificem, quòd prædia prædictæ fœmina Claudia sibi vendicaret, causásque Regi depromit. Obtinuítque eum Principe, vt Missos ex latere dirigeret, qui eum per fideiussores nunciarent, & in aula Regis facerent præsentari. Cúmque ille instructus de hac causa ad responsum dandum veniret, multo mœrore constrictus est, quia iam dies sancta Pascha eminebat, quia in propria vrbe ipsam sacratißimam Pascha noctem sollemniter celebrare non liceret.* Ita editio Duchesniana [a] ex Codice Atrebarensi, qui non in sensu sed in nonnullis duntaxat vocibus differt ab Vltraiectino quem publicauit Bollandus [b].

[a] Tom. 1. Coll. Hist. Franc.

[b] d. 25. Ian.

ADEVNT CHILDERICVM R. AVGVSTODVNI COMMORANTEM.

II. Augustoduni tunc versabatur Childericus, vbi Paschales dies transigere rogatus fuerat ab Episcopo loci Leodegario, in cuius vita sic Vrsinus scribit. *Imminente tum Paschatis celeberrimo die, Episcopus à Rege petiit, vt Augustiduno vrbe suâ ipsum sanctißimum diem Rex celebraret. Non abnuit Rex, sed Episcopi precibus studet obsequi.* Priusquàm Rex Augustodunum ingrederetur, eò se Massiliâ contulerat Hector, & hospitio exceptus à Leodegario fuerat, vt in huius vita testatur Anonymus. *Affuit*, inquit, *in illis diebus vir quidam nobilis Hictor nomine, qui tunc regebat in fascibus Patriciatum Maßiliæ, quique vt generis nobilitate claro stemmate ortus, ita erat prudentiâ seculari præ ceteris præditus. Hic autem ad Childericum Regem pro quadam causa aduenerat, & per viri Dei intercessionem obtinere petita sperabat, eúmque hospitalitatis gratiâ in vrbe sua Dei Sanctus receperat, donec sicut petierat suis intercessionibus eum Regi commendare deberet. Nam sæpedictum Childericum in vrbe sua in Paschali solemnitate rogauerat aduenire.* Cur Hector Augustodunum venerit, ex vita sancti Præiecti iam retulimus. Aliam rationem frustrà quæras. Anonymus nuperrimè citatus in laudibus Hectoris nimius est. Hector, vt fraudulentorum hominum mos est, Leodegarium virum sanctum, etiam prudentem facillimè decepit, Leodegarius semel circumuentus partes Hectoris quas æquissimas putabat, tueri cœpit ardentiori zelo, sibíque quamplurimorum aulicorum aliter de Hectore sentientium inuidiam atque odium concitauit. Hæc summa litis. Leodegarij Encomiastes alias exponit causas, quibus etiam Regis animus ad iram facilè prouocari potuit. Ait inprimis Childericum à Leodegario sæpiùs obiurgatum *cur consuetudines patrias, quas conuerti in melius præceperat, tam subitò immutasset*: irémque *quòd Regina, quam habebat coniugem, filia sui esset auunculi.* Deinde asserit eos, *qui iustitiam cupiebant euertere, & indisciplinati iuuenilia opera Regis faciebant exercere*, Wlfoaldo Maioredomûs ad suas partes attracto mendacem fabulam de Leodegario & Hectore commentos esse, *quasi ideo venissent insimul coniuncti, vt Regiam dominationem euerterent, & potestatis sibi iura vendicassent.* Deturbandi ex aula Leodegarij opportuna hæc occasio data est Volfoaldo iam metuenti ne Maioratu Regiæ domûs excideret, si diutiùs in amicitia Regis esset Leodegarius, qui Berswindam suam ex sorore neptem in matrimonium Adalrico Leudesij, Maioratum quem pater Erchonualdus olim obtinuerat ambientis, filio nuperrimè collocarat, vt patet ex hac periodo fragmenti, quod Alberti Argentinensis Chronico præfixum est. *Leudesius namque cùm Maiordomûs esset, duxerat vxorem de prosapia sancti Sigismundi Regis Burgundiæ, genuítque ex ea Athicum seu Adalricum, qui patre adhuc superstite, & Hilderico regnante, vxorem duxerat Berswindam nomine, filiam sororis sancti Leodegary, sororem videlicet Reginæ.* Tamen in illo textu præter Athici nomen, qui malè cum Adalrico confunditur, deleri debent hæ voces *cùm Maiordomûs esset*, irémque istæ *sororem videlicet Reginæ.* Nam Leudesius post Childerici mortem sub Theodorico Rege Maioratum obtinere cœpit, & Berswinda, quam Adalricus Leudesij filius in vxorem duxit, non fuit soror Reginæ Bilihildis, quæ Childerico nupsit, Leodegarius enim, si Bilihildis & Berswin-

HECTORI FAVET LEODEGARIVS EP.

PRÆIECTO WLFOALDVS MAIORDOMVS.

da sorores extitissent, non dixisset Childerico, *quòd Regina, quam habebat coniugem, filia sui esset auunculi, & nisi* hoc facinus *cum reliquis illicitis sceleribus emendatione corrigeret; diuinam certè vltionem sibi citò imminere cognosceret.* Si vocabulum *auunculi* strictè sumis in propria significatione, Barhildis Reginæ frater fuit is, cuius filiam Childericus vxorem sibi sociauit. Si verò, quod multò probabilius est, auunculum accipis pro patruo seu patris fratre, vt illorum temporum Scriptores vsurparunt, Childericus Sigiberti patrui filiam pro vxore habuit. Eorum alterutrum innuere voluit Anonymus in vita S. Leodegarij. Verumque prohibebant variæ leges ex diuersis Conciliis suprà descriptæ. Recentiores textum Anonymi præcitatum malè interpretari finxerunt Leodegarium auunculum Reginæ Biliehildis extitisse.

III. LEODEGARIVS PERICLITATVR.

Præiectus Aruernorum Episcopus, vt in eius priore vita legitur, *Wifoaldi Senioris domûs fiduciâ perusus est*, non quidem vt impeteret Leodegarium, sed vt causam suam aduersùs Hectorem tueretur, nec vllius sceleris reus haberi debet, si seueriùs à Rege & ab inuidis actum est cum Leodegario. Childericus, vt Anonymus in vita sancti Leodegarij scribit, *de mortis occasione in beatum virum cœpit inquirere*, Leodegarius verò, *cùm per quendam Monachum nomine Bercharium in Dominica cœna de suo ei fuisset interitu nunciatum, die Passionis Domini cruentum Regis adiit Palatium, & vltrò se ingerens, in eo die sanguinem voluit offerre Christo, quo pro mundi salute sanguinem Christus effuderat suum: Nam & Rex eâdem die ipsum propriâ manu percutere voluit, sed, ob Dei reuerentiam, Optimatum quorumdam sapientum consilio, prohibitus fuit.*

IV. TVMVLTVS FORENSIS QVIESCIT DIEBVS PASCHALIBVS.

Sabbato sancto Præiectus, vt Author vitæ in Codice Atrebatensi iam laudato restatur, ad Palatium properauit, *& vt mos est apud Regis aulam, in loco vbi causæ ventilantur introiit, vt cum Hectore de supradicto negocio rationes haberet. Ipse cœpit renuere, & rationem veram reddere iuxta statuta Canonum vel legem quæ dicitur Romana, quia magnus Sabbati dies erat, quo vigilia sancta Pascha celebrari solent, se nullomodo de hac causa respondere posse.* Leges Imperiales statuerunt septem dies ante & post Pascha omni strepitu forensi vacandum. Lex quam Theodosius Augustus anno Christi trecentesimo nonagesimo-secundo promulgauit, talis est. *Actus omnes siue publici siue priuati diebus quindecim Paschalibus conquiescant. In his tamen & emancipandi & manumittendi cuncti licentiam habeant, & super his antè non prohibeantur. Dat. Kal. Ian. Arcadio A. II. & Ruffin. Coss.* Leges Ecclesiasticæ non tantùm eandem feriationem imperarunt, sed etiam longè diuturniorem posteà præceperunt. *Nemo Comitum aut quisquam ex iudiciaria potestate*, inquiunt Patres Concilij Meldensis, *post quartam feriam qua caput ieiunij nominatur, placitum aut mallum tenere præsumat.* Amici tamen Præiectum rogarunt, *vt tali pro causa non differret dare responsum. Cúmque vir Dei se artatum cognouisset, necessitate compulsus respondit se causas Ecclesiæ Hymnichilda Reginæ commendasse*, (vel, vt Codex Vltraiectinus habet, *se caussas Ecclesiæ Imnichilda Reginæ ditioni commendatas habere) cúmque hanc assertionem cognouissent, imperfectum opus remansit.* Obscurior est hic locus, egétque interpretatione, fortè & emendatione. Hymnichildis siue Imnichildis vidua erat Sigiberti Regis quondam Austrasiæ, matérque Dagoberti tunc in Hibernia degentis. Henschenius in diatriba de tribus Dagobertis, quid de Imnechilde Regina sentiat, sic exponit [a]. *Imnechildis summa prudentiæ Regina, non solùm pro Childerico adolescentulo Regnum Austrasiorum administrauit, sed etiam postquàm is adoleuit, iámque ductâ Bilichilde vxore Regnum administrabat, illum adhuc fideli consilio iuuit, ac tandem pro eodem in Neustriam euocato, Austrasiis imperauit. Potuit denique eadem Regina & Childerico nepoti Regnum adseruare, & Dagoberto filio ex Hibernia reduci in locis magis remotis partem Regni adsciscere, & inter vtrumque Regem pacem concordiámque fouere.* Et inferiùs [b] ex vita sancti Præiecti nuperrimè citata colligit eandem *Imnechildem Reginam, dum forsan aliquis Childerici filius, Austrasiis Rex daretur, hisce præfuisse.* Labbeus in epitome rerum Francicarum [c] negat Imnechildem Austrasiis præfuisse, sed Dago-

[a] Lib. 2. c. 2.

[b] Lib. 2. c. 4.

[c] Ad an. 676.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

bertum eius filium Regem agnoscit in prouinciis Rheno adiacentibus, quas ci Childericus Monarchiâ Francorum post obitum Clotarij fratris potitus sponte concesserit. Initium Principatûs Dagobertini post mortem Childerici reiici debet. Childericus enim, ex quo Monarchiam Francorum adeptus est, eam tenuit, quamdiu vixit. Per illud autem tempus, cùm in Neustria Burgundiáque versaretur, Imnechildem, ne res nouas in Austrasia moliretur, prouinciis præfecit Aquitanicis, quæ Regibus Austrasianis parere consueuerant. In harum numero semper fuit Aruernia, vbi Præiectus Episcoparum gerebat. En ratio, cur Præiectus dicat *se causas Ecclesiæ Hymnichildæ Reginæ commendasse*, vel *se caussas Ecclesiæ Imnichildæ Reginæ commendatas habere*, vox enim *ditioni*, quam Codex Vltraiectinus exhibet, videtur expungenda. Per absentiam igitur Childerici, nec suo nec Dagoberti filij nomine regnauit Imnichildis in Austrasia, sed eiusdem tantùm Childerici nomine quasdam in Aquitania prouincias administrauit. Sic Historiæ sancti Præiecti suprà citatæ sua stat fides. Cetera prosequamur. *Beatus igitur Praiectus operis sui laborem, & quomodò per fideiussores venisset exhibitus tandem depromit. Rex verò vel Regina* Bilichildis *timore compulsi veniam coram hominibus omnibus à prædicto Pontifice expetunt, & pro eius labore mœrore sunt inflicti. Erat itaque in præsidium Hectoris tunc temporis Leodegarius Pontifex. Cúmque iam meridianam plagam Sol lustrasset, & ad occasum adpropinquaret, & hora, quod est consuetudinis, iam in promptu cernerentur, vt sollemnes vigilias Paschæ celebrari licitum esset, ex Regali permisso vel maiorum natu, Pontifices vel Sacerdotes qui in Eduorum vrbe ob Regiam potestatem conglobatò fuerant, beato viro Praiecto supplici voce eminus poscunt, imò precantur, vt eâdem sacra noctis vigiliâ ipse pro statu Regis vel pace Ecclesiæ sacrificium Deo immolaret.*

PRÆIECTVS CAVSA SVPERIOR SVADIT.

Beatissimæ noctis solemnia celebrauit in Monasterio sancti Symphoriani præsente Rege, qui posteà minabundus adiit primariam Ecclesiam, vt Leodegarium sacris illic operantem terreret, territúmque in fugam coniiceret. Hæc in vita sancti Leodegarij sic enarrantur ab Anonymo. *Erat tunc quidam sub religionis habitu ad Monasterium Sancti Symphoriani corpore, non mente, reclusus, nomine Marcolmus; sed vt posteà publicè patuit, potiùs pro ambiendis humanis laudibus vel honoribus specie religionis factus nimiùm cupidus. Hunc ergo Rex ignorans quàm fallax esset, quasi Dei Prophetam habebat in omnibus, eò quòd de viri Dei accusationibus eius voluntati fauendo adulabatur præ omnibus. Eâ igitur nocte, quâ Sancti Paschæ vigiliæ celebrabantur in vrbe, Rex iam quasi suspectus ibidem noluit aduenire, sed cum paucis tunc fautoribus ad præfati hypocritæ recurrens consilium, iam contra Dei famulum gestans malignum animum, illic temporaneum Paschale non timuit recipere sacrificium. Posteà verò cum dedecore, à vino iam temulentus, aliis ieiunis sancta sollemnia præstolantibus, Ecclesiam est ingressus, Leodegarium clamitans requirebat ex nomine, vt eum quasi in fugam converteret, dum gladij percussione iam inter nuncios eum feriendum minitans terruisset. Cúmque eum sæpiùs clamitans esse in Baptisterio cognouisset, ibi quoque introiens, ad tanti luminis claritatem, seu odorem chrismatis, quæ illic in baptizatorum sanctificatione gerebantur, obstupuit. Sed cùm ad clamorem eius ipse responderet, adsum, ipsum nullatenus recognoscens pertransiit, atque in Ecclesiæ domum, vbi paratum erat, resedit. Episcopi verò alij, qui cum viro Dei vigilias celebrauerant, redierunt ad hospitia. Ipse verò vt sacrum peregit officium, intrepidus Regem adiit iratum, cúmque verbis mitibus requisiuit, cur ante vigilias non venisset, vel in tam sacra noctis sollemnia repletus irâ persisteret. Sed ille ad ineffabilem beati viri sapientiam cùm aliud respondere turbatus non valuisset, suspectum eum se quadam de causa dixit habere.* Rem aliter narrat Vrsinus. *In ipsis*, inquit, *vigiliis Paschæ pro antiquo more, illis*, Rege scilicet & Leodegario, *pariter euntibus ad Missarum solemnia celebranda, odij seminario adhuc latitante, is, qui malorum incentor erat, accedens ad Episcopum ait. Caueas tibi, sancte Pontifex, Missarum enim celebritate peractâ, iussu Regis interficiendus es. Nam semen nequam, ab hostibus tuis in eius satum pectore, hac nocte exeret sese. His auditis, dissimulat interim Episcopus, neque eam rem magni pen-*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

dens, letum & serenum vultum exhibet, inchoatáque Missarum solemnia honestissimè consummat. Postquàm autem ipse & Rex Eucharistiam sumpserunt, Rex ad Palatium transiturus abscessit, Episcopus verò peracto ministerio, haustóque cum suis mero, vt sese habet humana fragilitas, Regis animos metuens, cum illis tractare cœpit, quid hac in re agendum videretur. Anonymo potiùs astipulandum putamus quàm Vrsino, fauet enim Anonymo vita sancti Præiecti, in qua Leodegarius & Hector dicuntur fugam arripuisse, postquàm Hector resciuit Præiectum fulciri præsidio Wlfoaldi Maioris domus, & ab Episcopis togatum fuisse vt eâdem sacræ noctis vigiliâ pro statu Regis & Ecclesiæ pace Missam celebraret. *Pontifices vel Sacerdotes qui in Æduorum vrbe ob Regiam potestatem conglobati fuerant,* inquit Author illius vitæ, *beatum virum Praiectum supplici voce enixiùs poscunt, imò precantur, vt eâdem sacra noctis vigiliâ ipse pro statu Regis vel pace Ecclesia, sacrificium Deo immolaret. Cúmque hac de tanta veneratione Hector cognouisset, maximéque quia Wlfoaldi Senioris domûs fiduciâ perusus erat, intempestâ nocte cum Sancto Leodegario malè multatum vterque fugam ineunt.*

V. LEODEGARIVS ET HECTOR CLAM EX AVLÂ DISCEDVNT.

Omnes consentiunt Leodegarium & Hectorem de nocte fugæ se commisisse. Cur Leodegarius, qui mortem nullatenus reformidabat, id consilij ceperit, duæ rationes afferuntur; prima, ne sanctissimus Paschæ dies cæde pollueretur, altera, ne quos hospitio receperat, ij periculum capitis subirent. Primam sic exponit Vrsinus. *Vbi ad Dominum preces fudit, consultius ei visum est, posthabitis omnibus Christum sequi, quàm cædi locum dare, ne manus Regis tam festo die Sacerdotis sanguine inquinarentur, atque inde in Francorum odium & contemptum incideret, vniúsque hominis causâ totius populi concertatio & conflictus oriretur. Relicto igitur Rege, cunctísque Regni Proceribus, pro nihilo ducens, quid in mundo haberetur, eâdem nocte cum paucis iter suscepit, eò profecturus, vbi pauper Christi effici posset.* Vtramque verò Anonymus his verbis. *Vir Domini Leodegarius cernens apud Regis animum esse defixum, quòd suadentibus satellitibus eum vnà cum Hictore sicut decreuerat redderet interfectum, aut Hictor in angustia sicut timebat contra Regem subiret contemptum, non de sua veritus morte, sed de illorum qui ad eum causâ tuitionis aduenerant, pertractans salute, elegit potiùs interim latere per fugam, quam occasionem prabere, vt per eius Martyrium in Resurrectionis Dominicæ sollemniis cruentaretur vel diriperetur Ecclesia, vt ne id quod contra se fiebat in Consulem verterent, & sic idem Consul vitam amitteret.*

VI. HECTOR CAPTVS OCCIDITVR.

Sed, teste priore Anonymo in vita sancti Præiecti, *cùm aurora diei initium, & iubar Solis iam iam emineret terris, comperto Rex per Proceres Hectorem terga vertisse, magis ac magis in honorem Pontificis,* nempe Præiecti, *satagere cœperunt. Hector verò captus, Regalibúsque edictis peremptus est; Leodegarius verò pænitentiâ ductus & in exilium Luxonio trusus.* Anonymus in vita sancti Leodegarij scribit Hectorem interfectum fuisse, *& quia viriliter se fuerat defensare conatus, à multitudine oppressum cum aliquibus qui eum comitabantur.* De Leodegario autem quæ sequuntur, partim ab eodem Anonymo, partim ab Vrsino commemorantur. *Rex,* inquit Vrsinus, *quemdam è fidelibus suis cum magno exercitu post illum misit, qui eum totâ nocte insecutus, diluculò assecutus est. Deprecante autem humiliter Pontifice, vt liceret ipsi quoque, relicto seculo, vacare Deo in Luxouiensi Cœnobio, mox id ei permissum est.* Childericus illa de re certior factus præcepit *eum adduci de Luxouio,* verba sunt Anonymi, timendum erat, ne si coram Rege sisteretur, ab irato Principe traderetur neci. *Aderat autem venerabilis vir Abbas beati Symphoriani Basilica nomine Ermenarius, cui post discessum viri Dei Rex petitionibus populi Augustidunensium commendauerat vrbem, qui immensis precibus crebrò Regis prouoluebatur pedibus, vt eum in Luxouio permitteret residere, ne ad expectationem crudelium, quos diabolus contra eum in furorem succenderat, iuberet adduci. Taliter ob huiusmodi preces tunc ab interfectione saluatus sanctus vir.* Nam intereà, vt idem Anonymus habet, *hi qui videbantur esse primi Palatij, cùm simul à Childerico fuissent conquisiti, quod iudicium de Sancto Dei decernerent, hoc consonâ voce responderunt, vt si ei vitam concederet, sub per-*

LEODEGARIVS MITTITVR LVXOVIVM.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

petuo exilio eum in Luxouio Monasterio permanere iuberet. Confirmauit ergo subitò decretum Iudicum, Episcopis aliquibus vel Sacerdotibus ideo consentientibus, vt ad præsens eum ab ira Regis redderent liberum. Non defuerunt tamen obtrectatores & maledici, qui de Ermenario Abbate falsa spargerent in vulgus, quasi *ideo Regis cubicula frequentaret, vt accusantium primus esset, quò faciliùs ei Episcopatum illum retinere liceret, longè aliter extitit, nam quousque Leodegarius in præsenti superfuit vita, eius necessitatibus in quantum valuit caritate ministrauit deuotâ.*

VII IBIQVE DEGIT CVM EBROINO.

Leodegarius in Monasterio Luxoniensi *Ebroinum Monachali habitu tonsoratum* teste Anonymo, siue vt Vrsinus loquitur, *iam Clericum inuenit, eúmque rogauit, vt si quid in ipsum peccasset, veniam inuicem peterent, & animorum inter se concordiâ iungerentur. Attamen ab Abbate seiuncti, aliquanto temporis spatio pœnitentiam agentes, inter Monachorum contubernia tam strenuè se gesserunt, vt perpetuò illic in monastico instituto mansuri viderentur.* Tunc Luxouiense Monasterium regebat Abbas Windologus, qui Waldeberto in Cœnobij Præfecturam anno priori successerat.

VIII PRÆIECTVS REDIT IN ARVERNIAM, COMITANTE AMARINO ABBATE.

Sanctus Praiectus, vt Anthor prioris vitæ scribit, *ex Regalibus Edictis, vel munificentia Regis, vt sibi placuerat, de prædiis, quæ præfatus Hector requirebat, indicium adhibuit, qualiter hæc perpetuo iure Ecclesia possideret. Valedicénsque Regi atque Optimatibus, magnificè honoratus ad propria est regressus. Hac audiens prædictus Amarinus Abba, circa virum Dei omnia prosperè gesta, eum in Aruerna secutus est vrbe, credens quia solam ibi ob alimouiam sustentandorum fratrúmque egestatem ac laborem, quem in eremo pro Christo exercebant, suo amminiculo præfatus Præsul præsidium afferret. Quo viso egregius vir velut munus diuinum suscepit, & die noctúque secum socium superni muneris, quod posteà rei probauit euentus, habebat.* Cœnobio intra Vosagum præerat Amarinus, & aliàs cùm ægrotaret, Præiecti Episcopi precibus sanitatem recuperarat. Agemus de vtriusque Martyrio sub initium anni sequentis. Interim obserua dissidium quod explicuimus, inter Præiectum & Leodegarium Pontifices hoc anno intercessisse, nempe cùm Leodegarius *annis ferè tribus*, vt Vrsinus asserit, in flagrantissima Childerici Regis amicitia iam fuisset.

IX. CHILDERICI REGIS MORS,

Anonymus in vita sancti Leodegarij, postquàm eius exilium attigit, mortem Childerici proximè subiungit. *Diuina*, inquit, *non distulit vltio suum de Childerico dare iudicium. Nam eius dissoluta conuersatio omnibus meruerat Optimatibus Palatinis. Tunc vnus ex eis hoc molestiùs ferens præ ceteris, dum venationem in sylua securus exerceret, eum vulnere mortis percussit.* Innuit tempus autumnale, quod aptissimum est venationi, & à Regibus Francorum in illa exercitatione transigi frequentissimè solebat. Obiit igitur Childericus hoc anno, cùm annum regni decimum-quartum in Austrasia, quartum in Neustria & Burgundia inchoasset. Annus in Austria decimus-quartus notatur in breuissimo Chronico, quod à Clotario secundo vsque ad Pipini Regis obitum Andreas Duchesnius ex manuscripto Codice Tiliano publicauit. Annus in Neustria & Burgundia quartus colligitur ex vita sancti Leodegarij, qui per annos ferè tres Childerico Regi percharus fuit. Præterea in vita sancti Condedi, Theodorici Regis, qui Childerico fratri successit, annus tertius illigatur anno Lamberti Fontanellensis Abbatis nono, id est, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto, Lambertus enim post sanctum Wandregisilum, qui vndecimo Kalendas Augustas anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo ad Dominum migrauit, curam Monasterij suscepit. Vixit Childericus annos vnum & viginti, prolem ex Bilihilde suscepit, ipsámque Bilihildem rursus imprægnauit. Hæc pertinent ad ætatem Childerici demonstrandam, nec satis aduertuntur ab iis qui pertinaciùs asserunt Clotarium Childerici fratrem quadriennio tantùm regnasse, si enim à Clodouei Secundi morte vsque ad Childerici exitum octo tantùm intercesserunt anni, Childericus vitam clausit in pueritia natus annos duntaxat vndecim, & soboli suscitandæ longè impar.

ÆTAS, VXOR,

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. X.

Childerici Regis mortem & illius cauſam ſic enarrat Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Ipſe Childericus leuis nimis omnia incautè peragebat, donec inter eos odium maximum & ſcandalum creuit, Francos valdè opprimens. E quibus vnum Francum, nomine Bodoleuum ad ſtipitem tenſum cædi valdè ſine lege præcepit. Hæc videntes Franci, in ira magna commoti, Ingobertus videlicet & Amalbertus, & reliqui Maiores natu Francorum ſeditionem contra ipſum Childericum concitantes, Bodolenus ſuper eum cum reliquis ſurrexit inſidiatoribus, Regem interfecit, vnà cum Regina eius prægnante, quod dici dolor eſt.* Fredegarij Continuatuor [b] eadem ſic deſcribit. *Erat ipſe Childericus Rex leuis atque citatus nimis, gentem Francorum in ſeditionem mittens, & in ſcandalum ac deriſum, donec odium non modicum inter ipſos creuit vſque ad ſcandalum & ruinam. Quo ingraueſcente, vnum Francum nobilem, nomine Bodilonem, ad ſtipem tentum cædere contra legem præcepit. Videntes hæc Franci, irâ magnâ commoti, Ingolbertus videlicet & Amalbertus, vel reliqui Maiores natu Francorum, ſeditionem contra ipſum Childericum concitauerunt. Memoratus Bodilo ſuper eum cum reliquis quamplurimis ſurrexit inſidiaturis, & Regem in Lauchonia ſylua vnà cum Regina prægnante, nomine Bilihilde (quod dici dolor eſt) interfecit.* Lauchonia ſylua Calæ villæ regiæ proxima fuit. Ex illo loco regia corpora in Baſilicam ſancti Vincentij prope Lutetiam delata ſunt vt ſepulturæ mandarentur, atque in eadem Eccleſia, quæ beati Germani nomen hodie gerit, poſt annos nongentos ſeptuaginta tres ætate noſtrâ reperta ſunt. Rem illam Hadrianus Valeſius [c] anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-ſeptimo in literas ita retulit. *Childerici Bilihildiſque tumuli ante annos XI. reperti ſunt, cùm Baſilica ſancti Germani repararetur. Iacebant in ſepulchris corpora Regis ac Reginæ veſtibus etiam tum incorruptis tecta. Infantulus clauſus erat arculâ Reginæ matris ſuæ ſepulchro impoſitâ. Opera noctu Monachis abſentibus occaſione vſa pretioſiſſima quæque ornamenta ex argento & auro furto ſubduxiſſe creduntur, vti anno ſuperiore MDCLVI. certiſſimis indiciis cognitum eſt. Cùm enim Monachi loci hæc ſepulchra iterum aperuiſſent, ac diligenter inſpicerent, cuncta ſurſque déque euerſa, veſtimenta omni ex parte corrupta, nihil denique ibi præter oſſa cadauerum inuenerunt. Tantùm in ſepulchro Regis ampulla vitrea ſupererat, ſiccum odoramentum necdum vetuſtate planè hebetatum continens; ſupererant & gladij ac pugionis rubigine conſumptorum particulæ; necnon fibula aurea pendens vncias circiter octo ac ſemunciam; bulla prætereà ex argento quadrata, quarum ſingulis lateribus claui argentei infixi erant: in medio ſerpens biceps amphisbæna cœlata. Hæc fibula & hæ bullæ lamellæue balthei Regis fuiſſe videbantur. Tandem poſt aliquot dies cùm vtrumque ſepulchrum eum in Baſilica locum vbi nunc eſt transferri oporteret, egeſtâ inde humo apparuit in ima interioris ſarcophagi Regis parte, ſuper quam corpus iacuerat, inſcriptio maioribus literis Romanis, quales vulgò vnciales vocant, totam tumuli latitudinem occupans, quæ talis eſt:* CHILDR REX. *Hæc verba præter cæteros Monaſterij Prior, & Bibliothecarius Lucas Acherius vir doctus & candidus legere. Sepulchro Reginæ nihil inſcriptum, nihil adnotatum eſt viſum, quod iuxta viri monumentum placuit collocari. Vtraque arca eſt è lapide ſcabro ac malè cauato: Regis quidem alta admodùm, & longa ſex pedes ac dimidium, ex duobus lapidibus conſtat, quorum alter Principis reliquias continet, alter pro opertorio eſt, ac in acumen deſinit. Ceterùm opera ad rerum ablatarum reſtitutionem, ac ne ad confeſſionem quidem furti vllâ ratione compelli potuerunt. Tantummodò Regem diademate ex auro textili, cuius partem & Monachis reddidere, caput cinctum habuiſſe confitebantur, cui faſcia aurea margaritas ex more inſutas fuiſſe veriſimile eſt. Hoc autem ſepulchrum cùm nec Chlodouei Magni patris qui idola coluit & Turnaci ſepultus fuiſſe dicitur, nec vltimi Merouingorum Regum, qui cælebs fuit, & Regno deiectus atque tonſus in Monaſterio Sithiu obiit, eſſe monumentum poſſit, dubitandum non eſt quin Childerici noſtri Chlodouei iunioris filij tumulus ſit, quandoquidem alij conuenire non poteſt.* Corrigendus igitur Fridegodus in vita ſancti Audoeni, cùm ait Childericum cum vxore ac filia Rothomagi ſepultum fuiſſe ab illo Antiſtite.

[a] Cap. 45.
[b] Cap. 95.
[c] Lib. 21.

SEPVLTVRA.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. XI. LIBERI. Infantulus, quem vnà cum Childerico patre ac Bilihilde matre in Ecclesia sancti Vincentij sepultum obseruauimus, non alius est ab eo, quem Bilihildis in vtero gerebat cùm enecata est. Iisdem parentibus natus est & alter filius, qui tenerrimam in cunis ætatem agebat cùm orbatus est vtroque parente. Priuatam hic vitam duxit ad annum vsque Christi septingentesimum decimum-quintum, quo paternam hæreditatem tandem recuperauit. Genus suum constanter asseruit duobus Diplomatibus. Altero, quod tertio Kalendas Maias, anno primo Regni sui, pro Monasterio Corbeiensi emisit, *genitorem suum Childericum; auunculum*, id est, patruum, *Chlodecharium; & auam*, id est, auiam, *Baldechildem* vocauit. *Igitur*, inquit, *religiosus & venerabilis Abbas de Monasterio cognominante Corbeia, qui ponitur in pago Ambianense, quem praecelsus auunculus noster Chlodecharius quondam Rex, vel domna & aua nostra Baldechildis quondam Regina, ob amorem Christi, in honorem Sanctorum Petri & Pauli Principum Apostolorum, & Sancti Stephani Martyris visa fuerunt construxisse, ad nostram accessit præsentiam, Clementia Regni nostri suggessit, eò quòd præfatus auunculus noster Clotarius quondam Rex, seu etiam dicta aua nostra Domna Baldechildis Regina, vnde luminaria Monachi ibidem consistentes habere debent*, &c. Et infrà. *Vnde & ipsâ præscriptione subscripto auunculo nostro Clodecario, necnon & auâ nostrâ Baldechilde Reginâ, sed & confirmatione Domno & genitore nostro Childerico quondam Rege, ipse venerabilis Sebastianus Abbas nobis in præsente de hoc protulit relegenda.* Altero Diplomate, quod octauo Kalendas Maias, anno secundo Regni sui, pro Monachis Glannafoliensibus edidit, *Dagobertum*, cui successit, *consobrinum*, id est, agnatum, sic appellauit. *Vnde & confirmationem Principis consobrini nostri Dagoberti quondam Regis se ex hoc præ manibus habere affirmet.* Superstes igitur Childerico Secundo fuit filius, nomine Chilpericus, qui paternam hæreditatem non adiit ante annum Christi septingentesimum decimum-quintum, vitámque clausit anno Christi septingentesimo vicesimo-primo, cùm regnasset *annis v. & dimidio*, vt Anonymus in Gestis [a] Regum Francorum testatur. Ceterùm Childerici Secundi filio patruus fuit Clotarius Tertius, auia Baldechildis. Hæc ex supraescriptis constant. Agnatio verò inter eundem Childerici Secundi filium & Dagobertum Tertium constabit ex infrà dicendis. Nam Childericus Secundus, qui pater fuit Chilperici, fratrem habuit Theodoricum Tertium, cuius filius extitit Childebertus Tertius Dagoberti Tertij pater, itaut Childebertus pater Dagoberti cui Chilpericus successit, & idem Chilpericus, fratres fuerint patrueles, vtpote duobus fratribus geniti Childerico Secundo & Theodorico Tertio filiis Clodouei Secundi.

[a] Cap. 53.

XII. De Childerico, Clodouei Magni patre, quem Tornaci sepultum audis, egimus Tomo primo. Sepultus fuit ethnico ritu cum multis ornamentis, quæ post annos mille centum ac sexaginta-duos illic effossa sunt, vt docet Ioannes Iacobus Chiffletius in libro quem vocauit Anastasin Childerici Regis. Descriptionem illorum ornamentorum, modúmque quo reperta sunt, haud repetemus. Consule quæ dicta sunt ad annum Christi quadringentesimum octogesimum-primum [b], quo mortem Childerici consignauimus. At quomodo eadem ornamenta in manus LVDOVICI XIV. Christianissimi Francorum Nauarræque Regis, deuenerint, hoc loco silere non possumus. Reperta sunt Tornaci decimo-sexto Kalendas Iunias, anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-tertio. Leopoldus Guilielmus Archidux Austriæ, Ferdinandi Tertij Cæsaris frater, Belgium Hispanicum, vbi tunc Tornacum, Philippi Quarti Regis Catholici nomine gubernabat, quæcumque à latomis inuenta essent, ad se deferri iussit, seruauítque Viennam ad Danubium, cùm abiret è Belgio, transportanda. Ea tertio pôst anno, cùm in Germaniam reuerteretur, ostendit Ioanni Philippo *de Schomborn* Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperij Principi Electori. Miratus est Elector Thesaurum adeò antiquum, nec temperare potuit quin diceret locum ei fore conuenientissimum in armario Regis Francorum. Id Archidux ægrè visus est audire, respondítque non

[b] Num. 17. & seqq.

non deesse armaria Principum Austriacorum vbi conuenientissimè collocaretur. Ab Archiduce, cuius obitus, vt Nicolaus Auancinus * testatur, duodecimo Kalendas Decembris anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-secundo contigit, prælaudata gaza transiit ad Leopoldum Cæsarem, eius nepotem ex fratre. Sperauit Elector Moguntinus eam se obtenturum à Cæsare, quamuis non ignoraret ab ipso Cæsare probè sciri, quòd statim ac accepisset, in Franciam ad Regem Christianissimum transmissurus esset. Tempus igitur expectauit exploratiteque repulsæ minùs obnoxium, nactus est idoneè, pôst-quàm Turcæ, qui totam Germaniam timore percellebant, à Francis debellati sunt cis Arabonem *. Rogatus per Oratorem Cæsar non dissimulauit se nosse, in quem finem hæc postulatio fieret, adiecit tamen se lubentissimè cùm petitioni tum votis Electoris annuere. Donum mox Viennâ Moguntiam, inde paulò pôst in Franciam quò destinabatur delatum, ac nomine Moguntiacensis Electoris oblatum LVDOVICO XIV. apud Castrum Sancti Germani in Laia commoranti, paucisque pôst diebus Lutetiam allatum vt deinceps in armario Luparensi seruaretur. Visum tunc à nobis, nec absque quodam mœrore, quòd Tomus primus nostrorum Annalium, in quo copiosè de gestis, obitu, sepultura atque effossione Childerici disseruimus, à tribus vix mensibus in lucem prodiisset, nec potuisset hac rerum paulò recentiorum exornari narratione. Plurimùm tamen voluptatis ex eo percepimus, quòd permulta, quæ memoratu dignissima iam iudicaueramus & à Chiffletio fusè conscripta compendiosiùs in epitomen redegeramus, oculis fas fuit contemplari. Quæ dolebamus à nobis in literas nondum relata, scriptis commendare decreuimus, vbi primùm occasio se daret, quam quidem nos hoc loco peropportunè nactos arbitramur, quoniam examinandus occurrebat textus, in quo de Childerici Primi & Childerici Secundi sepultura quæstio mouebatur. Porrò multa sunt, quæ sepulchralem Childerici Primi supellectilem commendant. In primis eius antiquitas, quæ repetitur ab anno Christi quadringentesimo octogesimo-primo. Deinde dignitas Principum, in quorum potestatem deuenit, priùs enim quàm in Franciam perferretur, eâ tres tantùm potiti sunt Principes, iique magninominis, Archidux, Cæsar, Elector Moguntinus. Postremò tempus quo perlata est in Franciam, oblata est enim LVDOVICO XIV. postridie Kalendas Iulias anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-quinto, habitâque ratione illius epochæ cedet apud posteros in nobilissimum monumentum gratitudinis testatæ cùm à Cæsare tum ab Electore propter auxiliares copias, quas anno superiori Rex Christianissimus in Hungariam ad Cæsarem, in Thuringiam ad Electorem direxerat, felicissimo vtrobique successu. Nam Franci non tantùm de Turcis Germaniæ iam imminentibus ad Arabonem fluuium triumpharant, eâque victoriâ Hungaris, Germanis, Cæsari pacem ac securitatem pepererant; sed etiam Erphordiam * Thuringiæ Metropolim, quæ fractâ fide defecerat ab Electore Moguntino, cinxerant obsidione, coegerantque deditione factâ veniam rebellionis humillimè postulare, sicque palàm per vniuersum Imperium latè prædicauerant Principibus, quibus auxilio essent, nihil à subditis pertimescendum. Vtramque expeditionem, si Deus, vt speramus, vitam concesserit, ad annum Christi millesimum sexcentesimum sexagesimum-quartum, quo gesta est, fusiùs enarrabimus. A tempore autem, quo prædicta Childerici Regis ornamenta Lutetiam allata sunt, integrum non effluxit biennium, donec Tornacum, vbi tot seculis delituerant, Regi Christianissimo deditionem fecit. Illam enim Ciuitatem septimo Kalendas Iulias hoc anno, post Christum natum millesimo sexcentesimo sexagesimo-septimo, triumphali pompâ victor ingressus est LVDOVICVS XIV. Atque hæc etiam obiter datâ occasione per antecessum dicta sunto.

XIII. Cùm Childericus Secundus in viuis adhuc superstes esset, Deodatus Niuernensis quondam Episcopus relicto domicilio, quod inter Almarici * villare & Vngisuillam * apud Wilram * condiderat, ad vallem Galilæam hoc anno pe-

* In vit. Leopoldi Archid. part. 3. c. 11.

* Le Rab.

* Erfort.

* Mariuille.

* Enginille.

* Wilra.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

DEODATVS SECEDIT IN VALLEM GALILÆAM.

netrauit, obiit enim, vt suo loco probaturi sumus, anno Christi sexcentesimo octogesimo-quarto, post aduentum in vallem Galilæam vndecimò. Quomodò autem se res habuerit, in eius vita Monachus vallis Galilææ sic exponit. *Sancta charitatis & totius boni hostis diabolus vt vidit non mediocres ad Dominum posse redire fructus ex beati viri verbis & exemplis, si ille tam insignis veræ religionis cultor in impia & bonis operibus sterili gente demoraretur, ad eum profligandum extulit superbum caput. Itaque subito quodam furore inflammat stolidum & indocile vulgus aduersùs hominem Dei, ceu alieni iuris inuasorem. Illi porrò regionis eius Proceres concitarunt, donec perpetuis iniuriis & minis vexatus, tandem abscedere compulsus est. Roganti autem illum Hunno, ne ipsum desereret, eíque sui iuris possessiones, vt in illis degeret, humanissimè offerenti, vir Dei cum lachrymis respondit. Cur ergo tot annis exul & profugus in hac prouincia perpetuò vagabundus oberrem, cùm in illa propter peccata mea vel pedis vnius spatium, in quo quiescam, non liceat obtinere? Itaque deinceps vastæ me dedam & ignotæ solitudini, in ea mortem oppetiturus. Videat pietas Domini, cuius amore & desiderio reliqui patriam, & in has me regiones contuli. His dictis post mutuos amplexus discessit ab Hunno, non sine multis vtrinque fusis lachrymis. At verò pro iustitia persecutionem patienti seruo suo non defuit diuina miseratio, quæ & illi commodum & optatum dedit locum, & persecutores eius ignominiosâ & miserabili percussit clade. Proceres enim illorum in ipso ætatis flore extinxit, manétque in hunc vsque diem ea vltio apud posteros eorum, itaut non semel eximij & illustres viri atque matronæ, generis sui calamitatem formidantes, & seipsos & fundos suos viro beato voluerint obnoxios esse, ne in ipsos quoque diuina vltio propter maiorum suorum peccata redundaret. Porrò eius pagi ruricolæ omnes, qui per id tempus illic nati fuere, strumoso gutture suæ temeritatis pœnas luerunt. Eo autem dedecore non sunt affecti, quotquot trans torrentem nasci potuere. Quod vbi aduerterunt fœminæ ad partum propinquæ, torrentem illum transmittere consueuerunt. At vir Dei indefesso quidem spiritu, sed plùs satis defatigato corpore, per scopulosa iuga montium, per concaua vallium reptabundus tandem anhelus attigit vallem, quam Galilæam vocant, anno, ab Incarnato Verbo*, DCLXIX. (lege DCLXXIII.) *Eam vallem interluit & irrigat Morta piscosus & vastus fluuius, apud quem in ripa eius australi, repertâ speluncâ & fonte amœnissimo aliquandiu illic delituit, herbarum tantùm agrestium & exiguorum pomorum esu corpus sustentans, cupiens imitari veteres illos sanctos Patres, qui egentes errauere in solitudinibus & montibus & speluncis & in cauernis terræ. Intereà Dominus non immemor fidelis serui sui nihil de crastino cogitantis, religiosum virum Hunnum ita in somnis compellat. Cur sinis Deodatum venerabilem Episcopum fame confici in solitudine, qui meâ causâ factus est exul & inops, & pro sua modestia noluit tibi vel minimas actus suos indicare? Respondenti Hunno, se nescire vbinam sit Deodatus, dictum est à Domino. Impone sarcinas iumentis tuis, & inuocatâ diuinâ Maiestate sine ea suâ sponte iter istud ingredi, non deerit qui deducat ea. Hunnus expergefactus refert hæc deuotæ coniugi, illa modis omnibus hortatur vt acceleret. Dimittuntur iumenta, & per inuiam eremum recto itinere ad speluncam beati viri perueniunt. Quidam autem illa pedetentim secuti, inueniunt hominem Dei, qui, cùm prior ex illis sciscitatus esset quamobrem eò venissent, rem totam ordine cognoscit, Deóque cum lachrymis gratias agens, quòd ipsius in necessitate non fuisset immemor, tam seruos Hunni, quàm iumenta primò necessariis reficit alimentis, deinde ad Dominum ipsorum remittit. Ita ergo reperto viri Dei habitaculo, non modò Hunnus sed etiam plerique alij religiosi homines posteà ei res necessarias miserunt. Videmus hic non imparem hac in parte Deodatum sanctissimis Patribus, Frontoni, Benedicto & Columbano, diuinitus ei, sicut & illis, victu necessario suppeditato.* De SS. Abbatibus Benedicto & Columbano non semel locuti sumus. Vtroque antiquior extitit Fronto, qui claruit in Oriente sub Antonino Imperatore, celebratúrque in Tabulis Ecclesiasticis XVIII. Kalendas Maias. Huius Abbatis vitam libro primo de vitis Patrum Orientalium publicauit ac notis illustrauit Heribertus Rosweydus. Ibi fusè descriptam reperies Historiam, quam præcitatus vallis Galilææ Monachus attigit.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

XIV.

Porrò Deodatus *vir perspicacissimus ex ea benignitate Dei tam benè de ipso soliciti colligens gressus suos cò à Domino directos, ad condendam sibi cellulam animum adiecit. Eâ constructâ & in beatissimi Martini Episcopi honorem dedicatâ, reposuit illic & alia pretiosissima Sanctorum pignora, quæ ex patria secum attulerat. Cùmque fama sanctitatis eius in dies non solùm ad vicinas sed etiam ad longinquas regiones dimanaret, homines fideles vndique ad eum catervatim occurrebant. E quibus nonnulli sua prædia hilariter illi conferebant, permulti ad condendum Monasterium pecunias & quæcumque poterant largiebantur. Plerique verò non sua duntaxat, sed eius etiam imitandi desiderio accensi, seipsos in eius disciplinam multâ instantiâ tradebant. Nec pudesiebat fama, quæ eius virtutes prædicabat, cùm præsentes maiores in illo cernerent, quàm anteà auditione accepissent. Per id tempus is, quem sæpè diximus, Hunnus prædium suum, quod ab eius nomine nomen Hunnuuillaris * acceperat, vnà cum Ecclesia ei deuotus donauit. Porrò etiam Childerici Regis Regalis munificentia eam vallem, quam Galileam diximus vocatam, fisco regio abstulit, & integram viro Dei & eius successoribus annuli sui impreßione in perpetuum aßignauit, putà ab ortu riuulorum vel amnium in eam vallem influentium, vsque ad exitum eorum, vt illic vir Dei Monasterium conderet, & quem vellet seruorum Dei numerum illic aggregaret. Crederes Dominum pro multis molestiis, quibus hactenus non vno ex loco depulsus affectus fuerat, sanctam eius animam iam egregiè consolari voluisse. Intellexit hoc etiam ipse beatus vir, maximè quod & diuinitus & humanitus se iuuari cerneret, ibidem iuxta sancti Martini Oratoriolum Monasterium extruere voluit. Quidam autem ex eius discipulis cùm vltra amnem Morimonte *, qui nunc Monasterio præeminet, operariis ædificio illi necessariam materiam succidentibus & præparantibus intenderet, vellétque iam sub vesperam redire ad cellam, sed taderet illum transire Mortam fluuium, cuperétque maturiùs redire ad opus in colliculo quem Iuncturas * vocant, nocte irruente manere compulsus est. Colliculus autem id nominis inde accepisse putatur, quòd Rotbat & Morta non longè ab eius radicibus inter se commisceantur. Vbi frater ille somno correptus, per visum Oratorij in beatissimæ Dei genitricis honorem illic construendi diuinitus præceptum accepit. Quod cùm mane retulisset sanctissimo magistro, in ipso visionis loco ille lapidem erigi iußit. Nec diu pòst conditâ illic Basilicâ, in ea altare collocatum est eo in loco, vbi visio fratri oblata fuerat, ídque in honorem beatissimæ matris Dei omniúmque Apostolorum, paritérque præcipuorum Treuericæ vrbis Episcoporum, Eucharij, Valerij, Materni & Maximini consecratum. Iuxta hanc autem Basilicam aliud fabricatum est Oratorium in beati Martyris Mauritij & sanctissimi collegij eius honorem. Qua in re facilè licet perspici, beatissimum Hildulphum* Episcopum Treuirensem*, cumprimis familiarem fuisse sanctissimo Deodato Præsuli ab ipsis vsque Monasterij*, quod in valle Galilæa condidit, *fundamentis, quippe qui illi largitus fuisse credatur reliquias iamdictorum Treuirensis populi Antistitum, inprimis autem S. Maximini, cuius sacros artus nuper admodum in eam transtulerat ædem, vbi nunc illi pro dignitate in veneratione habentur. Fuit autem is annus Christi sexcentesimus sexagesimus-septimus, quo tempore Deodatus etiamnum in Alsatia morabatur, quem constat anno Domini sexcentesimo sexagesimonono in vallem Galileam aduenisse.*

* Hunniuilliers.

* la Montagne d'Ormont.

* les Iointures.

CONSTRVIT MONAST.

XV.

Præterea *in quibusdam iamdicti Cœnobij Regiâ & Pontificiâ authoritate firmatis Priuilegiis vel literis beati Patris Hildulphi nomen reperitur præfixum titulis, duodecim subscribentibus Episcopis. Inibi sanctæ compaßionis vir Archiepiscopus immò Patriarcha profitetur sanctam & compunctam religiosámque postulationem venerabilis viri Deodati Episcopi suarum aurium intima penetrasse, & visccrabili affectu pietatis ita cor suum charitatis petitione emolliuisse, vt voluntatem eius libentißimè non impleuisse nimis irreligiosum fore putauerit. Consequenter etiam ibidem annotatur, quoniam sancti desiderij ardore succensus venerendus Deodatus Episcopus, in valle Galilea, quam ex Regis fisco promeruerat, Cœnobia apud Iuncturas construxit primus, vbi Monachos vel peregrinos sub sanctißimorum Patrum Benedicti & Columbani Regula victuros deliberabat collocare deuotus.* Vallis * Galilæa non procul distat Luxouio, vbi vigebat institutum S. Columbani, cuius memoria per vicinas regio-

* *le Val de Galilée.*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

nes tunc erat celeberrima. Nomen sancti Benedicti, quod in ea prouincia minùs notum erat, intrusit Author Benedictinus. Similes interpolationes sæpè iam redarguimus. Pergit idem Scriptor, & Monasterio, quod Deodatus in valle Galilæa construxit, hoc Priuilegium *communi decreto sanctorum Antistitum* concessum affirmat, *ut nullus Regum vel Principum aut Episcoporum seu quorumcunque Clericorum suis vsibus audeat aliquando præusurpare quicquam eorum, quæ ad Dei famulos ibidem sub Euangelica perfectione degentes pertinere videntur, & quæ ab ipso patre Deodato Episcopo acquisita fuerint, aut regio munere seu reliquorum fidelium collatione tam in sacris voluminibus donariisque altaris & Ecclesiasticis ornamentis, quàm in iis quæ deinceps ipsi serui Dei proprio labore addere potuerint. Et quandocunque sæpedictus Deodatus, qui nunc est pater Monastery ipsius, à Deo fuerit vocatus, quem illa Congregatio ex sese vnanimiter elegerit, subrogetur, & ad altaria benedicenda vel sacros ordines percipiendos quem voluerint Episcopum expetant, nullaque Ecclesia absque Priuilegiis viuens quicquam sperare vel auferre ab eis præsumat, & nemini nisi inuitatione aut permissione totius Congregationis liceat Monastery ipsius septa intrare. Quòd si quilibet Pontificum ab eis postulatus pro ipsorum vtilitate accesserit, mox secundùm voluntatem Congregationis expleto suo ministerio abeat, absque requisitione vllius muneris, quatenus sub sancta Regula viuentes, de percepta quiete, iuuante Domino, per tempora exultent, & pro statu Ecclesiæ Catholica pleniùs Deum exorent. Si autem aliquam transgressionem Regulæ suæ fecerint, & à proprio Pastore obiurgari noluerint, etiamsi Episcopus eorum, qui & Abbas, seditionem Congregationis sedare per se nequiuerit, tunc alios Abbates, eandem Regulam professos, ad ipsum Monasterium conuocet, qui sententiâ regulari scandalum deprimere curent.* Huius Priuilegij postrema periodus obscurior est ac deprauata, videtúrque sic restituenda. *Si autem aliquam transgressionem Regulæ suæ fecerint, & à proprio Pastore obiurgari noluerint, si eorum Abbas seditionem Congregationis sedare nequiuerit, Episcopus tunc alios Abbates, eandem Regulam professos, ad ipsum Monasterium conuocet, qui sententiâ regulari scandalum deprimere curent.*

XVI. ARBOGASTUS EPISC. ARGENT.

Bruschius & Demochares aiunt Argentorati Episcopum sedisse Rodtharium, cùm Deodatus Monasterium vallis Galilææ ad Mortam fluuium extruxit. Postrema hæc Rodtharij tempora fuerunt. Rodthario successit Arbogastus, de quo plura inferiùs. In dubio relinquitur, verùm Gundelbertus primus Abbas Senoniensis in viuis superstes tunc extiterit, illius enim Gesta sic claudit Chronographus Senoniensis [a]. *Post immensos denique & innumerabiles in hac nostra Vogsago pro Christo toleratos labores, cùm iam suum emeritum militem pro sua militia meritis Deus remunerare decreuisset, ab hac ærumnosa peregrinatione, non tamen in hoc nostro loco Senoniensi, nescio quo occulto suo iudicio, substrahere voluit. Sed quia de eius sepultura nihil fide dignum inuenire potui, melius tacere, quàm aliquod dubium de ipso scribere dignum duxi; licèt aliqui apud Medium-vicum cum aliquibus Sanctis, Sancto scilicet Pientio & aliis suis, eum quiescere contendant.* Colitur nono Kalendas Martias in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. De successoribus, quorum sola nomina supersunt, ad ætatem vsque Caroli Magni sic prædictus Chronologus [b]. *Quia de beati Gundelberti successoribus in ipsorum actibus pauca vel nulla ad scribendum inuenire potui, exceptis tantùm nominibus, nihil de meo addere præsumpsi, ne rumorum inciperem nouus auctor haberi. Primò quidem Abbatem fundatoris successorem, virum moribus sanctis adornatum, Dominum Magneramnum huic nostro Monasterio Senoniensi dicunt præfuisse; de quo quia nihil plus inueni, nihil scribere possum. Post hunc Agericus, & aly, Magemramnus, Bonciolus, Stephanus. Quibus quidem vir præpotens & nobilis nomine Angelramnus in administratione loci huius successit.* Hic floruit sub Carolo Magno, vt suo loco probabimus ex eodem Chronographo.

a L. 1. c. 3. ABBATES SENONIENS.

b L. 2. c. 1.

XVII. Antequàm Childerico nex inferretur, *ex duobus Ducibus, quibus iussum fuerat Sanctum Leodegarium adducere de Luxouio, cùm eatenus demorati essent, vnus eorum cum ministro conspirauerat, vt si famulum Dei extra Luxouium cerneret, eum gladij percussione occideret. Vt autem ad hoc peruentum fuit, ita cor illius intolera-*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

bilis pauor perfudit, vt non solùm dixisset, sed cur de Dei famulo tam grauia cogitasset, publicâ voce confiteretur, & tremens eius prouolutus pedibus indulgeri sibi ab eo hanc nequitiam deprecaretur. Igitur cùm Childerici mors subitò nunciata fuisset, tunc hi qui ob eius iussionem exilio fuerant condemnati, tanquam verno tempore post hyemem de cauernis solent serpentia venenata procedere, quidam sine metu fuerunt reuersi, quorum debacchante furore surrexit magna perturbatio patria, itaut manifestè crederetur aduentum imminere Antichristi. Hi verò qui rectores regionum esse debuerant, surrexerunt contra alios, & qui pacis fœdera debuerant continere odiis se inuicem cœperunt lacessere. Et cùm Rex tunc non esset stabilitus in culmine, quod vnicuique rectum videbatur in propria voluntate, hoc agebat sine formidine disciplinæ. His diebus vir Domini à commemoratis Ducibus erat ob salutationem detentus, à quibus nuper de Luxouio fuerat eiectus. Tunc enim ibidem famulo suo gratia superna concesserat venerabilem dignitatem, vt in illis locis tam prædicti Duces, quàm eorum matronæ, simúlque ministri vniuersaque familia, necnon & vulgus populi ita in eius conspirassent amore, vt si ita necessitas immineret, semetipsos pro eo non dubitarent offerre. Cúmque illi, qui sanctum Dei famulum retinebant, circa se manentibus potestatibus aliis nunciassent, eò quòd diuinam gratiam super Dei famulum Leodegarium cognouissent religioso Christianitatis amore, multi, qui eorum fuerunt auxilio sociati, conspirantes inter se confirmauerunt, vt dum indisciplinata & insueta erat exorta turbatio, si priusquàm Theodericum pariter sublimassent in regno, aliquis forsitan Sanctum voluisset lædere Leodegarium, eorum protegeretur auxilio. Is Theodericus seu Theodoricus Childerici frater natu minor, auditâ Childerici morte, dimissus fuit è Monasterio sancti Dionysij, regnóque recuperato in villa Nouigento resedit teste Anonymo in vita sancti Leodegarij. Annum explebat ætatis vicesimum, vxorem mox duxit nomine Rathildem, è qua filios suscepit, de quibus infrà. Auctor fragmenti Historici, quod Alberti Argentinensis Chronico in editione Christophori Vrsitij præfixum est, vult Theodoricum in solio collocatum fuisse, *suffragantibus Didone Pictauiensi Episcopo, Leodegario Augustodunensi Episcopo & Gerino Pictauiensi Comite fratre eius.* At cùm Auctores synchroni, quos producemus, nullam Didonis mentionem faciant, existimamus eum priùs mortuum, quàm Theodoricus regnum recuperarit. Successit in Episcopatum Ansoaldus, de quo plura dicemus anno sequenti [a].

THEODORICVS REGNAT.

[a] Num. 6.

XVIII. Post Childerici mortem in tribus Franciæ Regnis facies rerum valdè fuit immutata. Leodegarius & Ebroinus egressi sunt è Monasterio Luxouiensi, Wlfoaldus qui regnante Childerico Maiordomûs fuerat è Neustrasia in Austrasiam confugit, & Leudesius Erchinoaldi quondam Maiorisdomûs filius Maioratum obtinuit. Hæc docent Auctores suprà laudati. *Wlfoaldus*, inquit Anonymus [b] in Gestis Regum Francorum, *per fugam vix euasit, in Auster reuersus. Franci autem Leudesium filium Erchinaldi nobilem in Maiorem domûs Palatij eligunt. Erátque ex Burgundia in hoc consilio beatus Leudegarius Augustodunensis Episcopus & Gerinus frater eius consentientes.* Astipulatur Continuator [c] Fredegarij. *Wlfoaldus Dux per fugam lapsus euasit, & in Austriam reuersus est. Franci verò Leudesium filium Erchonualdi nobilem in Maiorisdomûs dignitatem statuunt per consilium beati Leudegarij & sociorum eius.* Vrsinus iter Leodegarij & Ebroini Luxouio Augustodunum describit his verbis in vita sancti Leodegarij. *Childerico Rege defuncto frater eius Theodoricus ad Regni sceptra peruenit. Id vbi vtriusque* (Leodegarij scilicet & Ebroini,) *amici compererunt, videre illos cupientes, cum ingenti studio & fauore illos ad propria reuocare nituntur. Itaque ad Monasterium venientes, cogunt eos inde egredi, & ad suas domos reuerti. At illi multùm anxij, tandem illorum dilectioni & amicitiæ assentiunt; quippe quos suâ castâ nouerant prolixi itineris laboribus fatigatos. Cum benedictione ergo Abbatis inter se pacis concordiâ iuncti Leodegarius & Ebroinus Augustidunum proficiscuntur. Eorum aduentu tota exhilaratur ciuitas, obuiámque ei procedentes ciues, cum magno triumpho eos excipiunt, multùm lætantes quòd reciperent Patrem suum, quem olim se gubernatorem amisisse planxerant. Restituunt igitur eum in Sedem suam.* Anonymus in eius-

WLFOALDVS REDIT IN AVSTRASIAM.

[b] Cap. 45.

LEVDESIVS FIT MAIORDOMVS.

[c] Cap. 91.

LEODEGAR. ET EBROINVS LVXOVIO DISCEDVNT.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. dem Leodegarij vita nefarium aperit Ebroini consilium aduersùs Leodegarium quocum Augustodunum proficiscebatur. *Ipse Ebroinus*, inquit, *caput reuelauit venenosum, quasi vipera restaurans venena, simulans se esse tunc Theodorici fidelem, & ob hoc ad eum cum sociis quantocyùs festinate. Cùm enim vir Domini cum sociis suprascriptis eodem festinaret itinere, factum est quantum nec vnius diei spatium, antequam Augustidunum vrbem accederent, vrguentibus fautoribus Ebroinus immemor amicitiæ dudum promissæ, eum ibidem voluit comprehendere, si non Genesij Metropolis Lugdunensis Episcopi consiliis prohibitus, aut manu validâ, qua cum eo aderat, perterritus, & fictam rursum amicitiam simulans, mixto agmine peruenerunt in vrbem. Lætatur Ecclesia de præsentia Pastoris rediuiua.* Quid posteà secutum sit, Vrsinus declarat his verbis. *Ipse Episcopus voluit alterâ luce Ebroinum magnis affectum muneribus honorificè à se dimittere. At Ebroinus non ferens suos vel pauxillùm quiescere, nocte fugam capessens ab vrbe recessit, & Austrasios, quos olim aduersarios habuerat, sibi amicos asciuit.* Quæ tamen non ita sunt accipienda, vt Ebroinus credatur integram Austrasiam ad suas partes pertraxisse, nam Austrasiorum, qui Childerico paruerant, potior numerus adhæsit Wlfoaldo. Interim Theodoricus in Occidentali tantùm Francia Principatum tenuit. Quapropter Notgerus in vita sancti Remacli de Clodouei Secundi liberis sic disserit. *Clotarius in Occidente, frater Clotarij Childericus in Austrasia regnarunt. Obiit verò Clotarius Rex, & ad Childericum Monarchia deuoluta est. At ille posteà interfectus fratrem Theodoricum habuit in occiduis partibus successorem.* Ebroinus Austrasiis, quos ad suas partes trahere potuit, Regem præfecit Clodoueum, quem Clotarij quondam Regis filium finxit. Wlfoaldus verò ceteris Austrasiis Dagobertum ex Hibernia reuocatum Regem præposuit.

EBROINUS IN AUSTRASIA TUMULTUS CIET.

XIX. Auditâ Childerici morte, Dagobertum in Austrasiam statim rediisse vel ex eo constat, quòd in itinere hospitio in Anglia exceptus est à Wilfrido Archiepiscopo Eboracensi *, quem anno sequenti pulsum in exilium probabimus. Villelmus Malmesburiensis libro tertio de Gestis Pontificum Anglorum laudat Wilfridum Archiepiscopum Eboracensem, *quòd eum* Dagobertum *quondam factione Magnatum pulsum, & de Hibernia ad se venientem hospitio receperit, & equis sociisque adiutum patriæ remiserit.* Vxorem, quam Gononus in vita sancti Arbogasti Mechtildem vocat, in Hibernia duxerat Dagobertus, ex eâque liberos iam procrearat, Irmina enim proles omnium natu maxima desponsata fuit Hermanno Comiti, eóque mortuo Monasterium horreense Treuiris erexit ante annum Christi sexcentesimum-octogesimum, quo Dagobertus obiit. Ex eodem coniugio præter Irminam nati sunt quatuor alij liberi, Sigibertus, Rathildis, Adela & Ragintrudis, de quibus agemus inferiùs. Dagobertum Regem in Thuringia cum vxore sua habitasse tradit ex Chronicis manuscriptis Matthæus Merianus in topographia Archiepiscopatûs Moguntini, cùm agit de Heiligenstadio Eichsfeldiæ * vrbe primariâ, quem locum sua exordia Dagoberto debere aiunt, Castrúmque illic extructum, quod *antiquum burgum* etiamnum appelletur, eidémque diuinitus ostensas reliquias sancti Aurei & sanctæ Iustinæ Martyrum, ob quorum memoriam *Heiligenstadt* loco nomen sit factum, quod vrbem vel locum sanctum aut sanctorum sonat, atque ob Basilicam liberalibus impensis ædificatam, & Collegium Canonicorum amplâ dote instructum, etsi eorum quædam à posteris, potissimùm à Rabano & Willigiso Archiepiscopis Moguntinis credantur adiecta. Quamuis autem Dagobertus in Thuringia versatus sit cum vxore, Rexque *transrhenanorum Francorum* vocetur à Willelmo Malmesburiensi, caue ne credas cis Rhenum nihil ditionis penes eum fuisse. Ciuitates quidem, quas Sigibertus Pater & antiquiores Austrasiæ Reges in Aquitania & in aliis regionibus extra fines Austrasiæ possederant, in sua potestate non tenuit Dagobertus, sed vniuersâ cis & vltra Rhenum potitus est Austrasiâ, si paucas vrbes excipias, quas Ebroinus in Austrasia iuxta Neustrasiæ Burgundiæque limites occupauit, asseruítque primùm pseudo-Clodoueo, deinde Theodorico, vnde

* d'York.

DAGOBERTUS REGNAT IN AUSTRASIA.

* Eichsfelt.

natum posteà bellum inter eundem Theodoricum ac Dagobertum, vt suo loco dicturi sumus. AN. CH.

Godefridus Henschenius in epistola nuncupatoria, Diatribæ de tribus Dagobertis Francorum Regibus præfixa, scribit Dagobertum Secundum patre Sigiberto Tertio & auo Dagoberto Primo minùs latè regnasse, sed non angustiùs Childerico Primo Clodouei Magni patre. *Dagobertus autem*, inquit, *postquàm assensione populorum, Pontificis Romani auctoritate, Imperatorúmque Orientis approbatione, Francis erat regnum Galliæ pridem confirmatum, hereditario iure, patris auique successor, etsi quàm illi minùs latè, regnauit, haud tamen angustiùs Childerico.* 673. CHILDERICI II. R. 14. XX.

Dagobertus Secundus minùs latè, quàm pater auúsque, regnauit. Id in dubium vocari nequit. Nam Dagobertus Primus vniuersâ Franciâ, Sigibertus Tertius solo Austrasiæ Regno, Dagobertus Secundus parte duntaxat Austrasiani Regni potitus est. At Principatus ille Dagoberti Secundi, quamuis vltra Rhenum ditiones amplecteretur, quæ Childerico Primo numquam paruerunt, eiusdem Childerici Regno non potest æquiparari, quod cis Rhenum latissimè per Gallias Andegauum * vsque protendebatur. XXI.

* Angers.

Sunt & alia in præcitato textu, quæ Historicæ veritati palàm repugnant. Auctor ille Dagobertum, *hereditario iure*, patris auique successorem non aliam ob causam agnoscit, quàm quòd *assensione populorum, Pontificis Romani auctoritate, Imperatorúmque Orientis approbatione, Francis erat Regnum Galliæ pridem confirmatum.* Talis confirmationis nullum extat Diploma, nullum vestigium in antiquis Historiis. Hæc anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-quinto, cùm bellum inter Francos & Hispanos acerrimè gerebatur, ab homine Hispano-Belga scripta sunt aduersùs Maiestatem Coronæ Franciæ, quæ Superiorem in temporalibus numquam nouit. Quomodò Regnum Galliæ, priusquàm Dagobertus regnaret, Francis confirmari potuit, cùm illis temporibus tota Gallia penes Reges Francorum nondum esset? Si Galliæ vocabulum abusiuè pro Francia sumitur, Francia tunc amplissimas prouincias, quæ numquam Imperatoribus Romanorum subiacuerant, vltra Rhenum complectebatur. XXII.

Ab anno Christi ducentesimo tricesimo-quinto Annales nostros exorsi sumus. Altiùs initium rerum Francicarum repetere non licuit, Auctores enim probatæ fidei, qui mentionem Francorum antiquiorem fecerant, hodie desiderantur. Illis autem diebus Rhenus Romanos à Francis disterminabat, bellum inter vtramque gentem fouebat vicinia, Romani Franciam in prouinciam redigere studebant, ingentibus animis obnitebantur Franci, crebræ hinc inde variis euenribus irruptiones factæ. Franci de Romanis tandem triumpharunt, sub initium enim quinti seculi, cùm Occidentale Imperium propter Honorij Augusti desidiam multis tumultibus in Italia, in Africa, in Hispania, in Gallia concuteretur, idoneam occasionem rei cis Rhenum benè gerendæ nacti, fundamenta dominationis etiamnum per Galliam potentissimæ iecerunt. Primi Francorum Reges, qui Sedem Regiam cis Rhenum collocarunt, in iisdem ad Leopoldum Guilielmum Archiducem Austriæ literis ab Henschenio laudantur, quòd, quamuis essent idololatræ, *Christianos tamen bello victos, suis vti palàm legibus, Antistites sacra obire, Sacerdotiorum prouentibus frui religiosos homines* passi sunt, vnde & ipse factum putat, *vt in vnum tandem populum Franci Romanique & Galli coalescerent.* Clodoueus Magnus anno post Christum natum quadringentesimo nonagesimo-sexto, seu post extinctum Occidentale Imperium vicesimo, Christianam Religionem primus suscepit, cùm latè per Gallias ad Ligerim vsque & ad Oceanum dominaretur. Anastasius Papa statim gratulatorias ei literas per Eumerium Presbyterum misit, quas Lucas Dacherius Monachus Benedictinus ex Hieronymi Vignerij nostræ Congregationis Presbyteri schedis in hunc modum publicauit [a]. *Glorioso & Illustri filio Cludoecho Anastasius Episcopus. Tuum, Gloriose fili, in Christiana* XXIII.

[a] Tom. 5. Spicileg.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gratulamur. Quippe Sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cùm plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum iussus est mittere idem piscator hominum & cælestis Ierusalem beatus clauiger. Quod Serenitati tuæ insinuare voluimus per Eumerium Presbyterum, vt cùm audineris lætitiam Patris, crescas in bonis operibus, impleas gaudium nostrum, & sis corona nostra, gaudeátque Mater Ecclesia de tanti Regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergo, Gloriose & Illustris fili, Matrem tuam, & esto illi in columnam ferream. Nam refrigescit caritas multorum, & malorum hominum versutiâ nauicula nostra feris fluctibus agitatur, & despumantibus vndis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem, & Dominum collaudamus, qui eruit te de potestate tenebrarum, & in tanto Principe prouidit Ecclesiæ, qui possit eam tueri, & contra occurrentes pestiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte & Gloriose fili, vt Deus Omnipotens Serenitatem tuam & Regnum protectione cælesti prosequatur, & Angelis suis mandet, vt custodiant te in omnibus viis tuis, & det tibi in circuitu de inimicis suis victoriam. Nullum in illis lireris verbum de Regni confirmarione, quæ tamen, si facienda fuit à Papa, post Clodouei conuersionem statim ab Anastasio fieri debuit. Sed nec in subsequentium Romanorum Pontificum epistolis mentio fit huiuscemodi confirmationis, licèt illarum plurimæ, quas suis locis allegauimus, de rebus Francicis agant, & ipsis Francorum Regibus rotius penè Galliæ tunc dominis inscriptæ reperiantur. Ergo Galliæ Regnum Francis non fuit confirmatum *Pontificis Romani auctoritate.*

XXIV. Clodoueus Franciam vltra Ligerim plurimùm dilatauit Wisigothis in Septimaniam relegatis. Eius filij Childebertus & Clotarius nepósque Theodobertus vi Burgundiam omnem in suam potestatem redegerunt; deinde quas ditiones Ostrogothi cis Alpes possidebant, spontaneâ cessione sibi traditas acceperunt in præmium pacti fœderis. Hæc autem in Galliis gesta sunt, cùm Imperator Constantinopolitanus nec rebus se Gallicis immisceret, nec quidquam iuris in easdem Gallias obtineret.

XXV. Anno Christi quingentesimo septimo inchoatum est bellum Wisigothicum, confectúmque anno sequenti. Franco fauit Burgundus; Ostrogothus Wisigotho; quieuerunt Herulus, Warnus, Thuringus, vt Wisigotho se iungerent, ab Ostrogotho frustrà sollicitati. Neutri partium auxiliatus est Anastasius Orientis Imperator, licèt propensioribus erga Francum studiis ferretur, quia sibi plùs à Gothis timebat. Prælium in agro Pictauiensi commissum, Alaricus Wisigothorum Rex à Clodoueo interemptus, occisi Gothorum quamplurimi, reliqui in fugam acti. Audito tantæ victoriæ nuncio, Anastasius Regi Francorum *codicillos de Consulatu*, id est, de Imperio, misit. Quibus acceptis Clodoueus Turonis, vt Gregorius illius ciuitatis Episcopus restatur [a], *in Basilica beati Martini tunicâ blateâ indutus est, & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso * equite, aurum argentúmque in itinere illo, quod inter portam atrij & Ecclesiam ciuitatis est, præsentibus populis manu propriâ spargens, voluntate benignissimâ erogauit, & ab ea die tanquam Consul aut Augustus est vocitatus.* Quos igitur Clodoueus ab Anastasio codicillos accepit, ij non fuerunt de Galliæ Regno Francis confirmando, cuius partem non ignobilem Gothi Burgundionésque adhuc possidebant, sed *de Consulatu*, siue de Imperio, nempe Occidentali, restaurando, quod ante annos triginta-duos in Augustulo penitus defecerat. Abhinc Imperatorem se dixit gessitque Clodoueus, idémque præstiterunt successores, vt ex variis numis, quos suptà laudauimus [b], constat do Childeberto Primo, de Clotario Primo, de Theodoberto Primo, de Theodoberto Secundo, de Clotario Tertio & de Childerico Secundo.

[a] L. 2. c. 38.

* equite, id est, equo.

[b] An. 638. n. 82. an. 668. n. 22.

XXVI. Burgundiam, quæ pars erat haud exigua Galliæ, *Paulino Iuniore Consule, Indictione duodecimâ* [c], siue anno Christi quingentesimo tricesimo-quarto subegerunt, & inter se diuiserunt Childebertus & Clotarius filij Clodouei Magni nepósque Theodobertus. Annum Iustinianus Augustus in Imperio septimum

[c] Marius in Chron.

mum tunc agebat, nec bello se Burgundico rebúsue Gallicis implicuit. AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

Post biennium, siue anno belli Gothici secundo, vt Procopius[a] docet, Vitiges Ostrogothorum Rex Galliâ, seu ditionibus quas Ostrogothi cis Alpes in Gallia possidebant, prælaudatis Francorum Regibus sponte cessit, vt eorum amicitiam & opem sibi conciliaret aduersùs Iustinianum Augustum, cuius exercitum prosperis successibus non mediocriter elatum Belisarius in Italiam ex Sicilia iam traiecerat. XXVII. Hac cessione Regnum Francorum per Galliam ad mare vsque mediterraneum & ad Varum amnem dilatatum est, nec vlla pòst in confirmationem accessit approbatio Imperatoris Constantinopolitani, imò Theodobertus eiúsque filius ac successor Theodobaldus bellum cum eodem Iustiniano, qui se cognomento Francicum per insignem inuerecundiam atque incredibilem superbiam scribebat, in Italia diu gesserunt.

[a] L. 1. de bello Goth. c. 13.

Obiiciet Henschenius Procopium Auctorem Iustiniano Augusto synchronum de Cisalpinis Ostrogothorum ditionibus déque Regno Francorum per illam Galliarum partem amplificato sic disseruisse[b]. XXVIII. CVM PROCOPIO. Γαλλίας μὲν ὅλας, τὰς σφίσι κατηκόους, κατ' ἀρχὰς τοῦδε τοῦ πολέμου, Γερμανοῖς ἔδοσαν Γότθοι, οὐκ ἂν οἰόμενοι πρὸς ἑκατέρους ἀντιτάξασθαι οἷοί τε εἶναι. ὥσπερ μοι ἐν τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις ἐρρέθη. ταύτην τε τὴν πρᾶξιν οὐχ ὅπως οὐ διακωλύειν Ῥωμαῖοι ἔσχον; ἀλλὰ καὶ βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς ἐπέρρωσε σφίσι, τοῦ μή τι οἱ ἐναντίωμα. τούτων δὴ τῶν βαρβάρων ἐκπεπολεμωμένων, ξυνδυνάσαι. οὐ γὰρ ποτε ᾤοντο Γαλλίας ξὺν τῷ ἀσφαλεῖ κεκτῆσθαι Φράγγοι, μὴ τοῦ αὐτοκράτορος τὸ ἔργον ἐπισφραγίσαντος τοῦτό γε, καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ Γερμανῶν ἄρχοντες, Μασσαλίαν τε τὴν Φωκαέων ἀποικίαν, καὶ ξύμπαντα τὰ ἐπιθαλάσσια χωρία ἔσχον. θαλάσσης τε τῆς ἐκείνῃ ἐκράτησαν. καὶ νῦν κάθηνται μὲν ἐν τῇ Ἀρελάτῳ τὸν ἱππικὸν ἀγῶνα θεώμενοι. νόμισμα δὲ χρυσοῦν ἐκ τῶν ἐν Γάλλοις μετάλλων πεποίηνται, οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος (ᾗπερ εἴθισται) χαρακτῆρα ἐντιθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα. καί τοι νόμισμα μὲν ἀργυροῦν ὁ Περσῶν βασιλεὺς, ᾗ βούλοιτο, ποιεῖν εἴωθε, χαρακτῆρα δὲ ἴδιον ἐμβαλέσθαι στατῆρι χρυσῷ, οὔτε τὸν αὐτῶν ἄρχοντα θέμις, οὔτε δὴ ἄλλον ὁντιναοῦν βασιλέα τῶν πάντων βαρβάρων, καὶ ταῦτα μᾶλλον ὄντα χρυσοῦ κύριον. ἐπεὶ οὐδὲ τοῖς ξυμβάλλουσι προΐεσθαι τὸ νόμισμα τοῦτο οἷοί τέ εἰσιν. εἰ καὶ βαρβάρους τοὺς ξυμβάλλοντας εἶναι ξυμβαίη. ταῦτα μὲν ὧδε Φράγγοις ἐχώρησεν. *Belli huius initio, Gotthi, vt in libris dixi superioribus, totâ Galliæ parte sibi subditâ Germanis*, id est, Francis, vtpote Germanis origine, *cesserant, illis ac Romanis resistere se simul non posse rati. Quod ne fieret, adeò non impedire Romani potuerunt, vt Iustinianus Augustus id confirmauerit, ne ab his Barbaris, si hostiles animos inducrent, turbaretur. Nec verò Franci Galliarum possessionem sibi certam ac stabilem fore putabant, nisi illam Imperator suis literis comprobauisset. Ex eo tempore, Germanorum* seu Francorum *Reges Massiliam Phocensium coloniam, ac maritima loca omnia, adeóque illius maris imperium obtinuerunt. Iámque Arelate præsident equestri certamini, & nummos cudunt ex auro Gallico, non Imperatoris, vt fieri soles, sed suâ impressos effigie. Monetam quidem argenteam Persarum Rex arbitratu suo cudere consueuit; auream verò, neque ipsi, neque alij cuipiam Barbarorum Regi, quamuis auri domino, vultu proprio signare licet; quippe eiusmodi moneta commercio vel ipsorum Barbarorum excluditur. Ibi Francis res ita cesserat.*

[b] Procop. l. 3. de bell. Goth. c. 33.

Textûs Procopiani tres sunt partes. Auctor primùm exponit, quomodò Cisalpinæ ditiones Ostrogothorum ad Francos transierint, aut saltem quomodò eas arbitretur ad Francos transiisse. XXIX. Deinde subiicit, quid Franci de suo in Galliam iure sentiant, aut potiùs quid Francos de illo iure sentire credat. Postremò de nummis aureis Francorum pro suo disserit arbitratu.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. XXX.

Anno Christi quingentesimo tricesimo-quinto, qui primus belli Gothici fuit, Iustinianus Imperator Mundum Illyriorum Præfectum in Dalmatiam misit, & Belisarium cum classe in Siciliam direxit. *Tum quoque*, vt asserit [a] qui bellum illud copiosè describit Procopius, *ad Francorum Principes Legationem cum his literis misit. Quoniam Gotthi non modo Italiam, quam habent, ditioni nostra ereptam vi restituere nolunt, sed iniurias etiam nobis, nec mediocres, nec tolerabiles, imposuerunt, non lacessiti, ipsis bellum inferre coacti sumus. Nobiscum vos id suscipere conuenit, quod commune facit cùm germana Religio, erroris Ariani expultrix, tum odium, quo æquè vt nos, dissidetis à Gotthis. Hæc scripsit Imperator, quibus amplum pecuniæ munus addidit, plura pollicitus daturum se, rem aggressis. Illi socia arma lubentissimè promiserunt.* Πέμψας δὲ καὶ παρὰ Φράγγων τοὺς ἡγεμόνας, ἔγραψε τάδε. Γότθοι Ἰταλίαν τὴν ἡμετέραν βίᾳ ἑλόντες, οὐχ ὅσον αὐτὴν ἀποδιδόναι οὐδαμῆ ἔγνωσαν, ἀλλὰ καὶ προσηδικήκασιν ἡμᾶς. οὔτε φορητὰ, οὔτε μέτρια. διόπερ ἡμεῖς μὲν στρατεύειν ἐπ' αὐτοὺς ἠναγκάσμεθα. ὑμᾶς δὲ εἰκὸς ξυνδιαφέρειν ἡμῖν πόλεμον τόνδε, ὃν ἡμῖν κοινὸν εἶναι ποιεῖ δόξα τε ὀρθὴ, ἀποσειομένη τὴν Ἀρειανῶν γνώμην, καὶ τὸ ἐς Γότθους ἀμφοτέρων ἔχθος. τοσαῦτα μὲν βασιλεὺς ἔγραψε, καὶ χρήμασιν αὐτοὺς φιλοτιμησάμενος, πλείονα δώσειν, ἐπειδὰν ἐν τῷ ἔργῳ γένωνται, ὡμολόγησεν. οἱ δὲ αὐτῷ ξὺν προθυμίᾳ πολλῇ ξυμμαχήσειν ὑπέσχοντο. Nihil etiam omisit Rex Ostrogothorum Theodatus, vt Francos ad suas partes alliceret. Hæc enim de illo subiungit idem Auctor [b]. Θευδάτος, ὁ τῶν Γότθων ἀρχηγὸς, ἐπεὶ Βελισάριον ἐς Σικελίαν ἥκειν ἐπύθετο, ξυνθήκας πρὸς Γερμανοὺς ποιεῖται, ἐφ' ᾧ ἄρχουσί τε αὐτοῖς, καὶ τὴν Γότθοις ἐπιβάλλουσαν ἐν Γάλλοις μοῖραν, καὶ χρυσοῦ κεντηνάρια λαβόντας εἴκοσι, πόλεμον σφίσι, τόνδε ξυνάρασθαι. οὔπω τε τὰ ξυγκείμενα ἔργῳ ἐπιτελέσας, μοῖραν τὴν πεπρωμένην ἀνέπλησε. *Theodatus Gotthorum Rex de Belisarij in Siciliam aduentu certior factus, cum Germanis* (sic ille Francos appellat) *paciscitur, vt ipsi eorum Reges ad hoc bellum auxilio veniant, vbi Galliæ partem, in ditione Gotthica sitam, & aureorum viginti millia* (seu *duo millia auri pondo* vt Claudius Maltretus vertit) *acceperint. Verùm is vita fatum priùs impleuit, quàm pacta conuenta.* Anno enim sequenti, belli videlicet Gothici secundo, Christi quingentesimo tricesimo-sexto, Belisarius ex Sicilia copias in Italiam traiecit, & vastatâ Campaniâ Neapolim * cepit. Tunc autem Ostrogothi prope Tarracinam * castra metati, cùm Theodatum ætate iam prouectum, Latinarum literarum Platonicorúmque dogmatum satis peritum, rei verò bellicæ prorsus ignarum odissent, Vitigem Regem delegerunt [c], virum sanè non ex clara natum familia, sed qui priùs probè viriliterque se gesserat in præliis, quæ circa Sirmium * aduersùs Gepidas Theodoricus habuisset. Hoc comperto Theodatus fugam Rauennam versùs arripuit, & in itinere cæsus fuit ab Optare, cui puellam insignem formâ, patrimonio diuitem ademerat, vt alteri collocaret. Intereà Vitiges Romam se contulit, auditâque Theodati nece Theodesclum eius filium custodiæ mancipauit, deinde Rauennam profectus est relicto, qui Romam custodiret, Leudere, viro sanè vt ad multùm ætatis prouecto, ita & prudentiæ opinionem maximam consecuto. Sibi timebat ab hostibus hinc inde formidolosissimis, in Italia videlicet ab Imperatore Iustiniano, à Regibus Francorum in Gallia, nec vtrisque simul resistere poterat. In tanto discrimine positus, cùm Rauennæ versaretur, Primoribus gentis suæ conuocatis orationem habuit, quam alio loco [d] integram ex Procopio [e] iam recitauimus. Multò latiorem in Italia Principatum obtinebat quàm in Gallia. Quapropter Italiæ potiùs quàm Galliæ tuitioni studuit, pacémque dixit ineundam necessariò cum Francis, quos existimabat in illo bello socios etiam Gothorum fore, si *finitimam Galliam & quantam-*

[a] Lib. 1 de bell. Goth. cap. 5.
[b] Lib. 1. de bell. Goth. cap. 13.
* Naples.
* Terracine.
[c] Procop. lib. 1. de bell. Goth. cap. 11.
* Sirmisch.
[d] Ad an. 536. n. 1.
[e] Lib. 1 de bell. Goth. cap. 13.

cumque pecuniam cum ea se daturum Theodatus promiserat, Γαλλίας τὰς σφίσιν ὁμόρους, καὶ χρήματα, ὅσα ξὺν τῇ χώρᾳ ταύτῃ Θευδάτος αὐτοῖς ὡμολόγησε δώσειν, ab ipsis acciperent. Regi Proceres assenserunt. *Ergo*, inquit Procopius, *mittuntur statim ad Germanos*, id est, ad Francos, *Legati, qui illis Galliâ cedant, datóque auro componant societatem. Tunc Reges Francorum erant, Childebertus, Theodebertus & Clotharius, qui traditam sibi Galliam ac pecuniam inter se pro cuiusque Regni portione diuiserunt*, στέλλονται τοίνυν πρέσβεις αὐτίκα ἐς τὸ Γερμανῶν ἔθνος, ἐφ' ᾧ Γαλλίας τε αὐτοῖς ξὺν τῷ χρυσῷ δώσουσι, καὶ ὁμαιχμίαν ποιήσονται. Φράγγων δὲ τότε ἡγεμόνες ἦσαν Ἰλδίβερός τε καὶ Θευδίβερτος, καὶ Κλωδάριος. οἳ Γαλλίας τε καὶ τὰ χρήματα παραλαβόντες, διενείμαντο μὲν κατὰ λόγον τῆς ἑκάστου ἀρχῆς. Vtrùm Imperator ea de re literas ad Francos statim miserit, an longè seriùs postquam Totilas apud eos in contemptum venit, Procopius haud apertè docet. At quocumque tempore Iustinianus ad Reges Francorum scripserit, quicquid Procopius in gratiam dignitatis Imperatoriæ dicat, cessionem Galliarum ab Ostrogothis factam haud confirmauit, nec eâ fuit opus confirmatione, vt Franci *Galliarum possessionem sibi certam ac stabilem fore* putarent.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

Vt Anastasius Augustus, qui sibi plurimùm à Gothis timebat, de insigni XXXI. victoria, quam Clodoueus Rex Francorum de Wisigothis in Aquitania reportarat, certior factus gratulatorias ei quamprimùm literas cum codicillis *de Consulatu* seu de Imperio misit; ita Iustinianus audito, quòd Ostrogothi, quibuscum acerrimum in Italia bellum gerebat, Francis parte Galliarum Alpes ac Rhodanum interiacente cessissent, his per literas auctum hac cessione Regnum gratulari potuit; fortè etiam, vt societatem cum Francis aduersùs Ostrogothos componeret, per Legatos pollicitus est partem illam Galliarum, quam, post recuperatam Italiam, ab Ostrogothis repetere decreuisset, deinceps vtpote Francorum ditionibus adiectam se minimè repetiturum. Hoc admodum probabile videtur, nullámque inuoluit possessionis confirmationem, quam certè Franci nec postularunt nec sibi necessariam censuerunt. Id tantùm dici potest in gratiam Iustiniani, quòd, vt Francos à fœdere Gothico reuocaret, eis prædictam Galliarum partem concesserit, eo sensu, quo Theodoricus Ostrogothorum Rex iisdem Francis postquàm *regiones Galliæ, quæ ad Oceanum vergunt, subegere, cùm eos exigere non posset, vt partes illas retinerent*, eodem Procopio [a] teste, *concessit*.

In quæstionem, de qua nunc agimus, venit pars illa duntaxat Galliarum, XXXII. quam Alpes ab Ortu, Rhodanus ab Occasu circumscribunt, id est, pars illa Galliarum, quam Vitiges Ostrogothorum Rex Francis possidendam sponte dereliquit. Ita sentit Baronius [b], nam textu Procopij suprà citato fretus ait *in ceteris Galliarum prouinciis nihil esse, quod iustiùs Franci possederint, quàm Massiliam cum aliis eiusdem prouinciæ locis, acceptis illis concessione Gothorum, & cessione factâ Imperatoris*. At quota pars hæc Regni, quod in Galliis Antecessores Dagoberti Secundi tenuerunt? An ex hac Imperatoris cessione, quæ ne vicum quidem cis Rhodanum complectitur, affirmari potest Regnum Galliæ, quod ad Oceanum vsque & ad exitum Rheni dilatatur, Francis confirmatum?

[a] Lib 1. de bell Goth. c. 12.

[b] Ad an. 549. n. 4.

De nummis aureis Francorum multa Procopius imperitè scribit, vt Lec- XXXIII. tori suadeat Reges Francorum, quibus Vitiges partem Galliarum Ostrogothis anteà subditam concessit, aureæ monetæ cum propria effigie cudendæ priuilegium à Iustiniano Augusto primos obtinuisse. *Ex eo*, inquit, *tempore*, id est, ex quo Vitiges totâ Galliæ parte sibi subditâ Francis cessit, *nummos cudunt ex auro Gallico, non Imperatoris, vt fieri solet, sed suâ impressos effigie. Monetam quidem argenteam Persarum Rex arbitratu suo cudere consueuit; auream verò, neque ipsi, neque alij cuipiam Barbarorum Regi, quamuis auri domino, vultu*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

proprio signare licet; quippe eiusmodi moneta commercio vel ipsorum Barbarorum excluditur.

XXXIV. Existimauit fortè Procopius extra Romanum Imperium solos Francorum Reges aureis nummis imaginem suam impressisse, quia ceterarum gentium auream monetam non viderat in vsu quà Romanum Imperium patebat, & hoc priuilegium esse potuit ab Imperatore concessum ad gloriam Francorum, vt in ditionibus Romanis cuique fas esset vti nummis ex auro in sola Francia non apud alias exteras nationes cusis cum imaginibus Principum illic regnantium. Quid mirum, amabo, si Reges Francorum, cùm ab Imperio Romano liberi omnino essent, suam in Regno suo non autem Imperatoris effigiem aureis nummis imposuerint? Id Theodomeres Rex Francorum, cuius ita meminit Gregorius Turonensis [a], *in Consularibus legimus Theodomerem Francorum, filium Richimeris*, &c. ante Faramundi tempora præstitit. In erudito enim Commentario de Moneta Regum Francorum, quem Claudius *Bouterouë* non semel à nobis tam laudatus accuratissimè composuit, exhibetur Tremissis aureus [b], in cuius antica parte conspicitur Regis effigies cum diademate & hac epigraphe. TEVDOME. REX. Idem quoque præstiterunt Faramundi successores, vt ex eodem Commentario liquet. In antica parte Tremissi aurei repræsentatur caput [c] Merouei cum diademate. Quinque Tremisses aurei capite Clodouei Regis insigniuntur, tres priores [d] ante illius conuersionem, post eandem conuersionem duo [e] posteriores cusi sunt. Clodoueus quatuor filios reliquit, Theodoricum, Clodomerem, Childebertum & Clotarium. In viuis, quando Vitiges Ostrogothorum Rex parte Galliarum cessit, supererant Childebertus & Clotarius, quibuscum apud Francos regnabat Theodobertus eorum nepos ex fratre Theodorico ante biennium mortuo. Visuntur aurei Tremisses duo [f] cum capite Theodorici Regis, in quorum altero legitur hæc inscriptio, TEVDERICOS. Extant pariter tres aurei Tremisses [g] cum capite Childeberti. Nummus aureus, in quo caput Clotarij cum hac inscriptione, CHLOTARIVS REX, conspicitur, Peireskij [h] dono publici iuris à Paulo Petauio factus est in veterum nummorum gnorismate, necnon à Ioanne Iacobo Chiffletio in libro [i], cui titulus, Vindiciæ Hispanicæ. In Commentario Francicorum numismarum occurrunt [k] duo Solidi, duóque Tremisses, vtrique aurei, cum effigie Theodoberti, de quibus ad annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum [l] iam locuti sumus.

[a] L. 2. c. 9.
[b] Numus 1.
[c] Numus 12.
[d] Numi 24. 26. 27.
[e] Numi 39. 44.
[f] Numi 73. 77.
[g] Numi 59. 71. 72.
[h] Gassendus in vit. Peireskij, l. 2.
[i] Cap. 17.
[k] Numi 90. 91. 92. 95.
[l] Num. 82.

XXXV. Petrus Gassendus in vita [m] Peireskij, cùm de Clotarij nummo sermonem facit, notat Clotarium in eo repræsentati coronâ gemmatâ redimitum, subiungítque id factum *Constantini scilicet more, qui pro laurea gemmam vsurpauerat.* In prælaudato Commentario Clodoueus eiúsque filij ac nepos Theodobertus gemmato diademate redimiuntur; Clodoueus, in numo [n] æreo; Theodoricus, in Tremissibus [o] cusis cùm Metis tum Remis; Childebertus, in Tremissibus [p] aureis; Clotarius, in Tremisse [q] aureo; Theodobertus, in Tremissibus [r] aureis. Hoc signum erat Imperatoriæ dignitatis. Aliâ occasione [s] multa quoque commemorata sunt à nobis de corona Imperatoria, déque titulis, figuris & inscriptionibus, quibus Reges Francorum per illam ætatem in suis numis se dixerunt Imperatores, postquàm Clodoueus, vt ex Gregorio [t] Turonensi retulimus, ab Anastasio Augusto literas *de Consulatu* seu de Imperio accepit. Nihil illorum repetemus. Ex prædictis enim abundè constat eos à veritate procul aberrare, qui *Francis Imperatorum Orientis approbatione Regnum Galliæ confirmatum* scribunt, suásque fictiones adulatoriis Procopij deliriis tueri conantur.

[m] L. 2.
[n] Numus 46.
[o] Numi 50. 77. 78. 79.
[p] Numi 59. 71. 72.
[q] Numus 88.
[r] Numi 95. 96.
[s] Ad an. 638. n. 82.
[t] L. 2. c. 38.

XXXVI. AMOR GALLORVM ERGA REGES FRANCORVM.

Quod attinet ad populorum assensionem, non inficiamur Galliarum incolas maximâ captos fuisse lætitiâ, cùm in Francorum potestatem deuenerunt, seu Reges Francorum tunc essent ethnici seu Christiani. Faramundus aliique Reges Francorum, qui ditiones suas cis Rhenum amplificarunt, quamuis pagani Christianis bello victis nullam molestiam intulerunt. Hoc ipsemet Hensche-

nius suprà citatus fatetur. Corruente Romanotum Imperio, Galli, cùm ad illas se cernerent angustias redactos, vt deditionem aut Francis ethnicis, aut Arianis seu Gothis seu Burgundionibus, facere cogerentur, Orthodoxæ Religionis quam profitebantur habitâ ratione, malebant idololatras experiri dominos, à quibus liberam suis vtendi legibus ac prouentibus Ecclesiasticis fruendi facultatem obtinebant, quàm hæreticos à quibus, propter odium implacabile, spoliatio bonorum, exilium, mors ipsa imperabatur. Clodoueus adhuc paganus anno suæ dominationis quinto, Christi quadringentesimo octogesimo-sexto Siagrium vicit, & ad fines vsque Burgundionum victor penetrauit. Quàm magno Francotum desiderio tunc Galli tenerentur, Interpolator [a] Gregorij Turonensis ita testatur. *Cùm iam terror Francorum resonaret in his partibus, & omnes eos amore desiderabili cuperent regnare, Sanctus Aprunculus Lingonica ciuitatis Episcopus apud Burgundiones cœpit haberi suspectus, cúmque odium de die in diem cresceret, iussum est vt clàm gladio feriretur. Quo ad eum perlato nuncio, nocte à Castro Diuionensi per murum demissus, Aruernos aduenit.* Amor populotum erga Francos post Clodouei Baptismum valdè creuit, atque inde multùm auctus est hæreticorum Regum metus, ne domesticos tumultus in suis Regnis propter Francorum viciniam paterentur. Gregorius Turonensis tria profert exempla, duo de Turonensibus Episcopis Volusiano & Vero, tertium de Quintiano Episcopo Rutenensi. Volusianum capite vltimo suæ Historiæ sic commendat. *Volusianus ordinatur Episcopus, ex genere Senatorio, vir sanctus & valdè diues, propinquus & ipse Perpetui decessoris sui. Huius tempore iam Chlodoueus regnabat in aliquibus vrbibus in Galliis. Et ob hanc causam suspectus habitus à Gothis, quòd se Francorum ditionibus subdere vellet, apud vrbem Tholosam exilio condemnatus, in eo obiit.* Interpolator [b] annum, quo Volusianus in exilium actus est, notat hoc modo. *Volusianus vnus ex Senatoribus subrogatus est. Sed à Gothis suspectus habitus, Episcopatûs sui anno septimo, in Hispanias est quasi captiuus abductus, sed protinus vitam finiuit.* Annum Volusiani Episcopi septimum anno post Christum natum duodequingentesimo, post Clodoueum ad fidem Christianam perductum secundo, illigauimus, obseruauimúsque [c] hanc exilij Volusiano irrogati rationem afferri posse, quòd illo anno Clodoueus Viriduno Aureliam maximis itineribus contendit, & quamuis de bello Wisigothis inferendo non cogitaret, ciuitates ad Ligerim sitas, quibus illi dominabantur, aduentu repentino perterruit. Volusiano successit in Episcopatum Verus, de quo sic Gregorius [d]. *Ordinatur Episcopus Verus, & ipse pro memorata causa zelo suspectus habitus à Gothis, in exilium deductus, vitam finiuit.* Clodoueus anno Christi quingentesimo septimo bellum Wisigothis intulit, annóque sequenti confecit adeò feliciter, vt ditionibus suis Turonos, tres Aquitanias, Tolosam & Vcetiam * in præmium victoriarum adiecerit. Plures belli mouendi causas enarrauimus suo loco. Placet vnam duntaxat repetere, quæ profecta est ex zelo Religionis Orthodoxæ. Gregorius Clodoueum, quòd Alaricus homo Arianus in parte Galliarum regnaret, ægro prorsus animo tulisse sic testatur [e]. *Chlodouechus Rex ait suis. Valdè molestè fero, quòd hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis redigamus terram in ditione nostra. Cúmque placuisset omnibus hic sermo, commoto exercitu Pictauis dirigit. Ibi tunc Alaricus commorabatur.* Post Clodouei mortem, quam anno Christi quingentesimo vndecimo consignauimus, Gothi ciuitatem * Rutenicam, quæ pars erat Aquitaniæ primæ, recuperarunt, & Quintianum Episcopum iam senem coegerunt exulare. Sic enim in illius Episcopi vita scribit [f] Gregorius Turonensis. *Gothos, qui tunc in antedicta vrbe*, nempe Rutenica, *morabantur, suspicio attigit, quod se vellet Episcopus Francorum ditionibus subdere, consiliéque accepto cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro sancto nunciatum fuisset; de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab vrbe illa egrediens, Aruernis aduenit.* Gregorianus [g] Interpolator ordine præpostero id enarrat in procinctu belli Wisigothici, quod annis Christi quingentesimo-septimo & quingentesimo-octauo gestum est.

[a] L. 2. c. 23.
[b] L. 2. c. 26.
[c] Ad an. 498. n. 6.
[d] L. 10. c. 31.
* *Vsez.*
[e] L. 2. c. 37.
* *Rhodez.*
[f] In vit. Patr. c. 4.
[g] L. 2. c. 36.

AN.CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. *Multi iam tunc*, inquit, *ex Galliis habere Francos dominos summo desiderio cupiebant. Vnde factum est, vt Quintianus Rutenorum Episcopus per hoc odium ab vrbe depelleretur. Dicebant enim ei. Quia desiderium tuum est, vt Francorum dominatio possideat terram hanc. Post dies autem paucos, orto inter eum & ciues scandalo, Gothos, qui in hac vrbe morabantur, suspicio attigit exprobrantibus ciuibus, quòd velit se Francorum ditionibus subiugare. Consilióque accepto, cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro Dei nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab vrbe Rutena egrediens, Aruernis aduenit.* Aruerni, ex quo Franciæ accesserunt, ab ea non sunt auulsi, secus Ruteni, nam Clodoueo mortuo redierunt in potestatem Wisigothorum. Non aliâ opus est obseruatione vt errorem Interpolatoris agnoscas. Ante bellum enim Wisigothicum vt Ruteni sic & Aruerni Alarico Wisigothorum Regi parebant, illisque temporibus Quintianus, si relictis Rutenis ad Aruernos confugisset, constitisset intra fines Regni Wisigothici, suæque saluti ac securitati non benè consuluisset. Post obitum autem Clodouei, quia Ruteni Gothis iterum subiacuerunt, Aruerni verò sub Francorum dominatione permanserunt, eidem Quintiano è ciuitate Rutena profugo Aruerni tutissimo fuerunt asylo. Verùm hîc in Gregorianum Interpolatorem non inquirimus, sed textum examinamus Henschenij de populorum assensione, quâ Regnum Galliæ Francis confirmatum scribit. Gaudebant Aquitani summoperè, quòd excusso Wisigothorum Arianorum iugo deinceps sub Orthodoxis Francorum Regibus quietè vitam acturi essent. Wisigothi, licèt à Francis ex Aquitania pulsi, posteris seculis florentissimè regnarunt: vniuersam enim Hispaniam, necnon in Africa trans fretum Gaditanum partem Mauritaniæ Tingitanæ, itémque Septimaniam in Gallia cis Pyrenæum montem, sub sua tenuerunt potestate, nec angustiori Regno potiebantur, cùm Dagobertus Secundus ex Hibernia reuersus Austrasiam administrare cœpit. Multis igitur seculis post pugnam Vogladensem, siue Arianos siue Orthodoxos Reges haberent, Francis contermini fuerunt, nusquam tamen auditum est toto illo tempore, quòd ad eos tanquam ad veteres dominos spreto Francorum imperio redire vellent Aquitani. Non aliter se gesserunt, qui Regibus Burgundionum & Ostrogothorum per Gallias aliquando paruerunt populi, fide enim præstantissimi fuerunt erga Francos, postquàm ab iis vel bello subacti sunt extincto Burgundionum Regno, vel pacificè acquisiti spontaneâ Ostrogothorum cessione. Sic omnium Dynastarum, quibus Galliæ propter Romanorum Imperatorum desidiam patuerunt, acceptissimi Gallis Reges Francorum, idque his gloriæ non mediocri vertitur.

XXXVII. IVS REGVM FRANCORVM IN OMNEM FERMÈ GALLIAM. Franci, cùm in antiquis sedibus vltra Rhenum morarentur, à Romanis, qui totius Orbis Imperium ambiebant, sæpè lacessiti sunt. Vtrique per multos annos belligerarunt euentibus adeò variis, vt neutri parti vel vicus in præmium tot irruptionum tótque præliorum tunc cesserit. Inclinatâ Romanorum Republicâ variæ gentes in Gallias irruerunt. Effusi quoque cis Rhenum Franci de Romanis, à quibus tot clades tótque damna perpessi fuerant, legitimam vltionem tandem sumpserunt Regno per Gallicanas prouincias strenuè dilatato. Subsecuta sunt bella, cùm aduersus Wisigothos, qui per illa tempora transligeritanis Galliarum prouinciis magnæque Hispaniarum parti dominabantur, tum aduersùs Burgundiones, qui Lugdunum vicinásque regiones tenebant. Causas discordiarum suis locis explicuimus. Wisigothis adempta penè omnis Gallia transligeritana, extinctum Burgundionum Regnum, æquo iure vtrumque præstitum. Comparata deinde pars alia Galliarum Alpes inter ac Rhodanum, quâ sponte cesserunt Ostrogothi; liberâ donatione quis iustior possessionis titulus? Hæc sunt indubitata iura, quibus innixi Galliam fermè vniuersam possederunt Antecessores Dagoberti Secundi, nec accessit vlla pòst à quoquam confirmatio, quicquid Henschenius scribat. Apud eum enim hæc phrasis, *postquàm assensione populorum, Pontificis*

Romani auctoritate, Imperatorúmque Orientis approbatione, Francis erat Regnum Galliæ pridem confirmatum, expungenda est, vt Dagobertus Secundus Sigiberti patris auique Dagoberti successor iuxta Historiæ veritatem asseratur *hereditario iure*, eóque à Maioribus, id est, à Faramundo, Clodione, ceterísque Francorum Regibus, qui cis Rhenum nec apud Toxiandriam nec alibi precariò sedes obtinuerunt, transmisso. AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

Childericus Secundus, cui Theodoricus Tertius & Dagobertus Secundus successerunt, totâ potitus est Galliâ, si prouinciam Narbonensem exceperis, quæ Gothis parebat, ideóque Gallia Gothica nuncupabatur. Illic Vamba Wisigothorum Rex tumultum, cuius initium anno priori retulimus, victis perduellibus sedauit. Vt factionem opprimeret, direxit cum copiis Paulum hominem Græcum. Hic autem insigni perfidiâ se rebellibus adiunxit, Præfectos Hispaniæ Tarraconensis ad defectionem pertraxit, auxilia Francorum è vicinis locis euocauit, &, ne quid crimini deesset, capiti suo Regiam coronam imposuit. Wamba statim ac certior de illis rebus factus est, in Hispaniam Tarraconensem cum ingenti exercitu perrexit, Barcinonem & Gerundam recuperauit. Deinde Galliam ingressus; Caucoliberim, Vulturaria, castrum Lybiæ, Clausuras in faucibus Pyrenæis recepit, eâdémque diligentiâ Narbonem, Biterras, Agatham, Magalonam, perdomuit. Denique quarto Kalendas Septembres Nemausum expugnauit, ipsóque Paulo in vincula coniecto factionem omnem extinxit. *Ferebatur quorumdam opinione, Francos quantocyùs ad ereptionem capti occurrere. Sed Princeps occasionem cum Francis præliandi opperiens, nec solùm istius causa, sed & præteritas gentis suæ cupiens vindicare iniurias, sustinebat quotidie animo forti expectans illorum occursum, cum quibus decertare modis omnibus parabat. Sed cùm nullus è Francis ad bellum accederet, ipse priùs illis se occursurum deuouerat, nisi maturato sui cordis suorúmque Optimatum reuocaretur consilio, ne disrupta pactionis inter vtramque gentem promissio impetendi sanguinis esset occasio. Sed cùm contra hoc, vt dictum est, bellum conficere moliretur, iam quarta dies effluxerat, ex quo & Paulum ceperat, & aduersa gentis occursum nihilominùs sustinebat. Sed nulla hostis præsumptio, nullus euentus, nulla prorsus hostilis conuentio monstrabatur*, &c. *Religiosus Princeps eminùs à Nemauso vrbe in plana cum exercitu consistebat. Illic castra posuit, miráque celeritate mura firmissimo circumdedit. Vbi cùm aduentum hostium sustineret, subitò præcurrenti nuntio audit vnum è Ducibus Franciæ, nomine Lupum, in Beterrensi territorio hostiliter accessisse. Vnde quintâ iam postquàm Paulum ceperat die, de Nemausensi vrbe egressus, concitâ velocitate cum exercitu properans delatas inimici nisus est præuenire insidias. Sed Lupus ipse iuxta villam, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum Principis audiens, ita terrificatus aufugit, vt exercitus Duci & Dux exercitui videretur deesse*, &c. *Comperto Princeps, quòd Lupum cum ceteris inuenire non posset, placidâ progressione Narbonam contendens, vrbem victor ingreditur. Ibi disrupta quæque Narbonensis prouinciæ exesa atque depasta, quæ eidem terræ magnis febribus anhelanti deprædatione nostrorum & incursione appulsa sunt, munere placat, dispositione reformat, consiliis instruit. Statum quoque rerum mirâ pace componit. Lecta illic præsidia bellatorum dimittit, radices ab ea omnis rebellionis detersit, Iudæos abegit, clementiores vrbibus rectores instituit, per quos vtique tanti mali placaretur offensa, & constuprata tantis sordibus terra nouo iudiciorum baptismate depurgata remitteretur ad veniam*, &c. *Exhaustis deinde Princeps Galliis atque domitis, securus directo ad Hispaniam itinere commeauit, nullos post se Gallorum motus formidans, nullas etiam Francorum pertimescens insidias, certò sciens neminem esse, qui aut de suis pugnam, aut de externis gentibus patraret insidias. Tantâ enim virtute animi atque constantiâ positas circum barbarorum gentes non solùm non extimuit sed contempsit, vt etiam adhuc intra Gallias positus, in locum, qui Canaba nuncupatur, cuncto exercitui, quòd feliciter egissent *, relatione gratificâ satisfaceret, omnésque ab eo statim loco absolueret. Ipse quoque Helenam * perueniens, duorum ibi dierum immoratione detentus est. Sícque exinde profectus, secundis poti-* XXXVIII.

* *exissent.*

* *Elnam*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

tus successibus Hispaniam rediit, sedémque sui soly sexto postquàm inde commigrauerat mense repetiit. Huc vsque Iulianus Metropolites Toletanus, Auctor coætaneus, in Historia Wambæ Regis, quam Duchesnius ex veteri Codice manuscripto Cœnobij Moissiacensis publicauit [a]. Si Marianæ [b] fides est, cùm Wamba Nemausum cepit, *Chilpericum* (lege Childericum.) *Regem Francum, eo nomine secundum, nunciatum erat propediem cum copiis affore.* Iulianus suprà citatus, à quo ceteri Scriptores auctoritatem omnem mutuantur, nullam de Francorum Rege mentionem facit. *Ferebatur*, inquit, *quorumdam relatione, Francos quantocyùs ad ereptionem capti occurrere*, id est, ad ereptionem Pauli, quem Wamba victor in vincula coniecerat. Certè quæ suprà de Childerici morte commemorata sunt, ea satis supérque declarant illum hoc anno de profectione in Galliam Gothicam suscipienda haud cogitasse. Perpauci Francorum, quos inscio, vt arbitramur, Rege Paulus è vicinia contraxit, bello se Gothico implicuerunt. Wamba in concione ad milites apud eundem Iulianum contemptim de Francis ita loquitur. *Notissima eorum*, nempe Francorum, *nobis, nec incerta pugna est. Ergo turpe sit vobis eorum testudinem has acies expauescere, quorum nostis infirmiorem semper esse virtutem.* Item. *Notissimum maneat, nec Francos Gothis aliquando posse resistere, nec Gallos*, id est, incolas Galliæ Gothicæ, *sine nostris*, seu Gothis, *aliquid virtutis magnæ perficere.* Hæc autem quâ

IVLIANVS TOLETANVS REFELLITVR,

specie veri vel dici vel scribi potuerunt? Quando infirmiorem Francorum virtutem norunt Wisigothi? An anno Christi quadringentesimo octogesimo-sexto, cùm Siagrius ab Alarico Wisigothorum Rege, ad quem Tolosam vsque veloci cursu confugerat, redditus est Clodoueo Francorum Regi bellum alioquin minitanti? Fuit hoc primum Francos inter ac Wisigothos iurgium, de quo sic Gregorius Turonensis [c]. *Siagrius elisum cernens exercitum, terga vertit, & ad Alaricum Regem Tholosam cursu veloci perlabitur. Chlodouechus verò ad Alaricum mittit, vt eum redderet, alioquin nouerit sibi bellum ob eius retentionem inferri. At ille metuens ne propter eum iram Francorum incurreret (vt Gothorum pauere mos est) vinctum Legatis tradidit.* An Wisigothi virtutem Francorum infirmiorem norunt anno Christi quingentesimo septimo, cùm Clodoueus Francorum Rex commisso prope Vigennam prælio Alaricum Wisigothorum Regem interemit? Fuit hic primus Francorum congressus cum Wisigothis, de quo sic idem Auctor [d]. *Cùm secundùm consuetudinem Gothi terga vertissent, ipse Rex Chlodouechus victoriam Domino adiuuante obtinuit.* Et paulò pòst. *Rex*, nempe Clodoueus, *cùm fugatis Gothis Alaricum Regem interfecisset*, &c. An illo bello, quod Clodoueus Francorum Rex cum Alarico Wisigothorum Rege gessit, & intra biennium feliciter confecit, infirmiorem Francorum virtutem norunt Wisigothi? Fuit hoc primum Francos inter ac Wisigothos bellum, quod intra spatium temporis tam breue Francis adeò prosperè cessit, vt Wisigothis Augustam Turonorum, tres Aquitanias, Tolosam & Vcetiam per vim ademerint, adiectâque tot Ciuitatum ac Prouinciarum auctione ditiones suas à Ligeri fluuio propagarint ad Pyrenæum vsque montem, qui Galliam ab Hispania disterminat. Secundum bellum in annum Christi quingentesimum tricesimum-primum incidit. An tunc infirmiorem Francorum virtutem norunt Wisigothi? Childebertus Francorum Rex Amalaricum Wisigothorum Regem, Alarici quondam Regis filium, apud Narbonem profligauit. Hac de re sic Isidorus [e] Auctor Hispanus. *Amalaricus cùm ab Ildeberto Francorum Rege apud Narbonam prælio superatus fuisset, Barcinonam trepidus fugit, effectúsque omnium contemptibilis ab exercitu iugulatus interiit.* Post annos vndecim Childebertus & Clotarius Francorum Reges bellum gesserunt cum Theude Wisigothorum Rege quocum Suevi societatem inierunt. An infirmiorem Francorum virtutem tunc norunt Wisigothi? Francis in præmium victoriæ trans Pyrenæum montem cesserunt ambæ Vasconiæ cum Cantabria, vt ex variis Auctoribus ad annum Christi quingentesimum quadragesimum-secundum [f] probauimus. An infirmiorem Francorum virtutem nouit Sisenandus anno Christi sexcentesimo tricesi-

[a] Tom. 1. Coll. Hist. Franc.
[b] L. 6 c. 15.
[c] L. 2 c. 27.
[d] L. 2. c. 37.
[e] In Chron. Gothor. tom. 1. Biblioth. Labb.
[f] Num. 33.

tricesimo-primo, cùm Dagoberti Francorum Regis auxilio fretus Regem se
Wisigothorum dixit exauctorato Senzilane? Fredegarius in suo Chronico [a]
negotium illud ita describit. *Cùm esset Senzila nimiùm in suis iniquus, & cum
omnibus Regni sui Primatibus odium incurreret, cum consilio ceterorum Sisenandus
quidam ex Proceribus ad Dagobertum expetiit, vt ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter
Senzilanem degradaret à Regno,* &c. *Quo audito, Dagobertus exercitum in* — [a] Cap. 71.
*auxilium Sizenandi de toto Regno Burgundiæ bannire præcepit. Cúmque in Spania
deuulgatum fuisset, exercitum Francorum auxiliandum Sisenando adgredere, omnis
Gothorum exercitus se ditioni Sisenandi subegit. Habundantius & Venerandus cum
exercitu Tholosano tantùm; vsque Cæsaraugustam ciuitatem cum Sisenando accesserunt.
Ibíque omnes Gothi de Regno Spaniæ Sisenandum sublimant in Regnum. Habundantius
& Venerandus cum exercitu Tholosano muneribus honorati, reuertuntur
ad proprias sedes.* Longum esset in omnia excurrere dissidia, quæ Francos inter
ac Wisigothos intercesserunt. Summatim res agenda. Quam prouinciam,
quam ciuitatem, quem pagum in Gallia recuperarunt Wisigothi per annos
centum sexaginta-quinque, quos à bello quo Clodoueus Magnus Franciam
Hispaniæ conterminam reddidit, ad Bambæ Wisigothorum Regis profectionem
in Galliam Gothicam effluxisse constat? Bamba ne vico quidem potitus
est in Gallia, quem Antecessores Francis eripuissent. Inter alia iam dicat *nec
Francos Gothis aliquando posse resistere.* Fateatur necesse est Maiores suos vel bello
recuperatorio penitus abstinuisse, vel ne quid recuperarent à Francis strenuè
prohibitos esse. Vtrumque Wisigothis ignominiosum. Non inficiamur
Rutenam ciuitatem post Clodouei Regis mortem in potestatem Gothorum rediisse,
sed eam Theodoricus & Clotarius, eiusdem Clodouei filij, paulò pòst
recuperarunt, nec eâ recuperatione contenti Luteuam quoque suis ditionibus
adiecerunt, vt ad annum Christi quingentesimum tricesimum-tertium [b] obseruauimus. — [b] Num. 5.
Luteua, quandiu Clotarius Primus in viuis superstes mansit, Francis
paruit, sed post illius mortem recepta est à Wisigothis. Abhinc ditiones omnes,
quas Clodoueus Magnus iure belli Wisigothis eripuit, penes Francos
fuerunt. Si quid intereà contentionis inter Francos ac Wisigothos exortum est,
quæstio moueri non debet, an Franci Wisigothis sed an Wisigothi Francis
restiterint, quia bellum non à Wisigothis in Francia sed à Francis in Septimania,
siue in Gallia Gothica, gestum est. Anno Christi quingentesimo octogesimo-sexto
Guntchramnus Francorum Rex, cùm Herminichildi mortem
vlcisci vellet, in Septimaniam duos direxit exercitus, quorum vnus Nemausum
obsedit, alter Carcassonem contendit. Quamuis autem res ei non ex voto
successerit, & Wisigothi loca quædam Francorum vastauerint, Lewichildus
Rex, quoniam Francis diu resistere non poterat, pacem per Oratores postulauit.
Legati de Hispaniis, inquit Gregorius Turonensis [c], *ad Regem Guntchramnum
venerunt cum multis muneribus, pacem petentes.* Anno Christi quingentesimo-vndenonagesimo — [c] L. 6. c. 35.
Guntchramnus exercitum in Septimaniam iterum commouit [d]
eodem prorsus euentu. Nihil illis subsequentibúsve temporibus tentatum — [d] Greg. Turon. l. 9. c. 31.
à Wisigothis, vt ex ciuitatibus ac prouinciis, quas Alaricus in Gallia
quondam tenuerat, Francos expellerent. Si Bamba, cùm de Gothis locutus
est, generali Gothorum vocabulo, non Wisigothos modò quibus præerat,
sed & Ostrogothos complecti voluit, haud veriora de Ostrogothis quàm de
Wisigothis pronuntiauit, cùm inter alia, vt annotatum est suprà, dixit *nec
Francos Gothis aliquando posse resistere.* Theodoricus Regum, quibus Ostrogothi
paruerunt, potentissimus, Clodouei Francorum Regis sororius, Alarici Wisigothorum
Regis socer, priusquàm Clodoueus & Alaricus inter se confligerent,
vtrique minas intentauit, nisi conseruandæ paci studerent. *Iure patris*, ait
in literis [e] ad Clodoueum, *vobis interminor & amantis. Ille nos & amicos nostros — [e] Ap. Cassiod. l. 3. ep. 4.
patietur aduersos, qui talia monita (quod non opinamur) crediderit esse temnenda.*
Scripsit & varias epistolas [f] ad Reges Burgundionum, Herulorum, Warnorum — [f] Ap. Cassiod. l. 3. epp. 2. 3.
& Thuringorum, vt fœdus societatémque cum Alarico paciscerentur.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

Deinde datis ad Alaricum generum literis opem omnem pollicitus est, si bello lis esset dirimenda. *Commune malum*, inquit [a], *vestrum iudicamus inimicum. Nam ille me iure sustinebit aduersum, qui vobis nititur esse contrarius.* Regem Francorum à suscepto consilio nec Theodorici literæ nec minæ reuocarunt. Pugnatum in agro Pictauiensi, Alaricus à Clodoueo interemptus, à Ligeri fluuio ad Pyrenæum montem Francia feliciter dilatata. Theodatus & Vitiges Reges Ostrogothorum, cùm Francorum amicitiam ambierunt magnâ vi pecuniarum & parte Galliarum haud temnendâ, suspicatíne sunt eos Gothicæ virtuti non posse resistere? Franci deleto Burgundionum Regno ditiones suas per Gallias ad fines vsque Ostrogothorum propagarunt. Mox Theodatus Oratores misit, qui, de prædicta pactione, cum illorum Regibus, Childeberto & Clotario, Clodouei Magni filiis, & Theodoberto eiusdem Clodouei nepote, conuenirent, sed, teste Procopio [b], *vita fatum priùs impleuit, quàm pacta conuenta.* Vitiges Theodati successor, initio sui Principatûs, vt ex eodem Auctore ad annum Christi quingentesimum tricesimum-sextum narrauimus, Legatos direxit, qui Galliâ, siue illâ Galliarum parte quam Alpes inter ac Rhodanum tenebant Ostrogothi, cederent Regibus Francorum suprà nominatis, datóque auro societatem componerent. Iique Reges *traditam sibi Galliam ac pecuniam inter se pro cuiusque Regni portione diuiserunt.* Οἱ Γαλλίας τε καὶ τὰ χρήματα παραλαβόντες, διενείμαντο μὲν κατὰ λόγον τῆς ἑκάστου ἀρχῆς. Quid dicam de Vitigis successoribus? Quid de Ildibado & Erarico, quorum nomina vix nota? Quid de Totila déque Teia Regum omnium postremo? Regnauit Totilas ab anno belli Gothici septimo ad annum eiusdem belli duodeuicesimum, vt Procopius [c] testatur, id est, ab anno Christi quingentesimo quadragesimo-primo ad annum vsque Christi quingentesimum quinquagesimum-secundum. Illis temporibus vires Francorum Ostrogothicis longè præualebant. Extra Italiam nihil possidebat Totilas, Italiam ipsam cum illo ac Iustiniano Augusto partiti sunt Theodobertus Rex Francorum eiúsque filius ac successor Theodobaldus. Anno belli Gothici decimo-quarto, siue anno Christi quingentesimo duodequinquagesimo, quo Theodobertus Francorum Rex interiit, is erat Italiæ status, vt ex hoc Procopij [d] textu liquet. *Franci maximam agri Veneti partem occuparunt nullo negotio, cùm nec Romani illos arcere, nec Gotthi vtrisque arma inferre possent.* Φράγγοι Βενετίων τὰ πλεῖστα σφίσι προσποιησάμενοι οὐδενὶ πόνῳ. οὔτε Ῥωμαίων δυναμένων ἔτι ἀμύνεσθαι, οὔτε Γότθων οἵων τε ὄντων τὸν πόλεμον πρὸς ἑκατέρους διενεγκεῖν. Necnon ex isto [e]. *Venetorum pauca oppida Gotthis supererant, nam Romani maritima, Franci cetera occuparant.* Γότθοις μὲν πολίσματα ὀλίγα ἐν Βενετίαις διέμεινε, τά τε γὰρ ἐπιθαλασσίδια χωρία Ῥωμαῖοι, τὰ δὲ ἄλλα ὑποχείρια σφίσιν ἅπαντα πεποίηνται Φράγγοι. Ditiones, quas Theodobertus Francorum Rex in Italia bello sibi comparauit, distinctiùs enumerat idem Auctor [f], Λιγουρίας τε χωρία ἄττα, καὶ Ἄλπεις Κουτίας, καὶ Βενετιῶν τὰ πολλὰ, *nonnulla Liguriæ loca, Alpes Cottias, agríque Veneti partem maximam.* Venerat in contemptum apud eundem Theodobertum Totilas, quia Romam captam retinere nesciuerat. Quamobrem cùm Theodoberti filiam in vxorem per Oratores petiisset, repulsam passus est, Theodoberto negante Regem Italiæ illum esse vel futurum vnquam, qui, parte Romæ dirutâ, illam iterum hostium potestati permisisset. Lege Procopium [g]. Hic Auctor reticet quidem nomen Regis, cuius filiam Totilas in matrimonium postulauit, sed eum fuisse Theodobertum non inani coniecturâ freti iam asseruimus Tomo primo [h]. Conuenerant Theodobertus & Totilas, *vt Franci & Gotthi quæ haberent, his quietè potirentur, nec se inuicem armis lacesserent, quamdiu Romanis Gotthi bellum inferrent; ac si bello vinceret Iustinianum Augustum Totilas, tum Gotthi & Franci transigerent, prout è re esse communi videretur,* ὅπῃ ἂν ξυνοίσειν ἑκατέροις δοκῇ.

[a] Ap. Cassiod. l. 3. ep. 1.
[b] l. 1. de bello Goth. c. 13.
[c] L. 3. c. 2. L. 4. c. 32.
[d] L. 3. c. 33.
[e] L. 4. c. 24.
[f] Ibid.
[g] L. 3. c. 37.
[h] Ad an. 548. n. 11.

Postquàm autem in Regnum Theodoberto patri Theodobaldus successit, Iustinianus Imperator ab eo per Oratorem petiit, vt arma secum aduersùs Totilam iungeret, & locis, quæ Theodobertus occuparat in Italia, cederet. Theodobaldus ea loca non Romanis erepta, sed à Totila, qui iam illa obtinuerat, palàm tradita respondit. Hæc quoque leguntur apud Procopium [a], nec probant virtutem Francorum infirmiorem esse Gothicâ. Teias, vbi Totilæ successit, *Francos ad belli societatem pellicere statuit* [b]. Φράγγους ἐς ξυμμαχίαν ἐπαγαγέσθαι διενοεῖτο. Rationem reddit Procopius [c]. *Teias Gotthos infirmiores indicans, quàm vt soli pugnare possent cum Romano exercitu, Legatione missâ ad Francorum Regem Theodebaldum, ad belli societatem ingentis pecuniæ pollicitationibus eum inuitauit.* Τείας δὲ (οὐ γὰρ ἀξιομάχους τῷ Ῥωμαίων στρατῷ Γότθους καταμόνας ᾤετο εἶναι) παρὰ Θευδίβαλδον τὸν Φράγγων ἄρχοντα ἔπεμψε, χρήματα πολλὰ προτεινόμενος ἐπί τε ξυμμαχίαν παρεκάλει. Quid secutum sit, idem Auctor haud obscurè indicat hac proximâ periodo. *Franci, suis, opinor, rationibus seruientes, nec Gotthica nec Romana rei causâ volebant vitam profundere, sed Italiam sibi subdere, eiúsque rei gratiâ bellum gerere cupiebant nullâ impliciti societate.* Φράγγοι (τὰ ξύμφορα οἶμαι, βεβουλευμένοι) οὔτε ὑπὲρ τῆς Γότθων, οὔτε ὑπὲρ τῆς τῶν Ῥωμαίων ὠφελείας ἐβούλοντο θνήσκειν, ἀλλὰ σφίσιν αὐτοῖς προσποιεῖσθαι Ἰταλίαν ἐν σπουδῇ εἶχον, καὶ τούτου δὴ ἕνεκα τοὺς ἐν πολέμῳ κινδύνους ὑφίστασθαι μόνοι. Sic se Franci gesserunt à die quo Gothos sibi finitimos nacti sunt, ad tempus vsque, quo Rex Wamba Wisigothis præfuit. Iudicet iam Lector, vtrùm idem Wamba vera loquatur apud Iulianum, cùm ait virtutem Francorum infirmiorem esse Gothicâ, Francósque Gothis resistere non posse. Fuerunt ante Wambam Gothi re bellicâ percelebres; antiquissimas sedes habuerunt in Scandinauia, quæ Sueciam, Gothiam ac Noruegiam, Regiis titulis insignitas hodie complectitur; effusi sunt primùm per Germaniam; deinde in Orientales & Occidentales, siue in Ostrogothos & Wisigothos diuisi, Asiam Europámque populabundi peragrarunt; Italiam ipsámque Romam sub iugum non semel miserunt; Hispaniam perdomuerunt cum magna Galliarum parte. Victoriarum limes fuit Ligeris fluuius, qui sicut Celtas ab Aquitanis olim diuisit, ita temporibus Clodouei Magni Francos à Gothis disterminauit. Francis gloriæ plurimùm cedit, quòd statim ac Gothis contermini cœperunt esse, gentem hactenus imperterritam atque insuperabilem non terruerunt modò, sed etiam profligarunt. Quicquid scribat Iulianus, Wamba cùm sciret valdè sibi timendum, si bello Francos adoriretur, quosdam eorum Paulo auxiliatos esse prudenter dissimulauit. Id certè non obscurè colligitur ex hoc ipso Iuliani textu. *Cùm nullus è Francis ad bellandum accederet, ipse* (Wamba) *prius illis se occursurum deuouerat, nisi maturato sui cordis suorúmque Optimatum reuocaretur consilio, ne disrupta pactionis inter vtramque gentem promissio impetendi sanguinis esset occasio.* Quem Iuliani textum clariùs ita reddidit Mariana [d]. *Chilpericum* (repone Childericum) *Regem Francum, eo nomine secundum, nuntiatum erat propediem cum copiis affore.* Wamba *eius aduentum in castris cùm quatuor dies frustrà expectasset, satis se ad victoriæ fructum & ad nominis existimationem tuendam tantis rebus confectis profecisse indicans, & ● vltrà lacessendo Francos, fœdus, quod inter vtramque gentem diu steterat, violasse prior videretur, Gallia rebus compositis in Hispaniam redire parat.* Wambæ terrorem adaugere potuit ipsemet cadauerum conspectus, quæ minas adhuc ac furorem spirare videbantur. Iulianus in descriptione Nemausi tunc expugnatæ sic scribit. *Per vias vrbis iacere hominum cadauera cerneres, minaci quodam vultu, & ferocitate quadam immani, tanquam adhuc in ipsa bellorum acie positi essent.* Hæc autem intelligenda sunt de Francis, qui perierunt in illa expugnatione. Francos enim Sidonius Apollinaris [e] in Carmine ad Maiorianum Augustum eodem prorsus modo sic commendat.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

[a] L. 4. c. 24.
[b] Procop. l. 4. c. 33.
[c] L. 4. c. 34.
[d] L. 6. c. 13.
[e] Carm. 5.

AN. CH. 673.

——— Mors obruit illos,
Non timor; inuicti perstant, animóque supersunt
Iam propè post animam.

CHILDERICI II. R. 14 XXXIX. CVM RODERICO TOLETANO.

Rodericus *Ximenez* Archiepiscopus Toletanus Iuliano longè recentior floruit seculo decimo-tertio, scripsítque libros nouem de rebus Hispaniæ. Iuliani textum, in quem inquisiuimus, sic expressit. *Etsi enim de Francorum viribus Paulus præsumat, claret clarè, quòd sæpè Franci inuasi ab hostibus, Gotthorum auxilia implorarunt, & eorum beneficiis sunt erepti. Si quando & prælium intercessit, semper Gotthi superiores Gallicis sunt inuenti.* Imò Francorum auxilia Gothi sæpè popoſcerunt, prout ostensum suprà; Franci autem, vt hostem à suis finibus expellerent, auxilia Gothorum nunquam postularunt. Clodoueus Magnus cum Theodorico Ostrogothorum Rege fœdus aduersus Burgundiones aliquando percussit. Quàm indecorè se gesserit Ostrogothus, accipe à Procopio [a], licèt hic Auctor erga Francos seu Germanos parum æquus videatur. *Francos inter & Gothos coitur societas in Burgundionum perniciem, pactóque conuenit, vt gentem debellent, & ditionis illius terras obtineant, qui vicerint à sociis non adiuti, vbi mulcta nomine certam auri summam ab illis acceperint, participes eos faciant bello capta regionis. Igitur ex constituto Germani,* id est, Franci, *cum magno exercitu Burgundiones petunt; dum Theodericus, qui se in speciem ad expeditionem parauerat, copiarum profectionem differt, consultò procrastinans, exitúmque expectans. Vix tandem emisso exercitu, Ducibus mandat, vti lentiùs iter habeant, ac si Francos victos audierint, ne porrò ire pergant; sin fortè victoriam cessisse illis acceperint, deinceps properent. Hæc Theoderici mandata accurantibus Ducibus, Germani soli cum Burgundionibus manus conserunt. Inito acerrimè prælio, ceciderunt vtrinque plurimi. Etenim diu dubio Marte pugnatum est: at dein Franci, verso in fugam hoste, & ad vltimas quam incolebat propulso oras, vbi multas habebat munitiones, reliqua occuparunt. Accepto rei nuntio, affuere confestim Gotthi, increpitíque à sociis, viæ difficultatem causati sunt. Tum mulctâ repræsentatâ, regionem, vbi conuenerat, cum victoribus diuiserunt.* Φράγγοις τε καὶ Γότθοις ξυμμαχία τε καὶ ξυνθήκη ἐπὶ κακῷ τῷ Βουργουζιώνων ἐγένοντο. ἐφ' ᾧ καταστρέψονται τὸ γένος, καὶ χώραν ἣν ἔχουσι προσκτήσονται. ποινὴν οἱ νενικηκότες πρὸς τῶν μὴ ξυστρατευσαμένων ῥητόν τι χρυσίον κομίζονται. κοινὴν δὲ καὶ οὕτω χώραν τὴν δορυάλωτον ἀμφοτέρων εἶναι. οἱ μὲν οὖν Γερμανοὶ πολλῷ στρατῷ ἐπὶ Βουργουζίωνας κατὰ τὰ σφίσι ξυγκείμενα ἦκον. Θευδέριχος δὲ παρεσκευάζετο μὲν δῆθεν τῷ λόγῳ. ἐξεπίτηδες δ' ἀεὶ ἐς τὴν ὑστεραίαν τῆς στρατιᾶς τὴν ἔξοδον ἀπετίθετο, καραδοκῶν τὰ ἐσόμενα. μόλις δὲ πέμψας ἐπέστελλε τοῖς τοῦ στρατοῦ ἄρχουσι σχολαίτερον τὴν πορείαν ποιεῖσθαι, καὶ ἢν μὲν Φράγγους νενικημένους ἀκούσωσι, μηκέτι προτέρω πορεύεσθαι. ἢν δέ τι νίκης αὐτοῖς ξύμβαμα πύθωνται, τὸ λοιπὸν κατὰ τάχος ἰέναι. καὶ οἱ μὲν ἐποίουν ὅσα Θευδέριχος σφίσιν ἐπήγγελλε. Γερμανοὶ δὲ κατὰ μόνας Βουργουζίωσιν ἐς χεῖρας ἦλθον. μάχης τε καρτερᾶς γενομένης, φόνος μὲν ἑκατέρων πολὺς γίνεται. ἦν γὰρ ἀγχώμαλος ἐπὶ πλεῖστον ἡ ξυμβολή. ἔπειτα δὲ Φράγγοι τρεψάμενοι τοὺς πολεμίους, ἐς τὰ ἔσχατα χώρας, ἧς τότε ᾤκουν, ἐξήλασαν, ἔνθα σφίσι τότε πολλὰ ὀχυρώματα ἦν, αὐτοὶ δὲ τῆς λοιπῆς ξυμπάσης ἔσχον. ἅπερ Γότθοι ἀκούσαντες, κατὰ τάχος παρῆσαν. κακιζόμενοί τε πρὸς τῶν ξυμμάχων διὰ τὴν χώρας δύσοδον ᾐτιῶντο. καὶ τὴν ποινὴν καταθέμενοι, τῆς χώρας, καθάπερ ξυνέκειτο, ξὺν τοῖς νενικηκόσιν ἐνείμαντο. O egregium auxiliatorem! *Copiarum profectionem differt consultò procrastinans exitúmque expectans. Vix tandem emisso exercitu, Ducibus mandat, vti lentiùs iter habeant, ac si Francos victos audierint, ne porrò ire pergant: sin fortè victoriam cessisse illis acceperint, deinceps properent.* Apud Rodericum Toletanum in textu suprà descripto, si Gallicorum nomine Franci designantur, asseritur falsò quòd *si quando & prælium intercessit,*

[a] L. 1. de bello Goth. c. 12.

ſemper Gotthi ſuperiores Gallicis ſunt inuenti. Gallos ſeu veteres Galliarum incolas Franci Gothique per Gallias effuſi ſubegerunt. Vtriſque limes aliquando Ligeris. Ad dexteram illius amnis ripam regnabat Clodoueus Rex Francorum, ad ſiniſtram Rex Wiſigothorum Alaricus. Orta poſtmodum inter Reges diſcordia. Clodoueus cum exercitu fluuium traiecit; Alaricum in agro Pictauienſi debellauit interemítque; tres Aquitanias, Turonos, Toloſam & Vcetiam, eo bello ſibi comparauit. Childebertus Clodouei filius Amalaricum Alarici filium apud Narbonem vicit in ea Galliarum parte, quæ penes Wiſigothos ex pacis priùs initæ conditionibus remanſerat. Statuta hæc inter vtramque gentem pacificatio, cùm Amalaricus ſororem Childeberti, quem Procopius [a] malè Theodobertum appellat, in vxorem duxit, *Germanorum*, id eſt, Francorum *potentiam reformidans*, δύναμιν τὴν Γερμανῶν κατοῤῥωδήσας. Idem Auctor [b] facinore Theodorici Regis Oſtrogothorum, quod nuperrimè deſcripſimus, enarrato, Regem illum ob eiuſmodi cunctationem ac fraudulentiam prudentiſſimum prædicat, *qui ſubditorum amiſſo nemine, dimidiam terra hoſtilis partem auro modico ſibi parauit.* ὅς γε οὐδένα τῶν ὑπηκόων ἀποβαλὼν, ὀλίγῳ χρυσῷ τὴν ἡμίσειαν τῶν πολεμίων ἐκτήσατο χώραν. Franci præter Theodorici ſpem victoriam ſoli reportarunt, eos enim nec potentiâ creſcere, nec Oſtrogothis in Gallia collimitari cupiebat. Extincto Burgundionum Regno ditiones Francorum auctæ plurimùm, factæque Oſtrogothicis conterminæ. Quid ſecurum ſit expoſuimus ſuprà. Oſtrogothi partem Galliarum, quam cis Alpes obtinebant, Francis, vt eos amicitiâ ſibi deuincirent, ſpontaneâ ceſſione tradiderunt, bellóque deinceps per Italiam aduersùs Iuſtinianum Auguſtum implicati ſunt adeò difficili, vt priùs defecerint, quàm recuperandæ Galliæ potuerint animum applicare. Wiſigothi diutiùs in Galliis regnarunt, partem enim Galliarum, quæ Gothica cognominabatur, in ſua tenebant adhuc poteſtate, cùm Regias Infulas Bambæ detulerunt. Galliæ Gothicæ tunc limes idem, qui victoriis Clodouei Magni poſt Alarici cædem fuit. Ab illa ſententia recedit Rodericus Toletanus, perperam enim ſcribit duas in Aquitania ciuitates, Rutenam ſcilicet & Albigenſem Bambæ Regi paruiſſe adſcriptaſque fuiſſe Galliæ Gothicæ. Nihil autem horum legitur apud Iulianum, & Wamba in enumeratione ciuitatum, quæ Galliam Gothicam componebant ac Metropoli Narbonenſi ſubiiciebantur, nec Rutenam nec Albigenſem nominauit. Rodericus, vbi Bambæ profectionem in Galliam deſcribit, ſic ait [c]. *Rex Bamba & ſuus exercitus ad Galliam proceſſerunt, & diuiſit exercitum in tres manus: vnam partem versùs Ruthenum & Albam Aquitaniæ ciuitates, cui præfecit Deſiderium nepotem ſuum, qui tunc temporis in Narbonenſi habebatur: aliam partem versùs Auſonam contra eos qui fauentes Paulo in Celtiberia rebellarant: tertiam verò per viam Toleta versùs Narbonam, Biterram & Agatham, deſtinauit. Rex autem cum potiori multitudine eam manum, quæ per Auſonam iuerat, ſequebatur.* Deinde confecto bello ſermonem de Bambæ reditu in Hiſpaniam ſic auſpicatur [d]. *Fugato Lupo Duce, Princeps victor felici regreſſu Narbonam peruenit, & diſponens de prouincia Narbonenſi, & de Ruteno & Alba ciuitatibus, quæ tunc ad eam prouinciam * pertinebant, præcepit diruta reſtaurari, & eos qui ob metum diſſidij fugerant reuocari, & conſuetudines indebitas in melius immutari,* &c. Iulianus, à quo Rodericus omnem auctoritatem hoc loco mutuatur, de tripertito Bambæ exercitu ſic diſſerit. *Wamba electis Ducibus, in tres turmas exercitum diuidit, itaut vna pars ad caſtrum Libya, quod eſt Cirritaniæ caput, pertenderet; ſecunda per Auſonenſem ciuitatem Pyrenæi mèdia peteret; tertia pars per viam publicam iuxta ora maritima graderetur. Ipſe tamen religioſus Princeps cum multiplici bellantium manu præcedentes ſubſequebatur.* Poſteà de Wambæ ingreſſu in ciuitatem Narbonenſem ſic loquitur. *Comperto Princeps quòd Lupum cum ceteris inuenire non poſſet, placidâ progreſſione Narbonam contendens, urbem victor ingreditur. Ibi diſrupta quaque Narbonenſis prouincia exeſa atque depaſta, qua ei-*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

[a] L. 1. de bello Goth. c. 13.

[b] L. 1. c. 12.

[c] L. 3. c. 4.

[d] L. 3. c. 12.

* ciuitatem

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

dem terræ magnis febribus anhelanti depradatione nostrorum & incursione appulsa sunt, munere placat, dispositione reformat, consiliis instruit. Statum quoque rerum mirâ pace componit. Nulla vtrobique mentio Ruteni & Albæ. In Episcopatuum diuisione, quæ facta est regnante Wambá, Narbonæ Metropoli septem hæ Sedes subiacent, *Beterris, Agatha, Magalona, Nemausa, Luteba, Carcasona, Elna.* De tempore, quo facta fuit huiuscemodi diuisio, disputabimus alibi. Reiicienda certè post hunc annum, à Christo nato sexcentesimum septuagesimum-tertium, quo Wamba de Paulo perduellionis reo triumphauit. Hadrianus Valesius [a] meritò notauit Historiam de expeditione & victoria, quâ Wamba rebellantem contra se Galliæ Gothicæ prouinciam perdomuit, à Iuliano *non sine iactantia Hispanica* conscriptam fuisse. Id multa declarant quæ suprà de Gothis commemorauimus, necnon ista quæ de Francicarum vrbium trepidatione conficta sunt hyperbolicè, quasi audito Wambæ in Galliam Gothicam aduentu, *Franciæ munitißimæ vrbes iam vltimum sui, vt ferebatur, excidium deplorarent, & ciues quique oatum, ne à nostris præuenirentur, relictis vrbibus longè latéque incertis sedibus vagarentur, latebrosis scilicet vitam compendiis munientes.* Idem Valesius Rodericum, quòd Galliæ Gothicæ Rutenum * & Albam * siue Albigam accenseat, irridet omnino, causámque erroris in textum Iuliani malè intellectum refundit. Apud Iulianum Wamba *in tres partes exercitum diuidit*, itaut vna pars *ad castrum Libyæ, quod est Cirritaniæ caput*, pertendat. Apud Rodericum [b] Bamba diuidit exercitum *in tres manus, vnam partem versùs Ruthenum & Albam Aquitaniæ ciuitates destinat.* Valesius *ex Libya Albam, ex Cerretanis* seu Cirritanis *Rutenos* à Roderico factos suspicatur. Hanc coniecturam minùs probamus, quia Rodericus paulò pòst de castro Libyæ loquitur, illúdque dicit caput esse Ceretaniæ, quæ procul à Rutenis & ab Albiga disiungitur. *Cùm ad castrum Libyæ*, inquit [c], *quod est caput Ceretaniæ*, Rex Bamba *peruenisset, Hyacinthus Episcopus Helenensis*, &c. Anno Christi quingentesimo septimo *Chlodouechus* post pugnam Vocladensem *filium suum Theodoricum per Albigensem ac Rutenam ciuitatem ad Aruernus dirigit. Qui abiens, vrbes illas à finibus Gothorum vsque Burgundionum terminum, patris sui ditionibus subiugauit.* Verba sunt Gregorij [d] Turonensis. Post Clodouei seu Chlodouechi mortem, quam anno Christi quingentesimo vndecimo consignauimus, vrbs primaria Rutenorum à Wisigothis recuperata est. Secutum inde Quintiani Præsulis Rutenensis exilium, datáque occasio erigendæ Sedis Episcopalis apud Arisdium in ea pagi Rutenici parte, quæ Francis parebat. Rutenâ ciuitate Wisigothi per aliquot annos potiti sunt; eâ potiebantur adhuc anno Christi quingentesimo vicesimo-quarto, Dalmatius enim in Episcopum Rutenensem tunc ordinatus est à Narbonensi Metropolita. Franci ciuitatem illam anno Christi 533. receperunt, & anno Christi 535. Concilium Aruernense I. suâ subscriptione communiuit idem *Dalmatius in Deo Episcopus Ecclesiæ Rutenensis*. Deinceps Ruteni, vt Albiga, in potestate Francorum permanserunt. Ad annum, quo Bamba Wisigothorum Rex Paulum in Gallia Gothica tumultuantem deuicit, mancus est Antistitum Rutenensium catalogus. Illis autem diebus in Albigensi Cathedra sedebat Ricardus Episcopus. In Chronico enim Episcoporum Albigensium & Abbatum Castrensium hæc leguntur [e]. *Anno sexcentesimo septuagesimo-tertio Ricardus episcopabat, Faustinus abbatiabat.* De Ricardo Albigensi Episcopo nihil aliud inuenimus. Faustinus à nobis ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-septimum [f] iam laudatus est; vir fuit bello strenuus & opibus prædiues; in Castrensi Cœnobio Monachum induit; Ecclesiam sancti Benedicti, de qua fusiorem sermonem anno sequenti faciemus, à fundamentis magno sumptu ædificauit; & Roberto, qui primus Abbas Monasterij fuit, in regimen Asceterij successit. Hæc omnia Vates his versibus complexus est [g].

Diuitiis pollens multis Faustinus & altâ
Militiâ, Albiga gloria lúusque fuit.

[a] Lib. 21.
* Rhodez.
* Alby.
[b] Lib. 3. c. 4.
[c] Lib. 3. c. 5.
[d] Lib. 2. c. 37.
[e] Ap. Dacher. Tom. 7. Spicileg.
RICARDVS EP. ALBIGENS.
[f] Num. 13.
[g] Tom. 7. Spicileg.
GESTA FAVSTINI ABBATIS CASTRENSIS.

Corde retractato meditans ventura, caducas
Spreuit diuitias, tactus amore poli.
Fit Monachus, struxit Templum Benedicti in honorem,
Et baculo Abbatis rexit ouile Dei.

XL. NIVARDVS EP. REMENSIS OBIT.

Inter cisrhenanas vrbes Austrasiæ, quas Ebroinus ad suas partes post mortem Childerici Regis pertraxit, locum tenuit Metropolis Remensis, vt constat ex Gestis Sancti Reoli, qui Sancto Niuardo in Episcopatum Remensem videtur hoc anno successisse. Niuardus enim literis Abbatis Bercharij subscripsit anno priori, tertio Kalendas Septembris, & Reolus decimo-quinto Kalendas Maias, anno secundo Theodorici Regis, id est, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto suâ subscriptione Testamentum Sancti Amandi communiuit. De morte & sepultura Sancti Niuardi sic loquitur Flodoardus [a] in Historia Remensi. *Post hæc in Ecclesiola Sanctæ Mariæ, quam in eodem Monasterio* Altiuillarensi *construxerat, obiisse fertur, & ad Ecclesiam Sancti Remigij Remis deportatus ibidem sepultus est*. Colitur Sanctus Niuardus Kalendis [b] Septembris. Ei subrogatus est Reolus ex Monacho Altiuillarensi. Qualis ante susceptum Episcopatum vixerit Reolus, habes apud Flodoardum [c] in elogio Sancti Niuardi, cuius nepte in vxorem ductâ Reolus duas proles suscepit, Gedeonem qui Monachum induit apud Altum Villare, & Odilam, quæ monasticam vitam in Suessionensi Monasterio duxit. Res autem ab eodem Reolo in Episcopatu gestas sic orditur Flodoardus [d]. *Post Sanctum Niuardum præfatus Domnus Reolus Episcopium hoc est adeptus, quod tam hæreditariis quàm emptitiis inuenitur auxisse rebus. Qui ex præceptis Domni Niuardi causas apud regiam Maiestatem pro rebus Ecclesiasticis vel colonorum legibus egisse ac euicisse reperitur. Ipse verò beatus Reolus in Episcopatu iam positus magnam habuit intentionem, pro rebus præmissi S. Niuardi Episcopi, cum Gundeberto Regis Optimate, ipsius Domni Niuardi fratre germano; dicente Gundeberto, quod villæ germani sui Ninonis Episcopi tam de paterna quàm de materna hereditate, quas Nino moriens dereliquerat, ipsi iure legitimo deberentur. At contra Domnus Reolus vel Agentes sui dicebant quòd Domnus Niuardus omnem rem suam pro animæ suæ remedio ad loca Sanctorum per sua instrumenta contulisset. Scilicet ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ & Sancti Remigij, atque ad Monasterium Altiuillare, necnon & Viriziacum vbi Domnus Basolus in corpore requiescit, quæ Monasteria ipse Domnus Nino suo construxerat vel restruxerat opere. Item Remis in Monasterio puellarum, vbi Boba præesse videbatur Abbatissa. Item Sanctis Rufino & Valerio, vel per reliqua loca Sanctorum. Sed dum inter vtramque partem hæc intentio verteretur, mediantibus pacificis tandem personis, eo tenore ad pacem concordiæ redierunt, vt Gundebertus ea, quæ vltra Ligerim fuerant Emmæ genitricis ipsorum, absque repetitione Reoli Episcopi vel Agentium suorum in sua reciperet potestate. Reliqua verò, quæcunque bonæ memoriæ Domnus Nino ad loca Sanctorum per sua instrumenta delegauit, ad integrum ea Sanctorum loca perpetualiter absque repetitione Gundeberti vel hæredum suorum cum Dei adiutorio possiderent. Vnde conuentiale quoque scriptum digestum apud nos adhuc reseruatur, vtriusque partis assignatione roboratum.* De Gundeberto seu Guntberto Sancti Niuardi fratre, vt & de Boba seu Boua Remensi Abbatissa Sancti Balderici sorore iam locuti sumus. Boua Remis Monasterio puellarum sub nuncupatione Sancti Petri constructo præfuit. Ad Deum migrauit sedente Remis Reolo Episcopo. Successit in administrationem Cœnobij Doda, quæ præceptum pro eodem Monasterio à Pippino Principe *postmodum* obtinuit. De vtraque sic Flodoardus [e] in Historia Remensi. *Doda desponsata fuisse fertur cuidam Magnati Regis Sigeberti*, id est, Sigeberti Tertij, cuius obitum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quarto consignauimus. *Dodam præfata ipsius amita Boua instituens ad seruiendum Deo, seruandámque perpetuò virginitatem, ab amore terreni auertit sponsi. Qui cùm sibi aduersaretur, sponsam nitens tandem corripere ascenso equo, dum id conatur quoquo modo adimplere, furente lapsus ab equo fractis ceruicibus traditur interisse. Beata denique Doda in castitatis proposito permanens amitæ suæ in eiusdem successit Monas-*

SVCCEDIT REOLVS.

LITE CONTENDIT CVM GVNDEBERTO, PRO REBVS LEGATIS ECCLESIÆ.

BOVA ET DODA ABBATISSÆ REMENSES.

[a] Lib. 2. c. 7.
[b] Molan. in addit. ad Vsuard. Martyr. Gallic.
[c] Lib. 2. c. [illegible].
[d] Lib. 2. c. 10.
[e] Lib. 4. c. 38.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

terij regimine. Quæ praeceptum quoque immunitatis, quod adhuc apud nos habetur, à Principe Pippino, vt infrà dicemus, *eidem postmodum obtinuit fieri Cœnobio.*

DVO MONASTERIA S. PETRI REMIS.

Præter Monasterium illud puellare sancti Petri, fuit & alterum Remis sub eodem titulo, cuius conditor Gundebertus seu Guntbertus Niuardi Episcopi frater suprà nominatus. Hic enim tria construxit Cœnobia, duo puellarum, vnum Remis, alterum Auennaci, tertium virorum in Insula Oceani. De puellaribus, quia sub Niuardi Pontificatu condita sunt, egimus ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-secundum [a]. De tertio, quod recentiùs erectum est, cùm Reolus Episcopatum Remensem gerebat, ita Flodoardus [b]. *Domnus Guntbertus relictâ coniuge, maritima petens loca, illic etiam Monasterium quoddam condidisse fertur. Vbi & à barbaris decollatus fuisse traditur.* In vita sancti Gundeberti seu Guntberti, quam Renatus Benedictus Theologus Parisiensis ex Legendatiis Ecclesiæ Remensis à Petro *Vieil* epitomatis publicauit, citauitque Coluenerius in notis ad Flodoardum [c], Monasterium, vbi sanctus Guntbertus occubuit, in Insula Oceani prope Scotiam collocatur. Abeunte Guntberto, Berta eius vxor secessit in Monasterium Auennacum, vbi primùm Monialis fuit, deinde Abbatissa. *Dum inibi aquam non haberet*, inquit Flodoardus [d], *impetrauit à possessoribus proxima syluæ, argenti librâ datâ, fontem quendam, duobus ferè millibus à suo Monasterio distantem. Ex quo fonte mox riuus egressus secutus est eam ad Cœnobium remeantem, qui adhuc largiter effluens pro eo quòd tantumdem fuerit emptus, Libra * vocitatur.* Guntberto superstes vixit Berta, cuius Martyrium mox idem Auctor sic subiungit. *Priuigni denique ipsius Domna Berta insurgentes contra eam, illam interemerunt. Qui statim traditi Satanæ in interitum carnis, ab humano sensu in belluinam feritatem mutati decessisse feruntur. Nepti verò Domni Guntberti, nomine Monna, quæ sceleris huius consentanea fuerat, noctu vigilanti Domna Berta fertur apparuisse, eique præcepisse, vt corpus Domni Guntberti ad hunc locum referre satageret, ac iuxta suum funus collocaret, sicque illi peccatum consciæ necis suæ Dominus indulgeret. Quæ signum petens, quo sibi dimissum id esse sciret, audiuit quòd mox vt iussa complesset ex eius ore vel naribus erumperet sanguis. Quod & impletum est, dum corpus Domni Guntberti iuxta pignus beatæ Bertæ reconditur.* Coluntur in Tabulis Benedictinis sanctus Guntbertus tertio Kalendas Maij, sancta Berta iisdem Kalendis.

MARTYRIVM S. GVNDEBERTI, ET SANCTÆ BERTÆ.

[a] Num. 10.
[b] l. 4. c. 47.
[c] Ad lib. 4. capp. 46. 47.
[d] L. 4. c. 47.
* La Liure.

XLI.

BERTVLPHVS MVNIFICVS ERGA PAVPERES.

Malbrancus [e] eodem anno, quo Childericus Rex obiit, Bertulphi, qui Wamberto Comiti in Diœcesi Taruannensi famulabatur, virtutem miraculo comprobatam sic asserit, prolixiore vitâ, quam Surius & Bollandus ediderunt [f], in epitomen elegantiùs redactâ. *Effecerunt tanti famuli*, nempe Bertulphi, *probitas & assidua circa rem familiarem solicitudo, vt Comites*, id est, Wambertus eiúsque coniux Homburga, de quibus ad annum Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum iam locuti sumus, *omnium, quæ sui iuris erant, administrationem ei soli crederent, & ipsi in posterum rerum suarum securi sub tam fidi œconomi custodia, diuinis studebant continentiùs atque attentiùs. Nec spem domini fefellit, cuius creditum sibi peculium sic accurabat, vt in dies augesceret magis, etsi clandestinis eleemosynis complures egenorum domos sustentaret, quippe Deum votis & quotidianis precibus interpellabat, quò per profusissimam in pauperes beneficentiam, rem hero suo fœneraretur & gratiam. Inuidit dæmon inusitatam aduenæ famulo charitatem. Eam per sua nequitiæ satellites conuititur si non labefactare, eum saltem à secretioribus largitionibus auocare. Siquidem vicini iam dudum inuidentiæ virus expuere cupientes, adeunt Wambertum; attendat, quàm multa per aduenam illum alienarum facultatum prodigum sensim distrahantur, quid expenderit ab admissionis suæ tempore ad calculos fidos reuocet. Wambertus, etsi de tam candido integróque famulo ne leuem quidem suspicionis auram posset concipere, obtrectatorum obsecundat consilio, & comperit nouam opum in dies fieri præter solitum accessionem. Nihilominùs tenebriones illi conuitiorum suorum serram per eandem lineam iterare, vt opus fuerit criminantium ora aduersùs insontem miraculo oppilari. Sub vesperam exit Bertulphus in circumcincta veste panem gerens & cæseum, manu testaceo in vase vinum*

[e] L. 4. cc. 7. 8.
[f] D. 5. Febr.

num defert, egenis pro more subuenturus. Verùm in excubiis sunt delatores, qui homine intercepto opportunissimam nacti occasionem, Wambertum pro foribus stantem conueniunt. En, inclamant, in promptu est nostræ delationis argumentum; si hactenus auritis, iam oculatis testibus fidem habe. Princeps, pro benigna sua indole, accito ad se remotis arbitris Bertulpho, rogat sibi dubitationem, re ipsâ patefactâ, eximi. Expromit igitur in luce omnium atque oculis, quæ ita studiosè prius occuluerat, & ecce, mutatâ rerum naturâ, nil nisi aqua, nil nisi assula paruerunt. Sic bellè retexta accusatorum tela in ludibrium abiit, & serui fides magis corroborata. Non tamen hocce famulitium velim imitationi subiicere, admirationi potiùs, quippe non omnibus datum rem heri sui largiùs expendendo ampliare: illa enim, quæ erogabat, & suâ industriâ & tenui victu ac præsertim Dei virtute, propria quodammodò fecerat. Vnde postmodum ipsimet Comites eius rei conscij, & posteri etiam Renticenses nullum videntur maioris sanctimoniæ argumentum deprehendisse, cùm in templis suis eum habitu fictili, grandi marsupio accinctum depinxerint. In Ecclesia sancti Vedasti, quam velut parœcialem populus Renticensis frequentare solet, Bertulphus, teste Ferreolo Loctio [a], *stat sublimi in pegmate, manu sinistrâ librum gestante, dexterâ ad crumenam zonæ appensam admotâ largâsque eleemosynas egenis distribuente; caput aquila expansis alis tegit, indicio, quòd eum aliquando, quùm scilicet nondum Monachum induisset, ac Domini sui pasceret gregem, ab ingruente & sæuiente aeris inclementia reddiderit incolumem*, vt ex Auctore vitæ narrabimus suo loco.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

[a] Ad an. 670.

XLII. Hoc anno Adeodatus Episcopatum Romanum iniit vndecimo Kalendas Maias, vt ex supradictis constat. Apud Cæsarem Baronium [b] Translationem sancti Benedicti ex Italia in Gallias alij ad Martini Papæ Pontificatum, alij ad Adeodati tempora referunt. Tertiam opinionem, quæ pertinet ad Vitaliani Præsulatum, eruit ex Martyrologio Floriacensi Carolus Saussayus in tractatu de gloria Cœnobij Floriacensis, vbi sæpiùs inculcat corpus sancti Benedicti delatum fuisse Floriacum anno Christi sexagesimo supra sexcentesimum. Hæc Translatio, vt omnes fatentur, facta fuit per Aygulphum Monachum, qui sub Abbate Mummolo in Monasterio Floriacensi degebat. Quæ de Floriaco & de primis Abbatibus Rigomaro ac Mummolo dicta sunt superiùs, apertè docent supradictam Translationem nec in Martini Papæ tempora, nec in annum Christi sexcentesimum sexagesimum incidisse, quia nondum Aygulphus Monachum induerat. Superest igitur vt Historiam illam ad Pontificatum vsque Adeodati differamus. Adeodatus, teste Anastasio, *sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque*, obiitque sexto Kalendas Iulias, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo. Series autem rerum, quas Aygulphus post suum ex Italia reditum priùs gessit, quàm Martyrium tertio Nonas Septembris, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo subiret, facilè nos impellit, vt beati Benedicti Translationem hoc primo Adeodati Pontificis anno consignemus.

[b] Ad an. 664. n. 23.

TRANSLATIO SS. BENEDICTI ET SCHOLASTICÆ.

XLIII. Magna sanè controuersia est inter Casinenses Monachos & Floriacenses de Translatione sancti Benedicti in Galliam. Nostrâ ætate in gratiam Floriacensium doctissimi viri fecerunt apologias. Egregiè præ ceteris hoc opus executi sunt Ioannes à Bosco in Bibliotheca Floriacensi, Carolus Saussayus [c] in Analibus Ecclesiæ Autelianensis, & Hugo Menardus [d] in obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum. Hanc disputationem Ioannes Bollandus [e] in Commentario præuio vitæ sanctæ Scholasticæ deuitauit, deuitatámque excusauit veteri formulâ, *non liquet*, tamen eodem loco non inficiatus est sibi Gallorum sententiam semper magis arrisisse, quam Paulus Diaconus, capitalis Gallorum hostis, ac deinde Monachus Casinensis circa annum Christi septingentesimum duodenonagesimum factus, ita publicauit in Gestis Longobardorum [f]. *Cùm in castro Casino, vbi beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat, aliquantis iam elapsis annis vasta solitudo existeret, venientes de Cenomanicorum vel Aurelianensium regione Franci; dum apud venerabile corpus pernoctare se simulassent, eiusdem venerabilis Patris, pariterque eius germanæ venerandæ Scholasticæ ossa au-*

[c] Lib. 4.
[d] L. 1. d. 11. Iul.
[e] D. 10. Febr.
[f] L. 6 c. 2.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

ferentes, in suam patriam asportauerunt. Vbi singillatim duo Monasteria in vtriusque honorem, beati Benedicti & sanctæ Scholasticæ constructa sunt. Sed certum est nobis, os illud venerabile, & omni nectare suauius, & oculos semper cælestia contuentes, cetera quoque membra, quamuis in cinerem defluxa, remansisse. Hactenus Paulus, qui posteà easdem sancti Benedicti exuuias, quæ in Casino remanserant, non dubitat *corpus beati Benedicti* appellare. *Circa hæc tempora*, inquit [a], *Petronax ciuis Brixianæ vrbis, diuino amore compunctus, Romam venit, hortatúque tunc Gregorij Apostolicæ sedis Papæ Cassinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus beati Patris Benedicti perueniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris, iam antè residentibus, habitare cœpit.* Ex huius Authoris sententia dirimi potest tota quæstio, nam penes Floriacenses erunt ossa sancti Benedicti, penes Casinenses remanebunt eiusdem Patriarchæ carnes in puluerem redactæ, nec apud hos minori quàm apud illos venerationi debebit esse sanctus Benedictus, quia teste Gregorio Nazianzeno fideles piè sanctéque corpus integrum venerantur, vbi tenuis tantùm puluisculus habetur alicuius Sancti, cùm eiusmodi puluisculus eiusdem sit virtutis cuius & integrum corpus. Sed quoniam Translationem, de qua nunc agimus, aliquando factam fuisse plerique Italorum pertinaciùs negant, alios producemus Authores qui propè accedunt ad ætatem Pauli Diaconi, atque antiquitate plurimùm præstant Leoni Ostiensi, cuius scriptis Casinenses potissimùm nituntur. Agmen aperiet Wandelbertus Monachus Prumiensis, qui vixit sub annum Christi octingentesimum quadragesimum, scripsitque metricum Martyrologium, in quo leguntur hi versus quinto Idus Iulij, quo die Translatio sancti Benedicti celebratur ab Asceteis Floriacensibus.

[a] Lib. 6. c. 40.

Martyrio quintum sancit Ianuarius, atque
Consimili decorat Pelagia sancta nitore.
Tum Beneuentanis translata à montibus almi
Busta Patris Benedicti nunc Liger altus honorat.

XLIV. Wandelbertum proximè sequetur Adreualdus Monachus Floriacensis: Adreualdum Ado Viennensis Archiepiscopus, qui floruit anno Christi octingentesimo septuagesimo, edidítque Martyrologium, in quo hæc habentur. *v. Idus Iulij, Translatio S. Benedicti Abbatis. Postquàm enim (sicut ipse viuens prædixerat) Monasterium eius à gentibus est vastatum, Domino reuelante, repertum est corpus eius, & in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi, Monasterio quod vocatur Floriacum, condignè sepultum. Translatum est pariter etiam corpus B. Scholasticæ virginis sororis eius, atque in partibus Cenomanensium, religiosorum deuotione conditum.* Adone paulò recentior fuit Regino Prumiensis Abbas, qui duos Chronicorum libros Adalberoni Treuirensi Archiepiscopo dicauit anno Christi nongentesimo octauo, nec omisit Translationem sancti Benedicti, quam verbis Pauli & Adonis ita recensuit [b]. *Cùm in castro Cassino vasta solitudo existeret, venientes de Cenomanicorum vel Aurelianensium regione Franci, venerabilis Patris Benedicti, eiúsque germanæ Scholasticæ corpora auferunt, in suam patriam asportant. Corpus S. Benedicti in territorio Aurelianensi, in Monasterio, quod vocatur Floriacus, sepultum est. Porrò S. Scholastica in partibus Cenomanensium, religiosorum deuotione conditum.* Quinto Idus Iulias in Martyrologio Notkeri Monachi Sangallensis, quem Iodocus Metzlerus eiusdem loci Cœnobita coætaneum Reginoni statuit, atque anno Christi nongentesimo duodecimo mortuum tradit, haud dissimilia leguntur. *Translatio sancti Benedicti Abbatis à castro Cassino siue Cassiani in Gallias vel Aquitaniam. Postquàm enim, sicut ipse viuens prædixerat, Monasterium eius à gentibus est vastatum, hominibus tantùm iuxta sententiam illius, vix obtinui apud Deum omnipotentem vt ex hoc loco mihi animæ cederentur, illo intercedente saluatis, corpus ipsius à religiosis quibusdam Domino reuelante repertum, & in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi, Monasterio, quod vocatur Floriacum, dignè sepultum, & multò digniùs frequentatione deuotorum est iugiter honoratum. Translata sunt etiam pariter ossa beatæ Scholasticæ*

[b] Lib. 2.

virginis sororis eius, atque in partibus Cænomanensium, religiosorum deuotione con- AN. CH.
dita. Superfluum videtur plures Authores in eandem rem allegare. Qui con- 673.
trariam sententiam tuentur, suprà citatis recentiores sunt, refutabunturque CHILDE-
suis locis. RICI II.
Adone Adreualdum antiquiorem existimamus, quia librum quem de mi- R. 14.
raculis sancti Benedicti composuit, non perduxit vltra tempora Caroli Calui XLV.
Regis, qui post Ludouici Pij mortem regnum anno Christi octingentesimo
quadragesimo suscepit. Eiusdem Adreualdi textum suprà cum ceteris non pro-
tulimus, ne bis eundem repetere cogeremur, Translationem enim sancti Be-
nedicti, quam leui tantùm calamo reliqui perstrinxerunt, datâ operâ descripsit
prolixâ narratione, quam hoc loco prætermittere non possumus, vt intelligas
quomodò gesta sit res ipsa, de qua disputauimus hactenus verùm gesta fuerit
necne.
Totum opus Adreualdi distinguitur in nouem capita. Primum est de Cœ- XLVI.
nobij Casinensis euersione, quam sanctus Benedictus prædixerat. Secundum
est de constructione Floriacensis Monasterij, quod Leodebodus Abbas sancti
Aniani Aurelianensis erexit. Tertium est de diuina visione, quâ Mummolus
Floriacensis Abbas, cùm prædictus Leodebodus ex hac vita iam exiisset, ius-
sus est ad Castrum Casinum dirigere Monachum Aigulfum, qui corpus beati
Benedicti transferret. *Cùm processu temporis*, inquit Adreualdus, *euoluentibus
annis, supradictus Leodebodus corpore exemptus, sicut credimus, cælicas recessisset
ad sedes. Iamdictus Mummolus gregis sibi commissi custodias optimè seruans, &
lectioni assiduæ studium dans, inter cetera reperit in libris beati ac praecellentissimi
viri Gregorij [a] Romani Antistitis, quomodò sanctus ac Deo dilectus Benedictus agonis* [a] Lib. 2. Dial. c. 17.
*sui cursum in Beneuentana prouincia consummauerit. Recordánsque quia isdem ve-
nerabilis Pater oraculo diuino admonitus, præuidens futuros casus, prædixerit illud
Monasterium funditus euertendum, & quod ille spiritalibus oculis, iste oculis pa-
tratum carneis conspiciebat, misit ad prædictam prouinciam vnum ex commilitonibus
suis, nomine Aigulfum Monachum. Hic namque sibi fuisse diuinitus reuelatum di-
cebat, vt prædictus vir illuc pergens, corpus iamdicti transferret Benedicti.* Quar-
tum caput exponit alteram visionem, quâ Cenomanenses moniti sunt, vt ex
Italia corpus sanctæ Scholasticæ Cenomanum transferrent, deinde Cenoma-
nensium profectionem Cenomano Romam, & Aigulfi Floriaco Casinum ex-
plicat hoc modo. *Non dispar intereà huic*, nempe visioni quam Mummolus
Floriacensis Abbas sibi oblatam dixit, *in Cænomanica vrbe apparuit visio, vt sci-
licet pergentes & ipsi in eandem prouinciam, corpus transferrent sororis sancti Bene-
dicti, Scholastica nomine, vt quos vnius vrnæ habebat spatium, simul transferendi
ostenderentur. Dum igitur vtrimque laborarent, quatenus visionis manifestata non
segnes executores inuenirentur, paucis admodum diebus transactis, à suprascripta
Cænomanica vrbe egressi, oraculi diuini auditores, carpebant iter Italiam ducens,
diuertentésque in Monasterium Floriacum hospitandi gratiâ, compererunt præfatum
venerabilem virum Aigulfum, præceptis Abbatis sui obsequentem, idem velle iter
arripere. Igitur communi decreto, cæptum opus simul statuunt peragere, iunctique
simul tandiu indiuisibiliter sibi adhæsere, quousque Romam venientes, beati Petri
Basilicam oraturi intrarent. At cùm in eadem vrbe sub obtentu visendorum locorum
sanctorum, à se inuicem diuiderentur, vt rei autem habet veritas, negotium quod
cæperant perfecturi, memoratus Aigulfus intermissis interim his quæ palàm ostenta-
uerat velle, locorum scilicet sanctorum circumitionibus, expeditioni operam dedit,
certans ociùs perficere, quod sibi iniunctum fuerat sanctum mandatum. Tandem ita-
que peruenit ad locum castri, quod vocatur Casinum, ibidémque paulisper itineri fi-
nem imponens expectabat euentum rei, orans illum, qui visionem superiùs prolatam
reuelare dignatus fuerat, quíque se ad hoc opus destinauerat, vt non in vacuum
tantum iter consummi vellet, sed sicut promiserat, thecam thesauri sui ei reuelare
dignaretur. Cùm itaque alicuius signi causâ capiendi, loca peragraret, & huc illúcque
conspiciens, oculorum orbes volueret sedulus explorator, conspiciens cum homo qui-*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

dam multorum annorum, crebrò id agentem, sic prior eum affatur. Heus tu, inquit, quibus ab oris nostras adiisti sedes, cuiúsue negotij gratiâ? Ad hæc ille non indagini illius ausus est propalare commissum sibi secretum. Sed cùm iteratò super ipsa re interrogaretur, ipse tamen negotium diuulgare metueret, hæc ab eodem sene audiuit. Cur, inquit, secreti tui me non efficis conscium? Nam si delatoris scandalum caues, securus esto, in me tutam reperies fidem, & si dictis meis fidem accommodaueris, fortassis etiam negotio tuo profuturum erit. Quintum caput est de diuino signo, quo corpora sanctorum Benedicti & Scholasticæ reuelata sunt ac reperta, sic enim pergit Adreualdus. *Ista verò cùm prædictus Dei famulus auribus audisset, cogitans quia in antiquis est sapientia & rerum præteritarum cognitio, reputans etiam sicut posteà rei probauit euentus, propter hoc Dominum eum præmisisse, compellanti ex ordine rei gestæ texuit historias, quâ causâ venisset, quæue visio propter hanc rem sibi fuerat demonstrata. Ad hæc senex paululùm terræ defigens aspectus, vocémque intra fauces comprimens, sic demum ora resoluit. Si mihi quæ pro tali munere debentur, præmia digna rependis, Deo fauente puto me ociùs negotio tuo finem imponere, quatinus his, pro quibus laborem tanti itineris assumpsisti, peractis, ouans repedare ad propria queas. Cuius verba cùm vir Domini perorantis audiisset, nulla, inquit, erit in munere dando difficultas, quin omnia, quæ à me poscis, dem, tantùm est vt promissionis tuæ memor dicta factis recompenses. Ad hæc ille. Cùm, inquit, lucifuga noctis tempora, conticiniique metas propinquare prospexeris, tu ne ad modicum indulge quieti, sed tecti abdita linquens, nudo sub aeris axe, indefessus speculator adesto, cúmque solitudinis huius locum lumine clarissimo radiare conspexeris, niuei montis adinstar, notato certissimè locum, namque ibi inueniendum est, vnde tuæ curæ finis imponatur. Igitur prædictus venerabilis vir, verbis quidem fidem dans, ardens autem desiderio, primo quietis somno percepto, stratu sese excutiens, præceptorum senis haud segnis obtemperator extitit. Namque prædictæ solitudinis plagam respiciens, conspicit eminus locum, lumine claro micantem, seu cùm luminaribus facibúsque densis locus aliquis perfusus illustratur. Quibus visis reuerendus Heros gaudio amplissimo repletus, mundi gubernatori & seculorum rectori benedicens, noctis terminum expectabat. Qui cùm diu præstolatus affuisset, Solísque globus necdum iubare suo, mundi spatia ampla compleret, ad locum intrepidus properat, cuius notator extiterat, ibíque sicut longè antè optauerat, cuncta inueniens, prosperatori itineris sui, grates innumeras rependit. Namque locum adiens, loculum ibidem inuenit exteriùs quidem vilem, interiùs autem retinentem magni pretij margaritas. Pro foribus autem, petra scilicet suprapofita, præfixa erant notamina, quorum interiùs busta iacebant. His sicut diu optauerat inuentis, patefacto à latere, euacuatóque locello, thesaurum inuentum vnius sportellæ conclusit sinu, quæ sporta hactenus penes nos quasi noua habetur. Quibus patratis omnibus improuisè adsunt socij, quos suprà sermo retulit à Cœnomanica vrbe profectos, qui & ipsi non à quæsita diu benedictione sunt frustrati. Túncque sibimet mutuò patefecere sui itineris causam, quia scilicet & ipsi reuelatione diuinâ admoniti ad corpus beatæ Scholasticæ ierant deferendum, móxque cum festinatione retrogradum iter arripientes, festinatò simul regredi curabant, portantes quas inuenerant dono diuino pretiosissimas margaritas.* Sextum caput totum est de prædictarum reliquiarum Translatione in Gallias, & de miraculis quæ Deus ad illas in itinere operari dignatus est. *Intereà illis,* Aigulfo videlicet & Cenomanensibus, *celeriter repedantibus, iámque oras finium suorum attingentibus, vox alta diuinitus per profunda silentia noctis prohibuit eos moras innectere in eundo. Eâdémque horâ Papam Romanum per visionem quidam assistens, talia compellare visus est. Cur te piger somnus temporibus pressis negas fratribus relictis custodiam tuæ habere prouinciæ? & quare dimissis publicis vtilitatibus, propriis implicaris? Namque vt quid dico palàm fit; noueris te magnorum virorum patrociniis carere, Benedicti scilicet atque Scholasticæ sororis eius, quorum corpora quidam à Galliæ oris huc aduentantes, illuc ferunt humanda. His auditis, Romanus Antistes protinus thoro relicto arma comitésque inquirit; ac persequi conatur recedentes, iunctis sibi Langobardorum auxiliis. Hac itaque famuli Dei iussione acceptâ,*

*formidantes alicuius incommoditatis tristem accessum, respiciunt retrò, videntes se subsequi ab hostibus. Túncque timoris pleni, terraque consternati, rogabant eum, qui suorum famulorum corpora eis reuelare dignatus est, vt ea illis ad locum destinatum deferre permitteret. Quorum precibus, diuina pietati annuere libuit. Nam omnipotentis Dei potentia, tenebrarum densitate ita eos occuluit, vt sibi quidem nihil obesset, persecutoribus verò omnem facultatem inueniendi eos auferret, sicque famuli Dei, malorum timore sublato ociùs redirent. Tandem igitur, quamquam laboriosè, salubriter tamen confecto itinere in prædiolum quoddam diuerterunt Bonnodium * nomine, situm in pago Aurelianensi, lassitudine cogente. In quo loco cùm paulisper indulgerent quieti. Ecce quidam sine oculis materno ab vtero aduenit, magnisque vocibus oris ac fidei Sanctum interpellat, vti quæ natura negauerat sibi, lumina præstaret. Paruo interuallo atque vix vnâ horâ effluente, discussâ caligine cæcitatis, lumen diu sibi negatum cœpit aspicere, & datorem illius, simúlque beatum Benedictum magnis laudum vocibus extollere. Placuit etiam diuinitati, huic miraculo aliud in eodem loco coniungere, vt quantæ sanctitatis esset cuius cinis portabatur ostenderet. Namque debilis quidam, qui erectus ire nequibat, per terram rependo se trahens, vtpote qui omnium membrorum officio destitutus erat, aduenit, implorans auxilium ab Omnipotenti Deo per famulum illius Benedictum. Itaque miro modo cœperunt se nerui diu contracti extendere, & aridi diu meatus venarum, sanguinis inundatione humectari. Atque ita Deo volente, accepto robore, lætus super pedes constitit, & curatori suo magnis vocibus benedixit. Qui locus hactenus Basilicam retinet Domino in honore beati Benedicti dicatam. Cúmque ab eodem loco moueri placuisset, aliud prædiolum adeunt mille quingentis fermè passibus à Monasterio ad quod tendebant distans, Noua villa cognomine. In eo etiam cùm aliquantulùm eis requiescere placuisset, obuiam eis quidam cæcus factus est, qui magno impetu ferociter facto sportam, quâ beati viri cinis portabatur, apprehendit, quem vir Domini Aigulfus moderatâ studuit correptione castigare, atque ab illicita præsumptione reuocare. Sed ille, quem lumen amissum contristabat, respondit nullo modo se ab ea diuelli, nisi quamprimùm lumen reciperet, pronuntiauítque se tanta fidei esse, vt quicquid peteret, Sanctus Benedictus, Domino sibi annuente, tribuere posset, factúmque est. Non quippe abfuerunt huius ponderosa fidei, gloriosa merita præcelsi viri.* Sequitur caput septimum tali initio. *Post hæc verò, cùm in eundo nulla mora fieret, agmina Monachorum cum plebe territorij Aurelianensis obuiam processerunt milliario à Monasterio in vico qui dicitur vetus Floriacus, ibíque cum gaudio & lætitia atque honore magno exceperunt corpora Sanctorum supradictorum sub die quinto Iduum Iuliarum, & in eodem loco die illo eandem solemnitatem cum ingenti lætitia in Dei laudibus peregerunt.* Huc vsque Adreualdus.

* Bony.

XLVII. Leo Ostiensis, qui Chronicon Casinense post annum Christi millesimum vndenonagesimum in tres libros digessit, hanc sancti Benedicti Translationem primus impugnauit [a], & vt voti compos euaderet, conatus est eorum fidem eleuare quos authoritate præstantissimos animaduertit. Paulum & Adreualdum aggressus est, quorum ille ossa sancti Benedicti in Galliam delata primus asseruit, hic posteà Translationis Historiam prolixâ narratione publicauit. Aduersùs Paulum ita scripsit. *Qui Pauli Diaconi veracis planè & insignis Historici testimonio se suffultos existimant, sciant hanc rerum gestarum Scriptoribus esse consuetudinem, vt in narratione sua multorum opinionibus cedant. Nam & apud Lucam beata Maria Ioseph patrem Domini appellat, dicens. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et apud Marcum, pro eo quòd puella caput Baptistæ petierit, Herodes contristatus asseritur. Quod vtrunque verum non fuisse nullus ignorat.* Aduersùs Adreualdum ait *falsa Translationis* seriem friuolam atque confictam ostendi, *dum, sicut ibi refertur, vnus idémque Angelus & illos ad subripiendum hortaretur, & Romanum Pontificem ad insequendum instigaret, illósque admoneret vt fugerent.* Hæc argumenta iam refutauit Menardus [b]. Ridiculum est de Scriptoribus Historiarum adeò malè sentire, vt omnem iis fidem ademptam prorsus velis, quasi rerum veritati minimè studeant, & plebis imperitæ vanos dunta-

[a] L. 2. c. 45.

[b] L. 1. Obseru. d. 11. Iul.

AN.CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

dam multorum annorum, crebrò id agentem, sic prior eum affatur. Heus tu, inquit, quibus ab oris nostras adiisti sedes, cuiúsue negotij gratiâ? Ad hæc ille non indagini illius ausus est propalare commissum sibi secretum. Sed cùm iteratò super ipsa re interrogaretur, ipse tamen negotium diuulgare metueret, hæc ab eodem sene audiuit. Cur, inquit, secreti tui me non efficis conscium? Nam si delatoris scandalum caues, securus esto, in me tutam reperies fidem, & si dictis meis fidem accommodaueris, fortaßis etiam negotio tuo profuturum erit. Quintum caput est de diuino signo, quo corpora sanctorum Benedicti & Scholasticæ reuelata sunt ac reperta, sic enim pergit Adreualdus. *Ista verò cùm prædictus Dei famulus auribus audisset, cogitans quia in antiquis est sapientia & rerum præteritarum cognitio, reputans etiam sicut posteà rei probauit euentus, propter hoc Dominum eum præmisisse, compellanti ex ordine rei gestæ texuit historias, quâ causâ venisset, quæue visio propter hanc rem sibi fuerat demonstrata. Ad hæc senex paululùm terræ defigens aspectus, vocémque intra fauces comprimens, sic demum ora resoluit. Si mihi quæ pro tali munere debentur, præmia digna rependis, Deo fauente puto me ociùs negotio tuo finem imponere, quatinus his, pro quibus laborem tanti itineris assumpsisti, peractis, ouans repedare ad propria queas. Cuius verba cùm vir Domini perorantis audiisset, nulla, inquit, erit in munere dando difficultas, quin omnia, quæ à me poscis, dem, tantùm est vt promissionis tuæ memor dicta factis recompenses. Ad hæc ille. Cùm, inquit, lucifugæ noctis tempora, conticiniique metas propinquare prospexeris, tu ne ad modicum indulge quieti, sed tecti abdita linquens, nudo sub aeris axe, indefessus speculator adesto, cúmque solitudinis huius locum lumine clarissimo radiare conspexeris, niuei montis adinstar, notato certissimè locum, namque ibi inueniendum est, vnde tuæ curæ finis imponatur. Igitur prædictus venerabilis vir, verbis quidem fidem dans, ardens autem desiderio, primo quietis somno percepto, stratu sese excutiens, præceptorum senis haud segnis obtemperator extitit. Namque prædictæ solitudinis plagam respiciens, conspicit eminus locum, lumine claro micantem; seu cùm luminaribus facibúsque densis locus aliquis perfusus illustratur. Quibus visis reuerendus Heros gaudio amplissimo repletus, mundi gubernatori & seculorum rectori benedicens, noctis terminum expectabat. Qui cùm diu præstolatus affuisset, Solísque globus necdum iubare suo, mundi spatia ampla compleret, ad locum intrepidus properat, cuius notator extiterat, ibíque sicut longè antè optauerat, cuncta inueniens, prosperatori itineris sui, grates innumeras rependit. Namque locum adiens, loculum ibidem inuenit exteriùs quidem vilem, interiùs autem retinentem magni pretij margaritas. Pro foribus autem, petra scilicet suprapposita, præfixa erant notamina, quorum interiùs busta iacebant. His sicut diu optauerat inuentis, patefacto a latere, euacuatóque locello, thesaurum inuentum vnius sportella conclusit sinu, quæ sporta hactenus penes nos quasi noua habetur. Quibus patratis omnibus improuisè adsunt socij, quos suprà sermo retulit à Cœnomanica vrbe profectos, qui & ipsi non à quæsita diu benedictione sunt frustrati. Túncque sibimet mutuò patefecere sui itineris causam, quia scilicet & ipsi reuelatione diuinâ admoniti ad corpus beatæ Scholasticæ ierant deferendum, móxque cum festinatione retrogradum iter arripientes, festinatò simul regredi curabant, portantes quas inuenerant dono diuino pretiosissimas margaritas.* Sextum caput totum est de prædictarum reliquiarum Translatione in Gallias, & de miraculis quæ Deus ad illas in itinere operari dignatus est. *Intereà illis*, Aigulfo videlicet & Cenomanensibus, *celeriter repedantibus, iámque oras finium suorum attingentibus, vox alta diuinitus per profunda silentia noctis prohibuit eos moras innectere in eundo. Eâdémque horâ Papam Romanum per visionem quidam aßistens, talia compellare visus est. Cur te piger somnus temporibus preßis negat fratribus relictis custodiam tuæ habere prouinciæ? & quare dimißis publicis vtilitatibus, propriis implicaris? Namque vt quid dico palàm fit; noueris te magnorum virorum patrociniis carere, Benedicti scilicet atque Scholasticæ sororis eius, quorum corpora quidam à Gallia oris huc aduentantes, illuc ferunt humanda. His auditis, Romanus Antistes protinus thoro relicto arma comitésque inquirit, ac persequi conatur recedentes, iunctis sibi Langobardorum auxiliis. Hac itaque famuli Dei iußione acceptâ,*

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

formidantes alicuius incommoditatis tristem accessum, respiciunt retrò, videntes se subsequi ab hostibus. Túncque timoris pleni, terraque consternati, rogabant eum, qui suorum famulorum corpora eis reuelare dignatus est, vt ea illis ad locum destinatum deferre permitteret. Quorum precibus, diuina pietati annuere libuit. Nam omnipotentis Dei potentia, tenebrarum densitate ita eos occuluit, vt sibi quidem nihil obesset, persecutoribus verò omnem facultatem inueniendi eos auferret, sicque famuli Dei, malorum timore sublato ociùs redirent. Tandem igitur, quamquam laboriosè, salubriter tamen confecto itinere in prædiolum quoddam diuerterunt Bonnodium nomine, situm in pago Aurelianensi, lassitudine cogente. In quo loco cùm paulisper indulgerent quieti. Ecce quidam sine oculis materno ab vtero aduenit, magnísque vocibus oris ac fidei Sanctum interpellat, vti quæ natura negauerat sibi, lumina præstaret. Paruo interuallo atque vix vnâ horâ effluente, discussâ caligine cæcitatis, lumen diu sibi negatum cæpit aspicere, & datorem illius, simúlque beatum Benedictum magnis laudum vocibus extollere. Placuit etiam diuinitati, huic miraculo aliud in eodem loco coniungere, vt quantæ sanctitatis esset cuius cinis portabatur ostenderet. Namque debilis quidam, qui erectus ire nequibat, per terram rependo se trahens, vtpote qui omnium membrorum officio destitutus erat, aduenit, implorans auxilium ab Omnipotenti Deo per famulum illius Benedictum. Itaque miro modo cæperunt se nerui diu contracti extendere, & aridi diu meatus venarum, sanguinis inundatione humectari. Atque ita Deo volente, accepto robore, lætus super pedes constitit, & curatori suo magnis vocibus benedixit. Qui locus hactenus Basilicam retinet Domino in honore beati Benedicti dicatam. Cúmque ab eodem loco moueri placuisset, aliud prædiolum adeunt mille quingentis fermè passibus à Monasterio ad quod tendebant distans, Noua villa cognomine. In eo etiam cùm aliquantulùm eis requiescere placuisset, obuiam eis quidam cæcus factus est, qui magno impetu ferociter facto sportam, quâ beati viri cinis portabatur, apprehendit, quem vir Domini Aigulfus moderatâ studuit correptione castigare, atque ab illicita præsumptione reuocare. Sed ille, quem lumen amissum contristabat, respondit nullo modo se ab ea diuelli, nisi quamprimùm lumen reciperet, pronuntiauítque se tantæ fidei esse, vt quicquid peteret, Sanctus Benedictus, Domino sibi annuente, tribuere posset, factúmque est. Non quippe abfuerunt huius ponderosæ fidei, gloriosa merita præcelsi viri.* Sequitur caput septimum tali initio. *Post hæc verò, cùm in eundo nulla mora fieret, agmina Monachorum cum plebe territorij Aurelianensis obuiam processerunt milliario à Monasterio in vico qui dicitur vetus Floriacus, ibíque cum gaudio & lætitia atque honore magno exceperunt corpora Sanctorum supradictorum sub die quinto Iduum Iuliarum, & in eodem loco die illo eandem solemnitatem cum ingenti lætitia in Dei laudibus peregerunt.* Huc vsque Adreualdus.

* Bony.

XLVII. Leo Ostiensis, qui Chronicon Casinense post annum Christi millesimum vndenonagesimum in tres libros digessit, hanc sancti Benedicti Translationem primus impugnauit [a], & vt voti compos euaderet, conatus est eorum fidem eleuare quos authoritate præstantissimos animaduertit. Paulum & Adreualdum aggressus est, quorum ille ossa sancti Benedicti in Galliam delata primus asseruit, hic posteà Translationis Historiam prolixâ narratione publicauit. Aduersùs Paulum ita scripsit. *Qui Pauli Diaconi veracis planè & insignis Historici testimonio se suffultos existimant, sciant hanc rerum gestarum Scriptoribus esse consuetudinem, vt in narratione sua multorum opinionibus cedant. Nam & apud Lucam beata Maria Ioseph patrem Domini appellat, dicens. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Et apud Marcum, pro eo quòd puella caput Baptistæ petierit, Herodes contristatus asseritur. Quod vtrunque verum non fuisse nullus ignorat.* Aduersùs Adreualdum ait *falsæ Translationis* seriem friuolam atque confictam ostendi, *dum, sicut ibi refertur, vnus idémque Angelus & illos ad subripiendum hortaretur, & Romanum Pontificem ad insequendum instigaret, illósque admoneret vt fugerent.* Hæc argumenta iam refutauit Menardus [b]. Ridiculum est de Scriptoribus Historiarum adeò malè sentire, vt omnem iis fidem ademptam prorsus velis, quasi rerum veritati minimè studeant, & plebis imperitæ vanos dunta-

[a] L. 2. c. 45.

[b] L. 1. Obseru. d. 11. Iul.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. xat rumores aucupentur. Scelestum est sacram Scripturam non auctoritate Spiritûs Sancti sed opinione vulgi nixam censere. Non negamus Iosephum apud Lucam [a] à beata Maria patrem Domini vocari, sed hoc nihil ad rem. Nam beata Maria Iosephum patrem Domini non appellabat eo sensu quo Iudæi credebant. Præterea idem Euangelista, cùm Iosephum alio loco [b] patrem Domini dicit, hæc addit verba, *vt putabatur. Et ipse*, inquit, *Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph.* Maldonatus ad caput secundum Lucæ, modestiam beatissimæ Virginis ex quodam sancti Augustini sermone sic commendat, quòd non dixerit, *ego & pater tuus*, vt Leo suprà citatus legit, sed, *pater tuus & ego*, vt Codex Euangelicus habet. *Christum pepererat. Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Meruerat parere filium altissimi, & erat humillima, nec se marito nec in ordine nominis præferebat, vt diceret, ego & pater tuus, sed, pater tuus, inquit, & ego.* Hanc obseruationem omittere noluimus aduersus Leonem, qui Lucæ textum ordine verborum contra Euangelistæ mentem mutato allegauit. Idem Author seueriùs adhuc redargui debet, quòd ausus sit id verum inficiari quod à beato [c] Marco scriptum est de Herode. Nam Herodes verè contristatus est eò quòd lasciua puella caput Baptistæ petierit. In ea sententia versantur, Chrysostomus, Euthymius & Theophilactus, quos prædictus Commentator ad caput decimum-quartum Matthæi laudat. Herodes autem verè doluit, non quòd Ioannem occideret, quem iam ante occidere volebat, sed quòd eâ ratione occideret, quæ sibi procul dubio ignominiam apud populum paritura esset. Vt Paulo sic & Adreualdo imponit Leo. Adreualdus in Historia Translationis, quam Leo conatur impugnare, sic ait. *Intereà illis*, nempe Aigulfo Floriacensi Monacho virisque Cenomanensibus, *celeriter repedantibus, iámque oras finium suorum attingentibus, vox alta diuinitus per profunda silentia noctis, prohibuit eos moras innectere in eundo. Eàdémque horâ Papam Romanum per visionem quidam assistens, talia compellare visus est. Cur te piger somnus &c.* Leo, vt ex eius verbis iam citatis constat, vult vnum eundémque Angelum ab Adreualdo designari, qui Aigulfum Monachum sociósque *ad subripiendum hortaretur, & Romanum Pontificem ad insequendum instigaret, illósque admoneret vt fugerent.* At in Adreualdo nihil eorum reperitur, quæ Leo nititur astruere. Res satis patet ex vtriusque Scriptoris collatione. Vox alta, quam Aigulfus & Cenomanenses audierunt, potuit esse non Angeli sed sancti Benedicti vel sanctæ Scholasticæ, nam sæpè Sancti quid in Translatione suarum Reliquiarum agendum esset, clarâ voce docuerunt. Deinde quamuis ex Leonis sententia supponeremus vocem Angeli cùm ab Aigulfo comitibúsque, tum à Romano Pontifice auditam fuisse, textus Adreualdi non de vno eodémque Angelo sed de duobus intelligi debet, quorum alter auectores sacrorum pignorum admonuit vt fugerent, alter Romanum Pontificem ad insequendum instigauit. Nec hæc inter Angelos concertatio magis est admirationi, quàm quæ decimo capite Danielis Prophetæ describitur. Gabriel, cuius meminit Daniel capite octauo, prælium iniit cum Angelo seu Principe Persarum, auxilio Gabrieli fuit Michael, ad Principem Persarum accessit Angelus seu Princeps Græcorum. Licet Angeli summâ charitate se inuicem ament, sintque summè concordes, tamen circa res, in quibus Deus voluntatem suam nondum patefecit, sibi inuicem contraria velle possunt non absolutè & efficaciter sed conditionatè, si videlicet Deo placuerit id, quod ipsi optant ac desiderant. Apud Gregorium Magnum [d], *Angelus qui Danieli loquebatur*, nempe Gabriel, *captiuis Israelitici populi in Perside constitutis prælatus agnoscitur. Michael autem eorum, qui ex eadem plebe in Iudæa terra remanserant, præpositus inuenitur.* Gabriel pro Iudæis captiuis Deum orauit, vt omnes in patriam reduceret, ne Babyloniorum vitiis ac gentilicâ impietate inficerentur, sensímque dediscerent quod iam olim à paterna traditione didicissent. Michael causam quoque Iudæorum apud Deum

[a] Cap. 2.
[b] Cap. 3.
[c] Cap. 6.
[d] Lib. 17. Moral. c. 8.

egit. Obsistebat Angelus Persarum, quia videbat quosdam Persas familiari congressu Iudæorum ad cognitionem veri Dei perductos esse, fierique posse vt relicto idolorum cultu veram religionem plures amplecterentur. Optabat & Angelus Græcorum, vt Iudæi diutiùs exularent in Perside, quia nouerat regionem illam aliquando venturam in potestatem Græcorum, quibus ad veri Dei notitiam & veræ religionis studium magno videbantur adiumento futuri Iudæi, si tunc ibi captiui morarentur. Contentionis inter Angelos, in Translatione sancti Benedicti, non absimilis occurrit ratio. Angelus, qui Francorum Princeps ac custos erat, Aigulfum sociósque monere potuit vt quantocyùs in Franciam redirent, quò sacras reliquias deferri cupiebat. Angelus autem, qui custos erat regionis, in qua sancti Benedictus & Scholastica vixerant, diúque quieuerant, cùm homines in custodiam sibi demandatos tam sacro nollet orbari thesauro, cuius ope à Deo multa beneficia consequerentur, Romanum Pontificem instigare potuit, vt Translationem sanctorum pignorum impediret. Stet igitur sua fides Adreualdo Monacho, qui Translationem sancti Benedicti, quam alij breuiter attigerant, primus copiosâ narratione prosecutus est. Stet & sua fides Paulo Diacono, qui primus illam historiam in literas retulit verámque verbis adeò claris manifestauit, vt ne minimum quidem subdubitandi vestigium reliquerit, imò vt se Monachósque Casinenses consolaretur, asseruit carnes in puluerem solutas apud Casinum in sepulchro remansisse, sicque Casinates tam pretioso thesauro adhuc quodammodò frui. *Certum est nobis, inquit, os illud venerabile, & omni nectare suauius, & oculos semper cœlestia contuentes, cetera quoque membra, quamuis in cinerem defluxa, remansisse.* AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

Reliquiis sanctorum Benedicti & Scholasticæ Floriacum delatis, ciues Cenomanenses, qui eò confluxerant, corpus sanctæ Scholasticæ sibi dari postularunt. Ægrè assensit Aigulfus, duobúsque miraculis comprobatum est, quænam ossa sancti Benedicti, quænam sanctæ essent Scholasticæ, quæ confusè in eodem monumento condita fuerant. Hæc ab Adreualdo sic enarrantur capitibus septimo & octauo. *Cùm igitur ibi*, nempe in vico cui nomen Vetus Floriacus, *mora fierent, plebs Cœnomanica vrbis (cuius suprà diximus fuisse ciues, qui pro afferendo corpore beatæ Scholasticæ ierunt) adfuit, obuiam procedens ciuibus suis, quos pro deportando cœlesti thesauro se misisse gaudebat. Sed cùm ad prædictum locum veniens, cognouisset rei veritatem, & actus omnes venerabilis Aigulfi, postulabant eum, vt sibi munus promissum, atque à Deo demonstratum concedere deberet. Sed isdem venerabilis vir respondit se nequaquam velle sanctorum germanorum corpora ab inuicem separare, sed sicut eos in priori monumento fuisse conditos, ita in secundo indiuisibiliter componere velle testabatur. Tunc verò nobiles quique ac sapientes his contradixere verbis, iniustum non esse dicentes, vt quos diuina voluntas participes fecerat oraculi cœlestis, & qui simul locum sanctorum theca corporum adiissent, quique in subeundo labore pares fuissent, non etiam fructus laboris æquè partirentur. Maximè verò non esse dignum ducebant, vt duo magna luminaria, loci vnius angustia coarctaret, cùm sufficerent singulis locis singula. Tandem igitur sæpedictus venerabilis vir Aigulfus, consiliis venerandorum virorum assensum dedit, decreuítque, vt ipse cum suis, retento corpore sancti Benedicti, illos cum corpore venerandæ sororis eius dimitteret, sed quia certum non erat, qualiter discerni ossa potuissent, quæ confusè vnius sportellæ sinus retinebat, difficultate discernendi ad hoc consilium ventum est, vt ea quæ minora quæque viderentur ossa, separatim ponerentur, maiora verò altrinsecus congregarentur. Dum igitur diu de his hæsitaretur, & certum quid indicari non posset, diuinitati, adhuc ancipiti sententia, taliter finem imponere placuit. Nam cùm continuis diuinitatem precibus per totum noctis spatium vtrique populi pro tanto sibi manifestando negotio pulsassent, facto mane conspiciuntur eminus duorum paruulorum cadauerum exequiæ, quorum vnum erat masculini sexus, alterum fœminei. Igitur salubri accepto consilio, ad se exanimata corpora deferri iubent. Quod cùm factum esset, masculi corpus propè ossa poni fecerunt, quæ magnitudine præstare videbantur, miróque modo, mox vt mortui mortua tetigere* XLVIII.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14. *ossa iacentis, per mortuum martuo vita reddita est. Similiter autem eis placuit, vt penes minora, mortua puella corpus poni deberet, Deus autem vt demonstraret germanos esse, qui ferebantur, merito, quemadmodum vnâ carnis procreatione, vno eodémque tempore pares merito, pares voluit esse miraculo, itaut puella eâdem horâ ab afficia funeris surgeret, & qua à flentibus amicis portabatur ad tumulum, iisdem gaudentibus rediret domum.*

XLIX. S. SCHOLASTICA DEFERTVR CENOMANVM. Visis hisce miraculis remota est omnis dubitatio, cui pro sanctis corporibus discernendis animi circumstantium diu inhæserant, & Cenomanenses magno gaudio repleti corpus beatæ Scholasticæ Cenomanum detulerunt. *Sublatâ*, inquit Adreualdus in fine capitis octaui, *omni ancipiti sententiâ, quæ super corporibus discernendis, diu animos eorum occupauerat, plebes Cenomanica ad corpus sanctæ Scholasticæ se salubriter verterunt, quod summâ celeritate leuatum, imponentes scapulis, cum gaudio ad proprium locum deportarunt. Ibíque magnis sumptibus adificatâ Basilicâ, & ordinatis, quæque erant necessaria fæminis Deo seruientibus, infra breue spatium temporis, plurima nobilium fæminarum in eodem Monasterio aggregata sunt, quæ se relicto sæculo, Domini seruitio manciparunt. Sed & ipsum Monasterium vsque nunc* (scribebat Adreualdus medio nono seculo) *magnis miraculorum illustrationibus à Domino honoratur.* Hæc in vita sancti Berarij Cenomanensis Episcopi fusiùs describuntur additis quibusdam circumstantiis, quæ prætermissæ sunt ab Adreualdo Monacho Floriacensi, narrandisque rebus, quæ commendationi Floriacensis Monasterij conducere videbantur, potissimùm intento. *Remotâ omni dubitatione, cui pro sanctis discernendis corporibus animus earum diu inhæserat, plebs Cenomanica corpus S. Scholasticæ venerabiliter leuatum, scapulis propriis imposuit, & cum ingenti gaudio ad Dominum Berarium suæ ciuitatis Episcopum iter vertit, ducem huius negotij habentes quemdam Dei famulum, qui, alio sibi adiuncto venerabili socio, Romam atque Beneuentum, ad hoc opus explendum, à prædicto Domino Berario directus fuerat, sed altero in itinere defuncto, superstes Domino miserante hoc negotium perfecturus existens, opus cæptum deuotissimè procurabat. Tandem igitur, Domini misericordiâ præeunte ac sequente ac concomitante, famâ eorum aduentûs iam per totam eandem prouinciam diuulgatâ, gradatim propinquauere. Quibus Dominus Berarius venerabilis Pontifex vnà cum reuestitis Sacerdotibus, & omnium graduum Clericis cum Crucibus ac thuribulis atque candelabris, seu omnibus Ecclesiasticis vexillis, necnon cum innumera vtriusque sexûs & ætatum multitudine, personans celebrem concentum, deuotissimè occurrit, & sacratissimum S. Scholasticæ pignus venerabiliter suscepit. Qui ciuitatem ingrediens, ad Monasterium, quod ad hoc opus inter murum ciuitatis & fluuium Sartha nobiliter atque decenter ab imis fundauerat, cum Litaniis, Hymnis & Psalmis, diuersísque diuinis concentibus, cum summa veneratione deuexit, ibíque in Ecclesiam, quam in honore Sancti Petri iam dedicauerat, decenter & solenniter post altare collocauit, ordinatísque quæ erant necessaria fæminis Deo sacratis vitámque regularem ducentibus, infra breue spatium temporis, plurimas nobilium non minùs quàm C L fæminarum, in eodem Monasterio Domini famulatui ac militiæ regulari aggregauit, quæ se, relicto sæculo, Domini iugo eiúsque magisterio humiliter mancipau runt. Sed ipsum Monasterium de rebus sui Episcopatûs, & de suis propriis, siue de aliis, quascumque attrahere vel acquirere manus eius potuit, nobiliter ditauit, ipsúmque cum omnibus ad se pertinentibus suæ Sedi & Matri Ecclesiæ, cui præsidebat, subiectum in perpetuum fore censuit, & suis successoribus, vel Matris Ecclesiæ Sacerdotibus, atque reliquis Canonicis, perpetualiter possidendum reliquit. Quod hactenus meritis beatissimæ Scholasticæ promerentibus, innumeris miraculorum virtutibus declaratur.* Hucvsque vetus Anonymus in vita sancti Betcharij. Hodie verò nulla supersunt vestigia, vt Coruaisierus & Bondonnetus in Historia Cenomanica sub eodem Berario testantur.

L. S. BENEDICTVS DEPONITVR IN MONAST. FLORIAC. Corpus sancti Benedicti, quod penes Monachos Floriacenses remansit, depositum fuit primùm in Basilica sancti Petri, deinde in Basilica beatissimæ Virginis. Qua de re sic Adreualdus capite nono. *Mummolus Abbas & venerandus*

Aigulfus,

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

Aigulfus, illis, nempe Cenomanensibus, *recedentibus leuauerunt corpus Sancti Benedicti, quod à Deo sibi collatum, certis indiciis apparentibus tenebant, & in Basilica beati Petri ad custodiendum deposuerunt. Quod cum eximia cura seruantes conferebant inter se, quo in loco eiusdem Monastery, id diuinæ voluntati concordantes humarent. Super qua re non minima eorum animos dubietas occupauerat. Sed Deus, qui benignâ pietate suâ, sancti viri corpus de loco priori transferendum decreuit, in sequenti, ei locum sepulturæ aptum prouidit. Nam cùm diu sicut iam dictum est, beatæ memoriæ Mummolus super hac re cogitaret, consiliúmque requireret, intempestâ nocte, consueta orationis furta requirens; stratis, sicuti consueuerat, dormitorium egressus, sub nudo cælo, cœpit inter alia precari, vt diuina pietas ei salubre consilium suggereret, quonam in loco sanctissima membra locaret. Affuit his precibus clemens auris omnipotentis, quæ seruos suos iusta petentes audire consueuit. Nam lux subitò cælitus emissa, ante Basilicæ frontem beatæ Dei genitricis Mariæ, in modum facis ardens, in eundem locum, vbi nunc est conditum corpus, protendi visa est, quod visum vir Domini Mummolus vt vidit, omni dubietate postpositâ, credidit quòd hic locus aptus esset sancti viri membris locandis. Igitur posthabitis mordacibus curis, & visioni omnimodò fidem dans, in eodem loco, quo sibi demonstratum fuerat, cum magno studio, in meliùs ornata Basilica, sub die pridie Nonarum Decembrium cum ingenti honore & laudibus diuinis, terra humili terram multi pretij reddere statuit, vilíque vrnâ contexit cælestem thesaurum.*

Si posterior hæc depositio, vt admodum probabile videtur, ob frequentiorem populi concursum facta est die Dominico, vtique hoc anno, qui præditus fuit literâ Dominicali B. Certè annus, quo res prædictæ contigerunt, in antiquis monumentis non exprimitur, coniecturâ tantùm colligi potest. Regino quem multi perperam sequuntur, Translationem sancti Benedicti malè collocat sub Clodoueo Rege. *Ega*, inquit, *Maiordomûs cum Nantilda Regina Regnum Clodouei administrat. Circa hæc tempora, cùm in castro Casino vasta solitudo existeret, venientes de Cenomanicorum vel Aurelianensium regione Franci, venerabilis Patris Benedicti eiúsque germanæ Scholasticæ corpora auferunt, in suam patriam asportant.* Paulus Diaconus Reginone cæterísque, qui citari possunt, antiquior Historiam Translationis, de qua nunc loquimur, exorsus est iisdem verbis, *circa hæc tempora, cùm in castro Casino*, &c. Tota quæstio vertitur in hac transitione, *circa hæc tempora*. Quàm vagæ sint atque indeterminatæ temporum notæ, quæ per eiusmodi transitiones designantur, norunt ij qui veteres Historicos pe ruolutare consueuerunt. A nostro tamen calculo Paulus non videtur recedere, prædictam enim Translationem narrat capite secundo libri sexti, deinde capite quarto eiusdem libri disserit de Synodo habita in Trullo, quam anno Christi sexcentesimo octogesimo coactam fuisse constat. LI.

Duboucherus in prima operis parte [a], cui titulus vera Origo Domûs Franciæ, super tempore quo Dux Ansehisus siue Ansigisilus interemptus est, duas opiniones proponit. Vna est eorum, qui eædem hanc anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo consignant; altera est Sigeberti & asseclarum, qui seriùs in annum Christi sexcentesimum octogesimum-quartum hanc necem reiiciunt. Neutra nobis arridet, quia Begga post Ansigisili coniugis mortem iter ad limina Sanctorum Apostolorum mox suscepit, & ab Adeodato Papa reliquias postulauit accepitque, sedit autem Adeodatus annos tantùm quatuor, ab anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum. LII.

[a] Cap. 7.

Begga marito superstes vixit annos tredecim. Non arbitramur à recta Chronologia valdè recessurum, quisquis hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio necem Ansigisili, & anno pòst decimo-tertio mortem Beggæ collocarit. In viuis superstes erat Ansigisilus, cùm ad Episcoparum Treuirensem promotus est Hildulphus, qui corpus sancti Maximini sub initium sui Pontificatûs anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo transtulit, vt ad illum annum obseruauimus. LIII.

AN. CH. 673. CHILDERICI II. R. 14.

LIV. ANSIGISILVS DVX NECATVR.

Ansigisilus Sancti Arnulphi filius in vxorem duxit Beggam Pipini cognomento Landensis filiam natu maiorem, sororémque Sanctæ Gertrudis ac illius Grimoaldi, qui post Sigiberti Tertij mortem Regnum Austrasiæ per tyrannidem Childeberto filio suo conatus est asserere. Leuiro tantum nefas molienti non adhæsit, fidus sterit in obsequio Regum, gessit apud Austrasios amplissima munera cum insigni laude. Peremptus est *à Gunduino, quem*, vt Sigebertus [a] testatur, *inuentum & nutritum de sacro fonte susceperat, & ad maximos militiæ honores prouexerat.* Addit Stephanus Abbas in vita Sancti Modoaldi commissum id scelus in venatione, cùm Gunduinus honorem ipsius Ansigisili per summam ambitionem appeteret. *Dux*, inquit, *egregius Ansegisus ab alumno suo, quem puerum fortè inuentum, & sacro fonte susceptum aluit in filium & exaltauit, crudeliter in venatione peremptus est propter appetitum honoris sui, quem tamen impius ille consecutus non est.*

[a] Ad an. 684.

LV. BEGGA EIVS VXOR IT ROMAM.

Begga, vt Molanus scribit [b], *viro suo perempto Romam adiit Dominam mundi & Ecclesiæ caput. Vnde cum benedictione Adeodati Papæ & donatis reliquiis reuersa, in honorem septem Ecclesiarum Romanarum Andanæ ad Mosam Cœnobium fundauit, in quo fœminas sub religione congregauit, quas secundùm sanctorum Canonum præcepta claustris regularibus muniuit*, vt anno sequenti dicturi sumus. In illo Molani textu nomen Adriani Papæ legitur, expuncto Adriano restituimus Adeodatum, quia Fisenus [c] in Floribus Ecclesiæ Leodiensis ita faciendum iam censuit, & in Romanorum Pontificum catalogo nullus occurrit Adrianus ante tempora Caroli Magni, cuius genus ab Angiso siue Ansigisilo & Begga verus Auctor sic repetiit. *Angisus de Begga vxore genuit Pipinum Ducem, qui Maior domûs Regni Francorum erat. Pipinus genuit Carolum Seniorem, & Ducem & Maiorem domûs Regni Francorum. Carolus genuit Carlomannum & Pipinum. Pipinus genuit Carlomannum & Carolum Regem, posteà Imperatorem cognomento Magnum. Et hæc Genealogia Caroli Magni.*

[b] D. 17. Dec. n. 1.

[c] D. 17. Dec.

674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

ANNVS
CHRISTI 674.
THEODORICI III. R. 1.
DAGOBERTI II. R. 1.

I. EBROINVS CONTENDIT IN NEVSTRIAM.

INEVNTE anno Christi sexcentesimo quarto Ebroinus cùm Austrasios sibi amicos adsciuisset, in Neustriam contendit, quæ dissensionibus post mortem Childerici commotis adhuc vexabatur. Id in vita sancti Leodegarij confirmant Anonymus & Vrsinus Scriptores synchroni, necnon Author de Gestis Regum Francorum & Continuator Fredegarij. *Austrasios*, inquit Vrsinus, *quos olim aduersarios habuerat, sibi amicos asciuit. Non diu pòst multis perpetratis sceleribus, cùm sibi flagitiorum socios adiunxisset, in Francorum fines per vim inuasit.* De rebus ab eo gestis ita scribit Anonymus in Gestis [d] Regum Francorum. *Ebroinus consilio accepto capillos crescere sinens, congregatis in auxilium sociis, hostiliter à Luxouio Cœnobio egressus in Franciam reuertitur cum armorum apparatu. Ad beatum Audoenum direxit, quid ei consilium daret interrogaturus. At ille per internuncios hoc solùm scripto dirigens, ait. De Fredegunde tibi subueniat in memoriam. At ille, ingeniosus vt erat, intellexit, & de nocte consurgens, commoto exercitu vsque Hissera * fluuium veniens, interfectis custodibus ad sanctam Maxentiam Hissera transiens, ibi quos reperit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius vnà cum Theodorico Rege & sociis quamplurimis per fugam euasit. Ebroinus autem eos vsque ad Baeio * villa insecutus est, ibique thesauros Regales adprehendit. Deinde post*

[d] Cap. 45.

* Oyse.

* Abbeuille.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

*hæc Crisciago * veniens, Regem recepit. Leudesium autem datâ fide sub dolo ad se venire mandauit. Quo facto, Leudesium interfecit.* Sed Audoenus non adeò prauè consuluit Ebroino. Quapropter omissâ illâ fabulâ Continuator ᵃ Fredegarij prædictum Anonymum meliùs ita reddidit. *Ebruinus audiens has dissensiones., consilio accepto, Francos inuicem discordantes, conuocatis in auxilium sociis, personis quamplurimis, cum multo comitatu exercituum, à Luxouio Cœnobio egressus in Franciam regreditur, vsque Issam * fluuium veniens accessit, custodes dormientes interfecit ad sanctam Maxentiam, atque Issam fluuium transiens, quos ibi inuenit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius Maiordomûs vnà cum thesauris Regis per fugam dilapsus euasit, atque Abacino * villâ euadens aufugit, ibique adueniente Ebruino, thesauros quos ibi reperit, adprehendit. Inde egressus Criscecum * villam veniens, in Pontio * Leudesium subdolè fidem promittit, simulans fefellit. Facto placito, vt coniuratione factâ cum pace discederet. Sed Ebruinus fallaciter agens (vt solebat) compatri suo insidias præparans, ipsum Leudesium occidit, Regem Theodoricum in Regnum restituit, ipse suum Principatum sagaciter restaurauit.*

* Crecy. LEVDESIVM INTERIMIT. ᵃ Cap. 96. * Oyse. * Abbeville. * Crecy. * Pontieu.

II. AVDOENVS EP. ROTOMAG. VINDICATVR A CALVMNIA.

Audoenus Rotomagensis Episcopus, longè ante hæc tempora atque etiam posteà in amicitia Ebroini fuit, tamen responsum, quod ei fecisse dicitur, inter fabellas reiicimus, quia non existimamus tantum Pontificem tam nefario consilio facem ciuilis belli prætulisse. Tunc Ebroinus, Wlfoaldus & Leudesius vniuersum Franciæ Regnum in tres factiones dissecabant. Ebroinus & Wlfoaldus Maioresdomûs extiterant, hic in Austrasia sub Childerico, ille in Neustrasia sub Clotario: deinde post Clotarij mortem, cùm Childericus Monarchiam Francorum adeptus esset, Wlfoaldus non in Austrasia modò sed & in Neustrasia Maioratum gesserat detruso in Monasterium Ebroino: regnante autem post Childericum fratrem Theodorico, Wlfoaldus à Neustrasiis pulsus in Austrasiam se receperat, Leudesius Erchinaldi Maioratu ante Ebroinum aliàs functi filius eandem dignitatem in Neustrasia obtinuerat, & Ebroinus è Cœnobio digressus ad locum quo exciderat rursum aspirabat fauente Austrasiorum turbâ non modicâ. Pontifices ac Proceres in varias partes trahebantur. Wlfoaldo studebant Austrasij magno numero. Leudesius amicos Erchinaldi quondam patris, & affines suæ nurûs, inprimis Leodegarium Episcopum Augustodunensem & Gaerinum Comitem Leodegarij fratrem sibi sociarat. Ebroinum sequebantur qui priùs amicitiam cum illo, vel inimicitiam cum Erchinaldo exercuerant, vt Audoenus Rotomagensium Antistes, quem Erchinaldo amicum haud fuisse vita sancti Eligij quam scripsit apertissimè demonstrat, ibi enim acerbiùs in Erchinaldum inuehitur, quem ceteri Scriptores impensè laudant.

III. Leudesius necatus est anno post Childerici Regis cædem proximo. Ita censet in suo Chronico Sigebertus, nec aliud innuunt Anonymus & Vrsinus in vita sancti Leodegarij. Pars Austrasiorum stabat à partibus Clodouei, quem Clotarij quondam Regis filium confinxerat ac Regem dixerat Ebroinus. Qua de re sic in vita sancti Leodegarij prælaudatus Anonymus. *Nouigento villâ iam recuperato Regno tunc Theodoricus residebat securus, cùm repentino superuentu Ebroinus cum Austrasiis affuit. Quis enim enumerare planè valeat, quæ tunc fuit direptio de Regni thesauro, vel Ecclesiarum ornamentis, quod ob amorem Christi Catholici retrò Principes deuotè in Dominicum contulerunt sanctuarium, Maiore domûs tunc etiam interfecto? Dolebant se abiectos esse meritò dum populum vniuersum cernerent fideliter declinasse post Theodericum, eo iam in Regno confirmato & Dei famulo* Leodegario *cum illius gratia in sua vrbe residente, liuore inuidiæ vri iterum cœperunt, quia dum iniustè stabant erecti, ad recuperationem accedere non valebant peruersi, & quia suadente diabolo, qui eos fide nudauerat, dum veritatis consilium iam cæcati non inuenerunt, per quod destruerent Sanctum Dei, declinant ad maiorem interitum per falsitatis commentum, per quod in Regno intulerant magnum malum, & stragem depopulationis in persecutione multorum. Denique acceperunt quendam paruulum, quem Clotharij fuisse confinxerunt filium, hunc in partibus*

PSEVDO-CLODOVEVS REX PROCLAMATVS ADVERSVS THEODORICVM.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

Austri secum leuant in Regnum. Qua de re multum collegerunt hostiliter populum, eò quòd verisimile cunctis esse videretur. Etenim cùm depopulando patriam subiugarent, etiam in nomine sui Regis, quem falsò fecerant, Præcepta Iudicibus dabant. Tunc qui eis libens noluit adquiescere, aut iura potestatis amisit, aut si non fugâ latitando discessit, gladij interemptione deperiit. Quanti autem per hoc calliditatis figmentum Theodoricum tunc defunctum, & Clodoueum Clotharij esse filium crediderunt?

IV. LEVDESIVS ALIVS A LEVTHERICO.

Nuperus Scriptor, qui familiam hodiernam Principum Lotaringicorum ab Erchinaldo Maiore Domûs Franciæ per lineam masculinam rectámque deducere conatus est, Leudesium Erchinaldi filium eundem constituit cum Leutherio seu Leuthario, cuius mentio fit apud Fredegarium [a] ad annum decimum Sigiberti Regis, id est, ad annum Christi quadragesimum-secundum supra sexcentesimum, nec alio innixus est Authore quàm fragmento Historico, quod Christophorus Vrstitius Alberti Argeotinensis Chronico præfixit. At Scriptor istius operis longè post Leudesij ætatem vixit, tótque scatet mendis, vt nullam omnino fidem mereatur. Dagobertum Regem, qui Sigibertum & Clodoueum filios paternarum ditionum hæredes reliquit, mortuum tradit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto, quid absurdius dici potest? Sub eodem Dagoberto collocat Arbogastum & Florentium Argentinenses Episcopos, qui sub altero Dagoberto prioris nepote floruerunt. Vult Leudesium Maiorem domûs fuisse priusquàm vxorem duceret, id autem alienissimum est à vero, quia Leudesius Maioratum post mortem Childerici suscepit, & Adalricus ipsius Leudesij filius Berswindam regnante Childerico coniugem sibi sociauit. Berswindam, quæ Leodegarij Augustodunensis Episcopi neptis erat ex sorore, Bilihildis Reginæ sororem vocat, id quoque veritati repugnare docuimus ex Anonymo synchrono, qui vitam sancti Leodegarij scripsit. Longum esset ceteros errores enumerare, hi sufficiant ad fidem Scriptoris eleuandam. Præterea obserua Erchinaldum Neustrasium fuisse, & teste Fredegario [b] Maioratum Regiæ Domûs apud Neustrasios iniisse anno tertio Clodouei Regis, nec alio videtur opus argumento, vt Erchinaldi filium illis temporibus in Austrasia Ducem Alamanniæ neges extitisse, Leudesiúmque qui regnante Theodorico Maioratum in Neustrasia gessit, distinguas à Leuthario qui Dux Alamannorum fuit sub Sigiberto Austrasiæ Rege.

[a] Cap. 38.

[b] Cap. 84.

V. ADALRICVS LEVDESII FILIVS DISTINGVITVR AB ATHICO LEVTHARII FILIO.

Leudesius filium reliquit Adalricum, qui regnante Childerico Berswindam Leodegarij Augustodunensis Antistitis ex sorore neptem in vxorem iam duxerat. Author Historici fragmenti, quod vitiosissimum esse apertissimè monuimus, vt Leudesium cum Leuthario Alamanniæ Duce, sic Adalricum Leudesij filium cum Athico Leutharij filio confundit, & opinioni suæ rerur optimè consultum, si Leudesium & Adalricum quos patriâ Neustrasios fuisse contendimus, in Austrasia prædiuites ac præpotentes ostendat. Id exequi conatur variarum fabularum congerie simul adunatâ. Primò Leudesium, qui Maioratum in sola Neustria post Childerici mortem regnante Theodorico gerere cœpit, Maiorem domûs sub ipsomet Childerico totius Franciæ Monarcha sic constituit. *Ebroinus ob nimia sua scelera à Francis accusatus, ab Hilderico, qui fratri in Regno successerat, in Luxouio Monasterio Burgundiæ retruditur. Et Leudesius, quem Germani Luthericum vocant, filius Erchinoldi, consilio Leodegarij Augustudonensis Episcopi Maior domûs Palatij constituitur.* Deinde fingit Leudesium Maiorem domûs in Germaniam fugisse, ne veniret in Ebroini potestatem, & Ebroinum in Germaniam ad eum misisse qui peterent vt veniret, & ipsi Ebroino Regem Optimatésque reconciliaret, Leudesium verò, licèt hominem maximè suspectum haberet, tamen componendæ pacis causâ iter ingressum, ac collocatis in itinere insidiis ab Ebroino ex improuiso exceptum, & cum aliquot militibus, qui eum comitabantur, interfectum esse. *Ebroinus*, inquit, *de Luxouio egressus & apostata factus Theodoricum Regem & Leudesium persequutus, Regales thesauros apprehendit, & quoscunque insidiatores suos reperit, crudeli morte damna-*

nit. Posteà in Germaniam cum suis, quasi pacis sub obtentu pro Leudesio transmisit, vt eius auxilio in gratiam regni peruenire potuisset, dispositis ei in itinere insidiis. Ille verò, licèt eum omnimodis habuisset suspectum, tamen pro pace restauranda iter aggressus est. Cúmque ad loca insidiarum peruenisset, Ebroinus cum suis ex improuiso consurgens, Leudesio cum aliquantis militibus occiso, ipse Principatum Regni violenter inuasit. At ex aliis Authoribus, quibus potior fides haberi debet, totum hoc negotium suprà descripsimus nullâ mentione factâ Germaniæ siue Austrasiæ, quò Leudesium fugisse nusquam suspicabitur quisquis Austrasios Ebroino tunc fauisse legerit apud Anonymum in vita sancti Leodegarij. Denique Adalricum, quòd Berswindam Reginæ sororem in vxorem accepisset, à Childerico Rege Ducatu Germaniæ donatum fuisse sic affirmat. *Leudesius duxerat vxorem de prosapia Sancti Sigismundi Regis Burgundiæ, genuitque ex ea Athicum seu Adalricum, qui patre adhuc superstite & Hilderico regnante, vxorem duxerat Berswindam nomine, filiam sororis Sancti Leodegarij, sororem videlicet Reginæ. Ob hanc causam consanguinitatis, à præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus est, habuítque sedem in villa Regia Ehenheim & in castro quod Hohemburg nominatur, genuítque filiam ex natiuitate cæcam, nomine Odiliam, quæ à Sancto Herhardo Ratisponensi Episcopo & Hildolfo Treuerensi baptizata in sacro fonte visum recepit.* Anonymus, qui vitam sancti Leodegarij scripsit, apertissimè docet Bilihildem, quæ Childerico Regi nupsit, nec Leodegarij neptem nec Berswindæ sororem fuisse. Vnde colligas Adalricum nec genuisse Odiliam nec Ducem extitisse Germaniæ siue Alamanniæ, distinguendósque esse Adalricum & Athicum, quorum hic Leuthario patri in Ducatum Alamanniæ sub Childerico Rege successerit patérque fuerit Odiliæ, ille patrem habuerit Leudesium, auum Erchinaldum, Maiores Palatij Neustrasiani, totámque vitam in Neustrasia duxerit.

VI. PHILIBERTVS ABBAS GEMMETICENS. ADIT EBROINVM.

Cùm Ebroinus bellum in Neustria gerebat, *Sanctus ad eum Philibertus* Abbas Gemmeticensis *abiit, & prædicationis verba impendit. Cúmque ei ille dare munera magna vellet, vir Dei cuncta respuens ait apostatam eum esse, nec Christianum hominem cum eo participare debere, existimans quòd potuisset hoc facto per acumen ferri palmam Martyrij obtinere. Sed seruauit illum Dominus ad multorum profectum, qui per eum vocandi erant in regnum cælorum. Fremens lupus rabidus animarum greges ex suis rapere dentibus, incitans quosdam Rothomagensium Clericos cœpit discordiam ingerere, & maliuola verba Sancto Audoeno Pontifici de Philiberto viro Domini incantare. Atque dicente Apostolo [corrumpunt mores bonos colloquia mala] credens Sanctus Audoenus Clericorum colloquio, virum Dei Philibertum, quem antè dilexerat nimiùm, retrudi iussit ergastulo.* CONIICITVR IN CARCEREM, *Quod ille ingressus cum gaudio, dum organum ibidem decantaret Dauidicum, multitudo murium, quæ volandi retinet vsum, & ibidem erat congregata ad cumulum, Dei est fugata imperio, & locum illum sordidum & obscurum diuina virtus conuertit in odorem nectareum.* EGRESSVS ADIT ANSOALDVM EP. PICTAV. *Egressus de carcere per litteras Sancti Audoeni, adiit Ansoaldum virum nobilem Pictauorum Pontificem ob Monasterij gratiam constituendi, quia multitudo hominum, qui per prædicationem illius ad Dominum confluebant, vno in loco capi non poterat. Illis itaque diebus in seculari potentia nimiùm fulgebat Ansoaldus. Quem vir Dei secretò corripuit; & multa ventura prædixit, quæ posteà rei probauit euentus. Cognoscens igitur Dei electus sacer Ansoaldus virum Dei prophetiæ spiritu repletum, culmine sanctitatis erectum, in eius se consilio commendauit ex integro, & sub religionis illius norma Episcopalem cœpit inclinare potentiam. Cúmque eum vellet secum retinere in vrbe, & Sanctus Philibertus semper desideraret eremi vastitatem;* CONDIT MONAST. IN HERO INSVLA. *largiente Domino in Hero maris insula locauit Cœnobium Ansoaldus ope & eleemosyna largitate; Philibertus religione, doctrinâ, opere; & Monachorum congerie. In quem locum de gemmato fauo Gemmetici mella diuina perrexerunt cum animarum examine. Quem Apostolicus vir Ansoaldus de rebus propriis ditauit muneribus magnis, actâ quoque commutatione villarum cum Ecclesia Pictauensi.* Huc vsque Ermentarius, Monachus Gemmeticensis, qui rogatus ab Abbate Coschino vitam sancti Philiberti conscripsit.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I. Exilium Philiberti durauit annis octo & ampliùs, idque ab ipsomet Philiberto sic aliquando prædictum est. *Cùm quidam infelix Diaconatùs fungens officio, Crucem Monasterij inuolutam argento asportasset in furto, cùm incipiente die nono facinus fuisset inuentum, vir Dei quibus credidit verbo tenus dixit, quòd tot annis ipsum Monasterium sine Pastore degeret, quot diebus Crucis stigmata perdidisset.* Rediit igitur Gemmeticum anno Christi sexcentesimo octogesimo-secundo, siue, vt idem Auctor vitæ testatur, *ingressus est Gemmeticum sua egressionis anno peracto octauo, incipiente nono.*

VII. Illo autem absente, Audoenus Rotomagensis Episcopus Monasterio Gemmeticensi consulere voluit, Abbatésque præfecit Chrodobertum & Ragetrannum, quibus quid contigerit, ita narrat Auctor præcitatus. *Cùm Sanctus Philibertus, ne cum Ebroino communionem iungeret, in Neustriam redire non vellet, Sanctus Audoenus cùm in loco illius vellet Abbatem constituere, & Monachi fortissimi absque permissu Rectoris sui nullatenus ad consensum potuissent minis ac terroribus vel blanditiis flecti, vt ei debuissent aliquatenus consentire, & fidem quam datam habebant Sancto infringere, quidam miser homunculus vocabulo Chrodobertus, cuius filium in seculo Sanctus Philibertus de sacris susceperat fontibus, & ipse posteà obedientiâ eius extiterat Monachus, contra iustitia modulum ipsius Monasterium suscepit ad regendum. Eâdem die namque damnationis ictu percussus in pede, tantúmque est cruciatus acerbissimâ peste, vt illo viuente ossa de ipso deciderent, & miserabilem vitam miserrimâ morte finiret. Sed cùm in loco huius Ragetrannus Archidiaconus fuisset à beato Audoeno Antistite subrogatus, inuento loco ad Abrincatinæ Ecclesiæ Cathedram est prælatus, atque Hebroinus apostata interfectus.* Agemus de nece Ebroini ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-primum, quo illata est.

EO ABSENTE GEMMETICENSES ABBATES FIUNT CHRODOBERTUS ET RAGETRANNUS.

VIII. Sidonius Monachus Gemmeticensis, cuius suprà meminimus, factus est primus Abbas Monasterij, quod in agro Rotomagensi Theodoricus Rex hoc anno construendum curauit. *Circa hac tempora*, inquit Menardus in istius Abbatis vita, quam ex Codice manuscripto collectam obseruationibus [a] ad Martyrologium Benedictinum inseruit, *Theodoricus Rex Francorum, filius Clodouei secundi ædificauit Rothomagi Cœnobium, quod posteà dictum est ad Sanctum Sidonium, qui perspectam habens Sancti Sidony pietatem, eum primum huic Monasterio præfecit Abbatem.* Certè ante hunc annum haud iacta sunt illius Monasterij fundamenta, quia regnante Theodorico, vixque seriùs, quia Sidonius Abbas iam erat anno Adeodati Papæ quarto, vt post biennium dicturi sumus. Caue autem ne textum proximè citatum aliósque similes, qui de sancto Sidonio loquuntur, strictè sic interpreteris, vt *Rothomagi*, id est, in ciuitate Rotomagensi completa credas quæ gesta sunt in agro seu territorio Rotomagensi. Nusquam enim conditum fuit in ciuitate Rotomagensi Cœnobium sancti Sidonij, sed quartâ leucâ ab eadem ciuitate Rotomagensi in solo * Calletensi, vbi pagus etiamnum conspicitur, qui de sancti Sidonij nomine sanctus Sidonius vulgò *Saint Saens* appellatur. Fit etiam mentio sancti Sidonij in vita sancti Philiberti [b], sub cuius disciplina vixit in Monasterio Gemmeticensi, functúsque est officio Cellerarij.

THEODORICUS REX CONDIT MONAST. S. SIDONII.

a Ad d. 14. Nou.

* *Au Pays de Caux.*

b Ap. Surium, d. 20. Aug.

IX. Iisdem temporibus, Ebroinus auctoritate recuperatâ Monasterium intra muros Suessionenses erigendum curauit adhortante Leutrude coniuge, vt Moniales illuc transferrentur ex altero Cœnobio quod extra ciuitatis ambitum erat. Obierat haud pridem Drausius * Episcopus Suessionensis, quiescebátque in prædicto Monasterio extra ciuitatem, sed translatis in vrbem Monialibus delatus est etiam in nouum Cœnobium, vbi crebris miraculis refulsit. *Post huius Sancti transitum*, inquit Auctor [c] vitæ, *grex sacrarum virginum ab ipso diligenter educatarum numero meritóque refulgens in sacra deuotionis religione intantùm cœpit pollere, & ipsâ pluralitate personarum excrescere, vt terra ipsa videretur proclamare vix se posse omnes continere. Non enim poterat sinum suum vel in breui gyro protendere, tam pro vicini muri oppositione, quàm etiam fluuij Axona * crebrâ inundatione. Nam penè singulis annis dum fluuius ipse more solito supergredi-*

EBROINUS ERIGIT MONAST. PUELLARE SUESSIONE.

* *Drausin.*

c Tom. 1. coll. Hist. Franc.

* *Aisne.*

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

tur alueum ſuum, intantùm ſe exerebat, vt prope ipſas fores domorum impingere videretur, ruinámque ipſarum ædium ſæpè minaretur. Quod cernens nobilis matrona Leutrudis animo indoluit, corde ingemuit, quòd tam negligenter tractarentur famulæ Dei. Accedens igitur ad præfatum Ebroinum virum ſuum, ſuaſit ei, iuberet Clementia ſua præparari aſylum infra ciuitatis ambitum, ad quod confugere, in quo ſubſiſtere, & vbi ab hoſtium incurſu libera ſecurâ ibidem mente Deo valeant ſeruire. Poſt hæc Ebroinus Comes Palatinus tantis precibus ſuaſionibúſque coniugis ſuæ deuictus, petenti ceßit, roganti adquieuit, Monaſteriúmque puellarum infra muros ciuitatis conſtrui præcepit, dicandum nomini Sanctæ & Intemeratæ Mariæ Matris Domini, vt ipſa ſcilicet mater caſtitatis ſibi ſubditas caſtis ſemper tueretur obſequiis. Quo non multò pòſt ita fundato, & decenti ſatis iure ordinato ac ornato, maximam ibi Sanctimonialium cateruam aggregauit, eíſque Abbatiſſam præfecit nomine Etheriam ducentem vitam moribus ætheriam, quam ex religioſo Iotrenſi Cænobio aſciuerat, vt ipſis tanquam rudibus & adhuc immaturis viam rectè viuendi ſub norma ſanctæ inſtitutionis oſtenderet. In illo Monialium Aſceterio per multos annos piè ſanctéque vixit Sigrada mater Sancti Leodegarij, de qua plura poſt biennium. Mortuo autem Drauſio Epiſcopo vacauit *aliquandiu* Cathedra Sueßionenſis, donec in eius locum ſubrogatus eſt Warimbertus. Hic ab aliquot annis Abbas erat Sancti Medardi, potitúſque eſt Abbatiâ ſimul & Epiſcopatu. Sic enim vetus Anonymus in appendice, quæ vitæ Sancti Medardi ſubiecta reperitur [a]. *Cùm iam ipſe locus*, id eſt, Cœnobium Sancti Medardi, *multa circumquaque haberetur veneratione, Warinbertus quidam, qui ſic nominabatur, poſt venerabilis Autberti deceſſum Regiâ præceptione regendum idem Cænobiale ſuſcepit Monaſterium. Quo cùm aliquot potitus eſſet annis, Drauſionem Sueßionicæ ciuitatis Epiſcopum vitâ contigit excedere, ſedémque illam aliquandiu abſque Rectore vacuam manere. Poſt eius autem lugubres inferias, vnanimi conſilio, Regis & ciuium, Warinbertum hunc, quem prædiximus, Cathedræ illi Pontificali, ſuo magis quàm Dei, vt pòſt patuit, arbitrio Rectorem ſubſtituunt. Adeptus ergo regimen Epiſcopale, multo elaborabat ſtudio, ne priori priuaretur dignitate, & licèt cum difficultate non minima, obtinuit tamen quod malè quæſierat. Eheu ſocors nimis & ignaua mens hominum! Miſer hic nimiâ cxæſtuans cupiditate, dum praua ſuæ ambitionis augere non ceſſat commercium, corporis ſui, &, quod dolendum eſt, animæ quoque ſibi (proh dolor!) præparat exitium.* Agemus infrà de diuina vindicta, quâ correptus miſerabiliter expirauit.

ETHERIA PIT PRIMA ABBATISSA.

IBI DEGIT SIGRADA MATER S. LEODEGARII.

EPISCOPI SVESSIONENSES.

[a] Ap Sur. d. 8. Iun.

Hoc anno, ſiue, vt in Chronico Sigeberti legitur, anno poſt Anſegiſili Du- X.
cis mortem proximo, Begga eiuſdem Ducis relicta, quæ marito mortuo Romam profecta fuerat, in Gallias reuerſa Cœnobium Andanæ * ad Moſam in Epiſcopatu Traiectenſi * fundauit. Septem hîc Eccleſias conſtruxit in earum memoriam, quæ Romæ ſacris ſtationibus celebrantur. His Parthenonem adiecit, aduocatis è Niuellenſi virginibus. Agnes Abbatiſſa, de qua iam locuti ſumus, Cœnobio Niuellenſi tunc præerat. Hæc Templum ſub nuncupatione Sanctæ Gertrudis erexerat, lectulumque, quo beata Gertrudis vltimum agonem iniit, in illud Templum intulerat; vt autem Beggæ faceret ſatis, virgines aliquot Deo ſacratas ad eam miſit cum parte prædicti lectuli. Pientiſſima matrona Moniales excepit quâ par erat veneratione; delatam lectuli partem propter aram Sanctæ Genouefæ virginis, vbi multis pòſt miraculis inclaruit, collocandam curauit; ſéque ſacro gynæceo cum virginibus incluſit, ſanctiorem è religioſa diſciplina vitam actura. Pulchrè laudatur à Stephano Abbate in vita Sancti Modoaldi. *Venerabilis Begga, etſi ſponſum in terris, diuinâ diſpenſante prouidentiâ cum timore Dei conſenſit ſuſcipere, bino tamen ordine ſanctitatis, hinc triceſimum fructum pudicitiæ matronalis, illinc ſexageſimum referens continentiæ vidualis, duplicem beatitudinis palmam meruit obtinere.* In eodem Monaſterio Anſegiſilum ſepeliuit. Lege illius elogium apud Molanum & Fiſenum decimoſexto Kalendas Ianuarij, notáque apud poſteriorem hunc Auctorem, vbi de Andanæ conditu ſermo fit, in margine notatiunculam, quæ vix à noſtra

* *Andene.*

* *de Maſtrich.*

BEGGA CONSTRVIT MON. PVELLARE ANDANÆ.

SEPELIT ANSEGISILVM.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1. XI.

Chronologia dissentire videatur, ita legi, *circiter annum sexcentesimum septuagesimum-quintum.*

* *de Mastrich.*

LEODEGARIVS EP. AVGVSTODVNENSIS DIRA PATITVR AB EBROINANIS.

Inter Antistites, quos causæ suæ nunquam patrocinaturos ideóque pellendos in exilium censuit Ebroinus, hi præcipuè nominantur, in Burgundia Leodegarius Augustodunensis Episcopus & Genesius Lugdunensis Metropolitanus, in Austria Lambertus Episcopus Traiectensis *. Ad vexandos Burgundiæ Præsules Ebroinus vsus est Waymero Duce Campaniæ, Didone sceleſtissimo Cabilonensium Pontifice & Bobone Episcopo Valentiæ nuper excommunicato atque exauctorato. *Quanti per hoc calliditatis figmentum*, inquit Anonymus coætaneus in vita sancti Leodegarij, *Theodoricum tunc defunctum, & Clodoneum Clothary esse filium crediderunt? Erant enim in hoc mendacio primi, & quasi Rectores Palatij, Desideratus cognomento Dido, qui quondam Cabilloniæ habuit Principatum, necnon & eius collega Bobo, qui vrbem Valenciam habuerat in dominium. Nec enim digni sunt vt vrbium nominentur Episcopi, qui magis terrenis desideriis inhiabant, & cælestia non curabant. Horum talium Sacerdotum, & similium Optimatum Ebroinus tyrannus vsus consilio, adeò vsque eleuatus & excæcatus est in hoc seculo, quousque impœnitens præcipitatus est in infernum.* Et paulò pòst. *Inter ceteros Dux quidam erat Campaniæ Waymerus vocatus, qui ad hoc malum perpetrandum à finibus Austri venerat cum Didone. Hi duo cuidam Boboni, qui nuper fuerat anathemate de Episcopatu Valentiæ vrbis deiectus, Augustiduno adsignauerunt in dominium, imò quod verius est, ad deuastandum.* Rem autem totam, prout gesta est, ex eodem Authore sic accipe. *Theodorico in Regno restabilito, cùm etiam iam securi omnes residerent in Sedibus propriis, iterum inuidi hostes contra Sanctum* Leodegarium *commouerunt, qui cuncta quæ Childericus egerat, eius actu, factione & consilio confinxerunt. Tunc adiunctis sibi nequissimis consiliis iniquorum, consulere cœperunt, quemadmodum beatum Pontificem destruere possent. Ex his autem Consiliariis duo, Dido & Waymirus, caput malitiæ effecti, dixerunt se posse rapere eum de ciuitate, & in eum facere vindictam, ex qua malitia Ebroini esset satiata. Gauisus namque Ebroinus de eorum responso, dedit eis exercitum copiosum valdè, qui festini perrexerunt ad ciuitatem. Vir autem Dei Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret in vrbe sua, vbi destinatum contra se hostium sensit impulsum, non est passus vt vltra fugaciter tenderet gressum, sed intrepidus de se Domini expectabat iudicium. Cùm enim tam familiares quam Clerici vel fideles ei imminerent, vt thesauros quos ipse contulerat auferret, & abscederet, quatenus hoc audito à perditione ciuitatis vel illius persecutione desisterent. Ille hæc nullatenus adquiescens, sed eos continuò in thesauros conuocans, omnia quæ ibi addiderat adsignans, talia prosequitur verba. Hæc omnia quæ cernitis, fratres, quamdiu terrenorum hominum me voluit gratia, ad communem ornatum prout potui fideliter contuli. Nunc verò forsitan ideo mihi irati sunt homines terreni, quia Dominus nos vocare dignatur ad gratiam cæli. Vt quid enim hoc hinc auferam quod mecum in cælum non tollo? Ergo si vobis placet, ego eligo consilium, hæc potiùs dare in vsus pauperum, quàm cum turpi sarcina huc illúcque oberrare per seculum. Et imitemur beatum Laurentium, qui pro eo quod dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, cornu eius exaltatum est in gloria. Statim iussit custodi discos argenteos cum reliquis vasis quamplurimis foras eiicere, & argentarios cum malleis adesse, qui minutatim cuncta confregerunt, quod per fidelium dispensationem iussit pauperibus erogare. Quæ autem exinde fuerant Ecclesiasticis vsibus apta, Ecclesiæ addidit ministeriis. Monasteria sanè tam virorum quàm virginum, infra vrbem vel territorium, de eodem argento consolatus est paupertatem multorum. Quæ fuit tunc vidua vel orphana, vel omnis in commune paupertas quæ ibi affuit, quæ de eius largitate consolationem non habuisset? Vir autem Domini, vt erat plenus spiritu sapientiæ, hæc verba locutus est fratribus. Ego, fratres, decreui iam de hoc seculo nihil penitus cogitare, sed magis spiritalem nequitiam quàm terrenum hostem metuere. Terrenus homo si talem à Deo acceperit potestatem, vt persequatur, comprehendat, perdat, incendat, interficiat, hæc nullatenus possumus declinantes effugere. Et si hic tradimur*

de

de rebus transitoriis ad disciplinam, non desperemus, imò potiùs gaudeamus in futuro de venia. Muniamus ergo virtutibus animam, simúlque ciuitatis custodiam, ne inueniat vterque hostis aditum, per quem inferre posšit periculum. Commouens igitur vniuersum vrbis illius populum, cum triduano ieiunio, cum Crucibus & Sanctorum reliquiis, murorum ambitum circumiens, per singulos aditus portarum terræ adhærens, Dominum precabatur cum lacrymis, vt si illum vocabat ad passionem, plebem sibi creditam non permitteret captiuare, & ita præstitum est euenisse. Itaque cùm ob metum hostium certatim populi vndique se recepissent in vrbe, & meatus portarum forti obturassent serratu, & super omnia stabilissent in ordine propugnacula, iussit vniuersos ingredi in Ecclesiam, cunctorum simul postulans indulgentiam, vt siquenquam illorum, vt adsolet, dum pro zelo rectitudinis increpasset, aut in verbo læsisset, ei indulgentiam darent. Sciebat autem vir Dei iter passionis ingrediens, non prodesse Martyrium, vbi liuore deterso non priùs fuerit cor emundatum, vel lampade caritatis illustratum. Nullus tunc fuit ibidem tam ferreum pectus possidens, qui etiamsi fuisset grauiter læsus, non omnem cordis malitiam indulsisset deuatus. Post hac nec diu vallatur ciuitas exercitu, eodémque die ab vtroque populo fuit fortiter vsque ad vesperum dimicatum. Sed cùm ab agmine hostium esset ciuitas obsidione validè circundata, & die noctúque vociferantes vt canes circumirent vrbem, perspiciens vir Domini ciuitatis imminere periculum, compescuit omnem supermuralem conflictum, & his verbis suum exorare aggressus est populum. Sinite, quæso, contra hos pugnando confligere, si mei tantùm causâ huc isti aduenerunt, ode memetipso paratus sum eorum satisfacere voluntati, eorúmque mitigare furorem. Tamen ne inauditi videamur egredi, mittatur vnus ex fratribus eos inquirere, qua de causa hanc obsident ciuitatem. Cùm subitò hi Meroaldo Abbati per muri repugnaculum præstassent descensum, perueniśsétque ad Didonem, ait ei. Si hæc nostra commiserunt facinora, peto vt interim Euangelicam recorderis sententiam, vbi Dominus dixit. [Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra.] Et illud. [In quo iudicio iudicaueritis iudicabimini.] Simúlque deprecans vt hostem compesceret, & redemptionem quam vellet acciperet. Sed quia iam tanquam lapidis duritia, sicut quondam Rex Ægyptius obdurauerat cor, ad verba diuina nullatenus potuit emolliri, comminánsque non se ab impugnatione ciuitatis discessurum, quoadusque Leodegarium posset comprehendere, & sui furoris vesano desiderio satisfaceret, nisi Clodoueo, quem falsò Regem fecerunt, promitteret fidem. Hac enim erat simulata occasio, quia omnes cum sacramento Theodericum asserebant esse defunctum. Auditis itaque vir Domini his verbis, hac dedit illis responsa. Hoc vobis omnibus notum sit tam amicis & fratribus, quàm inimicis & hostibus, quia quousque me Deus in hac vita iusserit superesse, non mutabor à fide quam Theoderico promisi coram Domino conseruare. Corpus meum decreui potiùs in mortem offerre, quàm animam pro infidelitate turpiter denudare. Hostes verò his auditis responsis, cum telorum iaculis, ac cum incendio festinanter vndique insistebant irrumpere ciuitatem. Ipse verò vniuersis fratribus valedicens, panis & vini participatione communicans, eorúmque dubia corda confirmans, suam eis vt Christus discipulis passionem commendans, ad portarum aditus perrexit intrepidus, apertísque claustris sponte se obtulit inimicis. Aduersarij verò gauisi, tanquam ouem innocuam, ipsum vt lupi susceperunt in prædam. Qui exclamans fertur dixisse. Gratias ago Omnipotenti Redemptori, qui me dignatus est hodie glorificare. Illi autem iniquissimum penè excogitantes commentum, ab eius capite lumen euulserunt oculorum. In qua euulsione vltra humanam naturam incisionem ferri visus est tolerasse. Testes enim sunt multi illustres viri, qui aderant in præsenti, quia nec vinculum in manibus est passus imponere sibi, nec gemitus processit ab ore, dum eius beati oculi à capite abstraherentur. Sed glorificans Deum modulamen semper studuit canere Psalmorum. Inter cæteros enim Dux quidam erat Campaniæ Waymerus vocatus, qui ad hoc malum perpetrandum à finibus Austri venerat cum Didone. Hi duo cuidam Boboni, qui nuper fuerat anathemate de Episcopatu Valentinæ vrbis deiectus, Augustiduno adsignauerunt in dominium, imò quod verius est, ad deuastandum. Ciues verò oppreßi receperunt

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

aduersarium, qui iam Pastorem suum amiserant, per cuius dispensationem penè omnem thesaurum asportauerunt Ecclesiæ. Nam pro ciuitatis redemptione occasione repertâ, in quinque milibus Solidorum fuit Ecclesiæ argentum distractum, præter spolia ciuium. Sed licet Ecclesia pertulisset de transitoriis rebus dispendium, nullum tamen exinde Dominus permisit abire captiuum. Igitur cùm hostes læti diuisissent spolia suprà scripta, Waymero hominem Dei tradiderunt, qui cum eodem & cum parte sui exercitûs festinans repedauit ad patriam. Desideratus verò cognomento Dido, vnà cum Bobone & cum Adalrico Duce, quem ipsi volebant Patricium fieri Prouincia, vt patriam subiugarent, perrexerunt vsque Lugdunum, vt ita exinde adducerent Genesium, sicut de Augustiduno quondam expulerant Leodegarium. Sed manu validâ populi vndique collecti vrbem hanc maximam Deo præsule non permiserunt irrumpere. Hi verò, qui Dei famulum duxerant Leodegarium, vt nunciauerunt Ebroino quod factum fuerat, in syluarum secreto eum iubet retrudi, & de eius morte quasi necato in aquis fabulam mendacem confingere, etiam & tumulum sepulturæ eius constituere, donec longa famis ediâ deberet consumi, quod qui audire potuit aut videre, verum credidit esse. Sed qui Heliam per coruum pauit in heremum, nec suum ibi deseruit famulum. Etenim post longam, quam Dei Martyr pertulit, famis inediam, reminiscens Waymerus humanam in eo naturam non aliter ita posse durare, nisi eum Christi gratia sustentaret, in domum suam eum iubet perduci. Dura etenim viscera pietate cœperunt emolliri. Cùm enim in familiare colloquium ei fuisset assuetus, ita feritatem illius in paruo temporis tractu edomuit, & tam ipsum quàm coniugem ad Dei timorem conuertit, vt argentum Ecclesiæ, quod nuper pro redemptione ciuitatis Augustiduni receperat, ei deuotus offerret, vt faceret quicquid exinde facere decreuisset. Quod vir Dei acceptum per quendam fidelem Abbatem nomine Bertonem ad prædictam redirigens vrbem, ipse verò Abbas iuxta Apostolum ad domesticos fidei diuidens, voluntatem viri Dei opere caritatis fideliter adimpleuit. Ceterùm Leodegarius in Monasterium ductus est, vt paulò pòst apud eundem Authorem hæc ostendunt verba. *Iusserunt Principes cum germano suo sanctum Leodegarium à Monasterio, in quo tenebatur absconditus, egredi.* Ibi *biennium ferè latuit* teste Vrsino. Quid secutum sit exponemus suis locis. Rem suprà descriptam, paucioribus verbis ita complexus est Vrsinus. *Ebroinus Austrasios, quos olim aduersarios habuerat, sibi amicos asciuit. Non diu pòst multis perpetratis sceleribus, cùm sibi flagitiorum socios adiunxisset, in Francorum fines per vim inuasit, immanissimámque exercens tyrannidem in Theoderici Regis conspectum venit, atque ab illo in pristinum gradum restitutus est. Ita ergo Rector Palatij & Maior domûs effectus cogitare cœpit de vlciscendis inimicis, qui eum noluissent habere Subregulum. Itaque instar leonis rugientis, per Francorum terras rugitus eius insonuit, cunctique, qui olim aduersùs eum egerant, qui tamen cædem effugere potuere, fugæ præsidia captarunt. Porrò vir Dei Leodegarius instaurandæ plebi suæ intra vrbem suam Heduam siue Augustidunum intentus erat. Reminiscens autem Ebroinus malorum omnium, quæ cum Childerico Rege illum suspicabatur sibi intulisse, adhibitis in consilium hominibus nequissimis, cum eis tractare cœpit, quâ ratione illum Episcopum perdere posset. Ex iis verò duo, Dido & Waimeris, caput malitiæ effecti, aiunt se illum rapere posse ex vrbe eius, in eúmque exercere vindictam, quæ Ebroini malitiam exsatiet. Illorum promissis exhilaratus Ebroinus copiosum valdè exercitum eis tradidit, cum quo illi festini abiere Heduam, & vrbem circa mœnia vastare cœperunt. Id cernens vir Dei Leodegarius, zelo magno accensus erga plebem sibi commissam, & Domini exemplo malens animam suam ponere pro ouibus suis, eásque lucrifacere potiùs, quàm vni suæ temporariæ saluti consulere, collecto totius ciuitatis Clero, cum Reliquiis, Crucibus, & psallentium choris, Deíque laudibus, obuiam processit hostibus suis, sponteque se obtulit ad obeundum Martyrium, si voluntas percussori non defuisset. At illi, qui eius capiendi causâ venerant, nullâ erga sacras Reliquias moti reuerentiâ, eum comprehenderunt. Fertur tunc exclamans dixisse. Gratias ago omnipotenti Deo, Redemptori meo, quòd me hodie dignatus est glorificare. Ductus est autem ab illis extra vrbem, atque illic, vt Ebroinus iusserat, eruti*

AN. CH. 674.

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

sunt oculi eius. Et humano quidem illum orbarunt lumine extrinsecus, at intus mansit illi diuinum lumen. Cùmque enim custodibus tradidissent, in quoddam Cœnobium perduxerunt, vbi biennium ferè latuit, & magnum reliquit patientiæ & humilitatis exemplum. At Ebroinus priusqoàm in gratiam cum Theodorico rediret, Augustodunum obsidione cingi curauit, vt in vita sancti Leodegarij scribit Anonymus, cui potiorem quàm Vrsino fidem habendam esse iam monuimus. Custodiæ quoque traditus est Gaerinus eiusdem Leodegarij frater. Id asserunt Authores prælaudati. Obserua prætereà Ermenatium Basilicæ sancti Symphoriani Abbatem, exulis Leodegarij loco subrogatum ab Ebroinanis fuisse apud Æduos Episcopum, vt liquidò patebit ex iis quæ post biennium referemus ex vita ipsius Leodegarij ab Anonymo conscripta.

GAERINVS EIVS FRATER TRADITVR CVSTODIÆ.

ERMENARIVS FIT EP. AVGVSTODVN.

XII.

Eodem tempore, quo Leodegarius Augustoduno, pulsus est & Traiecto Lambertus Episcopus, sic enim in buius vita loquitur Author [a] coætaneus, quem Godescbaldus Diaconus elegantiore stylo posteà perpoliuit. *Cùm interfectus fuit ab impiis gloriosus Rex Childericus, tunc inuidus omnium bonorum diabolus festinus insurrexit contra beatum virum. Tunc aduersary sauissimi iniqua & falsa consilia machinantes, vt eum de Sede Pontificali deiicerent. Et ita præualuit iniquitas eorum, & deposuerunt eum de Sede sua sine causa, & priuatus est de honore suo absque culpa. Post hac Faramundum in Cathedram illius constituerunt. Electus Dei Landebertus Pontifex perrexit ad Monasterium, quod vocatur Stabolaus, nec ampliùs in obsequium eius remanserunt quàm duo pueri. Qui vnus ex eis nomine Theodoenus, multum nobis de vita & operibus eius solitus est narrare.* Apud hunc Authorem, vt & apud Godescbalcum [b], Stephanum [c], Anselmum [d] & Ægidium [e] nulla mentio fit Ebroini, quem tamen Nicolaus [f] & Renerus [g] totius facinoris authorem constituunt ac fuisse non dubitamus, quamuis Reneto non possumus adstipulari, dum Lambertum Synodi, à Theodorico Rege consilio Ebroini conuocatæ, decreto pulsum tradit, alludit enim ad Concilium, de quo post quadriennium verba faciemus authoritate Anonymi & Vrsini qui vitam Sancti Leodegarij conscripserunt. In Monasterio degit Lambertus annis septem, vt in eius vita testantur Anonymus, Godeschalcus, Stephanus, aliíque prælaudati, hoc est, vsque ad Ebroini necem, quam anno Christi sexcentesimo octogesimo-primo referemus. Cœnobio nomen erat Stabulaus in ipsomet Episcopatu Traiectensi. Præerat Abbas Sigolinus, vir insignis sanctitate, quem Fisenus in floribus Ecclesiæ Leodiensis, secundâ parte paralipomenon, annumerat sanctis Abbatibus Stabuleti, quorum elogia suis locis ex certo mortis die non potuit affigere. Sanctâ æmulatione contendebant Lambertus & Sigolinus ad meliora, neuter enim in postremis hærendum esse sibi statuerat, tantorúmque virorum exemplo accendebantur proficiebántque plurimùm Ascetæ Stabulenses. Sedem autem Episcopalem occupauit Pharamundus. Quis hic fuerit, antiquissimi Scriptores haud produnt, Coloniensem Clericum vocant Nicolaus & Renerus, imò apud Renerum *fertur Coloniensis Episcopus conspirasse prauorum factioni, zelo inuidiæ ductus, & primores populi datâ pecuniâ ad odium Lamberti concitasse, qui etiam Clericum Ecclesiæ suæ Pharamundum ad Episcopatum Traiectensem contra ius & fas passus est promoueri.* Sedebat tum Coloniæ Aldeuinus, si Bartholomæo Fiseno in vita sancti Lamberti credimus. At restituendus videtur Stephanus ipsius Aldeuini siue Adeluini vel Abelwini aut Aldoini decessor. Tyrannidem ac pseudopontificatum Pharamundi sic describit Stephanus. *Suggestum Traiectensis Ecclesiæ latro Pharamundus inuasit ineptè. Præsulatûs nempe curam ad sæculi miserrimus rapuit pompam, non ad perennis vitæ palmam. Etenim vsurpauit Episcopium, inuasit dominium, animarum extitit latro, Ecclesiæ publicus prædo. Temerauit sacramenta Dominici Corporis, commaculauit apicem canonicæ rectitudinis, violauit sanctuarium, profanauit Sacerdotium, confudit Religionem, immutauit ordinem, perdidit innocentiam, captiuauit naturam, æquitatem debellauit, iustitiam exhorruit, benedictionem habere contempsit, maledictionem adquirere non timuit, nullum facinus exc-*

[a] Tom 1. Coll. Hist. Franc.

LAMBERTVS EP. TRAIECTENSIS MITTITVR STABVLETVM.

[b] Cap. 2.
[c] Cap. 4.
[d] Cap. 5.
[e] Addit. ad c. 5. Anselm.
[f] Cap. 6.
[g] Cap. 10.

BENIGNE SVSCIPITVR AB ABBATE.

MORES PHARAMVNDI PSEVDOEPISCOPI.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

cratus est, nullum scelus intactum reliquit, monstrauit verbo & opere quâ mentis intentione ad regimen introductus fuisset Ecclesia. Plura referre pudet, quæ doli magister egisset. Durauit hæc persecutio per annos septem, totóque illo tempore Traiectum & vniuersa fermè Diœcesis Ebroinanis partibus adhæserunt, quamuis Dagobertus Sigiberti quondam Regis filius ex Hibernia reuersus esset, ditionésque non exiguas paterni siue Austrasiani Regni iam recepisset.

AMATVS EP. SENON. EXVLAT. — DISCIPVLI S. FVRSEI SANCTITATE CONSPICVI. — ADALGISVS. — CORBICANVS. — ETTO. — FREDEGANDVS.

XIII. A Theodorico, postquàm Regnum recuperauit, pulsus est etiam in exilium, & Peronæ sub egregio Abbate Vltano in custodia permansit Amatus Senonensis Episcopus, quem maleuoli falsò accusarunt, vt scribit Auctor [a] vitæ, apud quem nulla prorsus Ebroini mentio. In Amati eiecti locum substitutus est Menerius. Tria tunc Vltanus Monasteria regebat, Fossense, Perronense & Sanctum Quintinum in Monte. Abhinc vitam in Perronensi Cœnobio præcipuè duxit. Præter Vltanum multi supererant è S. Fursei discipulis. Placet hîc obiter conglobatímque gesta nonnullorum exscribere, quæ per annos digeri non possunt. Adalgisus Presbyter Christum, inter Isaram * & Helpram fluuios, prædicauit. Ad Deum migrauit quarto Nonas Iunij, quo die colitur in Martyrologiis Benedictino & Gallicano, Algisus vtrobique dictus. Quiescit in Monasterio * sancti Michaelis, Diœcesis Laudunensis in Thierascia. Corbicanus adhæsit Adalgiso, remissus in Hiberniam, vt hæreditatem venderet, id generosè præstitit, eúmque reditum in Galliam pararet, animam Creatori reddidit. *Ipse nihilominùs*, vt Molanus [b] testatur, *cum thesauro remitti voluit Sancto Adalgiso. Vnde ad eum cum thesauro per mare aduectus est, inclusus cutibus animalium, & inuolutus linteamini cerato.* Etto siue Hetto sancti Adalgisi frater, ad lacum Corbriolo adiacentem, superatis quibusdam molestiis, quas ei Iouinus fundi dominus inferebat, Monasterium construxit, quod Donum Petri nuncupatur. Obiit prope Auesnas * in villa Fisciaco *, vbi Monasterium olim celeberrimum, hodie Prioratus qui dependet ab Abbatia Lætiensi. Colitur sanctus * Etto in prælaudatis Martyrologiis sexto Idus Iulij; Fisciaco Montes *, deinde Lætias * transuectus est. Vt autem Fisciacum, sic & Donum Petri Prioratus est hodie Lætiensis Abbatiæ, de quo sic Molanus [c]. *Remanet autem Donum Petri filia Ecclesia Fisciacensis & Prioratus Latiensis, quamuis ibi nullus Monachus, sed Sacerdos sæcularis, vt loquimur, commoretur.* Fredegandus * seu Fredegaudus Presbyter Antuerpienses erudiuit, quieuítque Turnini * prope Antuerpiam, donec Nortmanni regionem illam peruaserunt vastarúntque. Vocatur in Martyrologio Benedictino Fregandus decimo-sexto Kalendas Augusti, quo die commendatur à Molano in Natalibus Sanctorum Belgij.

[a] Ap. Surium, d. 13. Sept.
* Entre Oyse & Hespre.
* S. Michel en Tierrarche.
[b] D. 2. Iun.
* Auesne.
* Fescau.
* Saint Zé.
* Mons.
* Liesses.
[c] D. 10. Iul.
* Frego.
* Doorne.

EBROINVS VINDICATVR A CALVMNIA.

XIV. Hoc ipso anno Ebroinus partes pseudo-Clodouei deseruit, & à Theodorico Maioratum Domûs Regiæ, quem pridem sub Clotario gesserat, iterum recepit. *De Rege, quem falsò fecerat*, inquit coætaneus Anonymus in vita sancti Leodegarij, *declinat ingenium, & vt in Theoderici rediret Palatium, quorumdam factione suscipitur, & iterum subitò Maior domûs efficitur.* Totum negotium, vt gestum est, exposuimus suprà. Ebroinus, vbi pristinæ dignitati restitutus fuit, promulgato mox Edicto, quæ flagrante bello à qualibet persona & quouis in loco contra ius fásque fieri contigisset, perpetuæ dari voluit obliuioni, solósque Auctores necis illatæ Childerico poscendos ad pœnam iudicauit. Hæc idem Author iniquiore aduersùs Ebroinum interpretatione sic prosequitur. *Cùm enim alij gaudentes, alij trementes in culmine sublimassent honoris, continuò tale dedit Edictum, vt si quis cuiquam cùm in perturbatione fuisset intulisset dispendium vel prædam, nullus ex hoc gereret calumniam. Hæc autem fuit occasio, vt non redderet spolium, quod ministri sui ei contulerant ex deprædatione multorum. Cùm autem tumere in rediuiuam cœpisset superbiam, simul ac metuens ne superstites haberet æmulos eos, quorum parentibus intulerat malum. Iura enim potestatis iam adeptus duplicauit malitiam cum inuidia. Nam priores Optimates cœpit instanter persequi, & si quempiam eorum in aliqua occasione comprehendere valuit, aut gladij interfectione prostrauit, aut ad gentes extraneas ablatis facultatibus effugauit. Sanè fe-*

minarum nobilium Monasteria destruens, & ipsius religionis primarias in exilium dirigens, & quia margaritarum conculcandarum acceperat potestatem, ideo sine vlla miseratione vt porcus non timuit thesauros conculcando ornamenta irrumpere; & quia non valebat respicere cælum, ideo cor eius in terrena cupiditatis luto vltra modum fuit defixum. Etenim cùm Ebroinus crudelis de supradictis rebus suum satiasset furorem, rursum occasiones cœpit exquirere, vt blasphemiam sua crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre. Tunc Childerici mortem simulabat se velle vindicare, cùm nullus eum prior quàm ipse voluisset interficere. Publicè enim aliter quem odisset non audebat persequi.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

XV. PRÆIECTVS EP. ARVERNENS. MARTYRIO CORONATVR.

Hoc eodem anno Præiectus Aruernorum Episcopus & Amarinus Abbas, qui nuper ex Vosagi cremo in Aruerniam se contulerat, Martyrium passi sunt cum Elidio, octauo Kalendas Februarias, quo die Præiecti Episcopi & Marini siue Amarini nomina leguntur in Tabulis Ecclesiasticis necnon in Benedictinis. Sancti Præiecti Martyrium hoc anno collocandum docent ea, quæ superioribus annis narrauimus. Nec refragantur acta sancti Boniti, quæ sanctum Auitum eiusdem Præiecti successorem testantur sedisse *ter quinis ferè ampliùs annis*, & ad Deum eo migrasse tempore, quo *sub Theodorico Principe Pippinus Regni Primatum tenens, atque curam Palaty gerens, cuncta gubernacula suo disponebat arbitrio.* Mortem enim sancti Auiti consignabimus duodecimo Kalendas Februarias, anno Christi sexcentesimo vndenonagesimo; Theodorici regnantis in Neustrasia decimo-sexto, in Austrasia nono; Pippini Principis secundo.

XVI.

Quia Felix Episcopus Aruernensis *Candidinense Cœnobium tradidit ad regendum Praiecto*, vt in huius posteriore vita legitur [a], Benedictini suo sodalitio Præiectum adscribunt. At Præiectus in Candidinensi Monasterio nec Monachus nec Abbas fuit, neque enim Abbatis sed Sacerdotalis Ordinis officium gessisse dicitur, cùm promotus est ad Episcopatum. *Ciues*, inquit Author prioris vitæ, *in electionem Praiecti verba deprompserunt, qui illis diebus officium Sacerdotalis Ordinis in prafata vrbe gerebat.* Amarinus seu Marinus qui Monasterio Doroangi siue Claroangi in Vosago præfuit, sancti Columbani potiùs quàm sancti Benedicti Regulam professus videtur, & à Wione turpiter hallucinante perperam vocatur Abbas Claroangi in villa Morago in Aruernia. Saussaius Elidium appellat religiosissimum Monachum, Acta non Monachum faciunt sed vnum è satellitibus aut comitibus Episcopi, Acolythum interpretamur quia Ferrarius [b] docet Acolythum Martyrem cum sancto Præiecto Episcopo Aruernensi, cuius minister erat, coli Parentij in Istria quò eorum corpora ex Aruernis aduecta credit, sed Aruerni [c] iure contendunt sanctum Præiectum apud Vilouicum quiescere.

[a] Ap. Bolland. d. 25. Ian.

[b] D. 25. Ian.

[c] Petr. Durand. in origin. Claromont.

XVII.

Sancti Præiecti sociorúmque Martyrium literis commendarunt duo Scriptores coætanei. Posterioris, quia breuior est, textum recitabimus. *Dum Sancti, nempe Præiectus & Amarinus, in mandatis Domini pariter aliquantulùm temporis conuersarentur, contra eos hostis antiquus per ministros suos exarsit. Denique Agricium quemdam virum nefarium commouit, atque illius consilio Aruernorum Proceres in necem Sanctorum armauit. Cúmque viri Dei simul consisterent in loco nuncupato Volouico* *, *repentè super eos turba irruit persequentium, proferentes fremitum & sonitum buccinarum. Quod cùm milites Christi cœpissent audire, in orationibus prostrati, ad agonem Martyrij se studuerunt praparare. Ministri verò eorum subito timore perculsi, qui euadere potuerunt, fuga præsidium quæsierunt, præter duos tantùm, qui cum Sancto* * *Praiecto perstiterunt. Reliquos verò quos malignantium turba inuenit, nudos abire permisit. Cúmque sacer Domini Amarinus foras voluisset egredi, & prædicationis gratiâ furorem persequentium mitigare, eum Dei Sanctus Praiectus compescuit dicens. Noli, frater carissime, præparatam coronam differre, quia si modò eam non adsequeris, forsitan posteà non attinges. Quod ille audiens restitit, & ingredientibus duobus iniquitatis ministris, coronam Martyry prior accepit, cúmque carnifices Sanctum Praiectum occidisse se crederent, & foras ad socios remearent, ille eos de loco, in quo orabat, vocauit, & dixit. Ecce hic est quem*

* Voluic.

* S. Priet.

AN.CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I. *quaeritis, facite quod cupitis. Tunc vnus ex illis, genere Saxo, nomine Radebertus, beatum Praiectum gladio percussit in pectus. Tunc ille roseâ sanguinis vndâ perfusus Dominum inuocans orabat attentius. Ne statuas illis hoc peccatum, Domine, quia nesciunt quid faciunt. Hac eo dicente cruentus lictor gladio caput eius percussit, cerebrúmque eiecit. Sic sancta illa anima vinculis carnis absoluta, inter choros Angelicos, remunerante Christo, caelestia peruenit ad regna, obtinens cum Sanctis Martyrij palmam. More namque prophetico electus ab vtero, purpurantem stolam sortitus est in triumpho. Quidam verò de Senatoribus Bodo & Placidus, qui in mortem viri Dei consensum praebuerant, non longè adstabant cernentes, cùm subitò viderunt tres stellas super domum, in qua Sancti iacebant, splendere, & vna ex ipsis maiorem dabat fulgorem: cognoscentes illi per pietatem Domini hoc ostensum fuisse ad sanctorum gloriam, vt & ipsi sua corda per poenitentiam lauarent, terrore compulsi, coeperunt de commisso scelere poenitere. Satellites verò qui hoc facinus perpetrarunt, Sanctorum corpora inhumata reliquerunt. Radebertus verò qui Dei famulum peremit, vincens consumptus à vermibus, indignam vitam digna morte finiuit. Tunc multitudo Sacerdotum, Sanctorum corpora deferentes, cum honore maximo & magna elegantia tumulauerunt, Sanctum scilicet Praiectum, & Amarinum, & vnum ex satellitibus eius Elidium.*

XVIII. Adeò celebris fuit Sancti Praiecti memoria, vt Anonymus qui libellum de Ecclesiis & Altaribus Claromontanis scripsit, obseruet erectas in illius honorem Ecclesias duas cum altaribus quinque, de quibus aliâ iam occasione locuti sumus ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quintum [a]. Ecclesiarum altera, cuius nec vola nec vestigium superest, in territorio Rabanessae * quondam emicuit, & hortus Rabanessae propter Ecclesiam Sancti Praiecti nunc etiam censum matri Ecclesiae pendet; tribus ornabatur Altaribus, Sancti Praiecti, Sancti Boniti, & Sancti Pardulfi; vicina erat Ecclesiae Sancti Iacobi, quae in vetere libro *Ecclesia Sancti Iacobi de Rabanessas* appellatur, hodie *S. Iamme*, superstátque adhuc integra non procul ab Ecclesia Sancti Amandini, olim dicta Ecclesia Sancti Saturnini, in qua Sanctos Amandinum & Sidonium sepultos fuisse iam obseruauimus. Altera Sancti Praiecti Ecclesia decorabatur tribus Altaribus, Sancti Praiecti, Sancti Martini, & Sanctae Teclae. Lege praedictum libellum de Ecclesiis & Altaribus Claromontensibus cum notis Sauaronis.

a Nom. 6.
* *Rabanesses.*

XIX. AVITVS SVCCEDIT. Auitus Sancto Praiecto in Episcopatum successit. *Progenie Aruernica vrbis oriundus fuit, cuius pater Theodatus, mater verò Syagria vocitata est, è Senatu Romano duntaxat nobili prosapiâ; vir exterioribus studiis eruditus, sacrísque litteris, omnibúsque officiis prapollens*, vt in vita Sancti Boniti fratris legitur. Ob miracula, quae ad Sancti Praiecti sociorúmque Martyrum reliquias fiebant, *in loco vbi Sancti fuerant interfecti, Monasterium studuit collocare, Basilicam erigere, & vnum ex parentibus Sancti Praiecti, Godonem nomine, Abbatem constituit*, vt in posteriore Sancti Praiecti vita narratur. In illud Monasterium, quod à loco Volouicense dictum fuit, Isoriaco * siue Iciodoro Sanctum Austremonium transtulit. Huius Translationis [b] extat Historia, sed in multis corrigenda, nam Austremonium, quem Gregorius Turonensis [c] Confessorem dixit, Martyrem vocat, & illo temporis interuallo quod à Cautini Pontificatu ad Auiti Praesulatum effluxit, Iciodorum siue Isoriacum à Wandalis euersum testatur, qua de re nihil apud Authores synchronos reperitur.

MON. VOLOVICENSE.
* *Issoire.*
b Ap. Labb. Tom. 2. biblioth.
c Lib. 1. c. 18.

XX. BONITVS PRAEFECTVS MASSILIAE. Sub idem tempus, Bonitus Auiti frater, quem sub Sigiberto Austrasiae Rege Principem Pincernarum ac Referendarium vidimus, vt Auctor vitae synchronus testatur [d], *conspectui* Theodorici Regis *ita paruit gratus, vt eligeretur praefecturae Missilia prima prouincia.* Praefectura Massiliae dicitur *prima prouincia*, quia olim, vt ex variis catalogis [e] constat, inter Galliae prouincias semper priore loco Viennensis prouincia ponebatur sub qua erat Massilia. Qualem in illa praefectura Bonitus se gesserit, audi ex eodem vitae Scriptore. *Caussas sibi commissas ita perorauit, vt iam non vt Iudex, sed vt Sacerdos fore videretur. Non*

d Ap Bolland. d. 15. Ian.
e Tom. 1. coll. Hist. Franc.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

multò pòst inibi, vt moris erat, homines venundari, atque exulitatis captiuitatísque pœnâ damnari, suo nusquam fieri decreto praecepit, sed magis eos, quos reperire potuisset venditos, sicut semper agere consueuerat, redimendo ad propria reducebat. Sed inter ista ieiuniis & orationibus insistebat, vt non iam vni sed multis futurus summo Sacerdotio dignus videretur. Erátque in sermone lenis, inter discordes patiens, & ad concordiam semper reducens.

XXI. ECCLESIA CASTRENSIS DICATVR.

Hoc anno in honorem Sancti Benedicti Deo dicata est Ecclesia Monasterij Castrensis in Diœcesi Albigensi, cùm lustra duodeuiginti siue anni nonaginta post beati Mauri mortem effluxissent in vulgata eorum opinione, qui sequuntur Odonem Interpolatorem Fausti, Sanctúmque Maurum quadraginta dumtaxat annis in Gallia degisse, vitámque anno Christi quingentesimo octogesimo-quarto clausisse fabulantur. Extant [a] ea de re hi Versus fronti eiusdem Ecclesiæ inscripti.

Faustinus lapsis à Mauri morte decem octo
Lustris, has Sancto Benedicto dedicat aras,
Impensísque suis tota est structura peracta.

[a] Ap. Dacher. Tom. 7. Spicileg.

XXII. FAVSTINVS ABBAS CASTRENSIS.

Huic Faustino secundus in Castrensium Abbatum catalogo locus tribuitur, vt anno priori notauimus. Illam dignitatem suis etiam metris complexus est is, qui frontem Ecclesiæ Deo Castris in honorem Sancti Benedicti dedicatæ Versibus exornauit, nam proximè citatis hos subiunxit,

Aptanítque suis humeris de more cucullam,
Religionis amans Cellis se deuouet istis,
Atque Abbas factus mirâ pietate refulsit.

XXIII. GERVASIVS EP. VESONTION. OBIT.

Hoc anno Geruasius Episcopus Vesontionensis obiit. Habetur in Sanctorum numero apud Chiffletium in Historia [b] Bisuntina & apud Miræum in Fastis Belgicis ac Burgundicis [c]. Successit Claudius ex Canonico eiusdem Ecclesiæ. Hic cùm Canonici munere defunctus esset *duodecim annis*, vt apud Chiffletium Auctor vitæ scribit, *electus est in Archiepiscopum.* Vox (*Archiepiscoporum*) Scriptorem indicat Claudio recentiorem, nec aliud innuit nota temporis ab Incarnatione Domini petita. Id studiosiùs obseruamus, vt nullomodò te moueat annus Incarnationis Dominicæ sexcentesimus vicesimus-sextus, quo Claudij promotionem in Episcopum ab illo Anonymo consignatam leges. Res autem ita gesta est. *Infirmante Præsule* nempe Geruasio, *infirmitate quâ decessit, vir beatissimus* Claudius *timens quod pòst euenit ne scilicet in Pontificem eligeretur, Ecclesiam ipsam ad tempus relinquere disposuit, & ad suos parentes deuenire festinauit, & cum iisdem in ipsa Salinensium * villa habitare cœpit. Dicto autem Præsule viam vniuersæ carnis ingresso, Clerus & populus per aliquod tempus fuerunt in eligendo discordes, illis volentibus vnum, aliis verò alium, tandem post multas altercationes inter se habitas ad se redierunt, & vnanimes in oratione & fletu se prostrauerunt, supplicantes humiliter, vt meritis beatæ Dei Genitricis & Sancti Ioannis eorum Patroni, & omnium Sanctorum, Dominus eis misericorditer inspirare dignaretur, quem in Pastorem dicta Ecclesia eligere deberent. Orantibus autem illis, vox de cælo intonuit, quæ ipsos Canonicos, vt à fletu cessarent, monuit, & beatum Claudium eligerent. Tunc Canonici non modicùm lætificati, Sanctum virum vnanimiter elegerunt, & factâ huiusmodi electione non humanâ sed potiùs diuinâ, miserunt ad Sanctum virum honorabiles totius Ecclesiæ & ciuitatis, pro obtinendo & habendo eius consensu, & pro reducendo ad ipsam Ecclesiam memoratam. Factâ autem prædictâ electione & beato viro præsentatâ, ac in dicta Salinensi villa diuulgatâ non est nostrum dicere, quantâ lætitiâ tota villa fuerit repleta, ad quantásque eius parentes eruperunt gratiarum actiones. Habito eius (quem denegare non potuit) consensu, qui destinati fuerant, reduxerunt eum ad Bisuntinensem * ciuitatem, & ibi eius diuulgato consensu, quis dicere potest in quanto gaudio ciuitas fuerit; quantásque gratiarum actiones Domino egerit?* Quæ proximè sequuntur, nullam merentur fidem. *Celebratis*, addit Auctor vitæ, *gratiarum actionibus Canonici miserunt ad Romanum Pontificem pro obtinendo ipsius electionis*

[b] Part. 2. c. 28.
[c] D. 7. Aug.
* Salins.
SVCCEDIT CLAVDIVS.
* Besançon.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I. *canonicam confirmationem, pro qua dictus Pontifex, comperta rei veritate, laudes immensas & gratiarum actiones cum lacrymis Domino retulit, & quantum necesse fuit, ipsam approbauit anno sexcentesimo vicesimo-sexto Incarnationis Dominica.* Ac illa ætate inconsulto Romano Pontifice eligebantur, suæque Ecclesiæ administrationem suscipiebant Antistites Bisuntini, nec anno Christi sexcentesimo vicesimo-sexto electionem Claudij confirmare potuit Papa, cùm Claudius beato Geruasio ante annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum haud successerit.

XXIV. EIVS VIRTVTES IN PONTIFICATV. *Factus autem Archiepiscopus, subitò officium Pastorale feruenter exercere cœpit. In collegio namque residens Ecclesiam deuotè frequentabat. Missas solemnes reuerenter celebrabat. Horis Canonicis continuè intererat. Sermones Clero & populo, memoratu dignos faciebat. Causas Ecclesiasticas horis debitis benignè audiebat, & decenter determinabat, nec propter ipsas seu quæuis alia negotia Ecclesiastica (qua tamen irreprehensibiliter administrabat) nisi esset euidens necessitas, Ecclesiam horis, quibus diuina officia celebrantur, dimisit. Exponebat disertissimè sacratissimas sententias veteris & noui Testamenti, & per suos mellifluos sermones eradicabat vitia, virtutes inserebat, erat namque profundissima literatura, & per omnia similis bono Patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Visitabat sæpè prouinciam sibi commissam, sacram verbi doctrinam seminando, & vt plura vno verbo recludantur; per omnia fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Erat etiam, vt diximus, valdè dulcis & affabilis, pius & mitis, quibus virtutibus miro modo omnium ad se attrahebat affectum, & nihilominùs tantùm erat in Dei amore eleuatus, quòd in contemplatione assiduè fixus vix poterat ad corporalem refectionem declinare, vocatus tandem ab Oratorio & studio letus & hilaris ad mensam descendebat.* Hæc Auctor vitæ.

XXV. AMATVS FIT EPISC. SEDVN. ROCOLENVS ABB. AGAVNENSIS. Sub hæc tempora, cùm Theodoricus iam regnabat, Amatus ex Abbate Agaunensi factus est Episcopus Sedunensis, mortuo Protasio, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quartum [a] fecimus. Eidem autem Amato ad Infulas Sedunenses vocato successit in administrationem Agaunensis Monasterij Rocolenus, cuius nomen, prædicto Amato prætermisso, perperam in catalogis Agaunensium Abbatum proximè post Stagirum inuenitur. De Amato sic scribit Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Historia Chronologica Regionis Pedemontanæ. *S. Amatus natione Neapolitanus, & Monasterij S. Mauritij Abbas, vocatus ad Episcopatum Sedunensem tempore Theodorici, magnâ fide & diligentiâ præfuit.*

[a] Num. 10.

XXVI. DEODATVS EP. VIENNENSIS. Regnante eodem Theodorico Pontificatum Viennensem, vt Ado in Chronico testatur, gessit Deodatus *magnæ parsimoniæ vir*, tantæque sanctitatis, vt Idibus Octobris in Breuiario Viennensi colatur.

XXVII. S. DISIBODI EREMVS. Ad hunc annum de sancto Disibodo seu Dysibodio Marianus Scotus aut potiùs eius Continuator Dodechinus ita scribit. *Anno 674. Hibernia Insula sanctis viris plena habetur, de qua beatus Pater noster Dysibodius Episcopatu abdicato cum plerisque sociis egressus hunc locum inhabitauit; & diuinis laudibus hic se à fidelibus venerari apud Deum promeruit.* Extat sancti Disibodi vita, quam à sancta Hildegarde Bingensi Abbatissa, iussu Helengeri Abbatis, conscriptam Surius [b] publicauit stylo, vt plerumque solet, mutato. Disibodus natus est in Hibernia. Episcopatum in eadem obtinuit Insula. Pulsus è Sede profectus est in Alemanniam. *Post decem peregrinationis suæ annos* consedit in Diœcesi Moguntina. Transmisso fluuio, quem *Glan* vocant, in montem excelsum & syluigerum ascendit cum tribus comitibus, Gisualdo, Clemente & Salustio, quos adduxerat ex Hibernia. *In montis descensu ad Orientem, propter aquæ compendium, sibi habitationem designauit, vitaque institutum, quod diu concupierat, strenuè inchoans, orando, vigilando, ieiunando, durè & asperè solitariam illic vitam duxit. Socij autem eius, qui cum eo erant, ne sibi inuicem gaudio essent, singulatim sibi construxere habitacula procul ab illo. Sustentabantur autem aliquandiu radicibus herbarum, cùm alias escas non haberent. Porrò mons ille in circuitu cum syluis*

[b] D. 8. Iul.

ipsi

ipsi adiacentibus , locis quoque tum peruiis tum inaccessis, non vnius alicuius duntaxat erat, sed eius prouinciæ complures homines plusquàm vnius milliaris spatia sibi vendicabant. Inde accidit, vt vel venationis, vel piscationis in propinquis fluminibus , vel lignorum cædendorum, vel aliarum rerum necessariarum causâ in eam syluam plerique ingrederentur, & beatum Disibodum aut radices effodientem, aut alia necessaria circumquaque colligentem crebrò cernerent. Inde verò cœpit post aliqua temporis spatia in populi notitiam venire. Iam enim rumor sparsus erat in vulgus, sanctum quendam hominem cum aliquot sociis à Deo missum, in eum locum aduenisse. Quod cùm plerisque admirationi esset , ad eum accedebant , & de rebus vtilibus cum illo sermones conferebant. Accipiebant autem ab eo verba salutis & vitæ. Ab eo enim tempore , quo à patria exulare voluit, vsque in præsens multam posuerat operam in gentis eius lingua discenda , eámque pro suo modo & capere & exprimere poterat. Vnde factum est , vt quibus ille sermones & adhortationes indeficientis vitæ promebat, iy res corpori sustentando necessarias ei & sociis eius sæpè suppeditarent. Ille verò cum sociis suis pauperes & egenos colligens, quicquid de victu quotidiano superesset, illis distribuebat. Quantò autem magis affligebat carnem suam , tantò illum Deus copiosiori augebat gratiâ suâ , & per miracula quoque eum celebrem cunctísque manifestum reddebat. Permulti enim ad eum adducti infirmi & debiles , per eius merita diuinitus repentè curati sunt. Sed hoc ipsum ille præ humilitate reformidans, humanas laudes , quantùm licuit , declinauit. Famâ verò sanctitatis eius per totam regionem volitante, quidam religiosi homines ad eum venere , paruúmque Oratorium in montis descensu versùs Orientem ei ædificarunt, in quo diuina officia cum suis celebraret, vt tum ipsi, tum alij ad eum venientes, vitæ verba & pascua ab eo perciperent. Aly autem ad Occidentem in planitie pedis eiusdem montis vepres & frutices extirpantes , beato viro hortos & pecudum pascua paruáque tuguria appararunt. Propter eos frutices, quos vulgò studinos vocant , locus ille initio dictus est Studernheim. Multi autem etiam ex longinquis regionibus ad beatum virum confluxere, animas suas bonâ fide & spe illi commendantes. Interim eius prouinciæ habitatores, diuino instinctu compuncti , timere sibi cœperunt , séque negligentiæ accusarunt, quòd locum illum, quem Dominus ad honorem & gloriam nominis sui per sanctum suum visitasset , ipsi tam propinquum non adirent , nec facultatibus suis ornarent & augerent. Inde adeò factum est , vt Principes & nobiles opulentíque homines cum reliquo eius regionis populo , montem illum cum omnibus finibus eius vltra decurrentes fluuios Naham & Glan in longum & latum ei & posteris eius donarent, vt piis hominibus illic congregatis vitæ degendæ necessoria affatim suppeterent. Naha * seu Nahus augetur Glano à dextra, deinde apud Bingium * in sinistram Rheni ripam egeritur.

* *La Naha.*
* *Bingen.*

XXVIII.

Disibodus *diu noctúque multùm æstuans , secum animo reputabat , quemadmodum ex longo tempore desiderasset rationem aliquam inuenire , quâ locum quendam posset obtinere , vbi religiosos & asperioris vitæ studiosos viros colligeret. Didicerat enim in spiritu par esse , vt spiritalium hominum conuentus eo in loco suo Creatori seruiret. Agente autem Spiritu Sancto , omne animi sui studium & voluntatem ad vitam & doctrinam Sancti Benedicti , qui iam ad Deum transierat , & quosdam beatos viros , sanctæ institutionis suæ fideles administros , iis temporibus adhuc superstites reliquerat, appulit, & ad longinqua loca , vbi ea institutio religiosè & sanctè colebatur , nuncios misit , supplices preces offerens , vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præscriptum doctrinæ beati Benedicti plantaturi. Is enim Sanctus Pater Benedictus Regulam , quæ spiritalibus hominibus esset accommodata, è Sanctorum vitis Sancto Spiritu docente & ostendente condiderat. Ita ergo quamplurimos beatus Disibodus eiusmodi instituti & conuersationis viros religiosos ad se adduxit , quibus etiam Oratorium & congrua domicilia in montis supercilio , propter difficilem & arduum accessum , contra Orientem construenda curauit , ne aduentantis populi strepitu interturbarentur , & feruor atque rigor instituti , quotidianâ eò confluentium visitatione dissolutus & eneruatus in desidiam & segnitiem abiret. Porrò ipse solitarius permansit in domicilio & Oratorio illo , quod in montis descensu ad*

MONASTERIVM.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

Orientem, vt diximus, extructum erat, vt ad occursantia omnia paratus esset, & superuenientibus pro cuiusque ratione & conditione opportuna posset responsa dare. Ea verò fratrum congregatio tam pietate erga Deum, quàm habitatorum numero crescebat, cunctáque agenda & habenda, imperio Sancti Disibodi subiacebant, communísque ab illis vita secundùm beati Benedicti institutionem exercebatur. Hæc fuerunt initia celeberrimi Monasterij, quod postmodum nomen Sancti Disibodi gessit, vt & locus mons Disibodi dictus est vulgò *Disenberg*.

XXIX. ÆTAS. Surius in margine ad vitam Sancti Disibodi notauit annum Christi quingentesimum sexagesimum, existimauítque illum eodem anno floruisse, qui decimus-septimus ab obitu Sancti Benedicti numerabatur. In eam iuit sententiam, quia Hildegardis hæc scripsit de tempore, quo Disibodus apud Alemannos mansit priusquàm in monte Diœcesis Moguntinæ substitisset. *Dum apud illos*, nempe Alemannos, *moram facit, apud se deliberans, quonam conferre se debeat, gratissima beati Benedicti & religionis monastica ab illo instituta fama ad eum perlata est. Nam non ita pridem è vita excesserat Sanctus Benedictus, & plurimos instituti sui cupidos sectatores post se reliquerat.* Et infrà, cùm Disibodus in prædicto monte domicilium iam fixisset, *Sanctus Benedictus iam ad Deum transierat, & quosdam beatos viros, sanctæ institutionis sua fideles administros, iis temporibus adhuc superstites, reliquerat.* Verùm Hildegardis Bingensis Abbatissa tantæ non est apud nos auctoritatis, quantæ Dodechinus qui Monasterium Sancti Disibodi cum Abbatis titulo gubernauit. Hunc Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis ita commendat. *Dodechinus Abbas Monasterij Sancti Disibodi, ordinis Benedictini, in Diœcesi Moguntina, continuauit Chronicon Mariani Scoti vsque ad annum 1200.* Scripserat Marianus Chronicorum libros tres ab Orbis conditu ad annum vsque Dominicæ Incarnationis millesimum octogesimum-tertium. Textum autem suprà citatum, qui de Sancto Disibodo seu Dysibodio in vulgatis Mariani Chronicis ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quartum legitur, attribuimus Dodechino, quoniam Auctor in Monasterio Sancti Disibodi se degisse palàm testatur. *Beatus*, inquit, *Pater noster Dysibodius Episcopatu abdicato cum plerisque sociis egressus hunc locum inhabitauit, & diuinis laudibus hîc se à fidelibus venerari apud Deum promeruit.* Dodechinum illius Cœnobij Abbatem fuisse constat. Marianus verò nusquam degit in illo Monasterio. Monachum enim induit Coloniæ, post biennium profectus est Fuldam, post annos vndecim venit Moguntiam, ibíque reliquam vitam traduxit. Lege illius Chronicon ad annos Christi, millesimum quinquagesimum-sextum, millesimum duodesexagesimum, millesimum vndeseptuagesimum, & Dodechinum ad annum Christi millesimum octogesimum-sextum. Trithemius [a] Chronologiæ nostræ contra Surium tuendæ non parum fauet, quia de Sancto Disibodo seu Disiboto sub Clodoueo Francorum Rege, Dagoberti filio, sic disserit. *Sanctus quoque Disibotus Monachus & Presbyter, in Diœcesi Moguntina, in Comitatu Spanhemensi, duobus à Cruciniaco *, & vno à Monasterio quondam meo Spanheim, milliaribus, eremiticam ducens vitam, in eo loco prope Sobernheim, vbi Nahus & Glanus confluunt, Monasterium construxit Monachorum, quod eius nomine hodie constat.* Obiit Clodoueus anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-quinto. Disibodus, teste Hildegarde, *triginta annis* in monte ad confluentes Nahi & Glani Deo fideliter seruiuit. Nihil igitur repugnat quominùs Disibodus in Diœcesim Moguntiacensem venerit regnante Clodoueo, ibíque superstes vixerit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto. Certè vt annus ignoratur quo Disibodus in prædicto monte stationem elegit, sic nec annus determinatè statui potest quo desiit viuere, quicquid autem sit de vtroque, floruit Disibodus septimo seculo, nec eius peregrinatio mansionésque extra Hiberniam ad sextum seculum referri possunt.

[a] Lib. 2. Compend. Annal.

* *Creutznach.*

XXX. Miramur Dodechinum à Labbeo in Dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis [b] Abbatem dici Sancti Disibodi *in Diœcesi Treuirensi.* Mo-

[b] In Mariano Scot.

nasterium Sancti Disibodi constructum fuit in Episcopatu Moguntino. Testes AN. CH.
huius assertionis, quos suprà descripsimus, Trithemius & Miræus; testis & Se- 674.
rarius in Historia Moguntiacensi, vt suis locis ostendemus. Miramur & Sanc- THEO-
tum Disibodum seu Disiobodum à Sausaio in Supplemento Martyrologij DOR. III.
Gallicani [a] *Monachum* exhiberi *in suburbio Moguntiæ*, necnon diuinæ gratiæ DAGOB.
splendoribus adeò coruscantem, vt *demortuo Abbati, ex sodalium voto, quam-* II. RR. I.
uis renitens, sufficiatur. De situ Monasterij, cui Sancti Disibodi nomen indi- [a] d. 8. Iun.
tum, nihil repetemus. Hildegardis in vita Sancti Disibodi distinctissimis ver-
bis negat eum Monachum fuisse. *Ipse*, inquit, *solitarius permansit in domicilio & Oratorio illo, quod in montis descensu ad Orientem, vt diximus, extructum erat, vt ad occursantia omnia paratus esset, & superuenientibus, pro cuiusque ratione & conditione, opportuna posset responsa dare.* Et infrà. *Duxit vir sanctus inter suos vitam eremiticam.* Et paulò pòst. *Sanctus pater Disibodus in eiusmodi seueritate viuens subditos suos ad omne opus bonum verbis & exemplis animauit, vt solent qui ignem iam ardentem appositâ materiâ magis etiam ardere faciunt. Atque eâ causâ, viuente illo, alium magistrum non requirebant, maximè cùm eius iussu & voluntate tales inter se haberent, qui ipsos sine offensione & murmure per iter rectum dirigerent. Habitum autem monasticum, quo eius congregationis fratres vtebantur, ipse non induit. Permiserat enim illis viuere ad propositum Regulæ Sancti Benedicti, cùm ipse seuerius & magis arduum vitæ genus sequeretur. Idcircò autem habitum illum sumere noluit, ne si fratribus habitu similis esset, nec tamen quicquam remitteret de sua vita asperitate & rigore, in ieiuniis, vigiliis, ceterísque carni molestiis exercitiis, ipsorum instituto derogare, & viuendi communem modum euertere videretur.* Non igitur vixit Disibodus in Monasterio Moguntiacensi sub Abbatis disciplina, cui postmodum in administrationem eiusdem Cœnobij successerit. Verùm Abbas vocari debeat, iudicium esto penes Lectorem vitæ. Talem titulum sibi nunquam arrogauit, curam tamen congregationis gessit, eámque rexit per fideles administros, qui Regulam Sancti Benedicti à fratribus obseruari
summoperè curabant. Apud Surium [b] appellatur *Episcopus*; apud Gono- [b] d. 8. Iul.
cum [c]; *Eremita*; in Martyrologio Benedictinô [d], *Monachorum Pater in Diœcesi* [c] Lib. 2. de vit. patrum occid.
Moguntina. Satis ex supradictis constant hi tituli. Disibodus ordinatus fuit [d] d. 8. Iun.
Episcopus in Hibernia, vitam duxit eremiticam in Episcopatu Moguntino, túncque, quamuis solitarius permaneret, complures aggreganit Monachos, quos Regulæ Sancti Benedicti penitus addixit, gnbernauitque per fideles inspectores, vt dictum est suprà.

Tandem morti proximus Abbatem prædictæ congregationi constituit. *Iam* XXXI.
triginta annis in eo monte Deo fideliter seruierat, & fratribus suis necessaria quaque abundè subministrarat. Inde porrò ægrotare cæpit, plùs labore quàm senio exhaustis corporis viribus. Conuocatis igitur fratribus, Patrem eis nominauit, eundémque tum primùm ipsis petentibus præfecit, omnia, quæ eius loci erant, committens. Ante illum enim diem Patrem sibi designari noluerant alium, præter ipsum, cui vni in omnibus tanquam Patri obedierant. Hæc Hildegardis, quæ præter alia iam descripta, paulò superiùs ista quoque præmiserat de eodem Disibodo. *Spiritalem Patrem & defensorem, vt par erat, congregationi illi sæpenumerò præficere voluit, sed fratres omnes planè recusarunt, nullum alium præter ipsum, Patrem & Doctorem habere volentes, dicentésque se alios quidem habere inspectores conuersationis suæ, sed illum, donec viueret, vt ipsis in Domino sublimiùs præluceret, nullo pacto mutaturos.*

Denique de sancti Disibodi morte ac sepultura hæc proximè subiiciun- XXXII.
tur. *Locum sepulturæ suæ illis*, nempe Monachis quos collegerat, *ostendit, cum lachrymis & gemitibus eos orans, ne in sublimi aliquo loco, sed in humili Oratorij ipsius vmbraculo, in quo Deo solitarius vixerat, ipsum humarent. Polliciti sunt fratres se id curaturos, sed id sine magno dolore & lachrymis non fuit. Ingrauescente dolore, iterum conuocatis fratribus, finem suum iam imminere, vt potuit, significa-*
uit, atque ita post multos exantlatos labores, post multas toleratas cruces & afflic- OBITVS.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

tiones, anno ætatis suæ octogesimo-primo, octauo Idus Iulij à corpore migrauit, Domino, cui fideliter seruierat, coram fratribus spiritum reddens. Tum verò suauissimus omnium nares perfudit odor ceu balsami, myrrhæ & thuris, cunctorúmque aromatum, & multa sunt illic diuinitus edita miracula. Fama autem per vniuersam prouinciam illam mox diuulgata est, beatum Disibodum è vita excessisse. Itaque copiosissima hominum multitudo ad eius properans exequias, cupiebat eius sepulturæ interesse, & signa, quæ illic fierent, videre. Tumulatus verò est in exiguo sui Oratorij, quod ipse sibi parauerat, vmbraculo, vt eius precibus fieret satis. Is autem, quem diximus, miræ suauitatis odor ad tricesimum vsque diem apud eius sepulchrum perdurauit, atque intereà septem dæmoniaci liberati, triginta claudi, multi cæci & surdi, compluréſque alij, variis pressi morbis, ad contactum tumuli eius, præstante Domino curati sunt. Obiit igitur sanctus Disibodus *octauo Idus Iulij*, id est, die octauo Iulij, quo die vita illius à Surio refertur. In Martyrologio tamen Benedictino & in Supplemento Gallicani colitur die octauo Iunij.

XXXIII. Adeodatus Papa, qui Pontificatum vndecimo Kalendas Maias anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio suscepit, *sedit annos quatuor, menses duos, dies quinque*, teste Anastasio, id est, ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum. Priuilegium, quod Chrotbertus Turonensis Episcopus Monasterio sancti Martini concesserat, Apostolico Diplomate confirmauit; sed quonam Pontificatûs anno id præstiterit, manet incompertum. Istud Diploma, quod Papyrius Massonus libro secundo [a] de Romanis Pontificibus è Tabulario Turonensi primus euulgauit, ediderunt posteà Cæsar Baronius Tomo octauo [b] Annalium Ecclesiasticorum, Seuerinus Binius Tomo quarto [c] Conciliorum, Sammarthani Tomo quarto [d] Galliæ Christianæ, Ioannes Launoius in Assertione [e] Inquisitionis in Priuilegium San-Medardense, nouissimè in hunc modum Radulphus *Monsnier* in libro de Iuribus [f] Ecclesiæ sancti Martini Turonensis propugnatis aduersùs Launoium. *Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis in Gallia partibus commorantibus Adeodatus. Æquitatis nos ammonet norma, quam apprimè custodire præcipimus, vt Canonica Sanctorum Patrum Constituta, præsertim à beatissimis Apostolicæ Sedis Præsulibus, prædecessoribus scilicet nostris, qui auctoritatem successione ac vice sacratissimi Apostolorum Principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemeratâ atque illibatâ custodiâ conseruemus; sed & quæque à fratribus nostris Ecclesiarum Episcopis, pedissequâ dumtaxat imitatione constituta & salubriter fuerint ordinata, vtpote functi Apostolicâ Primatiâ, licèt impares ministerio, firmanda simili ratione decernimus. Qua ex re dum Ægiricus Religiosus Presbyter & Abbas Monasterij Sancti Martini, in quo venerabile corpus eius est situm, visendas ex desiderio veniens Apostolicas Confessiones & atria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationémque fratris nostri Crotberti Turonicæ Ecclesiæ Præsulis obtulisset, supplici voce precatus est, vt Priuilegia Apostolicâ auctoritate subnixa ob munitionem venerabilis Monasterij, quod beatæ recordationis Confessor Christi Martinus & Præsul Turonensis Ecclesiæ in Gallicanis partibus ad conuersorum salutem sui sacratissimi corporis consecratione decorauit, cui nunc præesse se perhibens, scriptis ostenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus, idcircò quòd mos atque traditio Sanctæ nostræ Ecclesiæ plùs non suppetat à regimine Episcopalis prouidentiæ religiosa loca secernere. Verùm vbi & prædicti fratris nostri Crotperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis Monachicam libertatem, hoc est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam, religiositate eius exemplaria proferente, comperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam constitutorum Antistitum, ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus iam exortem rationis ac Canonicæ Regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus; proptereà & nos erga quod iidem fratres nostri Reuerentissimi Præsules conferre prouiderunt, simili censurâ ex auctoritate profectò Principis Apostolorum, cui claues ligandi atque soluendi Conditor atque Redemptor omnium tribuit,*

[a] In Adeodato III.
[b] Ad an. 676. n. 1.
[c] In Adeodato PP.
[d] In Archiepiscopis Turon.
[e] Part. 1. c. 20.
[f] Cap. 1.

PRIVILEGIVM PRO MONAST. S. MARTINI.

AN.CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

identidem firmari concessimus, vt Apostolicâ fulti auctoritate per Priuilegij seriem nullas grauedines à quolibet Episcoporum sub pratextu dissensionis religiosus Abbas vel Monachi ibidem degentes sustineant; neque rursus hospitandi sibi apud eos licentiam vendicantes, dispendia hiis atque insolentias angariarum imponant, neque per occasionem Regularis disciplina rimanda atque seruanda quaslibet eis importent iniurias, sed liberam licentiam habere statuimus, saluâ profectò Monachicarum Regularum custodiâ, religioso Abbate, quicumque pro tempore praerit prafato venerabili Monasterio, id procurante, vt erga quod prisca traditionis eius articulus continet, & ipse conseruare nitatur, & quicumque sub eius reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat, districtéque compellat. Reuerentissimo verò Episcopo, in cuius parochia memoratum venerabile Monasterium, vel eius res ac possessiones constiterint, facienda tantùm ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Leuitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere, ac conuersationem Monachicam exquirere religioso Abbati eiúsque Præposita, vel qui probatissimi fuerint in eodem Monasterio, quod etiam prafati Prasules consonâ sententiâ definierunt, decernimus. Quisquis igitur quolibet tempore, quod nullatenus credimus, huius decretum Priuilegy, quod auctoritate Apostolicâ subnixi consentiendo firmanimus, in totum vel in partem temerare temptauerit, suaque prasumptionis audaciam, dignâ emendatione minùs correxerit, in perpetuum percellendum vel anathematizandum se nouerit, non solùm tantorum sententiâ Sacerdotum, sed etiam aquissimo Apostolica condemnationis aculeo, quoniam violare pertinaciter nisus, quod salubriter conseruare debuerat, & ita quoque huius Priuilegij sanctio firma & rata indiminutè persistat atque permaneat; erga quod & pracellentissimi totius Gallia Reges, vt scripto comperimus, ad reprimendas laicorum infestationes, Edicto pramunire idem venerabile Monastrium Regali pietate dignati sunt. Benè valete, dilectissimi fratres.

Pontificium hoc Diploma, quod Massonus, Baronius, Binius, Sammarthani, Quarremarius aliique laudarant, Launoius à Quatremario prouocatus impugnauit duodecim argumentis, quibus diluendis Monsnyerus operam nauauit. Vtriusque scripta simul conferemus, vt æquius posteà iudicium super eadem re nobiscum ferre possis. XXXIV.

Obiicit primò Launoius Diploma Pontificium *vniuersis Episcopis in Gallia partibus commorantibus* inscribi, cùm solius Episcopi Turonensis intersit, nec ceterorum Galliæ Antistitum magis intersit quàm ceterorum Christiani Orbis Antistitum quibus non inscribitur. XXXV.

Respondet Monsnyerus Diploma Pontificium *vniuersis Episcopis in Gallia partibus commorantibus* inscribi, quia non Episcopi tantùm Turonensis sed & plurium Galliæ Episcoporum intererst plurimùm, nihil verò ceterorum qui suas extra Galliam Sedes habent. Vt autem id probet, addit temporibus Adeodati Papæ nondum in Diœcesibus extra Galliam positis Ecclesias sancto Martino Turonensi immediatè subiectas fuisse, secus in multis Diœcesibus intra Galliam; putà in Bituricensi, vbi Ecclesia esset Collegiata sancti Martini Lereacensis oppidi; in Lemouicensi, vbi Collegiata esset Ecclesia sancti Aredij Attanensis oppidi cum Ecclesiis quinque parochialibus eiusdem loci, necnon Ecclesia Collegiata sancti Martini Rauzoliensis; in Lingonensi, vbi Collegiata esset Ecclesia sancti Martini oppidi Chableiensis in Burgundia; *qua omnes Ecclesia tam Collegiata quàm Parochiales, tanquam membra suo adhuc adhærent capiti insigni Ecclesia Sancti Martini Turonensis, eâdémque, quâ illa, lege reguntur tam in spiritualibus quàm in temporalibus, vt omnibus notum est notorietate facti.* XXXVI.

Non inficiamur hodiernum illum esse statum Ecclesiarum suprà memoratarum, sed eundem fuisse à temporibus Adeodati Papæ nusquam credemus, nisi probationes auctoritatis indubitatæ producantur. XXXVII.

De fundatione Ecclesiarum Collegiatarum in oppidis Lereacensi & Chableiensi sub nuncupatione sancti Martini, nihil legimus. XXXVIII.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

XXXIX. Atedius, de quo Tomis [a] superioribus multa narrauimus, apud Attanum in Diœcesi Lemouicina nobile Monasterium construxit adiuuante Pelagiâ matre, vitámque clausit anno decimo-sexto Childeberti Secundi Regis; id est, anno Christi quingentesimo nonagesimo-primo, cùm sanctos Hilarium & Martinum testamento suos hæredes instituisset. Vtrumque Gregorius Turonensis [b] in Historia Ecclesiastica Francorum sic affirmat. *Vir Dei Spiritu Sancto repletus, ad patriam, genitore ac germano defunctis, regreditur, consolaturus Pelagiam genitricem, quæ nullum parentem præter hanc sobolem spectabat. Deinde cùm ieiuniis atque orationibus vacaret, deprecatur eam, vt omnis cura domûs, id est, siue correctio familiæ, siue exercitium agrorum, siue cultus vinearum ad eam aspiceret, ne huic viro aliquod accideret impedimentum, quo ab oratione cessaret; vnum sibi tantùm priuilegium vindicans, vt ad Ecclesias ædificandas ipse præesset. Quid plura? construxit Templa Dei in honore Sanctorum, expediítque eorum pignora, ac ex familia propria tonsoratos instituit Monachos, Cœnobiúmque fundauit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui Monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ, beatâ muliere victum atque vestitum singulis ministrante, &c. Testamento condito, ordinatis omnibus, ac sancto Martino Hilarióque Antistitibus hæredibus institutis ægrotare cæpit*, sextóque post die *spiritum tradidit non sine testimonio veritatis, quòd sit susceptus ab Angelis*. Sancti * Atedij Testamentum, cuius initium Labbeus ex Archiuo sancti Martini Turonensis inter Miscellanea Curiosa [c] iam ediderat, ex eodem Gazophylacio publicarunt Sammarthani [d] Tomo quarto Galliæ Christianæ. Sed nec in ea Charta legere est, quòd Atedius Attanum Turonensi Monasterio sancti Martini summiserit, nec, si quid ibi legeretur tale, fidem sibi conciliaret. Commentitium est enim illud Instrumentum, quod anno Sigiberti Regis decimo-septimo datum dicitur. Apud Labbeum sic. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti, sub die pridie Kalend. Nouembris, anno septimo-decimo Regni Domni nostri Sigiberti Regis, ego Atedius Presbyter & Pelagia sanâ mente integróque consilio*, &c. Apud Sammarthanos sic. *Atedius in Christi nomine peccator Presbyter Testamentum nostrum, scripsi, relegi; sub die pridie Calend. Nouembris; an. 17. Regni Domni nostri Sigeberti Regis.* Nec alio nobis opus est argumento, nam Sigibertus Primus, quo regnante florebat Atedius, *obiit* XIIII. *Regni sui anno*, vt ad annum Christi quingentesimum septuagesimum-quintum [e] ex Gregorio Turonensi probauimus.

[a] Tom. 1. ad an. 535. n. 4. Tom. 2. ad an. 564. n. 44. ad an. 591. n. 7.
[b] Lib. 10. c. 29.
* S. Trier.
[c] Cap. 2. §. 5.
[d] In Attano Mon.
[e] Num. 2.

XL. Andreas Duchesnius in notis [f] ad Bibliothecam Cluniacensem, narrationem *generationis Atedij eximij Abbatis* ex prædicto sancti Martini Turonensis Tabulario depromptam edi curauit. Hæc genealogia repetitur à Childeberto Rege, nec tantùm ad Atedium Abbatem perducitur; sed etiam vsque ad Karissimam ipsius Atedij ex sorore proneptem, quæ regnante Pipino vixisse perhibetur. Illud autem Stemma Genealogicum haud explicatur in gratiam Atedij, sed in gratiam Karissimæ suprà memoratæ, cuius donatio proximè sequitur hoc tenore. *Vnde ego Karissima, Christi ancilla, istis suprà memoratis parentibus nobilissimis, vt scriptum est, veraciter procreata notum fieri volo omnibus Christianis donum & condonationem, quam de meo alodio fieri volo*, &c. Philippus Labbeus chartam illam, quæ cùm genus tùm donationem Karissimæ complectitur, integram ex eodem Turonensi Tabulario inter Miscellanea [g] Curiosa publici iuris fecit, præuiâ tamen admonitione, quòd eiusmodi Genealogia nullo modo possit à viris Historiam Francicam callentibus approbari. Sammarthani Genealogiâ Karissimæ prætermissâ, illius tantùm donationem Tomo quarto [h] Galliæ Christianæ descripserunt, attribuerúntque perperam Pelagiæ Atedij quondam Abbatis matri. Decepti sunt hoc vocabulo, *Karissima*, quod nomen est proprium fœminæ, non autem adiectiuum, quod ita referri debeat ad *ancillam*, vt *carissima Christi ancilla* Pelagiam designet. Prædicta Genealogia sic terminatur. *Basilia vxor Dodonis Biturica Principis genuit Pugiam & Karissimam.* Genealogiam instrumentum donationis immedia-

[f] In not. ad vit. S. Geraldi.
[g] Cap. 2. §. 5.
[h] In Attano Mon.

tè sic sequitur. *Vnde ego Karissima Christi ancilla, istis suprà memoratis parentibus nobilissimis, vt scriptum est, veraciter procreata*, &c. Deinde quis Pelagiam adeò temeratiam putet, vt non tantùm, quod Christianæ mulieres facere consueuerint, *ancillam* se *Christi*, sed, quod modestiæ & humilitati plurimùm repugnet, *ancillam se Christi carissimam* confidenter ausa sit dicere? Denique quis credat ad tempora vsque Pipini Regis superstitem in viuis fuisse Pelagiam, quæ Aridij Abbatis anno post Christum natum quingentesimo nonagesimo primo mortui mater extitit? Donationem Karissimæ, quæ Rauzoliensis Monasterij mentionem facit, infrà recitabimus, eiusdem matronæ Genealogiam ob oculos exhibitam priùs aspice, & in multis vt commentitiam aspernare.

CHILDEBERTVS REX.

- SVLDECA Childeberti filia.
  - ASTIDIVS coniugatus, pòst Lemouicensis Episcopus.
    - LIVERIVS.
      - Sperius.
      - Pientia.
        - Leontius.
    - ADTECVS.
      - Enstachius.
      - Ruricius.
      - Pelagia.
        - Cartheria.
          - Pelagia Theodeberti R. neptis. — Iocundus Lemouicorum Princeps.
            - Aredius Theodeberti R. Cancellarius, deinde Abbas.
            - Eustachius.
            - Germana.
            - Consortia.
              - Astidius.
              - Pientia.
                - Ocilus.
              - Basilia. — Dodo Bituricæ Princeps.
                - Pugia.
                - Karissima.
          - Sauina amita Aredij.
        - Eusalia.
        - Mummulus.
    - DVLCICIVS.
      - Ambrosius.
        - Iulius.
        - Indusstria.
        - Ensebia.
          - Sauina.
            - Optatus vxoratus, deinde Biturigensis Archiepiscopus.
              - Pomponia vxor Godefridi Flandrensis.
              - Ocilius Suessionensis Episcopus.
      - Seuerus, quem plebs Biturica veneratur.
      - Basolus.
    - ADTECA;
      - Clarus Hispanus Martyr.
    - AVSTILIANA.

Quomodo, amabo, Pelagia Aredij Abbatis mater atauiam habuit filiam Childeberti Regis, cùm Aredius obierit anno decimo-sexto Childeberti Secundi Regis, & à morte Childeberti Primi ad Childeberti Secundi Principatum anni dumtaxat septemdecim effluxerint? In Lemouicensium Episcopo- XLI.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

rum catalogo, quem Ioannes de Monte Doctor Theologus Demochari transmisit, Astudius anteponitur Ruricio Seniori, qui Diœcesim Lemouicensem administrabat, cùm Clodoueus Magnus Aquitanias in suam potestatem redegit. Robertus & Sammarthani, quia prædictam Genealogiam legerunt, Astudium illum non alium constituunt ab Astidio, *de cuius progenie* beatum Atedium exortum volunt. At Astudium, quem Childeberti Regis nepotem ex Suldeca filia supponunt, non aduertunt Episcopum eo tempore fuisse, quo lucis vsuram idem Childebertus Clodouei Magni filius accepit, Aquitaniâ totâ sub Regibus Wisigothorum Arianis adhuc gemente. Lemouicensis Episcopus, qui Ruricium Seniorem antecessit, à Roberto promiscuè dicitur *Astidius* & *Astudius*, à Sammarthanis *Astidius* tantùm appellatur. Nominis affinitas, quæ Astudium inter & Astidium inuenitur, apud illos Auctores Astidio locum in nomenclatura Lemouicensium Pontificum fecit, aliam rationem frustà quætas. Haud adeò felices extiterunt Optatus & Ocilius, quos eadem Genealogia Præsulibus accenset, illum Archiepiscopis Bituricensibus, hunc Suessionensibus Episcopis, neutet enim in Gallia Christiana Titulo Episcopali cohonestatur, quia nec occurrit Archiepiscopus Bituricensis cuius nomen ad Optatum propè accederet, nec inuentus est Suessionensis Episcopus qui penè Ocilium nomine referret. Cur Pelagiam, quæ teste Gregorio Turonensi[a] mater Aredij fuit, Auctor Genealogiæ neptem Theodeberti Regis vocet, haud scimus. Fuit Theodebertus Clodouei Magni ex Theodorico filio nepos, regnauit annos quatuordecim, obiitque anno Christi quingentesimo duodequinquagesimo, vt ad illum annum [b] ex Gregorio Turonensi & Mario Auenticensi probauimus. In prædictam Genealogiam pluribus non inquiremus.

[a] L. 10. cap.

[b] Num. 5.

XLII. Donatio Karissimæ talis est. *Ego Karissima Christi ancilla notum fieri volo omnibus Christianis donum & condonationem, quam de meo alodio fieri volo domno ac dilectissimo Aredio Abbati & famulis sibi in Cœnobio Atano deuotè subditis & Sancto Iuliano ac pretioso thesauro reliquiarum ibi famulantibus, de quadam possessiuncula mea, quæ vocatur Ransolia, videlicet Monasterium Sancti Martini Turonensis consecratum in ipsius honore, cui præsidet domnus Ebroinus, cum Ecclesiis quæ ad illud pertinent, & cum ducentis mansis & trecentis bordariis, & totum quod pertinet ad ista. Sit namque semper hoc firmiter ratum tali conuentu, quatenus dum vixero totum sit in mea potestate, exceptis quinque solidis omni anno loco supradicto redditis. Post meum quoque decessum Atanus locus possideat Ransoliacum Cœnobium, & Monachi ipsius loci honorificè ibi corpus meum sepeliant. Iam enim ibi habetur mausoleum meum, quod centum libras argenti à Gilberto nobilissimo Comite Narbonensi comparaui. Census verò talis constituatur omni anno, quòd ad Missam Sancti Iuliani Ransoliacenses Monachi super altare ipsius loci decem solidos censualiter mittant, & de propriis relictis à Monachis in Ransolium Cœnobium ingredientibus medietas sit famulis beati Martyris memorati Iuliani. Deinque fratres Attanenses ad festiuitatem Sancti Martini secundùm posse tres vel quatuor aut quantumcumque voluerint causâ honoris vigilias celebrare libenter veniant, & pacem inter fratres ibi relinquant. Talis mos deinde inter illos habeatur, vt ab ingressuris Rosoliacum Monachis loco præfato Iuliani & habitatoribus eius professio & fidelitas ante ingressionem primitus promittatur. De Ecclesiis quoque & de mansis seu de bordariis suprà nominatis, qualiter vnicuique loco seruiant in aliis præceptis scriptum videri potest. Si quis ex hac hora hanc ordinationem vel donum Sancto Iuliano & mihi dilectissimo in Christo Aredio videlicet Abbati & famulis ibidem seruientibus contradixerit vel calumniauerit*, &c.

XLIII. In hac donationis charta, quantùm ad ipsam donationem attinet, nihil occurrit, quod à vero videatur alienum. A Neotericis autem additi sunt Characteres Chronologici, qui nullo modo retineri possunt, nam donum istud factum dicitur *mense Septembrio*, *Indictione* 1. *Lunâ* v. *vesano Childeberto* (Labbeus *Childerico* reponendum iam monuit) *de Regali sede deiecto, atque Pipino Rege piissimo à Francis in eodem Regno pro eo constituto, ac Lemouicam totámque*

támque Aquitaniam Duce Gaifro imperante, necne Roricio præfatam Lemouicam præsidente, vnde Episcopus à Domino praelectus erat. Pipinus anno Christi septingentesimo quinquagesimo-secundo regnare cœpit, Indictione quintâ tum currente; nec eo regnante Indictio prima inchoata est ante Kalendas Septembres anni post Christum natum septingentesimi sexagesimi-secundi. Karissima, quæ prædictam donationem elargita est, auiam maternam habuisse fertur Consortiam sororem Aredij, cuius pater, vt Tomo primo [a] ex Gregorio Turonensi notauimus, ante obitum Theodoberti Primi Regis, id est, ante annum Christi quingentesimum duodequinquagesimum, ex hac vita discessit, itaut Karissima donationem post annos ad minimum quatuordecim supra ducentos à morte proaui fecisse perhibeatur. At quis inter proauum ac proneptem in linea præsertim fœminina tot annos intercessisse credat? Deinde Astidius Abbas Vosiensis, quem Gaufredus in Chronicis [b] Vosiensibus nepotem sancti Aredij vocat, amplissima dona, vt idem Auctor testatur, ab ipsomet Aredio auunculo suo, id est, Consortiæ matris suæ fratre, percepit, & secundùm Genealogiam, de qua suprà, fuit auunculus Karissimæ, quæ donationem antè memoratam sponte concessit. Quis autem mulierem eius auunculus ante annum Christi quingentesimum nonagesimum-primum Vosiensis Abbas extiterit, anno Christi septingentesimo sexagesimo-secundo superstitem in viuis arbitretur? Satius est igitur illam donationem septimo seculo consignare. Chartæ subscribunt *Karissima Christi famula, Roricius Lemouicensis Sedis Episcopus*, aliique, nec qui Roricius *Lemouicensis Sedis Episcopus* nominatur, is alius nobis videtur à Rustico Episcopo, qui Lemouicensem Diœcesim, vt ex vita sancti Vincentiani probauimus, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo gubernabat, hæc enim nomina, *Rusticus, Ruricius* & *Roricius* in plerisque catalogis [c] Antistitum Lemouicensium non differunt.

In donatione suprà recitata duo Monasteria celebrantur, Attanum quod Aredius aliàs rexit, & Ransolium seu Rosolium vel Rauzolium cui præest Ebroinus Abbas; asseruntúrque erecta, illud in honorem sancti Iuliani, hoc in honorem sancti Martini Turonensis. De Attano testis locuples Gregorius Turonensis, nam libro secundo [d] de gloria Martyrum, qui totus est *de passione, virtutibus & gloria Sancti Iuliani Martyris*, hæc de Aridio siue Aredio commemorat. *Cùm ad me Aridius Presbyter ex Lemouicino venisset, vir valdè religiosus, cuius etiam in secundo virtutum beati Martini libro* [e] *memini, dum sollicitè vitam eius perscrutarer, actionem inquirere cœpi, qua ibidem beatissimus Iulianus in miraculis prodidisset. In honore enim beati Martyris Basilicam ædificauit, quam & eius reliquiis inlustrauit. Sicut ergo est verecundissimus, diu cunctatus, tandem hæc & valdè inuitus exposuit. Quando, inquit, primum beati Iuliani adiui Basilicam, parumper cera à sepulchro sustuli, inde veniens ad fontem in quo Beatè sanguis effusus est, ablutâ aquis facie, paruam ab his pro benedictione compleui ampullam. Testor Omnipotentem Deum, quia antequàm ad domum accederem, colore, spissitudine atque odore in balsamum commutata est. Veniens verò Sacerdos ad dedicandam Ædem, cùm hæc exposuissem, nihil aliud pro reliquiis in sanctum altare condere voluit, nisi vasculum, cuius aqua in balsamum commutata fuerat, dicens. Hæ sunt certa reliquiæ, quas Martyr paradisiacis virtutibus inlustrauit.* De Ransolio, quia recentius, nihil scripsit Gregorius, sic autem de vtroque Karissima. *Ego Karissima Christi ancilla notum fieri volo omnibus Christianis donum & condonationem quam de meo alodio fieri volo domno ac dilectissimo Aredio Abbati & famulis sibi in Cœnobio Attano deuotè subditis & Sancto Iuliano ac pretioso thesauro reliquiarum ibi famulantibus, de quadam possessiuncula mea, quæ vocatur Ransolia, videlicet Monasterium Sancti Martini Turonensis consecratum in ipsius honore, cui præsidet domnus Ebroinus.* Vtrobique congregatio Monachorum florebat, vt ex eadem charta constat, in qua *Ransoliacenses Monachi* commendantur, & *fratres Attanenses* seu *Monachi illius loci*, id est, Attani, qui honorificè *ibi*, nempe in Attano Cœnobio, corpus Karissimæ debeant sepelire, Cœnobiúmque

AN. CH. 674.
THEODOR. III.
DAGOB. II. RR. c.

[a] Adan. 555. n. 4.
[b] Cap. 15.
[c] Ap Democh. Chenut. Robert.
XLIV.
[d] Cap. 40.
[e] Cap. 39.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

Ransoliacense subiicitur Attanensi, nec id fieret, nisi in vtroque Monasterio idem institutum vigeret seu Clericatûs seu Monachatûs. Nec te moueat quòd apud Gregorium Turonensem capite duodetricesimo libri primi de gloria Martyrum, *Clericus Aredij Lemouicini Abbatis*, ad festiuitatem sancti Iuliani venisse dicitur, Auctor enim Historiam, quam illo capite narrauit, his verbis absoluit: *Testor Omnipotentem Deum, quia ab ipsius Abbatis hac ore cognoui, apud cuius Monachum gesta sunt.* Sic idem eodem capite & Clericus & Monachus asseritur, idque illorum temporum consuetudini non aduersatur. In Monasteriis enim nonnulli Monachorum erant Clerici, vt & plerique Abbatum erant Presbyteri, nec exemplum longè petendum, cùm ipsemet Aredius Presbyter & Abbas extiterit, atque apud Gregorium Turonensem vtroque titulo donatus inueniatur.

XLV. Donatio Karissimæ, vt ex prædictis patet, vel paulò antiquior fuit Adeodati Pontificatu, vel cum eo coincidit. Quapropter existimamus Adeodati Papæ temporibus Ecclesias Attanensem & Ransoliensem seu Rauzoliensem nec Collegiatas fuisse, nec Ecclesiæ sancti Martini Turonensis tanquam membra capiti suo adhæsisse. Seriùs hæc contigerunt, nec obiectioni Launoij satisfacit Monsnyerus, dum ait Adeodati Priuilegium *vniuersis Episcopis in Gallia partibus commorantibus* inscriptum fuisse, quia multorum id interetat Episcoporum Galliæ, in quorum Diœcesibus essent Ecclesiæ cùm Collegiatæ tum Parochiales, eæque Turonensi Basilicæ sancti Martini iam subiectæ. Multò probabilius est in Episcoporum conuentu emissum à Crotperto Episcopo Turonensi Priuilegium, cui subscripserint quotquot aderant Episcopi, tótque Præsulum subscriptionibus prouocatum Adeodatum Papam, vt eiusdem Priuilegij confirmationem *vniuersis Episcopis in Gallia partibus commorantibus* inscriberet. In more positum erat, vt Episcopus, si quod Priuilegium Monachis concederet, id præstaret in Synodo Episcoporum, & vt plùs roboris inesset, ipsam chartam sigillis ac nominibus eorumdem Episcoporum muniendum curaret. Exempla non pauca iam occurrerunt, quæ superfluum ducimus hoc loco repetere.

XLVI. Secundò, Launoius obiicit *incredibile* videri, quòd *Crotbertus Turonensis & alij Gallicani Præsules coniunctis operis & conspirantibus studiis ab Adeodato Priuilegium* flagitauerint, *siue quia res non est tanti, siue quia Annales nulli, monumenta nulla* tradiderunt *Monasterium viris doctrinâ vel pietate illustribus tunc floruisse, in quorum gratiam concessum esset Priuilegium.*

XLVII. Respondet Monsnyerus *rem maximi fuisse momenti, eò quòd extra vsum esset illius temporis, vt à suorum Episcoporum subiectione Monasteria eximerentur, proindéque non mirum neque incredibile esse, quòd Episcopi Gallicani, quorum intererat, rem obtentu difficilem videntes, coniunctis animis cum Crotperto Turonensi Episcopo Priuilegium istud ab Adeodato Papa efflagitauerint, non doctorum virorum intuitu, qui tunc non deerant in Monasterio Sancti Martini, sed ob stupendam tanti Pontificis sanctitatem, cuius in Gallia tum vigebat cultus maximè, quódque Ecclesia Sancti Martini Turonensis, Regum Galliæ cultibus, ceteris omnibus Gallicanis honorabilior & excellentior esset, idque ob ingentia, quæ tum in ea fiebant, ad pretiosum corpus Sancti Martini miracula.*

XLVIII. Sed quorsum hæ rationes? Nulla est obiectio Launoij. Præsules Gallicani Priuilegium ab Adeodato Papa non popòscerunt. Res hoc modo peracta est. Crotpertus Turonensis Episcopus in Episcoporum conuentu Monasterio sancti Martini concessit Priuilegium, cui quotquot in ea Synodo præsentes aderant Episcopi subscripserunt. Ægiricus Abbas exemplar Priuilegij tot munitum subscriptionibus Episcoporum Romam detulit, obtulitque Adeodato Papæ, vt ab eo firmaretur, enixè deprecans. Romanus Pontifex, quod alioquin fortè non fecisset, subscriptionibus tot Antistitum inspectis, vt ipsemet in suo Diplomate testatur, postulatis annuit. *Parumper*, inquit, *ambigimus, idcircò quòd mos atque traditio Sancta nostra Ecclesia plùs non suppetat à regimine Episcopalis*

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

prouidentia religiosa loca secernere. Verùm vbi & prædicti fratris nostri Crotperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis Monachicam libertatem, id est, liberam dispensandi licentiam, scripto concessam, Religiositate eius, nempe Ægirici, *exemplaria proferente comperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam constitutorum Antistitum, ad id consensum præbentium, subscriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus iam exortem rationis ac Canonicæ Regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus: propterea & nos erga quod iidem fratres nostri Reuerentissimi Præsules conferre prouiderunt, simili censurâ ex authoritate profectò Principis Apostolorum, cui claues ligandi atque soluendi Conditor atque Redemptor omnium tribuit, identidem firmari concessimus, vt,* &c.

Tertia Launoij obiectio est. *Vt libello supplici tot Antistites, quot habebat Gallia, subscriberent, in vnum conuenire locum & Concilium debuerunt: conuenisse autem testatur nemo. Haud siluisset Fredegarius, qui eo ferè tempore Chronicum suum scripsit. Rem adeò insolitatam cupide notasset.* XLIX.

Respondet Monsnyerus nullam fuisse necessitatem *Episcopis Galliæ conueniendi in vnum locum, vt assensus suos exemptioni Monasterij tunc sancti Martini scriptis præberent, cùm potuerint singuli seorsim libello supplici, Crotperti cuius potissimùm intererat, vel missorum ab eo rogatu subscribere.* Deinde amandat *ad nugas* quod obiicitur *de loco, vbi subscripserint Episcopi, & de modo, an simul congregati in Concilio vel Comitiis, an quisque seorsim, nam quid refert, modò verè subscripserint.* Postremò, quod à Fredegarij silentio petitur argumentum sic irridet. *Quasi verò Fredegario, qui centum pòst annis vixit, necesse fuerit, omnia quæ singulis in locis vel Ecclesiis Galliarum gesta sunt recensere, aut rescire sic ad amussim licuerit, vt ea omnia scriptis mandaret? incepit enim scribere Chronicon suum circa annum Domini 760. illudque perduxit vsque ad annum 768. expletum. Adde quòd negatiuum est istud argumentandi genus, quod, vt plurimùm, fallit.* L.

Priuilegio, quod Crotpertus Turonensis Episcopus Monasterio sancti Martini concessit, præter ipsum Crotpertum alij Antistites Gallicani subscripserunt. Id Adeodatus Papa testatur in suo Diplomate, cuius fragmentum nuperrimè citatum denuò repetimus. *Fratris*, inquit, *nostri Crotperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis Monachicam libertatem, hoc est, liberam dispensandi licentiam, scripto concessam comperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam constitutorum Antistitum, ad id consensum præbentium, subscriptiones subter annexas inspeximus.* At ex illo textu non colligimus *tot* Priuilegio *Antistites* subscripsisse *quot habebat Gallia* vt Launoius contendit, cùm nec omnis Gallia Regi Francorum tunc pareret, nec vlla Synodus inueniatur celebrata cui Præsules omnes Gallicani ditionis Franciceæ subscripserint. Aliis Priuilegiis, de quibus suprà disseruimus, multi subscripserunt Antistites, iique ex diuersis prouinciis. Emmo Metropolites Senonensis *Priuilegium libertatis vnà cum Comprouincialibus Episcopis*, vt Clarius in Chronico sancti Petri Viui ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-septimum [a] à nobis citato testatur, *Monachis sancti Petri synodaliter fecit; temporibus Clotharij Regis & Baltechildis matris eius. In quo Conuentu fuerunt Antistites gloriosi, sanctus Audoenus Archiepiscopus Rothomagensis, & sanctus Faro Episcopus Meldensis, sanctúsque Eligius Nouiomensis Episcopus, & sanctus Amandus Tregetensium Episcopus cum aliis triginta Episcopis.* Priuilegio, de quo nunc inquirimus, par Episcoporum numerus in Episcopali Conuentu subscribere potuit. LI.

[a] Num. 15.

Quod ad Fredegarium attinet, hic Auctor, de cuius ætate ac scriptis ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum iam locuti sumus, scripsit obiitque regnante Clotario Tertio, nec vixit ad Pontificatum vsque Adeodati. Sed esto, ad Pontificatum vsque Adeodati vixerit, Chronicon suum ad illum vsque Pontificatum non perduxit. Res, quas postremo loco commemorauit, ad Reges Sigibertum Tertium & Clodoueum Secundum fratres pertinent, actæque sunt vel anno quarto Clodouei, vel anno decimo Sigiberti. Longè serius Ecclesiæ Catholicæ præesse cœpit Adeodatus, eodem videlicet LII.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. t.

anno, quo Theodoricus Tertius in Regnum Childerico Secundo fratri successit. Annus enim quartus Clodouei Regis secundùm supputationem Fredegarianam anno Christi sexcentesimo quadragesimo illigatur, annus decimus Sigiberti Regis cum anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo coofertur, mors Childerici Secuodi Regis in annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium incidit. En apertissima ratio, cur altum apud Fredegarium de Adeodato Papa déque Priuilegio suprà memorato silentium.

LIII. Quartò loco Launoius obiicit quòd *ab anno Christi sexcentesimo sexagesimo-nono, quo Adeodatus factus est Romana Ecclesia Episcopus, vsque ad annum Christi millesimum, Adeodati Priuilegium inuisum & inauditum est; à nemine habet testimonium sui.*

LIV. Aduersùs hanc obiectionem Monsnyerus *quatuor Romanorum Pontificum, ante annum Christi millesimum* profert *testimonia, quibus Adeodati Priuilegium laudatur & confirmatur; deinde Episcoporum aliquot Turonensium illius eiusdem seculi, quo fuit idem Priuilegium Ecclesia Sancti Martini concessum; tandem Concilium 2. Tullense Tusciaci anno 860. congregatum.* Siogula recitabimus examinabimúsque suis locis.

LV. At demus ab anno, quo Pontificatum Adeodatus iniit, seu fuerit annus Christi sexcentesimus vndeseptuagesimus vt Launoins Baronium secutus atbitratur, seu sexcentesimus septuagesimus-tertius vt contendimus, ad annum vsque Christi millesimum, Priuilegium Adeodati inauditum fuisse, non inde sequitur nullum ab Adeodato concessum esse Priuilegium. Auctorem, qui meminerit Synodi Senonensis, in qua temporibus Clotarij Regis & Baltechildis matris Emmo Senonensis Metropolites Monachis sancti Petri Viui Priuilegium libertatis concessit, ooo habemus antiquiorem Odotanno & Clario, qui floruerunt, ille vndecimo seculo, hic duodecimo. Chronicon Odoranni, cuius fragmentum anno Christi millesimo quingentesimo duodenonagesimo Petrus Pithœus ediderat, integrum Andreas Duchesoius anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo-sexto publicauit [a]; Clarij verò Chronicon primus è latebris eruit Lucas Dacherius [b] anoo Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo-septimo. In Odoranni fragmento, quod Pithœus euulgauit, nulla fit mentio Synodi Senonensis; penè quoque nulla in Odoranni Chronico, quod Duchesnius edidit; secus in Chronico Clarij, quod amplius est & Dacherij operâ in lucem prodiit. Inde fit, vt io omnibus Conciliorum Collectionibus, quæ Clarij editiooem siue anoum Christi millesimum sexcentesimum quinquagesimum-septimum antecesserunt, Syoodus Senonensis omittatur, memoretut autem in Historica omnium Conciliotum synopsi, quam Philippus Labbeus anno Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-primo oouæ eorumdem Conciliorum Collectioni præmisit, & in Supplementis antiquarum Syoodorum Galliæ, quæ Petrus *Delalande* anoo Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo-sexto typis edenda curauit. Philippus Labbeus in sua synopsi sub Vitaliano Papa hæc habet. *Meminit Chronicon Sancti Petri Viui, Senonensis Conuentûs plurium Episcoporum, temporibus Clotary III. Regis, eiúsque matris Baltechildis.* Et Petrus *Delalande* ad annum Clotarij Tertij Regis secundum, quem cum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo malè componit, textum Clarij de Concilio Senonensi ex Spicilegio Dacheriano transcribit. Acta eiusdem Concilij, quæ ounc lateot, è tenebris aliquando, vt speramus, in lucem emittentur. Interim quis inposterum negabit habitum Senonense Concilium regnante Clotario Tertio, in eóque Monachis sancti Petri Viui concessum ab Emmone Seoonensi Metropolita Priuilegium libertatis? licèt hodie non extet Auctot, qui vel illius Synodi vel illius Priuilegij meminerit ante vndecimum seculum, Scriptorésque, qui Synodum illam illúdque Priuilegium seculis vndecimo ac duodecimo in suis Chronicis celebrarunt, in lucem ante oostram ætatem haud prodierint, Odotannus anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo-sexto, Clarius anno Christi millesimo sexoentesimo quinquage-

a Tom. 2. Collect. Hist. Franc.
b Tom. 2. Spicileg.

-ſimo-ſeptimo. A pari argumentare de Synodo Turonenſi déque Priuilegio à Crotperto Metropolita Turonenſi Monachis ſancti Martini conceſſo & confirmato ab Adeodato Papa. AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

Quintò Launoius obiicit *apud vetuſtiores Adeodato Pontifices, vel apud Pontifices tempore proximos* inuſitatam eſſe locutionem hanc, *Canonica Sanctorum Patrum Conſulta*.

Reſpondet Monſnyerus *Conſulta* eo loci idem ſonare ac *Conſtituta* ſeu *Decreta*, & in vetere eharta Turonenſi non *Canonica Sanctorum Patrum Conſulta* ſed *Canonica Sanctorum Patrum Conſtituta* legi, hâcque locutione nihil frequentiùs haberi in vetuſtiorum Adeodato Pontificum Epiſtolis, Reſcriptis ac Decretis. LVI. LVII.

Sextò, Launoius obiicit Gregorium Magnum Abbatis & Preſbyterij officia ſic diſtinxiſſe, *vt noluerit vnquam eum, qui eſſet Presbyter, Abbatem eſſe, vel eum, qui Abbas eſſet, Presbyterum eſſe.* Deinde addit Adeodati Papæ temporibus in Oecidente Preſbyteros & Diaconos nondum fuiſſe tot Monachos quot fuiſſe verba hæc ſignificant. *Reuerentiſſimo Epiſcopo facienda tantùm ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Leuitarum ſit conceſſa licentia.* LVIII.

Reſpondet Monſnyerus Gregorium Magnum, *cùm paci & quieti Monachorum conſulere vellet*, nihil aliud præcepiſſe ſuis ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum literis [a], *niſi vt Monaſterium Monachorum non per Clericos peregrinos, & qui ab ineunte ætate enutriti non fuiſſent in Monaſterio, gubernaretur, ſed per Abbates Clericos eiuſdem Monaſterij, qui poſſent & deberent, cùm ſeſe offerret occaſio, Presbyteri & Sacerdotes fieri.* Poſteà vt magis inculcet Gregorium generali Decreto numquam prohibuiſſe, ne qui Preſbyter eſſet is Abbas fierer, aut qui Abbas eſſet is Preſbyter ordinaretur, quatuor epiſtolas eiuſdem Gregorij citat; vnam, quæ inſcribitur [b] *Reuerentiſſimo ac Prudentiſſimo Honorato Presbytero & Monacho atque Abbati venerabilis Monaſterij Sancti Confeſſoris ac Patris Benedicti & Sanctæ Virginis ſororis eius Scholaſtica quod ponitur in Sublaco*; alteram [c], quæ laudat *Gregorium Abbatem atque Presbyterum Monaſterij Sancti Theodori*; tertiam, quæ teſtatur [d] pactis interuenientibus ſalubrem, Deo auctore, deciſionem proceſſiſſe *inter Antonium Subdiaconum Xenodochij Præpoſitum quod Valerij nuncupatur, & Dometianum Abbatem atque Presbyterum Monaſterij Sanctorum Maximi & Agathæ quod Lucuſianum dicitur*; quartam, quæ præcipit [e] *vt Domitius Presbyter Abbas eſſe Lucuſiani Monaſterij debeat.* Citat & quintam, quæ gratulatur Venantio Patricio Panotmitano, quòd Vrbicum, qui iam erat Monachus & Sacerdos, in Abbatem ordinari curauerit, ſed eam omittimus quia non reperimus in Regiſtro Gregoriano, quamuis dicatur eſſe decima-quarta libri noni. Profert & alia exempla complurium Abbatum, qui ſimul & Preſbyteri fuerunt & Abbates, eàque teſtimonia ſumit ex variis prouinciis, ex Sicilia, ex Longobardia, ex Hibernia, ex Britannia, ex Gallia. Sextæ Synodo generali apud Conſtantinopolim ſub Agathone Papa celebratæ Theophanes Preſbyter & Abbas interfuit, vtroque titulo ſæpè donatur, vt Actione octauâ, *Theophanes Deo amabilis Presbyter & Abbas dixit*, Θεοφάνης ὁ θεοφιλέστατος πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος εἶπε. Præerat in Sicilia Monaſterio quod Baias appellabant. Id patet ex Actione ſuprà nominata, Θεοφάνους πρεσβυτέρου, καὶ ἡγουμένου τῆ ἐν Σικελίᾳ ὁαγοδς μοναστηρίου ἐπιλεγομένου Βαΐων; necnon ex decima-tertia, Θεοφάνους τῆ θεοφιλεστάτου πρεσβυτέρου καὶ ἡγουμένου τῆ ἐν Σικελίᾳ ὁαγοδς μοναστηρίου ἐπιλεγομένου Βαΐων. Bertulphus & Bobulenus Abbates Bobienſes in Longobardia Preſbyteri fuerunt. Honorius Papa Bertulpho ſic ſcripſit. *Honorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, fratri Bertulpho Abbati Presbytero.* Theodorus Papa Bobuleno ſic. *Theodorus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili Bobuleno Presbytero & Abbati Venerabilis Monaſterij beati Petri Apoſtolorum Principis è Bobio conſtituti.* Lege Tomum quartum Italiæ Sacræ in Epi- LIX.

[a] L.4.ep.1.

[b] Bullar. Caſinenſ. Tom.1. Conſtitut.1.

[c] L.4 ep 4.

[d] L.7.ep.27.

[e] L.9.ep.41.

AN.CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

ſcopis Bobienſibus & Conſtitutionem ſecundam Bullarij Caſinenſis. Beda in Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum, de primo Abbate Monaſterij Principum Apoſtolorum non longè à Ciuitate Cantuaria ad Orientem erecti ſic loquitur [a]. *Primus autem eius Monaſterij Abbas Petrus Presbyter fuit.* De Ceadda Monaſterij *Leſtingaheu* Abbate, ſic [b]. *Erat autem Presbyter vocabulo Ceadda, frater Reuerendiſſimi Antiſtitis Ceddi, cuius ſæpiùs meminimus, & Abbas Monaſterij illius, quod vocatur Leſtingaheu.* Et de Columbano [c]. *Venit de Hybernia Presbyter & Abbas, habitu & vita Monachi inſignis, nomine Columbanus, in Britanniam.* Et Sigebertus [d] in ſuo Chronico. *Sanctus Columbanus Abbas & Presbyter.* Tot exemplis aliarum gentium Monſnyerus ſubiungit domeſtica, ſanctum Clarum Abbatem ſancti Marcelli in Epiſcopatu Viennenſi; ſanctum Frodobertum Abbatem Cellæ in ſuburbio Tricaſſino; ſanctum Hermelandum Abbatem Antrenſem in Epiſcopatu Namnetenſi; ſanctum Marculphum Abbatem Monaſterij, cui nomen Nantus, in Diœceſi Conſtantienſi; ſanctum Philibertum Abbatem Gemmeticenſem in Epiſcopatu Rotomagenſi; ſanctum Wandregiſilum Abbatem Fontanellenſem in eodem Epiſcopatu; ſanctum Gallum Abbatem in Diœceſi Conſtantienſi ad Rhenum; quos omnes, vt ſuis locis oſtendimus, & Preſbyteros & Abbates fuiſſe conſtat. Monaſterium ſancti Galli perperam in Germania collocatur à Monſnyero, ſitum eſt enim cis Rhenum in Gallia.

a Lib. 1. c. 33.
b Lib. 3. c. 28.
c Lib 3. c. 4
d Ad an. 598.

LX. Præter hos Abbates Galliarum, quos illaudatos non reliquimus, multi quoque ſimul & Preſbyteri fuerunt & Abbates in iiſdem Galliis ſexto ſeptimóque ſeculo. Lege quæ Tomo ſuperiore ſuper eadem quæſtione ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſecundum [e] dicta ſunt de ſancto Ioanne Abbate Reomaenſi, de ſancto Auito Abbate Miciacenſi, de ſancto Germano Abbate ſancti Symphoriani apud Auguſtodunum, de ſancto Winebaudo Abbate ſanctæ Mariæ ſeu ſancti Lupi in Orientali ſuburbio Ciuitatis Tricaſſinæ. Tunc agebamus de Gregorij Magni literis *Senatori Presbytero & Abbati* inſcriptis, cò loci refellimus obiectiones quæ aduersùs illas literas cum ex vita Gregorij Magni à Ioanne Diacono [f] conſcripta tum ex literis [g] eiuſdem Gregorij Mauro Abbati ſancti Pancratij directis propoſitæ ſunt in Aſſertione [h] Inquiſitionis in chartam Immunitatis, quam beatus Germanus Pariſiorum Epiſcopus ſuburbano Monaſterio dediſſe fertur. Plures epiſtolæ Gregorij Magni aduersùs Ægiricum, qui *religioſus Presbyter & Abbas Monaſterij ſancti Martini* in Reſcripto Adeodati Papæ nuncupatur, citatæ reperiuntur in Aſſertione *Inquiſitionis in Monaſterij S. Medardi Sueſſion. Priuilegium.* Quid Monſnyerus ad eas reſpondeat, ſingulatim nunc expendamus.

e Num. 17.
f Lib. 2. c. 54.
g Lib. 3. ep. 18.
h Part. 4. c. 8.

LXI. Citatur epiſtola vndecima libri tertij, quâ Gregorius Maximiano Epiſcopo Syracuſano ſic ſcribit. *Presbyteros, Diaconos, ceteróſque cuiuſlibet Ordinis Clericos, qui in Eccleſiis quoquomodo militant, Abbates per Monaſteria eſſe non permittas; ſed aut amiſsâ Clericatûs militiâ monaſticis non proueh antur ordinibus; aut ſi in Abbatis loco permanere decreuerint, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum eſt, ſi cùm vnum ex his pro ſui magnitudine diligenter quis non poßit explere, ad vtrumque indicetur idoneus, ſícque inuicem & Eccleſiaſticus ordo vita monachica, & Eccleſiaſticis vtilitatibus Regula Monachatûs impediatur.* Ex eâque epiſtolâ infertur Gregorium ſtatuere, *ne Presbyteri, Diaconi, vel alij Clerici, qui tranſeunt in Monaſteria, Abbatis munere defungantur, vel ſi in Monaſteriis permanere velint, priuati maneant, nec ad monaſtica munera promoueantur.*

LXII. Monſnyerus huius epiſtolæ ne quidem meminit, ſed alteri, quæ prima eſt libri quarti & Ioanni Rauennati Epiſcopo inſcribitur, ita reſpondet, vt eâdem reſponſione obiectiones ab vtraque epiſtola petitas diluat. Obſeruat enim Gregorium in literis ad Ioannem Epiſcopum Rauennatem loqui tantùm de Clericis peregrinis, qui cùm in Monaſterio ab ineunte ætate non fuerint enutriti, ad illud gubernandum minùs idonei videntur. Sanè Grego-

rius in litèris ad Maximianum Episcopum Syracusanum locutus est tantùm de Clericis peregrinis, quos Abbates fieri prohibuit. Id in dubium nusquam reuocabit quisquis hanc periodum attentè legerit. *Presbyteros, Diaconos, ceterósque cuiuslibet Ordinis Clericos, qui in Ecclesiis quoquomodo militant, Abbates per Monasteria esse non permittas; sed aut admissâ Clericatûs militiâ monasticis non prouehantur ordinibus; aut si in Abbatis loco permanere decreuerint, Clericatûs nullatenus permittantur habere militiam.* Sensus enim huius periodi talis est. Vetat Gregorius, ne titulus Abbatis curáque Monasterij deferatur Clerico, qui seruit Ecclesiæ nec est Monachus; & posito quòd talis Clericus relictâ Ecclesiâ, cui seruiebat, iam factus sit Abbas, præcipit vt Abbatiale munus dimittat si Clericatûs officio velit adhuc defungi, vel deinceps abstineat à Clericali munere, si decreuerit in Abbatis loco permanere. Sunt igitur Abbates Clerici in duplici differentia. Alij, cùm monasticam vitam in Cœnobio degunt, petente Abbate promouentur ad Clericatum in eodem Monasterio, deinde fiunt Abbates. Alij, vt Abbates fiant, ab Ecclesiis abstrahuntur quibus seruiunt, hique, vt à prioribus distinguantur, Monsnyero dicuntur Clerici peregrini siue extranei.

LXIII. Epistola Gregorij ad Ioannem Episcopum Rauennatem talis est [a]. *Peruenit ad me, quòd in Ecclesia fraternitatis tuæ aliqua loca dudum Monasteriis consecrata, nunc habitacula Clericorum aut etiam laicorum facta sunt; dúmque hi, qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiosè viuere, Monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam Monasteria destruuntur. Nemo enim potest & Ecclesiasticis obsequiis deseruire, & in monachica Regula ordinatè persistere, vt ipse Monasterij districtionem teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum sit, emendare festinet, quia ego nullo modo patiar, vt loca sacra per Clericorum ambitum destruantur. Vos itaque ita agite, vt mihi hac de re correctam causam sub celeritate nuncietis.* Ex eâque epistolá infertur doceri à Gregorio, *neminem simul esse posse Monachum & Presbyterum; hæc officia penitus distingui, itaut qui Presbyter est, Monachus; & qui Monachus, Presbyter idoneus esse non possit.*

[a] Lib. 4. ep. 1.

LXIV. Monsnyerus stabilitâ Clericorum differentiâ respondet has Gregorij literas haud intelligendas esse de Clericis Monachis, qui ab ineunte ætate in Monasterio fuerunt enutriti, sed tantùm de Clericis extraneis seu peregrinis, qui nulli se vnquam Monasterio manciparunt, Cleróque adsciti, vt munera Clericatûs in Ecclesiis obeant, explendæ pòst auaritiæ vel ambitionis causâ volunt Abbates fieri, vototúmque compotes effecti bona Monasteriorum mox dilapidant, & monasticam disciplinam penitus euertunt. Id responsi multùm placet, nititúrque his Gregorij verbis, *dum hi, qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiosè viuere, Monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam Monasteria destruuntur*; & istis in fine epistolæ, *ego nullo modo patiar, vt loca sacra per Clericorum ambitum destruantur.*

LXV. Denique allegatur epistola duodeuicesima libri tertij, quâ Gregorius Mauro sic scribit. *Ecclesiarum cura, quæ Sacerdotalibus officiis euidenter infixa est, ita nos cogit esse sollicitos, vt nulla in eis neglectûs culpa appareat. Quoniam verò Ecclesiam sancti Pancratij, quæ erat commissa Presbyteris, frequenter neglectam fuisse cognouimus, itaut uenientes Dominico die populi Missarum solemnia audituri, non inuento Presbytero murmurantes redirent, hoc maturâ deliberatione nostro sedit arbitrio, vt eis remotis Monachorum Congregationem in Monasterio eidem Ecclesiæ cohærenti constituere cum Dei gratia deberemus, quatenus Abbas, qui illic præesset, curam & sollicitudinem antefatæ Ecclesiæ habere modis omnibus debuisset. In quo etiam Monasterio te Maurum Abbatem prauidimus præponendum, statuentes, vt terras præfatæ Ecclesiæ, vel quidquid illuc intrauerit, seu de reditibus eius accesserit, antedicto Monasterio tuo debeat applicari, atque illic sine diminutione aliqua pertinere, ita sanè vt quæcumque in ipsa suprascripta Ecclesia fienda reparandáque sunt, per te sine dubio reparentur. Sed ne remotis Presbyteris, quibus Ecclesia ipsa fuerat*

antè commissa, vacare ministeriis videatur, idcircò huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, vt peregrinum illic debeas adhibere Presbyterum, qui sacra Missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen & in Monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est. Ex eâque infertur Epistolâ, quòd *Gregorius nonnunquam Presbyteros, qui suo deerant muneri, ab Ecclesiis remouebat, has Abbati & Monachorum Congregationi curandas tradebat, sed cauebat semper, ne Abbas vel Monachus Presbyteri partes obiret. Peregrinus aduocabatur Presbyter, qui populis Missarum solemnia celebraret.*

LXVI. Monsnyerus nullam harum literarum mentionem facit, responsio tamen est facillima. Maurus non est Presbyter, nec, vt Abbas fiat, eum necesse est ad Presbyteratum promoueri; constituitur Abbas, præest Congregationi Monachorum, peregrinum autem Presbyterum, qui solemnia Missarum in vicina Ecclesia celebret, accersit ex mandato Gregorij, quia laici non communicant apud Monachos Presbyteros, & Monachus, si Presbyter ordinatur, officio Sacerdotis intra septa duntaxat Monasterij defungitur. Huius rei locupletissimum testimonium Tomo primo ad annum Christi quingentesimum duodeuicesimum [a] retulimus. Ioannes Presbyter & Abbas Reomaensis Agrestium ciuem Magnimontensem ad se venientem die Dominico nec ad synaxim precum nec ad Euchatistiæ communicationem admittere voluit. *Agrestius quidam Magnimontensium partium ciuis, vir bonis moribus, cùm ad Monasterium S. Ioannis flagitandæ benedictionis obtentu aduenisset, expectans atque ambiens vt ab ore Ioannis corpus consecratum Christi mereretur accipere, & ille, vt sibi moris erat, secretiùs Missarum voluisset solemnia celebrare; egredere, inquit Ioannes, Agresti, foras, dum modò secretiùs, vt Monasterij vtilitas poscit, sacra mysteria peragamus. Illo rogante ne respueretur, quippe qui huius rei gratiâ maximè aduenisset. Non ideò, inquit Ioannes, hæc facimus quòd execrari velimus tuæ charitatis præsentiam, sed ne videamur Sanctorum Patrum irrita præcepta facere, néue præsumamus regularem laxare censuram.* Hæc in vita sancti Ioannis Abbatis Reomaensis Auctor coætaneus, qui testatur à se scripta, quæ *referente viro venerabili Agrippino Diacono, ipsius Agrestij filio*, cognouit. Aduerte, quæso, rationes, quibus se Ioannes apud Agrestium excusat; allegat *vtilitatem Monasterij*, cui debet consulere; *Sanctorum Patrum præcepta*, quæ non vult irrita facere; *regularem censuram*, quam relaxare non præsumit.

[a] Num. 3.

LXVII. Hactenus actum de priore obiectionis parte, quâ Launoius ait Abbatis & Presbyteri officia sic à Gregorio Magno distincta esse, *vt noluerit vnquam eum, qui esset Presbyter, Abbatem esse, vel eum, qui Abbas esset, Presbyterum esse.* Quod attinet ad posteriorem partem, quâ contendit temporibus Adeodati Papæ Presbyteros & Diaconos in Occidente nondum tot Monachos fuisse, quot fuisse verba hæc significant, *Reuerentissimo Episcopo facienda tantùm ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Leuitarum sit concessa licentia*, Monsnyerus ad id quoque nihil respondet, vicem supplebimus. Ex verbis Gregorij suprà recitatis nihil sciri potest de numero Monachorum Occidentalium, qui, siue in Cœnobio sancti Martini, siue alibi, vel essent ordinati Presbyteri, vel Leuitæ. Liquet tantùm concessam Episcopo licentiam *faciendæ ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Leuitarum*, nec ex ea licentia sequitur, multos ab Episcopo Presbyteros, multos Leuitas ordinandos esse.

LXVIII.

LXIX. Septimò, Launoius obiicit temporibus Adeodati Papæ nondum morem fuisse, *vt remotarum ab Italia gentium Abbates & Monachi Priuilegia & Immunitates ab Episcopo Romano quærerent, & sibi compararent.*

Apposité Monsnyerus in memoriam reuocat Epistolas, quas Gregorius Magnus Adeodato vetustior scripsit *Respectæ Abbatissæ* [b] *de Galliis Massiliæ, de Priuilegiis Monasterij sui;* necnon *Virgilio* [c] *Episcopo Arelatensi, de Priuilegio Monasterij Arelatensis auctoritate Apostolicâ confirmato, quod inuiolabiliter seruari debet;* & *Brunichildæ* [d] *Reginæ Francorum, de Priuilegiis Monasteriorum eius.* De quibus Epistolis nihil hîc repetemus, quia de illis actum abundè superioribus Tomis [e].

[b] L. 6. ep. 12.
[c] L. 7. ep. 117. Ind. 11.
[d] L. 11. ep. 8.
[e] Tom. 1. ad an. 548. n. 10. Tom. 2. ad an. 596. n. 11. ad an. 599. n. 27. ad an. 602. nn. 5. & seqq.

Octauò,

Octauò, Launoius obiicit credibile non esse, quòd Ægiricus Abbas, & AN. CH.
Crotbertus Turonensis Episcopus alii que Galliarum Præsules ab Adeodato id 674.
consecuti sint, *vt ille Pontifex Romana Ecclesia morem & traditionem abrumpe-* THEO-
ret, à regimine Episcopalis prouidentia religiosa loca secernendo, quod fieri non po- DOR. III.
test, nisi Chalcedonensis Synodi Canones Spiritu Dei conditi & totius mundi reue- DAGOB.
rentiâ consecrati soluantur. At *horum Canonum* defensores ac custodes non trans- II. RR. I.
gressores se dicunt ac probant Martinus Primus, Vitalianus, Zacharias, alii- LXX.
que Romani Pontifices.

Hæc obiectio tribus auctoritatibus innititur; vnâ, quæ petitur à Canonibus LXXI.
Synodi Chalcedonensis; alterâ, quæ ducitur ab Epistolis Romanorum Ponti-
ficum, qui Adeodatum antecesserunt in Pontificatu; tertiâ, quæ sumitur ex
scriptis Romanorum Pontificum, qui post Adeodatum administrationem Ec-
clesiæ Catholicæ susceperunt. De postrema nihil ad hunc annum dicemus.
Opportuniùs illam expendemus, vbi peruenerimus ad tempora Pontificum,
quorum testimoniis fulta perhibetur.

Io primis Monsnyerus Canones Concilij Chalcedonensis in duplici diffe- LXXII.
rentia collocat, alij enim ad fidem, alij spectant ad disciplioam. Deinde ad-
dit hoc loco non esse quæstionem de Canonibus fidei, qui & à Leone Papa
confirmati sunt & ab omnibus Catholicis cum honore ac reuerentia debitis re-
cipiuntur, sed tantùm de Canonibus disciplinæ, quos negat approbatos à
Leone. Citat in hanc rem epistolam [a], quâ Leo post Synodum Chalcedonen- [a] Ep 55.
sem Pulcheriæ Augustæ, *vndecima Calendas Iuny, Herculano viro clarissimo
Consule*, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-secundo, hæc
scripsit. *Consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam condi-
torum Regulis repugnantes, vnita nobiscum vestra fidei pietate in irritum mittimus,
& per authoritatem beati Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus.* Sed
hæc intelligenda tantùm videntur de improbatione Primatûs Sedi Constanti-
nopolitanæ adiudicati. Binius enim in notis ad illam Synodum sic ait. *Ea, qua
hoc Concilio de fide Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, contra haresin Eutychia-
nam, communi Patrum Orthodoxorum sententiâ definita sunt, auctoritate Leonis
Pontificis, prout iidem Patres Concily Synodali epistolâ ad Leonem scriptâ expetierant,
confirmata & approbata fuerunt, vt patet ex circulari epistola. Id verò, quod instigante
Anatolio Constantinopolitano Antistite, ambitiosè, absentibus & postea contradicen-
tibus Legatis, de Primatu Sedis Constantinopolitana contra Decreta Nicani Concily
constitutum fuit; vt post Romanam Sedem secundum locum Patriarchalis honoris ac di-
gnitatis Constantinopolitana Ecclesia haberet, id, inquam, Sanctus Leo Pontifex planè
improbauit, cassauit, atque irritum reddidit.* Et vt vtrumque diuisionis membrum
probet, ait *approbationem Decretorum fidei*, extare epistolâ Leonis sexagesimâ-
primâ, & *de improbatione Primatûs Sedi Constantinopolitana adiudicati* sermo-
nem haberi epistolâ eiusdem Leonis quinquagesimâ-quintâ, textu proximè
citato. *Consensiones verò Episcoporum*, &c. Non erat necesse, vt duas Leonis
epistolas allegaret. Sufficiebat sexagesima-prima, cuius prior pars approbat
Decreta fidei, posterior Primatum Sedi Constantinopolitanæ adiudicatum
improbat. *Leo Episcopus, sancta Synodo apud Chalcedonem habita. Omnem qui-
dem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem sancta Synodi, qua ob
confirmationem fidei in Chalcedonensi Ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse
complexum, quia nulla sinebat ratio, vt qui vnitatem Catholica fidei dolebam ab
hareticis fuisse turbatam, non exultanter in integrum rediisse gauderem. Hoc autem
non solùm ab ipso beatissima consensionis affectu, sed etiam ex epistolis meis, quas
post reditum meorum ad Constantinopolitana vrbis Antistitem dedi, potuissetis
agnoscere, si vobis responsionem Sedis Apostolica manifestare voluisset. Ne ergo per
malignos interpretes dubitabile videatur, vtrùm qua in Synodo Chalcedonensi per
vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem, hac ad omnes fratres & Coe-
piscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, qua Gloriosissi-
mus & Clementissimus Princeps (sicut poposcit) in notitiam vestram mittere pro Ca-*

AN.CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

tholicæ fidei amore dignabitur, vt & fraterna vniuersitas & omnium fidelium corda cognoscant me non solùm per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpè dicendum est) propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianorum Principum & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari, damnatis hæreticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Iesu Christi Incarnatione dubitatio. Vnde si quis vnquam ausus fuerit vel Nestorij perfidiam tueri, vel Eutychetis ac Dioscori impium dogma defendere, à Catholicorum communione resecetur, nec habeat eius Corporis participationem, cuius abnegat veritatem. Hue vsque prior pars; posterior proximè sequitur. *De custodiendis quoque sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus sunt fixa decretis, obseruantiam vestræ sanctitatis admoneo, vt iura Ecclesiarum, sicut ab illis* CCCXVIII. *Patribus diuinitùs inspirata sunt, ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim exortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quicquid à prædictorum Patrum Canonibus discreparit. Quorum Regulis Apostolica Sedes quàm reuerenter vtatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, me, auxiliante Domino, & Catholicæ fidei & paternarum traditionem esse custodem. Data duodecimo Calendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule*, id est, anno Christi quadringentesimo quinquagesimo-tertio. Binius priori harum literarum parte, textúque, quem ex Leonis epistola quinquagesima-quinta protulimus, descriptis, mox ita concludit. *Omnia igitur illa, quæ nomine huius Concilij sub præsidio Leonis habiti continentur, eiusdem auctoritate approbata fuerunt. Canones verò, quos Legatis absentibus ad Concilium clanculò & furtim addiderunt Orientales Episcopi, à Leone Pontifice nequaquam recepti fuere, cùm nihil præter fidei definitionem confirmarit.* Et Monsnyerus in postremis hisce Binij verbis, *cùm nihil præter fidei definitionem confirmarit*, vim maximam facit, sícque ratiocinatur. *Si ergo nihil præter fidei definitionem confirmarit sanctus Leo, vt certissimum est, quid est quod tam frequenter, támque importunè per illa verba nobis iactando obtrudat Aduersarius? [nisi Chalcedonensis Concilij Canones Spiritu Dei conditi & totius mundi reuerentiâ consecrati soluantur.] Si Canones illi, de quibus loquitur, clanculùm & dolosè editi fuerunt, inscijs, cùm ederentur, finito Concilio, solutísque Comitijs, egressis & renitentibus, cùm factum illud posteà rescierunt, Apostolicæ Sedis Legatis; súntne Canones illi hac ratione Spiritu Dei conditi & totius mundi reuerentia consecrati?*

LXIII. At aliter nobis argumentandum videtur. Inter Canones enim Synodi Chalcedonensis, qui spectant ad disciplinam, multi reperiuntur, qui nec ad dogmata fidei quæ Leo confirmauit, nec ad Primatum Sedis Constantinopolitanæ, quem idem Pontifex improbauit, vllo modo pertinent. Tales sunt Canones quartus & octauus Actionis decimæ-quintæ; quorum alter præcipit Monachos per vnamquamque ciuitatem aut regionem subiectos esse Episcopo; alter Clericos, Monachos & laicos proprio sic Episcopo subijcit, vt si qui proprio Episcopo non summittuntur, eos Canonum correptionibus subiacere velit si Clerici sint, communione verò priuari si Monachi sint aut laici. Neutrum hoc loco describemus, quia vtrumque aliâ occasione, cùm de Priuilegio Landerici Episcopi Parisiensis ageremus, ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum [a] iam allegauimus. Illos Canones procul dubio laudauit sanctus Leo, laudarunt & Antistites Gallicani, vt constat ex varijs Conciliis habitis in Gallia sub Francorum Regibus. Testes Aurelianenses Synodi; prima sub Clodoueo Magno; secunda sub eius filiis, Theodorico, Childeberto & Clotario; necnon Altissiodorensis sub Guntchramno eiusdem Clodouei nepote. Istarum præcipuè Synodorum Canones, qui super Monachorum disciplina Canonibus Chalcedonensibus conformes

[a] Num. 18.

ſunt, ibidem citauimus, quia Landericus Pariſienſis erat Epiſcopus, & ſupradictis Aurelianenſibus Synodis ſubſcripſerunt Pariſienſes Antiſtites, Heraclius primæ, ſecundæ Amelius, Altiſſiodorem verò celebrauit Aunacharius Altiſſiodorenſis Epiſcopus, qui Metropolitæ Senonenſi æquè ac Pariſienſis Epiſcopus ſubiacebat. Eoſdem Canones hîc non repetemus, ſubiiciemus tantùm Arelatenſem, qui regnante Childeberto Clodouei Magni filio conditus fuit. *Vt Monaſteria, vel Monachorum diſciplina, ad eum pertineant Epiſcopum, in cuius ſunt territorio conſtituta.* Dubium non eſt, quin ex iure communi Monaſteria cum Monachis Epiſcopo Diœceſano ſubiaceant, à communi autem iure recedunt Priuilegia, nec ea concedi vetuit Synodus Chalcedonenſis aut Leo Papa. Leonis ſucceſſores varia Priuilegia conceſſerunt, conceſſerunt & Epiſcopi Gallicani, quin & apud Marculfum extat Priuilegij formula, quam alio loco recitauimus. Vt igitur Priuilegium, de quo nunc agimus, aut admittatur aut reiiciatur, non examinandi ſunt Canones Synodi ſeu Chalcedonenſis ſeu cuiuſlibet alterius, ſed attendenda ſunt ipſiuſmet Priuilegij verba, ſuppoſititium enim haberi debet, ſi quid in eo conceſſum inueniatur, quod veteri formulæ conſuetudiníque illorum temporum repugnet; ſecus verò ſi nihil in eo tale deprehendatur. Ceterùm in quo conſiſtat, exponemus infrà.

Altera vis obiectionis petitur ab epiſtolis Romanorum Pontificum, qui Adeodatum in Pontificatu anteceſſerunt, id eſt, ab epiſtolis Martini, qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo, & Vitaliani, cui proximè ſucceſſit Adeodatus. LXXIV.

Martinus [a] ad Pantaleonem ita ſcribit. *Canones Eccleſiaſticos ſoluere non poſſumus, qui defenſores & cuſtodes Canonum ſumus, non tranſgreſſores.* LXXV.

[a] Ep. 9.

Monſnyetus reſpondet hæc à Martino in cauſa proferri, quæ plurimùm differt ab exemptione Monaſterij. Martinus enim eo loci nihil aliud vult *niſi cauendas eſſe diligenter in Eccleſiarum Prælaturis factioſas ſeditiones, proindéque in Eccleſia ſuper liberis electionibus Prælatorum, qui hæretici aut ſchiſmatici non ſint, Canones eſſe ſeruandos.* Res paulò fuſiùs eſt explicanda. Poſt obitum Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani, qui fidem Catholicam aduersùs Monothelitas diu conſtantérque propugnauerat, Sergius Ioppenſis Epiſcopus homo hæreticus per ſecularem poteſtatem ius Patriarchicum ſibi vendicauit contra Canones, & intra fines Patriarchatûs Hieroſolymitani complures ſui ſimiles Epiſcopos ordinauit. Vt auerteretur malum, quod inde ſecuturum videbatur, ab Orthodoxis Epiſcopis Palæſtinæ miſſus eſt Romam Stephanus Epiſcopus Dorenſis, qui Theodoro Papæ res ab hæreticis nefariè geſtas ſignificaret. Stephanus Legatione defunctus eſt maxima cum laude, Sedis Apoſtolicæ Vicariam in illis partibus Præfecturam à Theodoro conſecutus eſt, vt Sergium ſceleſtè intruſum condemnaret, ordinatos ab eo Epiſcopos deponeret, illóſque tantùm reciperet, qui pœnitentiæ libellum offerrent, ſcriptóque profiterentur ſe ſanctorum Patrum & Synodorum doctrinas amplecti ac prædicare. Quod & fecit. Deinde Romam ſecundò perrexit, interfuítque Concilio Lateranenſi, quod anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo celebratum eſt. In ſecundo huius Synodi Secretario, vel, ſi mauis, in ſecunda Seſſione, Martino Papæ, Theodori proximo ſucceſſori, libellum ſupplicem obtulit, in quo quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſic enarrauit. *Sergius quondam Ioppenſis Epiſcopus, poſt receſſum gentis Perſarum, loci ſeruaturam Sedis Hieroſolymitanæ arripiens, non quidem per Eccleſiaſticam authoritatem, ſed ſecularem poteſtatem contra Canones, ibidem ſub Sedem Hieroſolymitanam pertinentes aliquos Epiſcopos ordinauit, & cùm ipſe minimè fuerat confirmatus, alios ordinare præſumpſit. Hi autem propterea ſcientes veraciter inanem eſſe ordinationem eorum, per propria ſcripta conſentientes, applicuerunt affectata ſe nouitati, quæ à Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano defenditur, quaſi ex hoc ſperantes enormiter, quod impoſſibile eſt, confirmari. De quibus & anteà Apoſtolicæ Sedi innotui, id eſt, beatæ me-* LXXVI.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

moria decessori vestro Theodoro, iussitque mihi indigno per sacram suam preceptionem, ordinans me loci seruatorem per Apostolica eius scripta, quatenus tum ea, quæque fuissent Ecclesiastica Capitula, peragere debuissem, & canonicè, si nullatenus emendarentur, qui sub denominato pretextu ordinati sunt Episcopi, deponerem eas. Quod & fecisse me certum est, & pracipuè quoniam in errorem à veritate recedentes sponte delapsi sunt, tantúmque illos recepi, secundùm iussionem eius, qui libellum pœnitentia obtulerunt, & professi sunt in scripto, conseruare indesinenter & amplecti atque pradicare Sanctorum Patrum & Synodorum doctrinas, quorum libellos nuper deferens obtuli Sacratissima præsidenti Sanctitati vestra, Martino ter beatissimo Papa, ab eo quòd aliqui eorum meritò recepti & confirmati sunt, aliqui verò pro tuitione Catholica Ecclesia condemnati sunt. Ideóque exoro, vt minimè despiciatis humilitatis mea & omnium Orientalium Orthodoxorum Sacerdotum & populorum, nec prædicti domini mei sanctæ memoria Sophronij, super tali capitulo instantias assiduásque precationes, vestra Beatitudini per meam humilitatem cum lachrymis oblatas, &c. Posteà Martinus hæc ad Pantaleonem scripsit. *De iis, qui non canonicè istic electi sunt in Patriarchia beata memoria Sophronij, eum Canonem inuiolabiliter decernimus custodiri, qui à Sanctis Apostolis & Patribus nostris constitutus est de iis, qui in alia ciuitate præter sententiam scientiámque Pontificis, qui ei ciuitati præest, vel eligunt, vel eliguntur, vel consentiunt, vel conuocant. Canones enim Ecclesiasticos soluere non possumus, qui defensores & custodes Canonum sumus, non transgressores. Tametsi vtramque Sedem illi violarunt; hanc quidem Apostolicam Sedem, quòd creationum præcepta non dederint; vt antè dictum est; Sedem verò Sancti Iacobi, quòd Sophronium celare studuerint; vt ceteri liberè, sicuti ipsi volunt, non sicut Sanctus Spiritus iubet, electiones sibi arrogarent. Tales propterea Ecclesiæ Canon castigat, non enim confusionis ac turbationis Deus est, sed ordinis & pacis. Qui verò ante ipsius Patriarchiam aut post dormitionem memorati Sophronij creati sunt, de iis scripsimus propter temporis angustiam, qua sic creatis defensionis locum prabet, cùm inde Ecclesiastico Canoni nullo modò præiudicetur, vt, cùm libellum sinceræ pœnitentia siue Orthodoxa fidei dederint ei, qui nuper à nobis ad id istic delectus est, eos in proprio ordine confirmet, modò hi ex aliis peccatis non prohibeantur confirmari, quæ à Canone notata sunt.*

LXXVII. Vitalianus [a] ad Paulum Archiepiscopum Cretensem hæc scripsit. *Itaque statuimus atque firmamus, per huius nostra præceptionis auctoritatem, omnia, quæ à te tuáque Synodo, contra Canonum instituta, contráque legum decreta, gesta confectáue sunt, vel sententiam promulgatam aduersùs eum*, id est, aduersus Ioannem Lappæ vrbis Episcopum, *inania & vacua esse.*

[a] Ep. 1.

LXXVIII. Queritur Monsnyerus suppressa esse in obiectione hæc verba, *vel sententiam promulgatam aduersùs eum*, quæ totius controuersiæ statum & argumentum præcisè continent. Ioannes Episcopus Lappæ in Creta, cùm iniustitiam à Paulo Archiepiscopo Cretensi passus esset, ad Romanum Pontificem appellauit, sub custodia detentus est aliquandiu ne Romam veniret, elapsus ad Vitalianum Papam peruenit, eíque decimo-nono die mensis Decembris, currente iam Indictione vndecimâ, id est, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo, petitionem intra Basilicam Principis Apostolorum obtulit. Vitalianus iustam petitionem non despexit; Concilium Episcoporum, in quo causa cognosceretur, Romæ congregauit. Patres in Synodo residentes Ioannem, quem iniustè damnatum fuisse cognouerunt, communi absoluerunt calculo; deinde Vitalianus, mense Augusto, eâdem Indictione vndecimâ, siue anno Christi sexcentesimo duodeseptuagesimo, ad Paulum Cretensem Archiepiscopum, qui appellantem Episcopum cohibuerat, hæc scripsit. *Decimo-nono die mensis Decembris, præsentis vndecima Indictionis, Ioannes Episcopus Lappa vrbis intra Basilicam venerabilem beati Principis Apostolorum Petri, nobis obtulit petitionem, per quam nos obnixè postulauit atque coniurauit per terribilem, inquiens, aduentum magni Dei atque Saluatoris nostri Iesu Christi, vt secundùm sacratissimos Canones, institutáque sanctorum Patrum, eius causa meritum requireremus, & sententiam pro-*

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

mulgaremus. Obtulit illicò & sententiam apud tuam fraternitatem confectam subscriptámque eius eorúmque Episcoporum manibus. Igitur post aliquos dies ad eius preces coaceruari cœtum in hac vrbe Romana Antistitum fecimus, vt nobiscum considentes, & petitio eiusdem Episcopi & acta Sacerdotaliter cognoscerentur. Dum ergo esset in hac Romana vrbe congregata eadem Synodus Episcoporum pro huiusmodi negocio audiendo vel faciendo, statim nobis nunciata sunt eiusdem exemplaria actionis, à tua fraternitate directa, quæ suscipientes atque conferentes inuicem, ita inuenimus contineri in verbis & sensibus, sicut ea quæ nobis præfatus Episcopus obtulerat, subscripta manu Episcoporum & tuæ Dilectionis, &c. *Cúmque recensita esset sententia coram nostris fratribus Episcopis, visum nobis eísque est, quòd non secundùm timorem Dei, neque secundùm instituta Patrum, sacrósque Canones, eiusdem Ioannis Antistitis Lappæ est causa cognita & terminata, vel pœnalibus submissa eius persona. Propterea non leniter contristati sumus, maximè quia & sub custodia missus est idem Ioannes Antistes Lappa diebus aliquot, & exinde adducebatur in secretarium tuæ fraternitatis, vt quod velles, inquit, loqueretur, ac rursus sub custodia ducebatur ad clausuram, sicuti habet confeßio defensoris tuæ Dilectionis in sententia ab eo facta; insuper & hortabatur, contra Canonum iussa, contráque legum instituta existens, vt daret fideiussorem. Deinde oportebat tuam fraternitatem secundùm Canonum vigorem, tempore, quo se petiit ad nos venire, eum absoluere tuis litteris, quem non solùm noluisti Canonicè absoluere ad Principis Apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens, quia non competenter quæris. Quæ ergo sancti sanxerunt Patres, indecentia sunt? An placentia sibi, decentia sunt? Igitur præfatum Ioannem, Antistitem atque inculpabilem reperientes, iuxta textum sententiæ à te nobis directæ, fecimus nobiscum cum Episcopis ad Missarum solemnia in Ecclesias Dei procedere. Itaque statuimus atque firmamus per huius nostræ præceptionis auctoritatem, omnia, quæ à te tuáque Synodo contra Canonum instituta, contráque legum decreta, gesta confectáve sunt, vel sententiam promulgatam aduersùs eum, inania & vacua esse; sed quicquid claruerit eum damnificatum, eiusdémque Ecclesiam à quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conseruans eum absque damno. Denominatum enim Ioannem, vtpote innocentem existentem, cum præsenti nostra præceptione absoluimus hinc, vt sicut ceteri tuæ Dilectionis Episcopi, & is suæ Ecclesiæ vtilitates cum Dei peragere timore, sacrarúmque Regularum instituere debeat morem*, &c. *Data die 6. Kalend. Septembris, Indictione 11.* Hæc causa longè dispar ab exemptione Monasterij, nec à Vitaliano dissimulari tolerarive potuit, cùm esset in præiudicium ac contemptum Sedis Apostolicæ.

Habet & alia ex Baronio perappositè Monsnyerus de eodem Vitaliano Papa, qui Canones penè omnes Ecclesiasticos in Imperatore Constante hæretico violauit. *Non enim*, inquit Baronius[a], *eiecit ab Ecclesia sacrilegum fratricidam, neque procul abhorruit vel à salutatione hominis, qui sanctißimum Pontificem Martinum è Sede tyrannicè euulsisset, ignominiosè tractasset, ac eundem relegatum Chersonæ perire fame etiam coegisset; non exhibitam in Sanctum Maximum eiúsque discipulum carnificinam exprobrauit; non, inquam, tot tantísque aspersum criminibus hominem spreuit, vel (vt par erat) exhorruit, forésque illi occlusit Ecclesiæ, sed obuiam prodiit, excepit, fouit, amplexatus & prosecutus est omni genere charitatis. Cur ista Vitalianus in summum dispendium (vt videri poterat) Ecclesiasticæ læsæ censuræ & fractæ penitus disciplinæ? Qui cuncta moderatur Deus, & fecit in numero, pondere, ac mensura, & pro ratione diuersorum temporum diuersas à nobis in rebus gerendis rationes exposcit secundùm quod Sapiens definiuit, dicens* [*tempus odij & tempus amoris, & tempus amplexandi & tempus ab amplexibus recedendi, & tempus pacis & belli tempus*] *suasit Vicario suo Summo Pontifici, ita agere cum scelestißimo homine, dißimulanda omnia hominis illius delicta; dummodo Catholicæ esset veritati consultum, cui conduceret vt Imperator diu hæreticus, siue per veritatem, siue per occasionem specimen ederet Catholicæ pietatis, personam præferens hominis Orthodoxi. Quod enim vnà cum Imperatore (vt sæpè cognitum est) vniuersus Oriens vel schismate scindi vel communione Catholicâ vniri soleret, Sanctus Spi-* LXXIX.

[a] Ad an. 663. nn. 3. & seqq.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

ritus persuasit Ecclesiasticos tunc reliquos omnes silere Canones, Ecclesiasticámque tacere censuram, vt vnius communicatione vniuersus simul Oriens & Occidens, diu inter se diuisi schismate, communione Catholicâ stringerentur. Nec ipsum Vitalianum spes fefellit, vel consilium eius est irritum redditum. Etenim eiusmodi remissione censura factum, vt non ipse solus Constans vsque ad obitum videri voluerit esse Catholicus, sed hac semel apertâ viâ, & eius successor in Imperio, œcumenico congregato Concilio, ad ipsam hæresim extirpandam, omne contulerit studium atque robur. Cuius enim est sancire Canones, eiusdem est & moderari eos, ac pro ratione personarum & temporis secundùm Dei consilium cuncta disponere, quæ prodesse sciat Ecclesiæ. Vnus idémque Spiritus dono consilij atque discretionis hac omnia est operatus, remittens neruos Ecclesiastica arcta censura pro salute totius Ecclesia consequenda. Hinc illud quàm saluberrimè monet Ecclesiastes. [Noli esse iustus multùm: neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.] Probes igitur necesse est medicinam, ex qua integra sanitas fuit Ecclesiæ Catholicæ restituta.

LXXX. Addit insuper Monsnyerus sanctos Pontifices, Simplicium, Gelasium & Gregorium, qui longè ante Adeodatum, imò ante prælaudatos Vitalianum ac Martinum sederunt, iustis de causis, super Canonibus, & Canonum disciplina, etiam in generalibus Conciliis edita dispensasse, quia pro varietate rerum, locorum, & temporum, Regulæ sanctorum Patrum sunt temperandæ.

LXXXI. Simplicius Papa in gratiam Zenonis Imperatoris, vt pax seruaretur, super Canone Concilij Nicæni dispensauit. Imperante Zenone, Antiochenam Ecclesiam duo rexerunt Stephani. Senior multa passus est ab hæreticis, qui Synodum Chalcedonensem impugnabant, & in Orontem fluuium præcipitatus Martyrium gloriosè consummauit, vt Ecclesiasticæ Tabulæ produnt septimo Kalendas Maij. Sed & alios Orthodoxos Episcopos ab hæreticis tunc Antiochiæ necatos indicant literæ Simplicij Papæ mox citandæ. Graues de sacrilegis, vt decebat, pœnas sumpsit Imperator missis illuc militibus. At compressis gladio turbis vereri cœpit, ne cicatrix malè obducta rursus erumperet in vlcus, si Synodus Orientalis, vt mos erat, de successore Stephani Martyris eligendo haberetur. Eò necessitatis adactus, & Ciuitatis Antiochenæ paci ac tranquillitati præcipuè consulendum ratus, quod hactenus à maioribus intentatum fuerat primus præcepit, vt eligeretur Constantinopoli qui futurus esset Antiochenus Episcopus. In locum Stephani Senioris seu Martyris, de quo suprà, subrogatus est Stephanus Iunior, & ea, quæ præter Regulas Ecclesiasticas in illius electione præsumpta fuerant, à Simplicio Papa rata haberi Zeno Augustus per literas mox poposcit obtinuitque. Extat epistola [a], quâ Simplicius laudat Zenonis sollicitudinem in puniendis iis, qui Antiochiæ in cædem Episcoporum coniurauerant, & electionem Episcopi Antiocheni non obseruato Concilij Nicæni decreto factam sic approbat. *Quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi præter præiudicium venerandi illius Concilij Nicæni apud Constantinopolim iisdem petentibus ordinaretur Antistes, quod in eius tantummodò persona sic memorastis assumptum, vt deinceps secundùm definitiones Patrum, Orientali Synodo creatio Antiocheni Pontificis seruaretur, nec haberi loco vultis iniuria, quod dissensionis gratiâ factum est auferenda. Tenet hanc pietatis vestra beatus Petrus Apostolus sponsionem, & Christianissimi fidelissimíque Principis mentem in hac verba intrasse, quòd posthac in Antiochena vrbe, veteri more seruato, à comprouincialibus suis Episcopus ordinetur, ne quod nunc frater & Coepiscopus meus Acacius vobis est iubentibus executus, in vsum posteritatis veniat, & statuta Patrum, quæ præcipuè præstatis illæsa, confundat. Vnde quæ à vobis amore quietis sanctè ac religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochena Ecclesia sub nostra dubitatione videatur ambiguus, præcipuè cùm is qui legitur ordinatus, testimoniis Clementia vestra & tantâ sit prædicatione subnixus, vt in eo præter horum vulnerum dolorem posito, possimus & Ecclesiæ, quæ illum meruit, gratulari.* Huc vsque Simplicius

[a] Ep. 14.

in literis ad Zenonem Augustum datis *decimo Kalendas Iulias, post Consulatum Illi V. C.* id est, anno Christi quadringentesimo septuagesimo-oono. AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I. Scripsit & sequentes eadem de re literas [a] ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum, qui contra Canooum disciplinam Stephanum Antiochenum Episcopum ordinarat. *Clementissimi Principis literis, tuaque Dilectionis, de sacrilega & funestissima cæde, quæ apud Antiochiam facta est, sauciatus & nimiùm affectus mærore respondeo, astruens, si qua dudum de Petro & aliis complicibus eorum scripseram, & vt pietati eius cum ceteris qui aderant fratribus suggerere postularam, vt optaneram, ordinatum fuisset, hæreticorum temeritas ad tantum facinus non veniret, nec aliquid necessitatis existeret, vt non aliter prædicta subueniretur Ecclesia, nisi ve aliquid de iure eius curatio ipsa minueret. Quamuis enim profecerit ad quietem, quod Christianissimi Principis iussione vel sine præiudicio Canonum à tua Charitate fuerit Antiochenus Episcopus ordinatus, tamen non est sine inuidia factum, cuius cauendum deinceps etiam ille testatur, qui præcepit, exemplum. In quo pietati eius gratias dignum est nos referre, quoniam ita Gloria sua moderatus est potestatem, vt fidelissimâ deuotione Patrum Regulis submitteret quæ iuberet, nec in auctoritatem recipi, quod sequenti constituit ætate prohiberi, vt scilicet in hac tantummodò persona, quam iussu eius & studio quietis Antiochensibus non tuâ vsurpatione Antistitem consecrasti, quod factum est, necessitate sufficeret. In quo tua Dilectionis non irrationabilem cognoscimus fuisse famulatum, quia Ecclesiarum iura respiciens, diu te non immeritò suspendisse testaris, ne videreris ambire, quòd tanto Principi & in tam graui causa non poteras abnegare.*

a Ep. 15.

Simplicio Papæ successit Felix, tum Gelasius. Hic quoque super Canoni- LXXXII. bus & antiquioribus decessorum suorum Decretis in multis dispensauit, suásque literas [b] ad Episcopos per Lucaniam & Brutios & Siciliam cooltitutos sic exorsus est. *Necessaria rerum dispositione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine conuenimur, sic Canonum paternorum Decreta librare, & retrò Præsulum decessorúmque nostrorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, quantùm fieri potest, temperemus.*

b Ep. 9.

Denique Gregorius Magnus cum Anglis neophytis matrimonia contra- LXXXIII. hentibus io gradibus prohibitis dispensauit. Id ita testatus est in literis [c] ad Felicem Episcopum Messanæ. *Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet vt recordaris tuo, de consanguinitatis coniunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter & non generaliter ceteris me scripsisse cognoscas. Vnde & mihi omnis Romana Ciuitas extitit testis, nec eâ intentione hæc illis scriptis mandaui, vt postquàm firmâ radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint consanguinitatem inuenti, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem coniunganiur, sed adhuc illos neophytos existentes sæpissimè eos priùs illicita docere vitare, & verbis ac exemplis instruere, & quæ pòst de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apostolum, qui ait, [lac vobis potum dedi non escam,] ista illis modò non posteris, vt supradictum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum, quod infirmâ adhuc radice plantatum erat, erueretur, sed cœptum firmaretur, & vsque ad perfectionem custodiretur.*

c Lib. 12. ep. 31

Nooò, Launoius obiicit credibile non esse, *Gallicanos Episcopos omnes in* LXXXIV. *vnam conspirasse sententiam, vt maximè vellent & curarent Monasteria omnia ab Episcoporum iurisdictione, quibus per sacros Canones subiiciuntur, in perpetuum eximi.* Monasteria dicit omnia, *quòd omnium eadem sit ratio atque vnius; siue quia omnia non magis quàm vnum subiiciuntur; siue quia in omnibus non magis quam in vno sacris derogandum est Canonibus, quos sexcenti triginta Patres Chalcedone collecti condiderunt; siue quia non maior est vnum quàm omnia eximendi in perpetuum ratio, si necessitas vrgens & euidens vtilitas considerentur, quæ tantùm duo soluendorum Canonum causam obiiciunt, sed ad tempus obiiciunt, non in perpetuum.*

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I. LXXXV. Rectè Monsnyerus inficiatur *aequalia sanctitate, famâ, honore ac dignitate Monasteria omnia*, rectéque affirmat *alia aliis, vt amplitudine, sic & dignitate, imò & sanctitate praestantiora esse, adeóque maioribus atque insignioribus immunitatum & exemptionum praerogatiuis digniora*, quorum numero vt accenseat Monasterium, cuius iura propugnanda susceperat, in eius commendationem necnon in laudes sancti Martini fusiùs exspatiatur. Deinde vt alteram difficultatem soluat, quae spectat ad tempus, vtrùm videlicet Monasteria, si quae eximantur, *ad tempus duntaxat*, an *in perpetuum* eximi debeant, ait *Priuilegia, cùm sint stricti iuris, in tantùm valere, in quantum vult ipse qui ea concedit, adeò vt si ea concesserit ad tempus, valeant ad tempus; si in perpetuum*, vt Crotpertus Episcopus & Adeodatus Papa concesserunt, *valeant in perpetuum.*

LXXXVI. Quae duae res in obiectione proponuntur, vt Canonum disciplina relaxetur, ad id sanè potentissimae sunt, vrgens videlicet necessitas & vtilitas euidens, nec dubium quin eas attenderint Romani Pontifices, Simplicius, Gelasius, & Gregorius Magnus, in causis, de quibus suprà. Vt autem ambae simul concurrant, haud est necessarium, illarum enim altera sufficit. Caeterùm Abbates, cùm Priuilegia poposcerunt, vtilitatem seu quietem Monasterij procurandam semper causari sunt, quia vita Monachorum *summam expetit quietudinem*, vt Pasquarij Namnetensis Episcopi nunciis ad se missis dixit Lantbertus Abbas, qui synchronus Adeodato Papae vixit, & Fontanellense Monasterium ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-octauum gubernauit. Vnde & in formula Priuilegij, quae legitur apud Marculfum [a], Episcopus, qui Priuilegium concedit, hanc emittendi Priuilegij rationem reddit. *Vt quatenus Monachi, qui solitarij nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & sub sancta Regula viuentes, & beatorum Patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiae, & salute Regis, vel patria, valeant pleniùs Dominum exorare.* In eadem formula, Episcopus, qui Priuilegium concedit, pro se suisque successoribus spondet. *Nos*, inquit, *successorésque nostri Episcopi, aut Archidiaconi*, &c. Atque inde liquet eiusmodi Priuilegia non ad tempus duntaxat, sed *in perpetuum* dari consueta.

a L. I. c. I.

LXXXVII. Decimò, Launoius obiicit Gallicanos Episcopos *non minùs post Adeodati tempus, quàm antè* in suis Conciliis decreuisse, *vt Monachi vel Clerici subiecti remanerent Episcopis, id est, vt Chalcedonensis Concilij Canones executioni mandarentur*, additque id à se demonstratum *replicatis Galliae Conciliis* in Assertione Inquisitionis in Sangermanense Priuilegium, parte secundâ, capite primo. Hoc caput in tres Sectiones diuiditur. Postrema Sectio tribus Paragraphis constat, in quibus, vt ex eorum titulis patet, describuntur *Ecclesiastici de Monachis Canones ab anno Christi* CCCCLXV. *ad annum* DXLI. deinde *ab anno Christi* DXLI. *vsque ad annum* DCXV. postremò *ab anno* DCXV. *vsque ad annum* DCCLXXXI.

LXXXVIII. Monsnyerus *quosdam quidem de Monachorum vel Clericorum disciplina Canones ab Episcopis Gallicanis in aliquot Conciliis editos fuisse* non diffitetur, sed eos *ex Concilij Chalcedonensis placitis editos* negat. Praetereà vt Ecclesiam sancti Martini post Adeodati Pontificatum, Priuilegio gauisam probet, affert aliquot argumenta, de quibus agemus suis locis.

LXXXIX. At cùm Canones, quos Episcopi Galliarum in Conciliis Gallicanis ante vel post Adeodati Pontificatum *de Monachorum vel Clericorum disciplina* condiderunt, Priuilegia priùs emissa non resciderint, necesse minimè videtur, vt illos Canones *ex Concilij Chalcedonensis placitis editos* inficietur, qui Priuilegium Basilicae sancti Martini concessum propugnare velit.

XC. Vndecimò, Launoius obiicit Adeodatum haec verba, *nullatenus eam exortem rationis, ac Canonicae Regulae tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus*, nusquam pronuntiasse, vel vt ea pronunriaret deceptum fuisse, *quia verè pronuntiari non possunt. Nam illa sententia rationis ac Canonica Regula non potest non esse exors, quae Canonibus Spiritu Dei conditis & totius mundi reuerentiâ*

AN. CH. 674. THEO-NOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

rentiâ consecratis opponitur, si sermo sit de eximendis in perpetuum à spirituali Episcoporum iurisdictione Monachis. Prætereà obiectioni robur addit ex scripris Romanorum Pontificum, Leonis, Gelasij, Gregorij Magni & Gregorij Septimi. Leo scripsit *id, quod à Sanctorum Patrum Regulis Constitutionéque discordat, nunquam obtenturum Sedis Apostolicæ consensum.* Gelasius scripsit *vniuscuiusque Synodi Constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ ceteris oportere, quàm primam.* Gregorius Magnus scripsit *tunc statum membrorum* Ecclesiæ *integrum manere, si caput fidei nulla pulset iniuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata semper auctoritas.* Et apud Gregorium Septimum hæc leguntur. *Solet Sancta & Apostolica Sedes pleraque consideratâ ratione tolerare, sed nunquam in suis Decretis & Constitutionibus à concordia Canonicæ traditionis discedere.*

XCI. Vt Launoius Canones Concilij Chalcedonensis, qui spectant ad disciplinam Monachorum, *Spiritu Dei conditos & totius mundi reuerentiâ consecratos* sæpiùs inculcat, ita Monsnyerus eosdem Canones *clanculùm & dolosè ad instantiam Anatolij Constantinopolitani Episcopi, etiam renitentibus Papæ Legatis postquàm id rescierunt, fuisse editos,* & *à Sede Apostolica per Sanctum Leonem Summum Pontificem damnatos & cassatos* sæpè repetit.

XCII. Missâ illâ quæstione, de qua quid sentiamus exposuimus suprà, missisque responsionibus, quas Monsnyerus fecit ad scripta Romanorum Pontificum quæ proponebantur, totam obiectionem facilè diluemus hâc assertione, quòd Priuilegia Canonicam auctoritatem minimè conuellunt, testésque producemus Gallicanos Antistites, quorum iudicio, vt apud Marculfum [a] ipsamet Priuilegij formula palàm docet, *nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.*

[a] L.1. c.1.

XCIII. Duodecimò, Launoius obiicit, *nisi suppositionem, certè subreptionem* his verbis indicari. *Reuerentissimo verò Episcopo, in cuius Parochia memoratum venerabile Monasterium, vel res eius ac possessiones constiterint, facienda tantùm ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Leuitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia.*

XCIV. Respondet Monsnyerus contrarium ex prædictis verbis penitus inferri, quia cùm Ordinatio & Chrisma tantùm excipiuntur, cetera, quæ postulata sunt, probantur concessa, inprimis *exemptio in perpetuum*, quam Ægyricus Abbas potissimùm petierit.

XCV. Totum Priuilegium, quod ab Adeodato Papa confirmatur, in hoc consistit, vt Episcopus Turonensis, in cuius Diœcesi Monasterium sancti Martini situm est, nullam in illo Cœnobio potestatem habere præsumat, nisi quòd Monachis & sacros conferat Ordines, & sanctum Chrisma concedat. *Nullas*, inqoit Adeodatus, *grauedines à quolibet Episcoporum sub prætextu discussionis religiosus Abbas vel Monachi ibidem degentes sustineant; neque rursus hospitandi sibi apud eos licentiam vendicantes, dispendia iis atque insolentias angariarum imponant; neque per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque seruandæ quaslibet eis importent iniurias, sed liberam licentiam habere statuimus, saluâ profectò Monachicarum Regularum custodiâ, religioso Abbate, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili Monasterio, id procurante, vt erga quod priscæ traditionis eius articulus contines, & ipse conseruare nitatur, & quicunque sub eius reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat districtéque compellat. Reuerentissimo verò Episcopo, in cuius Parochia memoratum venerabile Monasterium, vel res eius ac possessiones constiterint, facienda tantùm ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Leuitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere, ac conuersationem Monachorum exquirere religioso Abbati eiúsque Præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem Monasterio, quod etiam præfati Præsules consonâ sententiâ definierunt, decernimus.*

XCVI. In illo Priuilegio nihil occurrit, quod formulæ Priuilegij à Marculfo [b] exhibitæ refragari videatur. Hæc enim apud istum Auctorem in formula Priui-

[b] L.2. c.1.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

legij leguntur. *Quid verò vos vel successores vestri, Sancto suadente Spiritu deinceps custodiatis, immò sancta illius Ecclesiæ Episcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inserendum. Hoc est, vt de vestra Congregatione, qui in vestro Monasterio sancta debeant baiulare officia, cùm Abbas cum omni Congregatione poposcerit, à nobis vel à successoribus nostris sacros percipiant gradus. Nullum pro ipsorum honore præmium percepturus, altare in ipso Monasterio prædictus Episcopus benedicat, & sanctum Chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reuerentia loci sine pretia concedat, & iuxta dispensationem diuinam cùm Abbas de ipso Monasterio ad Dominum migrauerit, quem vnanimiter omnis Congregatio illa Monachorum ex semetipsis, optima regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem similiter sine præmio memoratæ vrbis Episcopus ipse promoueat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem in Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem iam conlatis aut deinceps Regio munere aut priuatorum conlaturis, vel in reliqua substantia Monasterij, nos successoréfque nostri Episcopi, aut Archidiaconi, seu cæteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ ciuitatis habere non præsumat, aut quodcumque de eodem Monasterio, sicut de parochiis aut cæteris Monasteriis, muneris causâ audeat sperare vel ferre.*

XCVII. Illis temporibus plurima Monasteria Gallicana Priuilegio gaudebant ab Episcopis Diœcesanis concesso, sic enim Episcopus, qui Priuilegium concedit, in eadem Marculfi formula loquitur. *Ab antiquitus iuxta Constitutionem Pontificum per Regalem Sanctionem Monasteria Sanctorum, Lirinensis, Agaunensis, Luxouiensis, vel modò innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis Priuilegium videntur consistere.*

XCVIII. Ex tribus totidem Cœnobiorum Priuilegiis, quorum exemplis formula Marculfi se tuetur, exciderunt duo, Agaunense videlicet & Luxouiense, solum extat Lirinense, in Actis Synodi Arelatensis sub Rauennio Episcopo, nihílque complectitur à Turonico dissentaneum. Sic enim habet. *Clerici atque altaris ministri, à nullo nisi ab ipsa*, id est, à Theodoro Episcopo Diœcesano, *vel cui ipse iniunxerit, ordinentur: Chrisma non nisi ab ipso speretur; neophyti si fuerint, ab eodem confirmentur; peregrini Clerici*, id est, Clerici extranei, qui non fuerint in ipso Monasterio enutriti, *absque ipsius præcepto in communionem vel ad ministerium non admittantur. Monasterij verò omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat, neque ex ea sibi Episcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa Clericum, nisi Abbate petente, præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, vt Clerici ad ordinationem Episcopi debitâ subiectione respiciant: laica verò omnis Monasterij Congregatio ad solam ac liberam Abbatis proprij, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionémque pertineat, Regulâ, quæ à fundatore ipsius Monasterij dudum constituta est, in omnibus custoditâ.*

XCIX. Priuilegium igitur, quod Crotpertus Turonensis Episcopus Monasterio sancti Martini concessit, & Adeodatus Romanus Pontifex Apostolicâ pòst auctoritate confirmauit, nec suppostitium nec subreptitium putamus, cum nihil in eo legatur, quod illorum temporum consuetudini formulæque Priuilegiorum tunc vsitatæ repugnet. In eadem sententia versatur Ioannes *Maan*, Turonensis Ecclesiæ Canonicus ac Præcentor, qui de Crotperto seu Chrotberto sic in Historia Turonensi scribit [a]. *Monasterium ipse Turonense sancti Martini tumulo percelebre primariâ suâ & successorum iurisdictione exemit Gallicanorum Episcoporum in consessu, transmissâ in Abbatem disciplina & rerum administrationis prærogatiuâ, quæ sibi communi iure & Canonum authoritate competebat. Quod Adeodatus Papa suo mox Diplomate ratum habuit, & Apostolicæ Sedis authoritate firmauit.* Deinde in assertionis suæ testes allegat, quos suprà in eadem causa Papyrium Massonum & Cæsarem Baronium laudauimus.

[a] In Episc. 32.

C. Ex Pontificio tamen Diplomate, quod à nobis integrum suprà descriptum est [b], non existimamus erui posse, quod Papyrius Massonus asserit [c], nempe permisisse Adeodatum, vt Monachi, qui degebant in Monasterio sancti Martini, *peculiarem Episcopum haberent.* Quicquid in eo Diplomate narratur

[b] Num. 33.
[c] Lib. 2. in Adeod. III.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

pe Episcopo, id dubio procul intelligendum de Episcopo Turonensi, intra cuius Diœcesim Monasterium sancti Martini situm conspicitur. Verba Diplomatis clarissima sunt. *Reuerentissimo Episcopo, in cuius Parochia memoratum venerabile Monasterium, vel res eius ac possessiones constiterint, facienda tantùm ordinationis & promotionis Sacerdotum atque Leuitarum, vel conficiendi Chrismatis sit tantùm concessa licentia.*

CI. Cetera, quæ pertinent ad administrationem Monasterij seu spiritualem seu temporalem, relinquuntur in Abbatis potestate. *Saluâ profectò*, inquit Adeodatus, *Monachicarum Regularum custodiâ, religioso Abbate, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili Monasterio, id procurante, vt erga quod prisca traditionis eius articulus continet, & ipse conseruare nitatur, & quicumque sub eius reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat districtéque compellat.* Et infrà. *Dispositionem autem venerabilis loci gerere, ac conuersationem Monachicam exquirere, religioso Abbati eiúsque Præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem Monasterio, quod etiam præfati Præsules consonâ sententiâ definierunt, decernimus.* Id tamen secundùm formulam Marculfi sic interpretandum arbitramur, vt Monachos illius loci, quos Abbas corrigere vel neglexerit vel nequiuerit, Episcopus Turonensis coercere debeat. Episcopus enim, qui Priuilegium emittit, apud Marculfum [a] ita decernit. *Si aliquid ipsi Monachi, de eorum religione tepidi, aut secus egerint, secundùm eorum Regulam ab eorum Abbate, si præualet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa ciuitate coercere debet, quia nihil de Canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur.* Hac autem additâ interpretatione, quam consuetudo praxísque illorum temporum exigit, in dubium nullo modo vocari potest, quin Crotpertus Turonensis Episcopus Priuilegium Monasterio sancti Martini concesserit, illúdque Pontificio Diplomate, quod examinauimus, Adeodatus Papa confirmarit.

[a] Lib. 1. c. 1.

CII. Hoc anno, Erchoaldus Ausciensis Episcopus, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum iam fecimus, ex hac vita discessit, cùm sedisset annos viginti quatuor. Locus hic postulat, vt de Præsulum Ausciensium Chronologia disputemus.

ERCHOALDVS EPISC. AVSCIENSIS OBIT.

CIII. Ab anno vicesimo-quarto Guntchramni Regis, id est, ab anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto, quo Faustus Ausciensis Episcopus obiit [b], ad annum vsque Christi septingentesimum duodeuicesimum, quo Leothadius Ausciensis etiam Episcopus animam Creatori reddidit, effluxerunt anni centum triginta tres. Toto illo tempore hæc vna duntaxat certa & indubitata occurrit epocha. Pontifex Ausciensis, qui dicitur Audicius in vulgatis Ausciensium Episcoporum catalogis, & à Flodoardo in Historia [c] Remensis Ecclesiæ vocatur Audericus, eodem Flodoardo teste interfuit Concilio Remensi, quod anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto consignandum probauimus. Alteram epocham ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum, quo mentionem Erchoaldi Præsulis Ausciensis fecimus, coniecturâ satis tutam nos assecutos temur. Duobus igitur illis Characteribus Chronologiam Ausciensium Episcoporum illigandam censemus.

[b] Gregor. Turon. lib. 8. capp. 2. 22.

[c] Lib. 2. c. 5.

CIV. Qui circumferuntur Ausciensium Antistitum catalogi, non parum inter se differunt. Faustum apud Chenutium hi sequuntur, *Creorius, Thitonius, Drachoaldus, Perpetuus, Audicius, Diacoaldus, S. Leotadius.* Robertus in duabus rebus à Chenutio discrepat, Creorij loco reponit Fabium, deinde Perpetuo Licerium sufficit; laudandus sanè, quòd Fabium à Gregorio Turonensi [d] laudatum prætetire noluerit, culpandus verò, quòd Licerium Episcopum Vindauscensem, id est, Carpentoractensem, qui Concilio Cabilonensi Tertio subscripsit, in Auscensem vitiosè transformarit. Sic igitur Fausti successores ab illo Scriptore commemorantur, *Fabius, Thitonius, Dracoaldus, Audicius fortè Audericus in Concilio Remensi, Perpetuus, Licerius in Concilio Cabilonensi, Diachoaldus vel Drachoaldus, S. Leotadius.* In Notitia Vasconiæ, quam

[d] Lib. 8. c. 22.

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1. Arnaldus Oihenartus edidit, Fabius distinguitur à Creorio seu Cithario, sed omittitur Perpetuus, nam Fausti successores ibi recensentur [a] hoc ordine, *Fabius, Citharius, Tithonius, Drocoaldus, Audicius, Drocoaldus 2. Leotadius.* Apud Sammarthanos Perpetuus Ausciensibus Episcopis accensetur, & Drocoaldus Secundus idem est ac Ercoaldus, in auctiore enim Gallia Christiana Faustum excipiunt, *Fabius, Citharius vel Citerius, Tithonius aliàs Totonius, Drocoaldus I. Perpetuus, Audericus, Drocoaldus II. qui & Ercoaldus in Codice Auxitano, S. Leotadius.* Ex hoc Sammarthanorum catalogo nobis innotuit Ercoaldus Episcopus, de quo locuti sumus ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum. Suo loco mouendus est Perpetuus, nec tantùm post Audericum sed etiam post ipsummet Ercoaldum reiici debet.

[a] L.3.c.8.

CV. E Nomenclatoribus, qui catalogum Ausciensium Pontificum texuerunt, soli Chenutius & qui Chenutium secutus est Robertus singulos Pontificatus notis Chronologicis distinxerunt. At à recta Chronologia multùm aberrarunt. Oihenartus, cùm id animaduerteret, nullo Charactere Chronologico vsus est à Concilio Remensi, quod anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto illigauimus, ad annum vsque Christi octingentesimum septuagesimum-nonum, quo Ioannes Octauus Papa literas Airardo Ausciensi Archiepiscopo direxit, datas *Idibus Iuniis, Indictione* XII. Ab illo computo Chenutius & Robertus longissimè recedunt, obitum enim Leothadij in annum Christi septingentesimum quadragesimum-septimum, & promotionem Airardi in annum Christi octingentesimum nonagesimum-sextum reiiciunt. Quia tamen à Leothadij morte ad Airardi Pontificatum annos vndequinquaginta supra centum numerant, saluis Characteribus, quos membranæ Ausciensés & Pontificium Diploma Ioannis Octaui suppeditarunt, ad veram Chronologiam facili negotio reuocari possunt. Nam posito, quòd Leothadius anno Christi septingentesimo duodeuicesimo vitam clauserit, Airardus post annos centum vndequinquaginta, id est, anno Christi octingentesimo sexagesimo-septimo Pontificatum adipiscitur, & anno pòst duodecimo literas à Ioanne Octauo Papa directas accipit. Sed hæc ad Leothadij successorúmque ætatem examinandam pertinent, nobis autem hoc loco de eiusdem Leothadij antecessoribus præcipuè inquirendum.

CVI. Gregorius Turonensis de Fausti Auscensis Episcopi morte déque subrogatione Fabij sic loquitur libro octauo Historiæ Ecclesiasticæ Francorum, capite octauo. *In locum Fausti Auscensis Episcopi, Fabius Episcopus est subrogatus.* Describit autem tes gestas anno decimo Childeberti Regis & vicesimo-quarto Guntchramni, vt ex capitibus vicesimo-quarto libri septimi & primo libri octaui simul collatis constat, id est, anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto, vt ad illum annum obseruauimus. Errarunt igitur hactenus Nomenclatores, omnium quidem absurdissimè Chenutius, ab anno enim Christi duodesexcentesimo, quo Gregorius Turonensis superstes in viuis non erat, ad annum vsque Christi sexcentesimum decimum-tertium annos quindecim Pontificatûs Fausto per insignem oscitantiam attribuit. Robertus textum Gregorij Turonensis proximè citatum anno Christi quingentesimo duodenonagesimo illigauit, triennio tantùm à recta Chronologia recessit, quia locutus est in Sigeberti aliorúmque opinione, qui Clodoueum Magnum non anno Christi quingentesimo vndecimo vt par erat, sed anno Christi quingentesimo decimo-quarto mortuum affirmarunt. Propiùs ad verum accesserunt Oihenartus & Sammarthani, scripserunt enim annum Christi quingentesimum octogesimum-sextum, in eorum fortè sententia, qui Clodoueum Magnum ex hac vita sublatum quidem fatentur anno Christi quingentesimo vndecimo, sed Clotarium eius filium annis vno & quinquaginta, id est, ad annum vsque Christi quingentesimum sexagesimum-secundum regnasse contendunt.

CVII. Apud Chenutium altum est silentium de Concilio Remensi, cuius meminit Oihenartus, sed absque temporis nota. Robertus illam Synodum ait celebratam fuisse anno Christi circiter sexcentesimo tricesimo-quarto; Sammarthani,

AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

anno Christi sexcentesimo tricesimo. Ab obitu igitur Fausti ad Synodum vsque Remensem Sammarthani numerant annos quadraginta-quatuor, Robertus annos circiter duodequinquaginta. Nos autem rotundo numero computamus annos duntaxat quadraginta, quia Fausti Ausciensis Episcopi mortem anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto, Synodum Remensem anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto consignamus.

CVIII. Illo spatio annorum quadraginta, sederunt Episcopi quinque, Fabius, Citharius, Tithonius, Drocoaldus & Audericus. Si tempora singulorum Pontificatuum distinctiùs explorare cupis, ex sequentibus constabit Audericum Infulis Episcopalibus donatum fuisse anno Christi sexcentesimo vicesimo-primo. Iam verò de antecessoribus ita ratiocinare ex calculo Chenutij. Drocoaldus seu Dracoaldus aut Drachoaldus annos duodeuiginti sedisse dicitur, ergo factus est Episcopus anno Christi sexcentesimo-tertio. Thitonius seu Tithonius aut Totonius sedisse fertur annos septem, adeptus est igitur Episcopatum anno Christi quingentesimo nonagesimo-sexto. Supersunt anni vndecim à morte Fausti ad Pontificatum vsque Tithonij, Chenutius numerat duodecim quos vni Creorio tribuit, partem autem sibi vendicat Fabius auctoritate Gregorij Turonensis, cui non licet hac in parte refragari. Quot igitur annos Fabius, quot Creorius egerit in Episcopatu, nos latet. De ceteris conuenimus cum Chenutio. Assignamus annos septem Tithonio, duodeuiginti Drocoaldo, vndetriginta Auderico.

CIX. Ceterùm qui Chenutio Creotius, is Oihenarto Citharius, Sammarthanis Citharius & Citerius, Roberto Creonius est ac corruptissimè Gregorius. Robertus Creorium in Gregorium deflexit, quia Chenutium non attentè legit. Chenutius de Fausto sic habet. *Faustinus, aliàs Faustus, anno 598. gessitque annos 15. de quo Gregorius Turon. lib. 8. Hist. cap. 22.* &c. Posteà de Creorio sic. *Creorius 613. 12. Idem Gregorius vbi suprà scribit Fabium Fausto successisse.* Sensus Chenutij talis est. *Faustinus aliàs Faustus, de quo Gregorius Turon. lib. 8. Histor. cap. 22.* Episcopatum adeptus est *anno 598.* gessitque *annos 15.* id est, ad annum vsque Christi sexcentesimum decimum-tertium. *Creorius* verò post mortem Fausti factus est Episcopus *anno 613.* tenuitque Pontificatum *annos 12.* At *idem Gregorius*, id est, Gregorius Turonensis sub Faustino seu Fausto proximè citatus, *vbi suprà*; id est, *lib. 8. Histor. cap. 22.* iam allegato *scribit Fabium Fausto successisse.* Robertus Chenutium sic interpretatur in Fabio. *Fabius, Gregor. Turon. l. 8. c. 22. hic etiam à nonnullis apponitur Gregorius, siue Creonius 613.* Hæ duæ voces, *idem Gregorius*, quas Chenutius ad Gregorium Turonensem in encomio Fausti nuperrimè citatum refert, à Roberto solæ atque à reliquo contextu separatæ sumuntur exponunturque in hunc modum. *Creorius 613. 12. Idem Gregorius.* Id est, Creotius ordinatur Episcopus anno Christi 613. sedet annos 12. & idem Gregorius quoque nuncupatur.

CX. Audericus siue Audicius, cuius Pontificatum Chenutius annis vndetriginta circumscribit, Episcopatum suscepit anno Christi sexcentesimo vicesimo-primo, Synodum Remensem cum aliis Episcopis anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto celebrauit, vitámque clausit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo. Successit Auderico Drocoaldus seu Diacoaldus aut Diachoaldus vel Drachoaldus, qui & Erchoaldus in Codice Auxitano vocatur. Ita censent Chenutius, Oihenartus & Sammarthani. Sedit annos quatuor ac viginti teste Chenutio. Gerebat igitur Episcopatum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo, vt ad illum annum obseruauimus haud leui ducti coniecturâ, desiitque viuere hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-quarto, vt dictum est suprà.

CXI. Erchoaldo seu Drocoaldo sanctum Leothadium proximè sufficiunt Chenutius, Robertus, Oihenartus, Sammarthani, quia Perpetuum vel prætermittunt vel suo loco non collocant. Perpetuus à Chenutio & à Sammarthanis præponitur Audicio siue Auderico qui teste Flodoardo Synodum Remensem

AN.CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

suâ subscriptione communiuit. Ab hoc ordine mouendus est, vt necessariò constat ex supradictis. Omittitur ab Oihenarto, sed ratio temporis haud vetat, quominùs ei suus seruetur locus. Auderico postponitur à Roberto, quædam verò coniecturæ non Auderico tantùm sed & Etchoaldo postponendum suadent. In hac versamur opinione. Perpetuum existimamus hoc anno factum Episcopum, &c, vt Chenutius affirmat, annos egisse in Præsulatu septemdecim, id est, ad annum Christi sexcentesimum nonagesimum-primum peruenisse, quo sanctus Leothadius ei successit. Addit Chenutius sanctum Leothadium annos sedisse septem ac viginti. Nihil ad nostram Chronologiam conuenientius dici potest, quia sanctus Leothadius, vt Sammarthani ex veteribus membranis Ausciensis Ecclesiæ probant, ex hac vita discessit decimo Kalendas Nouembris, anno Christi duodeuicesimo supra septingentesimum. Atque hoc esto nostrum iudicium de Chronologia Pontificum, qui septimo seculo Diœcesim Ausciensem administrarunt.

SVCCEDIT PERPETVVS.

CXII. Richarius Abbas ad hæc tempora, siue vt Malbrancus [a] loquitur, *ad Theodorici principia* pertigit. Hæc opinio nititur auctoritate Chronographi Centulensis [b], apud quem Catalogus Regum, qui Franciam ad obitum vsque Richarij rexerunt, desinit in Theodorico. Mortuus est Richarius in Eremo syluæ Tristiacensis seu Crisciacensis. *Præscius diei euocationis suæ, quâ felicitatem diu desideratam accepturus erat, vt esset semper coniunctus Christo, quem semper amauerat, vocauit ad se Sigobardum commilitonem suum, dixítque ei. Scio, fili mi, scio quòd finis meus non tardat, & Regem meum, quem diu concupiui, citiùs videbo, & vtinam tam propitium mihi seruo videam, quàm desiderabilem Sanctis suis. Sed tu, fili mi, præpara vasculum corpusculo meo quo condatur, non superfluo studio sed necessario vsu, vt illic seruetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitate, & para te cum omni diligentia, dulcissime fili, vt vbi dies illa, quæ mihi modò appropinquat, tibi aduenerit, te paratum inueniat. Ego verò ingredior viam vniuersæ carnis; tantùm mihi misericors sit Saluator mundi, & me modò defendat ab hoste, qui me olim redemit ab hoste, & quem præsentis vitæ habui consolatorem, æternæ vitæ mihi inueniam largitorem. Hæc discipulus à patre audiens, lachrymis perfusus, tamen præcepta secutus, lignum inueniens fidit, cauauit, & corpori Patris coaptauit, piísque fletibus rigauit quod fecit, penè priùs lachrymis implens amaris quàm paternis membris, aptatúmque, vt potuit, sarcophagum in loco præfinito à Patre composuit. Interim dum cum tristitia patri filius pararet obsequium, validior Patrem coquebat infirmitas, & in frigido corpusculo, vix halitus remansit extremus, nec tamen ab orationis cessauit officio vel diuinæ laudis obsequio, & dum salutifero Corporis & Sanguinis Christi viatico suum iter muniuit, inter gratiarum actiones & verba orationis sexto Calend. Maij spiritum emisit, positúsque est in sepulchro à discipulo in loco, vbi ipse præceperat. Sed mirum dictu, inter exequias paternas subito discipulus sopore oppressus vidit in visu, quasi raptus esset in aulam splendidissimam, omníque decore pulcherrimam, immò Solis luce clariorem, in qua beatum Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem sibíque loquentem. Ecce, frater Sigobarde, qualem mansionem præparauit mihi Deus; pro vili, quam habui in terra, pulcherrimam in cælo; pro contemptibili, gloriosam; pro obscura, lucidissimam; & pro fumosa, omni suauitate renidentem. Euigilans autem Sigobardus, lætior opus exequiarum perfecit, Deo prouidente, vt filius consolaretur, & Patris ei gloria ostenderetur. Conditus est ergo, vt prædixi, miles Christi, vbi suo Regi maximè militauerat.* Huc vsque Alcuinus, quem penè ad verbum descripsit Auctor [c] Chroniei Centulensis.

RICHARIVS OBIT IN FORESTI-CELLA.

CXIII. Locus, vbi sanctus Richarius obiit, *Forestis-Cella* nuncupatur. Inde Centulam eodem anno translatus est. Hac de Translatione sic Alcuinus. *Conditus est miles Christi, vbi suo Regi maximè militauerat. Sed non multò pòst fratres è Centula Monasterio cum suo Abbate Ocialdo, viro religioso & Sancti successore, venerunt, & corpus sancti Richarij tulerunt, posuerúntque in loco in quo etiamnum cum magna meritorum gloria requiescit.* Distinctiùs Chronographus Centulensis [d].

TRANSFERTVR CENTVLAM.

[a] Lib. 3. c. 39.

[b] Lib. 2. c. 25.

[c] Lib. 1. capp. 21. 22.

[d] Lib. 2. c. 23.

Beatus Richarius, quia tum pro spectabilißimo genere, tum pro eximia sanctitate apud nostrates populos clarißimus habebatur, non diu est permissus eo loci quiescere, quo propter iter infrequens & vitam remotiorem, seipsum retruserat. Iacuit tamen sancti corporis venerabilis gemma in ligneo illo sarcofago, spatio quinque mensium & dierum duodecim, id est, à VI. Kalendas Maij, vsque ad VII. Idus Octobris. Quo scilicet tempore fratres à Centulo Monasterio, quod, vt suprà dictum est, ipse Sanctus ædificauerat, cum suo Abbate Ocioaldo viro religioso, Sanctique successore, venerunt, & dilecti Patris corpus venerandum leuauerunt, ita ab omni tabo corruptionis liberum, sicut ab omni mundi amore cor possederat mundum. Cum reuerentia ergo tanto Confessori debita glebam omni auro cariorem deuotißimè humeris imponentes, præcedente & subsequente Religiosorum & Plebeialium cateruâ, detulerunt Centulam, vt quâ Sancti viri gaudebat geniturâ, eius consequenter ornaretur sepulturâ. Sepultus est ergo Christi amicus & gloriosus Confessor Richarius in Ecclesia sua, quam sub honore nostra Domina sancta Dei Matris Maria dudum ædificauerat, VII. Idus Octobris; in quo loco à parte capitis eius beati Petri Apostolorum Primatis nunc altare habetur. AN. CH. 674. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 1.

CXIV. Ocioaldus Abbas ab eo tempore, quo sanctus Richarius in Eremum secessit, Centulensi Monasterio præesse cœpit, eidem sancto Richario diu superstes vixit, nec Centulam modò sed & Forestensem Cellulam abhinc rexit, idémque de proximis successoribus sentiendum. Chronographus enim Centulensis [a] testatur multa post sancti Richarij mortem miracula non tantùm apud Centulam sed etiam apud Forestem-Cellam ostensa esse, vno eodémque Abbate vtrique loco præsidente. *Non solùm in hoc*, inquit, *vbi corpore Sanctus quiescebat, sed etiam in Foresti loco, vbi aliquandiu moratus fuerat, ingentia miracula sæpißimè ostendebantur. Sciat verò legens hanc Forestensem Cellulam à die sanctißimi obitûs beati Richarij fuisse decenter à fratribus excultam, & qualem hic habuit locus*, nempe Centula, *talem & ipsam Cellam obtinuisse Abbatem, vtpote qui ab initio habuerant vnum eundémque sacratißimum Fundatorem.*

[a] Lib. 1. c. 16.

VTRIQVE LOCO PRÆEST OCIOALDVS.

CXV. Sigobardus beati Richarij discipulus, de quo suprà, mansit apud Forestem-Cellam. Hæc Cella lapsu temporis creuit in Monasterium * haud ignobile, quod peculiarem habuit habétque etiamnum Abbatem à Centulensi planè diuersum. Non desunt qui sanctum Richarium & Sigobardum primos Abbates Forestis-Monasterij recenseant. Lege Ignatium Iosephum à Iesu Maria Carmelitam discalceatum in Historia [b] Ecclesiastica Ciuitatis Abbauillensis & Archidiaconatûs Pontiuensis, necnon Sammarthanos in auctiore Gallia Christiana [c]. Quicquid autem hi scribant Auctores, sanctus Richarius Abbatialem titulum apud Forestem-Cellam haud gessit, ibi enim vitam duxit Eremiticam cum Sigobardo, nec Ascetarum Congregationem adunauit. Post eius mortem locum illum incoluerunt aliquot Monachi, titulo tamen Abbatis abstinuit Sigobardus, atque vt Centulæ sic & Forestis-Cellæ regimen penes Ocioaldum Abbatem fuit. Nonnullorum è proximis Ocioaldi successoribus interierunt nomina. *Postquàm debito nostræ mortalitatis absolutus est*, inquit Chronographus Centulensis [d], *lucidum nobis non est, quem statim ministerij habuerit successorem. Extiterunt sanè & alij non ignobiles viri, huius nostri Cœnobij Abbates, quorum gesta licèt sint occultata hominibus, eorum tamen vita merita apud Deum magna fore creduntur.*

* Forest-Monster.

[b] Lib. 2. c. 83.

[c] Tom. 4.

[d] Lib. 2. c. 16.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

ANNVS
CHRISTI 675.
THODORICI III. R. 2.
DAGOBERTI II. R. 2.

I. ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto, Theodorici R. secundo, Fontanellense Monasterium adiit, nouúmque Cœnobium in Insula Balsinnaca inchoauit Condedus Presbyter, qui traiecto ante aliquot annos Oceano è Britannia venerat in Galliam, & in loco, qui *Fontana Walarici* nuncupatur, diuinarum rerum contemplationi vacans delituerat. Illius vitam ex Codice Fontanellensi depromptam epitome fidelissimâ contraxit Menardus [a], primigeniam tamen phrasim exhibere malumus, quam nacti sumus beneficio Antonij *de Vyon* Domini *d'Herouual* viri nunquam satis à nobis laudati. *Sanctus Presbyter & Anachoreta Condedus genere Brito, relictâ patriâ, ob cælestis patriæ amorem, Galliarum deuenit in partes. Ac primò postea quàm Oceani æquor transuectus est, in loco, qui vocabatur Fontana Walarici, aliquot annos, dulcissimos superna contemplationis fructus, seculo nudus, Deóque plenus, solitariâ quotidie hauriebat conuersatione. Ediscens autem, famâ peruolante Sancti Patris Lamberti, Cœnobij Fontanellæ Congregationem non minùs ceteris religionis venustate clarescere, disposuit animo, eorum se vniri consortio. Eo deinde relicto loco, mare ingressus, ac diuinâ comitante gubernatione prospero cursu actus, nec mora, ostio appulit fluuij Sequanæ, atque secundâ nauigans aquâ Arelaunum prædium peruenit, illícque velis depositis in portu eiusdem prædij consedit. Cúmque apud quandam religiosam matronam hospitandi gratiâ diuertisset, aliis in eodem prædio belluino more viuentibus, nec eum recipientibus, post indulta corporis necessaria ac diuinas decantatas laudes, quieti membra dedisset vnà cum aliquibus discipulorum in domuncula sibi deputata, præfata mulier fidelis intempestâ noctis quiete interrumpens torporem somni, aperiénsque fenestram cubiculi, aspexit subitò supra tectum domûs, in qua miles Christi requiescebat, farum igneam miræ magnitudinis alta cæli sublimiter scandere. Patet namque cuius spiritu vir iste plenus fuerit, nimirum illius, qui in deserti loco populum gradientem* XL. *annis in columna nubis per diem, & in columna ignis præibat in nocte. Venit quoque vir sanctus ad Monasterium Fontanellæ, & post orationes ad Deum & salutationes fraternas, & colloquia spiritualia, cùm omnis humanitas, vt monastica dictat norma, eidem viro sancto cum suis omnibus fuisset exhibita, quos veluti Angelos Sanctus Lambertus susceperat Abba, atque aliquot diebus in præfato moraretur Cœnobio ac tantorum Patrum dulcibus frueretur alloquiis, demum votum sui cordis aperiens dixit non satis sibi videri in religionis sanctitate sudare, si non & aliis quoque in prædicatione & exemplorum lumine radiando prodesset. Deinde ad consulta præfati Patris Lamberti locum aptum suæ deuotioni ac religioni humiliter perquirendum deliberabat. Tunc cum benedictione & permissu Patris prædicti ad fluuium Sequanæ regressus, ac nauim ingressus nauigauit in Insulam vocabulo Belsinnacam vicinam fisco Arelauno, quæ vndique ambiebatur fluuio Sequanæ, quam de naui egressus lustrando circuibat, amœnitatémque ac secretum loci attentissimè mirabatur, orans cunctipotentem Dominum, vt ipsum locum suo clementer largiri dignaretur famulo. Sequenti autem nocte admonitus est in visu diuinâ reuelatione Theodericus gloriosissimus Rex, filius scilicet Clodouei Regis & Baltildis Reginæ, qui ipso in tempore in saltu Arelouensi exercitio autumnali venationi insistebat, vt seruum Domini in præfata Insula consistentem cum summo honore susciperet, dictúmque est ei, quòd multorum populorum esset doctor futurus, nihílque ei negandum esse, quidquid*

[a] L. 2. obseru. d. 21. Oct.

CONDEDVS VENIT AD MON. FONTANELLÆ.

CONSTRVIT MONAST. IN BELSINNACA INSVLA.

AN.CH. 675. THEODOR. III, DAGOB. II. RR. 2.

quid ab eo postulasses. Quâ præfatus Rex visione certus, extemplò ad eandem Insulam peruenit, & cum gaudio & honore summo eundem seruum Domini suscepit. Et vt cognouit in eo fidei feruorem, religionis deuotionem, sapientiæ plenitudinem, secundùm sanctam eius petitionem præfatam Insulam Belsinnacam per Priuilegium suæ auctoritatis perpetualiter ei tradidit possidendam sub perenni tutela ac defensione, vt tam ipse quam & posteri eius, Monachi videlicet in loco eodem consistentes, nullius infestatione ac inquietudine turbarentur, quatenus malorum incursu remoto, pro se totiúsque Regni sui pace liberè Domini implorarent clementiam. Largitus est etiam præfatus Rex in eodem Priuilegio eidem seruo Domini à plaga Orientali siue Aquilonari contiguos eiusdem Insulæ agros & prata amœna cum saltu densissimo, in quo greges aprorum & ceruorum abundantissimè omnibus commorantur temporibus, eò quòd frugiferis arboribus plurimùm stipata constet, quæ competentem & fertilem sine defectu huiusmodi generis animalibus indeficientem præbent alimoniam. Est etenim amplissimus locus omnis generis animalibus nutriendis. Quem locum antiquitas Lutum appellari censuit, eò quòd hyemis tempore ex inundatione fluuÿ Sequanæ quædam in eo reperiantur loca palustria & stagnosa. Est enim longitudinis trium millium, cùm in latitudine CL. passibus terminetur. Præfata quoque Insula Belsinnaca, quæ, vt supradictum est, vndique ambitur fluuio Sequana, tantùm quietis ac silentÿ intra se retinet, vt omne desiderium eremi anachoreticam vitam desiderantibus penitus afferri videatur. Ingressus igitur vir sanctus cum authoritate Regia largitionis eandem Insulam, ædificauit in ea Basilicam in honore beatæ Mariæ Virginis, alterámque in nomine beatorum Apostolorum Petri & Pauli, in qua & memoriam constituit Sancti Confessoris Walarici. Aigradus in vita sancti Ansberti ponit Condedum in eorum numero, qui sub Abbate Lamberto Monasticam vitam in Fontanellensi Cœnobio duxerunt, *Patre*, inquit, *Lantberto regimen loci tenente, beatus Christi Pontifex Erembertus Tolosæ vrbis, & sanctus Presbyter Condedus & Anachoreta, Britanniâ Insulâ ortus, in prædicto Monasterio Fontanella Monachicum Deo dignum & nomen assumpserunt & habitum.* Idem Author vitam ipsius Condedi scripsit ab ea quam citauimus certè diuersam; nam teste Bollando annum secundum Ansberti Abbatis, qui Fontanellense Monasterium assumpto ad Episcopatum Lugdunensem Abbate Lantberto administrauit, anno septimo Theodorici Regis illigat; in Codice verò quem legimus, nullus occurrit Character Chronologicus præter annum Theodorici Regis tertium, Lantberti Abbatis nonum, quo vir prædiues ac nobilis Schiwardus quasdam Condendo possessiunculas dono perenni contulit, vt anno sequenti dicturi sumus.

Aygulfus Monachus Floriacensis hoc anno postulatus est in Abbatem à Monachis Lerinensibus, quos Pastore destitutos domestica discordia miserè dilaniabat. Cononem Abbatem Lerinensem ad annos Christi sexcentesimum [a] & sexcentesimum vndecimum [b] laudauimus. Illius nomen, quarto Kalendas Iunij, Martyrologiis Gallicano & Benedictino inscriptum reperitur. De successoribus non leuis est difficultas. Apud Robertum proximè sequuntur sanctus Aygulfus, sanctus Amandus, S. Porcarius. Apud Sammarthanos sancto Aygulfo præponitur Ricomirus, sed hic non alius nobis videtur à Rigomiro sancti Aygulfi successore, cui Martyrium eiusdem sancti Aygulfi narrauit Briconius Monachus, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum dicturi sumus. In Tabulis Benedictinis quarto-decimo Kalendas Decembris hæc leguntur. *In Insula Lerinensi, Sanctorum Abbatum, Anselmi, Encherÿ, Vincentÿ, Amandi & Syluani, Abbatum Lerinensium.* In obseruationibus [c] ad illum diem, Hugo Menardus de tempore, quo Lerinense Monasterium hi gubernarunt Abbates, ita pronuntiat. *Sibi inuicem successerunt in regimen Abbatiæ Lerinensis vsque ad Sanctum Porcarium Martyrem. Videntur claruisse circa tempora Clodouei Secundi, & filiorum eius, & vsque ad tempora Caroli Martelli.* Eodem die in Martyrologio Gallicano sanctus Nazarius prædictos Abbates antecedit, & postridie Kalendas Septembres memoratur Maximus, sub cuius disciplina vixit Agricolus, qui Præsulatum Auenionensem posteà gessit. Hu-

II.

[a] Num. 9.

[b] Num. 5.

ABBATES LERINENSES.

[c] Lib. 2.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

go Menardus loco iam citato non negat sanctum Nazarium in membranis Lerinensibus nominari, asserique sancti Eucherij decessorem, sed contendit id à vero longè diuersum esse, quia sanctum Nazarium aduertit in iisdem membranis vocari *discipulum sancti Honorati*, deinde *inter sanctum Nazarium & sanctum Eucherium* necesse putat *duos Abbates intercessisse, Sanctum videlicet Aigulphum Martyrem, & beatum Rigomerum eius successorem, cuius mentio fit in Actis sancti Aigulphi*. Tomo primo [a] duos distinximus Honoratos; Seniorem, qui vertente quarto seculo Lerinense Monasterium condidit; Iuniorem, qui curam eiusdem Cœnobij gerebat anno Christi quingentesimo septimo. Neutrius discipulus dici potest sanctus Nazarius, quia regimen Monasterij post sanctum Cononem suscepit, & ad eundem Cononem extant literæ [b] Gregorij Magni, datæ Indictione quartâ iam inchoatâ, id est, exeunte anno Christi sexcentesimo. Chronologus Lerinensis sancto Nazario sanctos, Eucherium, Vincentium, Amandum, Siluanum, Porcarium, Anselmum subrogat, aitque sanctum Amandum floruisse circa annum Christi septingentesimum. Vnde concludimus aduersùs Menardum, nec sibi inuicem Abbates successisse, quorum nomina decimo-quarto Kalendas Decembris in Martyrologio Benedictino recensentur, nec Eucherium Aigulfo & Rigomiro postponendum esse. De Lerinensibus Abbatibus, qui toto septimo seculo

[a] An. 507 n. 18. an. 536 n. 169.

[b] Lib. 9. ep. 8.

CONO. MAXIMVS.

Pastorale munus obierunt, pauca constant. Initio seculi Cono Monasterio præerat; Maximus anno Christi sexcentesimo quadragesimo-primo, cùm Agricolus eò se recepit; Aygulfus hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto in Abbatem expetitus est à Monachis Lerinensibus Abbate destitutis; eidem Aygulfo, qui Martyrium anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo passus est, in administrationem Cœnobij Lerinensis successit Rigomirus. Cetera coniecturis sunt assequenda. Septimo seculo, quantùm ex prædictis colligi potest, Lerinense Monasterium texerunt Abbates octo, Cono, Maximus, Nazarius, Eucherius, Vincentius, Aygulfus, Rigomirus, Amandus, de sola Aygulfi præfectura supersunt Characteres Chronologici, reliquæ per annos, quibus obitæ sunt, digeri non possunt. Quapropter conglobatim hoc loco narrabimus ea, quæ de sanctis, Nazario, Eucherio & Vincentio, leguntur apud Vincentium Barralem in Chronologia Lerinensi.

NAZARIVS.

*Nazarius vir strennus & pius non ferens animas hominum illudi fraude diabolicâ delubrum & aram impudica Veneri dicatam in quodam monticulo, qui dicitur Arculus * quasi ara lucis prope pontem fluminis nunc vulgò nuncupati Siagna, omnino eliminare curauit, ibidémque templum S. protomartyri Stephano dicatum in sacrum Cœnobium Sanctimonialium erexit, quod honorabiliter in bonis operibus vsque ad excidium patria Prouincia tempore Martyrij beati Porcarij Abbatis perdurasse creditur. Sanctus denique (ait manuscriptum) Nazarius felici senio aggrauatus & diurnis vigiliis & afflictionibus defessus cùm furentibus febribus æstuaret, & laboraret anxiè in extremis, apparuit ei è circumstantibus fratribus beatus Honoratus cum multitudine Monachorum cum maxima claritate, qui exhortans omnes in obsequium Iesu Christi animam sancti Nazarij Abbatis è corpore egredientem cum diuinis Hymnis & laudibus ad cælorum culmina associauit. Post sanctum Nazarium beatus Eucherius Abbas vir simplex & rectus rexit laudabiliter præfatum Monasterium Lerinense, & post sanctum Eucherium beatus Vincentius Abbas.* Post huius obitum in Abbatem postulatus est Aygulfus. Hic in Monasterio Floriacensi vitam agebat Monasticam sub Abbatis Mummoli disciplina, famam totâ Galliâ celeberrimam sibi compararat allatis ex Italia Reliquiis sancti Benedicti, nec desunt è Neotericis, qui, priusquàm in Abbatem à Monachis Lerinensibus expeteretur, ex Monacho Floriacensi factum apud Aureliam Abbatem Monasterij sancti Aniani scribant. Id autem à vero valdè alienum esse præualidis argumentis egregiè docet Robertus *Hubert* in Antiquitatibus [c] Regalis Ecclesiæ sancti Aniani, vbi de Abbatibus illius loci, seu Monasticis, seu Canonicis, seu Militibus, sermonem facit. Leodebodus Abbas Cœnobij sancti

* Arluc proche le pont de Siagne.

EVCHERIVS. VINCENTIVS. AYGVLFVS.

[c] Lib. 2. c. 3.

Aniani priùs obiit, quàm Aygulfus Casinum se conferret. Id probatum suo loco. Vetusti Scriptores, qui Translationem sancti Benedicti retulerunt in literas, vnanimi consensu Aygulfum Monachum Floriacensem & è Monasterio Floriacensi iussu Mummoli Floriacensis Abbatis in Italiam profectum asseruerunt, nec facilè quis in animum inducet Mummolum, qui Monasterium suum exuuiis sancti Benedicti ditare cupiebat, ad id vsum Abbatis operâ qui præesset alteri Cœnobio. Manuscripti Codices quos legimus, quósque Hubertus à se visos testatur, locum inter Abbates, qui Monasterio sancti Aniani præfuerunt, Aygulfo nullatenus tribuunt. Adstipulatur ipsamet sancti Aygulfi vita, quam Surius [a] ex veteribus membranis, *mutato stylo, aliquanto succinctiùs*, anno Christi MDLXXIIII. publicauit. En breuis epitome ab ortu ad Præfecturam vsque Lerinensem ex Codice manuscripto, qui penes nos est. Editionem Surianam, si libuerit, cum eo confer. *Castrum Blesense in latere cuiusdam est situm montis, cui contiguum est littus Ligerici amnis, idémque Liger perinde præterlambens, præter piscium copiam, quam illi loco solemniùs cæteris exhibet, aliarum quoque frugum, vini scilicet & rei frumentariæ cæterarúmque humanæ necessariarum naturæ, magnam præsentat gratiam. Huius pagi & Castri incolas fuisse parentes beati Aigulfi certissimâ relatione didicimus*, &c. *Vbi annos attigit iuuentutis, cœpit ei esse oneri non modò vita sed & habitus secularis, versabátque animo quonam pacto eius retinaculis abruptis, mutatâ veste, Christi compedibus salubriter pedem innecteret. Sed dum in his distenderetur, morásque innecteret moris consilium vtile quærendo; neque enim tanta res præcipitè se debet credere voluptati, sed multam retractationem talia postulant; rumor beati viri Mummoli Abbatis Floriacensis eius aures occupat, formáque vitæ eius longè latéque ferebatur. Hac auditâ opinione, impiger sanctum virum adire & audire quæsiuit, quo audito, desiderium suum, quo diu flagrabat, aperuit, & vt se numero eorum, quos in schola Christi instituebat, insereret, humillimâ petitione postulauit. Quod beatus vir audiens more disciplinæ semper amico & regulari vitæ solito, diebus probationis transcursis, corpori sanctæ Congregationis suæ, veluti idoneum membrum vniuit*, &c. *Domino amabilis & toto Orbe celebratus atque canendus regularísque vitæ singularis institutor Benedictus, in Beneuentana prouincia, multis præcedentibus annis, vitæ huius clauserat diem, & in Castro Cassino acceperat sepulturam, sed post multùm temporis secundùm prophetiam eiusdem sanctissimi viri, idem locus à Langobardis captus atque in eremum est redactus. Volens autem diuina dispositio & prædicti sanctissimi viri reliquias, vt dignum erat, honore congruo venerari, & Galliarum partes per aduentum earum consolari, apparuit iam dicto benigno Abbati Mummolo, præcipiens vt prædictum Aigulfum ad Cassinum vsque montem siue Castrum immitteret, quatinus piissimi Benedicti ossa transueheret, quod & factum esse constat, Deo namque semet præcedente, & viam eius mirabiliter prosperante, tantum emensus iter, facili indicio quod quærebat reperit, & repertum maximo cum tripudio ad Patrem, qui se miserat, reuexit. Cuius facti dinoscentiam, si quis sine scrupulo satis nosse cupit, libelli de hac re compositi lectione addiscere quibit. Hac res, licèt illo nil talis actu curante, immensam tam apud Regem quàm Aulicos viros peperit sancto viro sanctitatis opinionem. Igitur cùm fama virtutis eius & flagrantia sanctitatis vbique respergeretur, & lychnus accensus iam super candelabrum poni deberet, ecce Monachi Monastery Lirinensis præstò adsunt, petentes spiritalem sibi adhiberi Patrem.* In Chronologia Sanctorum & aliorum virorum Illustrium, ac Abbatum sacræ Insulæ Lerinensis, quam Domnus Vincentius Barralis Monachus Lerinensis anno Christi millesimo sexcentesimo decimotertio in vnum compilauit, necnon in auctiore Surij editione, quæ Coloniæ Agrippinæ anno Christi millesimo sexcentesimo duodeuicesimo in lucem prodiit, extat alia S. Aygulfi vita, cuius Auctor omissâ S. Benedicti Translatione, de qua ne verbum quidem habet, Aygulfum Monasterio S. Aniani deinde Cœnobio Lerinensi præficit. *Monachi*, inquit, *S. Aniani ciuitatis Aureliæ odore vitæ eius*, nempe Aygulfi, *affecti ad eum peruenerunt, postulantes vt super eos Pasto-*

[a] d. 3. Sept.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

ris officio per aliquot dies fungi dignaretur, quorum petitioni haud acquiescens victus tandem obedientiâ & charitate assensum prabuit. Ex paucis interiectis. *Cùm verò sanctitatis eius odor ad altiora progrederetur, Monachi Lerinenses vita illius flagrantiâ, & religionis obseruantiâ qua tunc Galliis agebatur, permoti, cum communi totius Monasterij assensu ad beatum virum peruenerunt humillimis precibus rogitantes, vt Patris officio eis fungi dignaretur, & errantes Monachos sine Pastore doctrinâ suâ congregaret.* Hic Auctor non est antiquus; scripsit, vt opinamur, regnante Francisco Primo vel eius filio Henrico Secundo. Id coniectamus ex prima ipsius operis periodo, quâ Castrum Blesense sic commendatur. *Tempore, quo Gallorum populis, Dei gratiâ, regnabat Dagobertus, oppidum erat in Gallia, Blesium nomine, cuiusdam montis Ligerísque fluminis vicinum, quod vbertatem non paruam sumptui Regio ciuibúsque prastans amœnitate suâ aërísque temperie ad commanendum Regem cum Optimatibus attrahebat.* Ætate Dagoberti subsequentiúmque Regum è stirpe Merouinga, Blesium non fuit Sedes Regia, cœpit in deliciis esse Ducibus Aurelianensibus, tum Regibus ex eadem familia, putà Ludouico Duodecimo, Francisco Primo, Henrico Secundo, quorum munificentiâ valdè nobilitatum est. Ludouicus Duodecimus obiit Kalendis Ianuariis, ineunte anno Christi millesimo quingentesimo decimo-quinto. Eodem anno Augustinus de Grimaldis Abbas Lerinensis Monasterium Lerinense reformandum & sacræ Congregationi sanctæ Iustinæ de Padua Societatis Casinensis vniendum curauit. Illo enim de Abbate sic Vincentius Barralis in catalogo Abbatum Lerinensium. *Anno millesimo quingentesimo quinto, pracessori* Ioanni Andreæ de Grimaldis *suffectus est in Episcopatûs Grassensis & Abbatia Lerinensis administratione Reuerendissimus Dominus Augustinus de Grimàldis, qui zelo Dei & amore religionis incensus, in ipsa diuinum cultum & corruptam veterno Monastica institutionis disciplinam ipsúmque Monasterium reformandum curauit, supponens illud in perpetuum & vniens sacra Congregationi Sancta Iustina de Padua, dicta vnionis & Societatis nunc Casinensis.* Et paulò pòst. *Anno millesimo quingentesimo quinto-decimo Sacra Congregatio Casinensis ipsum Monasterium & Abbatiam Lerinensem gubernandam regendámque secundùm eius instituta regularia suscepit.* Ex illa Congregatione Casinensi fuit is, qui posteriorem sancti Aygulfi vitam, quam examinamus, aliquot pòst annis pro lubitu composuit. De Translatione sancti Benedicti nihil scripsit, ne Monachis Congregationis Casinensis sodalibus suis displiceret, qui corpus sancti Benedicti translatum Casino Floriacum negabant, aut odium incurreret omnium Francorum, qui partes Ascètarum Floriacensium in ea causa tutabantur. Aduena ex Italia, cùm angustiis vndique pressum se videret, silendum de re duxit, quæ discordias adeò graues inter Francos Italósque concitaret. Prætereà, ne quid gloriæ Lerinensis acceptum Monasterio Floriacensi referre cogeretur, Aygulfum insignem Martyrem, quem ex Monacho Floriacensi Lerinensem Abbatem factum nouerat, contra veterum Auctorum fidem ex Asceta Floriacensi Abbatem sancti Aniani, deinde ex Abbate sancti Aniani Lerinensem Abbatem constituit, résque ab eo, cùm sancti Aniani Monasterio præesset, præclarè gestas supposititiâ narratione sic commendauit. *Suscepti agens curam regiminis, fratres suos ad promerenda aterna vita gaudia monitis & disciplinis animabat regularibus. Tantâ etiam in pauperes affluebat largitate, quòd cùm totam fermè illam prouinciam valida fames aggressa esset, plurimíque hac calamitate deperirent, omnibus Ecclesia thesauris, rebus quoque Monasterij in opere tam pio iam expensis, à quotidiana fratrum alimonia (licèt permodica) vix abstinebat. Cuius munificentia cùm ad Regis Clodouei aures peruenisset, vt * ipse tanta auxilium prastaret calamitati, aurum & argentum, quibus Rex Dagobertus pater eius Ecclesiam Sancti Dionysij Martyris prope Parisios honorificè decorauerat, ablatum vnà cum muneribus regiis viro Dei largitus est, dicens. Accipe qua tibi affero, Pater sancte, vt * Indigentibus, sicut meliùs noueris, valeas subministrare. Multi quoque viri Curiales hoc pietatis exemplo permoti plurima impertiti sunt.* At Leodebodus Abbas Monasterium sancti Aniani

* ne

* ne

ad Clotarij vſque Tertij Principatum rexit. Ergo non ei ſucceſſit in illius loci regimen Aygulfus regnante adhuc Clodoueo Secundo ipſius Clotarij Tertij patre ac deceſſore, nec aliâ opus eſt argumentatione, vt ea, quæ textu proximè citato commemorata ſunt, inter fabulas amandentur. Atque ex eo liquet fidem Monacho Lerinenſi denegandam, qui poſteriorem ſancti Aygulfi vitam ſcripſit, habendámque veteribus Auctoribus, qui ſanctum Aygulfum non ex Abbate ſancti Aniani, ſed ex Monacho Floriacenſi Lerinenſem Abbatem factum aſſeruerunt. Antiquus Scriptor in Codice manuſcripto, quem ſuprà citauimus, Hiſtoriam ſancti Aygulfi ſic proſequitur. *Idem Monaſterium*, nempe Lerinenſe, *cùm antiquâ floruerit prærogatiuâ, itaut eius magiſterio longè latéque plura fundata ſint loca ſeruitio apta diuino, eo tamen tempore*, id eſt, poſt Vincentij Abbatis obitum, *actore diabolo, emergente diſcordiâ, ſecus quàm decebat, res vacillabant. Cùm ergo ad Regem Proceréſque eius delata eſſet prædictorum poſtulatio Monachorum*, hoc eſt, Lerinenſium, *& vt adſolet, Rex Conſiliarios, quorum tractatu Rempublicam adminiſtrari conſtabat, conſuleret, quid tali facto opus eſſet, vox vna, diſſenſio nulla, talem tantúmque virum tali oportere loco præfici, per quem certum foret & lapſa erigi & neglecta in antiquum ſtatum reformari. Quid multa? Tunc beatus Aigulfus quamlibet renitens atque reluctans coràm adducitur, curáque ei Monaſterij prælibati imponitur, gaudente Rege, exultantibúſque eius Principibus, eò quòd talem gregi ſuo præponendum Dominus eis monſtrauerit Paſtorem. Licèt namque ſanctum virum ſua plùs mulcerent ſilentia, attamen Apoſtolici non immemor erat Præcepti, quo præcipitur, vt omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Animal namque oculatum & vndique circumſpectum erat, & vt immutilatum maneret, hinc inde circùm ſpectabat. Iam verò oneri ceruicem ſupponens, fratres ſuſceptos adiit, & quia opinio eius iam aures eorum allexerat, latis eum deuotionis amplectuntur vlnis, eóſque & ipſe reciproco gremiali confouebat amore.* Eundem ſenſum retinuit Surius [a] ſtylo mutato & aliquanto breuiore. Monachus autem Lerinenſis è Congregatione Caſinenſi, cuius ſcripta primùm in Chronologia Lerinenſi, deinde in auctiore Surij [b] editione publicata ſunt, adiecit nonnulla quæ minimè probamus. In gratiam enim Sodalium ſuorum finxit ſancti Benedicti Regulam in Galliæ Celticæ Monaſteriis obſeruari ſolitam, ſicque Aygulfum, quem Monachi Lerinenſes in Abbatem poſtularant, Ordini Benedictino iam addictum inſinuauit. *Erat tunc*, inquit, *in Gallia, ſicut prædiximus, omnis regularis diſciplinæ cuſtodia, quam Maurus beatiſſimus Chriſti famulus Cœnobiis dereliquerat.* Galliam interpretamur Galliam Celticam, quia idem Auctor, vt anno ſequenti dicemus, aſſerit Angariſmam Virginem Bleſenſem *à Galliis* veniſſe, vt Cœnobio puellarum præeſſet in loco qui dicitur Arlucus *, nec procul diſtat à Monaſterio Lerinenſi. Ceterùm, vt ſuprà non ſemel monuimus, nec in Cœnobio ſancti Aniani, vnde Auctor ille ſanctum Aygulfum adſcitum ſcribit, nec in Monaſterio Floriacenſi, vnde eundem ſanctum Aygulfum euocatum aſſerimus, vigebat tunc obſeruantia Regulæ Benedictinæ.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

[a] D. 3. Sept. in vit. S. Aygulphi, edit. an. 1574.

[b] D. 3 Sept. in vit. S. Aygulphi, edit. an. 1618.

* *Arluc.*

III. DEDICATIO ECCLESIÆ ELNONENSIS.

Hoc anno, Theodorici Regis ſecundo, Amandus Traiectenſis quondam Epiſcopus Elnonenſe templum dedicauit, teſtamentúmque conſcripſit ſubſcribentibus celeberrimis Epiſcopis atque Abbatibus, qui dedicationi Elnonenſis Eccleſiæ præſentes interfuerant. Vtrumque negotium ſic attingit Buzelinus in Annalibus [c] Gallo-Flandriæ. *Quod erexerat Elnonæ, Amandus templum inſigni pompâ dedicauit. Eò celebrandi feſti causâ ex eius voto plurimi conuenere, ſeu virtute, ſeu genere nobiles viri. Horum præcipui aliquot Epiſcopi, Reolus Remorum, Vindicianus Cameracenſis, Neruiorum & Nouiomi Mommolenus; inter Abbates Bertinus Sithiuienſis, & Ioannes Blandinio præfectus Gandavi. Et his maximè impellentibus teſtamento cauit Amandus, additâ horribili interminatione, vti nullus mortalium quantálibet ingens dignitate, corpus ſuum Elnonenſibus poſt mortem eriperet aliò transferendum. Grauem tunc annis ætatem is agebat.* Hic Auctor vulgarem Elnonenſium Monachorum ſententiam ſecutus affirmat iſta geſta fuiſſe *exeunte anno Domini ſexcenteſimo & ſexageſimo-primo*, additque Amandi mor-

[c] Lib 2.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. I.

tem contigisse *anni sequentis initio, cùm demptis decem annis seculum vixisset.* At illa Chronologia multùm discrepat ab anno Theodorici Regis secundo, quo Testamentum Amandi consignatur.

IV. TESTAMENTVM S. AMANDI.

Publicatum est hoc Testamentum à Philippo Haruengio Abbate Bonæ Spei in vita sancti Amandi & à Miræo in Codice piarum [a] donationum & in Fastis [b] Belgicis. *In nomine Domini nostri Iesu Christi, ego Amandus miserrimus & peccator. Credimus vbique diuinam nos pietatem regere & clementer saluare velle, quia & ingressum nostrum in mundum & exitum de mundo ante secula ipse praenoscit. Proinde omnibus non habetur incognitum, qualiter nos longè latéque per vniuersas prouincias, seu gentes, propter amorem Christi seu verbum Dei annuntiare, vel baptismum tradere, discursum habuimus, & nos de multis periculis pietas Dei eripuit, & vsque tempore isto perducere dignatus est. Sed, dum iam corpore fesso & multis laboribus fatigato, iam in summa senectute penè corpore præmortuo, exitum de hoc mundo in proximo habere speramus, & quia nos Deus in istum locellum, qui vocatur Elnonis, perducere dignatus est, quem super largitate Regia proprio labore visi fuimus construxisse, si nos ibi Deus de hoc mundo decreuerit emigrare, peto, & coram Christo Iesu filio Dei coniurare præsumo, vt nulli Episcoporum vel Abbatum, seu secularium virorum, aut quibuslibet potestatibus hoc contrarium sit, vt corpusculum meum in ipso Monasterio, quod superiùs diximus, Elnone inter illos fratres requiescat, vbi iam nos ad ipsos fratres & corpore & animâ commendauimus. Et si in itinere, aut vbiubi finis noster prouenerit, ad ipsum locum, quem superiùs memorauimus, corpusculum nostrum licentiam habeant fratres vel Abba de ipso Monasterio Elnone ibidem reuocare. Si quis verò contradicere, aut de ipso Monasterio corpus meum per fortia abstrahere, aut temerario spiritu contradicere voluerit, imprimitus sanctæ Trinitatis incurrat offensam, & ab omnibus Ecclesiis Catholicis excommunicatus appareat, & à societate Sanctorum extraneus efficiatur, & damnationem, quam Dathan & Abiron sustinuerunt, quos infernus viuos absorbuit, ipse sustineat, & sit anathema maranatha, quod est perditio, in aduentu Domini nostri Iesu Christi. Et nec sic nostram voluntatem mutare valeat, sed hæc deliberatio nostra in perpetuo firma & inuiolata permaneat. Et vt certiùs credatis, manu propriâ subscripsi, & omnibus hominibus Deum timentibus vt subscribant supplicamus & rogamus. Quam epistolam fratri nostro Baudemundo Presbytero fieri rogauimus. Facta epistola in Monasterio Elnone, anno secundo Regni Domini nostri Theodorici gloriosi Regis sub die decima quinta Kalend. May. Ego Amandus peccator hanc epistolam à me factam consensi & subscripsi. Ego in Christi nomine Reolus acsi peccator subscripsi. Ego in Christi nomine Mummolenus Episcopus subscripsi. Ego in Christi nomine Vinditianus acsi peccator Episcopus hanc epistolam, rogante Domno Amando, consensi & subscripsi. Ego Bertinus Abba subscripsi. Ego Aldebertus Abba subscripsi. Ego Ioannes rogatus à Domno Amando, consentiens hanc epistolam subscripsi. Ego Baudemundus peccator, iubente Domno meo Amando, hanc epistolam deliberationis suæ scripsi & subscripsi.*

[a] Cap. 4.
[b] d. 6. Febr.

V. SVBSCRIPTIONES.

Præter sanctum Amandum, qui rectè se dixit *iam in summa senectute* positum, cùm natus esset annos sex & octoginta, Testamento suprà recitato subscripserunt tres Episcopi, Reolus, Mummolenus & Vinditianus, totidémque Abbates, Bertinus, Aldebertus & Ioannes; vtrique ex secunda prouincia Belgica, cuius Metropolis erat ciuitas Remorum.

VI. EPISCOPORVM.

Reolus Episcopus erat Remensis. Annum agebat secundum in Episcopatu. Sedit autem annos viginti sex, vt constat ex vita sancti Gundeberti. Sanctitate fuit adeò conspicuus vt anniuersariâ celebritate coli meruerit tertio Nonas Septembris [c]. Mummolenus Episcopus erat Nouiomensis ac Tornacensis. Annum agebat decimum-sextum in Episcopatu. Sedit autem annos viginti sex, vt testatur Folchardus in vita sancti Audomari. Celebris est eius memoria decimo-septimo Kalendas Nouembris [d]. Vinditianus Episcopus erat Atrebatensis & Cameracensis. Annum agebat sextum in Episcopatu. Sedit autem annos triginta sex, vt obseruat Miræus in Fastis Belgicis,

[c] Martyr. Gallic.
[d] Breuiar. Audomar.

quinto Idus Martij, quo die festum illius quot annis celebratur. AN. CH.

Bertinus Abbas erat Sitiuensis. Annum agebat decimum-sextum in regimine Sitiuensis Monasterij. Vixit autem vsque ad tempora Childeberti Regis vt suo loco probabimus. Locum in Tabulis Ecclesiasticis habere meruit Nonis Septembris. Degit in Diœcesi Taruanensi sub Episcopis Audomaro, Drancio, Baino & Rauengario. Aldebertus Abbas erat Gandensis in Diœcesi Tornacensi. Præfecturæ Gandensis annum agebat decimum-octauum, vixitque ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-nonum. Ioannes Abbas erat Blandiniensis in Episcopatu Tornacensi. Agebat annum præfecturæ decimum-octauum. Obiit autem *anno regiminis* XX, vt ex Chronico Blandiniensi constat. Rexit igitur Monasterium Blandiniense sub tribus Regibus, Clodouei Secundi filiis, Clotario, Childerico & Theodorico. Admotum administrando Cœnobio regnante Clotario docet Auctor Actorum apud Sanderum, his verbis. *Ioannes vas Domini electum, mundum, sanctum, temporibus Chlotharij Regis iunioris in hoc tabernaculo Dei custos vasorum Dei efficitur, à sancto Amando Abbas Blandiniensibus præficitur.* Vixisse vsque ad Theodorici Principatum probat subscriptio, quâ Testamentum sancti Amandi communiuit, anno ipsius Theodorici Regis secundo.

675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2. VII. ET ABBATVM.

VIII. Post Episcopos Abbatesque suprà recensitos testamento sancti Amandi subscribit etiam Baudemundus. Hic nondum erat Abbas. Ioanni enim Abbati in administrationem Blandiniensis Monasterij successit. Id liquet ex Chronico Blandiniensi, cuius Auctor, vbi Ioannem *sub die Nonarum Martiarum, anno regiminis* XX, mortuum dixit, hæc proximè subiunxit de successore. *Abbas à beato Florberto tertius, ordinante sanctissimo Patre Amando, efficitur Baudemundus magnificæ sanctitatis vir, cuius Abbatis tempore Sanctissimus Pater Amandus vniuersæ carnis viam ingressus est. Scripsit autem Baudemundus Testamentum sancti Amandi eiusdem viri iussu.* Hæc optimè conueniunt com nostra Chronologia.

IX. Porrò, cùm ciuitas Remensis ad Austrasiam pertineat, & Reolus Metropolites Remensis Testamento Amandi subscribat, inde patet partem illam Austrasiæ, quæ hortatu Ebroini pseudo-Clodoueum Regem agnouerat, ad Theodoricum cum eodem Ebroino transiisse, vt monuimus suprà. Per idem tempus Catalaunum Dagoberto Regi paruit. Anonymus enim, qui vitæ sancti Memmij tria subiunxit capita de Miraculis, & rerum quas scribebat oculatum se testem dixit, Characterem Chronologicum desumpsit à secundo Dagobertini Principatûs anno, quem huic anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto illigamus. Antiquius ac nobilius de Dagoberto Rege testimonium optari non potest. Catalaunenses, quos vehementissima siccitas vexabat, intercessione sancti Memmij pluuiam impetrarunt. Hoc miraculum aliàque nonnulla, quæ Deus eodem anno in gratiam Catalaunensium ob merita beati Memmij, primi Catalaunensium Episcopi, dignatus est operari, prædictus Auctor in literas retulit, testatúsque est agere se de rebus, quæ contigerunt *in anno secundo sub Imperio Dagoberti Regis.* Et vt Dagobertum Siginberti filium ab aliis Dagobertis distingueret, hæc proximè subiunxit. *Ipse est, qui post longam pressuram reuersus est ad propria Regna.* Deinde ætatem suam his verbis significauit. *Ea quæ vidimus, hæc scripsimus & narramus.* Sedebat tum Catalauni Landebertus successor Regnabandi, qui Felici à nobis sæpè laudato successerat. Hæc obiter de Præsulibus Catalaunensibus, Regnabando & Landeberto, quorum sola nomina supersunt.

S. MEMMIVS MIRACVLIS CLARET CATALAVNI. DAGOBERTI PRINCIPATVS ASSERITVR. EPISCOPI CATALAVNENSES.

X. Annus hic agitur post sancti Iudoci mortem decimus, quo Malbrancus [a] Winnocum in Belgicam profectum tradit, vt à Bertino Sitioensi tunc Abbate, Monasticis disciplinis imbueretur. Non recedit ab hac Chronologia Sanderus in Auctario ad Tomum secundum Flandriæ illustratæ, vbi seriem edit Abbatum sancti Winnoci, & à primo eiusdem sancti Winnoci in Sitiuense Monasterium aduentu annos numerat viginti ad primum vsque Chil-

[a] Lib. 4 c. 4.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

deberti Regis annum, quem anno Christi sexcentesimo nonagesimo-quinto illigabimus.

XI. [a] Ap. Sur. d. 6. Nou.

WINNOCVS FIT MONACHVS SITIVENSIS CVM TRIBVS SOCIIS.

Extat [a] vita sancti Winnoci post annum Christi nongentesimum quidem conscripta, non tamen ideo contemnenda, vetustioris enim auctoritate nititur, vt patet ex ipsomet prologo, vbi sic Auctor ait. *A fratribus Cœnobij Sancti Winoci non sine confusione, fateor, mei, suggestum accepi, ut vitam & actus memorabilis, quem præfatus sum, Patris, nouo stylo ex veteri sumpto cuderem.* Initium vitæ, quod hoc loco nobis examinandum occurrit, legitur in hæc verba. *Beatus Winocus in Britannia finibus ex nobilium virorum prosapia nascendi exordia sumpsit, sed nobilitatis titulum probitatis indole ornauit. Qui cùm à prima ætate nouus virtutibus quasi semper inciperet, inter ipsa tamen primordia consummator apparuit, & in mundo positus extra mundum fuit, & sub habitu seculi gessit militem Christi. Inter hæc stupebat in sinu suo Britannia ciuem suum peregrinari, & intra fines proprios nouis quotidie actibus exulare & morari. At qui mente iam à patria exularat, vt etiam corpore esset exul, non ægrè operam dabat. Itaque vt alter Abraham exire de terra & de cognatione sua, meditatione versabat assiduâ. Porrò succedentibus ad integrum votis, consilium inuenit res diu mente concepta & agitata. Habuit proinde in consortium suscipiendæ peregrinationis coniuratos in Christi Sacramenta tyrones, Quadanocum videlicet, Ingenocum atque Madocum, genere quidem spectabiles & vitâ probabiles. Hi vnà cum beato Winoco rerum suarum onere expediti, patrio solo parentúmque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei passibus fidei ducebantur, illud Apostolicum operum suorum vocibus clamantes.* [*Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*] *Igitur post longa viarum spatia regioni tandem appulere Morinorum, vbi famâ vulgante sanctorum hominum tunc florere religionem compererant. Per id tempus in ea Morinorum seu Taruanensium regione beatus Bertinus in ornamento Ecclesiæ Dei erat lapis pretiosus, in Sithiu Monasterio merito & officio Abba. Tanti ergo Patris regimini viri illi, quos diximus, deuoto se obsequio subdiderunt, & egregium omnino duxere ad doctrinam Sancti animo peruigili pendere.*

XII. [b] Ap. Sur. d. 1. Mart.

EIVS ACTA EXAMINANTVR.

Alij alia de Winnoco scribunt, quæ fabulis accenseri debent. Apud Interpolatorem Marcellini [b] in vita sancti Swiberti, sanctus Iudocus & sanctus Winocus *filij Regis Angliæ* dicuntur. At Iudocus Gallus fuit è familia Comitum Britannorum in Gallia; fratrem habuit Iudicaelem Britannorum Gallicanorum Comitem, qui spreto Comitis Titulo Regem se dixit, & à Dagoberto Primo, Francorum Rege, qui tale facinus dissimulare non potuit, in ordinem redactus est. Lege quæ de vtroque fratre dicta sunt ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-sextum [c], quo nuncium seculo remiserunt. Ergo Winnocus, si Iudoci frater extitit, Gallus fuit, non Anglus. Sed nec Gallus, nec Iudoci frater nobis videtur. *In Britannia finibus ex nobilium virorum prosapia* progenitus dicitur. Britanniam interpretamur nominatissimam illam Insulam, quæ hodierna Angliæ Scotiæque Regna complectitur. Inde diuersis temporibus viri non pauci sanctitate conspicui transfretarunt in Gallias, fixísque domiciliis in Episcopatu Taruannensi vicinísque Diœcesibus consederunt. Qui Winnocum in Gallia natum contendunt, Iudoci fratrem affirmant. Ætas autem refragatur, quia si Winnocus, vt illi volunt, anno Christi sexcentesimo tricesimo-sexto, cùm Iudicael & Iudocus paternâ se hæreditate abdicarunt, regendo Comitatui par erat, vixit maior centenario, ab illo enim anno ad eius vsque mortem, quam alij anno Christi septingentesimo decimo-sexto, alij anno Christi septingentesimo decimo-septimo referunt, octoginta effluxerunt anni vel vnus & octoginta. Natus est igitur Winnocus in Britannia Transmarina, parentes habuit è nobili prosapia, non tamen è Regia, nec quicquam prodest subtilis interpretatio Malbranci [d], qui Iudocum & Winnocum *Regis Angliæ filios* in vita sancti Swiberti dictos ait, quoniam originem repetebant à Riuualo Anglo, quem *è Britannia Maiore* seu Transmarina *circa annum* 512. transfretasse, & *Britanniam Minorem* seu Cismarinam aut Gallicanam occupasse

[c] Num. 7.

[d] L. 4. c. 4.

passe scribit. Initia Regni Britannici, quod in Gallia ciuitates Venetum, Coriosopitum, Ossismorum & Diablintum constituebant, antiquiora fuerunt anno Christi quingentesimo duodecimo, imò idem Regnum penitus extinctum est ante illum annum à Clodoueo Magno, qui Britannis ciuitatem Venetam eripuit, ceteras eisdem concessit, modò abstinerent Regio nomine, séque Comites inposterum ac Regum Franciæ beneficiarios dicerent. Nec iis etiam assentimur, qui tres socios Winnoci, Quadanocum, Ingenocum & Madocum, fratres eiusdem Winnoci fuisse tradunt. Si Winnocus eos fratres habuit, cur eos Anonymus, qui Gesta sancti Winnoci conscripsit, *genere quidem spectabiles & vitâ probabiles* dixit, fratres autem eiusdem sancti Winnoci nequaquam? Hinc quoque corrige liberorum numerum vicenario maiorem, quem alij ex duabus vxoribus, alij ex vna Iudhaeli Britannorum Comiti tribuunt. Apud Petrum *le Baud* [a], qui citat Ingomarum, Iudhaeli proles sunt duæ supra viginti, masculinæ sexdecim, sex fœmininæ, Iudichael, Eocus seu Iodocus, Eumahelus, Ingenocus siue Indganocus, Doethuuallus, Worhaelus, Larghaelus, Ruiuas, Ruiualdus, Indhumotedus, Haelon, Indon, Winnocus, Weinanus, Wemmaelus, Iudhael posthumus, Eurelia, Onenna, Bredac, Guen, Cleor, Prust. Pauciores à Malbranco [b] sic enumerantur, mares quatuordecim, sex fœminæ; *Iudichael, Iudocus, Feriocus, Eumahelus, Quadanocus, Dothenalus, Ingenocus, Gorgelus, Madocus, Riunalus, Largelus, Longaretus, Winnocus, Ludenius, Curiela, Onnenia, Beda, Guen, Cleor, Prust.* Apud Albertum in Armorica Sancta [c] recensentur mares quindecim, fœminæ sex. Sancti vocantur omnes à Renato Benedicto, Auctori Armoricæ Sanctæ, qui Petrum Baldium allegat, sex duntaxat mares in ea veneratione sunt cum duabus fœminis, Iudichael, Iudocus, Indganocus, Winnocus, Winanus & Wemmaelus cum Eurelia & Onenna. In ipsis nominibus, vt ex prædictis patet, Auctores non parum differunt. Extant tantùm Acta Sanctorum, Iudichaelis, Iodoci & Winnoci. In Gestis sancti Winnoci laudantur, Quadanocus, Ingenocus & Madocus. De sancto Ferioco *, qui etiamnum in monte eius nomini dicato Monstrolium inter ac Bononiam colitur, multa scribit Malbrancus ex solâ indigenarum traditione. Feriocum, cuius nulla omnino mentio fit in vita sancti Iudoci, fratrem eiusdem sancti Iudoci fuisse non existimamus.

[a] Cap. 11.

[b] L. 4. c. 4.

[c] D. 6. Nou. in vit. S. Vvinnoci.

* S. Ferjen.

XIII. Anonymus iam laudatus vitam sancti Winnoci sic prosequitur. *Eorum*, id est, Winnoci triúmque Sociorum, *laudabili deuotioni gratulans beatus Bertinus, sub norma pij Patris Benedicti docuit eos ferre suaue iugum Christi, Monasticisque parere Sanctionibus, & verbis & factis instituit. Cúmque eos inter ipsa conuersionis primordia culmen perfectionis iam attigisse miraretur, locum eis, in quo singulariùs Domino vacarent, attribuit, vtque Cellam illic sacris occupationibus congruentem extruerent, imperauit. Parent imperio, construendo incumbunt ædificio. Locus ille in Morinorum territorio situs, vsque in præsentem diem mons Sancti Winoci vocatur, vbi illi viri Dei aliquandiu degentes, & se mundo, & sibi mundum crucifixerunt.* Non placent hæc verba, *sub norma pij Patris Benedicti*, quia Bertinus Monachum in Monasterio Luxouiensi induit, nec Regulam aut secutus est vnquam aut docuit diuersam ab ea quam sanctus Columbanus Asceterio Luxouiensi præscripsit. Hæc assertio nullam difficultatem patitur. Expuncto igitur additamento, quod in gratiam Ordinis Benedictini adiectum videtur, periodum suprà descriptam sic corrige. *Eorum laudabili deuotioni gratulans beatus Bertinus, docuit eos ferre suaue iugum Christi, Monasticisque parere Sanctionibus, & verbis & factis instituit.* Haud adeò facilè solui potest altera quæstio de Winnoci profectione cum sociis ad montem, cui nomen suum lapsu temporis imposuit. Ætate Winnoci in palustri Morinorum territorio nec procul ab Oceano mons virore suo gratissimus assurgebat, vnde illi nomen Groenenberga & Grunoberga seu Mons Viridis, donec ab ipsius Winnoci nomine Winnocimontium ac Winnociberga seu Mons aut Berga sancti Winnoci vocari

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

cœpit. Illuc Winnocum à Bertino Abbate Sitiuensi missum negant nonnulli; qui volunt illum in Sitiuensi Monasterio permansisse, donec regnante iam Childeberto Tertio directus est à Bertino Abbate in villam *Wormhoult*, vbi finem viuendi fecit Abbatis officio laudabiliter functus. In hac opinione versantur Miræus [a] Iperio nixus & Auctor Martyrologij Gallicani [b]. Plures aliter sentiunt, affirmántque Winnocum in Monasterio primùm Sitiuensi sub Abbatis Bertini disciplina degisse, deinde in Monte Viridi cum aliquot sociis, postremò in villa *Wormhoult*, vbi Cœnobium ex munificentia Hademari viri prædiuitis erexit rexitque. Posteriorem hanc sententiam tuentur [c], Anonymus [c] in vita sancti Winnoci scripta decimo seculo, Molanus in Natalibus [d] Sanctorum Belgij, Albertus in Armorica [e] sancta, Malbrancus libro quarto [f] de Morinis, Sanderus Tomo secundo Flandriæ illustratæ in Berga sancti Winnoci. Lubenter his Auctoribus adhæremus. At rursum oritur quæstio de tempore, quo Winnocus ad Montem Viridem ex Bertini mandato se contulit. A die quo Winnocus Sitiuense Monasterium adiit, ad primum vsque Childeberti Tertij Regis annum, quo perrexit ad villam *Wormhoult*, viginti numerantur anni, quorum alteram partem in Cœnobio Sitiuensi, alteram apud Grunobergam siue in Monte Viridi transegit. Qui Winnocum pauciores annos in Monasterio Sitiuensi, plures in Monte Viridi mansisse volunt, obseruant ex textu quem examinamus, locum, qui posteà Mons sancti Winnoci dictus est, Winnoco eiúsque sociis, Quadanoco, Ingenoco & Madoco, *vt Cellam illic sacris occupationibus congruentem extruerent*, à Bertino tunc Abbate Sitiuensi concessum fuisse, *cùm eos inter ipsa conuersionis primordia culmen perfectionis iam attigisse miraretur*. De Winnoci, sodaliúmque mirabili profectu non dubitamus, quia tamen in vsu non erat, vt è Monasterio quis in secretiorem locum, vbi *singularius* Domino vacaret, ab Abbate dimitteretur, nisi Regularis disciplinæ longis exercitiis probatus esset, Winnoci profectionem ad Grunobergam in postrema Theodorici Regis tempora reiiciemus, tunc fusiorem ea de re disputationem inituri.

a In fast. Belgic. d. 6 Nou.
b d. 6 Nou.
c Ap. Sur. d. 6. Nou.
d d. 6. Nou.
e d. 6. Nou.
f Cap. 21.

XIV. CORBASIVS ABB. KEMPERLEGIENSIS AMPLIFICAT SVVM MON.

Goeznoueus Leonensis Episcopus, cùm Diœcesim per annos viginti quinque gubernasset, Kemperlegium, vbi Corbasius Monasterium, cuius iam meminimus, nouâ ædificiorum structurâ condecorabat, se contulit fratre Maiano comite, ibíque vitam clausit octauo Kalendas Nouembris, eodem videlicet die, quo beati fratres Crispinus & Crispinianus Martyrium olim Suessione consummarant, *vt dies, qui ob duorum Martyrum agonem celebris erat, tertij veneratione celebrior haberetur*. Hæc phrasis subindicat Auctorem vitæ in ea versatum opinione, vt Goeznoucum Martyribus accensendum existimarit. Inuestigandum igitur, quo lethi genere beatus hic Episcopus interierit. Habiti sunt aliquando familiares de diuersis ædificiis sermones inter Goeznoueum, Maianum & Corbasium; Monasterio, quod Goeznoueus nondum Episcopus erexerat, amplissimæ laudes collatæ; probatáque præcipuè opera Maiani in construendo choro Basilicæ. Displicuit id plurimùm Architecto, qui structuræ Kempetlegiensis Monasterij præerat. Hic enim existimauit suam industriam ac peritiam apud illos in contemptum eò magis deuenire, quò diutiùs in aliorum ædificiorum commendatione immorabantur. Atque inde tantum concepit odium aduersùs Goeznoueum, vt in eius caput ex eminentiore loco malleum discurrendo proiecerit, finxeritque manu fortuitò excidisse. Lethali vulnere accepto Goeznoueus in terram corruit, statim delatus est à circumstantibus in cubiculum infirmorum, ibique Sacramentis Ecclesiæ munitus paucis pòst diebus expirauit, veniâ cædis auctori priùs indultâ prohibitâque sceleris inquisitione. Sepultus est in eodem Monasterio à Corbasio Abbate, multis postmodum miraculis inclaruit, eleuatúsque est è terra decentérque collocatus in loco, vbi reliquiæ multorum Sanctorum asseruabantur. Huic Translationi præsens interfuit Maianus fra-

SEPELIT GOEZNOVVM EP. LEONENS.

ret. Leonenses Gilbertum, qui sancto Goeznoueo succederet, Episcopum elegerunt. Ægrè posteà ferentes, quòd beatus Goeznoueus apud Kemperlegium in Diœcesi Corentinopolitana quiesceret, venerabiles eius reliquias sibi reddi postularunt. In eam rem legatione functus est Maianus ipsiusmet sancti Goeznouei germanus. Corbasius Abbas Monachique Kemperlegienses petitioni noluerunt acquiescere, quæsitâque excusatione responderunt inania esse Leonensium vota, quoniam ossa sancti Goeznouei cum aliis confusa erant in magno reliquiarum aceruo, nec ea quis à ceteris distinguere ac secernere poterat. Post multas altercationes ventum tandem ad conditionem, quæ Leonensibus parum æqua videbatur, Maiano tamen non omnino displicuit. Assenserunt Kemperlegienses, vt Maianus, si reliquias sancti Goeznouei dignosceret, eas in Episcopatum Leonensem transferret. Opus erat miraculo. Maianus spe non cecidit, adeò causæ suæ fidebat! Noctem egit insomnem precibúsque totam traduxit, nec parum recreatus est apparitione sancti Goeznouei. Posterâ die processit ad locum, vbi custodiebantur reliquiæ, deosculatus est singulas, móxque rem valdè miram conspexit. Ossa quædam suis è sedibus exierunt, atque in linteum, quod ille ad reliquias excipiendas attulerat expanderátque, nemine tangente transilierunt. Viso tanto prodigio Kemperlegienses obstupuerunt, fassique sunt placitum esse Deo tot signorum auctori, vt beatus Goeznoueus in ea quiesceret Diœcesi, cuius Episcopus fuerat. Maianus reliquias linteo inuolutas in ciuitatem Leonensem transtulit, partem reliquit in Ecclesia Cathedrali, partem alteram collocauit in vico, cui nomen *Landt*, hodie *Landt-Goeznou*, vbi Goeznoueus Monasterium construxerat, antequàm à Leonensibus in Episcopum assumeretur. Vtrobique magnâ veneratione colitur sanctus Goeznoueus. Singulis annis per parœciam *Landt-Goeznou* die festo Ascensionis Dominicæ fit processio solemnis, in qua duo prænobiles viri reliquias sanctissimi Præsulis gestare consueuerunt, nec huic pietatis officio defuerunt aliquando Duces Britanniæ, vt variis exemplis ad secula decimum-quartum & decimum-quintum probabimus, si Deus vitam otiúmque concesserit. Sancto Goeznoueo superstes vixit sanctus Maianus eius frater. Verùm sancto Maiano supervixerit sanctus Corbasius, haud scimus, de vtroque enim plura non inuenimus. Lege vitam sancti Goeznouei apud Albertum à Monte Relaxo, octauo Kalendas Nouembris; & apud eundem Auctorem in catalogo Aletensium Episcoporum obserua Moenum obiisse hoc anno, eique Edbodum siue Ebondum in Episcopatum successisse.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2. GILBERTVS FIT EPISC. LEONENS. MAIANVS TRANSFERT RELIQVIAS S. GOEZNOVEI. EPISCOPI ALETENSES

XV. Apud Bruschium in Episcoporum Nemetensium catalogo Tragebodus fit Episcopus regnante Childerico, consequitur ab eodem Rege confirmationem donationis à Sigiberto illius patruo quondam factæ, vitámque claudit anno sui Pontificatûs octauo, id est, hoc anno, si vera sunt quæ de illius Antecessoribus Athanasio & Principio narrauimus. Certè, posito quòd annos duntaxat octo Præsulatum gesserit, non peruenit ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-sextum, vt vult Bruschius, annus enim Christi sexcentesimus octogesimus-sextus numeratur decimus-tertius post Childerici Regis mortem, quæ cum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio coincidit. Addit Bruschius Ecclesiam Nemetum post Tragebodi Antistitis obitum *aliquandiu* vacasse, quia Basinus, cuius nomen in Nemetensium Pontificum catalogo proximè sequitur, *temporibus Caroli Martelli* sedit *annis septem, mensibus octo*. Celebre tunc in Episcopatu Nemetensi conspiciebatur Monasterium Weissenburgense, cui multis antè annis munificentiâ Dagoberti Primi condito Ratfridus seu Radefridus Abbas præerat. Illi Cœnobio Dagobertus Secundus hoc anno, Regni sui secundo, thermas Badenses tradidit hisce tabulis, quæ legi possunt apud Coccium [a]. *Dagobertus Rex Francorum, viris illustribus, Ducibus, Comitibus, Domesticis, vel omnibus gentibus tam præsentibus quàm futuris. Illud ad stabilitatem regni vel remedium animæ nostræ*

EPISCOPI NEMETENSES. [a] Cap. 18. DAGOBERTVS R. MVNIFICVS ERGA MON. WEISSENBVRG.

gar, atque ita legendum pronuntiet. *Extat*, inquit, *datum Argentinensi Eclesiæ Priuilegium Tageberti Regis super tribus curtis in Rubiaco & in Bischouisheim & in Species. In hoc Priuilegio agnoscit Rex se olim exhæreditatum propriis bonis (ita legendum censemus, non filiis) ad protectionem & patrocinium Deiparæ Virginis Mariæ confugisse.* Dagobertus seu Tagebertus Rex, cùm in Hibernia exularet, beatissimæ Virgini votum nuncupare potuit, sed in Regio Diplomate nihil tale reperitur. Rex, quia filiis orbatus est, Ecclesiam Sanctæ Mariæ hæredem constituit. Verba sunt adeò clara, vt nullo egeant commentario. *Ego Tagebertus exhæreditatus, Christo volente, propriis filiis, S. Mariam mihi in hæreditariam hæredem acquisiui.* AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

Tertiò, quia Coccius non recitat integrum Diploma, suspicari licet ab eo multa prætermitti, quæ si publicentur, falsitatem palàm demonstrent. XX.

Quartò, Turandus seu Durandus se scribit Cancellarium, at vox *Cancellarius* illo seculo non erat in vsu. XXI.

Quintò, ridicula est hæc clausula. *Acta sunt hæc* IIII. *Non. Apr. Lunâ* VII. *Anno ab Incarnatione Domini* DCLXII. *Indict.* V. *Regnante Tageberto Rege. Anno* XXXII. *regni sui.* Illâ enim ætate Franci nec annos numerabant ab Incarnatione Dominica, nec Indictionem publicis instrumentis apponebant. Deinde anno Christi sexcentesimo sexagesimo-secundo nec Dagobertus Primus qui Clotarij filius fuit, nec Dagobertus Secundus qui superioris nepos extitit, in Francia regnabat. Denique neuter annum Regni tricesimum-secundum attigit. XXII.

Quamuis autem Diploma, cuius fragmenta Coccius euulgauit, commentitium credamus, non improbamus ea quæ scribit idem Author de donis à Dagoberto Rege collatis Ecclesiæ Argentinensi, postquàm Arbogastus Episcopus Sigibertum eius filium fusis ad Deum precibus à morte suscitauit. *Rex Sanctissimi Antistitis desiderio maximoperè incensus Regiam illi suam obtulit, vti in qua multam pietatis sementem facturus esset, sed cùm assensus exprimi non posset, illud extremi consilij fuit, muneribus onustum dimittere. Cúmque immensam illi auri, argenti & gemmarum vim de Regio gazophylacio obtulissent, ille harum rerum despicientiâ egregius illud monuit, si quam vel diuini huius beneficij, vel Regiæ munificentiæ memoriam apud posteros extare vellent perennem, id quidem se auctore præclariter facturos, si ad Deiparæ Matris Argentinensis patronæ peculium, tunc non adeò amplum, dotem adiicerent non vni sibi sed successoribus quoque ac seris posteris profuturam. Placuit Regibus* (Dagoberto videlicet ac Necthildi coniugi) *consilium. Mox amœnissimam terrarum regionem cis citráque Rubeaquas, tum fœcundis Elli vtrinque ripis ad vsque ferè Nouientum porrectam, ipsúmque Rubeacense oppidum cum arce Regia Isenburgo, accuratâ finium topothesiâ hodie oppidorum pagorúmque circiter triginta duûm definitum, Argentoratensi Ecclesiæ per D. Arbogastum venerabundi obtulere, donationem syngraphâ consignantes, quam vir Dei Argentinam redux, sacris ad Dei aram operaturus, spectante confertâ hominum multitudine, Deiparæ obtulit. Ea hodiéque in Argentinensis Ecclesiæ possessionibus perpetuat, Mundati appellatione inditâ, ab singularibus exemptionum & immunitatum prærogatiuis, quibus Regum ac Cæsarum beneficio decorata, per vnum aliquem ex illustri Maioris Ecclesiæ Collegio administratur.* Idem Coccius in nota, quam capiti decimoquinto sui operis subiecit, vt Mundati etymon & vsurpationem explicaret, asseruit Dagobertum in Diplomate, cuius fragmenta iam recitauimus, studiosissimè cauisse, *vt qui in Monasterij Deiparæ Virginis Argentinensis potestatem veniunt, liberaliter degentes sub Aduocati iure in liberalium virorum numero teneantur, nullúmque famulatum (præterquàm Ecclesiæ cui addicti sunt) Domino illius loci, vel etiam Regi exhibeant, nisi ab eis beneficia teneant. Habeant quoque liberam potestatem emendi, vendendi, dandi, habendi, & posteris eorum propria iura dimittendi, denique vt iustitiam inueniant supra omnes qui illic subditi sunt.* Sed hæc pars Diplomatis non est potioris fidei quàm ceteræ quas explosimus. Wimphelingus in Arbogasto tradit *Rubiachum oppidum cum populo, plagis &* XXIII.

AN. CH. 675. Theodor. III. Dagob. II. RR. 2. *vniuersis possessionibus appellari superius Munus datum*, vnde *Mundatum*, quod aliis dicitur quasi *manu datum*. Mundatum Rubeaquense dicitur superiùs à situ loci, vt distinguatur ab inferiore seu Weissenburgensi. Meminit etiam Coccius duplicis Mundati in Episcopatu Bambergensi, alterius ad Ortum Collegiatæ sancti Gangolfi Ecclesiæ suburbanæ, alterius ad Occasum Ecclesiæ sancti Iacobi Apostoli.

XXIV. Eius nummi. In Commentario de veteribus Francorum numis extant duo Tremisses [a] aurei, quibus inscriptum est Dagoberti Regis nomen. Prioris pars antica faciem Regis exhibet cum hac epigraphe DAGOBERTVS, postica Crucem globulo superpositam cum hac inscriptione DEVS REX, duabúsque literis V & C subter Crucis brachia. Posterioris numi pars antica priori simillima est, postica Crucem repræsentat cum hac epigraphe, REX FELICI, id est, FELICITER, literísque M & CI subter Crucis brachia. Claudius *Bonteroüe* numos illos huic Dagoberto rectè adiudicat ob inscriptiones, quibus posticæ partes insigniuntur. Altera, nempe REX FELICI, felicem Dagoberti Regis ab exilio reditum prædicat. Altera, nempe DEVS REX, commendat humilitatem ac pietatem eiusdem Dagoberti, qui nomen quidem suum numismatibus inscribendum curauit, Regium verò titulum non sibi sed Deo tribuendum censuit, recordabatur enim se feliciter, Deo auctore, reuersum esse ex Hibernia, paternique Regni maximam partem præter spem recuperasse, flagrantissimóque desiderio cupiebat à posteris sciri, quòd tot tantorúmque beneficiorum sibi collatorum memoriam perennem esse vellet.

[a] Num. 266. 267.

XXV. Pietas in erigendis et dotandis Monasteriis. Insignis eiusdem Dagoberti pietas in erectione Monasteriorum multùm enituit. Huiusce Regis liberalitate condita sunt illustria Cœnobia, Suraburgi, Haselaci, Regio-ponte, & in aliis locis. Iodocus Coccius, ceterique Scriptores, quibus hic Dagobertus incognitus mansit, Dagobertum Primum, cuius hic nepos extitit, illorum Monasteriorum conditorem finxerunt. Vt autem duo distinguendi sunt Dagoberti; Senior, cuius obitus in annum Christi sexcentesimum duodequadragesimum incidit; Iunior, qui septem duntaxat annos in Austria regnauit, vitamque clausit anno Christi sexcentesimo-octogesimo; sic accuratè inuestigandum est, vter sit auctor vniuscuiusque Monasterij, ne gesta Senioris ad Iuniorem transferantur, aut vice versâ quæ Iuniori conueniunt, asserantur de Seniore. Quæsti iam sumus, nec immeritò, quòd vtriusque acta Seniori ab iis attribuantur, quibus Iuniot in notitiam non venit, quódque ab iis, qui Iuniorem norunt, pleraque Senioris acta Iuniori adscribantur. Cùm sermonem fecimus de Monasteriis, quæ munificentiâ Dagoberti Senioris erecta credidimus, Chronologiam nostram argumentis communiuimus, haud segniùs agemus de Cœnobiis quæ Dagobertus Iunior extruxit. Amborum Dagobertorum liberalitatem duæ potissimùm Diœceses expertæ sunt in Austria. Dagobertus Primus Episcopatum Nemetensem multis adornauit Cœnobiis. Dagobertus Secundus ab aui pietate nusquam degener in Episcopatu Argentoratensi varia quoque fundauit Monasteria, nec ideo voluit non esse munificus erga vetustiora, quæ vel auus Dagobertus vel antecessores ipsius aui priùs condiderant.

XXVI. Surburgensi. Coccius [b] de Dagoberto, déque Suburgensi Monasterio, quod ab illo Rege in Episcopatu Argentoratensi constructum est, ita scribit. *Suraburgi* [*] *vico, qui ab influente riuo nomen accepit, adis sacra structuram mediâ syluâ, quàm ab Anachoretis inquilinis olim Sanctam* [*] *dixere Maiores, pulchritudine ac proportione non inuenustam extulit, sedem D. Arbogasto, quem suprà commemorauimus cognitam cultámque; cui videas circumiectum loci patrimonium, agros, qui ad quatuor cæli plagas circumquaque se diffundunt, nemorum item ac pascuorum abundè; quibus syluosâ planicie arbores ambientes vndique assurgunt. Verùm monasticæ disciplinæ isthic inchoata primordia eiusmodi esse voluerunt Conditores, vt Cœnobitæ S. Benedicti legibus astricti in Deipara Virginis & S. Martini Turonensis perpetua de-*

[b] Cap. 19.
[*] Surburgh.
[*] Vulgò Heilingenforst.

gerent tutelâ, quibus pia posteritas in memoriam reuocans, cuius ista præsidio consiliâque ab Dagoberto Rege & filio eiusdem Sigeberto impetrasset, D. Arbogastum adiunxit, vt cuius sanctitas ab ipsis Cœnoby incunabulis apud Surburgenses adoleuisset, eius patrocinium cultúsque gloria ibidem perseueraret. Hic Auctor, quia Dagobertum Secundum ignorauit, suam narrationem de Dagoberto Primo illiúsque filio Sigiberto Tertio intelligi voluit. Sed cùm Arbogastus in Austriam primùm venerit, quando Clotarius Tertius in Neustria & Burgundia, Childericus Secundus in Austria regnabat, inde patet ea, quæ Coccius de Dagoberto eiúsque filio Sigiberto legit descripsírque, non esse sumenda de Dagoberto Primo illiúsque filio Sigiberto Tertio, sed de Dagoberto Secundo, Dagoberti Primi nepote, Childerici Secundi successore, déque Sigiberto Dagoberti Secundi filio, quem Arbogastus fusis apud Deum precibus ad vitam insigni miraculo reuocauit. De Surburgensibus Abbatibus apud Bruschium, Coccium, Bucelinum, aliósque Scriptores, quos hactenus legimus, nihil occurrit. In illo Monasterio viguit primùm Regula sancti Columbani, cui posteà successit Benedictina. Nec aliter sentiendum de Regiopontano, Schutterano, vicinísque Monasteriis, licèt aliter sentiant recentiores Auctores, qui Benedictinum institutum, quòd seriùs in plerisque Cœnobiis obseruari cœpit, à primo Monasteriorum conditu receptum scribunt. AN.CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

Monasterium Regiopontanum * *sancta* * *nemori adsitum* est, & Dagobertum parentem ac beneficum loci conditorem laudat. Hæc apud Coccium [a] inueniuntur, pertinéntque ad Dagobertum Secundum, cui sanctum nemus in deliciis semper fuit ob sanctos Arbogastum & Florentium, quorum alter eius filio mortuo vitam, alter eius filiæ cæcæ ac mutæ visum & loquelam à Deo suis orationibus impetrauit. De Regiopontanis Abbatibus plura quàm de Surburgensibus nondum reperimus. XXVII. * *Konigsbruck.* * *Heilingenforst.* [a] Cap. 19. REGIOPONTANO.

Idem Dagobertus Arbogasti suasu multis opibus auxit Monasterium Schutteranum, cui *curtem seu curiam aut prædium in pago Herlisheim Basileensis ditionis dono dedit, vnde & inter singulares Monastery illius benefactores & apud veteres & apud recentiores Schutteranos Monachos imaginibus depictus est* teste Wimphelingo. Est Schutteranum Monasterium trans Rhenum Argentinensibus ad Schutteram * fluuium in Mortinauia * ditione. At prædium Herlisheimense cum agrorum certis limitibus à Dagoberto isti Monasterio donatum Colmariâ * itinere duarum horarum distat. Coccius [b] Dagobertum Primum huius donationis auctorem facit *anno Domini* DCXXX *statim post fundationem Offonis.* Hic Offo, quem Monasterij primum fundatorem omnes agnoscunt, Anglus fuit è Regio stemmate, & Offonis Cellam de suo nomine voluit appellari, quod à præterlabente Schuttera fluuio dictum est posteà Monasterium Schutteranum. Eiusdem Offonis nomen gerit Offenburgum oppidum in eadem regione. Quonam tamen tempore ille vixerit, haud certò scitur. Gregorio Magno coætaneus à plerisque statuitur, ab aliis asseritur Dagoberto Regi coæuus. Rursum de Dagoberto disputant Auctores, multi Dagobertum Primum interpretantur, nos Dagobertum Secundum, Arbogastus enim non Dagoberto Primo sed Dagoberto Secundo synchronus vixit. XXVIII. SCHVTTERANO. * *Schutter.* * *Mortnau.* * *Colmar.* [b] Cap. 8.

Prætereà Dagobertus in sylua, quæ Superiori Mundato seu Rubiacho oppido vicina erat, erexit Cellam sancti Sigismundi, cui primum Abbatem sanctum Immerium præfecit. *Neque verò satis habuit*, inquit Coccius [c], *Religionis incremento, amplissimísque possessionibus cumulatè præbitis, Argentoratensis Ecclesiæ augere maiestatem, sed nouas insuper Deo dicatorum hominum colonias in nemus vicinum Superiori Mundato (vbi frequens illi sedes erat, ceruorum aprorúmque venationibus etiamnum opportuna) deducere meditabatur. Ad hanc rem insignem Basilicam exædificauit, D. Sigismundo Burgundionum Rege & Martyre, de cuius sanguine sanguinem per maternum genus trahebat, cooptato tutelæ patrono, eidémque domicilium adstruxit, Cellam S. Sigismundi primis seculis nuncupatam, quam* XXIX. [c] Cap. 16. ET SANCTI SIGISMVNDI.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

accitis D. Benedicti alumnis, iam tum sanctitatis famâ spectatissimis, habitandam tradidit; olim & deinceps quamplurimis magni nominis Principibus ac Præsulibus frequentatam. Illi Sanctum Immerium, virum doctrinâ & virtutibus eximium, licèt omnibus modis reluctantem, primum Abbatem præfecit. In hoc textu, sancti Benedicti loco nomen sancti Columbani restitue, vt monuimus suprà.

XXX. ABBATES CELLÆ S. SIGISMVNDI.

Apud eundem Coccium, nonnulli huius Cellæ Abbates ex manuscripto Codice recensentur hoc ordine. Primus ponitur sanctus Immerius, secundus, sanctus Seuerinus; quintus Arbogastus *de Araw*, nam tertij & quarti nomina desiderantur. Auctor istius Codicis Dagobertum Primum prædictæ Cellæ conditorem agnoscit, Immerium enim *anno* DCLXVIII. *cælis transcriptum* scribit, quo tempore Dagobertus Secundus nondum regnabat. In eadem opinione versatur Coccius. At vterque corrigendus. Auctor, qui Coccium decepit, sancti Immerij mortem anno Christi sexcentesimo duodeseptuagesimo collocauit; deinde anno pòst centesimo-tricesimo-secundo, id est, anno Christi octingentesimo, mortem Arbogasti retulit; itaut quatuor Abbatibus annos Abbatialis Præfecturæ duos ac triginta supra centum attribuerit. Commodiùs autem hæc annorum partitio fiet, si sanctus Immerius regnante Dagoberto Secundo regimen Monasterij consecutus dicatur. Coccius, quia Clodouei Magni mortem in annum Christi quingentesimum decimum-quartum distulit, & annos sexdecim, quibus Dagobertum Primum regnasse Fredegarius [a] scribit, à Clotarij patris obitu numerare cœpit, eiusdem Dagoberti Primi mortem *in annum restituta per Christum salutis sexcentesimum quadragesimum-sextum* reiecit [b]. Ab illo autem anno ad annum vsque Christi sexcentesimum duodeseptuagesimum, quo mortem sancti Immerij consignauit, anni duo supra viginti præterierunt. Quòd si tot annorum spatio sanctus Immerius Dagoberto Secundo, quo regnante suscepit administrationem Cœnobij, superstes vixit, ad annum Christi secundum supra septingentesimum peruenit, quia Dagobertus Secundus anno Christi sexcentesimo octogesimo ex hac vita discessit. Ita sentiendum putamus. Eo computo, ab obitu sancti Immerij ad mortem vsque Arbogasti Abbatis supererunt anni duntaxat nonaginta-octo, quos inter se proximi quatuor Abbates partientur.

[a] Cap. 79.

[b] Cap. 16.

XXXI. IMMERIVS PRIMVS ABBAS.

Immerius Cellæ sancti Sigismundi primus Abbas à Coccio [c] sic commendatur. *Cùm rebus humanis spretis, in eremo vitam egisset, ad Palæstinam & Hierosolymorum loca, Christi natalibus, vitâ mortéque, sacrosancta, religionis ergò abiit. Ibi, dum vili cultu & specie corporis indecorâ omnibus incognitus, terram Dei vestigiis impressam (vnde origo religioni) piè obitans circumlustrat, immanem griphonem multa cultoribus damna inferentem & venenato halitu virus afflantem, diuinâ virtute confecisse veterum monumenta perhibent.*

[c] Cap. 16.

XXXII. LAVS CELLÆ S. SIGISMVNDI.

Nec omittenda sunt hoc loco, quæ de prædicto Monasterio magnificè referuntur ab eodem Auctore. *Dagobertus hanc quam diximus Cellam, non tantùm Basilicæ & Cœnobij structurâ, sed & prædiorum, fundorum, villarum, ac vectigalium annonâ ita decorauit, vt & fratrum ibidem degentium & hospitum vltrò citróque commeantium multitudini par esset. Quin & Cœnobio Sancti Georgij in Hercynia sylua, cui iure patronatûs, vt vocant, posterioribus annis addicta in hanc diem perdurat, pro consuetudine Cellarum, quidquid ad alimoniam & vitæ subsidia vel necessitudo posceret, aut per loci Antistitem imperaretur, è D. Sigismundi Cella, rebus isthic florentibus, præbitum fuit, ac solatij causâ subinde pensitatum. Denique vt maiorem loco dignitatem Rex Dagobertus conciliaret, in fauoris copiam voluit Cœnobiarcham simul Episcopatûs Argentinensis Camerarium esse, tanquam in amplissimi honoris prærogatiuam, eundémque ad hoc muneris electum non nisi per Antistitem Argentoratensem ratum firmúmque haberi.*

XXXIII.

Monasterium sancti Georgij, quod in Hercynia sylua situm est, & in textu Coccij nuperrimè citato commemoratur, sua primordia non ad septimum seculum quo Dagobertus Secundus floruit, sed ad nonum duntaxat seculum refert. *Fundari cœpit*, inquit Bucelinus [d], *egregium Cœnobium, si vetustissimo MS.*

[d] In Germania Sacra, part. 1.

fides

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

fides, A. C. 813. *apud villam Neharteskirchung ab Hezilone & Hessonc viris illustribus, in allodio illius, absolutúmque est sub* A. C. 824. *rudi primùm opere, donec paulatim in magnum splendorem excresceret, viris deinceps Sanctißimis felicißimum, qui obscurißimam naturâ Herciniam, Firmamenti instar illustrem reddiderunt.* Nono igitur potissimùm seculo, cùm Monasterium sancti Georgij nondum diuiriis abundabat, Monachis illic degentibus, quicquid ad alimoniam & vitæ subsidia necessarium erat, è sancti Sigismundi Cella subministratum fuit, ac solatij causâ subinde pensitatum. Vt enim sunt incerti infaustique rerum humanarum casus, eadem Cella sancti Sigismundi, rebus iniuriâ temporum posteà labentibus, *primùm quidem in Prioratum sub Leone IX. denique in Præposituram anno salutis Christianæ* MCV. degenerauit, ac tandem Cœnobio sancti Georgij, quod olim suis opibus reficiebat, iure patronatûs, vt vocant, posterioribus annis addicta est.

XXXIV. EIVS PRIVILEGIA EXAMINANTVR.

Nihil obesse videtur, quominùs in more positum olim fuerit, vt electio Abbatis, qui Cellæ sancti Sigismundi præesse deberet, non nisi per Episcopum Argentoratensem rata firmatáque haberetur, vt Coccius asserit textu suprà citato. Sed ætate Dagoberti subsequentiúmque Regum, cùm Monasticus Ordo in Cella sancti Sigismundi plurimùm vigebat, Abbates istius loci negamus Camerarios Episcopatûs Argentinensis extitisse, quia id disciplinæ à Monachis illorum temporum obseruari solitæ multùm aduersabatur.

XXXV.

Extant [a] de sancti Sigismundi Monasterio versus omnino rudes atque inconditi, qui Dagobertum istius Cellæ conditorem probant, & propter antiquitatem habendi sunt in existimatione.

[a] Ap. Coccium cap. 16.

Deuotus seruus Francorum Rex Dagobertus
Præcipuum struxit diuino munere claustrum
Syluarum in nemore, atque hominum frequentiâ rarum,
At nomen Cellæ Sigismundi indidit ille.

XXXVI. AN DAGOBERTVS MATERNVM GENVS A S. SIGISMVNDO TRAXERIT?

Apud Coccium capite decimo-sexto iam citato Dagobertus *insignem Basilicam* exædificasse dicitur, *D. Sigismundo Burgundionum Rege & Martyre, de cuius sanguine sanguinem per maternum genus trahebat, cooptato tutelæ Patrono;* & apud eundem Auctorem ad annum Christi sexcentesimum secundum in epitome Chronographica idem Dagobertus *ex Bertrada Burgunda* natus perhibetur. Loquitur hic Scriptor de Dagoberto Primo, à quo Cellam sancti Sigismundi conditam arbitratur, eíque matrem affingit Bertradam, vxorem Clotarij Secundi, quam Fredegarius [b] in suo Chronico & Fridegodus [c] in vita sancti Audoeni, Bertetrudem, Anonymus [d] in Gestis Dagoberti Regis Francorum Berdetrudem vocat. De Clotarij Secundi liberis & vxoribus actum est Tomo superiore [e]. Clotarius tres duxit vxores, Hildetrudem, Bertetrudem & Sichildem, nec Dagobertum filium ex Bertetrude, vt Anonymus in Gestis Dagoberti Regis & Coccius existimarunt, sed ex Hildetrude suscepit. Nihil igitur nos adigit, vt assentiamur Coccio, credamúsque Dagobertum, qui Cellam seu Monasterium sancti Sigismundi construxit, natum esse matre Burgundâ, sanguinémque *per maternum genus* de sanguine eiusdem sancti Sigismundi traxisse. Chilpericus & Gundobadus fratres fuerunt, Reges Burgundiæ; genuit ille sanctam Chrotildem, hic sanctum Sigismundum. Beata Chrotildis, quæ sancti Sigismundi soror erat patruelis, Clodoueo marito Regi Francorum multos vtriusque sexûs liberos peperit, in quorum numero fuit Clotarius Primus, cuius trinepos Dagobertus prædictam sancti Sigismundi Cellam erexit. Aliam cognationem inter sanctum Sigismundum & Dagobertum, Cellæ, de qua loquimur, auctorem, nondum agnouimus.

[b] Capp. 43. 46.
[c] Cap. 32.
[d] Capp. 2. 5.
[e] Ad ann. 619. n. 6. & 628. n. 10.

XXXVII.

Quâ occasione eadem Cella nomen acceperit sancti Marci, quod etiamnum gerit, explicat etiam Coccius [f]. Id autem procul est à nostro instituto, post annum enim Christi millesimum contigit, cùm illa regio extra Franciæ metas esset. Hæc impræsentiarum de Monasterio sancti Sigismundi déque sancto Immerio illius loci primo Abbate sufficiant.

[f] Cap. 16.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

Inter Monasteria, quæ Dagobertus Secundus in Argentoratensi Diœcesi construxit, ponitur etiam Halelacense, de quo nos anno sequenti.

Ceterùm quæ de Cœnobiis ab illo Rege conditis enarrauimus, ea ne credas hoc anno gesta esse. Res multas, quæ diuersis temporibus actæ sunt, in vnum locum coniecimus, quia certas & indubitatas epochas singularum deprehendere non potuimus. Id vnum constanter asserendum arbitrati sumus

XXXVIII. arbitramúrque, quòd Dagoberti Secundi Regis erga Basilicas ac Cœnobia insignis munificentia, quam prædicauimus, ad annos referri debet, quibus Arbogastus Argentoratensem Episcopatum gessit. *Mon. Haselacense.* Coccius, licèt Dagober-

XXXIX. tum Secundum cum Dagoberto Primo confuderit, singulari tamen laude dignus est, quòd, vt ipsemet sub finem capitis vndecimi testatur, eo tantùm consilio scripserit, vt ostenderet *Dagoberti pietatem cultúmque religionis latiùs per Alsatiæ confinia diffusam fuisse, tum ne plantaria hæc Cœnobiorum & stirpes olim omnigenæ virtutis feraces, dum planè in obscuro latent, perirent funditus atque exarescerent.* Præter illas rationes, quæ magnæ semper apud nos auctoritatis fuerunt, accessit & alia, quæ nos Gestorum Dagobertinorum indagationi studiosiùs incumbentes non parum recreauit refecitque. *Quando a Dagoberto condita Monasteria.*

Alsatia redit in potestatem Francorum regnante Ludovico XIV. Alsatia, quam Dagobertus Secundus tot Ecclesiis ac Cœnobiis exornauit, post multorum seculorum eclypsim ad Francicam Monarchiam nostrâ ætate maxima ex parte rediit, atque in potestatem LVDOVICI XIV. Francorum Nauarræque Regis Christianissimi deuenit vi pacis apud Monasterium Westphalorum nono Kalendas Nouembris anno Christi millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo feliciter initæ, vt ex sequenti patebit articulo, quem ex Archetypo Archiui Regij fidelissimè descripsimus. *Imperator pro se totáque Serenissimâ domo Austriaca, itémque Imperium cedunt omnibus iuribus, proprietatibus, dominiis, possessionibus ac iurisdictionibus, quæ hactenus sibi, Imperio & familiæ Austriacæ competebant in Oppidum Brisacum, Landgrauiatum Superioris & Inferioris Alsatiæ, Suntgouiam, Præfecturámque Prouincialem decem Ciuitatum Imperialium in Alsatia sitarum, scilicet in Hagenaw, Colmar, Schleststatt, Weisenburg, Landaw, Oberenhaim, Rosheim, Munster in valle S. Gregory, Kaisersberg, Turinghaim, omnésque pagos, & alia quæcunque iura, quæ à dicta Præfectura dependent, eáque omnia & singula in Regem Christianissimum Regnúmque Galliarum transferunt, ita vt dictum Oppidum Brisacum cum villis Hochstatt, Niederrimsing, Harten & Acharben, ad communitatem ciuitatis Brisacensis pertinentibus, cúmque omni territorio & banno quatenus se ab antiquo extendit, saluis tamen eiusdem Ciuitatis Priuilegiis & Immunitatibus antehac à Domo Austriaca obtentis & impetratis. Itémque dictus Landgrauiatus vtriusque Alsatiæ, & Suntgoniæ, tum etiam Præfectura Prouincialis in dictas decem Ciuitates & loca dependentia, itémque omnes Vasalli, Landsassij, subditi, homines, oppida, castra, villæ, arces, syluæ, forestæ, auri, argenti aliorúmque mineralium fodinæ, flumina, riui, pascua, omniáque iura Regalia & appertinentiæ, absque vlla reseruatione, cum omnimoda Iurisdictione & Superioritate supremóque Dominio à modo in perpetuum ad Regem Christianissimum Coronámque Galliæ pertineant, & dicta Corona incorporata intelligantur, absque Cæsaris, Imperij, Domûsque Austriacæ vel cuiuscunque alterius contradictione.*

XL. *An divisio Episcopatuum Hispan. facta in Concil. Toletano XI?*

Hoc anno, *in vrbe Regia* Wiligothorum *Toleto, in beatæ Matris Domini Mariæ Virginis sede, à* XVII. *Episcopis, anno quarto* inchoato *Regni Gloriosi Principis Wambani, sub die* VII. *Idus Nouembris, Erâ* DCCXIII. celebratum est Concilium inter Toletana dictum vndecimum, cui præfuit subscripsítque *Quiricus, vrbis Regiæ Metropolitanus Episcopus.* In illo Concilio, vt Garsias *Loaisa* in suis notis obseruat, *factam esse legitimam Sedium Episcopalium diuisionem omnes Hispani Historici tradunt, Rodericus, Chron. generale, Tudensis, Vasæus & alij.* In illius tamen Synodi Capitulis, quæ numero sunt sexdecim, ne verbum quidem legitur de Sedium Episcopalium diuisione. Capitulo decimoquinto Patres statuunt, vt singulis annis Concilium cogatur. *Peractis*, inquiunt, *omnibus, quæ ad correctionem nostri Ordinis in hoc Concilio promulgata*

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

ſunt, placuit definire, vt paternis inſtitutionibus obſequentes omni anno ad peragendam celebritatem Concily in Metropolitana Sede, tempore quo Principis vel Metropolitani electio definierit, deuotis ſemper animorum ſtudiis confluamus: nec quibuſlibet requiſitis occaſionibus abſentemur, ſed in præfato die, quo indictum fuerit, adunatis in Metropolitana Sede omnibus Pontificibus, Concilium Deo Præſule celebretur. Quiſquis autem Epiſcoporum, exceptâ ineuitabili causâ, vel neceſſitate, de peragendo ſe Concilio abſentauerit, vnius anni excommunicatione plectendus eſt. In Concilio Toletano quarto, quod *anno III. regnante Glorioſiſſimo Domino Principe Siſenando, die nono Decembris Erâ* DCLXXI. ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio celebratum eſt, Epiſcopi ſexaginta duo iam decreuerant, vt quia iuxta antiqua Patrum Decreta, de quorum nonnullis alibi locuti ſumus, bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinebat, ſaltem vel ſemel haberetur. Initium enim Articuli tertij concipitur in hæc verba. *Nulla penè res diſciplina mores ab Eccleſia Chriſti depulit, quàm Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis vniuerſaliter definitum eſt, vt quia iuxta antiqua Patrum Decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non ſinit, ſaltem vel ſemel à nobis celebretur.* In eodem Articulo duo genera Conciliorum diſtinguuntur. Alia ſunt Generalia ſeu Nationalia, quæ conuocantur ex vniuerſo Regno Wiſigothorum; alia Specialia ſeu Prouincialia, quæ fiunt in ſingulis Prouinciis ab vnoquoque Metropolitano. Diſtinguuntur & cauſæ, propter quas haberi debeant Synodi vel Generales vel Speciales; indicuntur Generales, ſi cauſa fidei eſt aut alia Eccleſiæ communis; Speciales, ſi nec agendum eſt de fide nec de communi Eccleſiæ vtilitate. *Si cauſa fidei eſt, aut quælibet alia Eccleſia communis, Generalis totius Hiſpaniæ, & Galliæ*, id eſt Galliæ Gothicæ, quæ Wiſigothis vt Hiſpania ſubiacebat, *Synodus conuocetur: ſi verò nec de fide, nec de communi Eccleſiæ vtilitate tractabitur, Speciale erit Concilium vniuſcuiuſque Prouinciæ, vbi Metropolitanus elegerit peragendum.* Habitâ ratione prædictarum definitionum haud poſſumus iis aſtipulari, qui diuiſionem Sedium Epiſcopalium regnante Wambâ in Concilio Toletano vndecimo factam volunt. Illam diuiſionem in poſterius Concilium, cuius Acta perierint, Baronius [a] iam reiecit. Vt ita quoque ſentiamus, duæ res non leuiter nos impellunt. Wamba poſt vndecimum Concilium Toletanum regnauit annos fermè quinque, poſt Eram tamen ſeptingenteſimam decimam-tertiam, quâ Synodi Toletana vndecima & Bracarenſis tertia celebratæ ſunt, nulla legitur habita ſub Wambæ Principatu, quis autem ſibi perſuadeat ſanctionem Concilij Toletani vndecimi, quæ Synodum ſingulis annis fieri præceperat, per annos quinque proximè ſecutos continuò neglectam fuiſſe? Deinde diuiſio Sedium Epiſcopalium ad communem Eccleſiæ vtilitatem ſpectabat, &, iuxta Decretum Synodi Toletanæ quartæ ſuprà recitatum, fieri debuit in Concilio Generali ſeu Nationali, quod ex omnibus ditionibus Wambæ conuocatum eſſet; Concilium autem Toletanum vndecimum, cui ſeptemdecim duntaxat Epiſcopi, duóque Vicarij qui vices ſuorum Pontificum agebant, omnes ex Prouincia Toletana, ſubſcripſerunt, Speciale fuit ſeu Prouinciale.

CONCILIA DVPLICIS GENERIS, NATIONALIA, PROVINCIALIA.

[a] Tom. 8. ad an. 675. n. 4.

QVALE TOLETANVM XI?

XLI. Garſias *Loaiſa* in notis ad Concilium quod apud Lucum ſub Theodomiro Sueuorum in Hiſpania Rege celebratum eſt, Indices Sedium Hiſpanienſium ex manuſcriptis Codicibus Eccleſiarum Ouetenſis ac Toletanæ deſcripſit. Codicis Ouetenſis Characteribus Gothicis exarati tale eſt initium. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Incipit numerus Sedium Hiſpanienſium, & vniuſcuiuſque Prouinciæ Sedes ſuo Metropolitano ſubſcriptæ, vſque in Rhodanum amnem, id eſt, Metropoli Toleto ſubdita, Oreto, Beatia, Menteſa, Acci, Baſti, Vrgi, Bagaſtri, Illici, Setabis, Dianium, Valeria, Valentia, Secobriga, Arcabrica, Compluto, Segontia, Oxoma, Secobia, Palentia. Sub vno* XX. Id eſt, in Prouincia Toletana viginti ſunt Epiſcopi, Metropolitanus videlicet, & vndeuiginti qui Me-

PROVINCIA TOLETANA.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2.

tropolitano subsunt. In aliis libris manuscriptis Ecclesiarum Toletanæ & Ouetensis extat *diuisio terminorum Diœcesium & Parochiarum Hispaniæ à Wamba Rege facta.* Operi præponitur hæc Wambæ Regis commendatio. *Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit, eíque oculos euellere præcepit, & ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuersus, discordésque Pontifices cò quòd alÿ aliorum Parochias inuadebant, ad concordiam studuit reuocare. Fecit & Chronicas Regum priorum coram se legere, vt faciliùs posset terminos Parochiarum diuidere, sicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris censura, & iura propria qualibet Ecclesia possideret.* Tum Metropoles cum Sedibus subiacentibus enumerantur. *Toleto Metropoli subiacent hæ Sedes, Oretum, Beatia, Mentesa, Acci, Basti, Vrgi, Bigastrum, Illici, Setabis, Denia, Valentia, Valeria, Secobrica, Arcabrica, Complutum, Segontia, Oxoma, Secobia, Palentia.* Illarum viginti Sedium, de quibus Codices mirè consentiunt, Episcopi omnes aut eorum Vicarij, si Mentesanum excipias, vndecimo Concilio Toletano subscripserunt. *Quiricus, vrbis Regiæ Metropolitanus Episcopus; Athanasius, Setabitanæ Ecclesiæ Episcopus; Argemundus, Oretanæ Ecclesiæ Episcopus; Ioannes, Bigastrensis Ecclesiæ Episcopus; Godiscalcus, Oxomensis Ecclesiæ Episcopus; Leander, Ecclesiæ Illicitanæ, qui & Elotanæ, Episcopus; Felix, Ecclesiæ Dianiensis Episcopus; Suinterius, Ecclesiæ Valentinæ Episcopus; Palmatius, Ecclesiæ Vrcitanæ Episcopus; Ricilla, Ecclesiæ Accitanæ Episcopus; Rogatus, Ecclesiæ Beatiensis Episcopus; Etherius, Ecclesiæ Bastitanæ Episcopus; Concordius, Ecclesiæ Palentinæ Episcopus; Acisclus, Ecclesiæ Complutensis Episcopus; Memorius, Ecclesiæ Segobriensis Episcopus; Egica Ecclesiæ Seguntiensis Episcopus; Gaudentius, Ecclesiæ Valeriensis Episcopus; Libertus Diaconus, agens vicem Domini Sinduiti, Ecclesiæ Segobiensis Episcopi; Egila Diaconus, agens vicem Domini Mumuli, Ecclesiæ Arcanicensis Episcopi.* De situ ciuitatum, in quibus hæ Sedes Episcopales erant, Mariana [a] Scriptor ætati nostræ proximus ita disserit. *Toletano Præsuli Oretanus Episcopus subiectus erat. Extat Oreti vestigium, octo passuum millibus ab Almagro municipio, Virginis Matris Sacellum cognomento Oretanæ, atque ex eo loco Almagrum translati lapides Oreti nomine inciso. Biatia, quæ hodie Baeza. Mentesa, quæ nostrâ ætate Montizon nuncupatur versùs Casorlam sita, & à Duce olim Mauro excisa, Auctore Roderico, quo tempore à Mauris euersa est Hispania. Acci, hoc est, Quadixium. Basti, Baza. Vrci, quibusdam hæc Almeria, aliis Murcia fuisse creditur. Bagasta; huius vrbis nullum vestigium extat, tantùm versùs Orihuelam sita fuisse putatur, tum ex locorum ordine, tum ex porta Magastri nomine, quæ in ea vrbe est, indicio. Illici, Helche. Setabis, Xatiua. Tum nomen retinens Denia, quæ antiquioribus Dianium fuit. Et Deniæ vicina Valentia. Sequitur Valeria, quæ hodie vulgò Valeria cremata dicitur. Segobrica; huius vrbis vestigia ab Vreesia octo passuum millibus in oppido, quod Græci caput vocatur, extare eruditiores habent persuasum, nam qui Segorbium putarunt, nominum eos similitudo misit in errorem. Arcabica; hæc olim Segobricam inter & Complutum sita fuit, fortassis quæ Ptolemæo Percabita est. Præterea quarum appellationes notæ sunt, Complutum, Segontia, Vaxama, Segobia, Palentia.*

[a] L.6.c.15.

XLII. PROVINCIA NARBONENSIS.

In prælaudatis Codicibus enumerantur sex Prouinciæ; Toletana, de qua suprà; Spalensis, Meritensis siue Emeritensis, Bracarensis, Tarraconensis, de quibus hîc nobis non est agendum; & Narbonensis, cuius Sedes in Codice Ouetensi Gothico sunt nouem, *Narbona, Beterris, Agatha, Magalona, Nemauso, Luteba, Carcasona, Tolosa, Elna*; in aliis Codicibus sunt tantùm octo, *Narbona, Beterris, Agatha, Magalona, Nemauso, Luteba, Carcasona, Elna.* Posterior hæc Prouinciæ Narbonensis descriptio priori præstat, quia Tolosa, postquàm Clodoueo Magno deditionem fecit, in potestatem Wisigothorum numquam rediit. In illis autem descriptionibus, nec Ruteni nominantur, nec Albiga. Neutram igitur harum ciuitatum arbitrare in ditione Wisigothorum fuisse, cùm Wamba Wisigothorum Rex tumultum Galliæ Gothicæ compescuit, licèt aliter scribat Rodericus [b] Toletanus, quem ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-tertium [c] refutauimus.

AN RVTENI ET ALBIGA PERTINVERINT AD WAMBAM?

[b] L.3.capp.4. 11.

[c] Num.39.

In Codicibus Ecclesiarum Toletanæ & Ouetensis, in quibus posterior delineatio Prouinciæ Narbonensis inuenitur, hæc habentur sub finem. *Omnia suprà scripta legit Gloriosus Rex Wamba in Concilio Toletano, vbi omnes Archiepiscopi & Episcopi conuenerant, qua subscriptione omnium confirmata sunt, Quiriaco Toletano Archiepiscopo Primatiæ dignitate & fide Catholicâ consistente.* Facta fuit igitur Episcopatuum Hispaniensium diuisio in Concilio Toletano Generali seu Nationali *duarum Hispaniarum*, id est, omnium Ecclesiarum, quæ intra fines Wisigothicarum ditionum cùm in Gallia tum in Hispania consistebant, non autem in Prouinciali seu Speciali Prouinciæ duntaxat Toletanæ, quale fuit Toletanum Vndecimum, quod hoc anno, post Christum natum sexcentesimo septuagesimo-quinto, celebratum est à nouemdecim Episcopis Prouinciæ Toletanæ. Lege quæ Tomo primo [a] dicta sunt de Septimania, quæ variis nuncupationibus Gothia, Gallia Gothica, Prouincia Narbonensis & Hispania citerior appellatur. AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2. XLIII.

[a] Ad an. 524. n. 5. & ad an. 531. nn. 9. 13.

Ex prædictis parent duo, quæ probare nisi sumus; vnum aduersùs communem Hispanorum sententiam, qui diuisionem Parochiarum Hispaniensium in Concilio Toletano Vndecimo factam contendunt; alterum aduersùs Rodericum Toletanum, qui Rutenos & Albigam ad Wambæ Regis Principatum pertinuisse scribit. XLIV.

Wamba *regnauit annis octo, mense vno, diebus quatuordecim.* Regnum enim suscepit Calendis Septembris, anno Christi, vt probatum est suprà, sexcentesimo septuagesimo-secundo, abdicauitque *pridie Idus Octobris, die Dominico, anno salutis sexcentesimo octogesimo.* Hæc distinctè Mariana [b]. In Kalendario, pridie Idus Octobris notatur litera G. Annus autem Christi sexcentesimus octogesimus, quia bisextilis, Dominicalibus literis A & G præditus fuit. Apud Rodericos Episcopos Toletanum & Palentinum aliósque non paucos rerum Hispanicarum Scriptores Wamba Regno per annos nouem potitur. At quinto Idus Ianuarias, Erâ septingentesimâ decimâ nonâ iam regnabat Eruigius Wambæ successor, vt ex Actis Concilij Toletani Duodecimi constat, quorum hoc est initium. *In nomine Domini. Acta Synodalia Concily Toletani Duodecimi, apud vrbem Regiam celebrata, sub die quinto Iduum Ianuariarum, Erâ* DCCXIX. *Anno primo Orthodoxi atque Serenissimi Domini nostri Eruigy Regis, cùm ex glorioso prædicti Principis iussu in vnum fuissemus aggregati conuentum*, &c. XLV. QVANDO EXAVCTORATVS WAMBA?

[b] L. 6. c. 14.

Wamba, cùm hausto veneno in morbum incidisset, acceptâ pœnitentiâ Monachus ex Rege factus est. Qua de re sic Rodericus Toletanus [c]. *Eruigius in Palatio nutritus, processu temporis, honore Comitis sublimatur, mortuóque Cindasuindo in superbiam eleuatur, & contra Regem Bambam factionem incepit callidè cogitare, & Regis potui ingessit herbam, per quam Regis memoria turbaretur. Cúmque Quiricus Episcopus vrbis Regiæ & Optimates Palatij intelligerent Regem memoriâ destitutum, & causam penitus ignorarent, ne Rex Catholicus sacramentis fidei fraudaretur, statim confessionis & pœnitentiæ antidotum obtulerunt.* Quirici loco restituendum putamus Iulianum, hic enim Eruigium Regem Wambæ successorem inunxit, vt Patres, qui Concilium Toletanum Duodecimum proximo mense Ianuario celebrarunt, capitulo primo testantur. *Wamba*, inquiunt, *dum incuitabilis necessitudinis tenetur euentu, suscepto Religionis debito cultu, & venerabili tonsura sacra signaculo, mox per scripturam definitionis suæ, hunc inclytum Dominum nostrum Eruigium, post se praelegit regnaturum, & Sacerdotali benedictione vngendum. Vidimus, intuitu prælucente perspeximus huius præmissi ordinis scripturas, id est, notitiam manu Seniorum Palatij roboratam, coram quibus antecedens Princeps & Religionis cultum & tonsura sacra adeptus est venerabile signum, scripturam quoque definitionis ab eodem editam, vbi Gloriosum Dominum nostrum Eruigium post se fieri Regem exoptat; aliam quoque informationem iam dicti viri, in nomine honorabilis & sanctissimi fratris Iuliani Toletanæ Sedis Episcopi, vbi eum separauit pariter, & instruxit, vt sub omni diligentia ordine iam dictum Dominum nostrum Eruigium in Regno vngere deberet, & sub omni diligentia, vnctionis* XLVI.

[c] L. 3. c. 12.

AN. CH. 675. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 2. XLVII.

ipsius celebritas fieret. In qua scriptura, & subscriptio nobis eiusdem Wamba Principis claruit, & omnis euidentia confirmationis earumdem scripturarum sese manifestè monstrauit.

Hæc autem studiosiùs inuestiganda duximus, quia Concilio, in quo facta est Episcopatuum Hispaniensium diuisio, Quiricus præfuisse dicitur, & in illa diuisione delineatur Prouincia Narbonensis seu Gallia Gothica, qualis tunc Wambæ Wisigothorum Regi paruit, nec aliunde validius erui potest argumentum aduersùs Rodericum Toletanum, qui Rutenos & Albigam eiusdem Wambæ potestati subiacuisse finxit.

676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

ANNVS CHRISTI 676.
THEODORICI III. R. 3.
DAGOBERTI II. R. 3.

I. ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto, cùm Leodegarius Augustodunensis Episcopus in exilio biennium ferè mansisset, in conspectum Theodorici Regis productus fuit. *Cùm eum*, inquit Vrsinus, *custodibus tradidissent, in quoddam Cœnobium perduxerunt, vbi biennium ferè latuit, & magnum reliquit patientia & humilitatis exemplum.* Hæc ad Chronologiam. Gairinum vnà cum Leodegario fratre in præsentiam Theodorici Regis & Ebroini productum docet idem Auctor his verbis. *Eodem tempore eius germanus nomine Gairinus, qui ob metum Ebroini cum aliis ab eo profligatis Francorum Proceribus, aliis in locis degebat, iussu Regis Theodorici & Principis Ebroini, ad Palatium Regis reuerti compulsus est. Simul etiam beatus Leodegarius ex Monasterio, in quo tenebatur absconditus, in Regis Theodorici præsentiam adduci iussus est.* Deinde quid vterque passus sit ab Ebroino, sic exponit. *Cùm ambo fratres in Principum conspectum venissent, multis contumeliis & opprobriis affecti ab Ebroino, illi sic respondisse feruntur. Nos quidem dignè hæc patimur, quia peccauimus Domino, sed maior tamen eius clementia est, qui nos dignatus est ad tantam gloriam vocare. Tu verò miser Ebroine, qui tantam iniuriam irrogas Francorum genti, teipsum potiùs vlcisceris, dum aliis vitam auferre cupis. Multos quidem decepisti, & à paterno solo exulare compulisti, at tu ipse magis etiam exul eris, quandoquidem & temporalem & æternam gloriam citò perdes, dum enim totius Francia homines excellere meditaris, tuam, quâ indignus præditus es, gloriam amittis. Hæc vt audiuit Ebroinus, furore magno correptus, iussit ministris, vt Gairinum à Leodegario separarent, vti separatim punirentur, nec possent coniunctim eiusmodi sermones proferre. Cùm ergo abduceretur Gairinus, beatus Leodegarius dixit ei. Æquo feras animo, frater charissime, quòd nos isthac pati oporteat. Non enim sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Peccata quidem nostra multa sunt, sed supereminet magna Dei Omnipotentis misericordia, qui ad abluenda se laudantium delicta semper paratus est. Et nos ad breue tempus hac patimur, quia mortis debitores sumus. Sed si patienter tulerimus, illa nos expectat vita, vbi sine fine letabimur in cælesti gloria. Deinde ministri ad palum alligatum Gairinum lapidibus obruere cœperunt. At ille deprecabatur Dominum, ita dicens. Domine Iesu Christe, qui non venisti vocare iustos sed peccatores, suscipe spiritum serui tui, & qui me eâ gratiâ dignatus es, vt instar Martyrum lapidibus vitam istam mortalem amitterem, mihi quoque, clementissime, des veniam scelerum meorum. Hac dicens inter verba orationis supremum efflauit spiritum. Et beatus quidem Leodegarius cupiebat cum fratre sanguinem fundere, vt simul mererentur coronari. Sed Ebroinus eius obi-*

GAIRINVS COMES MARTYRIO CORONATVR.

AN. CH. 676. THEODOR. III: DAGOB. II. RR. 3.

tum differre volens, vt per pœnas diu productas ei æternas quoque conciliaret, & ne coronâ frueretur martyrij, immò verò etiam præmiis gloriæ sempiternæ priuaretur, iussit eum nudis pedibus per quandam piscinam traduci, in quâ erant petræ instar clauorum acutæ, deinde euulsis iam oculis humi eum prosterni, linguámque & labia incidi, vt ablatis oculis, pedibus contritis & conscissis, linguâ & labiis incisis, membrorum vsu erepto, corporis viribus omni ex parte eneruatis, vt nec oculis posset terram cernere, nec pedibus ingredi, nec linguæ officio laudare Creatorem, tandem in blasphemiam rueret, atque ita salute omni priuaretur, quam, laudando Deum, sibi ingentem cælitus obtinuisset. At verò qui sine voce corda audit Deus, magísque rogatur corde contrito, quàm elatione superborum, vocem tacentis propensiùs audiuit, quàm elatè loquentis. Ille enim vir sanctus diuinum implorabat auxilium, non sono vocis sed cordis humilitate. Nam cùm se omni humano præsidio destitutum cerneret, totis viribus diuinum sibi adesse poposcit. Itaque quantùm humana impietas eum à supernis abstrahere moliebatur, tantùm pietas diuina erigebat ad cælestia. Porrò Ebroinus quemdam accersiens virum, cui nomen Waningus. Tu accipe Leodegarium, inquit, quem aliquando vidisti virum superbum, & tutâ eum custodiâ asserua. Aderit enim quandoque tempus, vt ab inimicis suis recipiat quod meretur. Quo accepto, ad suum perduxit Cœnobium, quod vocatur Fiscapnum, vbi erat Congregatio Sanctimonialium ac Virginum, quibus præerat Childemarcha famula Christi. Anonymus multò distinctiùs explicat quæ Leodegario contigerunt, ex quo traditus in custodiam fuit Waningo quem Waringum vocat. *Sanctum Leodegarium*, inquit, *diutiùs ad vindictam seruauerunt viuum, & turpiter denudatum per platearum palustra iusserunt pertrahi nudum, cúmque ad vindictam quasi deformatum tradiderunt viro nomine Waringo, vt sub eius graui dominio emitteret cruciatus spiritum. Cui ait iniquus Ebroinus. Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidisti virum superbum, & constitue sub tua custodia. Erit enim citò tempus suæ vocationis, recipiens quod meritus est ab inimicis suis. Cùm enim longè eius esset hospitium, sanctum Dei Martyrem imposuerunt in vili iumento. Et vt cognouit ita esse impletum, corripuit hunc Psalmi versiculum; vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Et cùm labia non haberet neque linguam, silere non potuit laudes Dei mens deuota, quas voce quâ valuit insonuit de cordis arcano. Cúmque omnes cernerent eum sic grauiter cruentatum, crediderunt quòd tantis pœnis affectus statim redderet spiritum. Etenim cùm vnus è nostris fratribus Abbas nomine Winobertus prædictum sanctum Dei vsque ad hospitium secutus fuisset, deprecans custodes, vt libenter ei ad eum accedere non negarent. Vt autem tandem obtinuit, repperit eum iacentem in stramine, opertum de vetusto panno tentorij tenui spiritu palpitantem. Et dum illum ad præsens crederet expirare, insperatum inuenit miraculum. Nam inter sputamina sanguinum incisa lingua sine labiis solitum reddere cœpit eloquium. Et quia defectio labiorum ordines nudauerat dentium, tamen ab intro afflatu dante sonitum reddiderunt verborum. Tunc is, qui ei funeris excubias venerat exhibere ad transitum, cœpit flere præ gaudio, concito gradu Hermenario Episcopo nunciat factum. Ipse quoque audiens, Waringo postulabat aditum ad Dei Martyrem accedendum. Cumque etiam sui merito ei fuisset concessum (omnes enim vt leonem iratum metuebant sæuum tyrannum) vulnera eius studuit diligenter curare, & arte quâ valuit potu cibóque reficere, vestéque quam habuit meliorem induere. Non enim vt terreno homini, sed vt Martyri, qui iam cælestia petisset, reuerenter honorem impertiuntur. Quâ de re non solùm indulgentiam de præteritis, verùm etiam benedictionem ab eo promeruit de futuris. Postquàm enim Waringus eum perduxit ad propria, Dei comitante gratiâ, cœperunt velociùs eius contra naturam recrescere labia vnà cum lingua, necnon & verba vidi vltra solitum ab eius ore indesinenter effluere. Cùm hoc miraculum cognouisset Waringus, non obdurat animum contra eum impendere ei malum, vt à tyranno fuerat iussum, sed versâ vice iam Dei Martyrem recognoscens, tunc eum acceptum ad suum perduxit Cœnobium, quod vocatur Fircanum, vbi erat Congregatio Sanctimonialium ac Virginum, quibus præerat Childomarca famula Christi.* Ex illo textu patet id verum esse quod ante biennium à

LEODEGARIVS GAIRINI FRATER AD MON. FISCAMNENSE PERDVCITVR.

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

nobis obseruatum fuit, Hermenarium Abbatem in locum exulis Leodegarij subrogatum fuisse apud Æduos Episcopum ab Ebroino. Leodegarius Gairino fratri superstes vixit biennio. Vtriusque nomen relatum fuit in Tabulas Ecclesiasticas sexto Nonas Octobris. Illo enim die Leodegarius Martyrium consummauit teste Vrsino, de die verò quo Gairinus lapidibus obrutus est, altum apud Authores silentium. Vocatur hic variis nominibus Gairinus, Garinus, Gerinus, Girenus, Gaerinus & Gairoenus.

II. MATREM SVPER OBITV FRATRIS PER EPISTOLAM SOLATVR.

Post mortem Gairini, Leodegarius eius frater scripsit epistolam, quâ Sigradam matrem suam super obitu filij consolaretur. Agebat Sigrada Suessione vitam monasticam in puellari Cœnobio beatissimæ Virginis sub Ætheriæ siue Itheriæ Abbatissæ disciplina. Leodegarius literas suas Sigradæ matri sic inscribit. *Dominæ & Sanctissimæ genitrici Sigradæ, quæ anteà per cognationem carnis, modò per coniunctionem spiritûs facta es vera mater, & impletum est illud quod sancta veritas dicit,* [*Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror & mater est,*] *Leodegarius seruus seruorum Iesu Christi Saluatoris nostri, gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.* Ex variis locis sacræ Scripturæ probat tribulationes huius seculi momentaneas esse parituráſque gaudium sempiternum. Deinde Gairini fratris necem non tristitiæ sed lætitiæ causam esse sic pronuntiat. *O felix mors, quæ vitam tribuit; felix amissio rerum, quæ diuitias restituet sempiternas; felix tristitia, quæ gaudium affert Angelorum! Impræsentiarum probasti quantùm clementissimus Dominus Iesus Christus misertus est tui, qui deuotionem spiritualem & custodiam sanctæ disciplinæ & contemptum mundi tibi habere concessit, & pignora vteri tui de ærumna huius sæculi & de errore præsentis vitæ eripuit, & dedit spem vitæ æternæ iis quos lugere poteras quasi mortuos, si superstites reliquisses in mundo, de quibus non est habenda mæstitia, sed multimoda gratiarum actio referenda Deo Patri & Domino Iesu Christo.* Postremò statum monasticum, quem mater complexa est, cum cura seculari, quam illa dimisit, ita comparat. *O bona Domina, quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendere potest, qualiter in præsentem vitam te Dominus remunerauit. Audi & ausculta. Pro obsequio famulorum dedit tibi omnes fratres sanctos, qui quotidie pro te orant. Pro seruitio ancillarum dedit tibi sorores sanctas, quarum consortio frueris. Pro labore præsentis vitæ, quietem in Congregatione Monasterij. Pro amissione rerum, Scripturam diuinam, & meditationes sanctas, & orationem assiduam. Pro amissione parentum, habes venerabilem & sanctam Dominam Etheriam Abbatissam. Est tibi mater, est tibi soror, est tibi filia. Tu itaque ei vicissitudinem redde, quia, vt certus sum, in Christo Iesu est vobis cor vnum & anima vna.* Literas integras publicauit Petrus Labbeus [a] in sua Bibliotheca. Secuti sumus exemplar, quod Diuione transmissum singulari beneuolentiâ Domini Philiberti *de la Mare* Senatoris Diuionensis accepimus.

[a] Tom. 1.

III. INITIA MONASTERII QVINCIACENSIS.

Iisdem temporibus iacta sunt in Diœcesi Pictauiensi prima fundamenta Monasterij Quinciacensis à Philiberto Abbate Gemmeticensi, qui Gemmetico expulsus Cœnobium in Herio Insula tunc administrabat. Originem Monasterij Quinciacensis aperit Fulbertus [b] in vita sancti Aichardi, qui plurimùm illud auxit locupletauitque, deinde sancto Philiberto, vt suo loco dicturi sumus, in regimen Gemmeticense successit.

[b] Ap. Surium, d. 15. Sept.

IV. SCHIWARDVS MVNIFICVS ERGA CONDEDVM PRESBYTERVM.

Condedus Presbyter, cuius mentionem anno priori fecimus, VI. *Idus Octobris* hoc anno, siue, vt in eius vita manuscripta legimus, *sub anno tertio Regis Theodorici, qui erat Lantberti Abbatis Fontanellensis annus nonus*, possessiunculas à nobili Schiwardo collatas accepit.

V.

Idem Lantbertus, antequàm ex Abbate Fontanellensi, vt post biennium dicemus, Episcopus Lugdunensis fieret, his circiter temporibus Ærmenlandum Monachum ac Presbyterum cum aliquot Sodalibus direxit ad Pontificem Namnetensem, nomine Pascharium, qui magno studio Monasterium in sua Diœcesi volebat erigere. Rem, prout gesta est, Auctor synchronus in eiusdem

Ærmen-

AN.CH. 676.
THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.
HERMELANDVS MONACHVS FONTANELLENSIS,

Æ̀rmenlandi vita sæpè iam laudata sic descripsit. *Eo tempore quo prædictus vir Domini Ærmenlandus talibus in Cœnobio* Fontanellensi *pollebat virtutibus, piæ recordationis Paschariws Episcopus Namnetensem pastorali curâ regebat Ecclesiam. Quodam verò die dum sub bifario habitu Ecclesiastici ordinis, Clericorum scilicet atque laicorum, summa charitatis vinculo connexum, dapibus vitæ cælestis, iuxta vtriusque gradûs conuenientiam, commissum reficeret gregem, & quid vtrique congrueret ordini, celebri dissereret facundiâ, tertij etiam gradûs videlicet Monachorum, qui catenus incolis occidui litoris Oceani penè expers habebatur, mentionem faceret, perfectiorémque ceteris ex ipsius veritatis voce ostenderet dicentis, [si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me,] diuino statim omnes animati spiramine, deuotis precibus suum exorauerunt Pontificem huius ardore desiderij plùs omnibus flagrantem, quatenus huius ordinis quaquauersum dignaretur viros perquirere, qui in eorum medio, si congruus reperiretur locus, huius perfectionis exercerent vitam. Fatebantur enim se de Domini pietate tantùm confidere; quia si huius vitæ viri inter eos commorarentur, esto admirandum paucis, ad intercedendum tamen omnibus indigenis illius terræ eos prodesse posse. Considerans verò idem Antistes suum populíque cor, adspirante Domino huius rei voto, vnius voluntatis effectum, eos audire non distulit, quin potiùs eorum gratulabundè annuens precibus maturiùs ad venerabilem Lanbertum Abbatem, qui tunc Fontanellæ Cœnobium sub sacro habitu vitæ monasticæ gubernabat, strenuos direxit nuncios exorans per eos eius Sanctitatem, quatenus illius largitate suum populíque desiderium votorum obtineret effectum. Qui benedictione sui Pontificis muniti atque ab eo egressi iter carpendo sacrum ad Fontanellæ Monasterium, Domino duce, agiliter peruenerunt. Cúmque à fratribus benignè suscepti atque venerabili Lanberto fuissent exhibiti, ex præcepto sui Patris talibus eum allocuti sunt dictis. Vestræ Sanctitatis nimiùm amator Paschorius Pontifex, deuotione flagrans sacrâ, precibúsque vniuersæ plebis sibi commissæ instigatus, æstuanti desiderat voto, quatenus in eius parochia Monachi, se eis locum præparante, vitam regularem exempli gratiâ ad profectum Sanctæ Ecclesiæ perpetuámque laudem teneant Dei. Ediscens autem, famâ vestræ Sanctitatis longè latéque peruolante, vestram Congregationem venustate huius religionis plùs ceteris clarescere, precatur vt vestra ei sancta largitas religiosissimos mittat Monachos, qui hanc vitam optimè tenere aliísque tradere sciant, vt ea, quæ desiderat, per eos implere valeat. Qui cùm tali deuotione Sacerdotem Dei cum plebe sibi commissa feruere cognosceret, primùm omnipotentissimæ indiuiduæque Trinitati summas retulit gratias, deinde vocato beato Ærmenlando Monacho petitionem venerabilis Paschary iterum coram eo exponi iussit, ac demum responsum in hunc modum dedit. Vota quidem filij karissimi Pasquarij, eiúsque sancti gregis constat, sicuti diuinitus inspirata, sanctissimâ redolere deuotione, atque ideo vt particeps tanti voti esse merear, licèt magno destituar solatio, petitionem à nostra paruitate postulatam, per carissimum mihi hunc fratrem Ærmenlandum, aliis cum eo patribus missis, perficere studerem, si certissimè nossem ab eo ita Cœnobium constitui, vt futuris temporibus fratres in eo constituti, quantùm ab eo vitari potest, nullius infestatione turbarentur. Vita siquidem nostri Ordinis summam expetit quietudinem, & nihilominùs magnum patitur dispendium, cùm intentè cælestia contemplatur, si querimoniis prauorum à supernorum auocetur inspectione. Si igitur in sua Ecclesiæ prædio Cœnobium construxerit, in quo isti, quos mittimus, aliíque diuinitus inspirati, eorúmque prouocati exemplo, conuersi è seculo habitent, temporibus quidem eius fortassis optatâ vti pace valebunt. Post obitum verò, si ipsum Cœnobium sub dominio sui successoris reliquerit, magnis, sicuti in nonnullis Cœnobiis actum esse comperimus, cupiditatis instinctu, prauorum turbabuntur inquietudinibus, itaut necessitas eos inde exire compellat, & errabundos circumquaque vagori cogat. Mihi verò, si ita euenerit, qui commissos illuc dirigo Monachos, multùm incumbet periculi, illíque nihil augetur mercedis. Si autem pro paruæ retributionis intuitu Monasterium ædificare desiderat, hortor vt Regalibus manibus tuendum committat, & vt Regis Clementia talem Præceptionem facere dignetur, vt nulla alia potestas maligno instigata*

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

ſpiritu, omni dominationis occaſione ſublatâ, moleſtiam habitantibus in eo ingerere audeat, quatenus Regali defenſi præſidio pro eius totiúſque ſui Regni perpetua pace liberè, remotâ prauorum impulſione, Chriſti interpellent clementiam. Noli, inquiunt, noli cunctari talibus ſuſpicionibus, Pater. Nam certiſſimè de bonitate Patris noſtri Paſquarij confidere potes, quia iuxta tui oris imperium, omnem huius operis cauſam, Domino iuuante, perficiet. Tunc nunciorum ſponſionibus firmatus dixit beato Ærmenlando. Nimiùm tuâ, cariſſime frater, fidens religione, quamuis tuâ corporali abſentiâ maximum diſpendium mihi euenire non ambigam, te ad venerabilem Paſquarium cum duodecim fratribus, quorum te in mea viciſſitudine Patrem conſtituam, mittere volo, vt tuo dictante magiſterio Monaſterium, ſicuti optat, conſtruat. Nihil tamen ex hoc ſine tua definitione agere temptabo, ſed omnem huius negotij cauſam tuo prudenti committo iudicio. Ne, quæſo, inquit vir ſanctus, mi Pater, digneris ſuper hoc noſtram elicere voluntatem, quam, pro Chriſto, tuo tradidi arbitrio, ſed quocumque me miſeris, libentiſſimè ac ſi diuinitus mihi imperetur, ire conabor, tantùm Domini voluntas & tua fiat. Tunc iſdem Pater gaudio repletus, eius præclaræ congratulans obedientiæ dixit. Eia, fili mi, arripe, vt miles Chriſti, proſperum iter; ſume laudabile opus, propter quod tu aliíque multi ad regna ingredi cælorum mereamini. Qui cùm talibus illum, alióſque, quos cum eo mittebat, hortaretur eloquiis, maximéque, vt Regulam ſanctam virili tenerent cuſtodiâ, ruentes ipſi omnéſque fratres cum lacrymis in mutuos amplexus, oſculum inuicem ſibi pacis dantes dimiſerunt eos, precantes eis proſpera cuncta fore, dicentes. Comitetur vobiſcum gratia ſummæ Trinitatis, & omnia opera veſtrarum manuum proſperè dirigat, locúmque veſtræ habitationis ad multarum ſalutem animarum perenni cuſtodiâ tueri & conſeruare dignetur. Qui benedictione poſtulatâ pleniterque acceptâ cum Legatis iam dicti Epiſcopi iter carpentes, eius faciei ſe præſentare feſtinabant, orantes vt Chriſtus ſolatium ſibi perficiendi tribueret inuicti operis, & ſic ad vrbem Namnetenſem, Domino duce, peruenerunt.

MITTITVR AD PASCHARIVM EP. NAMNETENSEM.

VI. Antequàm plura de Paſquario Epiſcopo déque Ærmenlando Monacho deſcribamus, duæ difficultates, quæ naſcuntur ex textu proximè citato, ſunt hoc loco ſoluendæ. Prima ſpectat ad Monachos, ad Epiſcopos Namnetenſes altera.

VII. Scribit Auctor ſuprà laudatus rariſſimos in Armorica Monachos extitiſſe, cùm Paſquarius Namnetenſis Epiſcopus in eorum laudes inter concionandum excurrebat. *Gradus*, inquit, *Monachorum catenus incolis occidui littoris Oceani penè expers habebatur.* Florebant in Armorica varij cœtus Monachorum, nec in ipſa Diœceſi Namnetenſi deerant Monaſteria. Martinus, quem Namnetis anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſeptimo ex illuſtribus parentibus natum, & à Felice Namnetenſis vrbis Epiſcopo, cuius obitus in annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-tertium incidit, Presbyterum ordinatum diximus, Vertanum * prope Namnetas aliáque Cœnobia conſtruxerat, & diſcipulos habuerat vltra trecentos, vt obſeruauimus Tomo ſuperiore. Quis autem credat hæc loca Monachis caruiſſe, cùm Paſquarius Epiſcopatum Namnetenſem & Lambertus Fontanellenſe Monaſterium adminiſtrabant. Obliuione ſepulti ſunt Abbates, qui Cœnobium Vertanenſe poſt ſanctum Martinum rexerunt, nec apud vllum Auctorem reperies cur Paſquarius Monaſterium in Diœceſi Namnetenſi conditurus ex Epiſcopatu Rotomagenſi Fontanellenſes Monachos euocarit, cùm Vertanenſes in ipſomet agro Namnetico proximi degerent. Aſcetarum Vertanenſium inſignis erat pietas numerúſque copioſus. At quoniam in aliis Galliarum regionibus plura quàm in Armorica conſpiciebantur Cœnobia, Paſquarius eiuſdem prouinciæ pietati amplificandæ conſultum putauit, ſi Monachis aliunde aſcitis numerus Cœnobitarum illic adaugeretur. Cur autem ex Fontanellenſi potiùs Aſceterio quàm ex alio Monachos adduci poſtularit, id egregiæ Wandregiſili conditoris Lambertíque ſucceſſoris famæ tribuendum arbitrare.

* *Verton.*

VIII. Maior difficultas occurrit ſuper Epiſcopatu Paſquarij, noſtræ enim Chronologiæ multùm repugnant Indices Epiſcoporum Namnetenſium. Apud De-

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

mocharem nulla mentio fit Pasquarij. In Gallia Christiana Roberti, Leobardo, quem anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto sedisse ex Flodoardo [a] probauimus, proximè succedit Pasquarius, deinde Taurinus, Harco, & Salappius qui Chaddonem Archidiaconum ad Cabilonense Concilium anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto direxit. A Roberti sententia non recedit Albertus in Armorica Sancta. Sammarthani Leobardo sufficiunt Taurinum, Hairconem, Pasquarium, Salappium. Chenutius post Leobardum collocat Taurinum, Harconem, Salappium, postremò Pasquarium regnante Childeberto. Seuertius Chenutio suffragatur. At longè aliter opinandum ex Historia Flodoardi, ex subscriptionibus Concilij Cabilonensis & Priuilegij San-Dionysiani, & ex Actis sancti Æmenlandi. Concilio Remensi subscripsit Leobardus teste Flodoardo [b], idque anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto contigisse demonstrauimus. Anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto, quo Synodum Cabilonensem sub Clodoueo Rege consignauimus, sedebat Salappius. Taurinus nominatus reperitur inter Episcopos, qui Priuilegium San-Dionysianum suis subscriptionibus communierunt anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-secundo. Pasquarius, cùm Lambertus Fontanellensis Abbas esset, Æmenlandum Monachum suscepit, ac multis pòst annis Præceptum à Childeberto Rege pro Monasterio Antrensi postulauit impetrauítque. Præfuit autem Cœnobio Fontanellensi Lambertus per annos vndecim, ab anno videlicet Christi sexcentesimo sexagesimo-septimo ad annum vsque Christi sexcentesimum septuagesimum-octauum; regnauítque Childebertus per annos septemdecim ab anno scilicet Christi sexcentesimo nonagesimo-quarto ad annum vsque Christi septingentesimum vndecimum, vt suis locis ostensuri sumus. Pontifices igitur Namnetenses hoc ordine sunt recensendi, Leobardus, Salappius, Taurinus, Harco, Pasquarius, cuius successor Agatheus in Actis sancti Æmenlandi prælaudatis indicatur.

HARCONIS SVCCESSOREM.

IX.

His ita dilucidatis, videamus iam, quomodò Æmenlandus in conspectum Pasquarij productus mandata Lamberti Abbatis impleuerit. Auctor synchronus narrationem suam sic prosequitur. *Ad vrbem Namnetensem, Domino duce, peruenerunt. Tunc Basilicam beatorum Apostolorum Petri & Pauli beatus Æmenlandus cum sociis orationis gratiâ ingressus est. Audiens verò venerandus Episcopus eos aduenisse, ineffabili exultans gaudio dixit. Recordatus est mei Dominus, vt votum desiderij mei implere dignetur, atque in præfata Ecclesia foribus occurrens eis, dixit beato Æmenlando. Benedictus Dominus, qui misit te ad introitum tuum, qui quod bonum & iucundum esse per os beati David Prophetæ dixit, hodie est complere dignatus, faciens habitare fratres in vnum. Cúmque ei suísque omnibus, quos veluti Angelos suscipiens alacriter prandium exhibuisset, omnéque desiderium suum eius exposuisset auribus, beatus Æmenlandus ea, quæ Pater eius, nunciis ipsius opposuerat, eorúmque responsionem coram eo recitauit, ac demum subiunxit. Et nunc si consilio Patris mei tua Sanctitas parere voluerit, prout Dominus exiguitati nostræ donauerit, quodcumque iusseris, perficere conabimur. Sin autem aliud Paternitati vestræ placet, inuiolatâ caritate ad Patrem nostrum iuxta eius præceptum reuertemur. Nullus me magis, dilectissime, inquit, frater, huius operis perfectionem perpetuâ constabilire desiderat firmitate, qui auctor fundatórque eius videor esse, & ideo secundùm tuam Patrísque tui suggestionem nostrorúmque nunciorum sponsionem, non solùm te cum cella quam ædificare disponimus, cúmque omnibus rebus quas ibi confirmauero, ad subsidium fratrum inibi commorantium secundùm auctoritatem canonicam Regiæ committam dominationi, eiúsque vobis habere perficiam Præceptum, quin etiam quicquid commodum atque vtile ad perpetuam quietem illius loci tecum pertractare potuero, libentissimè implere curabo. Tu verò ea quæ desidero, quomodò ritè perficiantur, prudenti perpende consilio. Beatus verò Æmenlandus cognoscens animum Pontificis auaritiæ astu vacuum, humiliter eum alloquens, dixit. Dominus, qui inspirator huius extitit voti, tribuat perfici secundum cor, consiliúmque tuum confirmet in bonum, ego verò acceptâ ves-*

BENIGNE AB EO SVSCIPITVR.

[a] Lib. 2 c. 5.

[b] Lib. 2. c. 5.

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3. X.

tra benedictionis induciâ, quidquid ex hoc cum Domini voluntate pertractare potuero, crastinâ die vestris sacratissimis auribus intimare adgrediar.

Sequentibus diebus, quid actum sit, accipe ex eodem Auctore. *Cùm die alterâ Aurora nono perfunderet lumine terras, beatus Ærmenlandus expleto matutinæ laudis officio venit ad Pasquarium Episcopum, eique dixit. Iube nobis præparare nauiculam, in qua cum sociis per alueum Ligeris remigantes vsque ad loca maritima omnia littora eius peruidere possimus, & si locus aptus repertus non fuerit, vbi Cœnobium ædificetur, tunc ad dextram læuámque in omni tua circuibimus dominatione, vsquedum congruum reperiamus situm Monasterij constructionis. Non vobis, vt opinor, ait isdem Pontifex, vsque ad maritima necesse erit fatigari loca, quia sunt nonnullæ Insulæ tribus ab hac vrbe distantes milibus, huius amnis vallatæ lymphis, quas etiam bis per reuolutionem diei ac noctis vnda marina vndique ambiendo inuisere non neglegit. Quæ tanto sui vigoris impetu agitatur, vt vltra hanc vrbem ad Orientalem plagam septem milibus ictum retrorsum conuertens Ligeris vim inundationis suæ vbertim diffundat. Cuius autem ipsæ Insulæ fertilitatis interiùs vel cuius magnitudinis sint, pastoralis curæ occupatio perscrutari me non permisit. Quas cùm diligentius tua sagax prudentia peruiderit, qualiter se habeant mihi renuntiare non differat, si in aliqua earum congruus locus ad constructionem Monasterij reperiatur. Et hæc dicens, nauem velotiùs præparare iussit. Quam vir Domini Ærmenlandus ingressus dixit. Omnium bonorum largitor, qui populo tuo viam in mari rubro præparasti, per quam ad terram repromissionis venirent, da mihi famulo tuo per rectam incedere viam, vt ad locum, quem seruis tuis præparare ad habitandum dignatus fueris, de quo non ad terrenam sed ad cælestem promissionem æternæ felicitatis peruenire mereantur, recto perueniam itinere. Nauta vero concitè nauigantes peruenerunt ad vnam Insularum, quæ magnitudine sui ceteras circa se superat. Tunc de naui egressus cœpit de spatio Insulæ percontari, cuius in viginti-quatuor stadiis longitudinem dimensam reperit. Quæ in medio aliarum sita se vndique à quatuor cæli plagis circumdantium alto sublimatur vertice, per mediam sui longitudinem montuosa omnes inundationes Ligeris ab Oriente aliquotiens vbertim effluentes, & Oceani maris ab Occidente bis per singulos menses eructantes despicit malinas. Quæ malinæ reliquas Insulas in Oriente Occidentéque & Aquilone sitas aliquotiens ad momentum operiunt, solam in Meridie ab hac sitam verentes Insulam propter sublimitatem sui montis, & idcirco tuta in se loca exhibet habitationis, amplissimúmque vinearum, hortorum atque per gyrum pratorum præbet spatium. Non enim in eam aliquis mole corporeæ fragilitatis grauatus homo absque nauali subuectione ingredi potest, sed neque in aliquam earum vndique eam ambientium. Est enim opacitate densata syluarum, quam ideo & propter nonnulla abdita in ea loca vir Domini Antrum vocauit. Sed & meridianam, quæ spatio licèt sit minor, specie tamen in nullo ad hæc discrepans, vocauit Autricinum. Reperit enim in ea Oratorium in paruissima Basilica beatissimi Confessoris Martini. Sed & pastores armentorum erant in ipsa Insula plurimi, vbertate eius largissima pascua alentes pecora sua. Piscatoribus autem circa se tam plurimam copiam præbet piscium à Ligere & mari largiter ibi per disposita tempora vicissim venientium, vt piscatoribus aliorum fluminum profunda rimantibus, nisi visu didicerint, incredibile auditu videatur. Non itaque vulgi in ea perstrepunt voces, sed solùm auium diuersarum circa eam audiuntur melodiæ, inter quas citharædi olores dulci fundunt modulamine cantus. Tantum namque quietis silentium in se retinet, vt omne desiderium eremi anachoreticam vitam desiderantibus penitus auferre videatur. Cúmque hæc omnia vir Domini Ærmenlandus partim visu partímque vicinorum comperisset relatu, exultans in Domino ait. Benedictum nomen tuum, Sancta & gloriosa Trinitas, in secula, qui mihi famulo tuo pretiosiorem locum aptiorémque omnibus Cœnobiis, in quibus meam fuisse paruitatem contigit, ostendere dignatus es. Et nunc, Domine, quæso vt esse digneris huius loci constructionis ædificator & custos perpetuus in secula seculorum. Tunc ad Antistitem Pasquarium ocyùs reuertens dixit. Fateor in veritate numquam me tam speciosum vidisse locum, támque monastica vita congruentem, sicuti hodie in duabus Insulis, quas prospexi, mihi*

contigit reperisse. Cúmque ei cuncta, quæ inuenerat, per ordinem retulisset, gaudens in Domino isdem Præsul ait. Benedictus tu Domino, & benedictus Dominus, qui misit te, qui tibi propter magnam misericordiam dignum locum ostendit, in quo voti mei effectum inueniam ad perpetuam animarum salutem. Totâ igitur die illâ inuicem conferentes, quo tenore dispositum perficerent opus, mutuisque spiritalibus se cohortantes eloquiis post dulcia æternæ vitæ conloquia fragilitati consulentes humanæ sumpserunt cibum. Tunc demum post hymnorum laudes cum benedictione Domini ad lectuli quietem secedentes parum sopori indulgentes, reliquum noctis spatium insomne in Dei duxerunt laudibus. AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR.

XI. *Venientes igitur sequenti die simul, dixit beatus Ærmenlandus venerabili Pasquario Episcopo. Iam quia mihi Dominus locum pulcherrimum ostendere est dignatus, in quo ea, quæ desideravimus, perficiantur, nolo moras innectere, sed cum tua benedictione ocyus illuc regredi volo, quatenus tuo aliorúmque munitus iuuamine fabricam Monasterij, Christo fauente, adificare incipiam. Et ille. Omnium Creator, qui Salomoni prudens cor ad ædificandam nomini suo domum largiri dignatus est, det tibi gratiam & benedictionem, & secundùm suam voluntatem omnia opera tua dirigere dignetur. Sumptus igitur, prout necessitas poposcerit, quin in promptu sunt, ministrare non neglegam, teeúmque operary nostri quæ insseris perficient. Mutuis demum amplexibus se constringentes, osculum sibi inuicem dederunt pacis, & sic beatus Ærmenlandus ad dilectam reuersus est Insulam. Quam cùm ingressus fuisset, eligens locum in quo conuenientiùs Monasterium construi deberet, cœpit fundamenta domorum ad necessariam sufficientiam fratrum iacere, & duarum Ecclesiarum, quarum vnam in honore beati Petri Apostoli, aliam verò in honore beati Pauli Apostoli cum omnibus claustris Monasterij, Domino se protegente, breui explanit tempore.* CONDIT MONASTERIVM ANTRENSE.

XII. Quæres quodnam institutum in Antrensi Cœnobio à primo conditu viguerit? Sanè vix quisquam sibi persuadebit vllam Monachorum Regulam Ærmenlando notam præter eam quam in Monasterio Fontanellensi sub Abbate Lamberto didicerat. Huic tamen opinioni refragari videtur Prologus Actis eiusdem Ærmenlandi præfixus ab Auctore coætaneo, cuius hæc sunt verba de laudibus ipsiusmet Ærmenlandi. *Francia veniens ab oris, nostris in finibus virtutibus vernans, nonus, vt ita dixerim, Benedictus effulsit.* Etenim hæ voces, *nonus, vt ita dixerim, Benedictus*, quibus Ærmenlandus cum beato Benedicto comparatur, innuunt sancti Benedicti Regulam in Antrensi Monasterio floruisse, alioquin Auctor neutiquam mentionem sancti Benedicti fecisset. At in Cœnobio Fontanellensi sub Abbate Lamberto, qui Namnetas Ærmenlandum ad Pasquarium Episcopum direxit, non obseruabatur Regula sancti Benedicti, sed *norma Sanctorum Patrum*, vt Aigradus in vita sancti Ansberti testatur. Norma verò Sanctorum Patrum dicebatur ea Regula, quam quis ex diuersis Regulis antiquiorum Patrum collegerat, vt præstitit sanctus Aredius Lemouicensis, qui teste Gregorio Turonensi [a] Cœnobium fundauit, *in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ.* Lege quæ suprà dicta sunt ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-septimum [b]. Verùm vtraque sententia facilè conciliari potest. Ærmenlandus normam Sanctorum Patrum, quam in Monasterio Fontanellensi sub Abbate Lamberto priùs profitebatur, in Antrensi Cœnobio custodiendam primùm præcepit, deinde vbi Regulam sancti Benedicti ab Ansberto Fontanellensi Abbate, prædicti Lamberti successore, susceptamresciuit, eandem quoque Regulam in Antrensi Monasterio lubenter amplexus est, vt Antrensibus Monachis, quibus tunc cum Abbatis titulo præerat, leges & instituta conuenirent cum Fontanellensibus quibuscum anteà vixerat. Lege infrà quæ scripturi sumus de Synodo Rotomagensi ad annum Christi sexcentesimum duodenonagesimum. Anonymus vitam sancti Ærmenlandi serius in literas retulit, ideoque illum cum sancto Benedicto in suo prologo comparauit. EIVS REGVLA.

[a] L. 10 c. 29.
[b] Num. 5.

XIII. Surius Anonymum, cuius verba superiori quæstioni locum præbuerunt, ita reddidit. *Ab Germaniæ oris ad nos accedens, tanquam alter quidam Benedic-*

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

PATRIA.

tus fulsit virtutibus. Hinc emergit altera difficultas super Ærmenlandi patria, quem enim Anonymus *Francia ab oris*, hunc Surius *ab Germania oris* in Antrum Insulam venisse commemorat. Súntne voces synonymæ Francia & Germania? Sancti Ærmenlandi siue Hermelandi patriam sic indicat Anonymus. *Ærmenlandus ex Nouiomacensium incolarum nobilissimis parentibus processit in lucem.* Surius sic. *Hermelandus apud Nouiomagenses nobilissimis parentibus ortus est.* Incolæ Nouiomacenses seu Nouiomagenses ita dicebantur à Nouiomago. Fuit autem multiplex Nouiomagum seu Nouiomagus cùm in Germania tum in Gallia. Sed Auctores qui de rebus Francicis ætate sancti Ærmenlandi scripserunt, vocabulis Galliæ vel Germaniæ rarò vsi sunt, prouinciásque, quas Reges Francorum cis & vltra Rhenum, id est, in Gallia & in Germania, possidebant, aliis nominibus, Franciæ videlicet, Austriæ, Neustriæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, Alamanniæ, Boioariæ, Thoringiæ, designarunt. Quapropter expuncto Germaniæ vocabulo, quod Surius intrusit, retinendum est in vita sancti Ærmenlandi nomen Franciæ, quod apud Anonymum legebatur. Præterea *Nouiomagus* ab Antonino, collocatur *inter Suessonas* * *& Ambianos* *, vocatúrque hodie per compendium *Nouiomus* *. Porrò locus ille, cùm vita sancti Ærmenlandi ab Auctore coætaneo in literas referebatur, pertinebat ad Franciam seu Neustriam, erátque in vltimis ipsius Franciæ seu Neustriæ finibus, quà Francia seu Neustria Austriam contingebat. Atque vt id meliùs capias, in memoriam reuoca duplicem Franciæ acceptionem quam sæpè distinximus. Francia in propria significatione sumitur pro cunctis ditionibus Francorum, strictiùs verò sumitur pro Occidentali duntaxat Francia, id est, pro Neustria. Sanctus igitur Ærmenlandus natus est in Diœcesi Nouiomensi, & in illius vita qui Nouiomacenses incolæ apud Anonymum & Nouiomagenses apud Surium appellantur, haud alij sunt à Nouiomensibus.

* *Soissons.* * *Amiens.* * *Noyon.*

XIV. Hoc anno Adeodati Papæ quarto Romam profectus est Audoenus Episcopus Rotomagensis. Qua de peregrinatione sic Fridegodus in eius vita. *Vrbem Romam, caput Orbis & Christianæ religionis, quam Apostolorum Principes suis corporibus ornant, Martyrum caterua sacris ossibus decorant, Pontificatum eius vrbis tunc in annum quartum obtinente Adeodato Papâ, adire tandem constituit. Cúmque hoc longè latéque fama vulgaret, vndique conueniunt ad virum Dei innumeri homines religiosi, auri argentíque pondera multa ei afferentes, simúlque obsecrantes, vt ad corpora Sanctorum Apostolorum & Martyrum pro redemptione animarum suarum ea deferri iubeat, partem etiam pauperibus illic suis sacris manibus distribuat, ipsósque suis precibus Christo commendet. Multi etiam venerabiles viri & Deo deuoti vnà cum illo proficisci sibi licere gratulabantur. In quibus erat Sanctus* * *Sidonius genere Scotus, extructor Monastery quod nunc per metonymiam sanctum Sidonium appellant. Stipatus igitur vir Deo dilectus Sanctorum comitum turbâ eleemosynarúmque benedictionibus onustus ad limina Sanctorum Apostolorum hilaris, vt quondam vas electionis cùm diuersarum benedictiones in ministerium Sanctorum Hierosolymam apportaret, peruenit.* Eadem Audoeni peregrinatio narratur in vetustissimis eius Actis, scriptis ætate Caroli Martelli.

AVDOENVS EP. ROTOMAG. IT ROMAM

* *S. Saens.*

CVM SIDONIO ABBATE.

XV. Ineunte hoc eodem anno, Aygulphus Abbas Lerinensis Monasterium puellarum reparauit, quibus Angarismam Abbatissam præfecit. *Cernens Pater gregem suum quæ retrò sunt obliuisci, & ad æterna totis nisibus anhelare, immensas Christo laudes persoluebat. Quorum sanctam conuersationem nobilium etiam virgines æmulari cupientes sanctum virum toto cordis affectu deprecatura conuenerunt, vt eis Monasterium, in quo illibatam seruare quam cælesti sponso deuouerant virginitatem possent, deputaret, quarum deuotioni annuens beatus Aygulphus Cœnobium in loco, qui Arlucus* * *dicitur, construxit seu reparauit, præposuítque eis sanctimonialem Virginem nomine Angarismam Blesensem, quam cum aliis virginibus à Galliis*, id est, à Gallia Celtica, *venire iusserat.* Hæc Monachus Lerinensis in vita sancti Aygulfi postremæ editioni * Surij inserta. Vetus autem Auctor in

AYGVLPHVS ABBAS LERINENSIS REPARAT MON. ARLVC. EIQVE PRÆFICIT ABBATISSAM ANGARISMAM.

* *Arluc.*

* d. 3. Sept. edit. an. 1618.

AN. CH. 676.

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

Codice manuſcripto, quem non ſemel allegauimus, laudauit eandem *Abbatiſſam Angariſmam, quæ in vicino Monaſterio ſororibus præerat, Sanctimonialis à ſancto viro* Aigulpho, *à primæua ætate tam in Scripturis diuinis quàm Monaſterialibus imbuta diſciplinis.* Habet & idem elogium Angariſmæ Surius [a] ſtylo parum mutato, quem conſule ſi lubet. Ceterùm Arlucenſe Monaſterium conditorem agnoſcit ſanctum Nazarium Abbatem Lerinenſem, ſancti Cononis, cui Gregorius Magnus litteras direxit, ſucceſſorem, vt anno priori [b] probauimus, cùm recenſeremus Abbates, qui ſeptimo ſeculo Monaſterium Lerinenſe gubernarunt. Honoratus *Bouche* in Chorographia Prouinciæ [c] non omiſit Cœnobium Arlucenſe, ſed illud famâ iam celebre cenſuit ad annum Christi quadringenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum, quia ſanctum Nazarium ſancti Honorati diſcipulis annumerauit, & quartum Monaſterij Lerinenſis Abbatem finxit. Inter Abbates Lerinenſes locum ſancto Nazario vndecimum, ſancto Aygulfo decimum-quartum attribuimus. Arlucenſe Monaſterium Clotario Secundo totius Franciæ tunc Monarchâ conditum arbitramur, itaut per annos circiter ſexaginta ſteterit, antequàm illuc aduentaret Angariſma. Perierunt Abbatiſſarum nomina, quæ præceſſerunt Angariſmam, eas negligentiæ non audemus inſimulare, quia textus Monachi Lerinenſis ſuprà citatus abeſt à Codice manuſcripto, cui potior fides haberi debet, illius tamen loci ſanctitatem, Angariſmâ Abbatiſſâ, plurimùm auctam non inficiamur.

[a] d. 3. Sept. in vit. S. Aygulfi, edit. an. 1574.
[b] Num. 2.
[c] Lib. 4. c. 3. §. 6.

XVI. In fragmento Hiſtorico, quod Alberti Argentinenſis Chronico apud Christophorum Vrſtitium præfigitur, Arbogaſtus & Florentius Argentinenſes Epiſcopi commendantur his verbis. *Beatus Arbogaſtus qui filium Dagoberti à morte ſuſcitauit, & Florentius qui filiam eiuſdem Regis à dæmonia vexatam liberauit, Argentinæ viciſſim ſuccedentes Epiſcopi claruerunt.* Acta varia ſancti Florentij hanc Regis filiam, quam Coccius [d] Rothildem vocat, tradunt *à natiuitate cæcam & mutam* fuiſſe nullâ diabolicæ vexationis mentione factâ. Regiam puellam hoc circiter anno ſanatam putamus, quia Florentius Epiſcopatum nondum obtinebat. Kircbemium Dagoberti Regis Palatium non procul aberat à valle in qua Florentius eremiticam vitam agebat. *Rex cognitâ illius ſanctitate, vt ad ſe veniat, deputatis honeſtis nunciis interpellat. Beatus verò Florentius accerſitus Palatium Regis adiit, ſed Regis filia viro Dei cominus exiſtente, videndi pariter & loquendi dona percepit, præſentibus omnibus ſuæ ſalutis annuntians auctorem. Ecce, inquit, ecce venit ſanctus Dei Florentius, cuius meritis me diuina illuminauit gratia, & vſum loquendi conceſſit. Ad tanti nouitatem miraculi contremiſcit mater, obſtupeſcit & pater. Rex ne ingratus videretur, quid honoris, quid beneficentiæ Dei famulo valeat impendere, diligenter attendit. Deinde quod gratiùs ſancto Dei nouerat, locum quem inhabitandum elegerat, perpetuò poſſidendum donauit. Adhuc humanis ne quid deeſſet neceſſitudinibus, his ſcilicet, qui ibidem Deo forent ſeruituri, domicilium quod ipſe inhabitabat, Kirchheim ſcilicet cum omnibus ſuis appendiciis liberè contradidit, donationémque factam auctoritate regiâ roborauit.* Hactenus Acta ſancti Florentij ex manuſcripto Bodecenſi. Alia [e], quomodò Florentij ſanctitas in notitiam Dagoberti venerit, ſic exponunt. *Beatus Florentius in ſylua, quam Haſle vocant, vbi Bruſcha fluuius è monte Voſago emanat, manibus ſuis cœpit terram colere, vt victui neceſſaria pararet. Cúmque illic domicilium condidiſſet, ceruæ & aliæ feræ è nemore eò aduentantes, omnem eius laborem deuaſtabant. Non aderant beato viro inſtrumenta venatoria, quibus eas caperet, ſed non deerat magna in Deum fiducia, quâ fretus in Domini nomine iuſſit eas omnes venire ad fores cellulæ ſuæ, & illis gradum figere. Per id tempus Dagobertus Rex manens in Palatio ſuo Kyrcheimenſi famulos ſuos miſit, vt venationi operam darent. Abeunt illi cum canibus, perluſtrant montes & ſyluas omnes, nec vllam conſpiciunt. Tandem ad beati viri domunculam peruenientes, frequentes illic præ foribus eius conſiſtere feras conſpiciunt, nihil ſe loco mouentes, perinde ac ſi vincula quædam iis iniecta ſint. Rei indignitate, vt ipſis videbatur, per-*

[d] Cap. 12.

FLORENTIVS SANAT FILIAM DAGOBERTI R.

[e] Ap. Sur. d. 7. Nou.

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

moti, cùm virum Dei non cognoscerent, tunicam eius vi auferunt & recedunt. Ille sequitur abeuntes, apportat securim siue bipennim, vt eam quoque tollant. Illis ergo recedentibus, vbi ad paludem quandam ventum est, equi eorum progredi noluerunt. Vrgent illi quidem fortiter, adigunt calcaria, sed nihil efficiunt. Animaduertunt id se pati ob illatam sancto viro iniuriam, redeunt igitur, reddúntque quæ abstulerant. Redditur equis gradiendi facultas, veniunt ad Dagobertum Regem, quid acciderit, enunciant. Ille confestim mittit equum suum optimè instratum, orat virum Dei, vt illo subuectus ad ipsum se conferat. Vir beatus equum non admittit, sed suo asello contentus ad Regis Palatium proficiscitur. Vbi ad portæ limen accessit, filia Regis ab ipso ortu luminibus orbata, itémque muta, repentè & videt & loquitur, appellátque beati Florentij nomen, cùm tamen id omnibus esset incompertum. Regiam gratitudinem ac munificentiam manuscriptus Codex Coloniensis ita describit. *Cùm Rex & omnes mirarentur, tradidit eidem sancto viro magnam partem eiusdem siluæ ad cellam ibi ædificandam, villásque adiacentes & prædia multa dedit, quæ vsque hodie ad claustrum Hasaelaho pertinent.* De limitibus agrorum Florentio attributorum ita disserit Coccius [a]. *Institit Dagoberto, vt locum quem colendum possidendúmque iam antè attribuerat, certis limitibus terminaret. At neque hic se Regis beneuolentia desiderari passa est, nam tantùm ei possessionis ac fundorum addixit, quantùm terrarum intereà loci oberraret, quoad Rex balneo, cui tum insistebat, corpus abluisset. Nec mora. Florentius asellum conscendens, saltum vsque ferè totum, quem ad hoc tempus Haselacenses obtinent, & prætereà patentem terræ tractum terminalibus bacillis defixis, qui limitis instar decumani ad quatuor cæli plagas eminebant, pererrauit, venítque in tempore vt Regem iam thermas egressum ceteróque cultu extra chirothecas ornatum deprehenderet, quas Regi benè precatus porrexit. Et mirabatur Dagobertus tantùm locorum asello vectore, tantillo temporis spatio peragratum, quantùm vix citatissimo equo ceteroquin assequi potuisset, venítque in mentem hunc singularem Dei fauorem interpretari. Quare nec animi falsus est Antistes, quicquid peragrando circumscripserat, id totum Regis munificentiâ obtinuit.* Eadem carmine Heroico describuntur in vetere Breuiario Argentinensi.

a Cap. 17.

Chartæ perpetuæ sub confirmante libello
Rex concessit ei, quantùm transiret asello,
Balnea dum sineret, & ab his vestitus abiret.
Tempore duplato non iret eques stimulatus,
Quantum transiuit prunelli pes agitatus,
Donec Rex sumpsit chirothecas, amne rigatus.

XVII. DIPLOMA DAGOBERTI REGIS.

Diploma seu documentum Regium fundationis Haselacensis ita recitat Coccius. *In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Dagobertus diuinâ fauente Clementiâ Francorum Rex, omnibus Regni sui Principibus, imò cunctis fidem Christianam profitentibus tam futuris quàm præsentibus gratia vobis & pax ab eo qui est & qui venturus est omnipotens. Votum, quo Deo & Sanctis se quis obligauerit, sine macula reatûs irritum fieri non poterit. Et quantò maior & dignior est is cui vouetur, eò ferietur grauiori iudicio vouentis & non reddentis præsumptio. Debemus igitur & volumus nos quoque reddere quod vouimus Domino Deo terribili & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ. Qualiter in brachio suæ virtutis nos terruerit, & qualiter percutiens & sanans, rursus nos visitauerit, omnibus ad exemplum correctionis notum fieri dignum duximus, præcipuè vt quisquis fidelis, audito nostro periculo, ab Ecclesiarum Dei vastatione se contineat, & honorem congruum rebus Deo dicatis exhibeat. Primùm ergo de diuina super nos habita terribiliter examinatione, posteà de voto & voti nostri redditione breuiter exponemus. Patre itaque meo Lothario Rege felicis memoriæ defuncto, patris Regni curam suscepi. Sed iuuenili ductus leuitate, dominijque cupiditate distractus, Regalis officij debitum neglexi, nihil exhibens commissis sollicitudinis vel diligentiæ, nihil faciens vel indicans mansuetudinis aut zelo iustitiæ. Inter alios excessus meos, Ecclesiarum destructor & dissipator esse cœperam, quarum defensor & sublimator esse*

debueram

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

debueram vel fuisse, nec diuinæ Maiestatis oculos, nec miseram hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, virgâ correptionis iniquitates meas visitauit, & castigato mihi veniam non denegauit. Nam raptus in sublime diuinæque Maiestati inter choros Angelorum in habitu indicantis sedenti præsentatus, austerissimis Ecclesiarum Patronis, pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me & consumptis, grauiter & constanter sum accusatus, & maximè à S. Dei genitrice Maria, & à susceptore animarum S. Michaele Archangelo, atque à beatissimis Petro & Paulo Apostolorum Principibus. Cúmque conscientiâ grauatus non auderem defendere, ex arbitrio Præsidentis pœnæ sum addictus, diúque cæso & pœnis atrocibus defuncto adest prædictus Archangelus, flammeo gladio super me extento, vltionem de sibi vsurpatis bonis Sanctorúmque quos prænominaui, & propter acclamationem inopum & pauperum, in me volens exercere, quibus materiali gladio infestus eram, iudicia non iudicans recta. Tandem aduenit specialis meus Patronus Episcopus Dionysius, pro me satisfaciens S. Michaeli Archangelo, qui dilationem pœnæ & pœnitentiæ in tempus obtinuit. Idem ipse quasi modum statuens pœnitentiæ, in hoc mihi spem plenæ indulgentiæ posuit, si ad honorem Dei & Sanctorum prædictorum, quos magis offenderam, Ecclesias diuinis seruitiis aptas construerem. Quâ promissione lætatus, lubens voui, dimissúsque à supernis redij. Igitur sub certa spe indulgentiæ & remissionis peccatorum meorum, reddens alacri studio votum, quod feci, Monasterium in honorem S. Trinitatis ac S. Mariæ perpetuæ Virginis, quod Hasclaque vocatur, in meo Regno ac Diœcesi Argentinensi situm construxi. Sed honorabili Florentio Dei amico, ac tunc ibidem in solitudine commorante, diuini instinctu Spiritûs à me impetrante, iam dictum Monasterium sublimare & Regali munificentiâ ditare decreui. Dans prædicto Monasterio & in perpetuum datum esse volo de rebus fisci mei illic adiacentibus, quicquid ad me spectat tam in villis quàm mancipiis, siluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, & omnia hæc in vsum Monasterij antedicti, & fratrum ibidem Deo seruientium seu famulantium, sub canonica tamen regula degentium, liberâ donatione redigo. Trado etiam venerabili Dei cultori Florentio suæque Ecclesiæ, locum ac vallem terminorum Vosagi, quam scilicet pro solitudine seu eremo, necnon pro requie & expectatione generalis resurrectionis sibi suísque sequacibus fideliter elegit. Sed & ne seruitores diuini cultûs ibidem videlicet & loco & Ecclesiæ prædictis penuriam aliquam vel aliquem materialis substantiæ paterentur defectum, Regalem meam habitationem Kirchaim cum suburbiis Marley, vallem coronæ, Virdenheim, villam Vene, castellum situm in monte iuxta stratam Tabernensem vsque ad riuulum Osellum cum omnibus adiacentibus hubis, siluis, vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, ipsis trado. Locum autem sæpedictum, quem singulari amplectimur dilectione, nunc & deinceps ab omni seruitutis oppressione liberum sub Regali tuitione esse volo, ita videlicet vt nullus iudex publicus ex iudiciaria potestate quidquam potestatis vel negocij in ipsis marchis exercere vel habere præsumat, nec homines locorum antedictorum adstringere, vel ad causas audiendas, freda vel tributa soluenda, postremò nihil penitus audeat ab ipsis exigere. Vt autem mea traditio, & iurû & concessæ dignitatis institutio stabilis & inconcussa iugiter permaneat, chartam hanc inde conscriptam disposui adiectione sigilli mei, appensionéque roboratam signaui. Datum quod feci cum filiis meis Clodoueo scilicet atque Sigeberto in dicto Haselacensi Monasterio, fratribus ibidem diuino famulatui deuotè insistentibus. Huic traditioni interfuerunt Nanthildis Regina Francorum mea legitima, cum filia nostra Rathilde. Affuerunt etiam Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Duces, Marchiones, Palatini, Comites, & plerique Principes Regni mei. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini sexingentesimo tredecimo, mense Aprili, die sextâ-decimâ, in loco sæpè nominato.

In hoc Diplomate duo confunduntur Dagoberti; senior, qui sanctum Dionysium singulari veneratione coluit, Nanthildem vxorem duxit, filiósque suscepit Sigibertum & Clodoueum: iunior superioris nepos, qui Florentio Eremitæ Haselacensi, tum Episcopo Argentinensi coætaneus vixit, Mechtildem XVIII. EXAMINATVR.

AN. CH. sibi sociauit in coniugem, quinque liberos procreauit, marem vnum nomine
676. Sigibertum, fœminas quatuor, Irminam, Rothildem, Adelam & Regentrudem. Ad iuniorem Dagobertum, qui fundationis Haselacensis auctor
THEODOR. III. fuit, pertinent initium seu prologus Diplomatis ad has vsque voces *terribili apud omnes Reges terræ*, & ipsamet Monasterij dotatio ab his vocibus, *igitur sub*
DAGOB. II. RR. 3. *certa spe indulgentiæ*, ad istas, *appensionéque roboratam signaui*. Quicquid medium occurrit, in Dagoberti seniotis gratiam interpolatum agnoscit Henschenius *. Clausula verò, *datum quod feci*, &c. habet pauca quæ Dagoberto iuniori, plura quæ seniori, nonnulla quæ vtrique, multa quæ neutri conueniunt. Senior Dagobertus sibi Nanthildem in vxorem adsciuit, filiósque genuit Clodoueum & Sigibertum. Iunior Dagobertus pater fuit Rathildis & versarus est in Monasterio Haselacensi. Vterque Dagobertus inter liberos filium habuit nomine Sigibertum. Neuter Dagobertus Metropolitanarum Sedium Episcopos appellauit Archiepiscos, neuter Proceres sui Regni vocauit Palatinos & Principes, neuter annos numerauit ab Incarnatione Dominica, neutet regnabat anno Christi sexcentesimo decimo-tertio.

* de 3. Dagob. l. 2. c. 6.

XIX. Dagobertus iunior regiam Kircheimensem * vicinúmque Mautolegium * Monachis Haselacensibus concessit. Id in dubium non vocamus. Sed ipsius Dagoberti Diploma, quod hodie circumfertur, inter commentitia reponendum arbitramur. Architectus totius operis remotus erat ab ætate Dagoberti, vsus est enim plerisque vocibus illo æuo nondum vsurpari solitis. Ignorauit Dagobertum iuniorem, & Præcepto, quod seniori totum attribuere voluit, fabulam inseruit, quam alij post eiusdem Dagoberti Regis obitum reiiciunt, & à nobis examinatam atque explosam reperies ad annum Christi sexcentesimum tricesimum-octauum quo Dagobertus senior occubuit.

* Kirchaim. * Marley.

XX. HVBA QVID. Hubam siue Houbam vel Husam aut Hiusam seu Giusam, cuius mentio fit in Diplomate suprà recitato, Frisæus partem vult esse fundi seu villæ in plures hæredes dispertitæ; Auentinus agros bigis arari solitós; Vadianus fundi partem maximè pascuam. Spiegelius latiorem ait, omnémque terram complecti seu messi seu fœnisecio accommodam, in quâ plures casæ sint. Coccius, cuius notam ad caput duodeuicesimum consule, obseruat *Hubam non certa mensura terram esse, sed indefinita, pro cuiuslibet loci commodo aut opportunitate, tantúmque ferè agri comprehendere, quantùm rustico ad rem familiarem tuendam satis est*. Vt à curtibus Curtarij & à mansis Mansuarij, sic ab hubis Hubarij deriuantur, & hubæ in quadruplici ponuntur differentia, sunt enim dominicales, sunt censuales, sunt tributariæ, sunt seruiles.

XXI. IRMINA FILIA DAGOBERTI R. Hisce temporibus Irmina Dagoberti Regis filia natu maxima, quindecim circiter annorum puella desponsata fuit Hermanno Comiti. Quomodò virgo permanserit, docet in eius vita Theofridus Epternacensis. *Hanc*, inquit, *in primæua adhuc ætatis flore Hermannus quidam Comes Gallicanus, nobilis & egregiæ indolis, conscriptâ sibi amplissimâ dote in Tyrasio * & aliis locis, desponsauerat, sed ante diem nuptiarum immaturâ morte præreptus, magnum triste sui, magis autem ipsi sponsæ suæ parauerat. Quam cùm pater benignè consolaretur, & ditiorem & potentiorem maritum polliceretur, illa de hoc promisso patris fidem exegit. Quâ acceptâ protinus Christum Regem Regum ditiorem & potentiorem omnium, cui seruire regnare est, in sponsum elegit. Vnde Rex pietate ac sapientiâ mirificus .... fauens electioni eius ad vota sua animum laxauit, & præter dotem priuati Comitis, quod eam de hæreditate paterna vel materna contingebat, ad ædificanda Sanctorum loca pro magnificentia regali alacriter ei delegauit.*

* Tierasche.

XXII. HILDVLPHVS ABDICAT EPISCOPATVM TREVIRENSEM. Hoc anno, *ab aduentu Domini Deodati ad Galilæam tertio*, vt Monachus Vallis Galilææ scribit, *semper imitandus Pater Hildulphus Archipræsulatu Treuirorum sese abdicans, & ad moriendum cum Christo huic arida eremo sese addicens, dulcissimus vicinus, & pacatissimus confinis suo Deodato accessit, Eborini* (corruptè *Iacobi* in vulgatis exemplaribus) *reuerendissimi Leucorum Præsulis adiunante suffragio. Porrò beati illi ac semper memorandi Patres nostri Hildulphus & Deodatus*

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

in solitudine, vt optauerant, vicini effecti, non se inertiæ aut desidiæ dedere, sed vigilarunt alacriter erga mutui eiusque synceri amoris custodiam, tantò effecti familiariores, quantò viciniores. Vt enim maior existit splendor, si ignem igni, aut lucernam lucernæ adiungas, ita sanctis viris ex propinquitate, conspectu & mutuis colloquiis accreuit charitas. Etsi autem mutuâ conuersatione & familiaritate nihil illis esset iucundius, attamen indignum erat tantos hospites, ceu duo mundi clarissima lumina, intra vnius cellulæ angustias latitare, cùm vix caperent singula singulos, maximè quòd possent singuli plurimos secum ad Deum adducere. Itaque statuerunt inter se clarissimi Pontifices, dum in hac essent vita, semel in anno sese mutuò inuisere, & nocte vnâ simul manere, quam noctem totam sanctis colloquiis & diuinis laudibus solebant insomnes transmittere, mane verò ab inuicem recedere. Discipuli autem eorum, si quid vellet alter alteri indicatum, inter vtrosque expediebant. Porrò Dominus Hildulphus non ita procul cum suis occurrere solebat venienti ad se Domino Deodato & sociis eius, cúmque manu apprehensum ducebat ad orationem more antiquorum Patrum, & vt habet institutio beatissimi Benedicti Abbatis, fusâque pariter prece salutabant se mutuo cum gaudio spiritali, & tum demum inuicem se osculabantur, & cætera charitatis ac beneuolentiæ officia prosequebantur. Itidem faciebat piissimus pater Deodatus, veniente ad ipsum Hildulpho, cui etiam vltra Mortam amnem pergebat obuiam cum suis. Nam quoad vixit, cellam priorem, quæ erat apud sancti Martini Oratoriolum, non reliquit. Vir quippe grandæuus erat, & iam veteranus atque emeritus Christi miles, nec potuit ferre hominum concursus, neque externis fratrum laboribus interesse, maximè quòd nihil illi iam liberet aliud, quàm vacare & videre quoniam Dominus ipse est Deus, gustare & videre quàm suauis sit Dominus. Fertur autem staturâ fuisse insigni & procerâ, formâ comprimis eleganti, animo clementissimo. At iam nimio labore & multâ ætate confectus, curuus incedebat. Nonnunquam tamen adibat fratres operantes, singulorúmque consideratis & constitutis operibus ad cellam noctu redibat. Hodiéque monstratur semita quâ solebat ire ad Monasterium, quod est apud Iuncturas. Beatus verò Hildulphus staturâ fuit mediocri, vultu Angelico, mente valdè compunctus, voluntariæ paupertatis studiosissimus, quem promptum & alacrem ad omne opus bonum efficiebat etiamnum virens senectus & in Deum suspensus animus. Nam & in extremis vitæ suæ annis manuum labore victum & vestitum sibi comparabat. Et quamuis ætate iunior, vitæ tamen sanctitate & morum integritate Deodato non inferior. Alter alterum sibi mutuò præferebat. Humillimus quidem Hildulphus caniciem in Deodato, Deodatus verò in iuniore Hildulpho Patriarchalem dignitatem & morum integritatem venerabatur. Hucusque in vita sancti Deodati Monachus Vallis Galilææ, qui quoniam sodalitio Benedictinorum adscriptus erat, Regulam sancti Benedicti laudare non omisit. Ceterùm Hildulphus in eremum secessit mense Decembri, nam teste eodem Authore *postquàm Deodatus & Hildulphus septem annis cum sex mensibus habitassent vnà, transiit de morte ad vitam S. Deodatus decimo-tertio Calendas Iulij*, vt ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-quartum probabimus. Expuncto autem Iacobo Tullensium Episcopo restituimus Eborinum, quia Iacobus longè seriùs floruit *Regni Pippini anno sexto*. Hildulpho in Episcopatum successit Basinus, idque *regnante adhuc Childerico* contigisse notat Henschenius in Diatriba de tribus Dagobertis [a], sed perperam, obiectat enim ante triennium Childericus, cuius mortem in annum Christi sexcentesimum octogesimum coguntur reiicere, qui annos Dagoberti Primi, Fredegario malè intellecto, non benè supputant. Perperam quoque Monachus Vallis Galilææ hunc annum, ab aduentu Deodati ad Galilæam tertium, illigauit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-primo, quem idcirco prætermisimus. In errorem lapsus est, quia Sanctum Deodatum, cuius obitus in annum Christi sexcentesimum octogesimum-quartum incidit, anno Christi sexcentesimo septuagesimo-nono mortuum credidit.

SVCCEDIT BASINVS.

[a] Lib. 4. c. 5.

XXIII. HILDVLPHVS IN VOSAGO.

Hildulphus, postquàm Episcopatum Treuirensem abdicauit, in viuis superstes mansit annos sex & triginta. Vixit enim in Vosago cum Sancto Deo-

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3. dato septem annos cum sex mensibus, eidémque sancto Deodato superuixit annos viginti-octo & ampliùs. Vtrumque constat ex vita sancti Deodati, quam Monachus Vallis Galilææ conscripsit. Primum sic. *Postquàm in ista Vosago hac sancta Dyas & vera sanctitatis virtutum biga Deodatus & Hildulphus septem annis cum sex mensibus habitassent vnà, largus remunerator Deus statuit beato Deodato laborum suorum reddere mercedem.* Alterum sic. *Sanctus Hildulphus sic obtemperauit extremis votis defungentis amici* Deodati, *vt viginti-octo annis & ampliùs (quibus ipse supermixit) eius præesset relicto gregi, per Præpositos administrans necessaria ipsi domui.* Posterius bis etiam legitur libro primo Chronici Senoniensis. Capite octauo. *Beatus Hydulphus viginti & octo annis, quibus post obitum beati Deodati superfuit, suam & ipsius Deodati apud Iuncturas strenuè & religiosè adiuuante Deo rexit Ecclesias.* Et capite decimo-quinto. *Beatus Hydulphus cùm adhuc Deo donante se sibique commissos strenuè gubernaret, contigit beatum Deodatum ab hac vita migrare ad Dominum, qui ab ipso Sancto Deodato per visum, vt sui Monasterij curam gereret, est ammonitus. Quod beatus Hydulphus viginti-octo annis strenuè gubernauit & multis reditibus ampliauit.*

XXIV. DVAS CONSTRVIT ECCLESIAS. Longissimo tot annorum interuallo res quamplurimas præclarè gessit Hildulphus, quas Mosander in eius vita, Monachus Vallis Galilææ in vita sancti Deodati, Richerius in Chronico Senoniensi, Ruyrus in Antiquitatibus Vosagensibus attigerunt. Mosander à conditu duarum Ecclesiarum sic orditur. *Cùm locum hunc habitare cœpisset Sanctissimus Hildulphus, qui montibus vndique circumseptus, fluuiolo Rapido * nomine irrigatur, duas super eundem Ecclesias fundauit, primam videlicet in honorem Dei genitricis Mariæ, quam Medianum Monasterium appellauit, alteram in honorem beati Petri & omnium Apostolorum consecrauit.* Priorem dedicauit octauo Kalendas Martij, posteriorem decimo-septimo Kalendas Nouembris, vt Ruyrus asserit [a]. Agemus infrà fusiùs de vtraque. Rapidus fluuiolus, de quo suprà, dexteram Mortæ * ripam subit.

* Rapin.

[a] Part. 2. l. 3. c. 11.

* La Meurthe.

XXV. ERARDVS EIVS FRATER. Fuit Hildulpho frater nomine Erardus. De vtriusque patria variè disputarunt hactenus Auctores. *Propter antiquitatem temporum, ac Scriptorum penuriam, illorúmque discordantiam*, vt Hundius obseruat, *vix aliquid certi tradi potest.* A Bollando [b] data est in lucem triplex sancti Erardi vita. Primam sub finem vndecimi seculi scripsit Paulus vir religiosus, secundam Anonymus qui priorem contraxit, tertiam Contadus à Monte puellarum Canonicus Ratisbonensis synchronus Leopoldo Bambergensi Episcopo qui traditur obiisse anno Christi millesimo trecentesimo quadragesimo-primo. Apud Paulum & in vetere Breuiario Augustanæ Ecclesiæ dicitur *Erardus Narbonensis gentilitate, Neruius ciuilitate, genere Scoticus.* Tres inde prodierunt diuersæ sententiæ. Anonymus Gothum asseruit ex ciuitate Narbonensi; nonnulli Neruium finxerunt, vt Raderus in Bauaria Sancta testatur; Velserus, Raderus, aliíque permulti Scotum siue Hibernum affirmarunt. Ex illis opinionibus nullam probauit Auctor Chronici Senoniensis, qui vixit ineunte seculo decimo-tertio, & vt integro seculo recentior extitit Paulo, sic & integro seculo fuit antiquior Conrado. Bauaros seu Noricos aut Boios, vt alij loquuntur, constituit Erardum & Hildulphum fratres, à quorum genere, Clericatu & Pontificatu caput vndecimum libri primi sic auspicatur. *In Bawariorum igitur territorio, in ciuitate qua Renesporch dicitur, duo viri fratres extiterunt, ex nobilibus illius terra genitoribus procreati, quorum vnus Erardus, alter verò Hydulphus vocabatur. Hi etenim fratres literis liberalibus traditi se ita Clericali ministerio manciporunt, vt meritis propriis exigentibus, vnus eorum, Domnus scilicet Erardus supradicta ciuitatis Renesporch sublimaretur Episcopus, Hydulphus verò ad Archiepiscopatum Treuirorum potiùs est tractus quàm electus. Et ita vtrique fratres adeò sibi sunt vinculo carnis & gregibus sibi commissis caritate astricti, vt non mercenarios sed veros sibi Catholica Ecclesia gauderet acquisiuisse Pastores.* Nec ab hac sententia recedit Anonymus, cuius stylum Mosander elimauit in vita sancti [c] Hildulphi, genus enim, iuuentutem ac Clericatum ipsius Hildulphi sic perstringit. *Hildulphus claro genere*

[b] D. 8. Ian.

[c] Ap. Surium, d. 11. Iul.

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

ortus, ac à iuuentute literarum studiis eruditus, in breui ita profecit, vt de virtute in virtutem quotidie proficiens, purus & integer ab his vitiis, quibus talis ætas solet implicari, persisteret. Deinde moribus Ecclesiasticis assuefactus apud Ratisbonam vrbem Clericali tonsurâ initiatus est. Plerique Neotericorum, maximè Bauari, hanc opinionem, quâ gloriam suæ gentis se plurimùm aucturos sperarunt, amplexi sunt magno studio. Sed aliter sentiendum nobis videtur, Erardus enim erudiit quidem populum Ratisbonensem, sed aduentitius Antistes fuit, nec locum habere debet inter Episcopos Ratisbonenses, quorum primus extitit sanctus Garibaldus, vt per antecessum ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-secundum [a] iam obseruauimus, cùm sermonem faceremus de sancto Emmerammo Episcopo Aquirano, qui verbum Dei per triennium in Baioaria prædicauit. Erardum in Hibernia natum & apud Neruios eruditum arbitramur. De illo vt & de Hydulpho fratre sæpiùs agendum nobis erit.

[a] Num. 23.

AMBO PATRIA HIBERNI.

XXVI. Hoc anno Tagenbertus seu Dagobertus Augustanus Episcopus obiit. Tomo superiore [b] à Wictherpo, qui Dagoberto Austrasiæ Rege Pontificatum iniit, ad Symbertum vsque qui regnante Carolo Magno sedere cœpit anno Christi DCCLXXIX. Præsules Augustanos * hoc ordine recensendos contra multorum sententiam asseruimus, Wictherpum, Tozzonem, Tagenbertum, Mannonem, Wichonem, Petichum, Zaysonem, Marcomannum, Symbertum, sed abstinuimus à stabilienda singulorum Pontificatuum Chronologia, quia res non vrgebat, nam quibus annis ex hoc seculo Wictherpus & Tozzo migrarint, docent Theodorus in vita sancti Magni Faucensis Abbatis & Ermenricus in eiusdem vitæ supplemento. Desunt autem Auctores adeò antiqui, qui de Tozzonis successoribus scripserint, multáque in Neotericis occurrunt corrigenda, quoniam Wictherpum ac Tozzonem Marcomanno postponunt, & à Dagoberti Primi temporibus ad ætatem Caroli Magni varia fingunt interpontificia quæ nusquam contigerunt. Sanctus Tozzo feliciter animam Deo reddidit decimo-septimo Kalendas Februarias, anno reparatæ salutis sexcentesimo sexagesimo-primo, quid de subsequentium Augustanorum Antistitum Chronologia sentiamus, paucis accipe.

[b] Ad an. 624. nn. 19. 20.

* D'Ausbourg.

EPISCOPI AVGVSTANI.

XXVII. Ab anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, quo beatus Tozzo in cælum migrauit, ad annum vsque Christi septingentesimum septuagesimum-nonum quo Symbertus ad Episcopatum promotus est, effluxerunt anni duodeuiginti supra centum, diuidendique sunt in sex Pontificatus. Bruschius [c] & Bucelinus [d] Tagenberto sexdecim, nouemdecim Mannoni, Vichoni totidem, viginti Pericho, Zaysoni vnum ac viginti, Marcomanno viginti-nouem attribuunt. Inde autem exurgit annorum summa viginti-quatuor supra centum, si loquuntur de annis completis; annorum verò duntaxat centum ac duodeuiginti, si de incompletis. Ab hoc posteriori computo non recedemus. Sederunt igitur annos incompletos, Tagenbertus sexdecim, nouemdecim Manno, Vicho totidem, viginti Perichus, Zayso vnum ac viginti, Marcomannus vndetriginta; obierúntque Tagenbertus hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto, Manno anno Christi sexcentesimo nonagesimo-quarto, Vicho anno Christi septingentesimo duodecimo, Perichus anno Christi septingentesimo tricesimo-primo, Zayso anno Christi septingentesimo quinquagesimo-primo, Marcomannus anno Christi septingentesimo septuagesimo-nono.

[c] De Episcopis German. Tom. 1. c. 8.

[d] In Germania Sacra, p. 1.

XXVIII. Tagenbertus à Bucelino sic commendatur. *Tagenbertus siue Dagobertus insignis Christianæ fidei præco præfuit annis 16.* Paulò fusiùs à Bruschio sic. *Tagenbertus, alibi Dagobertus, pius ac sanctus Dei vir, veritatis Christianæ diligentissimus doctor & assertor, præfuit Augustanis concionando ac docendo, baptisando, ac aliis pietatis Christianæ officiis, annis sexdecim.*

TAGENBERTVS.

XXIX. Tagenberto successit in Episcopatum Manno, de quo sic Bruschius. *Manno, gente Sueuus, fideliter præfuit Augustanæ Ecclesiæ, purè docendo Christianos annis 19. Quando verò praeesse cœperit, aut quando eum Deus ex hac mortali vita euocarit, non inuenitur.* Ita scribit hic Auctor de Mannonis Pontificatu, quia

MANNO.

AN. CH. 676. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 3.

supponit Sedem post Tagenberti mortem *aliquandiu* vacasse. *Post eius mortem*, inquit, *propter summam Ecclesiarum Christum profitentium persequutionem, iterum aliquandiu sine gubernatore fuit Ecclesia Augustana.* Porrò, cùm Tagenbertus Episcopus è vita discessit, Austrasia, cuius pars erat Diœcesis Augustana, Dagoberto Secundo, Francorum Regi Christiano parebat, nec vllâ paganorum persecutione quatiebatur. Rectiùs igitur Bucelinus commentitium illud interpontificium omisit, electionem tamen Mannonis ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-quintum malè reuocauit, hæc enim, vt ex supradictis patet, hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-sexto contigit. Durauit autem Mannonis Pontificatus annos nouemdecim incompletos, id est, ad annum vsque Christi sexcentesimum nonagesimum-quartum, vt iterum ad illum annum dicturi sumus.

677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4.

ANNVS
CHRISTI 677.
THEODORICI III. R. 4.
DAGOBERTI II. R. 4.

I. LEODEGARIVS VSVM LINGVÆ RECVPERAT.

ANNVM Christi sexcentesimum septuagesimum-septimum Leodegarius Augustodunensis Episcopus in Monasterio Fiscanensi exegit, ibi enim, vt Anonymus in eius vita testatur, *per biennium ferè* sub custodia resedit. Mira ibidem de illo narrantur. *Lingua præcisa solitum recepit officium, & magnum doctrinæ suæ semen ostendit in populo, & quandoque inter virginum accedebat cateruam, tantâ vt fertur eloquentiâ, vt mirarentur quicumque audientes quanta Dei operabatur clementia, & conuersi à prauis operibus velociter peterent pœnitentiæ fructus. Vbi dum intra paruum spacium, oris, faucium vel linguæ recepisset officium, eò quòd oblatus fuisset ipse iam Domino, cotidianum immolare studuit sacrificium, & dum intrinsecus eum lux spiritalis impleuerat, de corporeis oculis nil curabat. Nam diebus ac noctibus in Dei cultu peruigil adstabat, & vel paululùm pro necessariis corporis vix aliquando ab Ecclesia procederet, vel quippiam somni ac cibi perciperet.* Verba sunt Anonymi, quibus adstipulatur Vrsinus.

II. In manuscripta sancti Condedi vita, quam priori anno citauimus, Lantbertus nominatur adhuc Abbas Fontanellensis anno tertio Theodorici Regis, & in altera eiusdem sancti Condedi vita quam Ansgradus coæuus scripsit, annus secundus Ansberti Abbatis, qui Fontanellense Monasterium assumpto ad Episcopatum Lugdunensem Abbate Lantberto administrauit, anno septimo Theodorici Regis illigatur. Inde colligimus Genesij Lugdunensis Metropolitani mortem Kalendis Nouembribus hoc anno contigisse, anno autem sequenti ex Abbate Fontanellensi datum successorem Lantbertum, eidémque Lantberto in Cœnobij tegimine Ansbertum fuisse subrogatum. Sepultus fuit sanctus Genesius Lugduni in Ecclesia beati Nicetij prope altare sui nominis, vbi post annos vnum & triginta supra sexcentos ab Hugone Thabariensi Episcopo repertus est iacens sine externa tumuli inscriptione. Pars reliquiarum asseruatur in Monasterio Kalensi. Festiuitatem illius agunt Lugdunenses decimo-octauo Kalendas Maias, virgines Kalenses pridie Nonas Nouembres, quia Kalendæ Nouembres, quibus obiit, Sanctorum omnium solemniis, duóque proximi dies commemoratione defunctorum & festo sancti Marcelli Parisiensis quondam Episcopi præpediuntur. Lege Martyrologium Gallicanum ad ipsas Kalendas. Erat sanctus * Genesius ex illorum Episcoporum numero, qui partes Ebroinianis contrarias in Burgundia sequebantur, eandémque procul dubio

GENESIVS EPISCOPVS LVGDVN. OBIT.

* S. Genis.

ſortem expertus fuiſſet cum Leodegario, niſi ciues Lugdunenſes ſumptis armis Paſtorem ſuum cum vrbe propugnaſſent.

AN. CH. 677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4. III.

Ebroinus, cùm ambo Regna Theodorici, Neuſtriam videlicet ac Burgundiam, pro nutu adminiſtrare vellet, ſedatâ Neuſtriâ rebus Burgundicis animum applicuit. Ad euertenda eorum conſilia, quos ſibi præuiderat aduerſaturos, vſus fuerat potiſſimùm Waymero & Adalrico viris opulentis ac potentibus, ille enim Dux erat Campaniæ, hic gaudebat quoque titulo Ducis, & Prouinciæ Patriciatum ambiebat. Auctoritatem vtriuſque mox vereri cœpit, neutrúmque paſſus eſt diu perfrui ſeculari dignitate. Waymerum, vt Anonymus in vita ſancti Leodegarij teſtatur, Epiſcopatûs gradu ſublimauit. Adalricum, quem & audaciorem & arrogantiorem animaduertit, aggreſſus eſt cum copiis, atque in Auſtraſiam fugere coegit. Eius bona Regio fiſco ſtatim adiudicari, deinde Beſuenſi Monaſterio à Rege conferri curauit. Extat huiuſce donationis Diploma datum hoc anno, pridie Nonas Septembris. *Meritò beneficia*, inquit Rex Theodoricus, *quæ poßident, amittere videntur, qui non ſolùm largitoribus ipſorum beneficiorum ingrati exiſtunt, verùm etiam infideles eis eſſe comprobantur. Ad huiuſmodi igitur exemplum, poſtquàm omnibus patefactum eſt, qualiter Adalricus Dux, Deo ſibi contrario, nobis infidelis apparuit & ſe Auſtraſiis conſociauit, vt aduersùm nos & noſtros fideles ſcelera ſua, ſi Dominus Deus permiſiſſet, exercuiſſet, nos propter ipſum facinus omnes res ſuas ad noſtrum fiſcum inßimus reuocari. Cognoſcat itaque vtilitatis veſtræ magnitudo, quòd res nominatas Fiſcafelinis vnà cum appenditiis ſuis & adiacentiis, & cum colonica, treuario, & quicquid ſupradictus Adalricus de quolibet adtracto ibidem tenuit vel poſſedit, ei Monaſterio, quod appellatur fons Beſua, quod eſt in honore ſancti Petri & Pauli, ac cæterorum ſanctorum conſtructum, vbi venerabilis vir Waldalenus praeſſe dignoſcitur, plenâ & integrâ gratiâ totum nos conceßiſſe. Quapropter per hoc nos Præceptum decernimus ordinandum, & in perpetuum volumus eſſe manſurum, vt memoratus Abbas Waldalenus prædicto Monaſterio fontis Beſuæ res iam dictas vnà cum ædificiis, mancipiis, acolabus, terris & pratis, ſyluis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, acceßibúſque omnibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, cum omni vſu fructuario, ex noſtræ largitatis munere perpetualiter recipiat poßidendas. Et vt hæc Præceptio firmior habeatur, & futuris temporibus inconuulsè teneatur, manûs noſtræ ſubſcriptionibus eam decreuimus roborare. Datum menſe Septembri, die* IV. *anno* IV. *regnante Theoderico Rege.* Waldaleno, qui maior ſeptuagenario tunc erat, ſucceſſerunt in adminiſtrationem Beſuenſis Cœnobij, Bercangus, Ferreolus & Syrannus, Abbates egregij, ſub quibus, ad tempora vſque Pipini Regis, inſtitutio monaſtica ſolerter viguit. Lege Chronicon Beſuenſe. Waymerus autem qui ex Campaniæ Duce factus eſt Epiſcopus, haud cenſeri debet alius à Wammiro ſeu Wandelmaro Trecenſi Pontifice, qui poſt Abbonem ſedit, ac locum viceſimum-ſecundum inter Antiſtites illius Eccleſiæ tenuit.

EBROINVS REBVS BVRGVNDICIS ANIMVM APPLICAT. ADALRICI BONA FISCO ADIVDICANTVR. TRADVNTVR MON. BESVENSI. WAMMIRVS FIT EPISC. TRECENSIS.

IV. EPISCOPI SENONENSES.

In hæc tempora incidit Pontificatus Landeberti, qui poſt Mederium ſancti Amati ſucceſſorem in Cathedra Senonenſi ſedit. Indices Epiſcoporum Senonenſium à Lupo primo qui ſub Clotario Secundo floruit, vſque ad alterum Lupum qui anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſecundo Præſulatum iniit, multùm deprauatos eſſe iam monuimus. Catalogum correximus à Lupo primo vſque ad ſanctum Amatum. Hic tantùm obſerua ſancto Amato in exilium pulſo ſubrogatum fuiſſe Mederium, huic Landebertum, cui ſucceſſit ſanctus Wlfrannus, vt ex huius vita conſtat à Iona Monacho Fontanellenſi conſcripta. Landeberti Pontificatus haud diuturnus fuit. Wlfrannus enim, cùm Diœceſim Senonenſem aliquot annis rexiſſet, Monachum induit in Monaſterio Fontanellæ, vbi tunc Anſbertus Abbas præerat, qui poſt ſanctum Audoenum ad Epiſcopatûs Rotomagenſis apicem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio promotus eſt.

V. AVDOENVS EP. REDIT EX ITALIA.

Interim Audoenus Epiſcopus Rotomagenſis hoc anno rediit ex Italia. *Cùm*

AN. CH. 677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4.

autem peruenisset ad fines Diœcesis suæ, suburbani ciues & vulgaris populus exultantes cum gaudio simúlque mœrentes cateruatim prouoluuntur in occursum eius, & vnà cum crucibus & lampadibus ad pedes pij Pastoris aggressi sunt, gratias agentes Domino, qui eis incolumem reddidit Pastorem atque Pontificem. Exinde felix nuncius ad aulam regiam eius aduentum innotuit, & vnà pariter Rex & Regina cum Proceribus Palatij lætantes occurrerunt ei, simúlque laudantes Deum, qui talem virum támque pium Pastorem remeare in eorum Regnum fecit. Quid dicam de Sacerdotibus & agminibus Monachorum Monacharúmque multarum, quæ eleuantes vocem in cælum simul canebant laudes, dicentes. Gratias tibi agimus Iesu Christe, fili Dei viui, qui exaudisti voces clamantium ad te, & reddidisti nobis Pastorem animarum nostrarum, simúlque corporum procuratorem. Similiter autem & pauperes exultabant gloriantes, quòd eis Deus remiserat fœneratorem suum piissimum. Exinde beatus Audoenus cum pace reuersus ad propria inuenit in Regno Francorum inter Principes Palatij orta scandala, instigante diabolo seminatore discordiæ. Tunc vir Domini assumens arma iustitiæ pernoctans cum vigiliis & ieiuniis & orationibus assiduis pro concordia eorum fortiter desudabat. Etenim multas tribulationes beata senectus sustinuit, vt pacificos redderet quos diu odia fœdauerant, & vt effusio sanguinis humani & cædes inter eos non fierent, penè vsque ad mortis terminum piè ac fideliter desudauit. Hæc leguntur apud Auctorem vitæ Carolo Martello coetaneum, intelligendáque sunt de discordiis in Palatio Neustrasiano, dum Audoenus aberat, inter Ebroinum aliósque Proceres natis. Ideóque Fridegodus prædictum Anonymum ita reddit. *Audoenus ad sedem propriam reuersus audit Palatij Principes, quos authore Deo Romam proficiscens concordes reliquerat, instigante diabolo, iam discordiæ peste correptos.* Vterque agit inferiùs de discordiis inter Francos seu Neustrasios & Austrasios, quibus etiam sedandis incubuit Audoenus, vt suo loco dicemus. Cum eodem Audoeno rediit in Galliam Sidonius Abbas, de quo iterum sub Ansberto Audoeni successore.

SEDANDIS TVMVLTIBVS TOTVS INCVMBIT.

VI. Eodem anno, quo reuersus est Audoenus ex Italia, Martyrium consummauit Aygulphus Abbas Lerinensis, priùs enim per ipsum Audoenum, qui tunc ex Italia redibat, certior factus est de insidiis, quæ sibi parabantur, vt testantur Acta manuscripta, quorum epitomen exhibemus. Aygulfus Abbas, cùm Monasticam disciplinam in Insula Lerinensi restauraret, pseudo-monachorum Columbi atque Arcadij odium incurrit. Illi è Monasterio digressi, ac simulatâ pòst pœnitentiâ veniam flagitantes à clementissimo Patre recepti sunt. Deinde alio communicato consilio Arcadius clàm discessit, vt collectâ flagitiosorum hominum manu impetum opportuno tempore faceret, Columbus verò remansit in Cœnobio, vt Monachorum animos si posset ab Aygulphi partibus reuocaret. Verùm Columbus, cùm nihil proficeret, Arcadio per literas author fuit, vt confestim ipse satellitibus dimissis ad Insulam rediret. At fictâ humilitate accedentem Aygulphus admittere noluit. *Sed ille iniuria impatiens ad quendam se contulit vicinæ Ciuitatis Principem nomine Mummolum, suasítque ei vt ad Monasterium iret, quasi multas pecunias ibidem reperturus, in cuius pectus cùm notam sibi facem cupiditas iniecisset, incunctanter iter arripuit, & Monasterium sanctúmque virum adiit. Et quia crebrò cum eodem Mummolo de vtilitate animæ conferre erat solitus, nihil veritus eum suscepit, & magnifico conuiuio eum curari fecit. Iam porrò insidiatorum concinnationes per Audoenum cognouerat Episcopum. Mummolo ergo præcedente & ceteris conspiratoribus, subitò Arcadius, ad similitudinem Iudæ, turbâ stipatus malignâ, constitui & Magistrum comprehendi, vinciri fustibúsque tundi iussit, quod factum est.* Hæc Abbas *æquanimiter* pertulit. Ad eum sub noctem adducti sunt & in vincula coniecti, qui *familiariùs* ei semper adhæserant Monachi. Posteà sopor solito grauior vinctos simul & custodes corripuit. *Vnus custodum misericordiâ tactus tectum custodiæ subiit, & culmen nudauit, ad fugam capessendam eos inuitauit, sed Sanctus Aigulfus gratias illius deuotioni egit, sed hortatui minimè adquieuit.* Die illucescente Arcadius eò se contulit vultu præseferens commiserationem, & à Truchario constanter obiurgatus est,

AYGVLFVS ABBAS LERINENSIS MARTYRIO CORONATVR.

AN. CH. 677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4.

tus est, quòd eorum, quos *in interitum* impellebat, *consultor* etiam videri vellet. Horâ tertiâ iterum accessit, *Sanctis cibos & pocula obtulit, & ad reficiendum tanquam eorum compatiens dolori ad conuiuium inuitabat. Sancti tamen licèt extrinsecus angerentur, non ideò propositi regularísque obliti consuetudinis responderunt non se perdere posse instituta regularia, quæ illo tempore ad nonam vsque horam extendi ieiunia iubent, sicque remotis adulijs, consueto more ad horam vsque solitam solemnia dilata sunt ieiunia. Cùm verò tempus soluendæ iam adforet abstinentia, vnanimiter pro ipso preces fuderunt, & sic ab eo oblatum cibum sumpserunt. Mummolus autem, qui talibus offensum se videre nolens à Monasterio recesserat, tertio die rediit, atque cum intentione maxima singulorum pecunias cœpit inquirere, sed Monachis respondentibus non licuisse vnquam sub manus sancti viri constitutos aliquid proprium habere, nec voluntatem quidem, sed esse omnia omnibus communia, ille cernens abs spe decidisse, aliorsum se vertit, quia enim non reperit priuata, inruit in publica, & quicquid rerum Monasterij fuit, & auferre cupiditas suasit, nil penitus reliquit.* Huic textui Monachus Lerinensis, vt Congregationi Casinensi totique Ordini Benedictino fauetet, in persona Monachorum Lerinensium nomen sancti Benedicti sic inseruit. *Nos sub beatissimi Patris norma & beati Aygulphi magisterio constitutos nihil proprium habere omnino decet, sed omnia omnibus sunt communia.* Redeamus ad manuscriptum Codicem. *Mummolo recedente, sanctus Aigulfus cum ceteris secundùm libitum Arcady & Columbi custodiebantur, & per dies decem in ergastulo custodiebantur corpore, sed semet solabantur hortamentis Domini*, &c. *Post hac autem ministri diaboli, Columbus scilicet & Arcadius, monentes tam Sanctum Aigulfum quàm reliquas Sancti Spiritus victimas naui imposuerunt, & mari sese crediderunt*, &c. *Sanè postquàm nadis, quæ vtrosque ferebat, persecutores videlicet & persecutionem patientes, altum petiit, venti contrarij se tollunt, & aliorsum persecutores ducuntur voluntate, alibi autem ventorum flamine. Sicque per quadraginta dies, quod dictu quoque mirabile est, rotabantur, toto illo oberrantes freto, vt nec ipsi littus prendere, nec vnda nauem mergere possent, credo monstrante Deo quod mererentur impij, sed, vt non paterentur quod mererentur sontes, obices quidem esse insontes*, &c: *Inter hæc Columbus videns sibi clausum mare, & reputans si terras prenderent, Sanctorum innocentia & sua pateret crudelitas, linguas Sanctorum fecit abscidi, quo facto, quasi integris linguis psallebant,* [*Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam,*] *sed tanto nequaquam motus miraculo in similitudine Pharaonis corde obduratus, radicitus fecit eas abradi, videre erat patens baratrum & nihil inesse plectri, & tamen verba perfectissimè absolui. Et cùm audiret eos Columbus inaudito more loquentes, impietatem suam augmentans, lumina eorum iussit terebrari, & licèt extrinsecus priuati luminibus, ea tamen, quibus Dominus videtur, lumina salua se habere scientes, fidentes coram eo, imò ipsi psallebant, dicentes, ad te leuauimus oculos nostros, qui habitas in cælis. Immanitas porrò Columbi & sociorum eius erga Sanctos nec sic quieuit. Fecerunt ergo vestimentis eos exui quibus induti erant, & sordida pro eis & vilissima præcipiunt mutari, non respicientes miseri, quia qui Christo indutus, secundùm Apostolum dicentem,* [*induite Dominum Iesum Christum*] *& iterum,* [*induite vos viscera misericordiæ, &c.*] *nihil sordidi eum dedecorare possit. Taliter sanè eis per multos iactatis dies, appulerunt Insulam Caprariam.* Posteà impositi sunt naui, quæ veniebat ex Africa, præceptúmque satellitibus, *vt Insulam venientes vocabulo Amatima inter Corsicam & Sardiniam sitam, ibi Sanctos gladio conficerent, quod & factum est sub die tertio Nonas Septembris*, quo die festiuitas eorum tecolitur in Tabulis Ecclesiasticis. Omisimus nonnulla, quorum fides videtur vacillare. Poteris ea legere apud Surium. Certè non est verisimile Aigulfum cum sociis in Capraria Insula per quinque menses commoratum esse, nec occurrit ratio cur Columbus per illud tempus Ephesum profectus censeatur. Passus est Aygulfus Abbas *cum sociis triginta & eo ampliùs*, vt quædam loquuntur Acta, vel cum triginta-tribus, vt Vincentius Barralis affirmat. Totum negotium Rigomiro Abbati, Aygulfi successori, & Angarismæ Abbatissæ Arlu-

RIGOMIRVS ABBAS LERINENSIS.

AN. CH. censi narrauit Briconius Monachus, qui scapham nactus diuino nutu ex impiorum manibus euaserat.

677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4. VII. IOANNES ABB. BLANDINIENSIS OBIT. SUCCEDIT BAUDEMUNDUS.

Ioannes Abbas Blandiniensis hoc anno, regiminis sui vicesimo, Nonis Martiis vitam clausit. In eius locum ab Amando subrogatus est Baudemundus. *Ioanne*, inquit Auctor Chronici Blandiniensis, *sub die Nonarum Martiarum, anno regiminis* XX, *defuncto, Abbas à beato Florberto tertius, ordinante sanctissimo Patre Amando, efficitur Baudemundus magnifica sanctitatis vir, cuius Abbatis tempore sanctissimus Pater Amandus vniuersæ carnis viam ingressus est.* Agemus de morte sancti Amandi post biennium. Si cupis autem scire, quanta Ioannem habuerit in existimatione, quantâque beneuolentiâ prosecutus sit Amandus, ipsius Ioannis Acta consule ex Archiuo Blandiniensi à Sandero edita. Ibi enim Amandus hæc Ioanni dona contulisse dicitur, *phylacterium, quod à sancto Martino Papa impetrauerat, & cucullam omni veneratione dignam, quâ ipse pro Pontificali cultu & honore indui solitus erat, cùm ad diuina mysteria celebranda sese præsentaret, & pedum pastorale incuruum, quod tempore deambulationis suæ peregrinationis suæ portabat.*

VIII. ORBACUM MONASTERIUM.

His circiter temporibus, cùm Theodoricus regnaret, & Ebroinus Regiæ domûs Maioratum gereret, erectum est Orbacense Monasterium à Reolo Remensi Episcopo, de quo sic Flodoardus [a]. *Construxit hic venerabilis Præsul Monasterium Orbacense, in loco, quem promeruit dono Regis Theoderici, per ipsius licentiam; suffragante quoque Ebroino Maiore domûs. Impetrauítque Domnus idem Reolus à Monasterio Rasbacensi sex Monachos, qui regimina sanctæ Regulæ ibidem tenerent, & alios ea docerent. Ex quibus vnum, Leudemarum nomine, in eodem loco Abbatem constituit.* Monachi Resbacenses ab initio Regulam sancti Columbani sub Agilo primo Abbate profitebantur, posteà sub Abbate Philiberto Agili proximo successore multa mutuati sunt ex Regulis Sanctorum, Macarij, Basilij & Benedicti. Lege quæ dicta sunt ad annos Christi DCXXXIV [b], & DCLXI [c]. Leudemarus instituta, quæ tunc in Resbacensi Monasterio custodiebantur, inuexit in Orbacense. Situm est Orbaeum * in Episcopatu Suessionensi, Resbacum * in Meldensi.

a Lib. 2. c. 10. b Nu. 11. 14. c Num. 17. * Orbez. * Rebez.

IX. GODUINUS ABBAS STABULETI OBTINET A DAGOBERTO R. CONFIRMATIONEM DONATIONUM SIGIBERTI PATRIS.

Hoc anno, siue vt Henschenius refert, *Kalend. Augusti, anno quarto Regni Dagoberti Regis*, oblata sunt eidem Dagoberto exemplaria donationum, quas Sigibertus Rex eius pater & Grimoaldus Dux Monasteriis Stabulensi & Malmundariensi contulerant, ipse verò patris donationem confirmauit hisce tabulis quas prælaudatus Author [d] in Diatriba de tribus Dagobertis descripsit. *Dagobertus Rex Francorum, illuster vir. Illud nobis ad stabilitatem Regni in Dei nomine prouenire confidimus, si facta Domini & Genitoris nostri Sigeberti quondam Regis pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideò vir venerabilis Goduinus, Abba de Monasterio Stabulau & Malmundario, Clementiæ Regni nostri suggessit, eò quòd Dominus & Genitor noster Sigebertus Rex, S. Remaclo ex villa cognominante Germiniaco in pago Remense ad suprascripta Monasteria, quæ sunt in Arduenna, quæ ipse Princeps suo opere construxit, ipsa villa Germiniacum cum omni integritate, appendiciis suis pertinentibus ad se, id sunt molendini duo sub tecto, Cumaria super fluuio Suppia, vinea in Beterio cum vineatore, hoc totum & ad integrum ad ipsa Monasteria, quæ sunt in honore patronorum nostrorum SS. Petri & Pauli & S. Martini vel sanctorum ceterorum, qui ibidem ad ipsa loca venerari noscuntur, per suam Præceptionem concessisset. Vnde & ipsam Præceptionem memoratus vir venerabilis Goduinus Abba, suis etiam manibus roboratam nobis in præsenti protulit relegendam, & asseruit quod pars ipsius Monastery ipsam rem superiùs intimatam, tempore præsenti possidere vel dominari videatur. Sed rei totius firmitate nostram se* . . . . *petit, vt pleniùs ex hoc ad supradicta Monasteria per nostram Præceptionem in Dei nomine confirmare deberemus. Cuius petitionem, sicut vnicuique iusta petentibus, præstitisse, & in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim vt, sicut constat per inspectam Præceptionem iam dicto Principe, ipsa villa superiùs intimata, cum omni integritate & soliditate sua terminum ad eandem vel ipsa for-*

d Lib. 2. c. 8. * Serenitatem.

maria seu vinea cum vineatore, taliter per suam Praceptionem ad ipsa loca sanctarum visus est concessisse, & hoc ad præsens pares (lege *patres*) *ipsius Monastery possedisse vel dominari videntur; ita deinceps per hanc Praceptionem nostram tam terris, casis, mansis, mancipiis, adificiis, cum vineis, campis, pratis, siluis, cultis & incultis, aquis aquarúmque decursibus, pleniùs in Dei nomine confirmatum, ita vt pares* (lege *patres*) *prædicti Monastery hoc habeant, teneant atque possideant, & ipse Goduinus successorésque sui perhennis temporibus hoc valeant possidere vel dominari, qui potiùs Monachis, qui ibidem ad ipsa Monasteria deseruire videntur, vel pauperes, quibus ad ipsa loca sanctorum alimonia exportantur, meliùs delectet pro stabilitate Regni nostri Domini misericordiam adtentiùs exorare. Et vt hac Praceptio pleniorem obtineat Dei nomine nostris & futuris, auxiliante Deo, temporibus vigorem, manûs nostra subscriptionibus subter eam decrenimus adfirmare.* Post Sanctum Sigolinum Monasterus Stabuleti & Malmundarij præfuit Goduinus, de quo sic Notgerus in vita sancti Remacli. *Successit Sigolino Goduinus, annis & morum maturitate grandæuus, qui sancti viri* (Remacli) *corpus transtulit, & in Ecclesia beati Petri reposuit, lectúmque illius auro & argento ornandum curauit.* Sepultus primùm fuerat sanctus Remaclus *in beati Martini Oratorio quod ipse extruxerat*, vt idem Author testatur. Vtramque ædem sic distinguit Fisenus [a] in elogio sancti Goduini. *Cùm eo tempore multis clareret miraculis S. Remacli corpus, id auro gemmísque studiosè ornandum curauit, & elatum S. Martini templo, quod curiale est & extra Monastery septa, in ipsum Monasterium inuexit ad Basilicam S. Petro consecratam, vbi perseuerat in hunc diem magnâ populi religione frequentatum.* Ceterùm Norgerus thecam, in qua reliquiæ sancti Remacli custodiebantur, lectum rectè nuncupauit, mors enim sanctorum dicitur somnus, cœmiteriáque seu dormitoria vocantur loca in quibus humantur.

ABBATES STABVLETI.

[a] Part. 2. Paralip.

X. His circiter temporibus Lambertus Episcopus in Monasterio Stabulensi mirum patientiæ atque humilitatis exemplum præbuit, quod ab Authore coætaneo in eius vita descriptum Godeschalcus politiore stylo sic reddidit. *Dum vir venerabilis Lambertus Episcopus in præfato Monasterio moraretur, consueto more in medio noctis expergiscens, contigit vt solus ad orationem deuoto pectore pergeret. Qua porrigente manum, arripientéque sandalia, alterum eorum de manu eius in pauimentum cecidit, & vsque ad auditum, sonum effecit. Hoc audiens pater Monastery* (verùm sanctus Sigolinus an sanctus Goduinus is fuerit, incertum manet) *sed nesciens quis hoc egisset, ait. Quisquis istum sonum fecit, ambulet ad Crucem. Igitur sanctus vir religiosus illicò obedientiam sine mora sequutus, nudis plantis, pedibúsue discalceatis & aspero cilicio indutus, clàm de lecto exiliens festinus vsque ad Crucem cucurrit. In illo autem tempore, brumalis circulus nimio frigore & glaciali niue algescebat. At ibi Dei famulus, immobilis persistens, & erectis manibus inflexibilia brachia extendens, & Psalmorum cantus efficaciter exercens, nimiâ aëris tempestate constrictus, vti inuictus miles, in magno labore persistens morabatur. Intereà nix vsque talos ipsius peruenit. Dominus autem, qui cuncta gubernat, & omnia, antequàm fiant, præuidet & scit, serui sui non immemor, misertus est. Nam dum in quadragesimo-primo Psalmo hunc versiculum cantaret, id est, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? hoc per Dei clementiam contigit, vt in illa nocte gallorum cantus citiùs quàm in singulis quibúsque noctibus solebat, audiretur. Et, nec mora, fratres Monastery, pulsato signo, ingredientes ad vigilias, & officio peracto, festinanter de templo exeuntes ac nimio frigore compulsi, frigentia corpora calefacere cupientes, domum introgressi sunt. Interim athleta Dei fortiùs certando & in orationibus assiduis laborans iuxta Domini Crucem fixus perstabat. Tunc pater Monastery requirens inquit. Anne omnes fratres nostros habemus? At vnus è fratribus respondens dixit ei. Ego te hac nocte de alio sonum faciente indicantem audiui, vt de eo quod incautè egit, iuxta Crucem pœniteret, sed prorsus quis esset ignoro. Adhuc illo loquente alter intrauit dicens. Verè Dominus Lambertus hac nocte longo temporis spatio iuxta Crucem discalceatus perseuerat. At ipse Abbas contremiscens, conuersus ad fratres dixit. Velociter ite, & pedibus eius corpora vestra*

EGREGIVM FACINVS LAMBERTI EPISC.

AN. CH 677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4. *prosternentes, vt ad nos veniat, humiliter postulate. At illi mox currentes, iuxta Crucem, stantem inuenerunt. Ipse verò Dominus Apostolicus capite & humeris & toto corpore, niue contectus, respondens, talia verba promebat. Cor contritum & humiliatum Deus non spernit, & reliqua. Illi verò, qui missi fuerant, postulantes dixerunt. O amice quasi legati pacis ad te missi sumus, Pater enim noster communis obsecrat, & omnes fratres deprecantur, vt ad illos quantocyùs pergas. At ille obedienter & humiliter precibus eorum consensit. Et postquàm comitatu eorum, in domum illam, in qua fratres erant, intrauit, statim Pater Monastery, simul cum Monachorum agmine ad pedes Pontificis prouolutus veniam postulans ait. Ignosce mihi, Pater, & secundùm clementiam tuam indulge, quia nesciens peccaui, quòd sic insipienter egi, da indulgentiam tuis deuotis famulis. At ille respondens dixit. Si vos insipienter & imprudenter fecissetis, ego à Deo indulgentiam postulassem, & vobis libenter cum charitate debita ex toto corde dimisissem, quia verò secundùm Regulam Ecclesiasticam & secundùm Monachorum instituta rectè indicastis, iuxta possibilitatem virium mearum, veluti seruus inutilis, vestris obtemperaui praeceptis. Nam sciebam quòd ex sententia Pauli Apostoli, frigori & nuditati & seruituti corpus meum subiicere me oporteret, ipse enim dixit. [Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum calorum.] Et rursùm dicit. [Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis.] Nam quantùm in hoc sæculo flagellis atterimur, tantùm in futuro gaudebimus, & ideo nullus labor durus, nullum tempus longum, quoniam vita æterna acquiritur. Continuò fratres osculantes manus eius & pedes, balneum & alia indumenta, quasi ad aliquod corporis eius solatium, pararunt, & ad inuicem mutuò talia verba dixerunt. Dominus nobis in hac nocte pro eius augenda gloria & pro lucris præmiorum promerendis, huius opera oculis hominum abscondita sed obtutui diuino manifesta, nota facere voluit.* Huc vsque Godeschalcus [a]. *Hæc Crux*, inquit Renerus [b], *lapidea erat inter Oratorium & dormitorium, ad hoc statuta, vt respectu ipsius Crucis, hi qui erant Christi, carnem suam deuotiùs crucifigerent cum vitiis & concupiscentiis, & si quando grauiusculis delinquerent excessibus, ad hanc addicti regulariter pœniterent.* Est verò in Monasterio Stabulensi adhuc hodie signum Crucis eò loci positum, vbi hæc Crux olim erecta fuisse dicitur, vt obseruat [c] Chapeauillus Canonicus & Vicarius Leodiensis, qui illud non semel vidit, & orationem facturus adiit. Præterea ob rei narratæ memoriam *in principali Ecclesia Leody, vbi preciosus Martyr* Lambertus *corpore requiescit, mos iste primùm inoleuit*, aiunt Nicolaus [d] & Ægidius [e], *vt intra claustralia septa sub diuo vexillum Crucis Dominica perpetuò stabiliretur, licèt nonnulla hoc Ecclesia vsurpare sibi videantur, alio quidem religionis genere.* Simillima legitur Historia de Austrebertha illustri Abbatissa, quæ per idem tempus in Diœcesi Rotomagensi Pauliacense Monasterium regebat. *Cùm ei moris esset, vt sicut bonus Pastor super gregem Domini vigilaret, & die noctûque circumiens, ne quid cuiquam fortè accidisset, inspiceret, die quâdam Matutinis expletis, cùm sorores fessis corporibus post laborem se in lectulis collocassent, in ipso lucis crepusculo cùm Aurora terram perfunderet, & ipsa volens cognoscere, an cuncta quiescerent, pergredicbatur leniter per dormitorium, inspiciens lectulos singularum. Euigilánsque Præposita, nesciens esse Dei famulam, valdè eam increpauit, dicens. Cur ita agis, soror? quare inquietas quiescentes? Vade, inquit, ad Crucem. Illa autem gauisa cucurrit quantocyùs, stetitque immobilis psallens, donec horâ competenti, signo tacto consurgerent omnes. Præposita verò cùm cognouisset quod fecerat, cadens ad pedes eius, veniam precabatur.* Hæc Auctor vitæ [f]. Vult Yepesius Austrebertham stetisse expansis ad Crucem brachiis, eámque vsitatam fuisse apud Belgas Monachos pœnitentiam probare conatur allegato prædicto Lamberti exemplo, ideóque *ire ad Crucem* vertit *ire se crucifixum.* Non diffitemur in vsu olim fuisse vt pœnitentes ad Crucem mitterentur, sed nec Lambertum Stabuleti nec Austrebertham Pauliaci putamus extendisse ad Crucem sua brachia. Pœnitentes aut constiterunt ad Crucem aut ad eam genua flexerunt. Quis credat Abbatem Stabulensem & Præpositam Paulia-

ET AUSTREBERTHÆ ABBATISSÆ.

[a] Cap. 5.
[b] Cap. 12.
[c] In not. ad c. 5. Godesc.
[d] Cap. 8.
[e] In add. ad Anselm c. 7.
[f] Ap. Bolland. d. 10. Febr.

censem fecisse tam inhumaniter, vt iuberent Lambertum & Austrebertham brachia exrendere ad Crucem, & ad plures horas id tormentum subire, quod nemo facilè vltra horæ quadrantem ferre possit? Lege vitam sanctæ Austrebertha cum Bollandi notis ad caput secundum. AN. CH. 677. THEODOR. III.

Eodem tempore quo Lambertus apud Stabulcum exulabat, egregiam opinionem de se concitabat Hadelinus Monasterij Cellensis in Episcopatu Traiectensi conditor, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum quadragesimum-quintum iam fecimus. Hic ex Aquitania in Austrasiam cum beato Remaclo profectus est, eique, si Fiseno [a] fidem habemus, ad annum vsque Christi sexcentesimum vodeseptuagesimum assiduus comes adhæsit; sed quia Remaclum, quem idem Auctor anno Christi sexcentesimo septuagesimo-quinto mortuum tradit, ad annum Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum peruenisse non constat, tutius est annum reponere à Christo sexcentesimum duodeseptuagesimum, quem dubio procul Remaclus attigit. Cur Hadelinus à Remaclo recesserit, Notgerus Leodiensis Episcopus in ipsius Hadelini vita sic exponit. *Hadelinus à Deo electus ad maiora se virtutum opera deinceps accingere cogitabat, benignus Pontifex Remaclus futurorum prascius ait ad eum. Accelera ergo, fili mi, alio quantocyùs profectionem, confectans Christum praducem, vallem contiguam saltui, qua adiacet fluuio Latia, quem dicunt vicini, adiens, locum, qui Inter-quatuor-montes vocatur, inquire, & illic Deo cohospite tibi habitaculum atque oratoriolum construe, Angelis vbi Prasulibus Domino Christo dignè valeas militare. Ille hac prasagia hilari mente suscipiens, vestigiis Pontificis prouolnere nisus est. At ille benigno hortatu illum eleuans, vt locum cum aliquantis comitibus adiret, & procedente tempore, vt ad se sæpè visitationis gratiâ rediret, suadebat. Exoratâ itaque & impetratâ benedictione, progressus indagandi cupidine loci, viri cuiusdam, qui vocabatur Beo, deuenit ad domum, agraque vxoris scilicet innamine, hospitio impetrato, inter versandum inquirere Sanctus iamdictum cœpit locum, obtentúque subulci ducamine locum inuenit, Deo gratias egit, adiutorium nostrum in nomine Domini, cecinit. Deinceps habitaculum construit, oratoriolum, vt tunc temporis posse fuit, perficit, seséque Christi famulitio Angelorúmque præsidio totum illic deuotus contradit.* Hæc initia fuerunt Cellensis Monasterij, de quo plura dicemus Tomo sequenti. Porrò Lætia, siue Letia, seu Lessia vel Lescia; vulgò *Lesch* aut *Les*, oritur in Arduenna haud procul Bullonio *, multisque anfractibus deuolutus, tandem rupis hiatu absorbetur magno fragore. Duarum inde leucarum spatio ad Hanum pagum denuò effluit eadem ex rupe. Idémne fit an alius, explorari adhuc non potuit. Paleæ enim concisæ vis ingens, & alia id genus, quæ ad plurima milliaria fluitare in aquis solent, sæpenumerò iniecta fuere, nec quâ parte rursum emanat, vllum animaduerti vestigium potuit. Idem tamen & priusquàm se terris condat, & vbi emergit, nomen. Tandem Mosæ mediâ supra Dionantum * leucâ miscetur à dextra, profundus vbique, &, si accolæ vti velint, nauium capax. Dionanto sesquihoræ itinere, & leucâ ferè à dextra Lesciæ ripa distant Cellæ, pagus insignis, à sancti Hadelini Cella seu Monasterio sic dictus, per quem alius labitur riuus, qui infra Cellas in Lesciam influit. Lege Bollandum in prolegomenis ad vitam sancti Hadelini [b], de quo rursum Tomo quarto sermonem faciemus.

DAGOB. II. RR. 4. XI.

a D. 3. Febr.

CELLENSE MONASTERIVM CONDITVM AB HADELINO.

* Boüillon.

* Dinan.

b D. 3. Febr.

Erardus Episcopus, qui Boioarios erudiebat, vbi rescinit fratrem suum Hildulphum in eremum abdicato Treuirorum Episcopatu secessisse, statim vt eum inuiseret viæ se commisit, vel si mauis audire Conradum, qui vitam ipsiusmet Erardi conscripsit, iter suscepit de fratris secessu nuncio nondum audito, cúmque Treuirim peruenisset, déque solitaria fratris vita certior factus esset, vlteriùs perrexit. *Diu itaque quæsitum cùm inuenisset, labori eius congratulans, inquit. Ecce, frater, desiderium cordis tui tribuit tibi Deus, & voluntate tuâ non te fraudauit. Quem enim diu concupîsti locum tuæ conuersationi habilem inuenisti. Tu ergo sta viriliter in fide, & confortare in Domino & in potentia virtutis eius, certus quia qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Per annos igitur aliquot con-*

XII. ERARDVS EPISCOPVS ADIT HILDVLPHVM FRATREM IN EREMO LATITANTEM.

AN. CH. 677. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 4.

[a] In not. ad vit. S Erard d. [illegible] Ian.

tinnos secum manentes, æternæ vitæ vicißim monitis resonabant, fratribúsque congregatis vtrique vita necessaria prouidebant, & tabernacula erigebant. Hæc Anonymus in vita sancti Hildulphi citatus à Bollando [a]. Conradus *annos aliquot continuos* interpretatur *quatuordecim annos* in vita sancti Erardi. Quis autem credat Erardum, qui Boioariorum conuersioni sedulus incumbebat, à Boioaria per annos quatuordecim abfuisse? Meliùs à Paulo hæc absentia exprimitur *diebus sat multis*; & ab Anonymo Pauli abbreuiatore *aliquantis diebus*. Illis diebus ambo fratres Monachis erexerunt tabernacula, quæ vocantur Monasteria cùm à Paulo eiúsque Abbreuiatore, tum à Conrado, statuuntúrque quatuordecim, è quibus ab Hildulpho septem, totidem ab Erardo constructa perhibentur. Paulus testem allegat Historiam Romanæ Bibliothecæ, *auctore Sancto Papâ Leone, qui nonus sui nominis Romanam rexit Ecclesiam.* Conradus à Pauli sententia plurimùm recedit; Leonem Nonum, cuius mentio fit apud Paulum, mutat in Leonem Tertium, huícque coætaneos constituit Erardum & Hildulphum, quos ait, eodem Leone *auctorizante*, in eremo simul mansisse *quatuordecim annos*, ibique Monasteria quatuordecim ædificasse. Sed procul eliminandæ sunt eiusmodi fabulæ. Erardus solitudinem, quam Hildulphus frater incolebat, non semel adiit, plures annos in ea continuos nusquam commoratus est, Boiorum enim erudiendorum desiderio tenebatur adeò vehementi, vt tanto temporis interstitio procul ab eis separari nollet. Quapropter postquàm *diebus sat multis* hac vice cum fratre mansit, *inde*, vt Paulus prosequitur, *proprio consulens ouili, valedicens fratri, sanctísque affatus adhortationibus, Boioariam prædicandi gratiâ ingressus est.* His igitur diebus in Vosago nullum ædificium ab Erardo vel ab Hildulpho constructum est præter aliquot Cellulas ad Rapidum fluuiolum cum duabus Ecclesiis, de quibus sermonem anno priori iam fecimus.

XIII. Hoc anno, seu biennio priusquàm beatus Amandus ex hac vita discederet, vt Vinchantius [b] in Annalibus Hanoniæ supputat, obiit Sonegiis Vincentius primus Abbas illius loci. Colitur pridie Idus Iulij. Prætereà, vt Molanus ad illum diem obseruauit, adduntur in Kalendario Sonegiensi Secundaria festa Translationum; primæ, duodecimo Kalendas Octobris; secundæ, quarto Kalendas Nouembris. In administrationem Monasterij Landricus eiusdem Vincentij filius ex Waldetrude legitima vxore, quæ seculo renuntiarat ex viri consensu, puellaríque Cœnobio tunc apud Castrilocum præerat, natus. Meldensis Episcopus à Vinchantio dicitur, Merensis Episcopus à Molano. Neutrum illorum Episcopatuum gessit. Abbas ex Monacho factus est. Metenses Infulæ penes Clodulphum, Meldenses penes Waldebertum erant.

[b] L. 3. c. 14.

VINCENTIVS ABBAS SONEGIENSIS OBIT.

SVCCEDIT LANDRICVS.

XIV. Inter viros pietate conspicuos, qui sancto Vincentio amicitiâ & familiaritate coniunctissimi fuerunt, in Historia eiusdem sancti Vincentij recensetur Wasnulphus *, quem nonnulla Martyrologia Belgicarum Ecclesiarum apud Molanum [c] sic commendant. *De Scotia Insula marina veniens in saltum Therascia, in loco qui nunc vocatur Cella, multis diebus laudabilem vitam duxit. Posteà verò ductu Angelico ad Monasterium Dei Genitricis Mariæ, Condatum * nomine, perueniens, ibi vsque ad obitum Domino seruiuit.* Apud villam enim Condatum fuit quondam Regalis & diues Abbatia puellarum, in honorem sanctæ Mariæ Virginis, deinde præ inopia paucorum Monasterium extitit Canonicorum, vt ex Chronico Cameracensi refert idem Molanus quem consule. Sanctus Wasnulphus Condati quiescit, vbi præter illius Natalem, qui Kalendis Octobris recolitur, celebratur & Translatio quarto Idus Ianuarij.

* Wasnon.

[c] D. 1. Octob.

* Condé.

MONASTERIVM CONDATENSE.

WASNVLPHVS.

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

ANNVS
CHRISTI 678.
THEODORICI III. R. 5.
DAGOBERTI II. R. 5.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo, *cùm poſt tot flagella, vt decebat Martyrem, fideles populi* Leodegario Auguſtodunenſium Epiſcopo *famulatum exhiberent venerabilem*, vt Anonymus in eius vita teſtatur, *Deus cœpit tunc in aduerſarios eius vlciſci derepentè. Nam dum per bienniū ferè* apud Fiſcanum *in Dei laudibus reſediſſet, aut eos illi nunciauerunt interfectos, aut pro infidelitatis culpa in regionibus aliis effugatos, quos ille grauiter deflens, non de vltione grauiſus, eò quòd ſine pœnitentia eos comprehenderit mortis occaſus. Eodem tempore vir glorioſus Theodericus Rex & idem Ebroinus Synodo ad quandam villam regiam venientes, multam Epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt. Ibique inter ceteros Didonem, qui ſanctum virum Leodegarium cum Waymero expulit de ſuo Epiſcopatu, & pœnæ tradidit, illectu condemnatum ab ipſa Synodò, caluariâ acceptâ in capite expulſum ſegregant à ſancta Congregatione. Deinde exilio condemnatus, mortéque ſecutâ, pœnâ capitis exſoluit quicquid doli in ſanctum virum exercuit. Alij verò Epiſcopi tunc à Rege pèr Ebroinum in ipſa Synodo pœnam ſimilem ſortiti, perpetuo exilio ſunt deportati. Waymerus etenim, qui ad ſupradictum famulum Dei capiendum, & ad implenda Ebroini dicta ſocius perniciei extiterat, poſteaquàm ab ipſo Ebroino, eò quòd in eius vltione conſenſerat, Epiſcopatûs gradu dolo fuerat ſublimatus, poſt paululum internallo interpoſito in offenſam incidens, Dei vt opinamur nutu multis flagellis obtritus eſt, nempe, vt fertur, laqueo ſuſpenſum, ac morte turpiſſimâ, vt decebat iuſti proditorem, condemnatum tranſmiſit ad tartarum. Adhuc autem vir Dei ſanctus Leodegarius in eodem Monaſterio Sanctimonialium, in quo ad cuſtodiendum poſitus fuerat, commorabatur.* Inter Epiſcopos qui Leodegarium crudeliſſimè vexarunt, furore præ ceteris capti ſunt Dido & Waymerus ſuprà nominati, quorum ille per multos annos in Cabilonenſi Cathedra ſedit, vt ex ſancti Leodegarij vita conſtat, hic ex Campaniæ Duce factus eſt Epiſcopus Eccleſiæ, vt opinamur, Trecenſis, infulâſque Pontificales ſpatio temporis longè breuiori geſſit. Waymero ſeu Wammiro ſubrogatus eſt Wlfredus. Ignoratur ſucceſſor Didonis, poſt hunc enim ad ætatem vſque Caroli Magni commemorantur in hodiernis catalogis Epiſcoporum Cabilonenſium Anteſtius tantùm & Amblacus, quorum etiam geſta perierunt obliuione conſepulta.

DIDO ET WAYMERVS EPISCOPI PVNIVNTVR.

WAYMERO SVCCEDIT WLFREDVS.

EPISCOPI CABILONENSES.

II. Leodegarius verò Martyrium ita conſummauit. *Ad beati Martyris perfabricandam coronam artifex verſutus Ebroinus tyrannus ſuperfuit vnus, qui ea quæ paſſionis eius gloriæ ſupererant adimplere deberet. Iterum antiquus ſerpens inuidus diabolus moleſtè ferens ſe ab eodem loco eius orationibus fuiſſe expulſum, ſtimulare rurſum cœpit Ebroinum, atque reduci eum præcepit ad Palatium, vt in Epiſcoporum Concilio eius diſrumperet veſtimentum, quatinus ob hoc ei eſſet interdictum, vt vltrà offerre non præſumeret ſacrificium. Vbi dum deductus fuiſſet ad medium, inquirentes ab eo verbum, vt de Childerici morte ſe conſcium fateretur fuiſſe, cognoſcens per diabolicum commentum rurſum ſibi imminere conflictum, vt de humano ſe non excuſaret delicto, ita de hoc facinore nullatenus dixit fuiſſe ſe conſcium; ſed potiùs Deum quàm homines hoc eſt ſcire profeſſus. Tunc & ipſum beatum virum ad eandem Synodum accerſierunt, nec tamen infra Concilium confirmatur fuiſſe, ſed ſeorſum eo tempore cum Rege eodem collationem feciſſe dicitur, in qua ei multa futura prædi-*

LEODEGARII EPISC. AVGVSTODVN. MARTYRIVM.

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

xit, quæ euenisse certò habetur. Et cùm diu flagitatus ab eo aliud non valuisset elicere, eius tunicam consciderunt à capite, eúmque Chrodoberto cuidam viro, qui tunc Comes erat Palatij, iussit tyrannus impius tradere, & præsentem vitam in gladij percussione auferri. Lætabatur autem Dei Martyr in omni patientia, quia debitam, sibi remunerante Domino, Martyrij sentiebat appropinquare coronam. Accepto eodem, Chrodobertus vt eum ad suam domum deduceret, cernens eum ex itinere ac infirmitate defessum, iussit ei ad refocillandum potum dari. Antequàm ei pincerna adsisteret, lumen magnum quasi in rota circulo de cælo descendens, super caput eius refulsit. Tunc trementes omnes, qui hoc signum viderunt, quid est hoc, inquiunt, Domine, quod paret super caput tuum quasi in circuli modum lumen splendidissimum de cælo, quod numquam à nobis simile visum est? Ille pronus in terra adorauit dicens. Gratias tibi ago, Omnipotens Deus, consolator omnium, atque refero, qui super seruum tuum ostendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes quasi in excessu mentis positi, tandem quidem repositi, simul glorificantes Deum Omnipotentem, & conuersi alter ad alterum, dicentes. Verè hic homo seruus Dei est. Et pollicebantur ad Deum prorsus totis se tendere pro viribus. Etenim memoratus vir cùm eum in domum propriam perduxisset, ita in eius aduentu benedictionem cælestem recepit, vt cùm omnes illic habitantes hoc manifestè cognoscerent, peccata propria confitentes, certatim ad pœnitentiæ lamenta confugerent. Hac enim gratiâ Dominus suum famulum illustrauerat, vt vbicumque exul fuisset traditus, vt ei inferrentur nequitiæ, versâ vice famulabilem omnes illi impenderent reuerentiam. Tandem peruenit dies muneris, in quo persecutionis eius iam esset finis. Tunc à Palatio sententia mandata est decreti, Leodegarium diutiùs viuere non debere. Et timens impius Ebroinus, ne à fidelibus Christianis honor ei impenderetur Martyrij, in syluarum condensâ iubet perquirere puteum, & ibidem corpus eius immergere trucidatum, quatinus os putei terrâ vel lapidibus obturatum, incognitum esset hominibus illius sepulchrum. Præfatus etenim Chrodobertus eo prædicante iam aliquantùm cœperat esse conuersus, ideò non ferens mortem viri Dei conspicere, quatuor iussit è famulis, vt ea, quæ sibi fuerant iussa, explerent. Vt enim in illius domum peruenit hoc nuncium, eius coniunx luctu flere cœpit amaro, eò quòd in viri sui ministerio peruenisset tam crudele facinus. Igitur vt cognouit vir Domini suum adesse iam terminum, mulierem cœpit consolari lugentem, dicens. Noli, quæso, mei transitûs causâ flere, quia nequaquam tibi mors mea ad vindictam requiretur, sed potiùs benedictio de cælis dabitur à Deo, si corpusculum meum deuotè condideris in sepulchro. Et cùm hæc dixisset, vrgentibus ministris valedicens educitur in sylua, vt iussionis implerent sententiam. Iam enim anteà quæsierant puteum, vbi corpus illius absconderent sicut fuerat iussum, sed nullatenus fuit vltrà ab eis repertum. Educentes autem per loca incognita vsque in quendam locum, in ipso loco adstitit dicens. Non necesse habetis, filij, longiùs fatigari, ad quod venistis citò facite, vt impleatis votum maligni. Hi verò, qui venerant ad eum perimendum, erant quatuor numero. Tres autem ex his prouoluti ad pedes eius, deprecabantur vt eis indulgentiam daret, & benedictionem suam super eos dignaretur tradere. Quartus verò superbus adstabat euaginato gladio, paratus ad interimendum. Et postquàm benedictionem suam super eos tradidit, & suis interfectoribus verbum Domini adnunciauit, tunc vir Dei incumbens orationi ait. Domine Deus Omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, per quem tuam notitiam accepimus, Deus virtutum & omnis creaturæ ac totius humani generis creator, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere, rogo deprecórque, Domine, vt ipse in me iubeas misericordiam pietatis tuæ largiri, & meritis Sanctorum tuorum me dignum facias participari, & vitæ æternæ consortem, & tribue indulgentiam his qui me tribulant, quoniam ego per eos in conspectu tuo credo, clementissime Pater, glorificatus fieri. Et exurgens ceruicem tetendit, gladiatores monuit, vt quod sibi iussum fuerat adimplerent. Cùm hæc diceret, percussor extendens gladium amputauit caput eius. Et erectum corpus eius substitisse quasi vnius horæ spacio dicitur, sed dum non statim eum cadere gladiator cerneret, eum pede percussit, vt citiùs in terra decideret. Sed non multò pòst percussor eius

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

ſor eius arreptus à dæmonibus, & mente captus, ac Dei vltione percuſſus, in ignem ſe proiecit, ac vitam finiuit. Tunc iuſſu coniugis huius viri Chrodoberti in quandam villam Sarcinio cum magno fletu plangentium à ſuis latenter deportatus, & huius fœminæ decreto, in veſtibus, in quibus trucidatus fuerat, in paruulo Oratorio beatus Martyr eſt ſepultus. Hæc Anonymus coætaneus in eius vita ſæpè laudata.

SEPVLTVRA.

III. Vrſinus beatum Martyrem tumulatum ait VI. *Non. Octobris.* Illo die in Tabulis Eccleſiaſticis hæc leguntur. *In territorio Attrebatenſi, paſſio beati Leodegarij Auguſtodunenſis Epiſcopi, quem variis iniuriis & diuerſis ſuppliciis pro veritate afflictum Ebroinus Maior Domûs Regiæ Theoderici interfecit.* Sanctus Leodegarius vitam clauſit in loco qui dicitur ſylua ſancti Leodegarij, ſepultúſque eſt in villa, quam Anonymus Sarcinium, Vrſinus Sarcingum vocat, in Epiſcopatu Attrebatenſi, quapropter cùm poſt aliquot annos corpus Martyris plures Epiſcopi cuperent ſibi vendicare, locum Martyrij & ſepulchri, quem in Diœceſi ſua Martyr ſuſceperat, conteſtatus eſt Vindicianus Epiſcopus Attrebatenſis, vt dicemus ſuo loco.

IV. Corpus ſancti Leodegarij apud Sarcinium in confinio Cameracenſis ſiue Attrebatenſis Epiſcopij & Morinenſis ſepultum manſit *annis duobus & dimidio,* vt Anonymus & Vrſinus teſtantur, quin & diſertis verbis Anonymus Tranſlationem ſancti corporis *medio Martio menſe* factam ait, id eſt, ſexto menſe anni poſt Martyrium tertij, ſeu menſe Martio anni pôſt Chriſtum natum ſexcenteſimi octogeſimi-primi. Quantæ autem apud Sarcinium ad tumulum ſancti Leodegarij factæ ſint virtutes, audi ex eodem Anonymo. *In paruulo Oratorio beatus Martyr eſt ſepultus. In quo ſepulchro annis duobus & dimidio humatum fuiſſe dicitur. His itaque diebus Sacerdos, qui huius Oratorij fungebatur officio, lumen ſplendidum abſque miniſterio humano in eodem cognouit loco noctibus refulſiſſe, & terribiliter cum iureiurando canticum ſe illic aſſeruit audiſſe Angelicum, adeò vt tremens refugeret, ne inſolens ſpiritali viſui intereſſet. Vnde rumor magnus emanauit in circuitu loci huius, & veniente ad eiuſdem beati Martyris venerandi Oratorium turbâ multâ languentium, diuerſis infirmitatibus detentos ſanauit, claudis ſcilicet greſſum dedit, cæcis lumen tribuit, obſeſſos à dæmonibus mundauit, multíſque virtutibus in huius loci venerando habitaculo emicuit. Hoc itaque eiuſdem Eccleſiæ adteſtabatur Sacerdos. Nam & huius Sacerdotis Miniſter Clericus, & ipſius Eccleſiæ cuſtos, quadam nocte latrocinium eſt paſſus, itaut à latronibus omnis ſubſtantia eius fuiſſet ablata. Inter quæ caliculam beati Martyris, quam pro reuerentia ſibi reſeruauerat, habebat abſcondi, quam latro neſciens ſecum portauit. Qui maturè ab Oratorio conſurgens, & ad domicilium ſuum pergens, inuenit omnia ſua furata. Qui feſtinus pergit ad huius viri Dei ſepulchrum, deprecans vt ei redderet quod ei furtim ablatum fuerat. Nam totâ illâ die & ſequenti nocte in oratione ad eius tumulum ieiunans & pſalmodiis inſiſtens adſtabat. Cùm verò expletâ oratione ad ſuam cellulam remeaſſet, nihil ex eis imminutum, ſed totum cum calicula beati Martyris ſaluum inuenit. Dominus verò latronis pro ſeruo iureiurauerat, nequaquam hoc malum egiſſe ſeruum, ſed reuerſus domum protinus vitam finiuit. Seruus verò ſcelus quod fecerat malè conſummauit. Tunc magis magíſque fama ſanctitatis beati Martyris latè prorupit. Quæ paulatim, poſteaquàm videri cœperunt, Ebroinum non latuit. Quo audito, nuncium miſit occultè, qui hoc inquirens ſtudiosè, ſibi vera nunciaret. Qui nuncius iuſſis eius obtemperans ad eius acceſſit tumulum, & interrogans cuſtodem, didicit vbinam Leodegarius iaceret; tùm cæcus, qui viſum receperat in virtutibus Dei, huic, vbi Sancti corpus requieſcit, diceret, & ipſe pro recepto lumine deſeruiret, hoc nullatenus credidit, ſed ſuperbiâ tumidus accedens orationi diſtulit incumbere, quin potiùs deſpiciens humum pede percuſſit, & ſtultè loquitur dicens eò quòd neſciret virtutem Dei. Etenim, inquit, mortuus virtutes nequaquam faciet. Nam miſer reuerſus, priuſquàm ea nunciaret huic, à quo miſſus fuerat, in ſe cognouit quantùm Sanctus Martyr virtutibus polleret. Dum enim iter carperet, ille vitam perdidit, & ei à quo miſſus fuerat minimè renunciauit, & quem elatus non credidit, alliſus compulſus eſt cognoſcere quem deſpexit. Sed cùm tanta*

MIRACVLA.

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5. *rei diuulgaretur opinio, & fidelibus hoc prouenisset ad gaudium, hac cognita Ebroinus iniquissimus tacito corde retinebat, & tremens intra se verecundè prater coniugi nemini manifestare audebat, ne fortè crescente gloriâ Martyris, sua, qui tale lumen extinguere cupiebat, esset diminuta in populis. Nam his spatiis dierum, quantum ille miser hoc bonum latere cupiebat, tantò magis vbique rumor virtutum supradictarum beati Martyris dilatatus radiabat. Mox etiam vt Ebroinus hoc percognouit, noluit corrigere quod fecerat malum, sed corde iam cæco cum suis sequacibus incredulitatis obduratur obstaculo. Iubebat enim minando abscondere quod Christus Dominus ad confortandum incredulos, ad gloriam sui Martyris, supra candelabrum sua Ecclesiæ ad illustrationem fidelium dignatus est demonstrare.*

V. Mirare singularem Dei prouidentiam, qui sanctitatem & innocentiam Leodegarij tot signis comprobauit. Vixit sanctus Leodegarius difficillimis temporibus, Episcopatum adeptus est sub Clotario Rege, procurante Bathilde piissimâ Reginâ. In flagrantissima Childerici Regis amicitia per aliquot annos stetit, donec in eius odium per calumniam incurrit. Ablegatus in exilium patientiæ & humilitati totus incubuit, tantùm abest vt seditionem moueret, aut prauis artibus contenderet in aulam reuocari. Post Childerici mortem Sedi suæ restitutus, partes Theodorici, qui legitimè regnabat, tueri non destitit, etiam cùm captiuus teneretur ab Ebroino, qui puerulum incerto patre natum, nomine Clodoueum, & Clotarij quondam Regis filium & Regem acclamauerat. Vocatus in iudicium coram Theodorico Rege, & ab Ebroino, qui nuper in gratiam cum Theodorico redierat, accusatus quòd necis illatæ Childerico conscius extitisset, innocentiam suam, cuius patrocinium apud homines satis firmum non repererat, soli Deo commendauit, ab eóque post mortem tot tantísque miraculis fuit illustratus, vt posteris seculis insons toto orbe Christiano prædicaretur. Ebroini facinus excusari nequit, non ideò tamen vituperandi sunt, Audoenus, Reolus, aliíque sanctissimi Præsules, quibus arctissimam cum Ebroino amicitiam eâ tempestate annísque subsequentibus intercessisse constat. Licèt enim Ebroinus tonsis capillis Clericalem habitum induisset, plerique nihilominùs sentiebant illi liberum ad secularia desideria regressum patuisse, quia vir coniugatus, nec vxoris assensu spontaneâve voluntate comam deposuerat, nec sacris Ordinibus se permiserat initiari. Quod ad causam Leodegarij attinet, priuata res tum habebatur, pro qua nemo iubebatur ab Ebroini colloquio & familiaritate discedere. Childericus Rex neci traditus fuerat. Ignorabantur auctores cædis. Leodegarij in exilium acti speciosa vindicta prætendebatur ab Ebroino.

VI. LANTBERTVS FIT EP. LVGDVN. Hoc anno Lantbertus ex Abbate Fontanellensi creatus est Episcopus Lugdunensis, vt succederet beato Genesio, qui Kalendis Nouembris anno superiori decesserat. Deinde Lantberto Lugdunum profecto Ansbertus ex Monacho Fontanellensi factus est Abbas eiusdem Monasterij. Vtramque electionem descripsit Aigradus in sancti Ansberti vita, quam Abbati Hilberto, ipsius Ansberti in regimine Cœnobij Fontanellensis successori direxit. A Lantberti promotione ad Episcopatum Lugdunensem sic exorsus est. *Quo ordine in Lugduno celeberrima vrbe Galliæ Pontifex sit subrogatus, breui sermone narrabimus. Defuncto igitur sancto Genesio Præsule eiusdem vrbis, cuius Deo dignam vitam laudabilia commendant gesta, illico pius Rex Theodericus, & inclytus Princeps Pipinus Ansegisi filius, consobrinus videlicet beati Patris Wandregisili, cum Proceribus Palatij salubre agentes consilium, diuinâ vtique prouidente inspione, in præfata vrbe cum vnanimi eiusdem regionis populi voto, eiusdem vrbis eum constituerunt Antistitem.* Et paucis interiectis assumptionem Ansberti Monachi in Abbatem ita subiunxit. *In prædicto verò Cœnobio Fontanellensi, post recessum sancti Pontificis Lantberti, diuino nutu iuuante, vnanimes eiusdem Congregationis Monachi beatum Ansbertum sibi elegerunt præesse rectorem.* Porrò quæ de Pipino Principe recitata sunt, à Neotericis temerè videntur scripta sublato Ebroini nomine, qui tunc Princeps erat Palatij Neustrasiani sub Theodorico Rege, Pipinus

enim Præfectoriam administrationem in Neustrasia longè seriùs adeptus est, vt ipsemet Aigradus in eadem sancti Ansberti vita testatur, cum Pippinum ait in illa dignitate suffectum fuisse Warratoni & Gislemaro, qui post Ebroini mortem Maiores Regiæ domûs in Neustria fuerunt. *Decedente*, inquit, *de ordine Principatûs Warratone illustri, & eius filio ac supplantatore nefando Gislemaro, Pipinus Præfectoriam administrationem Domino largiente adeptus est.* Ebroini nomen & encomium cuipiam adeò displicuit, vt detractum putaret laudibus sancti Lantberti, si Lugdunensis Pontifex accedente Ebroini suffragio & auctoritate factus prædicaretur, ideóque Pipino perperam attribuit, quod ab Aigrado de Ebroino scriptum legerat.

VII. BATHILDIS OBIT.

Ad hunc annum peruenit sancta Bathildis, obiit enim mense Ianuario, superstésque vixit beato Genesio Episcopo Lugdunensi, cuius mortem Kalendis Nouembris anno superiore consignauimus. Excessit è viuis regnante filio Theodotico, vt ex vita sancti Wandregisili constat, sed quonam Principatûs anno non liquet. *Iam propinquante glorioso eius obitu*, inquit Author [a] coætaneus, *visio præclara ei fuit ostensa. Scala enim recta & stans ante altarium sanctæ Mariæ, cuius culmen cælum contingeret, & quasi Angelos Dei comitantes, vt ipsa Domna Baltildis ascenderet per eam, vt ex hac reuelatione patenter daretur intelligi, eò quòd per sublimia eius merita, patientia & humilitas eam ad celsitudinem æterni Regis, & ad præmij coronam citiùs exaltanda perduceretur. Quâ etiam ipsa Domna visione compertâ, cognouit se quantocyùs è corpore esse migraturam, & illuc vbi iam olim thesaurum optimum reconderat, perventuram. Illud verò silere præcepit, vt vsque in transitum suum pro doloris mæstitia Sororibus vel Matri Monasterij ipsa visio non indicaretur. Sed potiùs ipsa piâ & alacri mente magis ac magis sanctæ insistere preci, & semetipsam cum cordis contritione, humiliter cælesti Regi Domino Iesu Christo commendare attentiùs. Et occultò exhortabatur semper vel consolabatur Domnam Bertillanem & Sorores, eò quòd ipsa iam aliquantulùm ab infirmitate sua conualesceret meliùs. Et dissimulabat venturam mæstitiam de transitu suo, quæ magna posteà & subitanea eis contigit. Cùm verò ipsa Domna sensit proximum finem suum, tunc mens eius sancta ad cælum erecta est. Certáque facta de beatitudinis retributione & præmio magno, prohibuit secum consistentibus, vt aliis sororibus hoc nullatenus innotescerent, nec Domna Abbatissa, quæ valdè & ipsa infirmabatur, ne illa pariter periclitaretur ob magnitudinem tristitiæ. Et erat aliqua quædam tunc infantula sua filiola, quam præcepit vt secum iret, quæ & ipsa subitò è corpore exiit, & eam ad tumulum præcessit. Tunc consignans se confidenter, & pios oculos ac sanctas manus erectas, sancta illa anima à corporis vinculo in pace soluta est. Statímque diuinus splendor in ipso cubiculo clarissimè coruscauit. Et sine dubio ab Angelorum choro, vel obuiante amico suo fidelissimo, quondam Domno Genesio Episcopo, gloriosè ipsa sancta anima recepta est, vt magnum eius exigebat meritum.*

a Ap. Bolland. d. 26. Ian.

VIII. RADEGVNDIS.

Per infantulam Bathildis filiolam intellige puellam, *quam Bathildis ex fonte sacri baptismatis susceperat*, vt distinctiùs explicat alius Anonymus, qui sanctæ Bathildis vitam rudiore stylo ab Authore nuperrimè citato conscriptam emendauit phrasi aliquantò curatiùs limatâ. Vixit septem duntaxat annos, vocabatúrque Radegundis. Vtrumque docet is qui literis commendauit Translationem sanctæ Bathildis factam sub Ludouico Pio, cùm Diœcesim Parisiensem tegeret Erkanradus Episcopus, Kalense Monasterium Helgilwich Abbatissa. *Pontifice*, inquit, *vrbis Parisiacæ ad propria remeante cum lætitia & exultatione, contulit secum venerabilis Abbatissa, ne vacuus relinqueretur locus, vbi sanctum Baltechildis positum fuerat corpus. Diuinâ verò gratiâ administrante consilium, duxit dignum, vt quia mater exinde sublata fuerat, filia eius, quæ septimo ætatis suæ anno, nomine Radegundis, ab hoc seculo migrauerat, collocari deberet. Pro hac siquidem, sicut in eius vita sancta reperimus, ante horam obitûs sui Deum postulauit, vt eam in morte præcederet. Præuidebat enim in spiritu mala mundi, & ideò orabat, ne retibus eius illaquearetur, sed sicut animam in tantillo corpusculo dona-*

AN.CH. *erat mundam, ita absque labe peccati reciperet puram, ac inter agmina sanctarum*
678. *virginum collocaret sine fine mansuram.*

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

IX. Beata Baltildis sepulta fuit in Ecclesia Sanctæ Crucis quam construxerat. Ad eius rumulum varia mox fulserunt miracula. Puer dæmoniacus, quem Leudegangus Episcopus è Prouinciæ partibus adduxerat, sanitatem recuperauit. Hæc posterior Author vitæ fusiùs exponit, docétque sanctæ Baltildis obitum contigisse tertio Kalendas Februarias, quo die nunc etiam in Kalensi Monasterio coli consueuit, quamuis eius nomen in Tabulis Ecclesiasticis septimo easdem Kalendas scriptum reperiatur.

X. Wlfrannus, qui posteà Senonensem Pontificatum gessit, hoc anno Theodotici Regis quinto, vt apud Ionam Monachum Fontanellensem legit Auctor Neustriæ Piæ, Mauriliacum Cœnobio Fontanellensi tradidit. Illius vitam retulit in literas, inscripsitque Baino Fontanellæ Abbati Ionas eiusdem Cœnobij Monachus. Quinque antiquissimi Fontanellæ Abbates hoc recensentur ordine, Wandregisilus, Lambertus, Ansbertus, Hildebertus & Bainus. Sub Abbatibus Ansberto & Hildeberto Monachum egit Wlfrannus Episcopatu dimisso. Ionas igitur inter Auctores coætaneos annumerari debet. At eius scripta, quæ Surius [a] publicauit, multi iam questi sunt à Neotericis interpolata fuisse. Ionas sic præfatur. *Reuerendissimo atque sanctissimo Præsuli vrbis Taruenna, Abbatique Cœnobij Fontanellæ Baino, vltimus seruorum Christi seruus Ionas. Iubet Apostolatûs vestri Celsitudo, vt almi Patris Senonum Archiepiscopi meo studeam stylo condere vitam. Qui tempore regiminis Sancti Ausberti Abbatis Fontanellensis Cœnobij, futuri Præsulis Rothomagensis Ecclesiæ, hoc adiens Cœnobium, abruptis seculi laqueis, militiam Christi perseuerandi definitione suscepit, atque ad prædicandum Frisonum genti, catenus in ignorantia cæcitate sedenti, Euangelici ministerij opus assumens, animum conuertit. Nam penes nos superstes manet venerabilis vita Presbyter Ouo, ex ipsa Frisonum natione oriundus, qui viuâ voce narrat, quanta per eundem Pontificem sanctum in eadem gente Christus virtutum miracula operari sit dignatus.* Capite autem quarto vulgato laudat Wandonem Abbatem. *Vir*, inquit, *reuerendissimus Wando, tunc temporis Diaconus & cooperator in verbo Dei eiusdem Præsulis, posteà autem Presbyter, & succedenti tempore eiusdem Monasterij Fontanellensis Abbas in quo educatus fuerat.* Et vulgato capite quinto, cùm Ostrulphus Abbas esset, Ouonem ex hac vita discessisse sic affirmat. *Prædictus Ouo lauacri salutaris vndâ perfusus, atque à præfato Pontifice Fontanellam perductus, literisque sacris eruditus, posteà Diaconus consecratus, deinde sequenti tempore à venerando Pontifice Reginaldo vrbis Rothomagensis Presbyter ordinatur. Et quia erat in arte scriptoria eruditus, plurimos Codices in prædicto scripsit Monasterio, sed & testamenta & largitiones fidelium plurimas, quas ipsi loco felici munere conferebant. Ibique magno confectus senio, sub Ostrulphi Abbatis tempore vitam Deo dignâ conuersatione terminauit.* Post Bainum autem, cui Ionas opus suum dicauit, hi fuerunt Monasterij Fontanellensis Abbates, Benignus, eiecto Benigno Wando, exauctorato Wandone iterum Benignus, Hugo, Lando, Teutsindus, Wido, Raginfridus, iterum Wando, tum Ostrulphus, obiitque Wando ætatis decrepitæ senio confectus regnante iam Pippino. Prætereà capitibus decimo & decimo-tertio inserti sunt anni Christi, qui comparari non possunt cum adiectis Characteribus Chronologicis, vt suis locis ostensuri sumus. Denique error in ipsis annis Regum deprehenditur. Exemplum præsentissimum occurrit. Largitionem quam hoc anno Wlfrannus Cœnobio Fontanellensi contulit, vulgata editio sic exponit. *Possessionem suam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ sita est in territorio Vastinensi, per testamenti seriem prædicto sacro loco* Fontanellæ *& ipsi Sancto Patri* Ansberto *contradiderat, quæ facta erat anno* 15. *Regis Theodorici. Necdum enim idem vir Dei Pontificatûs conscenderat gradum. Intererat in hoc conuentu, & confirmauerat cum aliis illustribus viris hoc scriptum Sanctus Erembertus, Episcopus vrbis Tolosæ & Monachus eiusdem Cœnobij Fontanellensis.* At Arturus *du Monstier* in Fontanella sancti Wandregisili [b] iam

ABBATES FONTANELLÆ.

[a] D.20.Mart.

[b] Cap.4 n.5.

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

monuit id consignandum anno Theodorici Regis non 15. sed 5. Nam priusquàm à Childerici morte Theodoricus Rex annum Principatûs decimumquintum attingeret, Wlfrannus obtinuit dimisitque Pontificatum Senonensem, & Ansbertus ex Abbate Fontanellensi factus est Rotomagensis Episcopus. Delendum & nomen Etemberti, qui priùs obierat, cùm administratio Cœnobij Fontanellensis penes Lambertum Abbatem Ansberti decessorem esset, vt ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-primum [a] obseruauimus.

[a] Num 19.

XI. Eodem tempore, quo Fontanellam Monasterium virorum rexit Ansbertus, Angadrisina illius quondam sponsa præfuit puellarum Cœnobio, cui nomen Oratorium * *in pago Bellonacensi, prope muros vrbis Bellouacus.* Hæc de Oratorij situ vulgatus Aigradus in vita sancti Ansberti. Sed Louuetus [b] obseruat Oratorium ab vrbe Bellouaco duabus fermè leucis remotum fuisse.

ANGADRISINA ABBATISSA ORATORII.

* Oroer.

[b] Hist. Bellou. l. 5. c. 6

XII. Hoc anno, corpora beatissimorum Martyrum Aygulfi Abbatis sociorúmque translata sunt in Monasterium Lerinense. Martyrij, quod anno præterito subierant, nuncius fuit Briconius, de quo sic Acta sancti Aygulfi manuscripta non semel à nobis laudata. *Briconius Spiritu adactus diuino scophom nactus subiit, & internecioni fraternæ se subduxit, quem ad hoc credimus diuinitus reseruatum, ne Sanctorum passio occuleretur, ipsius enim relatu & modus passianis Sanctorum ad notitiam mortalium est proditus, & corpora ad consolationem nostram per Domini gratiam manifestata sunt & ad nostros fines relata.* Sequitur in eodem Codice narratio Translationis in hunc modum. *Post triumphum beati Aigulfi Monachi & Martyris, Monasterio Lerinensi, cui Pater præfuerat, substitutus est vir venerandæ vitæ Rigomirus nomine, cui decessu sancti viri denuntiato, tam ipsi quàm fratribus magnus inductus est luctus; at verò, cùm carni compaterentur, spiritui congratulabantur, scientes successisse post habitaculum luteum, penetrale æternæ ciuitatis, cuius Rex & Conditor Dominus. Prætereà huius nuntij participem faciunt quandam Abbotissam Angarisimam nomine, quæ in vicino Monasterio Sororibus præerat, Sanctimonialis à sancto viro à primæua ætate, tam in Scripturis diuinis quàm Monasterialibus imbuta doctrinis. Igitur communi consilio & ope naues præparant, comites delegant, & hos, qui locum nouerant, adiungunt, qui Deo prosperante, secundis flatibus, blandáque aurarum temperie vsi, deuecti sunt ad locum, in quo Martyrum gloriosæ iacebant exuuiæ, hominum quidem destituta custodiâ, sed manu diuinæ protectionis defensa, quibus, vt optabant, repertis, cum maxima alacritate & summa reuerentia, vtpote Martyribus digna, naui imponunt, & concito itinere redeunt, eísque Deo duce & reduce secundis potientibus effectibus, & corpora Sanctorum Monasterio Lerinensi inferre parantibus, obuiam se tulit iam dicta Abbatissa Angarisma cum multa prece obsecrans, vt sibi facultas attribueretur Magistri corpus humandi in Monosterio suo* Arlucensi. *Deuota verò petitio religiosæ fœminæ, & filiorum erga Patrem incomporabilis affectio huius soluit, vt sic dicam, amicabile iurgij seminarium. Nam venerabilis fœmina desiderio flagrans corpus petebat, discipuli autem nec à modico illius secerni volebant, sed inter hæc mediam se obicémque interposuit charitas, quæ talia dirimere consueuit, namque & fœmina repressit auidiorem voluntatem, & istorum deuotionem amplianit, adeò vt illi attributum caput sancti corporis cum brachio dextro sufficeret, reliquum autem corpus cum Reliquiis Sanctorum ceterorum à beato Rigomiro & fratribus transferretur humandum.* Vincentins Barralis hanc notatiunculam de Reliquiis sancti Aigulphi sociorúmque Martyrum subiecit. *Hæc nostrâ adhuc ætate venerabilia lipsana Sancti & inuicti Patris Aygulphi, trigintáque-trium Monachorum Lerinensium Martyrum sociorum eius, in sacro alueario Insulæ Lerinensis & infra solidam turrim in sacello Sanctæ Crucis venerabiliter cum reliquis Sanctorum Reliquiis asseruantur in quadam capsa seu arca lignea, deforis depicta rubea colore cum hac inscriptione. Hæc sunt corpora Sanctorum Aygulphi & sociorum eius. Cranium verò & ossa sacri capitis reuerendi præfati Athletæ Aygulphi Abbatis in statua eleuata è pectore sursum argentea magnificè elaborata & incisa, in habitu Pontificali cum mitra variis lapillis ornata reconditum ibi custoditur hac notâ circumsignatum. Hoc caput B. Aygulphi Reumondina*

TRANSLATIO S. AYGVLPHI.

AN. CH. *Tombarella & Iacobus filius eius de Nicia Monachus Lerinensis fecerunt fieri, & ego Ioannes Calio feci anno 1452. die 22. Maij.*

678. *Porrò sancta Abbatissa* Angarismæ, vt in Actis sancti Aygulphi manuscriptis legitur, *deuotio nequaquam indonata relicta est. Fuit enim in Monasterio illius quadam sororum*, quæ eùm visum amisisset, *plenâ fide cum reliquis, quæ sacris funeribus solemnes exhibebant excubias, noctem totam orationibus laudibusque onerauit diuinis, mane autem facto* lumen oculorum recuperauit. Sed & eadem

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

XIII. MIRACVLA. Acta clauduntur hoc insigni miraculo. *Columbus sancti viri mortis concinnator cùm nocte, qua diem Martyrij sequebatur, se lectulo commisisset, vtpote membra relaxaturus in quietem, repentè vir Domini astitit; cur immeritum se tantis malis addixerit, increpauit; quare crudelitatis eius immanitas vsque ad homicidium innocentum exarserit, vehementer inuectus est. Quibus dictis, sanguinis effusi guttam digito sumpsit, & eius pectori ac dorso signum in modum circuli impressit, quo viso, miser tremebundus ad pedes eius concidit, & obsecrare eius solitam inuictamque pietatem cœpit, ne se tanto obnoxium iudicio, examini reseruaret diuino. Tum Sanctus precibus eius motus, vnum eaeum detersit, aliud autem aboleri non posse indicauit, donec ante Clodoneum Regem* (lege Theodoricum) *Ebroinúmque Maiorem domûs & publicum Francorum iudicium adhiberetur & remedium. Quod & factum constat. Iussu enim Regali perquisitus inuentus est, & in vincula coniectus, atque iudicio Francorum pœnarum ferocitate vsque ad mortem vexatus.* Sequitur expositio visionis, quam subiicimus ex editione Suriana [a], quia prolixior in Codice manuscripto. *Possumus autem haud obscurè per sanguinem Martyrum fusum intelligere innocentiam vim passam, instam expetere vltionem; effigiem circuli sanguine expressam, ineuitabilem diuini iudicij animaduersionem; geminum circulum pectoris & dorsi, præsens & futurum supplicium; alterius circuli abolitionem, æterna pœna remissionem Sancti viri precibus ei impetratam; alterius permansionem, necem temporariam quâ affectus est. Etsi enim Sancti impetrant persequutoribus suis ne in æternum puniantur, nolunt tamen prorsus impunè abire quod vel in Deum vel in proximos sceleratè admisere.* Error irrepsit in Regium nomen. Ebroinus enim Maioratum Regiæ domûs bis gessit, semel sub Clotario Tertio, iterùm sub Theodorico Tertio Clotarij Tertij fratre, nusquam verò sub eorum patre Clodoueo Secundo. De anno quo Martyrium sancti Aygulphi contigit, nec aduersùs Monachum Lerinensem, qui annum Christi sexcentesimum sexagesimum, nec aduersus Sigebertum disputabimus, qui annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-primum notat, Chronologiæ nostræ fundamenta priùs stabilita contra Neotericos & veterum Scriptorum Interpolatores optimè subsistunt.

[a] d. 3 Sept. in vit. S Aygulfi, edit. an. 1574.

XIV. Exeunte hoc anno, Amandus iam nonagenarius, cùm sibi mortem præsentiret imminere, Barisiaco, quod in agro Laudunensi Monasterium erat, Elnonem aduocauit Andream Abbatem, eundémque Monachis Elnonensibus Abbatem præfecit. Qua de re sic Abbas [b] Bonæ Spei. *Sentiebat iam ex tunc beatus Pater Amandus corporis sui defectus, laboribus confectus & senio, nec abesse longiùs exitûs sui diem secretâ inspiratione præsenserat. Euocatum igitur ad se venerabilem Andream, quem Barisiaco priùs Abbatem præfecerat, constituit super familiam suam, quam Domino iuuante collegerat, vt in manu eius virtus ordinis, & seueritas disciplinæ, prouidâ moderatione floreret, & ipsi vacandi Deo secretior ac liberior pateret introitus. Reuocari tamen decreuit in ius Elnonensis Monasterij possessionem perpetuam, quicquid Barisiaci antè possederat de munificentia Regis Hilderici, quod vsque in hodiernum diem secundùm viri Dei dispensationem irrefragabiliter conseruatur.* Bollandus Andream Monasterio Elnonensi anno Christi sexcentesimo octogesimo-tertio Abbatem à sancto Amando præpositum scribit, quia mortem eiusdem sancti Amandi in annum Christi sexcentesimum octogesimum-quartum reiiciendam arbitratur.

[b] In vit. sancti Amandi.

ANDREAS FIT ABBAS ELNONENSIS.

XV. AICHARDVS RELICTO CŒNOBIO ANSIONENSI. Aichardus Adolescens Pictauiensis, cùm expleuisset cursum *viginti annorum*, quorum postremos octo transegerat in Monasterio cui nomen Ansionis

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

in Diœcesi Pictauiensi, quadam die, vt onus obedientiæ à fratribus impositum expleret, longiùs à Cœnobio digressus diuinæ Psalmodiæ cursum ex more solus decantabat. *Et ecce repentè vox illi cælitus emissa huiusmodi insonuit. Ibunt Sancti de virtute in virtutem. Hinc ille circumspiciens, dum loquentis personam nullam intuetur, vocis tamen dulcedine oblectatus mirari cœpit qui solitarius incedebat à quo vel ad quem vox hæc personuisset. Curiosè igitur perlustrans, dum neminem comparuisse videret, intellexit se cælestis oraculi voce portendi, vt per innocentiæ semitam gradiendo de imis ad alta virtutum proficeret, donec intima contemplationis oculo superna visionis lucem penetraret. Iam certus vir Domini, intelligit præcedentis versus finem sibi seruari & consequenter adiecit. Videbitur Deus deorum in Sion.* Tunc parentes hortari cœpit, vt Ecclesiam ædificarent, & partem facultatum suarum in sumptus seruorum Dei transcriberent. Illis igitur annuentibus & Ansoaldo Episcopo Pictauiensi priùs cousulto Monasterium * Quinciacense in honorem sancti Petri à Philiberto Abbate Gemmeticensi fundatum, vbi propter exiguos redditus perpauci Monachi erant, auxit addito in honorem sanctæ Mariæ Oratorio, locupletauitque multis possessionibus. Mansit autem in eo Monasterio, donec vocatus est, vt administrationem Cœnobij Gemmeticensis assumeret. Hæc eruuntur ex eius vita apud Fulbertum [a], qui turpiter hallùcinatur, cùm primum Philiberti Gemmeticensis Abbatis aduentum in Diœcesim Pictauiensem post necem sancti Leodegarij reiicit.

* *Quinçay.* FIT MONACHVS QVINCIACENSIS. [a] Ap. Sur. d. 15. Sept.

XVI. XENODOCHIVM IN PAGO VELOCASSINO.

Hoc eodem anno, Theodorici Regis quinto, Fraericus vir nobilis Xenodochium decem pauperum in pago Velocassino construxit, in eodémque loco, cui nomen Floriacum, posteà Pippinus Princeps Monasterium erexit regnante Childeberto Theodorici filio. Chronographus Fontanellensis [b] ita scribit. *Hic locus possessio fuerat anteà cuiusdam illustris viri, cui nomen Fraericus, qui ipsum Floriacum licèt modico opere in suo proprio à fundamentis construxit in honorem S. Annæ, S. Petri & S. Aniani, & Xenodochium decem pauperum, vbi largitus est duas partes de ipso Floriaco. Similiter de villa alia, quæ dicitur Salcidus, & Garnapium, qui dicitur Fuscinocurte. Et de Fontanido tertiam partem, necnon & alia prædia. Quod actum esse constat sub anno quinto, regnante Theoderico Rege.* Huc vsque de Xenodochio, agemus suo loco de Monasterio, cuius mentio fit apud eundem Auctorem sub Childeberto Rege Francorum & Baino Abbate Fontanellensi.

[b] Cap. 2.

XVII. SIGOALDVS EP. CARNOTENS. OBIT.

Sigoaldus Carnotensis Episcopus hoc anno viuere desiit, sedit enim annos duodecim, vt Demochares aliique testantur. De duobus proximis successoribus non leuis est difficultas. Apud Democharem Sigoaldo subiiciuntur, *Mainulphus, Theobaldus, Lancegisilus, Malardus, Gaubertus, Godebertus, Deodatus, Dronus, Pronius, Papulus, S. Betharius, Bethegrannus, Hainius, Haigrandus.* A Demochare non dissentiunt Rolliardus & Chenutius. Apud Seuertium Sigoaldi successores ita recensentur, *Mainulphus, Papulus, Theobaldus, Lancegisilus, Godebertus, Bertegiselus, Deodatus, Dronus, Pronius, S. Betharius, Malardus, Berthegrannus, Airadus, Haynius, Haigrandus.* Apud Robertum, sic. *Papulus, Mainulfus, Theobaldus, Lansegisilus, Malardus, Gausbertus, Godebertus fortè idem cum superiore, Dromus vel Dono, Pronius vel Prono fortè idem cum superiore, S. Betharius, Bethgrannus, Haynius vel Hayninus, Haigrandus vel Hilgradus fortè Ayrardus in Synodo Rotomagensi.* Denique apud Sammarthanos, sic. *Pappolus, Mainulfus, Theobaldus, Lansegisilus, Bertegisilus, Malardus, Gausbertus, Godebertus, Deodatus; Dronius vel Dromus, Pronius qui fortè idem cum superiore, S. Betharius, Betgrannus, Haynius, Airardus in Synodo Rotomagensi.* Inter Episcopos, qui Rotomagense Concilium celebrarunt, apud Aigradum in vita sancti Ansberti subscriptus inuenitur *Airadus Episcopus Carnotenæ vrbis.* De tempore, quo Synodus hæc habita est, sic idem Aigradus in vulgatis exemplaribus. *Sub anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo-secundo, Indictione decimâ, qui erat annus præfati gloriosi Regis Theoderici tertius-*

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5. SVCCEDIT THEOBALDVS.

decimus, & præfati venerandi Ansberti *Pontificatûs quintus, in Synodo generali, Rotomago vrbe, habita.* Quatuor hosce Characteres Chronologicos ad annum Christi sexcentesimum duodenonagesimum diligenter examinabimus. Constat duos priores, quorum vnus à Dominica Incarnatione, alter ab Indictione desumitur, à Neotericis intrusos esse. Tertium, qui petitur à Principatu Theodorici, variis modis efferunt diuersi Codices. Quartum, qui ducitur ab Ansberti Pontificatu, ceteris tutiorem remur. Annus autem quintus Ansberti Pontificis cum anno Christi sexcentesimo duodenonagesimo comparatur, Audoenus enim Ansberti decessor Episcopatum suscepit anno Christi sexcentesimo quadragesimo, gessitque per annos tres & quadraginta, id est, ad annum vsque Christi sexcentesimum octogesimum-tertium, quo feliciter animam Creatori reddidit. Ab obitu igitur Sigoaldi Carnotensis Antistitis vsque ad Synodum Rotomagensem, cui Airardus Carnotensis Episcopus interfuit, effluxerunt anni duntaxat decem, cúmque totidem annos Theobaldus in Episcopali Cathedra sedisse perhibeatur, hunc existimamus Sigoaldi successorem fuisse, decessorémque Airardi siue Airadi, de cuius successoribus agemus infrà.

XVIII. EPISCOPI VENETENSES ET DOLENSES.

Obierunt etiam hoc anno duo Præsules in Armorica, Venetensis & Dolensis. Hamon sedit annos sex. Ei successit in Episcopatum Venetensem Mabbo, qui Diœcesim biennio tantùm rexit. Haud adeò clara est successio Dolensium Antistitum. Auctor Armoricæ Sanctæ beato Maglorio, cuius spontaneam abdicationem anno Christi sexcentesimo decimo collocat, in nomenclatura Dolensium Episcoporum immediatè subiicit sanctum Budocum, sanctum Geneuæum, Rostoaldum, sanctum Armahelum, & sanctum Iumahelum, cuius obitum hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo consignat. Quinque igitur Pontificatûs annis duodeseptuaginta circumscribit, annósque illos in quinque Præsulatus ita partitur, vt annos quatuor ac viginti sancto Budoco, quinque sancto Geneuæo, Rostoaldo duodecim, totidem sancto Armahelo, sancto Iumahelo quindecim attribuat. In hac annorum partitione nihil Chronologiæ refragari videtur, posito quòd anno Christi sexcentesimo decimo beatus Maglorius Episcopatum abdicarit. At hæc abdicatio cum anno Christi quingentesimo sexagesimo septimo coincidit. Ab illo autem anno ad hunc vsque, Christi sexcentesimum septuagesimum-octauum, anni numerantur vndecim supra centum, qui commodè diuidi non possunt in quinque Præsulatus, possunt autem in septem commodissimè si Bestualdus à Rostoaldo & Iunemenus à Iumahelo distinguantur. Nam qui *Rostoaldus* est Alberto, is Augustino à Passu *Rostaldus* est & *Bestoaldus*, Roberto *Rostaldus* & *Bestualdus*, Sammarthanis *Rostaldus* & *Bestoaldus*. Similiter qui *Iumahelus* est Alberto, is Augustino à Passu, Roberto & Sammarthanis *Iumahelus* est & *Iunemenus*. Sanctus Budocus *, cuius mentionem ad annum Christi quingentesimum sexagesimum-septimum [a] fecimus, laudatur in vita sancti Magloti), quam consule [b]. Sanctus Geneuæus *, vt Augustinus à Passu & Robertus in suis catalogis obseruarunt, colitur quarto Kalendas Augusti. De Rostoaldo seu Rostaldo, de Bestoaldo seu Bestualdo, nihil legitur præter nudum nomen. Sanctus Armahelus omittitur ab Augustino, à Roberto & à Sammarthanis, confunditúrque cum Tiarmailo Tbutiani decessore, de quo loquemur infrà. De sancto Iumahelo & Iunemeno nihil quoque proprium in Historiis occurrit. Agemus anno sequenti de successore. Lege quæ de Dolensibus Episcopis Tomo superiore dicta sunt ad annum Christi quingentesimum septuagesimum-quartum [c], quo sanctus Maglorius in cælum migrauit.

* S. Budok. al. Buzeuc. [a] Nu 24 25. [b] Ap. Surium, [d] 14 Octob. * S. Geneuee. [c] Num. 21.

XIX.

Hoc anno, Ecgfridi Regis octauo, vt Beda [d] testatur, *ortâ inter ipsum Regem Ecgfridum & reuerendissimum Antistitem* Eboracensem *Wilfridum dissensione, pulsus est idem Antistes à sede sui Episcopatûs.* Historiam illam pluribus prosequitur Willelmus Monachus Malmesburiæ libro tertio de Gestis Pontificum Anglorum in Wilfrido Eboracensi Archiepiscopo. Nonnulla delibabimus,

[d] L. 4 c. 12.

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

mus, quæ pertinere visa sunt ad nostrum institutum. *Wlferius Rex Merciorum in eosdem*, nempe Northanimbros, *efferatus ductauit exercitum, quippe qui meminisset patrem suum ab eis interemptum. Itaque veniebat animo fidenti, vt aut sarciret dispendium, aut adquireret Regnum. Enimuerò prosequebatur eum fortuna non bona, nec penè prosperior quàm paterna, nisi quòd terga turpiter nudatus inglorius effugit, nec multis pòst diebus superstes partem prouinciarum* Ecgfrido *Northanimbrorum Regi cesserit*, &c. *Ethelredus Rex Merciorum, frater Wlferij, post abscessum Wilfridi* Eboracensis Archiepiscopi, *non multis diebus guerram inceptans, fraternas iniurias vltum ire cupiebat. Occurrit ei animosus Ecgfridus solito terrore acturum existimans, sed fugauit Mercius copias eius, fudítque fratrem Edwinum, quo dolore versa in luctum Northanimbria*, Wilfridi *consiliatoris sui quondam absentiâ modò ingemiscebat*, &c. *Ita Ethelredus triumpho functus, integritate Regni receptâ, Winfridum Episcopum, qui Cedda apud Licefeld successerat, quòd Ecgfridi partium fuerat, expulit. Is Gallico littori fortè appulsus, in Theodericum Regem & Ebroinum Ducem Francorum incidit, quibus à Britannia mandatum erat, vt Wilfridum Episcopum caperent & spoliarent. Quem illi errore nominis acti, sociis occisis & rebus ablatis, abire siuerunt. Luit ergo ille ambiguitatem vocabuli, alienúmque periculum suo redimens vel nudus profugit à latronibus. At Wilfridus, cuius prudentiam hostilium consiliorum machina non laterent, leui fauonio prouectus in altum, proras in Eurum obuertit, vt Frisiam nauigaret, exceptúsque à Rege & populo honorificè, ibidem hyemem, qua imminebat, exegit. Commercium miserandum, vt inter barbaros tutiùs quàm inter suos viueret, eiectus à patria, dilectus in Frisia. Continuò igitur ad prædicationem eius Adalgisus Rex gentilem tumorem inflexus, faciliorem in ceteros prædicationis viam aperuit. Hunc ad necem vel expulsionem viri Dei Ebroinus epistolis cùm tentasset, aurum immensum pollicitus, irritus fuit, chartam enim audiente Wilfrido & epulante in triclinio lectam Adalgisus proiecit in ignem, dicens, sic ardeat, qui pactum cum amico initum pro auri cupiditate dissoluit.* Wilfridus, cùm soluit è Britannia, non ignorabat in Francia regnare fratres patrueles, quorum alterum nomine Dagobertum ante aliquot annos exceperat hospitio, & equis sociísque adiutum in patriam, id est, in Austriam remiserat. Quapropter rectà contendit in Frisiam, vt per eam in Dagoberti Regnum perueniret, falluntúrque, qui vento fortè delatum illuc putant. Talem à Theodorico altero Francorum Rege, qualem à Dagoberto gratiam sperare non poterat, quoniam Ebroinus Maiordomûs, qui graues inimicitias cum Dagoberto gerebat, maximâ pollebat apud Theodoricum auctoritate. Gens Frisiorum parebat Adalgiso Regi annis tum graui, Ritzerdo enim, cui primùm lis cum Clotario Secundò, deinde ex lite bellum cum Dagoberto Clotarij filio fuit, ab annis fermè quadraginta reipublicæ gerendæ iam maturus successerat.

WILFRIDVS EPISCOPVS EBORACENSIS TRANSIT IN FRISIAM.

Irmina Dagoberti Regis filia *Treueris*, vt Theofridus Epternacensis in illius XX.
vita scribit, *in honore Theotocos Mariæ ædificato Monasterio, in loco, qui dicitur Horreum, aggregauit ibi cœtum Sanctimonialium, quarum ipsa facta est Abbatissa. Quem locum fundis, prædiis & amplissimis redditibus ditauit, & Regali ditioni tunc temporis eum assignauit.* Extat apud Henschenium [a] Diploma pro illo Monasterio emissum à Dagoberto Rege. *In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Dagobertus diuinâ prouidentiâ Rex. Si Ecclesiasticis negotiis; & seruorum & ancillarum Dei vtilitatibus quæque necessaria prouiderimus, & de nostris rebus aliquod beneficium conferre studuerimus, id nobis ad temporalis nostri Regni statum & æterni promerendum præmium, incunctanter credimus profuturum. Comperiat ergo omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium & futurorum industria, quia rogatu dilectæ coniugis nostræ Reginæ .... Monasterio in Treuerica valle in honore Sanctæ Dei Genitricis ab Irmina filia nostra constructo, & Sanctimonialium coadunatione decorato, ex rebus proprietatis nostræ in pago Muselense, in Marka Burense, has villas Machare, Lorriche, Baldebrunno, Hildenesheim, Walebeym, Speia, cuius termini incipiunt in Disenidene, & sic vbi agri coli possunt, & sic vsque En-*

[a] De S. Dagob. l.a.c.10.

DIPLOMA PRO MON. HORREENSI.

AN. CH. 678. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 5.

tire; & inde in ripam Dinkolter, & inde sursum ripam vsque ad Aldenfalkenborne, & sic vsque Spalden, & inde ad viam qua dicitur Retwch vsque Richenheiden, & inde inter siluam de Cameric & Breidenwisen, & sic inferiùs vsque Beiheigen, & inde vsque Engelmannesscuren & ad fontem S. Humberti, & ad Engelburne, & sic vsque ad Aldenbuche, & inde per rectam viam vsque ad Odenburne, vsque vbi Bure terminatur, & inde in Gizenhelden vsque ad ripam, quæ cadit super molendinum, & inde vsque Engelgere, & sic superiùs vsque viam saxorum, & inde vsque Fredebertiscilen vsque in Renum Brunniche, cum terris cultis & incultis, vineis, molendinis, pratis, pascuis, viis & inuiis, exitibus & regressibus, & quidquid habuimus, legali auctoritate contradidimus, eâ scilicet conditione, vt pauperes Christi inde in reliquum temporalia subsidia habituræ, æternæ vitæ subsidia nobis supplicationibus suis apud Deum possint præparare. Prætereà fidelibus nostris, tam præsentibus quàm futuris, notum fieri volumus, qualiter dilectissima filia nostra Irmina allodium suum, quod in Laudunensi Episcopatu, in his locis, Ludusa, Ancia, Balbengeis, Wartengeis, cum omnibus appendiciis ad eadem loca iustè & legaliter pertinentibus, à sponso suo, Hermanno scilicet Comite, in dotem legali traditione suscepit, pro remedio animæ suæ & prædicti sponsi sui, ad idem Monasterium, quod vocatur Horreum, cum XL. mansis in ipsa Treuerica valle sitis, & extra vrbem istis villis, Ornena, Munzefeldt, Wilare, Ruzfurt, Wintersdorff, Rubera, per nostram manum cum omni integritate contradidit, eâ scilicet ratione, vt Sanctimoniales inibi Deo Sanctæque Genitrici eius perpetualiter famulantes, in eisdem bonis nullius personæ magnæ vel paruæ violentiam patiantur, sed victum & vestitum in semper absque omni inquietudine consequantur. Et vt hæc præsens traditio tam sua quàm nostra stabiliorem in Dei nomine semper possit habere firmitatem, Præceptum hoc inde conscriptum manu propriâ subter firmauimus & sigilli nostri impressione insigniri iussimus. In exemplari, quod Ægidius Gelenius ad Henschenium transmisit, Reginæ nomen erat Nanthildis ac talis subscriptio. *Actum anno IↃCXLVI. Incarnationis Dominicæ, Indictione IV. data VII. Kalend. Septemb. per manus Grimoaldi Maioris domûs Regiæ, anno Regni Domini Dagoberti II. Actum Treuiris in Dei nomine feliciter. Amen. Signum Dagoberti Regis.* Nanthildis loco repone Mecthildem, in subscriptione dele annum Christi & Indictionem cum nomine Maiorisdomûs, & vt Præceptum, quod Dagoberto Primo perperam attribuitur, Dagoberto Secundo sanctæ Irminæ patri idoneè restituas, annum Dagoberti II. in V. transmuta hoc modò. *Data VII. Kalend. Septemb. anno Regni Domni Dagoberti V. Actum Treuiris in Dei nomine feliciter. Amen. Signum Dagoberti Regis.*

679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

ANNVS CHRISTI 679. THEODORICI III. R. 6. DAGOBERTI II. R. 6.

I. ABBATES GANDENSES.

ANNO Christi sexcentesimo septuagesimo-nono, Amandus Traiectensis quondam Episcopus & Aldebertus Gandensis Abbas ex hac vita discesserunt. Hic biennio tantùm superuixit Ioanni Abbati Blandiniensi, cuius obitum anno Christi sexcentesimo septuagesimo-septimo consignauimus. In administrationem Monasterij successit Fulco. De sancto Amando scripsimus plurima, quædam tamen consultò prætermisimus vt fabulosa, quamuis ea Samuel *Guichenon* inter probationes ad Historiam * Bressiæ & Bugiæ ex Breuiario & Chartulario Nantuacensi publicarit. Nantua, vnde Nantuacum

* *L'Histoire de Bresse & du Bugey.*

AN. CH. 679.
THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

FABVLÆ DE MON. NANTVACENSI.

ſeu Nantoacum & Cœnobium Nantuacenſe ſeu Nantoacenſe, pertinet ad hodiernam Bugiam, ſitáque eſt in Diœceſi Lugdunenſi. Auctor Breuiarij Nantuacenſis Nantuam cum Elnone, & Monaſterium Nantuacenſe quod Lugdunum inter & Genauam erectum eſt, confundit cum Cœnobio Elnonenſi in Diœceſi Tornacenſi ad confluentes Elnonis in Scarpum constructo. *Habebat*, inquit, *hæc vrbs* (Nantua) *à Septentrione montem quendam nomine Helnon, ex cuius nomine omnis circa Regio vocabatur. Quem locum vir ſanctus* Amandus *quaſi à Deo ſibi cælitus offerretur amplectens, citato gradu Childericum adiit Regem, petens humiliter quatenus præmemoratum municipium ad conſtruendum Monaſterium largiri dignaretur. Quod Rex libentiſſimè annuit, deditque ei Rex Childericus filius Lodouei & frater Theoderici poſtulatum locum Nantoacum, qui & alio vocatur nomine ſecundùm Regionis nuncupationem videlicet Helnone, in quo vir Dei ſagaci ſtudio cœpit ædificare Cœnobium.* Nihil abſurdius excogitari poteſt. Ad confirmandam tamen fabulam ſubiiciuntur ex Archiuo Nantuacenſi duo Diplomata, Pontificium vnum, alterum Regium. Vt literas, quæ Gregorio Papæ tribuuntur, ſuppoſititias eſſe credas, earum fragmentum ſufficiet deſcripſiſſe. *Gregorius ſeruus ſeruorum Dei, Childerico Francorum Regi. A beato Amando noſtro Coepiſcopo didicimus, in omnibus rebus ſpiritalibus honeſtiſſimo veſtro regimine Regnum veſtrum præ ceteris, pace & tranquillitate, Chriſto tribuente, pollere. Retulit quoque veſtrâ munificentiâ ſibi olim conceſſum Cœnobium in finibus Francorum poſitum, quod Helnone ſiue Nantuacum nuncupatur, nunc à vobis affluentiſſimè de veſtris redditibus & prædiis & fiſcis ad fratrum victualia dotatum, atque locupletatum, de quo vobis gratiarum dona cum benedictione miſimus.* Ætate Childerici Secundi, qui Clodouei Regis filius fuit, ſeditne Romæ Papa cui nomen Gregorius? Haud potiorem fidem merentur Regiæ literæ, quas Childericus Rex ſic auſpicatur. *Rex Childericus filius bonæ recordationis Clodouei, Amando Præſuli atque Abbati. Gaudeo, frater chariſſime, ſanctitatem tuam opinionémque tuæ religioſa vitæ toto Orbe dilatari, ſuprà namque cùm ad ciuitatem Pariſius deueniſſemus, perlata ad nos ſcripta beati Gregorij Papæ, in quibus Cœnobium à te constructum Nantuacenſe mirificè exornat, ſuiſque præconiis exaltat, quod ideò tuæ Sanctitati mittere curauimus, vt pro magno munere ibi à te conſeruetur. Ipſe quoque ſupradictus Papa omnino petiit, vt ea quæ ipſe authoriſauit, nos more Regio laudaremus atque confirmaremus, quod fecimus annulo noſtro ſubter ſignantes.* Deinde poſt enumeratas aliquas poſſeſſiones, quas prædicto Monaſterio in Diœceſibus, Lugdunenſi, Matiſconenſi & Cabilonenſi concedit, eaſdem literas ſic claudit. *Hoc autem donum frater meus Theodericus ob amorem tui laudauit atque conceſſit. Actum eſt hoc donum ſiue priuilegium in Ciuitate Pariſius, anno quinto Childerici Regis.* Sed miſſis huiuſcemodi fabulis, audiamus quid de ſancti Amandi morte ac ſepultura Baudemundus Blandinienſis Abbas, eius diſcipulus, ſcribat.

S. AMANDI OBITVS.

Sanctiſſimus Domini Amandus, curſu fideliter peracto, repletúſque omnium bonorum operum fructu, adueniente ſanctiſſimi obitûs die, feliciter migrauit ad Chriſtum, ſepultúſque eſt cum magnifico honore in loco, cui vocabulum eſt Elnone, in quo loco multa fiunt orationibus eius beneficia. Hic Auctor omnium, qui S. Amandi vitam literis commendarunt, antiquiſſimus Chronologiæ ſtabiliendæ nihil confert, hoc enim loco nullum exhibet Characterem Chronologicum. Alij non ita. Beatus Amandus apud Harigerum moritur *octauo Idus Februarij, anno ætatis ſuæ nonageſimo*; apud Abbatem Bonæ Spei *nocte Dominicâ, octauo Idus Februarij, regnante in Francia Theoderico, anno vitæ nonageſimo*; apud Hucbaldum in vita ſanctæ Aldegundis, *Dominicâ nocte, plenus dierum.* Superſedemus annis Chriſti, Papæ & Imperatoris, quia vitioſè notantur, nec inter ſe benè cohærent. Harigerus mortem beati Amandi refert *anno Conſtantis, qui & Conſtantinus*, XXIII. *anno* DCLXV. Abbas Bonæ Spei, *anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, Præſulatûs Vitaliani Papæ tertio, Imperij Conſtantini viceſimo-tertio qui ab Eracleo tertius Rempublicam gubernauit.* Annus quidem tertius Vitaliani Papæ cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6. primo iuxta nostram supputationem conuenit, sed dissidet ab anno vicesimo-tertio Constantis seu Constantini qui cœpit imperare anno Christi sexcentesimo quadragesimo-secundo, vnde factum fortassis, vt Harigerus non annum Christi sexcentesimum sexagesimum-primum sed sexcentesimum sexagesimum-quintum scripserit. At anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto litera Dominicalis fuit E, diésque octauus ante Idus Februarias incidit in feriam quintam. Prætereà Theodoricus, quo regnante sanctus Amandus animam Deo reddidit, nec anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo, nec anno Christi sexcentesimo sexagesimo-quinto Regnum tenuit. Illis temporibus Austria penes Childericum, Neustria & Burgundia penes Clotarium erant, Theodorico priuatam tunc vitam degente. Hic enim Regnum post Childerici fratris mortem auspicatus est anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio. Cur omnes fermè Scriptores, qui posterioribus seculis Historiam Francicam elucubrarunt, ab illa epocha recesserint, paucis accipe. Annum assequi, quo Clodoueus Primus interiit, cuique non est facile. Sexdecim annos, quos Dagobertus Primus regnauit, alij à die quo Rex Austriæ renunciatus est, alij ab obitu Clotarij Patris ordiuntur, vtrique Fredegarium ad suas partes pertrahunt. Clotario Tertio quatuordecim annos Regni tribuunt qui præ manibus habent Codices bonæ notæ, quatuor tantùm qui deprauatis libris vtuntur. Præter Hadrianum Valesium, qui maximam laudem præ ceteris in asserenda Francorum Regum Chronologia consecutus est, hactenus neminem reperi, qui non inciderit in aliquem ex illis scopulis. Bollandus, quia Fredegarium non intellexit, Theodoriciani Principatûs initium in hunc annum, Christi sexcentesimum septuagesimum-nonum distulit, ideóque mortem sancti Amandi reiecit in annum Christi sexcentesimum octogesimum-quartum, & quoniam bisextilis fuit ille annus, eandem mortem non die Dominicâ vt anteà in notis ad vitam sanctæ Aldegundis [a], sed Sabbato perperam consignauit.

[a] D. 30. Ian.

II. *Gloriosi Pontificis imminente reuerendi transitûs die, cùm esset in Oratorio B. Andreæ, post orationum munus, post suscepta cælestis sacramenta mysterij, inter discipulorum manus finito vitæ cursu migrauit ad Dominum, & appositus est ad patres suos cum gloria. Felix operum merito, felix gratiâ sanctitatis, felix consummatione laudabili, cui diuinitus concessum est, vt ante altare beatæ Virginis vltimum redderet spiritum, cuius se meritis adiuuari deuotissimè postulabat, cuius sacra vestigia toto mentis annisu studuerat imitari. In quartum sanè diem differtur exequiarum sanctæ solemnitas, vt religiosis vndique conuenientibus viris, iusta soluantur sancto funeri, & pretiosi thesauri depositio fauorabiliùs celebretur. Sepultus est in Oratorio B. Petri quod ipse fundauerat, vt qui prædicationis auctor, adiutor in opportunitatibus, in tribulationibus consolator extiterat, in extremis promptus adsisteret, portas iustitiæ reseraret intranti, & foueret in terra gremio quiescentem.* (EXEQVIÆ.) Hæc Abbas Bonæ Spei. Andreas, quem beatus Amandus anno priori Monachis Elnonensibus Abbatem iam præfecerat, eidem sancto Amando superstes vixit annos nouem, ideóque apud Auctores, qui sanctum Amandum anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo mortuum credunt, haud alio dicitur ad Deum anno migrasse quàm sexcentesimo septuagesimo. Laudatur in Chronico Elnonensi, quòd *Ecclesiam Sancti Martini supra Scarp* construxerit. Ea de re leguntur hi versus in Carmine, quod Franciscus *de Bar* in rebus monasticis à se collectis publicauit.

LAVS ANDREÆ ABB. ELNONENS.

III. *Occupat Andream non tantùm cura peculi,*
Quantùm diuina religionis amor.
Vnde piam Diuo Martino suscitat ædem,
Quà fluit irriguis Scarpus amœnus aquis.

ALDEGVNDIS ABBATISSA MELBODIENSIS VIDET S. AMANDVM EVNTEM IN CÆLVM.

Sanctum Amandum in cælum euntem vidit Aldegundis Abbatissa Melbodiensis. *Ostensum est Aldegundi*, ait Author vitæ in Codice Audomarensi, *quasi S. Amandus transiret ad Dominum, & multitudo populi, quæ per illum crediderat Christo, sequeretur illum, ipsa quoque Virgo Christi in eodem haberetur comitatu.*

Hæc fusiùs explicantur ab Hucbaldo, qui vitam sancti Gisleni citat. *Post hæc,* inquit, *vt in vita B. Gisleni pleniùs inuenitur, dum B. Amandus Dominicâ nocte plenus dierum, tanquam frumentum maturum in horreum cæleste condendum, paleâ carnis depositâ migraret; in ipsa hora B. Aldegundis vigiliis & hymnis in Ecclesia Cœnobij Melbodiensis, coram altari gloriosæ genitricis Domini nostri Iesu Christi Mariæ incumbebat suppliciter. Et quoniam illum in hac vita multùm dilexerat, vtpote cuius doctrinâ culmina virtutum edocta conscenderat, Domini Saluatoris gratia reuelauit ei, & cuius esset meriti quem exhortantem susceperat, & quòd illa sequeretur in proximo, quò dux ille præcedebat. Orans enim in ecstasi mentis eleuata contemplabatur senem virum, cano vertice reuerendum, Sacerdotalibus & præclaris vestibus indutum, baculum manu tenentem, ad superna transire, turbámque copiosam albatorum ante & post eum iter habere, seipsam quoque Virgo sancta lætabatur in eodem comitatu simul properare. Cúmque requisita, quis esset dux ille tam gloriosæ multitudinis, respondit se nescire, sic, Angelus inquit, amabilis Deo Amandus à seculo migrauit, & quoniam in vita sua sine macula seipsum gratiâ Dei seruare curauit, atque sibi commissa talenta dispensando fideliter duplicauit, modò cum sanctis animabus, quas verbo & exemplo Domino acquisiuit, ad gaudia sui Domini tam gloriosus ascendit. Hanc visionem prudentissima Virgo nulli secum habitantium eo die reuelans, B. Gisleno mandauit, vt cum sorore sua B. Waldetrude gratiâ visionis ad se dignaretur venire, quibus venientibus in locum, qui dicitur Meruius,* Reinero Meinriuus, *festinauit obuiam ire. Cúmque visionem suam inter alia salutis colloquia B. Gisleno manifestasset, intelligens vir Dei, quid illa visio præsignaret, altè suspirans, O carissima soror,* inquit, *amabilis & deuota sponsa Regis æterni Domini nostri Iesu Christi, gratias age sine intermissione diuinæ dignationi, quæ tibi dulcissimi Pastoris & iam factum ad cælestia transitum, & tuum in proximo futurum præmonstrauit. Vnde quia cælestis iam dulcedinem patriæ saporémque Domino reuelante prægustasti, necessarium est vt omni instantiâ in eius obsequio perseueres, donec ea, quæ se diligentibus repromisit, merearis adipisci.* Eadem visio legitur in vetere Historia de Translatione & eleuatione corporis sancti Amandi, quam Surius & Bollandus publicarunt, & apud Abbatem Bonæ Spei in eiusdem sancti Amandi vita. Vtrobique sanctus Amandus dicitur ad Deum migrasse *die Dominicâ.* Sic enim Auctor Translationis. *Beata Aldegundis, in timore sancto ab ipsis infantiæ annis Domino seruiens virgo, & corpore Angelicam in terris vitam peragere studens, inter reliquas visiones sibi frequentiùs à supernis ostensas, dum nocte Dominicâ vigiliis & hymnis in Ecclesia Malbodiensis Cœnobij ante altare S. Mariæ incubaret, in ipsa, quâ B. Amandus transiit hora, in ecstasi mentis eleuata, & ab Angelo per amœna iocundæ habitationis loca deducta, vidit virum senem, cygneo capite reuerendum, sacerdotalibus & præclaris vestibus indutum, baculum in manu tenentem, ad superna quasi transire, turbámque copiosam albatorum ante & post eum iter habere.* Et Philippus Haruengius de Eleemosyna Abbas Bonæ Spei. *Deposito carnis onere B. Amandus dum nocte Dominicâ migrasset ad Dominum, inclyta virgo Aldegundis in Monasterio Malbodiensi ante venerabile altare sanctæ & perpetuæ Virginis, vigiliis & orationibus ardentiùs insistebat, cùm subitò rapta in excessu mentis videt reuerendâ canitie virum, clarum sacerdotalibus indumentis, virgâ pastorali subnixum, cum ingenti gloria corusca lucis ad superna conscendere.* Bollandus, vt fidem eleuet tot Auctorum, qui transitum sancti Amandi nocte Dominicâ referunt, obseruat horæ, quâ sanctus Amandus decessit, nullam fieri mentionem in sanctæ Aldegundis vita quæ prodiit ex Codice Audomarensi. Hac obseruatione nixus ait prædictam visionem *accidisse nocte Dominicâ,* quam alij ad horam, quâ sanctus Amandus mortuus est, *inconsideratè transtulerint.* Ait & quosdam reperiri Chronologos, qui sanctum Amandum Sabbato mortuum tradunt. At in Codice Audomarensi, cùm Auctor cælestes visiones, quæ frequenter oblatæ sunt beatæ Aldegundi, breuissimè perstringat, mirum esse non debet, si nec horæ quâ sanctus Amandus obiit, nec horæ meminerit quâ transitus eius ostensus est Aldegundi. Qui sanctum Amandum

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

VISIONEM MANIFESTAT GISLENO.

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

Sabbato mortuum volunt, ij sequuntur errorem Elnonensium, qui mortem illius consignant anno Christi sexcentesimo sexagesimo-primo quo litera Dominicalis C currebat. Verùm ipsemet Bollandus in Commentario [a] præuio vitæ sancti Amandi, sententiam Monachorum Elnooensium de annis, quibus sanctus Amandus natus & defunctus sit, egregiè refutauit. Caret igitur argumento, quo validè probet mortem sancti Amandi in Sabbatum incidisse. Tamen illam opinionem tueri vel inuitus cogitur, quoniam Theodoricum ante hunc annum, Christi DCLXXVIIII. Childerico fratri successisse nusquam putat, eóque calculo annum sub Theodorici Principatu non reperit ante sexcentesimum nonagesimum quo dies sexta Februarij statuatur Dominica. Quia verò mortem sancti Amandi in annum Christi sexcentesimum nonagesimum reiicere non audet, recurrit ad annum Christi sexcentesimom octogesimum quartum, quo dies sexta Februarij cum Sabbato coincidit, bisextilis enim fuit ille annus, & literam habuit Dominicalem C ante intercalationem bisexti, literam B post intercalatum bisextum. Si Theodoricum fratri Childerico subrogaret anno Christi sexcentesimo septuagesimo-tertio, non dubitamus, quin nobis astipularetur, & obitum sancti Amandi referret hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-nono, maximè cùm annos à die Natali Domini tunc cœptos vltrò fateatur.


[a] Paragr. 16.

IV. Ecclesias, quas Hildulphus ad Rapidum fluuiolum in Vosago construxit, hoc anno dedicatas arbitramur; vnam octauo Kalendas Martij, qui dies valdè solemnis erat ob Cathedram sancti Petri, alteram decimo-septimo Kalendas Nouembris, qui dies erat Dominicus currente literâ Dominicali B. De diebus vtriusque dedicationis consule Ruyrum [b], déque prædictis Ecclesiis rursum audi Mosandrum [c] ita disserentem. *Cùm locum hunc habitare cœpisset sanctissimus Hildulphus, qui montibus vndique circumseptus, fluuiolo Rapido nomine irrigatur, duas super eundem Ecclesias fundauit, primam videlicet in honorem Dei genitricis Mariæ, quam Medianum Monasterium appellauit, alteram in honorem beati Petri & omnium Apostolorum consecrauit. Quibus perfectis, soli Deo viuere cœpit.* Cur autem Monasterium illud Medianum dici voluerit, rationem à situ loci petitam sic reddidit Chronographus [d] Senoniensis. *Volens inter sanctos Patres, qui in hac eremo de nouo conuenerant, habitare, quia eorum familiaritatem diu desiderauerat, ad locum vbi posteà Monasterium, quod Medianum Monasterium dicitur, erexit, applicuit. Sed quia ibidem habitandi spatium non inuenit, quia confinia nostra huius Senoniensis Ecclesiæ & Monasterij Stiuagiensis ibidem iungebatur, impetratâ ab vtraque Ecclesia aliquantâ terræ portione ibidem habitare decreuit. Et quia de nomine loci, qui anteà nomen non habebat, anxius erat, consideratâ loci positione, quia ab Oriente Senoniense Monasterium, Monasterium, ab Occidente Stiuagium, à Meridie Iuncturas quæ nunc sanctus Deodatus vocatur, à Septentrione autem Bodonis-Monasterium habebat, illum suæ habitationis locum Medianum Monasterium appellauit, quod nomen vsque hodie perdurat.* Quinque illa Monasteria, quæ Vosagensium nobilissima sunt, olim habitâ locorum positione in modum Crucis repræsentabantur, cuius figuram exhibet Ioannes Ruyrus libro primo [e] Antiquitatum Vosagensium. Eandem imaginem ab oculos tibi ponendam duximus, hac obseruatione præmissâ, quod vetera Iuncturarum & Bodonis-Monasterij nomina retinuimus, quibus Ruyrus recentiora substituit, sancti videlicet Deodati & sancti Saluatoris, quia Cœnobium, cui nomen antiquitus Iuncturæ, sancti Deodati nuncupationem accepit, & euerso Bodonis-Monasterio, quod Sanctimonialium erat, erectum est Cœnobium sancti Saluatoris, & Monachis primùm Benedictinis, tum Canonicis Regulæ sancti Augustini addictis attributum, vt aliâ occasione annotatum suprà.

MEDIANVM MON. DICATVR.

CVR ITA DICTVM?

[b] In Antiquit. Vosag. part. 2. l. 3. c. 12.
[c] In vit. S. Hildulphi.
[d] L. 2. c. 12.
[e] Part. 3. c. 20.



Hoc eodem anno, Wilfridus Eboracensis Archiepiscopus, cùm hyemem in Frisia transegisset, primo vere peruenit in Regnum Dagoberti. Sic enim scribit Willelmus Malmesburiensis in Gestis [a] Pontificum Anglorum. *Iam se verna temperies aperiebat in flores, cùm Wilfridus itinere reincepto ad Dagobertum Regem transrhenanorum Francorum venit. Is non immemor, quòd eum quondam factione Magnatum pulsum, & de Hibernia ad se venientem hospitio receperit, & equis socijsque adiutum patria remiserit, benignè habuit, multísque precibus fatigauit, vt prouinciam remanentiâ suâ dignaretur, Episcopatum Strawburgensem accipiens. Cùm ille rogantem ad reditum suum de Roma distulisset, cum Deodato Episcopo suo ire laxauit. Sociali ergo gratiâ fretus per Campaniam iter faciens inde Romam ingressurus ad Berthariam Ducem prouincia diuertit per legationes inimicorum causam eius iam edoctum & ad nocumentum promissis illectum. Qui licèt in principio superbiam erexisset, tamen veraci relatione auditâ iram resorbuit. Itaque non solùm nocumento abstinuit, sed & suffragio suo bonum negotio finem imposuit dicens, ad hoc se admoneri cuiusdam Regis Hunorum, apud quem exulasset olim, humanitate, qui quamuis esset gentilis, nullam tamen ad eius damnum, cui iurasset, potuerit corrumpi pactione.* En egregium testimonium, quo Dagoberti Regnum in Francia transrhenana & in Argentoratensi ditione necnon in Campania firmissimè cis Rhenum stabilitur. Dagoberto Campaniam asserunt Auctor Catalaunensis à nobis ad annum Christi sexcentesimum septuagesimum-quintum citatus, qui publicauit res à se visas gestásque anno secundo Dagobertini Principatûs, & Scriptor paulò recentior, qui vitam sanctæ Salabergæ Abbatissæ paucis annis post necem Dagoberti Regis edidit, & à nobis ad annum sequentem in testem allegabitur. Deodatus Episcopus, qui Wilfrido ex aula Dagobertina Romam abituro comitem se dedit, non alius

V. WILFRIDVS EP. EBORACENSIS E FRISIA TRANSIT IN AVSTRASIAM.

[a] Lib. 4.

RECVSAT EPISCOPATVM ARGENTORATENSEM.

IT ROMAM CVM DEODATO.

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

est à Deodato Niuernensium quondam Episcopo, & Vallis Galilææ primo Abbate, quem Romam quoque profectum tradit Ruytus [a], ideóque reiiciemus ipsius Deodati mortem post quinquennium, quamuis sciamus illam apud Mosandrum consignari hoc anno, Christi sexcentesimo septuagesimo-nono, & Indictione septimâ, sed annos Christi in pluribus Sanctorum Actis non rectè adiunctos sæpè monuimus, idémque sentiendum de Indictionibus, quas apud Imperatores in vsu potissimùm fuisse scimus, & apud Francos publicis tabulis adhiberi cœptas, postquàm Carolus Magnus Francorum Rex in Romanorum Imperatorem acclamatus fuit. Quâ occasione Wilfrido Argentoratensis Episcopatus à Dagoberto Rege oblatus fuerit non liquet. Alij enim Rodtharium tum vitâ functum putant; alij Arbogastum, qui post Rodtharij mortem ad Episcopatum à vita solitaria iam raptus esset, suspicantur de repetenda iterum eremo cogitasse, ipsique Dagoberto Regi auctorem fuisse, vt Wilfrido sanctissimo Præsuli è Britannia pulso curam Argentoratensis Ecclesiæ committendam curaret. Posterior sententia potior nobis videtur, quia Wilfridus rogantem Regem ad reditum suum Româ distulit, eâque mora, si Sedes vacabat, in mentem pij viri cadere non debuit; addequòd Arbogastus, cùm morti se proximum præsentiret, secessum in solitudinem flagitantiùs expetebat. Certè diu non vixit Arbogastus post Walfridi discessum ex aula Regia Dagoberti, nam Florentius ante ipsius Dagoberti cædem, de qua nos ad annum proximum, eidem Arbogasto successit.

[a] Part. 3. l. 2. c. 2.

VI. ARBOGASTI EP. ARGENTORATENSIS OBITVS, SEPVLTVRA,

Obiit sanctus Arbogastus duodecimo Kalendas Augusti, quo die celebris est eius memoria in Tabulis Ecclesiasticis. Sepultus fuit iuxta patibulum in colle, quem sancti Michaelis collem vocant, id enim ita postularat, imitaturus Christum, qui etiam extra Hierosolymam in loco sceleratorum, vbi crucifixus fuerat, ad complementum humilitatis & exinanitionis suæ tumulari voluit. Sed vt Christi sepulchrum iam inde extitit ipsa ex sua ignobilitate gloriosum, sic fidelis serui sui tumulum Dominus illustrauit micantibus subinde miraculis, ideóque supra eundem tumulum Monasterium S. Arbogasti & in vicinia summum templum Argentiuense ædificari cœptum est. Lege Bruschium in catalogo Episcoporum Argentinensium & Ruyrum in Antiquitatibus [b] Vosagi. Reliquias Surabutgum translatas fuisse scribit Coccius [c], & in locello inaurato affabrè facto custodiri. Cœnobitæ illius loci cùm aliquandiu in Deiparæ Virginis & sancti Martini Turonensis custodia degissent, sanctum Arbogastum inter Patronos adiunxerunt, vt cuius sanctitas ab ipsis Monasterij incunabulis apud Surburgenses adoleuisset, eius patrocinium cultúsque gloria in perpetuum recoleretur. *Beatus Christi Sacerdos*, inquit Author vitæ, *Regi* (Dagoberto) *amicâ familiaritate adeò erat innexus, vt eo intra Regalem aulam adscito, illius alloquio, quasi mellis dulcedine degustatâ delectaretur, & consilio vteretur.* Sancto Arbogasto in Argentoratensem Episcopatum successit Florentius, qui priùs in Haselacensi Monasterio degebat sexto ab Argentina lapide, & sanctum Deodatum ab oppido Niuernensi vnà cum sancto Arbogasto aliisque sociis in eremum secutus fuerat, vt ex illorum Actis suprà recensuimus.

[b] P. 2. l. 2. c. 5. [c] Cap. 19.

TRANSLATIO.

SVCCEDIT FLORENTIVS.

VII. AVDOENVS EP. ROTOMAGENSIS CVRAT ERIGI XENODOCHIVM.

Hisce temporibus Ansbertus Abbas Fontanellensis erexit Xenodochium, de quo sic Aigradus in illius vita. *In venerabili Fontanellensi Monasterio, inter felicia bonitatis suæ gesta, etiam Xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, instar duodeni Apostolici numeri, constituit, deputatis eisdem rebus, quæ sufficienter præberent alimoniam. Alias quoque duas constituit in eodem Monasterio pauperum Christi debilium mansiones, quas in octonario ex multis sacrato numero, singulatim octonos habitare fecit. Quibus sine indigentia quotidianum largiri victum perenniter censuit. Horum vacatio nulla erat alia, nisi horis constitutis diurnis nocturnisue in domo Domini residere, orationi ac vacationi diuina deuotè insistere, ac tempore sancti sacrificij pro salute & saluatione populi Christiani Ecclesiæque Catholica vbique diffusa victimam salutarem offerre.* Vt illud Xenodochium ab Ansberto construeretur, auctor fuit Audoenus Rotomagensis Episcopus, à quo

dotatum

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

dotatum possessionibus, vt in ipsius Audoeni vita docet Fridegodus initâ narratione multarum rerum, quas cùm parœciam suam perlustraret, laudabiliter gessit. *Contigit vt per quendam locum transiret haud procul ab alueo Sequanæ propter Insulam, cuius est vocabulum Belcionica, situm. Ibique dum accessisset, paululùm se dixit in eodem loco requiescere diuino vtique ammonitus oraculo. Cùmque sancto sopore teneretur oppressus, Angelicis fruitur colloquiis, atque eodem in quo quiescebat loco Basilicam in honore beati protomartyris Stephani vt ædificaret perdocetur. Accersito deinde Ansberto, qui tunc temporis Fontinellæ Cœnobio Abbatis iure præerat, in cuius territorio isdem locus esse videtur, hoc negotium patrandum iniunxit. Qui votis clarissimi fauens Præsulis, eandem sacram ædiculam licèt modico, vt situs se habet loci, eleganti tamen fabricauit opere. Vbi idem præcipuus Pastor ac gloriosus Pontifex Audoenus Xenodochium pauperum ob amorem nominis sui æternum instituit, ac patrimonium quoddam, cuius est vocabulum Childriocus, situm in pago Dunense, eisdem pauperibus ibidem degentibus gratuitâ bonitate largitus est, sciens scriptum, quòd ea hæreditas benè reconditur, quæ Deo custode seruatur.*

VIII. TRANSFERT RELIQVIAS S. MARCVLFI.

Idem Auctor Translationem sancti Marculphi proximè subiungit. *Alio*, inquit, *tempore cùm suas parœcias verbum Dei seminando circumiret, venit in pagum Constantinum. Vbi autem ad Monasterium beati Marculphi accessit, rogatus est à Bernoino eius Monasterij Abbate, vt corpus Sancti Marculphi in alium locum transferret. Eius precibus vir Dei satisfaciens transtulit sacrum corpus in absidem cum hymnis & congruo honore.* Vetus Auctor, qui vitam sancti Marculphi scripsit, Abbatem supradicti Cœnobij vocat Vernuinum, & de corpore beati Marculphi hæc addit. *Sublato de tumulo sancti viri corpore, consumptis carnibus, visa est sola cutis virtute præpotentis Dei ossibus hærere incorrupta. Porrò vultus eius adeò viuidus apparuit, ac si vitali spiritu foueretur. Quod miraculum, vt multis innotesceret, triduo detectus permansit.* Ambo autem subiiciunt insigne prodigium. *Rogauit Abbatem beatissimus Audoenus, vt de sancti viri corpore aliquam sibi partem attribueret. Illo libentissimè annuente, cùm Episcopus Audoenus corpus auferre deliberaret, chartula cælitus in eius manus incidit, quâ hæc continebantur. Cæterorum membrorum beatissimi Marculphi quod voles sumito, caput autem eius nequaquam tangere præsumas. His scriptis sanctissimus Præsul à proposito reuocatus, in loco præparato summâ veneratione beatissimi Marculphi Confessoris reliquias condidit.*

IX. LANDEBERTVS EP. SENONENSIS OBIT. SVCCEDIT WLFRANNVS.

Hoc circiter anno Landebertus seu Lambertus Senonensis Episcopus obiit. Successit Wlfrannus, de cujus patria, parentibus, pueritia, adolescentia, virili ætate ac Clericatu sic Ionas [a] in eius vita. *Beatus Wlfrannus Senonum Pontifex exordium natiuitatis in territorio Vastinensi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco. Fuit enim carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor quoque eius Wlbertus nomine in aula Regis Dagoberti & filij eius Clodouei militari operi annum impendit. Prædictus verò Dei famulus in puerili ætate constitutus, ab ipso magistris Catholicis traditus est sacrarum literarum studiis imbuendus. Qui per omne pueritiæ vel adolescentiæ tempus exercens, vsque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non reflexit. Ex increscentibus meritis piæ intentionis, Clericatûs habitum sumens, parentum hortatu ac suffragij adminiculo fultus, in aula Regum iunioris Lotharij & Theodorici* (lege potiùs *in aula Regum iunioris Clotarij, Childerici & Theodorici) Ecclesiastici ordinis cura delegatus diuinis studebat attentissimè inseruire edictis, terrena videlicet transiliens, atque ad cælestia semper amanda, petenda & quærenda peruolans, sub horum tempore Regum*, id est, sub tempore Theodorici Regis, *electione populi Senonicæ vrbis, consensúque ac fauore omnium, Pontifex eligitur ac benedicitur. Successit autem in ordine Episcopatûs venerabili Lamberto Pontifici.* Ionas, quia monasticam vitam in Cœnobio Fontanellæ profitebatur, Wlfranni Pontificatum breui stylo, monasticen fusiore complexus est. *Susceptum*, inquit, *Episcopatûs gradum, ad imitationem priorum Sanctorum, virtutum ornabat operibus. Commissam namque sibi plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitione piâ ad cælestia anhelanda prouocabat. Et quod maximè doctores iuuare solet, ea quæ agenda dicebat, ipse priùs agendo præmonstra-*

[a] Ap. Surium, d.20. Mart.

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6.

bat. Erat enim diuinæ dilectionis igne succensus, patientia virtute modestus, orationum deuotioni solertissimè intentus, affabilis omnibus, qui ad se consolationis gratiâ veniebant. Erat abstinentia castigatione insignis, & gratiâ compunctionis semper ad cælestia suspensus. Prætet illam virtutum enumerationem de Wlfranno Pontificatum getente nihil occurrit, occurrent plura de eodem, postquàm dimisso Episcopatu in Fontanellæ Monasterium secesserit.

X. PRIVILEGIVM PRO MONAST. ANTRENSI.

Ærmenlandus eiusdem Fontanellensis Asceterij quondam Monachus, cùm Antrense Monasterium in Diœcesi Namnetensi feliciter absoluisset, his circiter tempotibus à Pasquario Episcopo Priuilegium accepit. *Cùm opus suum,* inquit Auctot coætaneus in illius vita, *plurimorum illius terræ incolarum auctus iuuamine velociùs consummasset, veniens illuc idem Episcopus ad dedicationem cum suis Canonicis, per consensum omnium Priuilegium beato Ærmenlando & Monachis suis ex eodem Monasterio fecit, sicut spoponderat primùm, vt nullus de successoribus suis de ipso Monasterio vel rebus, quas ipse vel alij diuino amore compuncti ad luminaria subsidiáve fratrum ibidem tradiderant, aliquid sub damnationis occasione vsurpare temptaret.* De Pasquario Episcopo Namnerensi, déque Ærmenlando Abbate Antrensi recurret sermo sub Childeberto Tertio Rege.

XI. EPISCOPI DOLENSES ET ALETENSES.

In Armorica Sancta Geneuæus Secundus hoc anno promouetur ad Episcopatum Dolensem, eóque gaudet annos duodequadraginta, & Edbodo siue Ebondo Aletensi Episcopo post quadriennalem Pontificatum mortuo subrogatur Guibertus, cuius obitum post biennium referemus.

XII. CHARTÆ PRO MON. SANDIONYS.

Hoc anno, Theodorici Regis sexto, Godobaldus Abbas Monasterio sancti Dionysij præerat, vt constat ex hoc Diplomate, quod in Antiquitatibus [a] illius Cœnobij legitur. *Theudericus Rex Francorum vir illuster. Cùm nos in Dei nomene [1] Pontegune * in Palatio nostro vnà cum nostris fidelibus ad vniuersorum causas audiendas vel recta iudicia terminanda resideremus, ibíque venientis agentis [2] Basileci [3] peculiaris Patroni nostri Domni Dionysij Martyris, vbi ipse preciosus Domnus in corpore requiescit, & venerabelis [4] vir Godobaldus Abba praesse videtur aduersùs inlustri viro Ermenteo suggerebant, dum dicerint [5] eò quòd villa sua nuncopante [6] Baudrino super fluuium Hyssera * sitam in pago Cameliacinse, quam de parte genetore [7] suo Nordeberto & germano suo Gunthechario, ambobus quondam ab ipso legitemi [8] obuinit [9], venerabeli [10] viro Godobaldo Abbati ad parte Basileci [11] Domni Dionysij pro vindicionis [12] titolum elegasit vel firmasit, qui & ipsâ vindicatione in præsente ad relegenda relecta ipsásque dum ipsi [13] Ermenteus in præsente aderat, interrogatum ei fuit à Proceribus nostris se [14] ipsa villa Baudrinus ipsius Godobaldo Abbati ad parte Domni Dionysij viudedisit [15], aut se [16] precium exinde accipisit [17], & ipsâ vindicione [18] fiere [18] & firmare [18] rogasit [18], & auctor exinde aderat & inantea adesse vellebat. Proinde nos taliter vnà cum nostris Procerebus [19] constetis [19] decreuisse, vt dum inluster vir Cumrodobaldus Comes Palati nostri testeimeniauit, quòd taliter, ac causa acta vel inquisita fuisit [20], denoscetur [20], iobimus [21] vt memorati agentis [22] ad parte ipsius venerabeli [23] viro Godobaldo Abbati vel Basileci [24] sui Domni Dionysij iam dicta villa Baudrinus * in superscripto pago Cameleacinse, vnà cum terris, domebus [25], superpositis ædificiis, acolabus, mancepiis [26], viniis [26], siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursebus [27], mouilebus [27] & immouilebus [28], peculiis, præsideis [29], farinariis, gregis cum Pastoribus vtriusque generis sexûs, vnà cum omne adiecenciis vel apendiciis ad se pertinentis vel aspicientis, ad integrum omnia & ex omnebus [30], inspecta eorum strumenta, omne [31] tempore habeant euindegata [32] adque [32] elediata. Et se [33] necessitas ipsius Godobaldo Abbati vel Basileci [34] sui Domni Dionysij aut successorebus [35] suis inanteà fuerit, memoratus Ermenteus vel hæredis [36] sui eos in auctoricio contra quemlebet [37] studeant desinsare [38]. Gairebaldus ad vice Eonardo recognouit. Indicatum quod ficit [39] minsis [39] Marcius dies 3. annum 6. Regni nostri, Pontegune in Palacio nostro.* Chartam illam non reiicimus, licèt in ea circa vocum editionem mutationémque literarum quædam nimiùm affectata videantur.

a L. 3. c. 4. 1 nomine * Pontion. 2 venientes agentes 3 Basilica 4 venerabilis 5 dicerent 6 nuncupante * Oyse. 7 genitore 8 legitimè 9 obuenit, 10 venerabili 11 Basilica 12 venditionis titulum delegasset vel firmasset. 13 ipso 14 si 15 vendidisset. 16 si 17 accepisset. 18 venditione fieri & firmari rogasset. 19 Proceribus constitit 20 fuisset, dinoscetur. 21 iubemus 22 agentes 23 venerabili 24 Basilica * Baudrin. 25 domibus. 26 mancipiis, vineis, 27 decursibus. 28 mobilibus & immobilibus. 29 præsidiis. 30 omnibus. 31 omni 32 euindicata atque 33 si 34 Basilica 35 successoribus 36 hæredes 37 quemlibet 38 defensare. 39 facit mensis

AN. CH. 679. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 6. XIII.

Secus sentimus de alia charta, quæ locum in eodem capite Antiquitatum Sandionysianarum nácta est, dicitúrque data quarto Kalendas Augustas, anno decimo Childerici Regis cum hisce subsctiptionibus. *Signum Childerici Inclyti Regis. Signum Iohannis Episcopi Parisiensis. S. Pallady Rothomagensis Archiepiscopi. S. Taurini Archiepiscopi Senonensis. S. Ethery Remensis Archiep. S. Siluini Siluanectensis Episcopi. S. Bertefredi Beluacensis Epis. S. Mummoli Præfecti. S. Gundoeni Comitis. S. Charimundi Comitis. Data 4. Kal. Augusti, anno 10. Regni nostri, Clypiacensi Palatio, in Dei nomine feliciter. Amen. Heneas Notarius scripsit.* Childetici regnantis apud Austrasios annus decimus cum anno Christi sexcentesimo vndeseptuagesimo coincidit, quo Clotarius Neustrasiæ Burgundiæque Rex obijt, & Childericus Monarchiam Francorum adeptus est exauctorato tum Theodorico. Tunc autem Parisiensis Episcopus erat Agilbertus, Audoenus Ecclesiam Rothomagensem tegebat, Diœcesi Senonensi ptæetat Amatus, Niuardus Episcopatum Remensem administrabat, Siluanectensem Pontificatum gerebat Autbertus, Clemens in Bellouacensi Cathedra sedebat. Prætereà in prædicta charta duo laudantur Episcopi, *Roricius Bituricensis & Godinus Lugdunensis.* At in catalogis Bituricensium Antistitum nullus inuenitur Roricius, seriúsque Lugdunenses Infulas adeptus est Godinus, de quo non semel Tomo sequenti verba facturi sumus. Denique in illo Childerici Diplomate *Aygulfus* Abbas Monasterio San-Dionysiano dicitur eodem ptæfuisse tempore, quo Childericus decimum sui Ptincipatûs annum numerabat. Sed Præfectura Cœnobij Sandionysiani penes Leobafatium Abbatem tunc erat, cuius decessor fuit Aygulfus, successor verò Godobaldus de quo suprà.

Licèt superiori chartæ fidem denegemus, haud inficiamur Childericum erga Monachos Sandionysianos munificum fuisse, sic enim loquitut in suo Præcepro, quod in eodem quoque capite prælaudatarum Antiquitatum legitur. XIV. *Per hoc Præceptum, quod specialiùs decernimus, & in perpetuo volumus esse mansuram, iubemus vt neque nos, neque iuniores nostri, seu successores, nec quilibet de iudiciaria potestate accinctus, in curtis præfatæ S. Basilicæ Domni Dionysij, vbi & vbi in quibuscumque pagis & regnis (Deo propitio) nostris, quod à die præsente pars ipsius Monasterij possidere vel dominari videtur, atque quod à timentibus Deum hominibus per legitima instrumenta ibidem fuit concessum, aut inanteà fuerit additum atque delegatum, nec ad causas audiendas, nec ad fideiussores tollendos, nec ad freda exigenda, nec ad mansiones faciendas, nec paratas, nec vllas redibitiones requirendas, ingredere nec exigere quoquo tempore præsumant, nisi quicquid exinde fiscus noster potuerat sperare, omnia & ex omnibus fredis ad integrum sibimet concessum, vt dictum est, inspectis ipsis Præceptionibus anteriorum Regum parentum quondam nostrorum, vel iuxta quod præsens nostra auctoritas continere videtur, quódque in postmodum ab hominibus Deum timentibus, vel à nobis ibidem fuerit additum vel collatum, seu quicunque iustè & rationabiliter cum omni substantia sua ad ipsum Monasterium se tradiderit, & res suas per legitima instrumenta ibidem delegauerit vel firmauerit, sub integra emunitate à die præsente valeat residere quietus atque securus, &, vt dictum est, quicquid exinde forsitan fiscus noster sperare potuerat, in luminaribus, vel in stipendiis, seu & in eleemosynis pauperum ipsius Monasterij perenniter pro nostris oraculis ad integrum in omnibus & ex omnibus sit concessum atque indultum, vt eis meliùs delectet pro stabilitate Regni nostri, vel pro quiete, & quibuslibet leudis nostris cunctis, Domini misericordiam attentiùs deprecari. Et vt hæc auctoritas custodiatur atque conseruetur, & ab omnibus Iudicibus meliùs credatur, subter eam decreuimus roborare. Childericus Rex signauit. Datum sub die pridie Kalend. Martij, anno primo Regni nostri, in Dei nomine, Compendio feliciter. Amen.* Annus ille Childerici Regis primus de Regno Neustrasiano intelligi debet, atque cum anno post Christum natum sexcentesimo septuagesimo coincidit.

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

ANNVS CHRISTI 680.
THEODORICI III. R. 7.
DAGOBERTI II. R. 7.

I. ANNO Christi sexcentesimo octogesimo, extinctus est Dagobertus Austrasiæ Rex, Martinus & Pipinus Austrasianæ militiæ duces à Theodorico Neustriæ Rege profligati sunt, Martinus per Ebroini dolum interfectus est.

II. Dagoberti Regis obitum hoc anno consignamus, quia Childebertus tricesimo-primo pòst anno vitam clausit, vt eruimus ex Gestis Regum Francorum, & ex Anonymo, qui Historiam seu Gesta Francorum à morte Dagoberti Regis vsque ad annum Christi septingentesimum tricesimum-quintum iussu Childebrandi Comitis scripsit. Childebertus autem è viuis excessit *anno* DCCXI. vt docent Annales Nazariani qui desinunt in anno Christi septingentesimo nonagesimo, & Petauiani qui desinunt in octingentesimo.

III. De morte Dagoberti, déque bello quod à Martino & Pippino cum Theodorico Rege gestum est, vetus Auctor, qui Gesta Regum Francorum sub Theodorico Calensi scripsit, ita disserit [a]. *Decedente Wlfoaldo de Auster, Martinus & Pippinus iunior filius Ansigiseli, quondam decedentibus Regibus, dominabantur in Auster, donec tandem aliquando hy Duces in odium versi contra Ebroinum, exercitum plurimorum Austrasiorum commoti, contra Theodoricum Regem & Ebroinum aciem dirigunt.* Adstipulatur Anonymus Austrasius iam laudatus, qui res potissimùm in Austrasia gestas ab isto bello vsque ad annum Christi septingentesimum tricesimum-quintum iussu Childebrandi Comitis in literas retulit. *In Austria*, inquit, *mortuo Wlfoaldo Duce, Martinus Dux & Pippinus filius Ansigisili quondam Franci nobilis dominabantur. Defunctis Regibus, commissis inuicem Principibus, Ebruino, Martino atque Pippino, aduersùs Theodoricum Regem excitantur ad bellum.* Posterior hic Auctor tertius est inter eos quibus tribui debet Chronicon, quod à Fredegario iussu Childebrandi Comitis scriptum vulgò perhibetur. Initium sumit à capite nonagesimo-septimo, & desinit in nono supra centesimum. Longè potioris est auctoritatis quàm qui genuinum Fredegarij Chronicon huic Historiæ iubente Childebrando scriptæ annectere voluit supplendo multa ex apocryphis, vt sæpiùs obseruauimus.

[a] Cap. 46.

IV. DAGOBERTVS REX OBIT. Per Reges, quos hisce temporibus defunctos esse vel decessisse testantur Authores suprà citati, Regiam intellige familiam quæ regnabat in Austrasia, Dagobertum scilicet & eius filium Sigibertum quem sanctus Arbogastus Argentinensis Episcopus ante aliquot annos à mortuis suscitarat. Quo lethi genere Dagobertus interierit, nusquam exprimitur. Violentâ morte creditur periisse, quia bellum gessit aduersùs Theodoricum Neustriæ Regem, & eius corpus in hostili mansit potestate sepultúmque fuit Rotomagi. De bello, quod inter Dagobertum ac Theodoricum Reges in finibus vtriusque Regni prope Lingonas exarsit, locupletissimus testis est Auctor coæuus in vita sanctæ Salabergæ. *Nuper*, inquit, *ciuile bellum inter Reges Francorum Theodericum & Dagobertum circa illos fines*, (loquitur de Lingonibus) *est actum, loca vicina quoque depopulata, agri, villæ, ædes, & ipsa, quod grauius est, Sanctorum corpora igne sunt cremata.* Theodoricus animo minùs æquo ferebat, quòd Dagobertus ab aliquot annis Austrasiam fermè omnem recepisset. Ventum est procul dubio ad certamen. VBI SEPVLTVS. Victoria stetit penes Theodoricum. Dagobertus, seu viuus seu mortuus in potestatem Theodorici venerit, procul à suo Regno & à paterno apud Me-

tenſes ſepulchro tumulatus fuit in Neuſtria Rotomagi ab Audoeno illius ciuitatis Epiſcopo in Baſilica ſancti Petri, vt Fridegodus in ipſius Audoeni vita tradit [a].

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

[a] Ap. Surium, d. 24 Auguſti.

V. AN PATRONVS SATHANACI.

V. Sathanaci ad Moſam ſacræ reliquiæ ſancti Dagoberti à pluribus ſeculis adſeruantur. At quis ille ſit Dagobertus, qui Patronus illius vrbis colitur, haud patet. Alij ſolùm Martyrem appellant, alij Regem Francorum, ſed Confeſſorem quidam, nonnulli Martyrem. Rurſum alij Dagobertum Primum indicant qui deceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo; alij Dagobertum Secundum qui pater fuit ſanctæ Irminæ Virginis; plures Dagobertum Tertium qui patrem habuit Childebertum. Acta ſancti Dagoberti Regis Francorum ac Martyris in lucem aliquot ab hinc annis prodierunt ab Alexandro Wilthemio Societatis Ieſu Presbytero Treuiris publicata, ſed nullam fidem merentur, tum quia fabulis & anachroniſmis abundant, tum quia ſcripta ſunt ab Auctore recentiore, qui duodecimo ſeculo vixit. Eorum refutationi vacabimus accuratiùs ſub Dagoberto Tertio, quem Martyrio coronatum nullus veterum ſcripſit. De Dagoberto Primo quid ſentiremus, in eius obitu declarauimus. Si Dagoberti Secundi laudes auidiùs amplecteremur, vti eius Acta aut Dagoberto Primo aut Dagoberto vltimo paſſim leguntur attributa, ſic & venerationem ad alterutrum promiſcuè tranſlatam diceremus. Non deeſſent argumenta, quibus firmaremus coniecturam noſtram, ſed cùm veritati ſtudeamus, faciliùs imus in ſententiam Henſchenij [b], qui Dagobertum, quem Sathanacenſes venerantur, Ducem aliquem Francorum fuiſſe putat non Regem, quia nulla Regiæ dignitatis mentio fit in Diplomatibus à Godefridis Ducibus Barbato & Bullonio datis *Bullionij anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſexageſimo-nono, Indictione ſeptimâ; Bullionij anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo-tertio, Indictione primâ; Sathanaci * anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo-ſexto, Indictione quartâ*, id eſt, multis annis citiùs quàm Gorzienſis Monachus in literas referret Acta, quæ noſtrâ ætate Alexander Wilthemius typis mandari curauit. In manuſcripto Adonis Martyrologio, quod auctum extat in Monaſterio ſancti Laurentij prope Leodium, hæc de ſancto Dagoberto leguntur decimo Kalendas Ianuarias. *Eodem die paſſio Sancti Dagoberti Regis Francorum, qui quadam die pergens venatum in ſaltu Waurenſi, plenus Spiritu Sancto, in loco qui dicitur Scortias, tribus millibus diſtante à fiſco Sataniaco, in quo ipſe morabatur, à filiolo ſuo, nomine Ioanne, decimo Kalend. Ianuar. martyrizatus eſt, & ab Angelis deportatus eſt ad ſocietatem Sanctorum Martyrum.* Delendus eſt *Regis Francorum* Titulus, qui cum fiſco, in quo Dagobertus morabatur, non conuenit. Sunt & multa, quæ Monachus Gorzienſis non animaduertit, Dagobertum illum degere ſolitum Sathanaci, Scortias tribus millibus à fiſco Sathanacenſi diſtare, & nomen filioli fuiſſe Ioannem. De pago Wabrenſi ſeu Waurenſi vel Vaporacenſi diſſeruimus alibi. Atque hæc dicta ſunto de ſancto Dagoberto Sathanacenſium Patrono, qui Martyrium ſubiit die viceſimâ-tertiâ Decembris, quo anno incertum, & alius fuit à Dagoberto Secundo, Auſtraſiæ Rege, qui hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, interiit.

[b] De tribus Dagob. l. 3. c. 9.

* Stenay.

VI. VINCVNTVR AVSTRASII.

VI. Poſt Dagoberti Regis mortem Martinus & Pippinus Auſtraſios in Regiæ cædis vltionem commouerunt, *contra quos*, vt in Geſtis [c] Regum Francorum legitur, *Theudericus Rex & Ebroinus cum hoſte occurrunt, loco nuncupante Lufao, ſimúlque coniuncti ſe inuicem cæde magnâ proſternunt, corruítque ibi infinita turba populi; Auſtraſij deuicti, in fugam lapſi, terga vertunt. Ebroinus eos cæde crudeliſſimâ inſecutus, maximam partem ex illa regione vaſtauit. Martinus per fugam elapſus, Landuno Clauato ingreſſus, illuc ſe recluſit. Pippinus autem altrinſecus euaſit. Ebroinus itaque perpetratâ victoriâ reuerſus eſt, & cum exercitu magno venit Erchrego villâ. Itaque ad Martinum nuntios dirigit, vt dato ſacramento cum fiducia ad Regem Theudericum veniret, hæc doloſè ac fallaciter ſuper vacuas capſas ei iurantes. Ille verò credens eis, Erchreco veniens, ibi cum ſociis ſuis interfectus eſt.* In Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta negotium illud politiore ſtylo narratur,

[c] Cap. 46.

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7. loco pugnæ vocabulum est *Locofico*, & nuncij, quos Ebroinus ad Martinum direxit, nominantur duo, Ægilbertus scilicet ac Regulus Remensis vrbis Episcopus. *Defunctis Regibus, commissis inuicem Principibus, Ebruino, Martino atque Pippino, aduersùs Theodoricum Regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum, cui vocabulum est Locofico, interim commissi prælium ineunt, ibique magno certamine dimicantes, plurima pars populi ex vtrisque partibus corruit. Deuicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt, persecutúsque eos Ebroinus, maximam partem de illa regione vastauit. Martinus autem Laudunum Clauatum ingressus, se infra muros ipsius vrbis muniuit. Persecutúsque eum Ebroinus, veniens Ertreco villa, ad Laudunum* * *Clauatum nuncios dirigit, Ægilbertum ac Regulum Remensis vrbis Episcopum, vt fide promissâ in incertum super vacuas capsas sacramenta falsa dederint. Qua in re ille credens eos, à Lauduno Clauato egressus, cum sodalibus ac sociis ad Ertrecum veniens cum sociis omnibus interfectus est.* Huius Historiæ Scriptor maximâ valet auctoritate, tamen quia fuit Austrasius, résque potissimùm à Pippino Haristalliensi & Carolo Martello præclarè gestas recensere studuit, fidem sibi conciliare non potest, cùm Regulum Remensem Episcopum, quem Flodoardus [a] Reolum vocat, criminis, quod Ebroinus meditabatur, conscium facit. Quis enim in pio Pontifice, cuius memoriam Ecclesia singulis annis veneratur, sceleris adeò flagitiosi vel leuissimam suspicionem admittat? Quod de vacuis capsis dicitur, id apertissimè fabulam redolet. Regulus enim nusquam adeò stolidus fingi potest, vt putarit iusiurandum vacuâ capsâ inane irritúmque fieri, iurantésque & eos, quorum nomine iurabant, apud Deum non obligari. Iurantibus mos erat manus reliquiis Sanctorum imponere. Regulus Martinum nec dolo nec fallacibus verbis aggressus est. Tactis thecis, in quibus erant sacræ reliquiæ, iurauit Martinum inuiolatum fore, si venisset Ercherecum, & ad illud iter suscipiendum vehementiùs impulit, quia pacem summoperè cupiebat, & Ebroino multis se beneficiis deuinctum fatebatur, nam pleraque loca pro Monasteriorum constructione dono Theodorici Regis promeruerat, ipso *Ebroino Maiore domûs*, vt Flodoardus [b] loquitur, *suffragante*. Remi pertinebant ad Austrasiam, ramen Regulus illius ciuitatis Episcopus à Theodorici partibus semper steterat, ea res Auctori fortè stomachum mouit. Vt autem à Regulo, sic & ab Ægilberto suspicionem omnem criminis remouemus. Hadrianus Valesius [c] Ægilbertum eundem constituit cum Agilberto Parisiorum Episcopo, de quo sermonem non semel fecimus, suámque sententiam solâ tuetur auctoritate Historiæ iussu Childebrandi scriptæ, quæ nullum Ægilberto Titulum attribuit. Agilbertus ad hæc tempora peruenire potuit, *senex enim & plenus dierum obiit*, vt Beda [d] scribit.

* Laon.

MARTINVS DVX OCCIDITVR.

[a] L.2.c.12.

[b] L.2.c.10.

[c] L.22.

[d] L.3.c.3.

VII. Andreas Saussaius elogium sancti Agilberti sic absoluit quinto Idus Octobris in Martyrologio Gallicano. *Agilbertus cùm Parisiensem Ecclesiam sanctissimè administraret, Iotrense Cœnobium, cui Sancta Teutechildis eius soror prima Abbatissa præerat, plurimùm dilexit ac prouexit. Ad quod cùm aliquando ex pio more profectus fuisset, senio confectus tandem admirabilis vitæ decursu consummato, in Christo obdormiens, ad superna ciuitatis gaudia feliciter commigrauit. In crypta adiculæ Sancti Pauli Eremitæ, quam condiderat, sepultus, vbi multis refulsit miraculis.* In lucem emisit Martyrologium Gallicanum anno Christi millesimo sexcentesimo tricesimo-septimo. Panopliam Episcopalem nono pòst anno libris septem euulgauit, in illóque opere bis de Inuentione sancti Agilberti sermonem fecit, semel libro tertio [e] cùm ageret *de antiquitate anuli Pontificalis*, iterum libro sexto [f] cùm probaret *Dalmaticæ vsum Ecclesiasticum, diuinæ approbationis plerisque indiciis commendari*. Primâ vice, sic. *Vix effluxit decennium, cùm in antiquissimo Monasterio Iotrensi, Sanctimonialium Ordinis Sancti Benedicti in Diœcesi Meldensi, in crypta, cui vetustissima superstructa est adicula Sancti Pauli Eremitæ, corpus Sancti Agilberti Episcopi Parisiensis, qui circa annum 670. sedebat, repertum est, Pontificalibus adhuc ornamentis insignitum. Inter quæ anulus eius Pontificalis erat, aureus, pretioso at non diaphano sed opaco lapide (quem Achaten vocitant) instructus,*

AGILBERTVS EPISC. PARIS. VBI SEPVLTVS.

[e] Cap. 2.

[f] Cap. 7.

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

cui S. Hieronymi, pectus ſilice percutientis, ante imaginem Chriſti penduli in cruce, imago paret inſculpta. Encauſto anulus in ſuperiori parte circuli decoratur, eminétque è medio eius vaſculum falcatis quaſi vnguiculis enectum, quibus ipſa gemma ſtringitur, adeóque exquiſito artificio fabrefactum opus eſt, vt vix elegantiori formâ confectum aliud proferri poßit. Contrectaui illum ipſum anulum manibus meis, &c. *Porrò non minima me tunc ſubiit admiratio penſitantem, non modò quàm rarâ arte Epiſcopalis ille anulus excelleret, quámque viuo niteret fulgore: ſed inſuper ambitûs eius quanta eſſet amplitudo, quâ certè ambo mei ſpißiores digiti, vtriuſque ſcilicet manûs pollices, facilè includebantur, vt non difficile ſit, hoc indicio, leonem vt aiunt ab vngue metiri: hinc enim cuique licet collectum ire quàm procerâ & amplâ ſtaturâ Sanctus ipſe Agilbertus extiterit: vt forma ipſa digna fuerit imperio, magnóque corpori maior virtus ac gloria inſederit.* Alterâ vice, ſic. *Noſtrâ ætate, méque, vt ita dicam, præſente, Sancti Agilberti Epiſcopi Pariſienſis corpus, in Iotrenſi Monaſterio agri Meldenſis, repertum eſt Pontificalibus adhuc ſuis ornamentis (quorum partem non minimam attrectaui) inſignitum, ſignatímque fimbrias aureas, quæ oris extremis Dalmaticæ etiamnum appendebant.* Prærereà in Panoplia [a] Clericali, quam anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vndequinquageſimo edidit, ſericum, tametſi legibus Canonicis prohibitum ſit in priuato Clericorum habitu, licitè tamen & decentet admirti poſſe in ſacro ornaru probauit ex Sanctorum Epiſcopotum & Preſbyterorum Inuentionibus ac Tranſlarionibus, in quibus repertæ ſunt venerabiles eorum exuuiæ ſacris veſtibus indutæ, quæ paſſim ſericæ & aureis filis intextæ compertæ ſunt, & prædictam ſancti Agilberti Inuentionem in exemplum ſic adduxit. *Cùm apud Iotrum eſſem celebre Virginum ſacrarum Monaſterium, anno exeunte ſalutis 1631. corpus Sancti Agilberti Epiſcopi Pariſienſis, cuius meminit Beda, repertum fuit in crypta Sancti Pauli Eremitæ (quam condiderat) ſepultum cum Pontificiis indumentis, contextis ex ſerico cum fimbriis aureis, quarum particulas adhuc fulgidas & rutilantes propriis conſpexi oculis, & manibus contrectaui.* Hæc de ſepultura ſancti Agilberti. Succeſſit in Epiſcopatum Pariſienſem Sigofridus.

[a] Part. 1. l. 2. c. 6.

SVCCEDIT SIGOFRIDVS.

VIII. ABBATISSÆ IOTRENSES.

Eſt & incertum quonam anno Teutechildis Iotrenſis Abbatiſſa, ſancti Agilberti ſoror, obierit. Sepulta fuit in prædicto Sacello ſancti Pauli retro altare eiuſdem ſancti Pauli. Colitur ſexto Idus Octobris. Ei ſucceſſit in Monaſterij regimen Aguilberta ſoror patruelis. In veteribus enim Iotrenſis Cœnobij monumentis, quæ citantur ab Hugone [b] Menardo in Natalibus Sanctarum Abbatiſſarum, Teutechildis [c], Aguilbertæ [d] & Baldæ [e], duo beatæ Baldæ fratres attribuuntur, Betto ſeu Belfridus & Abobinus, quorum ille ex Agia Teutechildem ſeu Telechildem, hic Aguilbertam ex Pientia ſuſcepit.

[b] L. 1 obſeruat.
[c] D. 10. Oct.
[d] D. 12 Aug.
[e] D. 9 Dec.

IX.

Franciam, quia ciuili bello laborabat, adortus eſt ab Aquilone Radbodus Rex Friſiorum, rei per Francorum diſcordias benè gerendæ occaſionem ſibi datam arbitratus.

X. RADBODVS POST PATREM ADALGISVM REGNAT IN FRISIA.

Adalgiſus Friſiorum Rex, cuius mentionem ſuperioribus annis fecimus, poſt Wilfridi Eboracenſis Epiſcopi diſceſſum è Friſia ſtarim obiit. Fuit ſuâpte naturâ à turbulentis conſiliis alienus; regnauit annos plùs minùs quadraginta; vltra Rhenum intra limites ſui Principatûs ſe continuit; Friſios diuturnâ pace tecteauit; ingenium gentis aſperum ac belli ſtudiis efferatum ad cultum & humanitatem traduxit; denique patriam, quam afflictam atque horrentem ſuſceperat, florentem, & ædificiis, moribus ac legibus cultam reliquit. Succeſſit Radbodus eius filius. Hic, vt erat gentilium ſacris impensè deditus, nouellum germen doctrinæ Chriſtianæ, quam Wilfridus Epiſcopus nuper ſparſerat, breui ſuffocauit, collectíſque repentè copiis, dum Francia domeſticis tumultibus concitabatur, Wiltaburgum, Francici quidem iuris oppidum ſed vltra Rhenum in Friſico ſolo ſitum, ſubitâ vi occupauit, Francorum præſidium expulit, Sacellum ſancti Thomæ, quod Dagobertus Clotarij filius quondam illic poſuerat, aut ipſe diruit, aut ſuorum furori diripiendum permiſit, Religionem Chriſtianam peſſumdedit, iratus potiſſimùm huic loco, quòd inde proxi-

PERSEQVITVR CHRISTIANOS, CAPIT WILTABVRGVM.

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7. mos suorum in nouos ritus sollicitari non ignoraret. Lege Historiam rerum Frisicarum [a]. Non desunt, qui Radbodum scribant longius progressum cum prædabundo exercitu, quoad Nouiomagum * pertingeret, cunctaque obuia, & ipsum illud oppidum suæ potestatis fecisse, notámque saxo in mœnibus posito impressisse paucis verbis, *cum terminum esse Regni sui*. Quod tamen Emmius [b] ex ipsis syllabis inscriptionis, quæ recitantur, confici certò posse non existimat. Frisios vsque Nouiomagum profectos facilè credimus, quia Franci, vt idem Auctor proximè subiungit, quò minùs iniuriam illam statim vindicarent, *dissidiis domesticis* impediebantur. Imò ex vitis sanctarum Raineldis & Berlendis eosdem Frisios vlteriùs penetrasse liquidò colligimus.

[a] Ap Vbbon. Emmium l. 3. sub fin. & l. 4. sub init.
* *Nimegue.*
[b] L. 4. sub init.

XI. WITGERVS ET AMELBERGA RENVNTIANT SECVLO.

Reineldis seu Reinildis, Pharaildis & Gudila, tres erant sorores, patre Witgero, matre Amelberga natæ. De Pharailde, cuius mentionem ad annum Christi sexcentesimum vndesexagesimum [c] fecimus, nihil dicendum superest. Gudila eodem anno post sanctæ Gertrudis Abbatissæ Niuigellensis obitum ad parentes suos rediit. Autbertus Cameracensis Episcopus ad annum vsque Christi sexcentesimum vndeseptuagesimum vixit. Eo in viuis superstite Witgerus in Cœnobio Lobiensi Monachum induit, Amelberga Monialem in Monasterio Melbodiensi. Posteà Reinildis *Sanctas cum quinque villis & ad eas attinentibus* Monasterio Lobiensi contulit; tum profecta est Hierusalem, vbi *biennio* singula quæque loca, in quibus Saluator versatus est, attentè perlustrauit; *septennio inde euoluto* Sanctas rediit; *deinceps ita vixit, vt humanum modum excedere videretur*; denique *cùm propter hominum flagitia Dominus Barbaros sæuire permitteret*, ab illis *in Gallias* irruentibus *cæsa est decimo-septimo Calendas Augusti*. In notatiuncula, quâ Surius [d] vitam sanctæ Reinildis illustrare conatus est, hosce Barbaros, *alij Hunnos, alij Nortmannos fuisse volunt*. Nomen Nortmannorum longè seriùs in Galliis audiri cœpit. In vita sanctæ Reinildis, cuius fragmentum Bollandus [e] in prolegomenis ad vitam sanctæ Berlendis publicauit, Hunni nominantur, ibi enim Reinildis laudata reperitur, quòd Hierosolymâ Sanctas reuersa, *humanum modum transcendens supra se vixit, & vsque ad Hunnorum tempora, quasi in extasi mentis iam posita, terrenis cunctis calcatis, calestibus inhians, contemplatiuæ vitæ statum miraculis atque virtutibus refulgens obtinuit.* Sanctæ Reinildis & Berlendis coætaneæ vixerunt, illa enim patrem hubuit Witgerum, hæc Odelardum, qui exercitui sub eodem Witgero præerat. In vita autem sanctæ Berlendis, Cœnobium Morsellense, quod expetierat, *ab Hunnis funditus erutum atque combustum* dicitur, & Eligardus ipsius Berlendis frater *ab Hunnis interfectus* memoratur. Qui vitas sanctarum Reinildis & Berlendis suprà citatas literis commendarunt, vixerunt multò seriùs, & apud Auctores, qui prædictarum Sanctarum ætate floruerunt, altum est de Hunnica in Gallias irruptione silentium. Quapropter Bollandus in prolegomenis iam laudatis, vbi de Monasterij Morsellensis euersione sermonem facit, *non quærimus*, inquit, *hîc, fueritne, dum bellis ciuilibus inter Maiores domûs, Ebroinum, Pipinum, &c. Gallia turbaretur, Hunnorum aliqua manus in Belgicam nostram, vti sæculo x. euocata; an Frisonum hæc incursio fuerit, aliorúmve à Scaldi piratarum, qui Hunni deinde sint à popularibus appellati, vti olim Barbari omnes Hunni aut Wandali dicebantur, posteà Nortmanni ac Saraceni.* De discordiis, quas Maioresdomûs in Francia concitarunt, à synchronis Auctoribus multa sunt accuratè conscripta, de Hunnis nihil relatum, ideóque in vita sanctæ Reinildis per *Barbaros* apud Surium, per *Hunnos* apud Bollandum intelligendi videntur Frisij seu Frisones, qui Gallias ingressi sanctam Reinildem Martyrio coronarunt. Tempus ipsum conuenit. Anno Christi circiter sexcentesimo sexagesimo-sexto Witgerus & Amelberga seculo renuntiant. Amelberga sacrum velamen ab Autberto Episcopo Cameracensi suscipit. Anno sequenti Reinildis Lobiensi Monasterio Sanctas aliáque bona tradit, statímque proficiscitur Hierosolymam. Inde discedit anno Christi circiter sexcentesimo vndeseptuagesimo, póstque septennium anno videlicet Christi circiter sexcentesimo

[c] Num. 10.
[d] D. 16 Iul.
[e] D. 3. Febr.

ſimo ſeptuageſimo-ſexto Sanctas reuertitur, vbi Martyrium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſubit. Hæc ad illuſtrandam Chronologiam dicta ſunto. Singula nunc explicanda. AN. CH. 680.

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

XII. Witgeri & Amelbergæ coniugum ſeceſſus in Monaſterium à Surio ſic refertur in vita ſanctæ Amelbergæ [a]. *Witgerus Princeps ſapientiſſimus, vt erat ab Angelo prædictum, Monaſtica vita inſtitutum complexus eſt. Porrò Amelberga ſacrum velamen accepit ab S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo, & ſe totam Domino conſecrauit.* Et in vita ſanctæ Raineldis, ſic [b]. *Witgerus ſacra Religionis habitum induit. Amelberga verò coniunx eius ab S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo ſacrum velamen accepit, Chriſtóque ſe totam dedicauit.* Diſtinctiùs à Molano [c] ſic in elogio ſanctæ Amalbergæ. *Witgerus Monaſtica Regulæ diſciplinæ ſe Lobiis ſubdidit. Vxor verò ſancta Amalberga ſacrum velamen ſuſcepit ab Autberto Epiſcopo Cameracenſi, & ſe totam Deo dedicauit in Malbodio.* Monaſterium Lobienſe tunc adminiſtrabat Landelinus, Aldegundis Melbodienſe. Porrò hæc verba, *vt erat ab Angelo prædictum*, quæ ſuprà ex vita ſanctæ Amelbergæ citauimus, referri debent ad textum, qui præcedit. Auctor enim vbi de liberis Amelbergæ loquitur, ortum Gudilæ prolis omnium poſtremæ ſic commendat. *Gudilam cùm vtero geſtaret, & ante paucos puerperij dies inſtar parturientium angeretur, Angelicâ conſolatione recreata eſt, dicente Angelo ad eam. Ne timeas, Amelberga. Lachrymæ & preces atque eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad Dominum. Paries filiam Deo dilectam, ſummæ continentiæ & caſtitatis integritate conſpicuam, quæ omnibus vitæ ſuæ diebus Deo gratum exhibebit famulatum. Poſt eam verò nullam deinceps concepturа es prolem, ſed in caſtitate perſeuerans cum marito tuo, mutatis veſtibus & Monaſtico ſumpto habitu, ambo voſmetipſos gratas Domino hoſtias immolabitis, & in ſancta conuerſatione vſque in finem perdurabitis.*

[a] d. 10. Iul.
[b] d. 16. Iul.
[c] d. 10. Iul n. a.

XIII. De munificentia Raineldis erga Monaſterium Lobienſe ſic Auctor vitæ [d]. *Cùm nihil præter Chriſtum habere concupiſceret, cum ſancta ſorore ſua Gudila Lobienſe Cœnobium adiit, beatiſſimo Petro Apoſtolorum Principi omnia ſua oblatura. Pulſans autem fores Monaſterij, audiuit à fratribus loci illius, ex quo die fundatum eſſet illud Monaſterium, numquam licuiſſe fœminis in illud ingredi. Id vbi ſancta virgo Gudila audiuit, inde receſſit. At ſoror eius Raineldis pro templi foribus ſeſe proſternens, Omnipotentem Deum tres continuos dies, nihil interim aut edens aut bibens, piis precibus & lachrymis pulſare non deſtitit, donec ille, qui nunquam deſeruit ſperantes in ſe, ſigna potentiæ ſuæ mirabiliter declarauit. Nam tertiâ nocte, cunctis fratribus quieſcentibus, oſtia Monaſterij diuina virtus aperuit, & nullo mortalium manus admouente, ſigna ſuos dedere ſonos. Excitantur ergo fratres, concurrunt vndique, & ſanctam virginem in Crucis forma coram imagine Saluatoris proſtratam cernunt, ſciſcitantur ex ea, quid actum ſit, aut quâ ratione intrò ingreſſa ſit. Reſpondit illa. Vos quidem parum humani, me peccatricem intromittere noluiſtis. At ille, ſine cuius benignitate nec formica viuit, cuius miſericordiâ Angeli viuunt in cælis, cuius ſapientia omnia fecit in pondere, numero & menſura, qui ſeipſum Deo Patri ſacrificium obtulit pro totius mundi ſalute, qui peccatoribus ob admiſſa peccata cum gemitu & lachrymis veniam poſcentibus nunquam defuit, huius Templi ianuas mihi peccatrici patefecit, & ſuâ virtute patefacto aditu, me, ſicut videtis, huc introduxit. His auditis Abbas Monaſterij,* nempe Landelinus, *cum fratribus ad pedes illius procidit, &, vt pro ipſis Dominum deprecaretur, cum lachrymis rogauit. At ſancta virgo, cùm ſe inuicem benignè & comiter ſalutaſſent, humili corde & mente promptiſſimâ, vt erat Deo deuota & valdè religioſa, poſitis humi genibus, ad veſtigia eorum prouoluta orabat vt tantorum patrum precibus commendari apud Dominum mereretur. Deinde honorificè & cum multa deuotione ab eis ſuſcepta, animi ſui propoſitum illis explicauit, & Sanctas cum quinque villis & ad eas attinentibus, beato Petro Apoſtolo donauit, vt per eum ad cæli Palatia introduci mereretur.*

[d] Ap. Sur. d. 16. Iul.

REINELDIS MVNIFICENTIA ERGA MON. LOBIENSE,

XIV. De profectione Hieroſolymam ſic. *Acceptâ inde benedictione à Patre Monaſterij* Landelino *& fratribus, inanis gloriæ & humanæ laudis fumos vitare, &*

PROFECTIO IN ORIENTEM,

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

maioris certaminis cursum conficere volens, ad sanctam ciuitatem Hierusalem, vno tantùm famulo vnâque ancillâ contenta profecta est. Vbi biennio singula quaque loca, in quibus Saluator versatus fuerat, perlustrauit, ac si ipsum Dominum in corpore præsentem haberet.

XV. REDITVS IN PATRIAM.

De reditu in patriam. *Septennio inde euoluto, pretiosissimis aucta Sanctorum Reliquiis, parte quadam sepulchri Dominici & ligni Crucis vestísque beatissimæ Matris Dei, aliísque multis ad patriam reuertitur, Sanctas ingreditur, à familia & cunctis loci eius indigenis cum summa exultatione excipitur. Deinceps verò ita vixit, vt humanum modum excedere videretur. Nam velut in ecstasi posita, terrenis omnibus proculcatis, & cælestibus inhians, miraculis quoque & virtutibus coruscans, rerum diuinarum contemplationi vacabat.*

XVI. MARTYRIVM.

Denique de Martyrio ac sepultura, sic. *Cùm propter hominum flagitia Dominus Barbaros,* nempe Frisios, *sæuire permitteret, illi in Gallias irruentes, multos trucidarunt, flammísque omnia vastantes, magnam Christianis cladem attulerunt. In ea rerum perturbatione aliis se in specus, aliis in montium cauernas abdentibus, nobilioribus verò & potentioribus in municipia & fortissima castella se recipientibus, hæc Christi virgo nec minis impelli, nec amicorum blandimentis eò adduci potuit, vt locum, in quo diem claudere extremum constituerat, desereret. Ceteri quidem omnes fuga se mandarunt, ipsa verò sola permansit cum duobus magis ei familiaribus, Grimoaldo Subdiacono & Gundulpho ministro. Irruentibus igitur Barbaris, virgo Christi Sancto Spiritu plena, & in sponsi sui amore solidata, cum illis quos diximus, more suo ad preces confugit, & coram altari in æde beatissimi Quintini Martyris in Crucis forma se prostrauit, vt sicut ille sui Redemptoris fidelis testis fuit Martyrij palmam referendo, sic ipsa apud Martyris memoriam eiusdem testimonij Christi particeps effici mereretur. In ipsam verò ædem irrumpebant Barbari, instar immanissimarum belluarum, humanum sanguinem sitientes, arreptísque sanctæ virginis capillis circumquaque eam trahebant, fustibus & flagellis eam cædentes, tundentes calcibus, & colaphos ei infringentes, multísque iniuriis, ludibriis & plagis crudelissimis eam afficientes. Compellentibus inde Barbaris, vt ceruicem extenderet, flexo poplite, virili animo sustinebat ferientis ictum, præ gaudio lachrymans & has fundens preces. Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, quòd me dignatus es in ancillarum tuarum numero computare vel vltimam, quódque merui pro tui nominis honore plagis & contumeliis affici, & cursum mei certaminis in te consummare. Accipe ergo nunc spiritum meum. His dictis, ceruicem porrexit carnifici, & capite cæsa ad Christum euolauit. Porrò beatus Grimoaldus Subdiaconus ibidem capite plexus est. Gundulphus verò, tribus in eius cerebrum adactis clauis, vitam finiuit. Eâ cæde peractâ volebant satellites Satanæ Templum inflammare, & cum illo pariter sanctos Martyres comburere; sed meritis beatæ Raineldis impediti, nullo modo id consequi potuere, coactíque sunt re infectâ cum ignominia abire. Cæsa est Christi sponsa Raineldis cum sociis duobus decimo-septimo Calendas Augusti. Cúmque iam recessissent cruentissimi latrones, oues Christi, quas suâ immanitate in fugam compulerant, paulatim sese colligentes, quotquot eorum manus euaserant, domum se receperunt, inuentáque Sanctorum corpora necdum humata, terrâ condiderunt in Templo suprà memorato.*

SEPVLTVRA.

In Tabulis Ecclesiasticis, decimo-septimo Kalendis Augusti celebratur *Sanctis in Gallia* Natalis *Sanctorum Martyrum Raineldis virginis, & sociorum eius, qui à Barbaris pro fide Christi cæsi sunt.*

XVII. PAGVS SENONAGVS.

In pagum quoque Senonagum, cui nomen à Senna fluuio Bruxellam præterfluente inditum, effusi sunt Frisij. Dirutum enim ab illis Castellum, quod Ascum tunc vocabatur, & teste Bollando [a] locus etiamnum celebris est Bruxellam inter & Alostum. Illam Frisiorum irruptionem sic attingit Anonymus in vita sanctæ Berlendis. *Fuit possessio ejus,* nempe Odelardi Comitis, *Humberch & Ascum *, Castella duo; quorum alterum, scilicet Ascum, ab Hunnis destructum, alterum verò naturâ munitum, militúmque copiâ defensum inexpugnabile perstitit. Quia igitur vir iste tam generosâ propagine, quàm diuitiis atque præsidiis, honorúmque dignitate ampliatus pollebat, nam à portu Antuerpiensium vsque*

[a] d. 3. Febr. in not. ad c. 1. vitæ S. Berlendis.

* *Assche,*

AN. CH. 68o. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

Condatum Comitatum regebat, puellam nobilissimam, sororem beati Pontificis Amandi, nomine Nonam, in matrimonium sumpsit, &c. *Ex hac igitur genuit filium, nomine Eligardum, qui in supradicti Castri destructione ab Hunnis interfectus fuit.* Hunnorum nomine Frisios hoc loco intelligendos iam monuimus.

ELIGARDVS OCCIDITVR. XVIII. MON. MORSELLENSE DIRVITVR A FRISIIS.

Eâdem Hunnorum seu Frisiorum incursione vastatum combustúmque est Morsellense Monasterium, vbi Berlendis Odelardi Comitis altera proles Monasticam vitam agebat. *Odelardus*, inquit idem Auctor, *genuit etiam ex eadem* Nona *coniuge filiam, virginem facie quidem formosissimam, formâ conspicuam, personâque elegantem, sed omni probitate & industriâ luculentiorem, nomine Berlendem.* Et paulò pòst. *Contigit eandem virginem in loco qui dicitur Morsella, in Cœnobio beatæ Dei Genitricis Mariæ, sacri velaminis habitum suscipere, & multorum annorum curriculo cælibem vitam ducere.* Et inferiùs. *Cœnobium, in quo ordinata fuerat, quod priùs ab Hunnis funditus erutum atque combustum fuerat, pauperíque modo readificatum, carebat appendiciis, substantiáque, quâ ibi famulæ Christi sustentari possent.*

XIX. Eligardi necem & incendium Cœnobij Morsellensis in hunc annum, à Christo nato sexcentesimum-octogesimum, incidisse sic colligimus. Berlendis, vt Tomo sequenti probabimus, ad Deum migrauit quarto Nonas Februarias, anno Christi vel vndeseptingentesimo, si principium anni sumas à Paschate, vel septingentesimo, si nobiscum à Kalendis Ianuariis annum auspiceris. Obiit autem *ter quinis annis cum duobus post patris mortem expletis*, vt Auctor vitæ scribit. Odelardus igitur eius pater è viuis abiit anno Christi sexcentesimo octogesimo-secundo. Quo tempore recentem irruptionis Hunnicæ seu Frisicæ memoriam fuisse sic idem Scriptor testatur. *Post mortem patris sui, quia Cœnobium, in quo ordinata fuerat, quod priùs ab Hunnis funditus erutum atque combustum fuerat, pauperíque modo readificatum, carebat appendiciis, substantiáque, quâ ibi famulæ Christi sustentari possent, quia in pane & aqua vix puellas sex detinere poterat, cogentibus famulis atque necessitate domi remansit.*

XX. Odelardus, vt ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum-tertium [a] iam diximus, *tribus annis quater reuolutis post primæ noctis copulam*, Nonam vxorem amisit; bonis deinceps operibus vacauit. Auctor vitæ, qui longè seriùs scripsit, cùm nomen Lotharingiæ iam audiebatur, regiménque Lotharingiæ penes Duces erat, languore diutino tum leprâ percussum ait. Id quoque verum videtur. At inter fabulas reiici debet, quæ de Berlendis exhæredatione proximè sequitur, hæc enarratio. *Cùm* Odelardus *multo langueret annorum curriculo, defluentibus famulis tædio affectis, contigit quadam die solum cum sola filia in domo remanere. Qui cùm ab ea potum peteret, continuò illa surrexit, scyphum concitè lauit, potum infudit, patri portauit, qui bibit, eíque scyphum reddidit. Sed serpens antiquus humano generi semper inuidus, humilitatísque nescius, radicis omnium malorum superbiæ fuco virginem aliquantulùm infecit. Nam sitiens, post patrem bibere dedignans, poculum effudit, scyphum iterum lauit, potum imposuit ac sic bibit. Quod pater aspiciens, nullum ei verbum fecit, sed tacitus mirabili indignatione tulit, iráque vehementi turbatus vocauit seruos, currum sibi statim parari iussit, super quem ascendens Niuellam petiit, ibíque sanctæ Gertrudi quicquid habebat in prædiis cum omni familia seruorum ancillarúmque cum cespite & ramo cultellóque cum manubrio albo tradidit, ac filiam omni paterna maternaque hæreditatis iure priuauit. In eadem autem traditione res stupenda, & vltra humanum modum admiranda, ad laudem ipsius, qui condidit omnia, contigit. Nam cùm idem vir ad feretrum accederet, omni obstinatione affirmauit se nunquam ei prædium daturum, nisi ipsa beata virgo propriâ manu reciperet. Qui cùm ter quatérque clamaret; sancta Gertrudis, hoc munusculum de manu mea suscipe, & noli me peccatorem ante te flentem & eiulantem spernere, nisi potiùs me aliàs daturum vis abire, confestim nutu Summi Tonantis, scrinium, in quo beata virgo iacebat, sese aperuit, corpúsque exanime manum porrexit, cunctísque cernentibus populis, qui aderant, ramum cum cespite cultellóque de manu viri porrigentis intra scrinium*

[a] Num. 22.

FABVLA DE ODELARDO ET BERLENDIS EXHÆREDATIONE.

AN. CH. *recepit, &, sicut priùs fuerat, clausum, ac sigillatum permansit.*

680. Vt illam narrationem fabulis accenseamus, multæ nos rationes impellunt.

THEODOR. III. Causam odij, quæ publicatur, vel nullam vel leuiorem putamus, quàm vt ideò filiam à patre exhæreditatam quis opinetur. Deinde Berlendis in Monasterium Morsellense priùs secessit, quàm Eligardus eius frater à Frisiis interimeretur; quis autem existimet ob sororis reatum fratrem quoque à patre exhæreditatum fuisse? Denique Auctor non sibi constat, addit enim Berlendem, post Odelardi patris obitum, *cogentibus famulis, domi* remansisse.

DAGOB. II. RR. 7.

XXI.

XXII. Frisios, de quorum irruptione nihil ampliùs occurrit, à Theodorico Monarchiam Francorum adepto mox repressos vel ex eo colligimus, quòd Monasterium Morsellense statim reparari cœptum est, vt suprà iam insinuauimus, iterùmque ad annum Christi sexcentesimum octogesimum-secundum Tomo sequenti reperemus. Tunc quoque fusiùs ac commodiùs agemus de Eruigio Wisigothorum Rege, qui Wambæ exauctorato successit hoc anno, statímque bellum ab Austro Francis intulit. Apud Rodericum Toletanum [a], cuius numeros multùm deprauatos esse iam questi sumus queremúrque sæpiùs, Wamba, qui Kalendis Septembris anno Christi sexcentesimo septuagesimo-secundo regnare cœpit, Regnum *annis nouem, mense vno*, tenuisse dicitur, meliùs apud Marianam [b] *annis octo, mense vno, diebus quatuordecim*, itaut eum, *anno salutis sexcentesimo octogesimo, Regno esse spoliatum* constet. Eruigius Wambæ successor *anno Regni sui primo*, vt ipsemet Rodericus [c] fatetur, *procurauit fieri Concilium duodecimum Toletanum*, cui per mensem Ianuarium Eram septingentesimam vndeuicesimam, siue annum Christi sexcentesimum octogesimum-primum, Acta Synodalia sic præfigunt. *In nomine Domini. Acta Synodalia Concilij Toletani duodecimi apud Vrbem Regiam celebrata, sub die quinto Iduum Ianuariarum, Erâ* DCCXIX. *anno primo Orthodoxi atque Serenissimi Domini nostri Eruigij Regis*, &c. Hoc igitur anno, post Christum natum sexcentesimo octogesimo Eruigius, vt dictum est suprà, Wambæ exauctorato subrogatus est mense Octobri.

ERVIGIVS FIT REX WISIGOTH.

[a] L. 3. c. 1.

[b] L. 6. c. 14.

[c] L. 3. c. 13.

XXIII. Huc anno, Romæ celebratum est ab Agathone Papa Concilium, in quo centum viginti-quinque Episcopi fidem Orthodoxam confirmarunt, Monothelitarum hæresim condemnarunt, & Legationem Constantinopolim ad Synodum Oecumenicam decreuerunt. Ad Concilium illud Romanum profecti sunt ex Francia Felix Arelatensis Episcopus, Adeodatus Episcopus Tullensis seu Leucorum, & Taurinus Diaconus Ecclesiæ Telonensis. Id patet ex subscriptionibus Episcoporum, quæ Agathonis Papæ ipsiúsque Romanæ Synodi literis ad Imperatores, Constantinum, Heraclium & Tiberium, directis subiectæ sunt. Felix enim sic subscripsit. *Felix humilis Episcopus Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum prouincias constituta, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide vnanimiter construximus, similiter subscripsi.* Adeodatus sic. *Adeodatus humilis Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Leucorum, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum prouincias constituta, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide vnanimiter construximus, similiter subscripsi.* Taurinus sic. *Taurinus indignus Diaconus Sanctæ Ecclesiæ Telonensis, Legatus venerabilis Synodi per Galliarum prouincias constituta, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide vnanimiter construximus, similiter subscripsi.* Romanam igitur Synodum, quam Cæsar Baronius hoc anno post Pascha celebratam scribit, antecessit Gallicana, in qua prælaudati Episcopi Felix & Adeodatus Taurinúsque Diaconus electi sunt, qui Legatione Cleri Gallicani fungerentur, & Synodo Romanæ ab Agathone Papa indictæ interessent.

XXIV. Felix annum Pontificatûs circiter quintum tunc agebat, in Episcopatum enim Arelatensem successerat Ioanni, cuius obitus in monumentis Arelatensibus apud Saxium anno Christi circiter sexcentesimo septuagesimo-quinto consignatur. Quæstio mouetur, vtrùm Ioannes hic idem sit cum Ioanne, qui teste Bedâ [d] Theodorum Episcopum Româ in Angliam iter habentem anno Christi

EPISCOPI ARELATENSES.

[d] L. 4. c. 1.

sexcentesimo duodeseptuagesimo suscepit. Saxius duos Ioannes distinguit, vnum quem Beda in Historia Ecclesiastica gentis Anglorum ad annum Christi sexcentesimum sexagesimum-octauum commendat, alterum qui decessit anno Christi circiter sexcentesimo septuagesimo-quinto. Sammarthani vnum è duobus conflant. Neutrum commemorant Demochares & Robertus, vtrumque retinendum putamus, quia Saxius Arelatensi Tabulario nititur, & ij, qui secus sentiunt, nihil proferunt quod hanc opinionem destruat. Quot annos Felix in Episcopali Cathedra sederit, manet incompertum. Idem dicendum de Adeodato Tullensi Episcopo, qui Pontificatum gessit post Ebotinum, de quo suprà. Mancus est autem circa illa tempora catalogus Tolonensium Episcoporum, nec deprehendi potest, quis istius Ecclesiæ fuerit Episcopus, cùm Taurinus eiusdem loci Diaconus Romam se contulit. AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7. TVLLENSES. TOLONENSES.

XXV. Eidem Synodo Romanæ subscripserunt *Valentinus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Aquensis & Mauritius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Rhegiensis*. Caue autem ne Gallicanos Episcopos fuisse credas. Horum neuter in sua subscriptione se *venerabilis Synodi per Galliarum Prouincias constituta* Legatum vocauit. Prior ita subscripsit. *Valentinus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Aquensis in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide vnanimiter construximus, similiter subscripsi*. Posterior sic. *Mauritius Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Rhegiensis in hanc subscriptionem, quam pro Apostolica nostra fide vnanimiter construximus, similiter subscripsi*. Valentinus nec Aquensis * Metropolites prouinciæ Narbonensis secundæ fuit, nec Episcopatum Aquensem * in Nouempopulania gessit sub Elusano Metropolite, sed Aquensis * Episcopus fuit in Italia sub Metropolite Mediolanensi. Similiter obserua triplex distingui Regium. Est enim in Gallia Narbonensi Regium absolutè sic dictum, est & in Insubria Regium Lepidi, necnon in Calabria Regium Iulij, vt Tomo priore ad annum Christi quingentesimum nonagesimum [a] notauimus. Nemo repertus est hactenus, qui Valentinum Episcopis Aquensibus Galliæ siue Narbonensis siue Aquitanicæ annumeraret. At non defuerunt, qui Mauritium accenserent Præsulibus Reiensibus, & Episcopos Italos cum Gallis confunderent. Res est paulò fusiùs examinanda.

* D'Aix. * D'Acqs. * D'Acqui. [a] Num 34.

XXVI. A Simone Bartello, qui catalogum Episcoporum Reiensium texuit, Præsules illius vrbis post Vrbicum, qui Synodo Valentinæ anno Christi quingentesimo octogesimo-quinto subscripsit, hoc ordine recensentur, Bonifacius, Paulinns, Claudius, Mauricius, Thomas, Archiringus, Absalon. Sammarthani Bartellum secuti sunt in auctiore [b] Gallia Christiana, necnon Honoratus *Bouche* in Chronographia [c] Prouinciæ. Sed vt Tomo superiore Claudium Vrbico proximè suffecimus, omissis Bonifacio & Paulino qui Rhegienses Infulas in Calabria gesserunt, sic & hoc loco affirmamus eidem Claudio Archiringum immediatè subrogandum esse, præteritis Mauricio ac Thomâ, quos Regium Lepidi suos Antistites sibi iure vendicat. Vt Bonifacium & Paulinum Rhegio Iulij restitueremus, vsi sumus [d] epistolis Gregorij Magni, quibus ad confirmationem sententiæ nostræ nihil validius exoptari potuit. Auctoritatis haud minoris erunt probationes, quarum auxilio Mauricius ac Thomas Episcopi suam apud Regium Lepidi Sedem in Insubria recuperabunt.

REIENSES. [b] Tom. 3. [c] L. 4. c. 2 § 3. [d] Tom. 1. an. 590. n. 34.

XXVII. Cùm Mauricius in subscriptione Concilij Romani sub Agathone Papa se *venerabilis Synodi per Galliarum prouincias constituta* Legatum minimè dixerit, quod Felix Episcopus Arelatensis, Adeodatus Tullensis Episcopus, & Taurinus Diaconus Tolonensis adeò sollicitè præstiterunt, extra controuersiam esse debet eum in Gallia Pontificem neutiquam fuisse. Sed non inde liquet, vtrùm in Insubria Pontificatum gesserit, an in Calabria. Si valet obseruatio Neotericorum non ineruditorum, qui Regenses seu Reienses Episcopos in Gallia, Regienses in Insubria, Rhegienses in Calabria collocant, Mauricius, vtpote *Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Rhegiensis*, vt eius subscriptio testatur, Episcopatum in Calabria rexit. At argumentum, quod inde sumitur, non est valdè tutum, nam vocabula, quæ solâ differunt aspiratione, facilè confundi possunt. Potentior

AN.CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

est ratio, quæ sumitur à subscriptionibus Synodi Romanæ, subscriptionem enim Mauririj præcedit subscriptio Episcopi Placentioi, subsequuntúrque proximæ subscriptiones Episcoporum, Mutinensis, ac Parmensis. Sunt autem etiamnum in eadem prouincia sub Archiepiscopo Bononiensi quatuor hæ Diœceses, Placentina, Mutioensis, Parmensis & Regij Lepidi cum duabus aliis recentiùs erectis, Cremensi videlicet & sancti Domnini, quarum priorem constituit Gregorius Decimus-tertius anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo, posteriorem Clemens Octauus anno Christi millesimo sexcentesimo tertio. Lege Tomum Secundum Italiæ Sacræ [a]. Præterea eodem tempore duo celebrantur Regienses Episcopi, Mauticius & Ioannes, itaur alterum in Insubria, alterum io Calabria sedisse oporteat. Mauricius Synodo Romanæ sub Agarhone Papa subscribit, Ioanoes ab eadem Synodo Romana Constantioopolim Legatus ad sextum Concilium Oecumeoicum dirigitur. Illorum Sedes hac obseruatione distinguuntur. Incolæ quidem Regij Lepidi vt & incolæ Regij Iulij promiscuè dicuntur Regienses ac Rhegienses, inter vtrosque tamen hæc intercedit differentia, quòd incolæ Regij Iulij non tantùm vt & incolæ Regij Lepidi Regieoses ac Rhegienses appellantur, sed & ab antiquis ac probatis Auctoribus Rhegini necnon Rhegitani nuncupantur, itaur Episcopus Rheginus seu Rhegitanus is necessariò sit habendus, qui Diœcesim Regij Iulij regendam in Calabria suscepit. Ioannes autem in Actionibus sexti Concilij Oecumenici sæpè nominatur Episcopus Ecclesiæ Rhegitanæ. Io illis enim Actionibus hæc de Legatis Romanæ Synodi sæpè repetuntur. *Ioanne Episcopo ciuitatis Portuensis, Abundantio Episcopo ciuitatis Paternensis, Ioanne Episcopo ciuitatis Rhegitanæ, locum agentibus centum viginti quinque religiosorum Episcoporum, quod circa antiquam Romam est, Concilij.* Locus igitur inter Episcopos Regij Lepidi Mauricio restitui debet.

[a] In Archiep. Bonon. Episc. Cremens. & S. Domnini.

XXVIII. Idem censemus de Thoma. Laudatur præcipuè Thomas, quòd sancti Prosperi Regiensis Episcopi corpus à loco, vbi ad illa vsque tempora quieuerat, in alium transtulerit sedente Romæ Ioanne Sexto Papâ. Barrellus in huius rei confirmationem textum Petri Equilini sic allegauit. *Sepultus D. Prosper Aquitanus in Basilica sancti Apollinaris, quam iuxta eandem vrbem*, id est, iuxta Regium, *construxerat, vbi & quieuit vsque ad tempus Ioannis Papæ Sexti, qui sedere cœpit anno Domini 701. Quo tempore Thomas Reginus Episcopus ab ipso Sancto per visum admonitus, Ecclesiam ingentem sibi intra ciuitatem ædificauit, & corpus ipsius suauissimo fragrans odore illuc transtulit 8. Cal. Decemb. vbi & ad præsens iacet miraculis præpollens.* Sammarthani pro eadem re citatunt alium Auctorem editum à Surio [b], oempe Ioannem Antonium Flaminium, qui vitam sancti Prosperi Regiensis Episcopi pro libito ex meris coniecturis composuit. *Præerat Ecclesiæ Regiensi vita ac morum sanctitate venerabilis Episcopus, nomine Thomas, qui dignus beati Prosperi successor, ita gregem sibi commissum regebat, vt verbo & exemplo cunctis rectè viuendi norma esset. Hic vigiliis, orationibus, ieiuniis, eleemosynis, & ceteris, quæ Episcopale fastigium decent, assiduè erat intentus. Is dum ex more oraret in templo, subitus illum sopor inuasit, quiescenti beatus Prosper apparuit augustâ specie, candidâ indutus stolâ & venerabili canitie conspicuus, qui ei mandauit, vt paruam Ecclesiam quam diximus*, id est, Ecclesiam sancti Apollinaris, *in qua corpus suum parum decenter quiescebat, amplificaret, & in ea locum extrueret, vbi sua deinceps ossa decentiùs seruarentur, addens ne differret mandatum exequi. Diuino monitu expergefactus Episcopus Sacerdotes statim suos & populum ad se vocauit, & quid sibi mandatum foret aperuit, & ne diuini præcepti parum diligens executor videri posset, opus continuò est aggressus. Extructâ igitur æde ac præparato magnificè loco, in quem sacra transferrentur reliquiæ, conuocatis religiosorum omnium collegiis & populo, qui frequens confluxit, sepulchrum vetus, in quo vsque ad Luitprandi Longobardorum Regis Christianissimi tempora quieuerant, apertum est, de quo tanta diuini odoris fragrantia effusa est, vt nulla ei aromata vel opobalsami riuuli, si per ædem fluerent, comparari possent.*

[b] d. 25. Iun.

Ita educta sacra reliquia cum ingenti omnium plausu atque lætitia, manantibus vbertim præ nimio gaudio per ora cunctorum lachrymis, nouo sepulchro, magno cum honore, cum Psalmis & Hymnis illata sunt. Hic Author ista præmiserat de sancti Prosperi cùm exequiis tum sepultura. *Ducta sunt solenni apparatu, ac totius populi, omnium ætatum, ac omnium ordinum concursu, exequiæ, sepultúsque est extra vrbem in Templo, quod in honorem beati Apollinaris ipse consecrauerat.* Textus autem tam ex Petro Equilino quàm ex Ioanne Antonio Flaminio suprà descripti, Regiensi Episcopo in Insubria conueniunt, Regensi verò in Gallia minimè. Paucis obseruationibus id te docebimus.

Primò, ex Petri Equilini & Ioannis Antonij Flaminij sententia, sanctus Prosper & qui corpus sancti Prosperi transtulit Thomas, super eandem Cathedram Episcopalem, seu super Regensem in Gallia Narbonensi, seu super Regiensem in Insubria, sederunt. At apud Reios in Gallia nullus vnquam fuit Episcopus, qui Prosper appellaretur, ergo prælaudati Prosper & Thomas Episcopatum in Italia gesserunt. Mirantur Thomam indubitatè catalogo Regensium in Gallia Pontificum à Sammarthanis adscribi, cùm tamen hi Scriptores eidem catalogo Prosperum non audeant asseueranter inserere. *Cuius rei iudicium*, inquiunt [a], *penes Lectorem remaneat.* XXIX.

[a] Tom. 3. Gall. Christ. in Ep. Reiens.

Secundò, Basilica sancti Apollinaris, in qua Petrus Equilinus & Ioannes Antonius Flaminius beatum Prosperum sepultum tradunt, palàm prædicat eundem Prosperum Episcopum non Regensi Diœcesi in Gallia sed Regiensi in Insubria præfuisse, quia sancto Apollinari nullus apud Reios cultus exhiberi solitus, secus apud Regium Lepidi, vbi teste Vghello [b] Cathedralis Ecclesia elegantissimæ structuræ conspicitur *Deiparæ Virgini consecrata, Diuóque Apollinari.* Sanctus Apollinaris, vt in Tabulis Ecclesiasticis [c] scriptum legitur, *ab Apostolo Petro Romæ ordinatus, & Rauennam missus, pro fide Christi diuersas & multiplices pœnas perpessus est; posteà in Æmilia Euangelium prædicans, plurimos ab idolorum cultu reuocauit; tandem Rauennam reuersus, sub Vespasiano Cæsare gloriosum Martyrium consummauit.* Olim Metropolitæ Rauennati subiiciebantur præter alios Episcopos hi quinque, *Bononiensis, Mutinensis, Regiensis, Parmensis ac Placentinus, qui deinde sub Gregorio XIII. Bononiensi in Metropolim nouiter erecta iussi sunt suffragari.* Gregorius XIII. quia Bononiensis erat, *præcipuo amore in patriam*, Bononiensem Ecclesiam *in Metropolim erexit, Imolensi, Ceruiensi, Mutinensi, Rhegiensi, Parmensi, Placentinóque, Episcopis eidem attributis suffraganeis. Torsit ea rerum conuersio Archiepiscopum Rauennatem, cùm tot Ecclesias cum Bononiensi sibi decidere animaduerteret, litésque vsque ad Clementem VIII. hinc inde exæstuarunt, qui Imolam Ceruiámque sub Rauennati iurisdictione esse decreuit; Cremam autem ac sanctum Domninum Bononiensi accedere; ea rerum moderatio dissensiones iugulauit.* Lege Tomum Secundum Italiæ Sacræ in prolegomenis ad catalogos Archiepiscoporum Bononiensium ac Rauennatium. Inde colligitur egregia ratio singularis cultûs, quo sanctum Apollinarem incolæ Regij Lepidi prosecuti sunt hactenus prosequunturque. Porrò si beatus Prosper, qui sepultus fuit in Basilica sancti Apollinaris, Episcopatum apud Regium Lepidum in Insubria gessit, eiusdem quoque loci Præsulatum tenuit Thomas, qui corpus sancti Prosperi transtulit. In eam sententiam conspirant Petrus Equilinus & Ioannes Antonius Flaminius suprà citati. Petrus Equilinus scribit corpus sancti Prosperi translatum fuisse à Thoma Episcopo, postquàm beatus Prosper illum *per visum* admonuisset, vt *ingentem Ecclesiam sibi intra ciuitatem* ædificaret. Hæc aptari nequeunt Episcopis diuersarum Ecclesiarum tantâque itineris intercapedine dissitarum, vt altera in Italia Rauennati Metropolitæ, Aquensi altera subsit in Gallia. Multò clariùs mentem suam explicat Ioannes Antonius Flaminius, ab eo enim Thomas dicitur *dignus beati Prosperi successor.* XXX.

[b] Tom. 2. Ital. sacr. in Episc. Regii Lepid.

[c] d. 23. Iul.

Tertiò, Ioannes Antonius Flaminius ait sancti Prosperi corpus *vsque ad Luitprandi Longobardorum Regis Christianissimi tempora* in veteri sepulchro quie- XXXI.

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

uisse, donec translatum est à Thoma Regiensi tunc Episcopo propter vitæ morúmque sanctitatem venerabili. Quid commercij fuit Luitprando Longobardorum Regi cum Reiis Francorum? Quid vicissim affinitatis inter Reios Francorum & Characterem Chronologicum, cui nomen Regis apud Longobardos & apud Regium Lepidum dominantis præfigitur? Inualuítne aliquando mos apud Francos, vt tempus, quo quid ab iis in Francia gestum fuerat, exteri Regis nomine Principatúque consignarent? Sanctus Prosper, qui fuit Episcopus Regij Lepidi, per multa secula quieuit in veteri sepulchro, translatus est tandem à Thoma eiusdem ciuitatis Episcopo, cùm illa Luitprandi Longobardorum Regis imperio subiacebat. Hic est sensus Auctoris suprà citati, qui Luitprandi meminit & allegatus est à Sammarthanis.

XXXII. Rectè igitur Vghellus in Italia Sacra [a], vbi Episcopos Regij Lepidi recensuit, hæc de Thoma scripsit. *Thomas sanctimonia vita clarus, viuebat anno 701. Hic Sancti Prosperi Templum exorsus est ædificare, vbi posteà illius corpus transtulisse narratur. Fato functus est anno 704.*

[a] Tom. 2.

XXXIII. Duæ res aduersùs nostram sententiam opponi possunt ex textu Petri Equilini; prima, quòd sanctus Prosper cognominetur *Aquitanus*; altera, quod Thomas, qui beatum Prosperum è veteri sepulchro transtulit, *Reginus Episcopus* appelletur. Reginus enim Episcopus is propriè dicendus est, qui Rhegiensem Diœcesim in Calabria gubernat, & Prosper, cui cognomen Aquitani, Reiorum Episcopus à multis constituitur in prouincia Narbonensi secunda, quam in Aquitania propter aquarum abundantiam Auctores Petro Equilino longè vetustiores collocarunt, Aquitaniæ finibus vltra Rhodanum ad Alpes vsque propagatis.

XXXIV. Prosper Aquitanus, cuius Fastis ac Chronico sæpè vsi sumus, Episcopatum nec in Gallia, nec in Italia, nec alibi gessit. A Gennadio, & à Marcellino vocatur *homo Aquitanica regionis*, ab Honorio autem Augustodunensi, qui recentior est, non *homo* sed *Episcopus* appellatur *Aquitanica regionis*, inde ortæ opiniones duæ, quarum nostra confirmari potest. Alij Prosperum Episcopum faciunt in Aquitania latissimè sumpta, id est, apud Reios in prouincia Narbonensi secunda, alij natum volunt in Aquitania, & ordinatum pòst Episcopum Regij Lepidi in Insubria. Lege quæ de Prospero Aquitano à Philippo Labbeo scripta sunt Tomo secundo dissertationis Historicæ de Scriptoribus Ecclesiasticis, necnon additiones ad eundem Tomum, vbi sic ille de Iacobo Sirmondo sodali suo loquitur. *Is primus depromptis ex recondita eruditionis sua vberrimo penu validissimis rationibus* Prosperum Aquitanum *nec Regij in Italia, nec Reiorum in Narbonensi secunda Episcopalem insedisse Cathedram, nec Presbyterum, aut Diaconum, sed laicum fuisse docuit.* Nulli Reiorum Episcopo nomen fuit Prosper. Sedisse autem apud Regium Lepidum non inficiamur Prosperum Episcopum, *in quem*, teste Vghello [b], *virtutes Aquitanici, parum diligens Scriptor, eodem tempore, nominéque deceptus, contulerit.* Itaque Prosper Episcopus, qui Regio Lepidi præfuit, à Petro Equilino malè cognominatur *Aquitanus*.

[b] Tom. 2. Ital. Sacr. in S. Prospero Ep. Regij Lepidi.

XXXV. Idem Petrus Equilinus minùs propriè loquitur, cùm Thomam *Reginum Episcopum* nuncupat. Episcopus enim Reginus, vt suprà monuimus, is est, qui Ecclesiæ Rhegij Iulij in Calabria præsidet. *Rhegium*, inquit Stephanus, *vrbs Græca; Oppidanus, Rheginus.* Ρήγιον, πόλις Ελληνίς. ὁ πολίτης, Ρηγῖνος. Lege Philippum Cluuerium libro quarto Italiæ antiquæ, capite decimo-quinto quod *de Brutiis* inscribitur, & libro primo Siciliæ antiquæ, capite quinto, cui titulus, *fretum Siculum & Charybdis.* Vtrobique citatos reperies peruetustos Auctores cùm Græcos tum Latinos, qui Rheginos vocant incolas Rhegij Iulij, sugillabísque Scriptores recentioris æui; qui vel eos dixerunt Rhegienses, vel incolas Regij Lepidi Rheginos appellarunt. Lege & in confirmationem eiusdem rei, si lubet, Paulum Merulam, parte secundâ Cosmographiæ, libro quarto, capite vicesimo-septimo.

XXXVI. Instabis quærésque quonam de Regio capiendum sit Martyrologium Romanum

AN. CH. 680.

THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

num septimo Kalendas Iulij, quo die hæc in eo leguntur. *Apud Rhegium, S. Prosperi Aquitani, eiusdem vrbis Episcopi, eruditione ac pietate insignis, qui aduersùs Pelagianos pro fide Catholica decertauit.*

Id sciscitanti respondemus cum Vghello [a], mentem Auctoris fuisse, vt sanctum Prosperum Regij Lepidi Pontificem celebraret, contigisse autem, vt duos Prosperos, qui floruerunt eâdem ætate, simul confunderet, & in Prosperum, Regij Lepidi Episcopum, cuius nomine celebris in ea ciuitate Abbatia hodiéque conspicitur, virtutes Prosperi Aquitani conferret. Appositè in eam rem idem Vghellus hæc addit. *Similitudines pleraque nominum ciuitatum, maximas quandoque tenebras offuderunt veritati Historiæ. Auctor ipse Martyrologij Romani eam ob causam lapsus est, vt benè notat Baronius in suis ad Martyrologium Romanum notis. Cùm enim Sanctum Maximum Episcopum commemoraret, cùm illi offerendum foret, Regij in Gallia Narbonensi, Regij Lepidi perperam dixit, vnde credidere posteà plures, hunc Sanctum Maximum Regij Lepidi fuisse Episcopum.* Sanctus Maximus in Tabulis Ecclesiasticis quinto Kalendas Decembris ita commendatur. *Apud Rhegium in Gallia, S. Maximi Episcopi & Confessoris, qui à primæua ætate omni gratiâ virtutum præditus, primùm Lirinensis Cœnobij Pater, deinde Regiensis Ecclesiæ Episcopus, signis & prodigiis inclytus extitit.* Ad illum Martyrologij Romani textum sic Baronius. *De eo item Beda, Vsuardus, Ado, & alij recentiores. Errore autem factum fuerat, vt Regium Lepidi, quod est in Gallia Cisalpina* (nobis Lutetiæ scribentibus est Transalpina) *poneretur loco Regij in Gallia Narbonensi. Aliud est Rhegium apud Brutios à quo Rhegini, aliud insuper in secunda Rhetia apud Augustanam ciuitatem, cuius meminit Antoninus in Itinerario.* XXXVII.

Qui Prosperum Aquitanum Reiensibus Episcopis accensent, in tres classes distinguuntur. Alij Prosperum prælaudati Maximi decessorem, successorem alij vocant, nec desunt qui post Faustum sedisse contendant. Aduersùs illos Scriptores Sirmondus in notis ad Sidonium sic ratiocinatur. *Huic*, id est, Prospero Aurelianensi Episcopo, *ætate propior ac planè suppar fuit Prosper Aquitanus, quem alij Reiensem in Gallia, alij Regiensem in Italia Episcopum faciunt. Sed is meâ quidem sententiâ Episcopus nunquam fuit. Reiensi sanè (quod multis magnísque viris placuisse video) in Prouincia II. Ecclesia præesse non potuit, cùm certum sit, vel Sidonio Auctore, in ea Cathedra post Maximum sedisse Faustum; quorum ille Hilarij Arelatensis temporibus (vt ex Reiensi, Arausicanóque Concilio, atque ex Hilarij ipsius vita constat) Episcopus iam erat, ac proinde superstite adhuc Prospero, qui vltra Hilarij ætatem, hoc est, ad Vrbem vsque à Vandalis captam sua Chronica perduxit. Faustus verò Maximi successor, vt ex Sidonij epistolis liquet, Prosperi annos excessit, quem omnes consentiunt ad Anthemij Augusti tempora non peruenisse. Vnde sequitur, Prosperum Aquitanum neque ante Maximum, neque post Faustum, Reiensem Cathedram regere potuisse. Sed vt Episcopum prorsus non fuisse sentiam, facit veterum omnium auctoritas, Victorij de cyclo Paschali ad Hilarum, Gennadij Scriptorum Ecclesiasticorum capite* XXCIV. *Gelasij Papæ de libris apocryphis; Marcellini Comitis in Chronico syncero & non vitiato, Beda in Martyrologio* VII. *Kal. Iulij, aliorúmque; qui, cùm de Prospero alia omnia narrent, de Episcopali eius honore mentionem nullam faciunt. Quare Prosperum, qui inter Regij Lepidi Antistites numeratur, alium ab Aquitano fuisse crediderim, fallíque eos, qui cum Trithemio & Flaminio vtrumque confundunt.* XXXVIII.

Ex supradictis clarissimè patet, Mauricium & Thomam Episcopos Regio Lepidi in Insubria restituendos esse, & Claudio Reiensi Episcopo, qui Remense Concilium anno Christi sexcentesimo vicesimo-quinto & Cabilonense Tertium anno Christi sexcentesimo quadragesimo-quarto suâ subscriptione communiuit, proximè subrogatum Archiringum, cuius successor Absalon ad octauum vsque seculum peruenit. De Pontificibus, qui Reiensem Diœcesim in prouincia Narbonensi secunda post Absalonem rexerunt, agemus Tomo sequenti. XXXIX.

[a] Tom. 2. Ital. Sacr. in Prospero Ep. Regij Lepidi.

Luxonium vsque ad sanctos fratres properare, quoniam illis similiter confessionem meam facere dispono, quibus orantibus veniam ac remissionem de peccatis meis adipisci non ambigo. Nec mora, destinationem ipsius secutus est effectus. Cùm ergo Cœnobium fuisset ingressus, mox sanctus Abbas Ingofridus cultor Dei vnà cum fratribus suis velut ad conquirendæ sibi æterna præmia velut munus de supernis destinatum amplectentes illum susceperunt, ibíque sancto fratri Emmoni Monacho electo Dei commendatus cum multo & grandi studio dilectus est. Nam tunc eidem Emmoni de hospitibus instabat cura. Dum per aliquod spatium temporis fraternâ inuicem fruerentur dilectione, adest extrema dies vt effœtum Adelphium Abbatem sui funerarentur dilecti. Denique iam aderat surgendi hora diei, & ait. Quâ horâ vis, Domne Emmo, vt surgamus & pergamus ad orationem? Tum ille. Quiesce modicùm, Domne. Illicò Emmo digressus foras, & puer officialis inibi remansit cum illo. Et ecce subitò brachium illius dolor ingens perculit, statímque prapeti verbo ait. Surge, accede huc, frater, quia sæuissimus dolor percussit brachium meum, & vexillum Crucis supra frontem & corpus suum conabatur facere, & dicebat. Christe adiuua, Christe adiuua. Et hac voce emissâ atque signo Crucis ab eodem facto illius sancta egressa est anima. Statim ad Monasterium Habendense peruix nuncius venit, móxque vir illustris Domnus Garichrannus Abbas de nocte consurgens cum non parua & promiscua turba populi atque Monachorum Luxonium vsque perrexit, acceptóque corpore sancti viri cum Sanctorum Reliquiis, cereis & Crucibus, ingentíque triumpho in castello Habendense ad vrnam vsque suam mirabiliter transuexit. Nam cùm alueum Mosellæ iam gestantes transmeassent, ecce veniens sancta Tetta quæ & Ebedrudis Abbatissa occurrit obuiam cum sanctis sororibus gestantibus Sanctorum Reliquias cum cereis & Crucibus, diuisúsque est populus turmatim in tres cuneos. Pergebant namque & chori Monachorum sancti viri corpusculum ferentes præibántque omnibus. Et illicò sequebatur almifica Tetta Abbatissa præcedens chorum sanctarum Virginum, vulgúsque populi post tergum capiebat iter. Disponente Domino factum est, vt die illo quo festiuitas sancti Amati agebatur, filiolus ipsius sanctus Adelphius in eadem Basilica cum magno ornatu sepeliretur; id est, Idibus Septembris.

AN.CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

XLV. Non desunt, qui sanctum Adelphium tribus duntaxat annis sancto Romarico superstitem fuisse contendant. At longè aliter sentiendum, quia mors sancti Romarici cum anno Christi sexcentesimo quinquagesimo-tertio coincidit, & Ingofridus Abbas Luxouiensis, quem Adelphius morti proximus adiit, ante Theodorici Tertij Principatum Monasterio Luxouiensi non præfuit. Plerique decepti sunt textu vitæ non satis attentè lecto. Nam cum Auctor, quem Labbeus publicauit, de sancto Adelphio nihil scribat præter triennalem eius pœnitentiam, mortem, sepulturam, & aliquot miracula quæ proximè secuta sunt, in animum induxerunt eundem Adelphium tribus tantùm annis Abbatem extitisse. Textus talis est. *Iam igitur nunc ipsius Adelphi Abbatis narranda aggrediar acta. Fuit enim lenis in verbis, hilaris in aspectu, dulcissimus hominibus bonis, mitis & affabilis cunctis, officiis in omnibus promptissimè intentus, alienarum rerum non cupidus, seruientibus Domino obnixè & dulciter subiectus, patientiæ ac modestiæ sectator, omnibus hominibus laudabiliter aptus. Denique ante hos, ni fallor, triennij annos, illo videlicet sciente, qui solus hominum corda nouit, per eremi vasta huc illúcque locatim diuertens vltrices flammarum globos vbertate fletuum secretè extinguere nitebatur. Et quoniam pietas inenarrabilis Dei crebrò permittere solet, vt superueniens infirmitas corporis maculas animæ misericorditer abstergens purificet, cùm graui & infesto quateretur dolore, gemitibus & lachrymis multis animæ suæ flagitabat medelam. Denique accitò Sacerdote*, &c. vt suprà.

XLVI. GARICHRANNVS ABB. S. MONTIS. Garichrannus Abbas, qui corpus sancti Adelphij Luxouio delatum, in Basilica Sancti Montis honorificentissimè sepeliuit, Abbas illius loci factus anteà fuerat, Adelphio, vt pœnitentiæ liberiùs vacaret, Abbatiale munus vltrò dimittente. Ceterùm in Monte Habendensi siue Auendunensi, qui & Mons Sanctus ab Incolarum sanctitate, necnon Mons Romaricus à sancto Romari-

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

co dictus inuenitur, præter Monachos fuerunt Moniales copioso numero. Monachis præerat Abbas, Monialibus Abbatissa, sed qui Monachorum Abbas, is & Monialium Pater erat Spiritalis. Abbatissas iam laudauimus Magdefledem, Gegobergam, Gebertrudem & Modestam; huic successit Tetta, quæ Reliquiis sancti Adelphij cum Monialibus obuiam processit.

TETTA ABBATISSA.

Quod attinet ad Ingofridum Abbatem Luxouiensem, qui corpus beati Adelphij Luxouio ad Montem Sanctum deferri curauit, eius obitus quinto Idus Aprilis consignatur [a]. De successoribus agemus Tomo sequenti.

XLVII. ABBATES LUXOVIENSES.

Mabbo Venetensis Episcopus, cùm biennium sedisset, obiit hoc anno. Subrogatus est Mauritius, qui teste Alberto Pontificatum annis viginti gessit.

[a] Tom. 4 Gall. Christ.

XLVIII. EPISCOPI VENETENSES.

Obiit hoc eodem anno Sauolus Episcopus Salisburgensis, cùm sedisset annos quatuordecim, vt Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniæ & Hundius in catalogo Archiepiscoporum Salisburgensium testantur. Successit in Episcopatum Ezius ex Abbate sancti Petri. Monasterium autem sancti Petri regendum suscepit Flobargisus Abbas, cuius Episcopatum suo quoque loco celebrabimus.

XLIX. SALISBURGENSES.

Obiit & hoc anno Stephanus Episcopus Coloniensis. Si Cratepolius [b] in Annalibus Archiepiscoporum Colonensium & Bucelinus [c] in prima parte Germaniæ Sacræ vera scripserunt, Stephanus Bocaldo successit anno Christi sexcentesimo sexagesimo, Pontificatum tenuit annis triginta, vitámque clausit anno Christi sexcentesimo nonagesimo. Sed hæc stare non possunt, quia Bocaldus, vt in obitu sancti Cuniberti diximus, anno Christi sexcentesimo sexagesimo-tertio Præsulatum suscepit, & Aldewini Episcopi, qui post Stephanum in Cathedra Coloniensi sedit, annus decimus cum anno Christi sexcentesimo nonagesimo coincidit, vt ad illum annum probaturi sumus. E vita discessit Stephanus *pridie Idus Februarij* [d]. Successit Aldewinus siue Adelwinus vel Abelwinus.

L. COLONIENSES.

[b] No. 10. 11.
[c] In Episc. Colon.
[d] Tom. 1. Gall. Christ.

LI. CHARTÆ PRO MON. VEDAST.

Extat apud Miræum in Diplomatibus Belgicis [e] Priuilegium, quod hoc anno, Theodorici Regis septimo, à Vindiciano Atrebatensium & Cameracensium Episcopo pro Monasterio Vedastino emissum fertur, sed illius examen post quinquennium in annum Theodorici Regis duodecimum, Christi sexcentesimum octogesimum-quintum reiiciemus, quo Hatta primus Abbas Vedastinus institutus est. Agemus & ad eundem annum de Diplomate, quo Theodoricus Rex eidem Cœnobio varia prædia concessit, vt apud eundem Auctorem legitur [f].

[e] Cap. 5.
[f] Cap. 4.

LII. PRO ECCLESIA ATREBATENSI.

Extat & in Chronico Cameracensi [g] Priuilegium pro Ecclesia Atrebatensi, quod octauo Idus Maias, hoc eodem anno, Theodorici Regis septimo à prædicto Vindiciano Episcopo traditum fertur. Initium tantùm cum subscriptionibus exscribemus, ad indicandam enim chartæ falsitatem abundè sufficient. Suum igitur Diploma sic inchoat Vindicianus. *Sancto & vniuersalis Ecclesiæ Prouisori beatissimo Ioanni Papæ Romano Episcoporum Episcopo, Vindicianus seruus seruorum Dei minimus in Christo Domino quidquid felicius. Notum sit*, &c. Subscriptiones verò tales sunt. *Ego Ioannes Papa hoc Priuilegium à meo permissore editum firmaui ac roboraui. Ego Morinus Vicarius Sedis Apostolicæ. Ego Audoinus Archiepiscopus. Ego Austregisilus Episcopus. Ego Leodegarius ab impio Iudice Ebroino Cathedrâ Augustidunensi depositus scripsi & subscripsi. Dato octauo Idus Maij, anno septimo Regni Domini nostri Theodorici Regis, Indictione* 11. *Ego Vindicianus Episcopus iussu Domini Theodorici Regis, & rogatu Ioannis Summi Pontificis scripsi & subscripsi.* Præter Titulum, qui Ioanni Papæ tribuitur, & ab vsitata formula longissimè recedit, obserua Theodorici Regis annum septimum cum Agathonis Pontificatu coincidisse. Discessit enim ex hac vita sanctus Agatho quarto Idus Ianuarias, anno Christi sexcentesimo octogesimo-secundo, cùm sedisset annos duos, menses sex, dies tres, vt suprà probauimus [h]. Successerunt autem eidem Agathoni Leo Secundus & Benedictus Secundus, tum Ioannes Quintus, qui sedere cœpit anno Christi sexcentesimo octogesimo-quinto,

[g] L. 1. c. 15.
[h] Ad an. 678. n. 13.

Theodorici Regis duodecimo, vt ad illum annum aliâ occasione demonstraturi sumus. Deinde in subscriptionibus, præter hanc vocem (*Archiepiscopus*) quæ nondum à Francis vsurpari consueuerat, nota Austregisilum Episcopum Bituricensem & Leodegarium Augustodunensem priùs obiisse, quàm Theodoricus annum septimum sui Principatûs attigisset, nam beatus Austregisilus in cælum migrauit anno Christi sexcentesimo vicesimo-quarto, cùm Neustrasia & Burgundia Clotario Secundo, & Austrasia Dagoberto Primo parebant, & sanctus Leodegarius Martyrium consummauit anno Christi sexcentesimo septuagesimo-octauo, cùm in Austrasia Dagobertus Secundus, in Neustrasia Burgundiâque Theodoricus Tertius, annum suæ dominationis quintum numerabant. Denique regnante Theodoricô Tertio publicis instrumentis apud Francos Indictio nondum apponi consueuerat, annúsque Christi sexcentesimus octogesimus, quocum annus septimus Theodorici Regis coincidit, non Indictioni secundæ sed octauæ per mensem Maium illigabatur.

AN. CH. 680. THEODOR. III. DAGOB. II. RR. 7.

NON ignoramus omnes ferè Chronologos, qui suis scriptis nomen aliquod adepti sunt, in annis Theodorici Regis à nobis multum dissidere. Causas controuersiæ suis locis explicuimus. Vt eas autem vno intuitu conspiceres, Tabulam Chronologicam ab ineunte Faramundi Principatu ad hunc vsque annum, Christi sexcentesimum octogesimum, quo Theodoricus Monarchiam Francorum adeptus est, accuratè parauerámus. At quia Volumen hoc ad iustam molem iam excreuit, illam in sequentem Tomum reiiciendam ducimus. Interim fruere, Lector, hac tertiâ lucubrationum nostrarum parte, quæ res in Francia per annos duodequinquaginta gestas complectitur, ab anno videlicet, quo Dagobertus Magnus, parte Regni Sigiberto filio concessâ, Monarcha Francorum esse sponte desiit, ad annum, quo Theodoricus eius nepos eâ, quâ gauisus quondam fuerat auus, Monarchiâ potiri cœpit, extinctâ Sigiberti prole. LIII.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
IN QVO

A, Annum, N, Numerum seu Sectionem denotat.

A

B

D

E

F

G

I

M

N

O

P

Q

R

Reomaus

T

V

INDEX
EPISCOPATVVM ET MONASTERIORVM,
IN QVO

E. Episcopatum; M. Metropolitanum; Mon. Monasterium denotat.

EPISCOPATVS.

A

ABRINCENSIS E. *d'Auranches.*

NEPVS Ep. Abrincensis in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Abrincæ veniunt in potestatem Fraocorum, & a. 511. cùm celebratur Concilium Aurelianense I.
Seuerus, a. 523.
Perpetuus, a. 533. a. 538. a. 541.
Ægidius, a. 549. obit, a. 550.
Paternus fit Ep. a. 550. obit, a. 563.
Sinerius seu Senator fit Ep. a. 563.
Leodoualdus.
Childoaldus, a. 625.
Ragentrannus, a. 674.
Ioannes.

AGINNENSIS E. *d'Agen.*

Aginnensiom Episcoporum catalogus mutilus est circa ætatem Clodouei Magni, qui tres Aquitanias in suam potestatem redegit.
Bebianus Episc. Aginnensis in Aquitania II. sub M. Burdigalensi subscribit Concilio Aurelianensi V. a. 549.
Polemios, a. 573.
Sugillarius, a. 580.
Antidius, a. 585.
Salustius ante a. 629.

ALBIGENSIS E. *d'Albj.*

Sabiuus Ep. Albigensis in Aqoitania I. sub M. Biturie. cùm Clodoueus tres Aquitanias subigit.
Ambrosius, a. 549.
Saluius, a. 580. obit, a. 585.
Desideratus fit Ep. a. 585.
Constantius, a. 625. a. 647.
Ricardus, a. 673.

ALETENSIS E. *d'Alet.*

Machotes seu Maclouius fit a. 541. primus Episc. Aletensis in prouincia Lugdunensi III. sob M. Turonensi, obit, a. 565.
Guaruallus fit Ep. a. 565. abdicat Episcopatum, a. 567.
Culaphinus fit Ep. a. 567.
Armagillus siue Armatus.
Egnogatus siue Enogatus vel Euogatus.
Melmo.
Gofridus.
Ocdumalus obit, a. 644.
Hamoo sioe Chomanus fit Ep. a. 644. obit, a. 651.
Noedius fit Ep. a. 652. obit, a. 653.
Riatwalus fit Ep. a. 653. obit, a. 659.
Tutamenus fit Ep. a. 659. obit, a. 663.
Rauilius fit Ep. a. 663. obit, a. 670.
Bilius fit Ep. a. 670. obit, a. 672.
Moenus fit Ep. a. 672. obit, a. 675.
Edbodus siue Ebondus fit Episc. a. 675. obit, a. 679.
Guibertus fit Ep. a. 679.

AMBIANENSIS E. *d'Amiens.*

Leooardus Ep. Ambianensis in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Clodio Francorum Rex Ambianum capit.
Aodoueous, a. 481.
Edibius, a. 511.
Beatus, a. 549. obit, a. circiter 554.
Honoratus fit Ep. a. circiter 554. obit, a. 580.
Deodatus fit Ep. a. 580
Berbardus seu Berhandus vel Bercundus aut Bernardus, a. 614. a. 623. a. 627.
Bertefredus a. 644. superstes, a. 668.
Dado.

ANDEGAVENSIS E. *d'Angers.*

Talasius Ep. Aodegauensis in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turooensi, cùm Childericus Rex Andegauum suis ditionibus adiungit.
Eustochius a. 511.
Adulphus obit, a. 529.
Albinus fit Ep. a. 529. obit, a. 550.
Eutropios fit Ep. a. 550. obit, a. 556.
Domitianus fit Ep. a. 556. Concilio Parisiensi III. subscribit, a. 557. interest dedicarioni Ecclesiæ Namnetensis, a. 568.
Baudigisius.
Audoueus a. 572. obit, a. 592.
Licinius fit Ep. a. 592. obit, a. 605.
Cardulphus fit Ep. a. 605.
Magoobodus fit Ep. a. 606. diotissimè sedet.
Gobertus seu Godobertus.

Dominicus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 538. obit, a. 551.
Diogenes fit Episc. Atrebatensis & Cameracensis, a. 551. obit, a. 569.
Vedulfus fit Episc. Atrebatensis & Cameracensis, a. 569. Sedem transfert Atrebato Cameracum, obit, a. circiter 580.
Gaugericus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. circiter 580. obit, a. circiter 619.
Bertoaldus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. circiter 619. obit, a. 627.
Ablebertus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 627. obit, a. 633.
Autbertus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 633. obit. a. 668.
Vindicianus fit Ep. Atrebatensis & Cameracensis, a. 669. sedet, a. 680.

AVENIONANSIS E. *d'Auignon.*

Salutaris Episc. Auenionensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, a. 517. stante Burgundionum Regno, peruenire potuit ad a. 536. quo Francis Auenionem cesserunt Ostrogothi.
Antoninus, a. 549. a. 554.
Ioannes, a. 585.
Valens, a. 586.
Maximus, a. 618. a. 626.
Emundus.
Magnus, a. 644. obit, a. 660.
Agricolus fit Ep. a. 660. sedet annos 40.

AVANTICENSIS E. *d'Auanches.*

Chilmegisilus Episc. Auenticensis in prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi obit, a. 534. quo Burgundia subiugatur à Francis.
Superius fit Ep. a. 534. obit, a. circiter 548.
Ætherius fit Ep. a. circiter 548. obit, a. circiter 562.
* Hic Episcopus, cuius nomen ignoratur, Episcopatum init, a. circiter 562. obiitque, a. circiter 576.
Marius fit Ep. a. circiter 576. Sedem Auentico Lausannam transfert regnante in Burgundia Childeberto. *Vide* Episcopos Lausannenses, de quibus infrà.

AVGVSTANVS E. *d'Ausbourg.*

Wictherpus, Dagoberto solius Austrasiæ Rege, post longum interpontificium fit Ep. Augustanus in Vindelicia sub Wormaciensi M. obit, a. 654.
Tozzo fit Ep. a. 654. obit, a. 661.
Tagenbertus fit Ep. a. 661. obit, a. 676.
Manno fit Ep. a. 676. sedet annos 18.

AVGVSTENSIS E. *d'Aouste.*

Augusta Salassiorum, quæ parebat Longobardis & Mediolanensi Metropolitæ subiacebat, in Francorum potestatem deuenit, a. 574. Tunc auulsa fuit è prouincia Mediolanensi Darantasiensique cœpit accenseri, Guntchramno Rege. Per annos autem decotos circiter ac quinquaginta mancus est Augustensium Episcoporum catalogus post Iocundum, qui sedebat ineunte sexto seculo.

AVGVSTODVNANSIS E. *d'Autun.*

Agrippinus Ep. Augustodunensis in prouincia Lugdunensi I. sub M. Lugdunensi, a. 525. cùm Augustodunum venit in potestatem Francorum, & a. 538. cùm celebratur Concilium Aurelianense III.
Nectarius, a. 541. a. 549.
Eupardus.
Remigius obit, a. circiter 560.
Siagrius fit Ep. a. circiter 560. obit, a. 600.
Lefastus fit Episc. a. 600.
Flauianus, a. 610. a. 614.
Rachnacarius.
Auspicius, a. 625.
Ferreolus fit Ep. ante a. 635. obit, a. 657.
Leodegarius post interpontificium biennale fit Ep. a. 659. Martyr, a. 678.
Ermenarius pulso in exilium Leodegario fit Ep. a. 674. sedet, a. 680.

AVRALIANANSIS E. *d'Orleans.*

Dago Ep. Aurelianensis in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, a. 494. cùm Clodoueus Aureliam suis ditionibus adiungit, obit, a. 498.
Eusebius fit Episc. a. 498. est adhuc in viuis, a. 510.
Leontius, a. 533.
Antoninus, a. 538.
Marcus, a. 541. a. 549.
Treclatus seu Tranclarus.
Bandatus.
Ricomerus, a. 573.
Namatius, a. 583. obit, a. 587.
Austrenus fit Ep. a. 587. sedet, a. 610.
Leodegisillus.
Argundus, a. 640.
Audo, a. 644. a. 662.
Leodegarius, a. 667.
Gaudo.
Sigobertus.

AVSCIENSIS E. *d'Aux.*

Nicetius Episc. Ausciensis huius nominis secundus, in Nouempopulania sub Elusano M. cùm Clodoueus prouinciam illam subigit, & a. 511. cùm celebratur Concilium Aurelianense I.
Priscus.
Marcellus.
Proculeianus II. a. 533. a. 541. a. 549.
Vigilius.
Polemius.
Alecius.
Comos seu Contius.
Paulinus.
Faustus obit, a. 585.
Fabius fit Ep. a. 585.
Citharius obit, a. 596.
Tithonius fit Ep. a. 596. obit, a. 603.
Drocoaldus fit Ep. a. 603. obit, a. 621.
Audericus fit Ep. a. 621. sedet, a. 625. obit, a. 650.
Erchoaldus fit Ep. a. 650. sedet a. 652. obit, a. 674.
Perpetuus fit Ep. a. 674.

AVTISSIODORENSIS E. *d'Auxerre.*

Censurius Ep. Autissiodorensis in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, a. 494. cùm Clodoueus Autissiodorum capit; obit, a. 500.

Vrsus fit Ep. a. 501. obit, a. 507.

Theodosius fit Ep. a. 507. obit, a. 516.

Gregorius fit Ep. a. 517. obit, a. 529.

Optatus fit Ep. a. 529. obit, a. 531.

Droctoaldus seu Proctoaldus fit Episc. a. 531. obit, a. 532.

Eleutherius fit Ep. a. 532. obit, a. 561.

Romanus fit Ep. a. 561. obit, a. 564.

Ætherius fit Ep. a. 565. obit, a. 571.

Anacharius fit Ep. a. 571. obit, a. 605.

Desiderius fit Ep. a. 605. obit, a. 623.

Palladius fit Ep. a. 624. obit, a. 660.

Vigilius fit Ep. a. 660. de illo iterum Tomo IV.

B

BAIOCENSIS E. *de Bayeux.*

PATRICIVS Ep. Baiocensis in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Baiocæ veniunt in potestatem Clodouei.

Vigor regnante Childeberto.

Leucadius, a. 538. a. 541. a. 549.

Lauscius seu Lasciuus, a. 557. a. 563.

Leudoualdus, a. 581. a. 586.

Ragnebertus a. 625. a. 662.

Geretrannus.

Gerebaldus.

BELLICENSIS E. *de Bellay.*

Vincentius Ep. Bellicensis in prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi, a. 534. cùm Franci Burgundiam sub iugum mittunt, & a. 567. cùm celebratur II. Concilium Lugdunense.

Entoldus.

Claudius.

Felix, a. 585. a. 589.

Aquilinus.

Florentius, a. 644.

Ypodimius.

Pracmatius.

Berterius.

BELLOVACENSIS E. *de Beauuais.*

Numitius Episc. Bellouacensis in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Childericus Bellouacum capit.

Licerius.

Liercius.

Themerus.

Bergisilus.

Rodomarus.

Ansoldus.

Ribertus.

Gogcrinus.

Anselmus.

Maurinus, Marinus, Mauricius, a. 632. a. 640.

Himbertus.

Clemens regnante Clotario III.

Constantinus.

BENARNENSIS E. *de Bearn.*

Galactorius Ep. de Benarno in Nouempopulania sub M. Elusano cæsus est cùm Clodoueus bellum contra Wisigothos in Aquitania gerebat. Successorum nomina desiderantur vsque ad Sauinum.

Sauinus, cuius quoque successores ignorantur, subscribit Concilio Matisconensi II. a. 585.

BIGORRITANVS E. *de Bigorre.*

Aper Ep. Bigorritanus in Nouempopulania sub M. Elusano cùm Clodoueus pulsis Wisigothis tres Aquitanias occupat.

Iulianus, a. 541.

Amelius, a. 580. a. 585.

BITVRICENSIS E. M. *de Bourges.*

Tetradius Ep. Bituricensis M. Aquitaniæ I. cùm Clodoueus Franciam tribus auget Aquitaniis, est adhuc in viuis, a. 512.

Roricius obit, a. circiter 518.

Siagrius fit Ep. a. circiter 518. obit, a. 523.

Humatus fit Ep. a. 523. obit, a. 527.

Honoratus fit Ep. a. 527. obit, a. 536.

Arcadius fit Ep. a. 536. obit, a. 541.

Desideratus fit Ep. a. 541. obit, a. 550.

Probianus fit Ep. a. 550. obit, a. 568.

Felix fit Episc. a. 568. interest Concilio Parisiensi IV. a. 573.

Remedius seu Remigius, a. 583. obit, a. 584.

Sulpitius fit Ep. a. 584. obit, a. 591.

Eustasius fit Ep. a. 591. obit, a. 602.

Apollinaris fit Ep. a. 603. obit, a. 611.

Austregisilus fit Ep. a. 612. obit, a. 624.

Sulpitius II. fit Ep. a. 624. abdicat Episcopatum, a. 641.

Wlfolendus fit Ep. a. 641. obit, a. 667.

Aldus fit Ep. a. 668. superstes, a. 680.

BLANDINIENSIS E. *de Blandin.*

Theodorus fit primus Ep. Blandiniensis in Belgica II. sub M. Remensi, a. 487. regnante Clodoueo. Sedet paucis diebus.

Eleutherius fit Ep. a. 487. Sedem Episcopalem Blandinio transfert Tornacum, a. 496. *Vide* Episcopos Tornacenses, de quibus infrà.

BRIOCENSIS E. *de Saint Brieu.*

Vt Brioeum oppidum, ita Briocensis Episcopatus in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi; nomen sortitur à sancto Brioco, primo illius loci Episcopo. Hic è Britannia venit in Armoricam, regnante Childeberto, Clodouei Magni filio. Vixit annos nonaginta. Incertus est annus quo Pontificatum suscepit, incertus & annus quo vitam clausit. Antistitum, qui proximè successerunt in Episcopatum, nomina perierunt.

BVRDIGALENSIS E. M. *de Bordeaux.*

Cyprianus Ep. Burdigalensis M. Aquitaniæ II. cùm Wisigothi à Francis pelluntur ex Aquitania, interest Concilio Aurelianensi I. a. 511.

Leontius Senior, a. 541.

Leontius Iunior, a. 549. obit, a. circiter 567

Bertchramnus

Bertchramnus fit Ep. a. circiter 567. obit, a. 585.
Gundegisilus fit Episc. a. 585. viuit, a. 589. a. 590.

C

CABELLIONENSIS E. *de Cauaillon.*
Philagrius Ep. Cabellionensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, cùm Cabellio penes Burgundiones & Ostrogothos erat, peruenire potuit ad a. 536. quo Francis eadem ciuitas cessit.
Prætextatus, a. 545. a. 549. a. 551. a. 554.
Veranus, a. 562. superstes, a. 589.
CABILONENSIS E. *de Chalon sur Saone.*
Agricola siue Agrœcula Ep. Cabilonensis in prouincia Lugdunensi I. sub M. Lugdunensi, cùm Franci Burgundiam subigunt, obit, a. 580.
Flauius fit Ep. a. 580. viuit, a. 585.
Wadelinus, a. 601. a. 610.
Gelionius.
Gratus, a. 644. obit, a. 652.
Lupus fit Ep. a. 652. obit a. circiter 668.
Desideratus, cognomento Dido, fit Episc. a. circiter 668. obit, a. 678.
Antestius.
CADVRCENSIS E. *de Cahors.*
Boetius Ep. Cadurcensis in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus wisigothos ex Aquitania pellit, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianense.
Sustrasius, a. 533. a. 538. a. 541.
Maximus, a. 549.
Maurilio obit, a. 580.
Vrsicinus fit Ep. a. 580. cum Innocentio Ep. Rutenensi altercatur, a. 588.
Eusebius obit, a. 621.
Rusticus fit Ep. a. 621. obit, a. 628.
Desiderius fit Ep. a. 629. obit, a. 649.
Capuanus fit Ep. a. 649.
CALAGVRITANVS E. *de Calahorra.*
Vasconia Meridionalis, cuius vrbs primaria Calagurris Episcopatu nobilis sub M. Tarraconensi, venit in potestatem Francorum, a. 542. nec rediit ad wisigothos ante mortem Clotarij I. Exciderunt autem nomina Calagurritanorum Pontificum, qui per illa tempora floruerunt subiacuerúntque vicino M. Nouempopulaniæ.
CAMERACENSIS E. *de Cambray.*
Vedastus Ep. Atrebatensis in Belgica II. sub M. Remensi, fit etiam Ep. Cameracensis in eadem Belgica sub eodem M. Remensi, a. 510. obit, a. 538. Successores iidem qui Atrebatenses Episcopi, de quibus sup.
CARNOTENSIS E. *de Chartres.*
Arboastus siue Arbogastus aut Ardoastus Ep. Carnotensis in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, cùm Childericus Rex Carnotum occupat, obit, a. 485.
Flauius fit Ep. a. 485. obit, a. 497.
Solennis seu Solennius fit Ep. a. 497. obit, a. 509.
Auentinus antea Ep. Dunensis, fit Ep. Carnotensis, a. 509. obit, a. 528.
Ætherius fit Ep. a. 528. obit, a. 544.
Leobinus fit Ep. a. 544. obit, a. 556.
Caletricus fit Ep. a. 556. obit, a. 568.
Pappolus fit Ep. a. 568. obit, a. 594.
Betharius fit Ep. a. 594. obit, a. 623.
Bertegisilus fit Ep. a. 623. interest Concilio Remensi, a. 625.
Malardus interest Concilio Cabilonensi, a. 644. obit, a. 653.
Magobertus fit Ep. a. 653. obit, a. 666.
Sigoaldus fit Ep. a. 666. obit, a. 678.
Theobaldus fit Ep. a. 678.
CARPENTORACTENSIS E. *de Carpentras.*
Siffredus Ep. Carpentoractensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, a. 536. cùm Carpentoracte ceditur Francis.
Clematius, a. 541. a. 549. a. 551.
Tetradios, a. 573.
Boetius, a. 585.
Odofredus, a. 590.
Georgius, a. 604.
Petrus, a. 630.
Dominicus, a. 640.
Licerius, a. 644. a. 654.
Paulus, a. 664.
Anastasius.
CATALAVNENSIS E. *de Chaalons sur Marne.*
Florendus seu Florendinus Ep. Catalaunensis in Belgica II. sub M. Remensi, a. 486. cùm Catalaunum deditionem Clodoueo facit.
Pronidetius.
Proditor.
Lupus, a. 535.
Papio.
Encharius.
Tattinodus.
Elasius fit Ep. Sigiberto regnante, obit, a. 580.
Ludomerus fit Ep. a. 580.
Felix, a. 585. a. 625.
Regnabaudus.
Landebertus, a. 675.
Arnolfus.
CENOMANENSIS E. *du Mans.*
Principius Ep. Cenomanensis in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, a. 510. cùm Cenomannum Clodoueo deditur, obit, a. 513.
Victor fit Ep. a. 513. est adhuc in viuis, a. 530.
Innocentius, a. 533. obit, a. 543.
Scienfredus Pseudo-Episcopus, a. 543.
Domnolus fit Ep. a. 545. obit, a. 581.
Badegisilus fit Ep. a. 581. obit, a. 586.
Bertehramnus fit Ep. a. 586. obit, a. 623.
Hardoindus fit Ep. a. 624. obit, a. 655.
Berarius fit Ep. a. 655. superstes, a. 680.
COLONIENSIS E. *de Cologne.*
Euergislus Ep. Coloniensis in Germania II.

DVNENSIS E. *de Chasteaudun.*

Auentinus fit primus Ep. Dunensis in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, a. 497. deinde, a. 509. fit Ep. Carnotensis extincto Episcopatu Dunensi.

Promotus fit Ep. Dunensis regnante Sigiberto, sed damnatur in Concilio Parisiensi IV. a. 573.

E

EBREDVNENSIS E.M. *d'Ambrun.*

Gallicanus Ep. Ebredunensis M. Alpium Maritimarum sub Ostrogothis, a. 524. a. 527. a. 529. sub Francis, a. 536. a. 541. a. 549.

Peladius seu Palladius, a. 556.

Salonius, a. 573. deponitur, a. 579.

Emeritus fit Episc. a. 579. viuit adhuc, a. 585.

Alfonsus, a. 600.

Albinus, a. 630.

Ætherius, a. 644. a. 651.

EBROICENSIS E. *d'Eureux.*

Maurusio Ep. Ebroicensis in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Ebroicæ Francis incipiunt parere, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianense.

Licinius, a. 538. a. 549.

Ferrocinctus, a. 557.

Viator.

Landulphus.

Ragnericus, a. 644.

Æternus, a. 652. obit, a. 653.

Aquilinus fit Episc. a. 653. superstes a. 680.

ECOLISMANSIS E. *d'Angoulesme.*

Lupicinus Ep. Ecolismensis in Aquitania II. sub M. Burdigalensi, cùm Clodoueus victis wisigothis tres Aquitanias occupat, in viuis est adhuc superstes, a. 541.

Aptonius, a. 548. a. 549. obit, a. 569.

Mererius seu Marachinus fit Episc. a. 569. obit, a. 576.

Frontonius fit Ep. a. 576. obit, a. 577.

Heraclius fit Ep. a. 577. obit, a. 580.

Nicasius fit Ep. a. 580. sedet, a. 585. a. 590.

Marbæus.

Sigismundus.

Namatius, a. 625.

Gotismundus.

Anselmus.

Berthoalis.

Ardoinus.

Gerbaldus.

ELVSANVS E.M. *d'Eause.*

Clarus Episc. Elusanus M. Nouempopulaniæ, cùm Clodoueus wisigothos pellit ex Aquitania.

Leontius, a. 511.

Aspasius, a. 533. a. 541. a. 549.

Laban, a. 573. obit, a. 585.

Desiderius, fit Ep. a. 585.

Senocus, a. 625. a. 626.

F

FOROIVLIENSIS E. *de Freius.*

Desiderius Episc. Foroiuliensis in prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi, a. 536. cùm Ostrogothi prouinciam illam cedunt Francis, & a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianense.

Expectatus, a. 549. a. 551. a. 554.

Epiphanius, a. 582.

Asterius.

Rusticus.

Angerius.

G

GABALITANVS E. *de Leuoulx.*

Leonicus Episc. Gabalitanus in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus tres Aquitanias in suam potestatem redigit.

Hilarius, a. 535.

Euanthius, a. 540. a. 541.

Parthenius, a. 567.

Agricola, a. 625.

Iserus regnante Dagoberto. De successoribus non leuis est difficultas, quia cum Genauensibus Episcopis confusi creduntur.

GANAVENSIS E. *de Geneue.*

Maximus Ep. Genauensis in prouincia Viennensi I. sub M. Viennensi, a. 517. in ditione Burgundionum; a. 529. in ditione Ostrogothorum; an etiam, a. 536. in ditione Francorum, incertum.

Papulus, a. 549.

Salonius, a. 567. a. 573.

Curiatto, a. 585.

* a. 602. Hic Rusticus fuit aut Patricius.

Appelinus, a. 623.

Pappolus, a. 644.

Robertus.
Aridanus.
Epoaldus.
Abbo.
Hyporunus. } Ex illis nonnulli Gebennensibus seu Gabalitanis accensendi, vt monuimus suprà.

GLANNATENSIS E. *de Glandeues.*

Claudius Ep. Glannatensis in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi, a. 536. cùm Ostrogothi Francis Alpes Maritimas cedunt, & a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianense.

Basilius, a. 549. a. 554.

Promotus, a. 573.

Agrœcius, a. 585.

GRATIANOPOLITANVS E. *de Grenoble.*

Vrsulus Ep. Gratianopolitanus in prouincia Viennensi I. sub M. Viennensi, a. 536. cùm Ostrogothi Francis ditiones Cisalpinas cedunt, & a. 538. cùm celebratur III. Concilium Aurelianense.

Syagrius, a. 551. a. 567.

Esychius siue Isitius, a. 573. a. 589. a. 604.

Clarus, a. 644. a. 652.

Boso, a. 662.

Fergeolus obit superstite Ebroino.

Isitius II.

I

IVLIOBONENSIS E. *de Lillebonne.*

Betto Ep. de Iuliobona in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 644.

L

LACTORENSIS E. *de Lectoure.*

Vigilius Ep. Lactorensis in Nouempopulania sub M. Elusano, cùm Clodoueus wisigothos pellit ex eadem Nouempopulania.

Aletius, a. 549.

LAVDVNENSIS E. *de Laon.*

Genebaldus, a. 497. primus Ep. Landunensis constituitur in Belgica II. sub M. Remensi, superest in viuis, a. 549.

Latro.

Gondulfus.

Elinandus.

Robertus.

Chainoaldus, a. 625. obit, a. 632.

Attila siue Attola fit Ep. a. 632. superstes, a. 671.

Vanfridus, Vmrifrindus, Vnifrindus, wlfridus, wlfandus, wlfadus.

Peregrinus.

Gerardus.

LAVREACENSIS E. *de Laurich* seu *Lorich*, hodie *Lorch.*

Gerardus socius S. Ruperti, fit Ep. Laureacensis in Boioaria sub eodem Ruperto M. Salisburgiensi, obit, a. 615.

Philo fit Ep. a. 615. obit, a. 660.

Bruno, anteà Ep. Pataujensis, fit etiam Ep. Laureacensis, a. 660. Abhinc vniti sunt Episcopatus Laureacensis ac Pataujensis. *Vide* Episcopos Pataujenses, de quibus infrà.

LAVSANNENSIS E. *de Lausanne.*

Marius Ep. Auenticensis in prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi, Sedem Episcopalem Auentico Lausannam transfert regnante in Burgundia Childeberto II. obit, a. circiter 596.

Macmerius seu Manerius fit Episc. a. circiter 596.

Egilolphus.

Atticus, a. 644.

LEMOVICENSIS E. *de Limoges.*

Ruricius Senior Ep. Lemouicensis in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus Aquitaniam subigit.

Ruricius Iunior, a. 535. a. 541. a. 549.

Exochius siue Exotius sedet annos 15.

Ferreolus, a. 579. superstes, a. 591.

Asclepeus siue Asclepiodotus obit, a. 613.

Lupus fit Ep. a. 614. superstes, a. 632.

Simplicius obit, a. circiter 637.

Felix fit Ep. a. circiter 637. superstes, a. 644.

Adelphius.

Rusticus, a. 667.

Hettenobertus.

Cæsarius.

LEONENSIS E. *de Leon.*

Paulus fit primus Ep. Leouensis in prouincia Lugduuensi III. sub M. Turonensi, a. 529. regnante Childeberto, abdicat Episcopatum, a. 553.

Iaouas seu Iehonius fit Episc. a. 553. obit, a. 554.

Tiernomagilus fit Ep. a. 554. obit, a. 555.

Paulus iterum Ep. a. 555. abdicat iterum Episcopatum, a. 566.

Cetomerinus fit Ep. a. 566. obit, a. 602.

Goluenus fit Ep. a. 602. obit, a. 616.

Tenenanus fit Ep. a. 616. obit, a. 635.

Houardonus fit Ep. a. 635. obit, a. 650.

Goeznoueus fit Ep. a. 650. obit, a. 675.

Gilbertus fit Ep. a. 675. superstes, a. 680.

LEXOBIENSIS E. *de Lexobie.*

Riocus fit Ep. Lexobiensis in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, a. 502. cùm Lexobia venit in potestatem Clodouei Regis, obit, a. 515.

Rivallonus fit Ep. a. 515. obit, a. 518.

Ioannes fit Ep. a. 518. obit, a. 527.

Guennaelus fit Ep. a. 427. obit, a. 531.

Tirizianus fit Ep. a. 531. obit, a. 532.

Tugdwalus seu Tugalus fit Ep. a. 532. obit, a. 553.

Rwelinus fit Ep. a. 553. obit, a. 574.

Pebecontus fit Ep. a. 574. obit, a. 594.

Robertus fit Ep. a. 594. obit, a. 625.

Stelereus fit Ep. a. 625. obit, a. 641.

Martinus fit Ep. a. 641. obit, a. 653.

Dionysius fit Ep. a. 653. sedet annos 43.

LEXOVIENSIS E. *de Lisieux.*

Theodobaudus seu Theodobaudis Ep. Lexouiensis in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 538. a. 541. a. 549.

Ætherius, a. 584.

Launobaudus, a. 644. a. 662.

Fulcrannus.

LINGONENSIS E. *de Langres.*

Gregorius Ep. Lingonensis in prouincia Lugdunensi I. sub M. Lugdunensi, in ditione Burgundionum, dein de Francorum, obit, a. 539.

Tetricus fit Ep. a. 539. obit, a. 572.

Siluester electus Ep. obit nondum consecratus, a. 572.

Pappolus fit Ep. a. 572. obit, a. 580.

Mummolus fit Ep. a. 580. viuit, a. 585.

Mietius sedet, a. 609. obit, a. circiter 617.

Modoaldus fit Episc. a. circiter 617. obit regnante Clotario II.

Bertoaldus fit Ep. superstite in viuis Clotario II. subscribit Concilio Cabilonensi III. a. 644.

Sigoaldus.

wlfrannus.

Godinus.

Adoinus siue Adonius.

Garobaldus, Gairbaldus, Gaarbaldus.

LVCENSIS E. *de Lugo.*

Cantabria in Ep. Lucensi sub M. Bracarensi venit in potestatem Francorum, a. 542. nec redut ad Sueuos ante mortem Clotarij I. Exciderunt autem nomina Lucensium Episcoporum, qui per illa tempora floruerunt subiacuéruntque vicino M. Nouempopulaniæ.

LVGDVNENSIS E. M. *de Lyon.*
Lupus Ep. Lugdunensis M. prouinciæ Lugdunensis I. a. 534. cùm Burgundiæ regnum à Francis deletur, & a. 538. cùm celebratur Concilium Aurelianense III.
Leontius, a. 542.
Sacerdos, a. 549. obit, a. 551.
Nicetius fit Ep. a. 551. obit, a. 573.
Priscus fit Ep. a. 573. viuit, a. 585.
Ætherius sedet, a. 589. obit, a. 602.
Secundinus fit Ep. a. 602. obit, a. 603.
Aridius fit Ep. a. 603. obit, a. 611.
Theodoricus fit Ep. a. 611. viuit, a. 625.
Gandericus, a. 644.
Viuentius.
Annemundus, a. 652. obit, a. 654.
Genesius fit Ep. a. 654. obit, a. 677.
Lantbertus fit Ep. a. 678.

LVTEVENSIS E. *de Lodéue.*
Deuterius Ep. Luteuensis in prouincia Narbonensi I. subest M. Narbonensi quandiu Luteua wisigothis paret; post annum verò 533. quo Luteua capitur à Francis, subest M. Bituricensi. Interest Concilio I. Aruernensi, a. 535.
Edibius interest Concilio III. Parisiensi, a. 557. Post mortem Clotarij I. Luteua redit ad wisigothos.

M

MASSILIENSIS E. *de Marseille.*
Dalmatius Episc. Massiliensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, in ditione Ostrogothorum vsque ad a. 536. postea in ditione Francorum.
Antoninus, a. 544.
Emeterius, a. 554.
Theodorus. a. 581. obit, a. circiter 594.
Serenus fit Ep. a. circiter 594. viuit, a. 600.

MATISCONENSIS E. *de Mascon.*
Placidus fit primus Ep. Matisconensis in prouincia Lugdunensi I. sub M. Lugdunensi, superest in viuis, a. 551. cùm celebratur Concilium II. Parisiense.
Saluinus, a. 560.
Chelidonius, a. 567.
Iustus, a. 574.
Eusebius, a. 583. a. 585.
Florentinus.
Decius.
Momulus, a. 623.
Deodatus, a. 631. a. 644.
Decius II.
Domnolus.

MAVRIENNENSIS E. *de Maurienne.*
Hiconius fit primus Episc. Mauriennensis in prouincia Alpium Graiarum & Penninarum sub Metr. Darantasiensi, regnante Guntchramno. Interest Concilio I. Matisconensi, a. 583. Superest in viuis, a. 602.
Leborius, a. 644.

MELDENSIS E. *de Meaux.*
Præsidius Ep. Meldensis in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, a. 486. cùm Meldæ Francicis ditionibus accedunt.
Promussius.
Medoueus seu Medouechus, a. 547. a. 549. a. 551.
Edeuus.
Bandoaldus seu Baudowaldus.
Gondoaldus seu Gundoldus aut Gundobaldus, a. 614. a. 625.
Pharo seu Faro, a. 627. obit, a. 672.
walbertus seu waldebertus fit Episc. a. 672. obit, a. 680.
Ildeuertus fit Ep. a. 680.

METENSIS E. *de Mets.*
Romanus Ep. Metensis in Belgica I. sub M. Treuirensi, a. 486. cùm Metæ Clodoueo se dedunt, obit, a. 489.
Fronimius fit Ep. a. 489. obit, a. 497.
Grammatius fit Ep. a. 497. obit, a. 512.
Agatimber fit Ep. a. 512. obit, a. 525.
Hesperius seu Sperius fit Ep. a. 525. obit, a. 542.
Villicus fit Ep. a. 543. obit, a. 568.
Petrus fit Ep. a. 568. obit, a. 578.
Aigulfus fit Ep. a. 578. obit, a. 598.
Aruoaldus fit Ep. a. 599. obit, a. 607.
Pappolus fit Ep. a. 607. obit, a. 610.
Arnulfus fit Ep. a. 611. abdicat Episcopatum, a. 626.
Goericus fit Ep. a. 626. obit, a. 644.
Gndo fit Ep. a. 645. obit, a. 655.
Clodulphus fit Ep. a. 655. sedet annos 40.

MOGVNTIACENSIS E. *de Mayence.*
Eutropius Episc. Moguntiacensis in Germania I. sub Treuirensi M. Belgicæ I. & vtriusque Germaniæ, cùm Meroueus Germaniam I. subigit. Sedet annos 23. Obit a. 474. Eius Antecessores olim M. Germaniæ I. amisso postea iure Metropolitico subditi Coloniensi M. vtriusque Germaniæ; nouissimè propter interpontificium Coloniense cum vtraque Germania attributi Treuirensi M. Belgicæ I. Successores Treuirensem M. agnouerunt, donec Ep. Vormaciensis factus est Metr. vtriusque Germaniæ regnante Clodoueo. Denique ius Metropoliticum octauo seculo recuperarunt.
Adelbertus fit Ep. a. 474.
Radherius ætate Clodouei. Tunc Ep. Vormaciensis fit M. vtriusque Germaniæ.
Adelbaldus.
Laudfridus.
Ruthardus.
Sidnnius, a. 562.
wilebertus.
Leonisius seu Ludegastus, a. 612.
Rudhelmus seu Rudelinus.
Luthwaldus seu Landowaldus.
Leowaldus seu Lupoaldus, a. 625.
Richbertus, a. 667.
Sigebertus.

Agilbertus fit Ep. a. 664. viuit, a. 669.
Sigofridus, a. 680.

Patauiensis E. *de Passau.*

Erchenfridus socius S. Ruperti, fit Ep. Pataviensis in Boioaria sub eodem Ruperto M. Salisburgensi, obit, a. 624.
Othocarus fit Ep. a. 624. obit, a. 638. Honorio Papâ in viuis adhuc superstite.
Bruno fit Ep. Patauiensis, a. 638. sub Pontificatu Honorij Papæ, fit etiam Ep. Laureacensis, a. 660. necnon Metropolita Boioariæ, viuit vsque ad a. 698.

Petrocoricensis E. *de Perigueux.*

Chronopius E. Petrocoricensis in Aquitania II. sub M. Burdigalensi, cùm wisigothi pelluntur à Francis ex Aquitania, superest in viuis, a. 533. cùm celebratur II. Concilium Aurelianense.
Sabaudes, a. 541.
Charterius, a. 582. a. 585.
Saffarius, a. 589. a. 590.

Pictauiensis E. *de Poitiers.*

Adelfius Ep. Pictauiensis in Aquitania II. sub M. Burdigalensi, cùm wisigothi pelluntur à Francis ex Aquitania, superest in viuis, a. 533. cùm celebratur II. Concilium Aurelianense.
Elaphius.
Danthel, a. 541.
Pientius, a. 559. obit, a. circiter 564.
Pascentius fit Ep. a. circiter 564.
Marouens, a. 568. a. 581. obit, a. 599.
Fortunatus fit Ep. a. 599.
Caregisilus
Ennoaldus, a. 615.
Ioannes, a. 625. obit, a. 626.
Dido fit Ep. a. 626. obit Childerico II. Monarchiam Francorum obtinente.
Ansoaldus, a. 674. superstes, a. 680.

R

Redonensis E. *de Rennes.*

Melanius Ep. Redonensis in prouincia Lugdunensi III. sub M. Turonensi, cùm Redones Clodoueo Regi subiiciuntur, obit, a. 530.
Febediolus fit Ep. a. 530.
Victurius, a. 566. a. 568. obit, a. 601.
Durioterus fit Ep. a. 603. obit, a. 655.
Willelmus fit Ep. a. 655. viuit, a. 680.

Reiensis E. *de Riez.*

Contumeliosus Episc. Reiensis in prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi, retruditur in Monasterium ob capitale crimen, antequam Ostrogothi prouinciam illam Francis cedant; a. 536. quo fit hæc cessio, Reiensis Ecclesia per Visitatorem regitur superstite in viuis Contumelioso.
Faustus, a. 549.
Emeterius, a. 554.
Claudianus, a. 573.
Vrbicus, a. 585. a. 589.
Claudius, a. 625. a. 644.
Archinincus.
Absalon.

Remensis E. M. *de Reims.*

Remigius Ep. Remensis M. Belgicæ II. cùm Remi Clodoueo se subdunt, obit, a. 533.
Romanus fit Ep. a. 533. obit, a. 535.
Flauius fit Ep. a. 535.
Mappinius, a. 549. obit, a. 569.
Ægidius fit Ep. a. 569. deponitur, a. 590.
Romulfus fit Ep. a. 590. obit, a. 593.
Sonnatius fit Ep. a. 594. obit, a. 631.
Leudegiselus fit Ep. a. 631. obit, a. 641.
Anglebertus fit Ep. a. 641. obit, a. 645.
Lando fit Ep. a. 645. obit, a. 649.
Niuardus fit Ep. a. 649. obit, a. 673.
Reolus fit Ep. a. 673. superstes, a. 680.

Rotomagensis E. M. *de Rouen.*

Crescentius Ep. Rotomagensis M. prouinciæ Lugdunensis II. cùm Clodoueus Rotomagum capit, obit, a. 494.
Gildardus fit Ep. a. 494. obit, a. 519.
Flauius fit Ep. a. 519. obit, a. 544.
Prætextatus fit Ep. a. 544. obit, a. 586.
Melantius seu Melanius fit Ep. a. 586. obit, a. 598.
Hidulphus fit Ep. a. 598. obit, a. 626.
Romanus fit Ep. a. 626. obit, a. 639.
Audoenus fit Ep. a. 640. sedet annos 43.

Rvtenensis E. *de Rodez.*

Quintianus Ep. Rutenensis in Aquitania I. sub M. Bituricensi, cùm Clodoueus tres Aquitanias subigit, pellitur in exilium à wisigothis, qui Rutenos post Clodouei mortem recuperant.
Dalmatius fit Ep. a. 524. subéstque M. Narbonensi quandiu Ruteni wisigothis parent, subiicitur autem M. Bituricensi cùm Ruteni redeunt in potestatem Francorum, obitque, a. 580.
Theodosius fit Ep. a. 580. obit, a. 584.
Innocentius fit Ep. a. 584. viuit, a. 588.
Verus, a. 625.
Aredius memoratur in miraculis vitæ sancti Desiderij Cadurcensis Ep. subiectus, incertum quâ ætate viuit.

S

Sagiensis E. *de Seez.*

Litharedus Ep. Sagiensis in prouincia Lugdunensi II. sub M. Rotomagensi, a. 502. cùm Sagium in potestatem Clodouei venit, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianense.
Passiuus, a. 533. a. 549.
Milehardus, a. 557.
Leudebaudis, a. 566. a. 573.
Hildebrandus, a. 575.
Rodobertus, a. 596.
Raueranus.
Amlacarius.
Gaufridus.
Robertus.
Aunobertus.

SALISBVRGIENSIS E. M. *de Saltzbourg.*

Rupertus seu Rutbertus Ep. Vormaciensis, M. vtriusque Germaniæ, pellitur, a. 577. it in Boioariam, a. 579. Boioarios ad fidem conuertit; fit primus Ep. Salisburgiensis M. Boioariæ; duos è suis sociis Episcopos constituit, Gerardum Laureaci, Erchenfridum Patauiæ; obit, a. 623.

Vitalis fit Ep. a. 623. obit, a. 646.

Ansologus fit Ep. a. 646. obit, a. 666.

Sauolus fit Ep. a. 666. obit, a. 680.

Ezius fit Ep. a. 680.

SANICIENSIS E. *de Senez.*

Simplicius Ep. Saniciensis in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi, a. 541. & a. 554. Vtrùm autem hic an decessor Marcellus a. 536. cùm prædictæ Alpes ad Franciam accedunt, haud liquet.

Vigilius, a. 585.

SANTONENSIS E. *de Saintes.*

Gregorius Ep. Santonensis in Aquitania II. sub M. Burdigalensi, cùm wisigothi à Clodoueo pelluntur ex Aquitania.

Petrus, a. 511.

Troianus obit, a. 532.

Eusebius fit Ep. a. 532. obit paulò ante Clotarium I.

Emerius, a. 561.

Concordius.

Didymus.

Palladius, a. 573. a. 589. a. 596.

Leontius, a. 625.

Adelbertus.

Antanus.

SEDVNENSIS E. *de Sion.*

Heliodorus Ep. Octodorensis in prouincia Alpium Graiarum & Penninarum sub M. Darantasiensi, Sedem Episcopalem Octodoro Sedunum transfert, Concilio Matisconensi subscribit, a. 585.

* a. 601. Rusticus vel Patricius.

Leutmundus, a. 611. a. 616.

Protasius, a. 644.

Amatus fit Ep. regnante Theodorico III.

SEGESTERICENSIS E. *de Sisteron.*

Auolus Ep. Segestericensis in prouincia Narbonensi II. sub M. Aquensi, a. 536. cùm prouinciam illam Francis cedunt Ostrogothi, superest in viuis, a. 554.

Genesius, a. 573.

Pologronius, a. 585.

SELLENSIS E. *de Selles en Poitou.*

Austrapius fit primus Ep. Sellensis seu Castri Celsi in Aquitania II. sub M. Burdigalensi, Clotario I. totius Franciæ Monarchiam obtinente, obit, anno circiter 564. eòque mortuo Sellensis Episcopatus redit ad Pictauiensem à quo nuper auulsus fuerat.

SENONENSIS E. M. *de Sens.*

Eraclius Ep. Senonensis M. prouinciæ Lugdunensis IV. cùm Senones parere Francis incipiunt, obit, a. 507.

Leo, a. 512. a. 533. a. 538.

Constitutus, a. 549. obit, a. 579.

Arthemius fit Ep. a. 579. obit, a. 609.

Lupus fit Ep. a. 609. viuit, a. 614.

Richerius, a. 625.

Hildegarius, a. 631.

Aunobertus, a. 640. a. 642.

Honulfus.

Armentarius, a. 644. a. 652.

Gundelbertus abdicato pòst Episcopatu secedit in eremum.

Emmo, a. 657. obit, a. 659.

Amatus fit Ep. a. 659. pellitur, a. 674.

Mederius fit Ep. a. 674.

Landebertus, a. 677. obit, a. circiter 679.

wlfrannus fit Ep. a. circiter 679.

SILVANECTENSIS E. *de Senlis.*

Modestus Ep. Siluanectensis in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Siluanectum in potestatem Childerici Regis deuenit.

Liuanius seu Leuangius obit, a. 513.

Pasius fit Ep. a. 513. obit, a. 519.

Nonnulus fit Ep. a. 519. obit, a. 547.

Gonotigernus fit Ep. a. 547. obit, a. 560.

Letbardus fit Ep. a. 560. proficiscitur in Angliam, a. 566.

Sanctinus fit Ep. a. 566. obit, a. 581.

Malulphus fit Ep. a. 581. obit, a. 584.

Candidus fit Ep. a. 584. obit, a. 598.

Agomarus fit Ep. a. 598. obit, a. 644.

Autbertus fit Ep. a. 644. sedet diutissimè.

SVESSIONENSIS E. *de Soissons.*

Principius Episc. Suessionensis in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Clodoueus Suessionem capit.

Lupus, a. 511. superstes, a. 533.

Bandaricus exulat, a. 538. obit, a. 545.

Anectarius fit Ep. a. 545.

Theobaldus seu Thenebaldus.

Tondulfus seu Taudulfus.

Laodulphus.

Ansericus, a. 625. obit, a. 652.

Bettolenus fit Ep. a. 652. abdicat Episcopatum, a. 654.

Dransius fit Ep. a. 654. viuit, a. 668.

warimbertus, a. 674.

T

TARVANNENSIS E. *de Teroüenne.*

Antimundus fit primus Ep. Taruannensis in Belgica II. sub M. Remensi, a. 501. obit, a. 520.

Athalbertus fit Ep. a. 520. obit, a. 552.

* Interpontificium.

Audomarus fit Ep. a. 637. obit, a. 668

Drancius fit Ep. a. 668.

Bainus.

TOLONENSIS E. *de Toulon.*

Cyprianus Episc. Tolonensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, cùm Ostrogothi ditiones, quas cis Alpes possident, Francis tradunt, superest in viuis, a. 542.

Palladius, a. 549. a. 554.

Desiderius, a. 573. a. 585.

TOLOSANVS E. *de Tholose.*

Heraclianus Episc. Tolosanus in prouincia Narbonensi I. sub M. Narbonensi, cùm Clodoueus Tolosam Francicis ditionibus adiungit, abhinc subiicitur M. Bituricensi, obitque, a. 509.

Germerius fit Ep. a. 509. obit, a. 545.

Magnulfus, a. 585.

Mennas, a. 601. a. 602.

Willegiselus, a. 625.

* huius nomen desideratur.

Erembertus fit Ep. a. 655; abdicato Episcopatu obit, a. 671.

TORNACENSIS E. *de Tournay.*

Eleutherius anteà Ep. Blandiniensis in Belgica II. sub M. Remensi, Sedem Episcopalem Blandinio transfert Tornacum, a. 496. obit, a. 532.

Medardus Episc. Nouiomensis fit etiam Ep. Tornacensis, a. 532. Abhinc Tornacensca Episcopi fuerunt iidem qui Nouiomenses, vt obseruatum est suprà.

TRAIECTENSIS E. *de Mastrich.*

Arauatus Episc. Tungrensis in Germania II. Sedem Episcopalem Tungris transfert Traiectum ad Mosam, ac paulò pòst obit, a. 450. regnante Meroueo. Circa illa tempora Episc. Treuirensis M. Belgicæ I. fit etiam M. vtriusque Germaniæ.

Supplicius fit Ep. a. 450.

Quirillus.

Eucherius.

Falco peruenit ad tempora Theodorici Regis. Illo sedente, Ep. Vormaciensis fit M. vtriusque Germaniæ.

Eucherius fit Ep. regnante Theodorico I.

Domitianus, a. 535. obit, a. 550.

Monulfus fit Ep. a. 550. obit, a. 589.

Gondulfus fit Ep. a. 589. obit, a. 596.

Perpetuus fit Ep. a. 596. obit, a. 609.

Ebregisus siue Euergisus fit Ep. a. 609. obit, a. 623.

Ioannes cognomento Agnus fit Episc. a. 623. obit, a. 649.

Amandus fit Episc. a. 649. abdicat Episcopatum, a. 652.

Remaclus eligitur Ep. a. 652. ordinatur, a. 653. abdicat Episcopatum, a. 662.

Theodardus fit Ep. a. 662. obit, a. 668.

Lambertus fit Ep. a. 668. superstes, a. 680.

TRECENSIS E. *de Troyes.*

Camelianus Ep. Trecensis in prouincia Lugdunensi IV. sub M. Senonensi, cùm Trecæ veniunt in Clodouei potestatem, obit, a. 536.

Vincentius fit Ep. a. 536. obit, a. 546.

Ambrosius fit Ep. a. 546. superstes est in viuis, a. 549.

Chardaricus siue Ardaricus, a. 551. a. 557.

Gallomagnus fit Ep. regnante Guntchramno, obit, a. 584.

Agrœcius fit Ep. a. 584. viuit, a. 586.

Euodius obit ante a. 623.

Modegisilus.

Ragnegisilus, a. 631.

Lupus, a. 644.

Leuconius, a. 657.

Bertoaldus.

Abbo-Felix obit, a. 677.

Waymerus fit Ep. a. 677.

Wlfredus.

TREVIRENSIS E. M. *de Treues.*

Modestus Episc. Treuirensis M. Belgicæ I. & vtriusque Germaniæ, obit, a. 486. quo Clodoueus Treuirim capit.

Maximianus fit Ep. a. 486. obit, a. 498.

Fibicius fit Ep. a. 498. Vltimus recensetur è Præsulibus Treuirensibus qui Metropolitico iure gaudent per vtramque Germaniam, ius enim illud regnante Clodoueo attribuitur Sedi Vormaciensi.

Aprunculus obit, a. 527.

Nicetius fit Ep. a. 527. obit, a. circiter 566.

Magnericus fit Ep. a. circiter 566. obit, a. 597.

Seuerinus fit Ep. a. 597.

Felicius, a. 618.

Sebaudus.

Modoaldus fit Ep. regnante in Austrasia Dagoberto, obit, a. circiter 639.

Rusticus fit Ep. a. circiter 639. obit superstite Sigiberto III.

Numerianus fit Ep. superstite Sigiberto III. obit, a. circiter 666.

Hildulphus fit Episc. a. circiter 666. abdicat Episcopatum, a. 676.

Basinus fit Ep. a. 676.

TRICASTINENSIS E. *de Trois-Chasteaux.*

Heraclius Episc. Tricastinensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, a. 536. cùm Ostrogothi Francis ditiones suas cis Alpes cedunt, & a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianense.

Victor, a. 567. a. 573. a. 583. obit, a. 584.

Eusebius fit Ep. a. 584. interest Conciliis Valentino & Matisconensi II. a. 585.

Betto, a. 644.

Bonaricus.

Salitonius.

TVLLENSIS E. *de Toul.*

Auspicius Ep. Tullensis in Belgica I. sub M. Treuirensi, cùm Tullum in ditionem Clodouei Regis deuenit.

Vrsus.

Alodius, a. 549.

Triforicus.

Dulcitius.

Premon.

Antimundus.

Eculanus.

Theodefridus, a. 642. a. 648.

Leudinus-Bodo, a. 653. a. 665.

Eborinus.

Adeodatus, a. 680.

TVNGRENSIS E. *de Tongren.*

Renatus seu Resignatus Episc. Tungrensis in Germania II. sub Coloniensi M. vtriusque Germaniæ, ætate Faramundi.

VESONTIONENSIS E.M. *de Besançon.*

Vrbicus E. Vesontionensis M. prouinciæ Lugdunensis V. a. 541. An autem a. 534. cùm Franci Burgundiam suæ ditioni subiiciunt, haud constat.

Tetradius, a. 551. a. 567.

Siluester, a. 573. a. 583. a. 585.

Nicetius, a. 609. a. 610.

Protadius, a. 620.

Donatus, a. 625. obit, a. 651.

Migetius fit Ep. a. 652.

Ternatius.

Geruasius obit, a. 674.

Claudius fit Ep. a. 674.

VICOIVLIANSIS E. *d'Ayre.*

Marcellus Ep. Vicoiuliensis in Nouempopulania sub M. Elusano, cùm Clodoueus Franciæ tres Aquitanias adiungit, & an. 533. cùm celebratur II. Concilium Aurelianense.

Rusticus, a. 585.

Filibaudes regnante Dagoberto.

VIENNENSIS E.M. *de Vienne.*

Iulianus Ep. Viennensis M. prouinciæ Viennensis I. a. 533. cùm celebratur Concilium II. Aurelianense, obit, a. 534. quo Franci Burgundiam subiugant.

Domnus fit Ep. a. 534. obit. a. 536.

Pantagathus fit Ep. a. 536. viuit, a. 538.

Esychius, a. 549. a. 551.

Namatius obit, a. 558.

Philippus fit Ep. a. 558. superstes est, a. 573.

Euantius, a. 583. a. 585. obit, a. 586.

Verus fit Ep. a. 586.

Desiderius, a. 596. obit, a. 607.

Domnolus fit Episc. a. 607. superstes, a. 618.

Ætherius.

Clarentius.

Syndulphus, a. 625.

Hecdicus regnante Dagoberto.

Caldeoldus fit Ep. vltimis Dagoberti R. temporibus.

Landalenus, a. 644.

Bobolinus.

Georgius obit, a. circiter 660.

Edaldus, Edoaldus, Ethoaldus, Eualdus, Edoldus fit Ep. a. circiter 660. viuit, a. 662.

Deodatus regnante Theodorico III.

VINCIENSIS E. *de Vance.*

Denterius Ep. Vinciensis in Alpibus Maritimis sub M. Ebredunensi, a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianense, obit, a. 588.

Fronimius ex Episcopo Agathensi fit Episc. Vinciensis, a. 588.

Aurelianus, a. 644.

VINDONISSANSIS E. *de Vindisch.*

Gramatius Ep. Vindonissensis in prouincia Lugdunensi V. sub M. Vesontionensi, a. 534. cùm Burgundiæ regnum à Francis deletur, superest in viuis, a. 549. cùm celebratur V. Concilium Aurelianense.

Maximus seu Maximinus Sedem Episcopalem Vindonissâ Constantiam ad Rhenum transfert regnante Clotario I. *Vide* Episcopos Constantienses ad Rhenum, de quibus suprà.

VIRODVNENSIS E. *de Verdun.*

Possessor Ep. Virodunensis in Belgica I. sub M. Treuirensi obit, a. 486. quo Virodunum in potestatem Clodouei Regis deuenit.

Firminus fit Ep. a. 486. obit, a. 498.

Videnus seu Vitonus fit Ep. a. 498. obit, a. 525.

Desideratus fit Ep. a. 525. obit, a. 550.

Agericus fit Ep. a. 550. obit, a. 588.

Charimeres fit Ep. a. 588. obit, a. 602.

Hermenfridus fit Ep. a. 602. obit, a. 614.

Godo fit Ep. a. 614. obit, a. 631.

Paulus fit Ep. a. 631. obit, a. 647.

Gisloaldus fit Ep. a. 647. obit, a. 665.

Gerebertus fit Ep. a. 665.

VIROMANDANSIS E. *d'Auguste en Vermandois.*

Promotus Ep. Viromandensis in Belgica II. sub M. Remensi, cùm Childericus regnum suum per illam prouinciam dilatat, Augustâ Viromanduorum aliisque vrbibus captis.

Sophronius, a. 511.

Alomerus obit, a. 530.

Medardus fit Ep. a. 530. Sedem Episcopalem Augustâ Viromanduorum transfert Nouiomum, a. 531. *Vide* Episcopos Nouiomenses, de quibus suprà.

VIVARIENSIS E. *de Viuiers.*

Venantius Episc. Viuariensis in prouincia Viennensi II. sub M. Arelatensi, a. 517. in ditione Burgundionum, cùm celebratur Concilium Epaonense, deinde in ditione Francorum, a. 535. cùm celebratur Concilium I. Aruernense.

Firminus.

Eumachius.

Agripius.

Melanius II. a. 549.

Ardulfus.

Venantius II.

Longinus.

Lucianus.

Venantius III.

Rusticus.

Melanius III.

Firminus II.

Eucherius.

VORMACIANSIS E.M. *de Worms.*

Amandus Ep. Vormaciensis in Germania I. ætate Merouei & Childerici RR. sub Treuirensi M. Belgicæ I. & vtriusque Germaniæ.

Carolus.

Crotoldus, a. 503. fit M. vtriusque Germaniæ, eâque dignitate gaudent successores, donec Sedi Moguntiacensi restituitur, vt dicemus Tomo IV.

** Desiderantur nomina quorumdam Episcoporum.
Rupertus pulsus in exilium, a. 577. obit, a. 623.
* Desideratur nomen Episcopi, qui sedit Ruperto adhuc superstite, & Salisburgiensem Episcopatum apud Boioarios administrante.
Amandus Episcopatum init regnante iam apud Austrasios Dagoberto I.
* Interpontificium annorum 80. & amplius.

MONASTERIA.

A

Redemptus fit Abb. a. 555.

ARLVCVS, Mon. *Arluc.*

Arlucus, Mon. puellare in E. Antipolitano, a. 676. n. 15. conditum à Nazario Abbate Lerinensi, regnante Clotario II.

Angarisma Abbatissa, a. 676.

ARVERNENSE Mon.

Mon. apud Aruernos conditur & regitur à S. Brachione, a. 536. n. 261.

ATHANACVM, Mon. *Aisnay.*

Athanacum, Mon. Lugduni ad confluentes Araris & Rhodani construitur florente Romanorum Imperio, reparatúrque à Brunichilde Francorum Regina. *Vide* a. 534. n. 13. & a. 612. n. 9.

ATHANVM, Mon.

Athanum, Mon. in Ep. Lemouicensi, a. 564. n. 44. Hodie nomen gerit sancti Arediј. *Saint Trier.*

AVANNACVM, Mon. *Auenay.*

Auennacum, Mon. puellare in Ep. Remensi, a. 662. n. 19. conditum à S. Gundeberto S. Niuardi Remensis Ep. fratre.

Berta S. Gundeberti quondam vxor.

AVGIA, Mon.

Augia, Mon. puellare in E. Constantiensi ad Rhenum, a. 622. n. 9.

Haberilla prima Abbatissa constituitur à S. Gallo, qui decessit è viuis, a. 625.

AVGIA, Mon. *Oye.*

Augia, Monast. in E. Trecensi, a. 661. n. 14. conditum à S. Godone.

Godo S. Wandregisili nepos, conditor ac primus Abbas.

S. AVGVSTINI Mon.

S. Augustini Mon. extra muros Lemouicenses prope Vigennam fluuium, a. 667. n. 49. conditum à Ruricio Ep. Lemouicensi, qui florebat cùm Clodoueus Magnus Aquitaniam subegit.

S. AVITI Mon. *S. Avy.*

S. Auiti Mon. in E. Carnotensi, a. 525. n. 20.

Auitus conditor ac primus Abb. obit, a. 530.

AVRIONENSE Mon. *Evron.*

Aurionense Mon. in E. Cenomanensi, a. 642. n. 2. conditum ab Hadoindo Ep. Cenomanensi, qui sedit ab a. 624. ad a. 655.

AVTISSIODORANSE Mon.

Germanus Ep. Autissiodorensis erexit Mon. Autissiodori, priusquàm illa ciuitas Francis dederetur, a. 494. n. 5. *Vide infrà* Mon. Autissiodorense S. Germani. *S. Germain d'Auxerre.*

B

BALMA, Mon. *la Baulme les Nonnains.*

Balma, a. 534. n. 28. Puellare hoc Monast. ad Dubim fluuium in E. Vesontionensi conditur florente Romanorum Imperio, proximísque seculis varias vices experitur.

BALMA, Mon. *la Baulme.*

Balma, a. 534. n. 24. Puellare hoc Mon. Diœceseos Lugdunensis in sylua Iurensi conditur stante Burgundionum Regno. Hodie vocatur Mon. sancti Romani de rupe. *S. Romain.*

BARBARENSE Mon. *l'Isle Barbe.*

Barbarense siue Insulæ Barbaræ Mon. a. 534. n. 23. conditur in Arari fluuio prope Lugdunum quarto seculo, pace tunc à Christianis Impp. Ecclesiæ restitutâ.

Ambrosius Abbas a. 534. cùm Regnum Burgundiæ deletur à Francis, quo tempore sedet Ep. Lugdunensis Lupus anteà eiusdem Mon. Abbas.

Bligigarius sub Epp. Lugdunensibus, Leontio, Sacerdote & Nicetio.

Vnfredus seu Vinsfredus sub Epp. Lugdunensibus, Nicetio & Prisco.

Rotfredus sub Epp. Lugdunensibus, Prisco, Ætherio, Secundino & Aridio.

Garlandus sub Epp. Lugdunensibus, Aridio, Theodorico & Gauderico.

Licinius sub Epp. Lugdunensibus, Gauderico, Viuentio, Annemundo & Genesio.

BARISIACVS, Mon.

Barisiacus, Mon. in E. Laudunensi, a. 661. n. 4. conditum à S. Amando ea munificentia Childerici II. R.

Andreas primus Abbas, a. 661. fit Abbas Elnonensis, a. 678.

S. BASOLI Mon. *S. Basle.*

S. Basoli Mon. anteà Viriziacum à loco dictum in E. Remensi, a. 625. n. 129. a. 662. n. 9.

Petro Abbas coætaneus Niuardo Episc. Remensi.

BATHENSE Mon. *Baat.*

Mon. in Batba Insula Diœceseos Leonensis, a. 554. n. 2.

Paulus Abb. anteà Ep. Leonensis sub Childeberto I. Rege.

BELLVS-LOCVS, Mon.

Beaulieu en Argonne.

Bellus-locus, Mon. in E. Virodunensi, a. 642. n. 65. conditur à S. Rodingo.

Rodingus conditor ac primus Abbas, a. 642.

BELVSIA, Mon.

Belysia Mon. puellare in E. Traiectensi, a. 669. n. 6. conditur à S. Landrada.

Landrada fundatrix ac prima Abbatissa, a. 669.

S. BENIGNI Mon. *S. Benigne.*

S. Benigni Mon. a 534. n. 29. Conditur Diuione in E. Lingonensi, regnante apud Burgundiones Gundobado.

Eustasius primus Abbas obit, a. circiter 534. quo Burgundia venit in potestatem Francorum.

Tranquillus.

Apollinaris regnante Guntechramno.

Gudinus coætaneus Mietio Ep. Lingonensi.

Bobolenus coætaneus Modoaldo Ep. Lingonensi.

Richimarus coætaneus Bertoaldo Ep. Lingonensi.

Etherius.

Hoc Mnn. inter Sartham & ciuitatem Cenomanicam erexit Trenestina, cùm Cenomania Childeberto Regi parebat, & Diœcesim Cenomanensem administrabat Innocentius Ep. qui migrauit ad Deum, a. 543.

CENTVLA, Mon.

Centula, Mon. in E. Ambianensi, a. 650. n. 6. conditur à S. Richario, cuius nomen hodie gerit. *S. Riquier.*

Richarius primus Abbas secedit in eremum, a. 660.

Orioaldus, a. 660. a. 674.

CERASIVM, Mon. *Cerisy.*

Cerasium, Mon. in E. Baiocensi, a. 530. n. 15. conditum à S. Vigore.

Vigor conditor ac primos Abbas, posteà fit Ep. Baiocensis regnante Childeberto I.

S. CERENICI Mon. *Saint Cerenic.*

S. Cerenici Moo. io E. Sagiensi, a. 557. n. 39.

Cerenicus, annoente Milchardo Ep. Sagiensi, Cœnobium construit post a. 549. ibique primus Abbas obit post a. 565.

CHRISMATVM, Moo.

Chrismatum, Mon. in E. Baiocensi, a. 531. n. 15. Hoc Moo. constructum est à S. Vigore Ep. Baiocensi, hodie Prioratus est, & in memoriam sui cooditoris appellatur Prioratus S. Vigoris. *Saint Vigor.*

CINCILLACENSE Mon. *Tincillant.*

Cincillacense Moo. in E. Venetensi, a. 504. o. 2.

Albinus fit Abbas Cincillacensis, a. 504. deinde Ep. Andegauensis, a. 519.

CLINGENSE Mon. *Clingen-Munster.*

Clingense Mon. in E. Nemetensi, a. 642. n. 82. euoditum à Dagoberto I. Rege.

COACENSE Mon.

Coacense Moo. in E. Autissiodorensi, a. 581. n. 19.

COLOBERONENSE Mon.

Coloberonense Mon. in E. Bituricensi, a. 525. n. 18.

S. COLVMBÆ Mon. *Sainte Colombe.*

S. Columbæ Moo. prope Viennam, a. 534. o. 26.

COLVMBARIENSE Mon.

Columbariense Moo. in E. Bituricensi, a. 576. n. 12. Hoc Mon. erectum fuit à S. Patroclo Presbytero, qui migrauit ad Deum, a 576.

CONDATESCENSE Mon.

Coudatescense Moo. in E. Lugdunensi, a. 534. n. 24.

Romanus erigit hoc Mon. eiúsque primns est Abb. ante a. 444.

Lupicinus.

Eugendus, de cuius nomine idem Mon. diu dictum est Mon. S. Eugendi, *Saint Oyan.* vt posteà de S. Claudij nomine vocatum est ad hodiernam vsque diem Moo. S. Claudij, *Saint Claude.*

Minausius.

Antidiolus, a. 534. cùm Burgundiæ Regnum à Francis extinguitnr, obit, a. 542.

Olympius fit Abb. a. 542. obit, a. 575.

Sapientius fit Abb. a. 575. obit, a. 592.

Talasius fit Abb. a. 592. obit, a. 593.

Dagomodus fit Abb. a. 593. obit, a. 628.

Audericus fit Abb. a. 628. obit, a. 631.

Iniuriosus fit Abb. a. 631. superstes a. 680.

CORBEIA, Mon. *Corbie.*

Corbeia, Mon. in E Ambianensi, a. 657. n. 13. conditur à S. Bathilde Regina.

Theudofredus ex Monacho Luxouiensi fit primus Abbas Corbeiensis.

CRONOMENSE Mon. *Cournon.*

Ctonomense Mon. io E. Aruernensi, a. 508. n. 26. a. 509. o. 11. Hoc Mon. florebat in Aruernia, cùm Clodoneus ex Aquitania wisiguthos expulit.

S. CRVCIS Mon.

S. Crucis Mon. in E. Bordigalensi, a. 654. n. 30. cooditum à Clodooeo II. R.

S. CRVCIS Mon.

S. Crucis Mon. in E. Meldensi, a 642 n. 63. conditum à S. Farone Ep. Meldensi, cuius nomeo hodie gerit, *Saint Faron.*

Helias fit primos Abb. a. 642. obit, a. 660.

Fredegesilus fit Abb. a. 660. superstes, a. 680.

CVLTVRA DEI, Mon. *la Couture.*

Cultura Dei, Mon. in E. Cenomanensi, a. 589. n 16. Hoc Mon. erectum est à S. Bertchramno Ep. Cenomaneosi, qui sedit ab a. 586. ad a. 623.

CVRBIO, Mon.

Curbionense Mon. io E. Carootensi, in pago Drocensi, a. 563. o. 6. a. 593. n. 3. conditum à S. Launomaro.

Launomarus coodit hoc Mon. a. 563. fit primus Abbas, obit, a. 593.

Ragnobertus fit Abb. a. 593.

Laygobertus seo Legebertus Abbas regnante Clotario III.

S. CYRICI Mon. *Saint Cirgues.*

S. Cyrici Mon. io E. Aruernensi, a. 615. n. 30. Hoc Mon. conditum est priusquàm Aruernoi Francis parerent.

Abraham conditor ac primus Abb. tempore S. Sidooij Apollinaris.

D

DAOVGALENSE Moo. *Daoulas.*

Daougalense Mon. in E. Corentinopolitano, a. 538. n. 74.

Iehonus seu Iaouas, primus Abbas constituitur ex Monacbo Teueneceusi, abdicat se regimine Monasterij, a. 550.

Tusucanus fit Abbas, a. 550.

DECIMIACENSE Mon.

Decimiacense Mon. in E. Aotissiodorensi, a. 582. nn. 19. 21.

DERVVM, Mon. *Monstier-en-Der.*

Deruense Mon. io E. Catalaunensi, a. 671. o. 10. cooditum à S. Berchario ex munificentia Childerici II. R.

Bercharius primus Abbas, a. 671. superstes, a. 680.

FONS

FONS ROGI, Mon. *Font-Rouge.*

Fons Rogi, Mon. in E. Autissiodorensi, a. 543. n. 2

Romanus Abbas, a. 543.

FONTANELLA, Mon. *Fontenelle.*

Fontanella, Mon. in E. Rotomagensi, a. 648. n. 28. conditum à S. Wandregisilo ex munificentia Erchinoaldi Maioris domûs sub Clodoueo II. R. Vocatur hodie *Saint Vandrille.*

Wandregisilus conditor ac primus Abbas, a. 648. obit, a. 667.

Lantbertus fit Abbas, a. 667. Ep. Lugdunensis, a. 678.

Ansbertus fit Abbas, a. 678.

FONTANETENSE Mon. *Fontenay.*

Fontanetense Mon. in E. Autissiodorensi, a. 582. nn. 19. 21.

FOSSATVM, Mon. *Fossez.*

Fossatense Mon. in E. Parisiensi, a. 638. n. 100. conditum à Blidegisilo Archidiacono Parisiensi.

Babolenus fit primus Abbas, a. 640. obit, a. 660.

Ambrosius fit Abbas, a. 660.

FOSSÆ, Mon. *Fosse.*

Fossæ, Mon. in E. Traiectensi, a. 650. n. 6. a. 656. n. 1. a. 659. n. 5. conditum à S. Vltano ex munificentia S. Gertrudis Abbatissæ Niuigellensis.

Vltanus conditor ac primus Abbas, frater S. Fursei.

G

GABALITANVM Mon.

Gabalitanum Mon. puellare in E. Gabalitano, a. 628. n. 11.

Enymia soror Dagoberti I. Regis, prima fit Abbatissa.

S. GALLI Mon. *Saint Gal.*

S. Galli Monast. in E. Constantiensi ad Rhenum, a. 615. n. 1. gerit nomen conditoris.

Gallus conditor ac primus Abbas obit, a. 625.

Othmarus fit Abbas, a. 628. obit, a. 668.

GANDA, Mon. *Gand.*

Ganda seu Gandense Mon. in E. Tornacensi, a. 631. nn. 3. 4. conditur à S. Amando, habet à prima institutione Clericos quos idem erudit Amandus, deinde Monachos.

Florbertus fit primus Abbas, a. 636. obit, a. 657.

Aldebertus fit Abbas, a. 657. obit, a. 679.

Fulco fit Abbas, a. 679.

GAVDIACVM, Mon.

Gaudiacum, Mon. in E. Bituricensi, a. 631. n. 24.

GEMMETICVM, Mon. *Iumiege.*

Gemmeticum, Mon. in E. Rotomagensi, a. 662. nn. 16. 17. conditum à S. Philiberto ex munificentia Clotarij III. R.

Philibertus primus Abbas, a. 662. exulat, a. 674.

Chrodobertus fit Abbas, a. 674.

Ragetrannus.

GENOLIACVM, Mon.

Genoliacum, Mon. in E. Petrocoricensi, a. 542. n. 2.

Saualus Abbas regnante Clotario I.

GERBERENSE Mon. *Gerber.*

Gerberense Mon. in E. Leonensi, a. 545. n. 8.

Tanguidus seu Gurguidus, regnante Childeberto I. primus Abbas constituitur à S. Paulo Ep. Leonensi, ipsius Mon. conditore, obit, a. 590.

S. GERMANI Mon. Autissiodorense.
Saint Germain d'Auxerre.

S. Germani Mon. in E. Autissiodorensi, a. 586. n. 38.

Allodius Abbas superstite adhuc in viuis S. Germano.

Winebaudus, a. 586.

Palladius, qui factus est Ep. Autissiodorensis, a. 624.

S. GERMANI Mon. Cenomanense.
Saint Germain du Mans.

S. Germani Mon. Cenomanense, a. 589. n. 16.

S. GERMANI Mon. Pratense.
Saint Germain des Prez.

S. Germani Mon. in suburbio Parisiensi, a. 542. n. 32. conditum est à Childeberto I. R. post a. 542. dictum primò Mon. S. Vincentij, deinde S. Germani. *Vide infrà* Mon. S. Vincentij.

Gauscio, cuius antecessores dicti sunt Abbates S. Vincentij, vocatur Abbas S. Germani, fit Abbas, a. 622. obit, a. 636.

Germanus fit Abbas, a. 636. obit vltimis temporibus Clodouei II.

Sigo seu Sigofridus fit Abbas regnante Clodoueo II. obit regnante Theodorico III.

SS. GERVASII ET PROTASII Mon.

SS. Geruasij & Protasij Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

GLANDERIA Mon.

Glanderia, Mon. in E. Metensi, a. 587. n. 22. Conditorem agnoscit S. Arnoaldum, circa a. 587. Nomen hodie gerit S. Martini cui dicatum est. *Saint Martin aux Chesnes.*

GLANNAFOLIVM, Mon. *Glanfueil.*

Glannafolium, Mon. in E. Andegauensi, a. 543. n. 13. conditum à S. Mauro ex munificentia Flori Optimatis.

Maurus fit primus Abbas, a 543. abdicat se regimine Monasterij, a. 601.

Bertulfus fit Abbas, a. 601. obit, a. 606.

Florianus fit Abbas, a. 606.

GRANDIS VALLIS, Mon. *Granfel.*

Grandis Vallis, Mon. in E. Vesontionensi, a. 647. n. 8. conditum à Gundonio viro illustri.

Germanus primus Abbas obit a. circiter 662.

S. GREGORII Mon. *Munster in S. Gregorienthal.*

S. Gregorij Mon. in E. Argentoratensi, a. 667. n. 35. conditum à Childerico II. R.

S. Ivsti Mon. *Saint Iust.*

S. Iusti Mon. Lugduni, a. 642. n. 55. conditum à S. Arigio, qui Lugdunensem Pontificatum gessit ab a. 603. ad a. 611.

Viuentius ex Abbate S. Iusti fit Ep. Lugdunensis regnante Clodoueo II.

Ixivm, Mon.

Ixium, Mon. in E. Bituricensi, a. 531. n. 3.

Faretrus Abbas, sub cuius disciplina vixit S. Deodatus coætaneus Clodoueo I. R.

K

Kala, Mon. *Chelles.*

Kala, Mon. puellare in E. Parisiensi, a. 537. n. a. a. 656. n. 5. conditum à Clotilde Regina Clodouei Magni vxore, amplificatum à Bathilde vxore Clodouei II.

Bertila fit Abbatissa, a. 658. Bathilde post Clodouei II. mortem Regnum tunc administrante.

Kemperlagivm, Mon. *Kemperlé.*

Kemperlegium, Mon. in E. Corentinopolitano, a. 574. n. 24. conditum, a. circiter 550. à Guereko Comite Venetensi.

Gurthiernus primus Abbas.

Corbasius Abbas, a. 675.

Karfevntevm, Mon.

Kerfeunteum, Mon. in E. Dolensi, a. 529. n. 8. conditum à S. Samsone.

Maglorius regnante Childeberto I. primus Abbas constituitur à Samsone tunc facto Episc. Dolensi, fit & ipse Episc. Dolensis, a. 564.

L

Landt-Goeanov, Mon.

Landt-Goeznou, Mon. in E. Leonensi, a. 642. n. 62. constructum à S. Goeanoueo ex munificentia Comotri Comitis.

Goeznoueus primus Abbas, fit Ep. Leonensis, a. 650.

Latiniacvm, Mon. *Lagny.*

Latiniacum, Mon. in E. Parisiensi, a. 648. n. 4. conditum à S. Furseo ex munificentia Erchinoaldi Maioris-domûs.

Furseus conditor ac primus Abbas, a. 648.

Eminianus fit Abb. a. 649. Furseo aliò commigrante, Monasterium regit adhuc, a. 654. paulò pòst abdicat se regimine.

Eloquius Abbas curam Monasterij dimittit.

Mumbolus curam quoque Monasterij dimittit superstite S. Eligio, qui obiit, a. 659.

Lavbacvm, Mon. *Lobbes.*

Laubacum, Mon. in E. Cameracensi, a. 654. n. 29. conditum à S. Landelino.

Landelinus primus Abbas superstes, a. 680.

Lavconnense Mon.

Laueonnense Mon. in E. Lugdunensi, a. 534. n. 24.

Lupicinus primus Abbas, posteà Condatescensis. *Vide* Mon. Condatescense, de quo suprà.

S. Lavrentii Mon.

S. Laurentij Mon. in suburbio Parisiensi, a. 547. n. 7. Illius loci Abbas falsò creditur Domnolus, qui factus est Ep. Cenomanensis, a. 545.

S. Lavtheni Monasteria.

S. Lautheni Monasteria in E. Vesontionensi, a. 534. n. 28.

Lauthenus Abbas illorum Monasteriorum regnante apud Burgundiones Gundobado.

Lerinvs, Mon. *Lerins.*

Lerinense Mon. in E. Antipolitano, a. 536. n. 169. conditum à S. Honorato.

Honoratus conditor ac primus Abbas vertente quarto seculo, posteà fit Episc. Arelatensis.

Maximus, posteà Ep. Reiensis.

Faustus, posteà Ep. Reiensis.

Porcarius S. Cæsarium in sodalitium Monachorum admittit.

Honoratus II. a. 507.

Marinus, a. 536. cùm Ostrogothi Francis ditiones suas sponte cedunt.

Florianus, a. 550.

Stephanus, a. 596.

Cono, a. 600.

Maximus.

Nazarius.

Encherius.

Vincentius.

Aygulphus fit Abbas, a. 676. Martyr, a. 677.

Rigomirus fit Abbas, a. 677. viuit, a. 680.

Limonicvm Mon.

Limonicum Monast. in E. Viennensi, a. 614. n. 41.

Samson Abbas, a. 614. obit, a. 624.

Maximus fit Abbas, a. 624. obit, a. 625.

Magnentius fit Abbas, a. 625.

Loccanse Mon. *Loches.*

Loccense Mon. in E. Turonensi, a. 508. n. 31.

Vrsus Abbas regnante Alarico R. Wisigothorum, dubium an vixerit etiam sub Clodoueo Francorum R.

Loc-Ranan-ar-Fang, Mon.

Loc-Renan-ar-Fang, Monast. puellare in E. Leonensi, a. 642. n. 62. conditum à S. Paulo primo Ep. Leonensi.

Locvs Kireci, Mon. *Loc-Kirecq.*

Locus Kireci, Mon. prope Kerfeunteum in E. Leonensi in loco, cui nomen *Landmeur*, a. 520. n. 11.

S. Kirecus seu Wefocus condit Mon. a. 522. éstque illius loci primus Abbas, donec a. 528. abit ad Parœciam Danielis, alio Abbate subrogato.

Longoretvm, Mon. *Lonrey.*

Longoretum, Mon. in E. Bituricensi, a. 640. n. 32. conditum à S. Sigiranno, cuius nomen hodie gerit, *Saint Siran.*

Sigirannus conditor ac primus Abbas obit regnante Clotario III.

Lvcionense Mon. *Luçon.*

Lucionense Monast. in E. Pictauiensi, a. 508.

Claudius primus Abbas.

B. MARIÆ V. Mon. Cenomani.

B. Mariæ V. Mon. in E. Cenomanensi, a. 572. n. 7. conditum à S. Domnolo Episc. Cenomanensi, qui sedit ab a. 545. vsque ad a. 581.

Paduinus primus Abbas.

B. MARIÆ V. Mon. Condati.

B. Mariæ V. Mon. puellare Condati, in E. Cameracensi, a. 677. n. 14.

B. MARIÆ V. Mon. Lauduni.

B. Mariæ V. Mon. puellare Lauduni à *Laon*, a. 640. nn. 43. 44. conditum à S. Salaberga.

Salaberga prima Abbatissa obit, a. 654.

Austrudis fit Abbatissa, a. 654. superstes, a. 680.

B. MARIÆ V. Mon. Suessione

B. Mariæ V. Mon. puellare, Suessione, a. 661 n. 15. a. 674. n. 9. conditum ab Ebroino Maiore domûs, eiúsque vxore Leutrude, ac filio Bouone.

Etheria prima Abbatissa.

B. MARIÆ V. ET SS. APOSTOLORVM Mon. Suessione.

B. Mariæ V. & SS. Apostolorum Mon. Suessione conditur à Clotario I. R. post obitum S. Medardi, cuius nomen hodie gerit. *Saint Medard de Soissons*.

Ansbertus Abb. a. 661.

warimbertus fit Abb. sub Drausione Ep. fit etiam Ep. Suessionensis, a. 674.

B. MARIÆ V. Mon. Trecis.

B Mariæ V. Mon. puellare Trecis, a. 657. n. 16. conditum à S. Leuconio Episc. Trecensi.

B. MARIÆ V. Mon. Vesontione.

B. Mariæ V. Mon. puellare Vesontione, a. 625. n. 65. conditum à Flauia matre S. Donati.

Sirudis prima Abbatissa soror S. Donati Ep. Vesontionensis.

Gauthstrudis, cui S. Donatus Regulam Monialium dicauit.

MARICOLÆ, Mon. *Maroilles*.

Maricolæ, Mon. in E. Cameracensi, a 653. n. 23. a. 671. n. 2.

Humbertus primus Abb. superstes, a. 680.

S. MARTIALIS Mon. *Saint Martial*.

S. Martialis Mon. puellare Parisiis a. 632. n. 11. Conditum est à S. Eligio nondum Episc.

Aurea prima Abbatissa obit, a. 666.

S. MARTINI Mon. Augustodunense.

S. Martini Monast. in suburbio Augustodunensi, *d'Autun*, a. 600. n. 6. Conditum à S. Siagrio Ep. Augustodunensi, qui finem viuendi fecit, a. 600.

Luppo primus Abb.

S. MARTINI Mon. Autissiodori.

S. Martini Monast. Autissiodori, a. 623. n. 12.

S. MARTINI Mon. Metis.

Mon. S. Martini in campis prope Metas, a. 654. n. 4. conditum à S Sigiberto III. R. qui obiit, a. 654.

S. MARTINI Mon. Tornaci.

S. Martini Mon. in colle prope Tornacum, a. 650. n. 8. inchoatum, a. 650. à S. Eligio Ep. Tornacensi.

S. MARTINI Mon. Treuiris.

S. Martini Mon. Treuiris, a. 597. n. 8. Conditorem agnoscit S. Magnericum, qui factus est Ep. Treuirensis, a. circiter 566. obiitque, a. 587.

S. MARTINI Mon. Turonis.

S. Martini Mon. Turonis, a. 508. n 4. inchoatum à S. Perpetuo Ep. Turonensi, a 461. absolutum, a. 472.

Leo Abb. fit Ep. Turonensis, a. 526.

Aigiricus siue Agericus Abb. anno 668. anno 674.

S. MARTINI Mon. Viennæ.

S. Martini Mon. Viennæ a. 534. n. 27.

IN MARTINIS Mon.

Monast. in Martinis Tarnannæ, a 552. n. 3. Hoc Mon. conditorem habuit Athalbertum Ep. qui Morinorum Ecclesiam rexit ab a. 510. ad a. 552.

S. MATTHÆI FINISTERRÆ Mon. *Saint Mahé*.

S. Matthæi Mon. in E. Leonensi, a. 555. n. 21. conditum à S. Tanguido.

Gnrguidus seu Tanguidus anteà Gerberensis Abb. condit hoc Mon. & illius primus fit Abbas Paulo Leonensem Episcopatum post Tiernomagilum iterum administrante, obiit, a. 590.

S. MAXENTII Mon. *Saint Maixent*.

S. Maxentij Mon. in E. Pictauiensi, a. 507. n. 9.

Agapitus Abb. sub cuius disciplina vixit Maxentius.

Maxentius, cuius nomen loco inditum ad hodiernam vsque diem perseuerat, Abbas ætate Clodouei Magni.

Leodegarius fit Abb. a. 653. Ep. Augustodunensis, a. 659.

Audulfus superstes a. 680.

S. MAXIMINI Mon. *Saint Maximin au Diocese d'Aix*.

S. Maximini Mon. in E. M. Aquensi, a. 556. n. 167. paulò recentiùs Cœnobio Massiliensi S. Victoris de quo infrà.

S. MAXIMINI Mon. *Saint Maximin au Diocese de Treues*.

S. Maximini Mon. in E. Treuirensi, conditum florente in Galliis Romanorum Imperio.

Fibicius ex Abbate S. Maximini fit Ep. Treuirensis, a. 498.

Volmarus Abb.

Rodingus.

Hundilandus.

Memilianus Abb. a. 633. De cuius successoribus agemus Tomo sequenti.

S. MEDARDI Mon. *Saint Medard*.

S. Medardi Mon. prope muros Cameracen-

N

dunensi, factus est Episc. Bituricensis, a. 612.

NIGELLA ABSCONDITA, Moo.
Nelle la reposte.

Nigella abscondita, Mon. in E. Trecensi, a. 505. n. 3. conditur pro viris ac fœminis ex liberalitate Clodouci R. & Clotildis Reginæ.

NIVERNENSE Mon.

Moo. iuxta Niuernum, a. 631. n. 24.

NOBILIACVM, Mon. *Noaillé.*

Nobiliacum, Moo. in E. Lemouicensi, a. 549. n. 20.

Leonardus, à quo nomen hodie loco est, *Saint Leonard*. hoc Monast. construxit ex munificentia Theodoberti R. fuitque primus Abbas.

NOVIACVS, Moo.

Nouiacus, Mon. in E. Aueoticensi, a. 548. n. 96. a. 562. n. 32.

O

OGIA, Moo. *Oye.*

Ogia, Mon. in E. Santonensi, a. 609. n. 13.

ONIA, Moo.

Onia, Mon. in E. Bituricensi, a. 508. n. 31.

ORATORIVM, Mon. *Oroer.*

Oratorium, Mon. puellarum in E. Bellouacensi, a. 678. n. 11.

Angadrisina Abbatissa eodem tempore quo Ansbertus erat Abbas Fontanellensis.

ORBACVM, Mon. *Orbez.*

Orbacum, Moo. in E. Suessionensi, a. 677. n. 8. erectum à S. Reolo Ep. Remensi.

Leudemarus primus Abb.

P

PALATIVM, Mon.

Palatiom seu S. Pauli Mon. prope Vesontionem, a. 625. o. 65. Conditum est à S. Donato Vesontionensi Ep. qui Concilio Remensi subscripsit, a. 625.

PAVLIACVS, Mon. *Pauilli.*

Pauliacus, Mon. puellarum in E. Rotomagensi, a. 662. o. 19. conditum ab Amelberto.

Austrebertha fit prima Abbatissa, a. 662.

PANETALE, Mon. *Peneti.*

Penetale, Mon. in E. Dolensi, a. 529. n. 8. Conditur à S. Samsone, qui primus Dolensis Ep. fuit regnante Childeberto I. vitámque clausit, a. 564.

PENTALLIVM, Moo. *Pentallion.*

Pentallium, Moo. in E. Rotomagensi, a. 648. n. 37.

Geremarus fit Abb. a. 648. munus Abbatiale dimittit, a. 649.

PERONENSE Mon.
de Peronne.

Peronense Moo. in E. Nouiomensi, a. 639. o. 5. conditum ab Erchinoaldo Maiore domûs.

Vltanus primus Abb. frater S. Fursei.

S. PETRI Mon. prope Arelatem.
Saint Pierre lez Arles.

S. Petri Mon. apud Montem Maiorem prope Arelatem, vnde illi oomen *Mont-Maiour* a. 641. n. 6.

Paulus Abb. a. 599.

Emondus, qui posteà factus est Ep. Aueoionensis, & in Episcopatu antecessit Magnum, cuius mors incidit in a. 660.

Riculfos Abb. a. 672.

S. PETRI Mon. Autissiodori.
Saint Pierre d'Auxerre.

S. Petri Moo. Autissiodori, a. 586. n. 38.

S. PETRI Moo. ad Brigiam.
Saint Pierre sur Braye.

S. Petri Mon. ad fontes Brigiæ in E. Cenomanensi, a. 532. o. 14. inchoatur à S. Boamiro sub Childeberto I. Rege & Innocentio Ep. Cenomanensi.

S. PETRI Monast. Cabilone.
Saint Pierre de Chalon.

S. Petri Mon. Cabilone, a. 601. n. 38. Conditum est aut restauratum à S. Flauio, qui Cabilonensem Episcopatum suscepit, a. 580.

S. PETRI Mon. Remis.
Saint Pierre de Reims.

S. Petri Monast. puellare Remis, a. 593. o. 14.

S. PETRI Mon. Remis.
Saint Pierre de Reims.

S. Petri Mon. Remis puellare superius, a. 627. n. 6. conditum à S. Balderico Presbytero, incboatum regnante in Austrasia Dagoberto I. perfectúmque regnante Sigiberto III.

Boua Soror S. Balderici, prima Abbatissa, obit sedente Remis S. Reolo E. qui Pontificatum suscepit, a. 673.

Doda.

S. PETRI Mon. Remis.
Saint Pierre de Reims.

S. Petri Moo. puellare Remis, a. 662. n. 19. conditum à S. Gantberto, sub Pontificatu S. Niuardi, qui sedere cœpit, a. 649. peruenitque ad a. 673.

S. PETRI Mon. Salisburgij.
Saint Pierre de Saltzbourg.

S. Petri Moo. Salisburgij, a. 580. n. 26. conditum à S. Ruperto primo Ep. Salisburgiensi, qui migrauit ad Deum, a. 623.

Vitalis primus Abb. in Episcopatum Salisburgiensem sancto Ruperto successit, a. 623.

Ansologus fit Abb. a. 623. deinde Ep. Salisburgiensis, a. 646.

Sauolus fit Abb. a. 646. deinde Ep. Salisburgiensis, a. 666.

Ezius fit Abb. a. 666. deinde Ep. Salisburgiensis, a. 680.

Flobargisus fit Abb. a. 680.

Celsus.

Celsus,
Masehara,
Deodatus.

REBBACVM, Mon. *Rebez.*

Resbacum, Mon. in E. Meldensi, a. 634. nn. 11. 14. conditum à S. Andoeno.
Agilus fit primus Abb. a. 636. obiit, a. 660.
Philibertus fit Abb. a. 660.

ROTVNDÆ, Mon. *Rotonde.*

Rotundæ, Mon. in E. Suessionensi, a. 657. n. 14. conditum à S. Drausio Ep. Suessionensi.

RVBIACENSE Mon. *Royac.*

Rubiacense Mon. in ciuitate Aruerna, a. 525. n. 17.

RVIENSE Mon. *Ruys.*

Ruiense Mon. in E. Venetensi, a. 520. n. 6.
Gildas regnante Childeberto I. construit hoc Mon. fitque primus Abb. illius loci, cui nomen hodie, *S. Gildas de Ruys*, obiit a. 565.

RVIRIACVS, Mon.

Ruiriacus, Mon. in E. Bituricensi, a. 657. n. 6. conditum à S. Sigiranno, qui obiit, a. 657.
Desiderius primus Abb. à Sigiranno constitutus, eidem S. Sigiranno superstes vixit.

S.

SAFFIACENSE Mon.

Saffiacense Mon. in E. Autissiodorensi, a. 582. n. 19.

SALICIS Mon.

Salicis Mon. in E. Vesontionensi, a. 568. n. 20. haud procul à loco cui nomen Anagrates, vbi S. Columbanus primùm consedit annuente S. Guntchramno. R.
Carantocus Abb. necessaria vitæ misit ad S. Columbanum, qui nuperrimè venerat in Gallias.

S. SALVATORIS Mon. *Saint Sauueur.*

S. Saluatoris Mon. puellare Massiliæ, a. 536. n. 45. conditum priusquàm in ea regione dominarentur Franci.

SARCHINIVM, Mon.

Sarchinium, Mon. in E. Traiectensi, a. 664. n. 1. constructum à S. Trudone Presbytero, qui rexit illud absque Abbatis titulo vltra a. 680. eidémque loco nomen fecit. *Saint Tron.*

SCHVTTERA, Mon. *Schutter.*

Schuttera, Mon. in E. Argentoratensi, a. 675. n. 28. conditum ab Offone Anglo & ditatum à Dagoberto II. R.

SCISCIACVM Mon. *Chesay.*

Scisciacum Mon. in E. Abrincensi, a. 502. n. 6.
Paternus ex primo illius loci Abbate factus est Ep. Abrincensis, a. 550.

SECKINGENSE Mon. *Seckingen.*

Seckingense Mon. in E. Vindonissensi, a. 509. n. 7.
S. Fridolinus antè Abbas S. Hilarij construxit hoc Mon. rexitque cum Abbatis titulo, regnante in Burgundia Sigismundo.

SEDACIANVM Mon.

Sedacianum Mon. in E. Petracoricensi, a. 542. n. 1.
Martinus Abb. cùm Eparchius ibi Monachum induit.

SEGESTRENSE Mon.

Segestrense Mon. in E. Lingonensi, a. 534. n. 30.
Sequanus, à quo nomen hodie Cœnobio est, *Saint Seine*, conditor ac primus Abb. floruit sub Burgundis & Francis. Superstes erat in viuis, a. 539.
Tendolenus Abb. a. 631.

SENAPARIA, Mon.

Senaparia, Mon. in E. Turonensi, a. 508. n. 31.
Leobatius primus Abb.

SENONIENSE Mon. *Senonne.*

Senoniense Mon. in E. Tullensi, a. 661 n. 5. conditum à S. Gundelberto, qui Senonensem Episcopatum priùs gesserat.
Gundelbertus conditor ac primus Abbas, a. 661. obiit, a. circiter 675.
Agericus fit Abb. a. circiter 675.

S. SERGII Mon. *Saint Serge.*

S. Sergij Mon. prope muros Andegauenses, a. 654. n. 32. conditum à Clodouco II. R. sedente tunc Andegaui Magnobodo Ep.

S. SEVERI Mon. *Saint Seuer.*

S. Seueri Mon. in E. Constantiensi, a. 525. n. 17.
Seuerus hoc Mon. construxit rexitque temporibus Childeberti I. R. donec in Episcopum Abrincensem assumptus est.

S. SIDONII Mon. *Saint Saens.*

S. Sidonij Mon. in E. Rotomagensi, a. 674. n. 8. conditum à Theodorico III. R.
Sidonius Abb. a. 674. a. 677.

S. SIGISMVNDI CELLA, Mon.

S. Sigismundi Cella, Mon. in E. Argentoratensi, a. 675. n. 29. conditum à Dagoberto II. R.
Immerius primus Abb. de quo iterum Tomo sequenti.

SITIVENSE Mon. *Sitiu.*

Sitiuense Mon. in E. Taruannensi, conditum ab Adroaldo Neophyto.
Mummolinus primus Abb. a. 648. fit Episc. Noniomensis, a. 659.
Bertinus fit Abb. a. 659. superstes, a. 680.

SOLEMNIACVM, Mon. *Solognac.*

Solemniacum, Mon. in E. Lemonicensi, a. 631. nn. 19. *& seqq.* Erectum est à S. Eligio nondum Ep.
Remaclus fit primus Abb. a. 631. deinde Abb. Casæcongudunensis, a. 645.
Tillo fit Abb. an. 645. deinde Eremita, a. 660.

SONEGIÆ, Mon. *Soigny.*

Sonegiæ, Mon. in E. Cameracensi, a. 653. n. 26. conditur à S. Vincentio, S. Waldetrudis marito.

Syluanus Abb.
Venantius Syluani diſcipulus, cuius nomen inditum poſteà Monaſterio.
Licinius, qui factus eſt Turonenſis Epiſc. eodem anno quo Clodoueus Turonos cepit.
Guntharius, qui factus eſt Ep. Turonenſis, a. 552.

VENETENSE Mon.
de Vannes.

Venetenſe Mon. puellare, a. 553. n. 11. Hoc Mon. in ſuburbio Venetenſi conditum eſt à S. Trifina, S. Gildæ coætanea, quæ vitam inter Moniales ibi duxit.

VERTANVM, Mon. *Verton.*

Vertanum, Mon. in E. Namnetenſi, a. 565. n. 12. conditum à S. Martino.
Martinus conditor ac primus Abbas, ordinatus eſt Preſbyter à S. Felice Namnetenſi Ep. qui diſceſſit è viuis, a. 583.

VICTORII Mon.

Victorij Mon. ad flumen Sartam in E. Conomanenſi, a. 572. n. 7.

S. VICTORIS Mon.
Saint Victor.

S. Victoris Mon. Maſſiliæ, a. 534. n. 43.
Caſſianus conditor ac primus Abb. obiit cùm Maſſilia Valentiniano III. Rom. Imp. parebat.
Anaſtaſius, a. 581.

S. VINCENTII Mon. prope Cenomanum.

S. Vincentij Mon. in ſuburbio Cenomanenſi, a. 572. n. 7. Hoc Mon. conſtructum, dicatum ac dotatum fuit à S. Domnolo Ep. qui Cenomanenſem Diœceſim rexit ab a. 545. ad a. 581.
Leuſius primus Abb. a. 572.
Tirminus, a. 602.
Richardus, a. 652.
Goſcelinus, a. 658.

S. VINCENTII Mon. prope Laudunum.

S. Vincentij Mon. prope Laudunum, a. 615. n. 16. Conditum eſt à Brunichilde Regina.

S. VINCENTII Mon. prope Pariſios.

S. Vincentij Mon. in ſuburbio Pariſienſi, a. 542. n. 32. Conditum eſt à Childeberto I. R. poſt a. 542.
Autharius primus Abb. obiit, a. 561.
Droctoueus fit Abb. a. 561. obiit, a. 581.
Scubilio fit Abb. a. 581. obiit, a. 606.
Deſiderius fit Abb. a. 606. obiit, a. 622.
Gauſcio fit Abb. a. 622. obiit, a. 636. primus omnium dictus reperitur Abb. ſancti Germani. *Vide* Abbates ſancti Germani ſuprà.

S. VINCENTII Mon. Viennæ.

Sancti Vincentij Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

VIRIZIACVM, Mon. *Verzy.*

Viriziacum, Mon. in E. Remenſi, a. 625. n. 129. *Vide* Monaſt. S. Baſoli, *Saint Baſle.*

VIVARIS, Mon.

Viuaris, Mon. in E. Bituricenſi, anno 525. n. 18.

VLTERENSE Mon.

Vlterenſe Mon. in E. Taruannenſi, a. 519. n. 2. conditum ab Antimundo primo Epiſc. Taruannenſi, qui ſedit ab anno 501. ad annum 520.

VOLOVICVS, Mon. *Voluic.*

Volouicus, Mon. in E. Aruernenſi, a. 674. n. 19. conditum à S. Auito Epiſc. Aruernenſi.
Godo primus Abb. a. 674.

VORMACIENSE Mon.
de Worms.

Vormacienſe Monaſt. a. 503. n. 3. regnante Clodoueo I. conditum à Crotoaldo Ep. Vormacienſi.

VOSIVM, Mon. *Vigeois.*

Voſium, Monaſt. in E. Lemouicenſi, a. 667. n. 53.
Aſtidius Abbas, nepos S. Aredij Athanenſis Abbatis mortuus, a. 591.

S. VRSICINI Mon.
Saint Vrſitz.

S. Vrſicini Mon. circa Dubim fl. in E. Veſontionenſi, a. 615. n. 2. erectum à S. Vrſicino Monacho quondam Luxouienſi & S. Columbani diſcipulo.
Germanus Abb. obiit, a. circiter 662.

VTICVM, Mon. *Ouche.*

Vticum, Mon. in E. Lemouicenſi, a. 572. n. 9.
Ebrulfus hoc Mon. condidit, a. 572. rexitque ad a. vſque 596. hodie Cœnobio nomen inditum S. Ebrulfi. *Saint Evroul.*

S. WALERICI Mon.
Saint Valery.

S. Walerici Mon. in E. Ambianenſi, a. 614. n. 3.
S. Walericus hoc Mon. conſtruit, a. 614. regitque ad a. vſque 623.
Blitmundus fit Abbas, a. 627. obiit regnante Clodoueo II.
Ragimbertus fit Abbas regnante Clodoueo II.

WASLERA, Mon. *Walers.*

Waslerenſe Mon. in E. Cameracenſi, a. 657. n. 12. conditum à S. Landelino.
Dodo primus Abbas.

WEISSEMBVRGVM, Mon.
Weiſſembourg.

Weiſſemburgum, Mon. in E. Nemetenſi, a. 642. n. 67. Conditum fuit à Dagoberto I. Rege.
Principius primus Abbas ſub Dagoberto I. deinde ſub Sigberto III. fit Epiſc. Nemetenſis, a. 642.
Cheodonius fit Abbas, a. 642.
Ratfridus ſeu Radefridus Abbas, a. 675.

WELTEMBVRGIENSE Mon.

Weltemburgienſe Mon. in E. Salisburgienſi, a. 596. n. 8. erectum à Thaſſilone Duce Boioariæ, regnante Childeberto II.
Viſundus primus Abbas.

F I N I S.

E R R A T A.

PAGINA 32. *lin.* 5. *instituerant*, *lege*, *instituerat.* *p.* 103. *lin.* 8. Authorem, *leg.* Authorum. *p.* 150. *lin. vlt.* quinti, *leg.* quarti. *p.* 167. *lin.* 43. Insulas, *leg.* Insulas. *ibid. lin.* 44. Cherdonius, *leg.* Cheodonius. *p.* 180. *lin.* 40 regebat Perpetuus Episcopus, cuius mentio fit apud Robertum in Gallia Christiana post Audicium siue Audericum, quem, *&c.* *leg.* regebat Audericus Episcopus, quem, *&c.* *p.* 191. *lin.* 24. vndeseptuagesimum, *leg.* duodeseptuagesimum. *p.* 253. *lin.* 51. regere potuit Perpetuus, cuius mentionem ante quinquennium fecimus, *leg.* regebat Audericus, vt post Erchoaldi successoris obitum probabimus. *p.* 267. *lin.* 43. Pipinij, *leg.* Pipini. *p.* 323. *lin.* 20. octo, *leg.* octauo. *p.* 414. *lin.* 4. *Regnum administrasse*, *leg. Regnum optimè administrasse.* *p.* 738. *lin.* 34. *Arculus*, *leg. Arlucus.*

C O R R I G E N D A
superioribus Tomis.

TOMO I. *pag.* 36. *lin.* 25. Iulio, *leg.* Iuliano. *p.* 46. *in marg.* dictiones, *leg.* ditiones. *p.* 50. *lin.* 25. sex, *leg.* septem. *lin.* 36. sextum, *leg.* octauum *ibid. dele*, item caput tricesimum-octauum. *p.* 52. *lin.* 10. decem, *leg.* nouem. *lin.* 13. *dele*, tricesimum-septimum. *lin.* 43. duo postrema desunt, *leg.* postremum deest. *p.* 53. *lin.* 3. quarti, *leg.* quinti. *lin.* 19. tria postrema non extant, *leg.* tria postrema cum vicesimo-primo non extant. *p.* 78. *lin* 42. Victorinus, *leg.* Victorius. *p.* 79. *lin.* 32. Victore, *leg.* Victorio. *p.* 101. *lin.* 16. Ricinus, *leg.* Ricimer. *p.* 141. *lin.* 38. Lupicinij, *leg.* Lupicini. *p.* 200. *lin.* 51. Agero, *leg.* Agerico. *p.* 213. *lin.* 20. *Corpus sepultum est in Ecclesia Sancti Laurentij extra ciuitatem Aurelianensem ad latus corporis Sancti Aniani, deinde cum corpore Sancti Aniani illatum est in Ecclesiam Sancti Petri ad orientalem plagam, qua nunc Sancti Aniani vocatur, in cuius honorem in vtraque Ecclesia Sacella extructa manent.* Nullibi, *&c.* *leg.* Corpus sepultum est extra ciuitatem Aurelianensem ad latus corporis sancti Aniani in Ecclesia sancti Petri ad orientalem plagam, quæ nunc sancti Aniani vocatur. Nullibi, *&c.* *p.* 218. *lin.* 34. Episcopus, *leg.* Episcopo. *p.* 282. *lin.* 26. *recta*, *leg. certa.* *lin.* 53. *vt in cuius*, *leg. vt in eius Episcopi*, *in cuius.* *p.* 305. *lin.* 40. *posSit*, *leg. poscit.* *p.* 316. *lin.* 9. Medardinòve, *leg.* Menardinòve. *p.* 333. *dele in marg.* Monachi Vlterenses. *p.* 359. *lin.* 13. *Auernans*, *leg. Auernam.* *p.* 417. *lin.* 15. quadringentesimo, *leg.* quingentesimo. *p.* 452. *lin.* 40. à Longobardis, *leg.* ab Ostrogothis. *p.* 599. *lin.* 47. Clementius, *leg.* Clematius. *p.* 600. *lin.* 44. *Qui cuius*, *leg. Qui cupis.* *p.* 712. *lin.* 12. Vigilium, *leg.* Virgilium. *p.* 721. *lin.* 45. *virgines*. *leg. vigilent.* *p.* 749. *lin.* 33. paulè, *leg.* paulò. *p.* 752. *lin.* 21. ait Sirmundus, *leg.* aiunt Sammarthani. *ibid. in marg.* Tom 1. Conc. Gall. *leg.* Tom. 2. Gall. Christ. *p.* 790. *lin.* 19. septingesimo, *leg.* septingentesimo. *p.* 792. *lin.* 57. Cæsarij Procopiensis, *leg.* Procopij Cæsariensis.

TOMO II. *pag.* 3. *lin.* 37. sex, *leg.* septem. *lin.* 38. decem, *leg.* nouem. *lin.* 41. *dele*, tricesimum-septimum. *p.* 80. *lin.* 26. obiit decimo-quinto Kalendas Maias, *leg.* in viuis superstes adhuc erat. *lin.* 34. post decennium, *leg.* post annos duodecim, *in marg. dele* obit. *p.* 102. *lin.* 46 quamuis, *leg.* quòd. *lin.* 47. procul abesset à finibus, *leg.* esset intra fines. *p.* 104. *lin. vlt. Monasteriis*, *leg. Monasterij.* *p.* 129. *lin.* 27. *mirificè augmentauit*: *leg. Monasticum institutum, quod illic florere cœperat, mirificè augmentauit.* *p.* 154. *lin.* 38. Iunahelo, *leg.* Iumahelo

p. 168. *lin.* 22. insulis, *leg.* iofulis. *p.* 182. *lin. vlt.* ὑπατεῖ, *leg.* ὑπατευόντος. *p.* 214. *lin.* 23. ἐς τὰ, *leg.* ἐς Νοέμβριον, ἐς τὰ. *p.* 264. *lin.* 20. vbi, *leg.* vſi. *p.* 298. *lin.* 6. quod ad Saluium Albigenſem non pertineat, *leg.* quod ad Saluium Albigenſem in eorumdem Aoctorum opinione non pertineat. *p.* 308. *lin.* 6. ſeptingentesimo, *leg.* quingenteſimo. *p.* 316. *lin.* 6. primo, *leg.* ſeptimo. *lin.* 33. octo, *leg.* octodecim. *p.* 321. *lin.* 35. ert, *leg.* erat. *p.* 338. *lin.* 52. Lucianus, Ruſticus, *leg.* Lucianus, Venantius Tertius, Ruſticus. *lin.* 53. quatuor, *leg.* quinque. *p.* 339. *lin.* 13. Luciano, Ruſtico, *leg.* Luciano, Venantio Tertio, Ruſtico. *p.* 403. *in marg.* reliquæ, *leg.* reliquiæ. *p.* 432. *lin.* 22. duodecimom, *leg.* vndecimom. *p.* 457. *lin.* 22. Ratomagi, *leg.* Rotomagi. *p.* 492. *lin.* 48. onamento, *leg.* ornamento. *p.* 631. *lin.* 10. Azo Deruenſis Abbas, *leg.* Auctor à Camuzato publicatus. *lin.* 31. Azo ſiue Aſſo Deruenſis Abbas, *leg.* Anooymus. *lin.* 37. Huius Auctoris errores, *leg.* Azone Abbate Deruenſi non antiqoior eſt Anonymus, cuius errores. *lin.* 41. & 54. Azooe, *leg.* Anonymo. *p.* 633. *lin.* 20. Azo, *leg.* Anonymus. *lin.* 32. Azone, *leg.* Anonymo. *lin.* 48. ex hoc Azonis loco, *leg.* ex hoc loco. *p.* 634. *lin.* 23. Azoni, *leg.* Anonymo. *p.* 635. *lin.* 5. Azo, *leg.* Anonymus. *lin.* 43. Azonis, *leg.* Anonymi. *p.* 652. *in marg.* Euſebius, *leg.* Euſtaſius. *p.* 715. *lin.* 43. Alaretus, *leg.* Aluretus. *p.* 734. *lin.* 49. fratribus, *leg.* patribus. *p.* 740. *lin.* 25. ab Azone Monaſterij Deroenſis Abbate, *leg.* ab Anonymo. *p.* 770 *lin.* 7. *Lonegoſilus*, *leg. Lonogeſilus*. *p.* 813. *lin.* 29. *Fricharius*, *leg. Fricborius*. *p.* 831. *lin.* 45. nihil occurrit, *adde*, præter ſubſcriptionem, quâ Concilium Cabilonenſe communiuit Ætherius anno Christi ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto.

PARISIIS,

IN TYPOGRAPHIA REGIA,

CVRANTE SEBASTIANO CRAMOISY,

Regis Architypographo.

M. DC. LXVIII.